Universidad de Deusto
Biblioteca

Hyperon. Osorij. Epi.

Opē. 10. 3. 4.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

IHS
BIBLIOTECA DE LOYOLA.
Sala 1
Estante G2
Plúteo 10

7076

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIERONYMI

OSORII LVSITANI

EPISCOPI ALGARBIENSIS

Opera omnia,

HIERONYMI OSORII NEPOTIS
CANONICI EBORENSIS
DILIGENTIA

In vnum collecta, & in Quattuor volumina distributa.

QVAE HVIC EDITIONI ACCESSERINT, INDEX OSTENDET.

Esta conforme al Expurg.º de 1707
Por comision del S.to Off.º
Fran.co de Olague

Es del Coll.º de A. D. Loyola y su Libreria.

PHILIPPVM I. PORTVGALIAE
REGEM INVICTISSIMVM.

ROMÆ, Ex Bibliotheca Georgij Ferrarij. M. D. XCII.
SVPERIORVM PERMISSV.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PHILIPPO HOC NOMINE PRIMO PORTVGALLIÆ REGI INVICTISSIMO

HIERONYMVS OSORIVS NEPOS

CANONICVS EBORENSIS S. P. D.

EST, Rex Inuictiſsime, in omnium animis a Natura inſitum, vt Regibus nõ ſolum omnia officia deberi putẽt, ſed clariſsimas mortes eas eſſe iudicent, quæ prò illorum gloria oppetũtur. Hic animus quam promptus & alacer in Luſitanis ſemper fuerit, illorũ in Europa, Africa, & Aſia

præclare res gestæ declarant; ignotæ quoque hominibus mundi oræ lustratæ, maria vastissima pertransita, fluctus immanes subacti, aliæ cæli plagæ, alia astra, quæ numquam viderant, oculis percepta, testãtur, Regum suorum gloriam pluris apud illos, quam iucundissimam vitam, exstitisse: quæ etsi illorum fidelitatem summis esse laudibus prædicandam confirment, illud tamen in ea admirationem efficit, quod, cum Africæ ab hinc multis annis bellum intulissent, Vrbes plurimas cepissent, deinde in Orientem arma vertissent, gentesque, opibus summis affluentes, & bellicæ virtutis laude præstantes, in Regum suorum ditionem redegissent, nemo vmquam Lusitanus fuerit in illis remotissimis regionibus inuentus, qui, etsi iniuria esset lacessitus, Regi fidelem operam non præbuerit. Hanc nostrorum hominum erga Reges suos voluntatem vehementer excitabat Regum benignitas & familiaris quædam consuetudo singularis, quæ inter Reges & suos ita intercedebat, vt Regum Maiestatem non imminueret, & omnium animos ita colligaret, vt Rex pro suorum salute, & subditi pro Regis gloria mortem obire minime dubitarent. Cum autem Diuino munere effectum sit, vt ad Te Regni Portugaliæ veniret here-

hereditas, illamque adires, in eius administratione, illorum, a quibus eam Tibi traditam, non tantum opibus, quantum rerum gestarum gloria, longe lateque amplificatam accepisti, singulari prudentia, & incredibili cura, vestigia prosequendo, omnium animos tibi artissime deuinxisti, vt in eo totis viribus pugnemus, ne a maioribus nostris in officijs Regiæ Maiestati persoluendis vincamur. quod non solum turpe, sed omni morte peius duceremus. præclara est enim hæc studiorum contentio, quæ imperia viribus firmat, opibus cumulat, ditione amplificat, pace stabilit, & æternitate quodammodo donat. Ea vero fuit vitæ meæ condicio, vt, cum pater meus Bernardus Afonseca omnem ætatem in armis consumpserit, ego, inter ea natus, totum me litterarum studio dederim. ille, quæ potuit, Ioanni Auunculo Tuo, Sebastiano, & Henrico, Regibus officia præstitit, & in vltima tandem senectute a Te in Indiam missus, vbi per annos fere quinquaginta, viribus valens, militiæ honoribus fuerat perfunctus, non dubitauit munus suscipere, cuius grauitatem eo tempore sibi erat difficillimum sustinere. non enim, quod sibi, aut suis, commodius esset, sed quid Tibi magis gratum foret, cogitabat. Mihi vero, ne ab eo degenerarem, nihil antiquius fuit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam ea, qua possem, ratione Tui nominis gloriã illustrarem. quod vt perficerem, Romam nuper ex Lusitania me contuli, vt Hieronymi Osorij, patrui mei, opera, tum ea, quæ in lucem exierant, tum etiam ea, quæ apud me compressa habebam, in vulgus emitterem. Quantus vir Osorius fuerit, optime nosti; &, quantum decus Hispaniæ attulerit, nemo est, qui non explorate cognoscat. Est enim maxime rarum illorum hominum genus, qui omnes sapientiæ partes sectantur, & in eo studio tam acri contentione progrediuntur, vt omnia verisimæ sapientiæ ornamenta consequantur. Nam sic est natura comparatum, vt, quidquid excellat, sit in suo genere rarissimum. quamobrem illos ceteri admirantur, atque suspiciunt, vt ex sapientis hominis dignitate non mediocre decoris ornamentum in patriam, atque gentem, redundet. omnes autem sapientiæ laudes eloquentia sinu suo complectitur. is enim, qui in eloquentium numero reponi debet, causas & naturas rerum, non modo, vt cognoscat, oportet, &, quid cuique conueniat, sed vt gentium mores, instituta, rerump. ortus, & interitus, ex omni memoria exploratos habeat, cælorum vim, & motum, astrorum cursus inter se distinctos, non ignoret, Dei naturam, prouidentiam salutarem, benignitatem immen-

mensam, qua omnia constant, mente, & animo, comprehendat, vt de rebus grauissimis dilucide possit dicere, & ornate. quare sapientes olim eloquentiam a vera sapientia minime separabant, sed eam cum sapientia adeo coniunctam esse asserebant, vt summam sapientiam, eloquentiam appellarent. Si vero temporum memoriam replices, vnum aut alterum hac laude floruisse fortasse inuenies, quamuis multi, acerrimo ingenio præstantes, ad illam adipiscendam omni contentione incubuissent: quibus profecto Osorius est annumerandus. quas enim eloquentiæ, & philosophiæ, partes, ille non tractauit, aut quid in illarum tractatione desideres? Absit inuidia: nec illorum hominum valeat præiudicium, quibus Barbaria adeo placet, vt, quidquid ex ea non sit depromptum, barbare, & immaniter, despiciant. Si ad mores spectes, de Nobilitate ad Ludouicum, de Gloria ad Ioannem Lusitanorum Regem, de Rep. in libris illis, quos ad Sebastianum missos de Regis institutione inscripsit, ita luculenter egit, vt Platonem, & Ciceronem, tum sententiarum grauitate, tum dicendi genere, exprimeret. Si ad historiam animum vertas, in qua non contemnenda philosophiæ, & eloquentiæ, pars continetur, in libris, quos de Emmanuelis Aui Tui rebus gestis edidit, ita narrat ornate,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nate, regiones, & pugnas ita describit; ita quoque conciones, & hortationes, interponit, vt ex ipsis rebus oratio fluere, atque trahi videatur, vt nihil sit illius pura, & illustri claritate dulcius. Quid, si summum illud dicendi genus forense consideres? Num illud, vt res patiebatur, non est persecutus? Quid, cum in Haddonum inuehitur, cum illius petulantiam comprimit, cum scelus aperit, cum argumentis pugnat, cum arguit, cum premit, cum orationis contentionem lenit, vt grauius vulnus infligat, cum verba colligit, vt ea in aduersarium contorqueat? De Religionis autem Christianæ mysterijs ita disseruit, vt neque in iudicando prudentiam, neque in inuestigando acumen, neque in dicendo vbertatem, neque copiam, neque suauitatem, neque vim, neque in omni disciplinarum genere scientiam, in eo requiras. Quæ enim vmquam aut sapientius, aut vberius, aut suauius, de Deo sunt disputata, quam ille in libris de Iustitia, de vera Sapientia, in Iobo, in Dauidis Psalmis, in Salomonis Parabolis, & Sapientia, in Isaia, in Osea, in Zacharia, in Ioanne, & in Paulo disputauit? Vt, si Plato, aut Cicero, ad nostram vsque ætatem vitam propagassent, neque orationis elegantia, neque rationum pondere, si illa tractanda suscepissent, ei multum præcellerent. de his enim

rebus

rebus Latine, explicate, distincte, grauiter, & ornate, dicere, non mediocris, sed summi, est hominis officium. Cum igitur tantus vir fuerit Osorius, & illius libri mendosi circumferrentur, operam dedimus, vt, sublatis mendis, cum ijs simul, qui adhuc peruulgati non erant, puri, in lucem mandarentur. quamuis nulla nostra cura, & industria, illud, vt desiderabamus, consequi potuimus. Nihil enim a nobis perfici posse putabamus, quod maius Reip. Christianæ emolumentum afferret. Nam in Osorij scriptis, præter singularem doctrinam, tantus pietatis splendor elucet, vt animos ad illius studium vehementer excitet, vt nesciam, qua ille laude fuerit magis prædicandus, eloquentia ne, & disciplinarum scientia, an pietatis studio. Illius autem in Te studium singulare cum mihi cognitum & perspectum fuisset, & ego animi grati, & Lusitani hominis officio fungi erga Regem suum valde cuperem, hæc omnia sapientis hominis monumenta, simul iuncta, Tibi Sapientissimo Regi dicare constitui. Et si tenuitas mea ab hoc officij munere me deterreret, benignitas tamen Tua ad id persoluendum excitauit, & officij debiti ratio traxit: quamobrem Te Rex inuictissime obsecro, vt hoc munus ita accipias, vt videant omnes,

quanti

Universidad de Deusto
Biblioteca

quanti ſapientiſsimi hominis monumenta facias, & Regis Luſitani erga ſuos quam excellens ſit beneuolentia, quam ardens ſtudium, & voluntas. Vale.

Roma Kal. Sept. M. D. XCII.

INDEX

In quo illud animaduertendum:

Libris ijs, qui in hac Editione additi ſunt, Aſteriſcum præfixum eſſe.

Tomus Primus.

* *Vita Auctoris.* 1
De Nobilitate ciuili. Lib. II. 37
De Nobilitate Chriſtiana, Lib. III. 113
De Gloria, Lib. V. 253
De Regis inſtitutione, & diſciplina, Lib. VIII. 565
De rebus, Emmanuelis, Regis Luſitaniæ inuictiſsimi, virtute, & auſpicio geſtis, Lib. XII. 1125
* *Defenſio ſui Nominis.* 1141
* *Epiſtola.*

Tomus Secundus.

* *Admonitio in Epiſtolam ad Eliſabetham Angliæ.* 1
Epiſtola ad Eliſabetham Angliæ. 37
In Gualterum Haddonum, Lib. III. 185.193
De Juſtitia, Lib. X. 457.465
De Sapientia, Lib. V. 625
* *In Epiſtolam B. Pauli Ad Romanos, Lib. IIII.*

Tomus Tertius.

* *Paraphraſis in Job, Lib. III.* 1.9.17
* *Paraphraſis in Pſalmos.* 129.133
* *Notationes in Paraphraſin, in Pſalmos,* Hieronymi Oſorij, Nepotis, Canonici Eborenſis, 529.536
* *Comment. in Parabolas Salomonis.* 665.673

Universidad de Deusto
Biblioteca

* *Paraphrasis in Sapientiam Salomonis.* 953
* Paraphrasis,& Notationes,in Cantica,Hieronymi Osorij,Nepotis. 1014

Tomus Quartus.

Paraphrasis in Isaiam, Lib. V. 1.9
* *Commentarius in Oseam Prophetam.* 293
* *Commentarius in Zachariam.* 393
* *Oratio in laudem D. Aecatherinæ.* 509
* *In Euangelium Joannis, Orat. XXI.* 541.545

HIERONYMI OSORII LVSITANI VITA

Auctore

HIERONYMO OSORIO NEPOTE.

Ieronymus Osorius ex antiquissima apud Hispanos familia ortus, Martinum Ansurem apud Lusitanos Principem suæ nobilitatis habuit. Ansures enim, cum ei Rex Castellæ esset infensus, patriæ exsilium præposuit, & Fernandi Regis Portugalensis temporibus se in Lusitaniam contulit. Is filium habuit Osorium Martinum, cuius posteri hoc insignis generis sui cognomine vsi sunt. Patrem habuit Ioannem Osorium Afonsecam, virum singulari pietate præditum, qui domi, bel liq. floruit; Matrem Franciscam Gilliam Goueanam, ex nobili Goueanorũ familia, quã Leonora Ioannis hoc nomine Secundi Regis Portugaliæ vxor, & Beatrix Fernandi filij Oduardi Regis vxor, quæ & Leonoræ, & Emmanuelis Regis mater exstitit, in matrimonium Ioanni Osorio collocarunt: quæ femina singulari fuit prudẽtia, & virtutum omniũ ornamentis exculta; ex qua Ioãnes duos habuit filios, Hieronymum Osorium, & Bernardum Afonsecam, quos adhuc infantes cum in Indiam secũ vellet deducere, quo a Rege Ioanne hoc nomine Tertio mittebatur, vt iuridicundo præesset, fuit a Vasco Gamma prohibitũ, qui tunc in Indiam proficiscebatur, vt eã Regis nomine gubernaret. non enim infantibus, qui in laboribus plorarent, sed militibus, qui hostes repellerent, sibi opus esse Gamma asserebat. Mansit igitur Osorius Olysipone decimum annum fere agens, quem mater diligenter litteris institui curauit: in quibus perdiscendis tanta fuit in eo ingenii vis, vt ludimagister puerum Latine loquentem admiraretur, eumq. dæmonem aliquem esse diceret; si vero ad maturam ætatem perueniret, magnum virum fore affirmaret. hoc ingenii acumen in filio mater perspiciens, eum, cum ad decimum tertium ætatis annum perueniisset, Salmanticam Vrbem, in Hispania, omnium scientiarum genere florentem, misit, vbi Latinis, & Græcis oratoribus ita strenue operã nauauit, vt par eloquentiæ splendor Latini, & Græci sermonis in eo postea eluceret. multa enim Græce satis eleganter scripsit: inter quę Hieremiæ Lamentationes carmine elidit: quæ omnia temporis iuria perierũt. Vnde biennium post in Portugaliam reuertitur, vt patrem inuiseret, qui ex India, nullis diuitiarum opibus abundans, sed iustitiæ, & summæ castimoniæ, laude circumfluens, Olysiponem aduenerat. ita enim in Prouincia se gesserat,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt ad diuitias comparandas numquam animum adijceret: sed antiquius habuit, vt iuris æquabilitatem tueretur,&,cum opus erat, militis, & Ducis, officio strenue fungeretur.quod non semel singulari cum laude præstitit. tria enim in hoc viro præcipue fuerunt, quæ etiam ab inimicis summa cum laude suspiciebantur, eximia corporis castimonia, singularis in omni negotio fides,& in periculis intrepidus, & constans,animus.Osorius igitur,postquam patrem salutauit, iterum Salmanticam petijt,annũ ætatis fere decimum sextum agens.cui pater imperat,vt iuri ciuili operam det.quod Osorius, ne patri molestiam aliquam inferret,minime recusat,cum illud disciplinæ genus sibi non esset in animo persequi; sed Rhodum, in Diui Ioannis,quã Hospitalis Hierosolymitani vocant,militiam proficisci decreuerat.Salmãticæ Iuris ciuilis disciplinæ ita studuit,vt optimos quosque auctores Græcos,& Latinos,e manibus numquã dimitteret.in eo vero maxime laborabat,vt corporis vires ad militiã firmaret, & animũ Christianæ religionis præscriptis ita moderaretur, vt illius militiæ instituta,sine vlla,vel nominis,vel animi,sui labe seruare posset. Quod igitur in Lusitania a ludimagistro didicerat,sub quo arma exercuerat, perire minime patiebatur:palæstra aliquando vires exercebat,cuius adeo fuit studiosus, vt iã senex suos lucta, cursuq. exerceri singulari cum voluptate adspiceret; &, quos in eo genere optimos iudicabat,laudibus, & præmio, afficeret: multa enim ad militiam excitabant; maiorum scilicet exempla, animi magnitudo singularis, & eximia totius corporis constitutio. corpore enim fuit mediocri, lato pectore, manibus ad ad arma tractanda aptissimis, brachijs, & cruribus singulari robore firmatis. quod vsque ad vltimam senectutem in eo viguit; adspectu graui, cum singulari honestatis decore,aperta fronte, magnis, & cæruleis oculis, naso mediocriter elato,& eo,qui Lusitanis fere hominibus inest,colore.cui corporis formæ cum exercitatio accederet,& esset famis, & sitis, laborisq. patiens, merito, si militiæ se dederet,non parum laudis,& gloriæ,se consecuturum sperabat. Occasionem igitur exspectans,vt Rhodum,sine parentum molesta, proficisceretur, biennium in Iuris ciuilis studio consumpsit: interim tamen Christianæ religioni magnopere studebat: Diuinis enim rebus quotidie aderat,deinde doctos viros conueniebat: duabus horis iuris doctrinæ operam dabat, reliquum tempus in optimis quibusque philosophis, & historicis, euoluendis consumebat: certo, ac definito, diei tempore ad Deum optimum maximum preces fundebat, & ad multam noctem se e lectulo excitabat,flexis genibus numen Diuinum precabatur,vt animi, & corporis, sui castimoniam,quam numquam aliqua libidinis sorde contaminarat, suæ virtutis robore, & præsidio,conseruaret. quod vt facilius consequeretur, cilicio vtebatur, quo carnis illecebras comprimebat:quo in studio mirum est quantum profecerit. nec id quidem, quamuis senex, vmquam deseruit: illius generis vestem vnam, multos post annos,eius Oeconomus furtim abstulerat, quam in singulari pretio apud se habebat; &, mecum, adhuc adolescente, re communicata, hominis patientiam admirabatur, & virtutis magnitudinem, non quæ foras eminebat, sed quæ intus in animo inhærebat, summis vocibus efferebat. Dum Salmanticæ in sui moderatione ita se gerit, totum se Deo tradere decreuit. quamobrem in collegio Diui Stephani rem sacram viro pio faciente, qui Prædicatorum fratrum viuendi institutis erat addictus, quo ipse confessario vtebatur, cum Eucharistiæ sacramentum vellet sumere,perpetuam Christo Domino animi,& corporis,sui castimoniam vouit.neque quidem diei festi celebritas defuit,vt votũ illustrius redderetur. is enim erat,quo sanctissimæ Virginis Matris in cælorũ omnium fastigium Assumptio celebrari solet:quẽ diem,quamdiu vixit,singulari cum religione coluit, & nũquam corporis sui castimoniã aliqua libidinis cõtagione violauit.His moribus,& viuendi ratione,instructus,patre mortuo,in Portugaliã reuertitur:quẽ mater,cũ ille esset viduitatis suæ solatiũ,& senectutis leuamentum, hortatur, vt mentẽ a militia reuocet. Lutetiã igitur Parisiorũ se contulit,cũ decem & nouẽ ætatis suę annos ageret: vbi Aristotelis dialecticã, & naturalem Philosophiã,summa cũ ingenij laude, didicit.

didicit .ita enim in illis disciplinis excelluit,vt Parisijs Philosophi cognomen assequeretur:quæ vrbs sapientiæ laude semper floruit.id autem maxime curabat,vt viros doctos cõueniret,ex quorũ consuetudine aliquid noui domum afferret,& eorũ familiaritate,qui virtutũ ornamentis excellebant,vteretur.Per id tempus Ignatius Loiola,eximiæ sanctitatis vir, aliquot sibi socios Parisijs adsciuerat, qui eandem, quam ille,viuendi rationem sequerentur: cum quibus Osorius singularem iniit consuetudinem,& in Petri Fabrij familiaritate maxime versabatur; cuius viri pietatẽ, & excellens animi studium,inter omnes Ignatij socios,summis laudibus efferebat: cum quibus, dum Parisijs fuerunt, de vitæ suæ instituendæ ratione sæpius conferebat; & illi de Societatis suæ institutis cum eo cõmunicabant: quamobrem semper erga horum hominum viuendi institutionem mirifica beneuolẽtia,& eximio amore,flagrauit,adeo, vt aliquot post annos cũ eum Ioannes hoc nomine Tertius Rex Portugaliæ multa de ea percunctaretur,multis eã ille laudibus ornaret, & pro viribus Regi persuaderet,vt aliquos viros in Portugaliam adducendos curaret,qui illam viuendi rationem sectarentur. Parisijs Osorius discedens, ob rerum suarum perturbationem, in Lusitaniam venit: quibus, Ludouici, Emmanuelis Regis filij, beneficio,compositis,Bononiam se contulit,vt in ea vrbe, quæ scientiarum doctrina tunc temporis vigebat,optimis disciplinis ingenium excoleret. doctissimorum virorum,quos ciuitas illa semper habuit, assiduus auditor fuit; Platonis autem ita fuit studiosus,vt sapientissimi hominis sensus non solum perciperet, sed,cum opus erat,luculenter explicaret:in Christianam Theologiam multam operam,singulari cum laude,contulit:quo in studio vt maximos progressus faceret, litteras Hebræas didicit,& sanctorum Patrum monumenta, summa cum diligentia, euoluit. nullum enim non solum non omisit, sed plurima sæpius perlegebat. Dionysium Areopagitam, quem post Apostolos Theologorum Principem exstitisse dicebat, Basilium,Gregorium Nazianzenum,Ioannem Chrysostomum, vehementer suspiciebat,Augustinum,Hieronymum,& alios Latinos,amplexabatur. Thomã Aquinatem cum Aristotele ita comparabat,vt affirmaret, vtriusq. ingenij, quasi perfecta essent quadrata,sibi inuicem latera conuenire, nec posse ad totius antiquitatis cognitionem,ad philosophiæ vtriusque intelligentiam,& ad rerum Diuinarum scientiam,maiori cum emolumento, & mediocri cum iucunditate, præter vnum Thomam,aliquem alium auctorem,præ manibus haberi. Bononiæ igitur, singulari cum ingenij,& vitæ,moderationis laude, aliquot annos egit: vbi,cum aliquando,vt est in more, cum ingenuis viris, & scientiarum studiosis, deambularet, vir quidam,eum conspiciens,ad eos,cum quibus erat:Ecce,inquit,Osorium digito demonstrans,qui,si velit,Ciceronem e mortuis excitabit.quod Osorius auribus percipiens,ita vehementer in animo condidit,vt sæpius ei veniret in mentem, quam honestum,& laudabile,sibi futurum esset,tanti viri in dicendo prudẽtiam, atque vim, imitari: qua, si aliquis euasisset, impiorum hominum, qui impuro ore doctrinam Christianam cõtaminabant,licentiã cõprimeret.eo enim omnes suas cogitationes referebat,vt Christi Domini gloriæ,quibus posset,viribus inseruiret.quo ex tẽpore cœpit maiori cũ studio Ciceronis,& Demosthenis,eloquentiã animo meditari,&, quæ a nostris impolite dicuntur,Platonis,& Ciceronis, more,luculentius tractare. quo in scribẽdi genere quãtus exstiterit,illius scripta manifeste declarãt. Bononia, vt res suas componeret,in Portugaliam venit:a Ludouico,Emmanuelis,Regis Portugalensis,filio,in suorum numerum recipitur:fuit enim Princeps ille,omnium virtutum ornamentis excellens,& maximarum rerum scientiæ valde studiosus:cuius benignitate effectum fuit, vt Osorius Bononiam iterum ad intermissa studia rediret, vbi ante trigesimum ætatis annum cœpit libros de Nobilitate ciuili, & Christiana,commentari, quos postea Ludouico Principi dedicauit: in quibus ea est vsus eruditione,& sermonis elegantia,vt in sui admirationẽ homines sapientiæ opinione florentes excitaret,inter quos Antonius Schanus Britannus,vir pietate,& scientiarum doctrina,nõ mediocriter ornatus, exstitit, qui summis cum Osorij laudibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad Reginaldum Polum, vbi primum eos legit, mittendos curauit. erat enim Polus Britãnis Regibus ſanguine propinquus, &, ob virtutum maximarum ornamenta, ſingularemq. vitæ ſanctimoniam, Sanctæ Eccleſiæ Romanæ Cardinalis. cum his poſtea non mediocris fuit Oſorio per litteras familiaritatis conſuetudo: & erga Polum, vt ſui animi ſtudium declararet, libros de Iuſtitia cæleſti, niſi ille e vita prius diſceſsiſſet, cum primum in lucem exirent, ei dicare ſtatuerat. Bononia igitur in Portugaliam reuerſus, quia Ioanni Regi Portugalenſi id gratum erat, Conimbricam ſe contulit, qua in vrbe Ioannes illuſtre omnium ſcientiarum gymnaſium nuper condiderat, vbi Iſaiam, & Diui Pauli epiſtolam ad Romanos ſcriptam, ſingulari cum laude explicuit. Cum vero in ſermonis Latini elegantia non mediocriter excelleret, totis viribus in eo ſibi laborandum ſtatuit, vt damnum illud, quod ex Ciceronis de Gloria, de Republica, & de Conſolatione, libris, iam pridem temporum iniuria amiſſis, fuerat acceptum, reſarciret. quamobrem de Gloria Conimbricæ, multos vero poſt annos de Regis inſtitutione libros ſcripſit: de Conſolatione autem nihil poſſe a ſe vel amplius, vel ſubtilius, excogitari, quam eſſet ſacer ille liber Iob, tot ſententiarũ obſcuritatibus inuolutus, exiſtimauit: quare eo orationis genere, quod Paraphraſim Græco nomine vocamus, eum Latinum reddidit, & explicauit. Conimbrica poſt aliquot annos diſcedens, a Ludouico Principe accerſitur, qui ei Antonium filium inſtituendum tradidit: quo in munere ſingulari eſt vſus prudẽtia, & Ludouici Principis gratiam ita obtinuit, vt ille familiarius de rebus grauiſſimis cum eo ageret. viguit enim in hoc Principe non ſolũ admirabilis ingenij vis, & ſcientiarum omnium non mediocre ſtudium, ſed & honeſtatis, atque decoris, eximius quidam appetitus, & ardẽs Chriſtianæ pietatis amor, vnde, natura duce, maxima caritatis vis oriebatur, quæ eum cum Oſorio vehementer deuinciebat. virtutis enim, & ſapientiæ, decus miros ex ſe gignit amores: eo vero mortuo, a Ioanne Rege, eius fratre, impetrauit, vt Antonius alterius curæ traderetur, ſibiq. liceret in Tauarenſem Eccleſiam, quam Ludouici Principis beneficio obtinebat, diſcedere. nihil enim vehementius, quam otium, appetebat, illud dictitãs, Vno, quem habebat, Auditore de medio ſublato, nempe Ludouico Principe, Impoſitum ſibi fuiſſe ſilentium: cuius Principis poſtea dum mentionem faciebat, ſæpe lacrymis memoriam illius proſequebatur. In Tauarenſem igitur Eccleſiam cum ſe recepiſſet, plurimum operæ, & laboris, ad libros de Gloria conficiendos contulit, cosq. in lucem edidit. quæ vero animo diu excogitarat, litteris mandabat; illos autem, quorum ſalus ſibi commiſſa erat, ſingularis integritatis, & Chriſtianæ caritatis, exemplo, ad virtutis ſtudium excitabat. nihil enim maiori ſtudio curabat, quam inſtituta religionis Chriſtianæ eos docere, ſæpe admonere, & obteſtari, vt vitam Diuinæ legis præſcriptis moderarentur, & pauperes, viduas, ac pupillos, ope, & conſilio, ſubleuare: quæ officia dum illis aliquot annis diligenter perſolueret, in varias amicorum reprehenſiones incidit: non enim ingenui hominis eſſe exiſtimabant, & tot virtutum ornamentis exculti, a Regis aula diſceſſiſſe, vt ſe ad ruſticana opida conferret. quorum cuidam, qui eum acrius reprehendebat, Viles, inquit Oſorius, merces habeo, quas in aulam mecum deducam: quamobrem, niſi prius inſaniam, nulla maioris alicuius emolumenti ſpes poterit me commouere, vt illuc ſponte veniam, & ab hoc iucundiſsimo otio, quod totum eſt ſapientiæ dicatum, auellar. Quas, ille inquit, merces commemoras? Tunc Oſorius, ſubridens, Veritas, & fides, inquit, ſunt merces illæ, quas ego in aulam afferre poſſum: quibus ſcio fraudem, & adulationem, infinitis partibus præponi. quare merito timeo, ne aut officium meum deſeram, ſi illuc me conferam; aut inde, contumelijs affectus, explodar. qua vna ratione ſuorum reprehẽſionibus occurrebat. Regis tamen Ioannis Tertij, & Henrici Cardinalis, eius fratris, litteris vocatus, in aulam redijt; qui grauiſsimis in rebus illius integritate, & prudentia, vtebantur; nec id officij munus potuit vmquam a ſe abijcere; ſed illud ſumma cum laude præſtitit. Quamobrem Rex non mediocrem de illius integritate opinionem ſemper habuit, & apud

Catherinam Reginam, Philippi filiam, & Caroli Quincti Imperatoris ſororem germanam, quę poſt mariti obitum Regni Portugalenſis gubernationem obtinuit, plurimum auctoritate valuit, quæ Oſorium de rebus ſummi momenti ſæpius conſulebat. non ſolum enim vitæ ſanctimonia Catherina, ſed & prudentia, loquendiq. grauitate, atque ſuauitate, plurimum excelluit. apud Henricum vero Cardinalem ita ſingularem ſui nominis famam conſeruabat, vt ille ei valde multum tribueret. In qua viuendi ratione totius ambitionis adeo fuit expers, vt, cum ipſe, Henrici loco, litteras proprio nomine ſignaret, acciderit, vt Epiſcopus Targẽſis Olyſiponẽ veniret, vir ætate prouectus, & vitæ ſanctimonia præſtans, qui eidem cum Oſorio, Conſcientiæ, vt vocant, conſilio erat adſcriptus. Henricum Oſorius adit, cum quo in Betlemitico templo tũc agebat; & ei multis verbis demonſtrat, quantũ ad nominis ſui dignitatem pertineret, ne Epiſcopus Targenſis aliquo honoris gradu ſibi cederet. quamobrem ab Henrico, enixe contendens, impetrauit, vt Epiſcopus Targenſis, illius loco litteras ſignaret, & ipſe viro pio, & ſeniori, in hac re concederet. cupiditatis vero ſuſpicionem adeo fugit, vt multo ante Concilium Tridentinum, cum ei, Ludouici Principis beneficio, Tauarenſis Eccleſia, ſatis opibus ampla, gubernanda traderetur, aliã, quam ab eodem Ludouico obtinebat, relinqueret; & poſtea ab Henrico Cardinali Archidiaconus Eborenſis creatus, Eccleſiam Tauarenſem alteri tradendam curaret. non enim ſibi ſatis ęquum, & rationi conſentaneum, videbatur, plures Eccleſias vnius curæ committi: quamuis id in more & conſuetudine eſſet: quod poſtea Concilium Tridentinum e medio ſuſtulit. Exierant iam in lucẽ libri eius de Gloria, qui ſingulari cum laude in ore omnium exterãrum nationum verſabantur, & multorum Principum ſtudia erga Oſorium excitauerant. Eliſabetha, Henrici Octaui, Britannorum Regis, filia, illis libris vehementer delectabatur; &, ſi quando accidebat, vt in Oſorij ſermonem laberetur, animum ſuum erga eum ſatis propenſum declarabat, & hominem mirifice laudabat. cuius rei multorum litteris certior factus Oſorius, de clariſſimæ Principis ſtatu cœpit vehementer eſſe ſollicitus, ne tot animi ornamenta, quibus illa erat exculta, prauorum hominum conſilijs, ſempiternæ infamiæ labe deformarentur. dum erga illam hoc ſtudio erat incenſus, Henricus Cardinalis eum hortatur, vt velit Eliſabetham, quæ ei tantum tribuat, quo in ſtatu ſit, litteris admonere. acrius Frãciſcus Forerius, Ordinis Prædicatorum, vir pietate, & doctrina, ſingulari præditus, Oſorium ad idem officij munus excitat. accidit autem, vt in ſomnijs Oſorius videretur ſibi in ſacro promontorio piſcari, belluamq. maximam capere, quæ, ad tellurem deducta, in pulcherrimam feminam Regio diademate ornatam verſa, ad illius pedes ſupplex baptiſmum poſtularet. Multa Oſorio ſecum cogitanti Forerius lõga oratione perſuadet, vt opus aggrediatur; ex quo nullum Reip. Chriſtianæ detrimentum, ſed plurimum emolumenti, proficiſci poterat. Epiſtolam igitur ad Eliſabetham ſcripſit, in qua, ſingulari cum artificio & admirabili dicendi vi, illam de rebus ſuis admonet. Vt autem impiorum hominum, qui Luteri hæreſim ſectabantur, & indoctam plebem doctrina ſummæ impietatis pleniſſima imbuebant, inſaniam comprimeret, de Iuſtitia cæleſti libros edidit, qui, antequam in lucem exirent, in Hiſpania, deinde in Britannia, & Italia, atque in Germania, a viris doctiſſimis, quorũ erat cum Oſorio non mediocris per litteras conſuetudo, digni viſi ſunt, vt in lucem mandarentur. non ſolũ enim eos ſummis cum laudibus probabant, ſed Reip. Chriſtianæ plurimum vtilitatis allaturos ſperabant. quamobrem Oſorium hortantur, ne diutius eos apud ſe cõpreſſos iacere patiatur. quorum litteris excitatus, eos ſecum ad Concilium Tridentinum deferre ſtatuit. verum, cum iter hoc prohibitum ei fuiſſet, (merito enim timebatur, ne Oſorius, ſi ſemel in Italiam veniret, numquam in patriam reuerteretur) eos Diego Paiuæ, viro ſibi amicitiæ neceſsitudine coniuncto, pio, & non mediocriter docto, tradidit, vt ſecum ad Concilium Tridentinum deferret. quod ille amice ſatis præſtitit. doctorum namque hominum ſententia comprobati, illiſq. horta-

Universidad de Deusto
Biblioteca

toribus,Venetijs,vt in vulgus emanarent,curauit.qui libri, quia mos est hominũ, vt nolint eũdem pluribus in rebus excellere, non paruam Osorio eorum hominum inuidiam excitarunt, qui, dum propria virtute non possunt, ex præstantissimorum hominum calumnijs sibi popularem auram aucupantur. qua de re cum Stanislaus Osius, & Gulielmus Sirlettus, Cardinales, vitæ sanctimonia insignes, & litterarũ disciplinis ornatissimi,cum Osorio quererentur, sæpius ille inclamabat, Lepores heu Insectantur canes; alter vero illud Virgilij repetebat, Ilicet obruimur numero.Libri autem hi,cum in Britanniam,Germaniam,atque Sarmatiam, delati fuissent,multorum animos in religione Christiana confirmarunt; qui Osorium,vt salutis suæ vindicem,litteris salutarunt: aliquos nos vidimus, qui e Britannia in Lusitaniam venerant,vt Osorium viderent,eiq.gratias agerent,quia illis de cælesti lustitia libris illud esset consecutus, vt illorum, & quam plurium aliorum,fidem miri fice stabilierit: ex quibus mihi cum Ioanne Castellio fuit non mediocris consuetudinis vsus, qui sæpius Osorium suæ salutis seruatorem appellabat; mihiq. commemorabat,quantum vtilitatis Reip.Christianæ in Britannia, & Germania, libri illi attulissent. qua de re viri docti, & pii, litteris, laudum plenissimis, Osorio gratulabantur.Cum igitur ad Concilium Tridentinum via ei intercluſa fuisset,paullo post Episcopus Siluensis creatur. Est Regio illa a Lusitanis Algarbium dicta, quæ a Sacro promontorio versus Austrum ad Anam vsque fluuium extenditur, ad ortum Solis montibus cingitur,ad occasum vero a mari tota abluitur.Vnde Algarbienses homines mercaturæ, & piscationibus, sunt valde assueti, & armis nimium dediti,quibus Maurorũ impetus a se acriter repellunt, qui triremibus, & alijs minoribus nauibus,oram maritimam infestãt.Osorium,qui,dum muneris grauitatem considerat, onus detrectabat, cum sibi otium a negotijs omnino negaretur, Christianæ religionis studium,& hominum salutis eximia caritas,impulit,vt prouinciã susciperet,in cuius moderatione nihil, quod pristinæ,illius viuendi rationi esset minus cõsentaneum,aut designauit,aut egit. pietatem enim,vt antea,mirifice coluit, eamq. semper rebus omnibus prætulit. Multo ante auroram, in maximis etiam frigoribus, e lectulo surgebat, qui communi ornatu sternebatur; nec in eo diutius iacebat, quam eum somnus occuparet. Deum submisse venerabatur. deinde commentariis suis operam nauabat. nihil enim vel ad animi statum conseruandum, vel ad sapientiæ fructus consequendos, Christiana ad Deum precatione præstantius excogitari posse affirmabat: qua non solum in rebus aduersis, & statutis de more diei horis, sed cum aliquid in sacris litteris obscuritate obuolutum occurrebat, vtebatur. secunda hora diei, sanctissimum Corporis Christi sacrificium quotidie faciebat. quam eximiam hominis pietatem, non deerant, qui apud Regem Sebastianum acerbe reprehenderent. non enim Episcopum decere affirmabant, tantum temporis, caussarum iudiciis, & hominum querellis audiendis, debiti, aliis in rebus, quamuis honestis, consumere. qua de re ab amicis certior factus, ne calumniæ ansam inimicis præberet, diebus solum Dominicis, feria quarta, & sexta, & aliquorum Diuorum festis, faciebat, omnibus vero diebus non festis, rei Diuinæ, quæ hora tertia cantu fieri solet, genibus flexis aderat: in inferiori sacræ ædis pauimento parua sella ponebatur, in quam corpus inclinaret. nudato capite, manibus iunctis, ad pectus vsque elatis, a rei Diuinæ faciendæ exordio vsque ad finem Deum venerabatur. quod etiam septuagenarius obseruauit, & sui non mediocrem admirationem excitabat, quo pacto posset per tantum temporis spatium flexis genibus, erecto fere semper corpore, Deumprecari. quod ei consuetudo flexis genibus Deum venerandi satis facile reddiderat. is enim precandi vsus callum genibus obduxerat, vt aliquando ei opus esset cultello illud radere. Sibi vero subditos vt ad eandem sanctimoniam, & ad dies festos celebrandos, vehementius excitaret, aliquos musicæ peritos domi suæ alebat, qui singulari cum vocum suauitate hymnos Diuinos

canerent:

canerent: & ipse non solum sacris semper præsens aderat, sed ad populum orationem habebat, qua illum ad pietatis studium hortabatur. cuius muneris officio singulari cum voluptate fungebatur. Reliquum quod a negotijs tempus vacuum supererat, totum in sacrarum litterarum, & doctissimorum virorum, lectione, & in suis commentarijs, consumebat; numquam sine librorum sacrorum volumine, Platone, & Cicerone, siue diœcesim lustraret, siue domi ageret; quos itineris, & otij, sui comites appellabat. Illud præceptum suis obseruandum constituit, vt quolibet mense peccata expiarent, & celebrioribus festis diebus se Diuino Christi corporis pabulo munirent. ne vero otio langueret, & vitijs ad eorum animos aditus pateret, eos, qui ingenio præstabant, litteris Latinis instituendos curabat: ad quod officij munus, viros eximiæ doctrinę domi suæ alebat,quos plurimis beneficiis afficiebat:inter quos Antonius Lupius,singularis poeta exstitit,qui bellum, quo Mauri, Mazaganum in Africa opidum obsederunt, & Mysteriũ Crucis,opus præclarum,carmine eleganter scripsit;& Eduardus Simon, vir non mediocri eloquentia præditus,& scriptorum antiquorum litterate peritus, cuius scripta propediem in lucem prodibunt, e quibus illius singularis ingenij vis cognosci poterit. Qui vero musicę dediti erant,musica illis instrumenta deferri imperabat.Quorum vero animus ad maiorum rerum cognitionem adspirabat,ne præclarum eorum studium periret,ipse magistri officij munus libenter suscipiebat. aliquos enim Græcis litteris erudiuit; aliquibus etiam Euclidis Megarensis Geometriam explicuit;nobis Diui Pauli Epistolas,ad Romanos,& ad Hebræos, scriptas; Ioannisq. Euangelium, explanauit. quod in Platone fecisset, nisi temporis iniuria illud nobis prohibitum fuisset. nihil enim illi iucundius erat,quam de maximis rebus philosophari.cui studio tanta cum voluptate inhęrebat,vt,dum legeret,aut animo cõmentaretur,aut excogitata litteris mandaret,nullus tantus esset clamor, nulla famulorum, ac ceterorum hominum,tanta in exteriori æde concursatio, nullus denique strepitus,quo ab eo paullisper auerteretur. vt vero animos a labore remitterent,illis permittebat,cursu inuicem certare, graue aliquod pondus cõtorquere, ballistas, & fistulas ferreas,collineare:his autẽ rebus intentos satis benigne aliquã do prospiciebat.scacchorum ludo suos exerceri,ei valde erat gratum:eo enim ipse etiam delectabatur. Hispaniarum historię,Hispano sermone conscriptæ,omnibus erant expositæ,vt,si vellent,ex illis potius voluptatẽ caperent;nec illorũ librorum, qui fabulis etiam essent referti,erat alicui lectio prohibita:illud enim Francisci Salæ Menesij dictum sæpe laudabat: quem cum Ioannes Tertius Rex Portugaliæ moribus filij Ioannis regendis præfecisset,Regi delatum est,Ioannem filium aliquando librum,in quo de Amadisio cõmenticia quædam narrantur,legisse:Quid,inquit Rex Salæ,est in caussa,cur filium meum in Amadisij fabulis tempus conterere patiaris? Vt sciat,respondit Sala, quæ fuerit Vrganda illa fatidica,a nostris hominibus in communi sermone adeo commemorata.indignum est enim Regio isto loco, in rei,quamuis leuis, ignoratione versari.Quamobrem non satis vtile iudicauit,ali quod librorum genus,qui in ceterorum hominũ, etiam vulgi, opinione versabãtur, suis interdicere;immo,cũ aliquando e cubiculo exiret, & aliquos,de Petrarcæ carminis cuiusdam sensu disputantes inueniret,accepto libro,lectisq.carminibus,quę stionem soluit.Mensa communi ornatu apponebatur.Abacus non vasis aureis,aut argẽteis,splẽdebat:tria tantũ,quæ solum habebat,in eo exponebantur:dapes minime exquisitæ afferebantur:cõmuni enim cibo vtebatur,cum nulli fastidiret,nullum etiam laudaret:dum cibum sumebat,vnus ex suis aliquod,si quod erat,opus nuper euulgatum legebat; si vero tale quid non erat, scriptorum Diui Bernardi lectione maxime delectabatur.quo finito, omnibus licebat, si quod ex lectione dubium occurrebat, proponere. vnde mirum erat, quo sapientiæ sale mensa condiebatur. Hinc enim variæ totius antiquitatis historiæ,multa priscis hominibus ignota, nationum varii mores, illustrium virorum vrbane dicta, afferebantur, quibus animus

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus mirifice ſatiebatur. fuit enim in Oſorio comitate condita grauitas, & eximia quædam vrbanitas, totius maledictionis expers. admirabili enim rerum copia, & verborum elegantia, etiam dum Luſitane aut ſcribebat, aut loquebatur, excelluit. Decumas vero, quæ ab his, qui ſub illius moderatione viuebant, more Chriſtiano, ei reddebantur, ita inter pauperes, viduas, pupillos, ſacras ædes ſarciendas, & ſuos diuidebat, vt, peracto anno, illæ quoque conſumerentur. non enim ſolebat plus aut minus expendere. Quæ autem ad ſubditorum diſciplinam, & vtilitatem, neceſſaria videbantur, ſtudioſiſsime perficienda curabat. nam, cum in Algarbio nulla ſcientias perdiſcendi eſſet opportunitas, proprijs ſumptibus effecit, vt in Tauirenſi, & Faronenſi, ciuitatibus viri docti ea, quæ ad mores, & Eccleſiæ ſacramenta, & Summi Pontificis iuriſdictionē, pertinēt, explicarent; in Lagēſi aūt Ciuitate, & In opido Villanoua Portimanenſi, ludimagiſtris certam pecuniā ſtipendio dabat, vt pupillos, & aliquos pauperum hominum filios, litteris Latinis inſtituerent. Si qui autem erant, qui Salmanticam, ſtudiorum cauſſa, proficiſci vellent, eos pecunia adiuuabat, & promiſsis hortabatur; quos, dum, litteris inſtructi, redibant, honorifice excipiebat, & illis Eccleſiaſtica beneficia omnia, quibus animarū ſalutis cura adiuncta erat, conferebat. Algarbiorū animos vt ab otioa lienos redderet, agriculturā multis laudibus efferebat; agricolas benigne, & honorifice, excipiebat. Algarbienſes enim non multum in agris colendis operam nauabant, cum tellurem ſatis pinguem, & vberem, incolant: in horreo Siluenſi, in quod Decumæ deferebantur, plures tritici modios ſeruari imperabat, vt agricolis, cum opus eſſet ad ſementem faciendam, iuſto pretio inde tribueretur, ne aliquando tritici inopia, vel annonæ caritate, agros ſine ſatione relinquere cogerentur. pauperibus mirum erat, quanta cura prouidebat. ad ædis ſuæ oſtium quotidie omnibus egenis, qui aderant, ſtips erogabatur; infantibus de more Chriſtiano, dictis prius precibus, cibus præbebatur. & erat quidam e ſuis ab Oſorio conſtitutus, qui eos preces Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ritu doceret: viduas egenas, vitæ integritate commendatas, non ſolum conſilio, & opera, ſed pecunia etiam, ſubleuabat. quod officij munus in omnibus ſuæ Diœceſis ciuitatibus, & opidis, per ſacerdotes, vitæ probitate ſpectatos, qui Eccleſiarum curam gerebant, perſoluebat: argenteos nummos ſecum deferebat, ne ſibi deeſſet, petenti homini egeno, quod tribueret, aut ſæpius opus eſſet ad eum, quem ſtipi erogandæ præfecerat, pauperem dimittere: ab illius quæſtore, qui pecuniam ex decumis confectam colligebat, aliquando audiimus tertiam pecuniarum partem quotannis in certos, ac deſignatos, ab illo pauperes, & in eos, qui ad ædis ſuæ oſtium conueniebant, erogari: quod accepti, datiq. ratio manifeſtum efficiebat, præter eam pecuniam, quam ipſe manu propria largiebatur, vel vt alicuius egeni hominis, honeſto loco nati, neceſſitati ſuccurreret; vel ut probæ alicui virgini dotem conficeret; vel, cum ſibi pauper, & inops, obuiam iret; & quæ in religioſorum hominum vſum expendebatur. omnia enim, quæ illis, dum in morbum incidebant, medicamentorum genera erant neceſſaria, pharmacopolæ, in toto Algarbienſi Regno, Oſorij nomine, præbebant, qui poſtea ab illius Oeconomo pecuniam accipiebant; pecunias autem, quibus aliquando nocentes homines multabantur, & quæ ſibi ſigilli, vel alterius iuris Pontificij, nomine debebantur, ſacræ maioris ædis fabricæ, vel religioſorum hominum, vel pauperum, neceſſitatibus ſubleuandis addicebat, certiſq. hominibus reddebantur, qui harum rerum curam gerebant: vnde egenorum hominum erga eum eximius quidam amor oriebatur, quem ex vnius facto conſiderare licet, illudq. lubet commemorare, quia hominem optime nouimus accidit autem, vt Oſorius a Rege Sebaſtiano Olyſiponem vocaretur, famaq. erat, non amplius eum in Algarbium rediturum. quod cum per Vrbem, omnium ſermone, emanaret, & ipſe itineri ſeſe committeret, plebeius homo, qui plurimos habebat filios, clauſis ianuis, lacrymas effundens, vxori, & liberis, inquit, Quid vobis remedij quæram, neſcio:

Epiſco-

Epiſcopus hodie, non amplius reuerſurus, abijt: hæc vna dies nos omnes ſimul interemit. Tunc omnes, maximo excitato fletu, illius ab Vrbe diſceſſum ſunt lamentati. hic erat inopum in eum animus, hoc ſtudium. Iudicia ita exercuit, vt æquabilitatem erga omnes ſummo ſtudio ſeruaret. quam vt facilius retineret, illud diligenter curauit, vt omnibus ad ſe aditus pateret; cum vero ex ſuis famulis quendam, more Luſitano, ædis ſuæ foribus præfeciſſet, is aliquando ignobili cuidam homini aditum interclusit, quia alijs negotijs eum diſtineri ſciebat. quod vbi primum nouit, famulum vocat, corripit, ab officio dimouit, & neminem poſtea ianitorem habuit; verum, quo quiſque tempore volebat, ei ſupplices libellos deferebat, & eum de ijs, quæ ad rem ſuam pertinere iudicabat, longa oratione admonebat; ita, vt, dum cibum caperet, pauperes, & humiles, homines ſatis benigne audiret, nemoq. auderet eos, quamuis importuno tempore veniſſent, foras dimouere: Diœceſim ſuam tribus quibusq. annis totam ipſe peragrabat. in tres enim partes eam diuiſerat: vno quoque anno vnam ſibi luſtrādam aſſumebat; reliquas vero duas probis hominibus committebat, qui de morum corruptela inquirerent, vt, quidquid in moribus, vel religione, eſſet dilapſum, adhibita diſciplinæ ſeueritate, ad integritatem reuocaret: eos, qui crimine aliquo grauiori erant adſtricti, ad ſe vocatos, vt reſipiſcerent, multis verbis hortabatur, precibus obſecrabat, & effuſis lacrymis per Chriſti ſanctiſsimi vulnera poſtulabat: qua ratione plurimos ad verę virtutis ſtudium conuertit, quos nulla aliorū Epiſcoporum cura potuerat ab impuro viuendi inſtituto, quod ſectabantur, diuellere. quare vir inter Algarbienſes nobilis clamitare ſolebat, Quid erit illud, quod in Oſorij cubiculo reſidet, quod ſic hominum animos commutat? Sciebat enim, fratrem ſuum germanum, qui, quamuis ſacris initiatus eſſet, vitam non recte moderabatur, (nobilitatis enim auctoritate, & opibus, confiſus, ceterorum Epiſcoporum monita contempſerat) in Oſorij cubiculum ingreſſum, inde in alium hominem conuerſum exiſſe, vt priſtinam viuendi rationem deteſtaretur, ieiunio, & flagris, carnis illecebras reprimeret, & ſe totum Diuinæ contemplationi traderet, biennio denique ita vixerit, vt in omnium oculis, & ore, ſingulari cum vitæ ſanctimoniæ laude verſaretur, & tandem talis, tantusq. vir e viuis diſcederet. vocauerat eum ad ſe Oſorius, &, quæ ſibi de illius moribus delata fuerant, proponit; quæ aduerſus huiuſcemodi homines ius ſtatuat, commemorat; verum, quia ſpes ſibi erat, fore, vt tandem reſipiſceret, nolle in eum durius animaduertere; ingenitæ nobilitatis admonet, vitæ breuitatem, beatitudinis æternitatem, omnibus bonis affluentem, probis hominibus conſequendam, & dira ſupplicia flagitioſis conſtituta, quæ in omnium ſæculorum æternitatem ſunt duratura, ante oculos proponit; ſubmiſſe precatur, ad illius pedes ſe abijcit, oculis lacrymantibus eum intuetur, rogat, ne pereat, & exitio vitam præponat. Quis tam ferreus, & inhumanus, eſſet, qui non commoueretur? His ille armis aduerſus humani generis hoſtem frequenter pugnabat: quibus multos, quos nouimus, ab illius ſeruitute in veram virtutis libertatem vindicauit: quos ſatis longum eſſet cōmemorare. Illos vero, quos in vitijs adeo immerſos ſentiebat, vt nullam ad virtutem emergendi ſpem darent, acriter puniebat, vt, ſi fieri poſſet, ſtimulati, ſentirent, quanta in miſeria verſarentur. Duo in iure adminiſtrando ante oculos habebat. alterum erat, Epiſcopi officium, a Diuo Paulo luculenter deſcriptum, vt ſæpius aduerſus morum corruptelam, vitæ exemplo, doctrina, precibus, & lacrymis, pugnandum ſibi fore exiſtimaret. alterum vero, dignitatis, ac nominis famæ, præſertim ſacerdotum, ſeruandæ cura. hic enim hominum ordo, immani, vt ita dicam, noſtrorum temporum iniuria, ceteris hominibus cum non mediocriter ſit inuiſus, ſola nominis auctoritate viget, quam non niſi ſanctimoniæ opinione poterit conſeruare. vt vero hanc non ita facile apud ſibi ſubditos amitteret, vir vere pius, & prudens, diligenter curabat, vt ſacerdotes apud ſe

Universidad de Deusto
Biblioteca

priuatim cauſſas dicerent. de quorum autem crimine non adeo erat manifeſtum, ne immerito punirentur, eos ad virtutis ſtudium excitabat, &, ne illorum animos acrius offenderent, quibus vitæ male actæ de ſe ſuſpicionem dederant, ab Eccleſijs, quibus erant addicti, in alias, honoris gratia, mittebat; quos vero flagitio affines inueniebat, eos, acriter reprehenſos, alicui Eccleſiæ addicebat, vbi ſacris rebus operam præſtarent, quibus non paruam gratiæ ſuæ obtinendæ ſpem, ſi in virtutis ſtudium incumberent, faciebat; eos, ſi eiſdem flagitijs affines eſſe ſciebat, acerbe puniebat; &, ſi ita conſentaneum illorum ſaluti eſſe videbatur, in exſilium pellebat. Vnde, ſi cum Epiſcopi, in cuius diœceſi exſularant, litteris reuertebantur, quæ de illorum in virtutis ſtudium commutatione teſtarentur, mirum erat, quam benigne eos ſuſcipiebat. non enim de improborum hominum vita ita ſtatuebat, vt eos numquam ad probitatis, & honeſtatis, decus amplectendum, mentis oculos aperturos exiſtimaret. Cum aliquæ cauſſæ ad commune, & publicum, iudicium mittebantur, nulla reorum damnatio, aut liberatio, decernebatur, niſi prius totius cauſſæ pondus manifeſtum ſibi fieret: eos vero, quorum, in iudiciorum adminiſtratione, opera, & conſilio, vtebatur, ſæpius admonebat, vt nihil magis curarent, quam vt nocentibus eas pœnas conſtituerent, ex quibus eorum ſalus comparanda foret, nec paterentur, vt fraudibus in longum cauſſæ protraherentur. Cum autem hac ſingulari prudentia, & Chriſtiana pietate, in prouinciæ ſibi commiſſæ moderatione ſe gereret, Sebaſtianus Rex Portugaliæ ad quartum decimum ætatis ſuæ annum peruenit. quare opus erat, vt Henricus Cardinalis Regni gubernaculum illi moderandum traderet. de more igitur gentis, omnes viri Principes, & Epiſcopi, & ciuitatum procuratores, Olyſiponem, Henrici litteris vocati, conuenerunt. &, quamuis optima eſſet indole Sebaſtianus, non parum tamen ſollicitos omnes reddebat imbecilla illius ætas, nullo imperandi vſu ſtabilita, vel arte confirmata. quamobrem vir, prudentiæ ſingularis, & eximiæ innocentiæ, laude excellens, quærebatur, qui Sebaſtiano in Regni adminiſtratione ita operam ſuam nauaret, vt illius immaturam ætatem, quando opus eſſet, prudentiæ ſuæ maturitate confirmaret, & patriæ vtilitati proſpiceret. is, Henrici, & fere omnium ſententia, vnus Oſorius eſſe cenſebatur, qui tantum munus ſuſtinere, idq. optime poſſet perſoluere: non tamen deerant, qui rem alio deducere conabantur, vnde ampliora ſibi commoda euentura ſperabant. Oſorius interim, Olyſipone, ſui aduerſus Gualterum Haddonum, hominem Britannum, libri, quibus illius inſaniam repreſsit, vt in lucem mandarentur, curabat. Haddonus enim id ſibi munus ſumpſerat, vt Oſorij epiſtolæ, ad Eliſabetham ſcriptæ, reſponderet. quod vt imprudenter ſibi arrogauerat, ita non ſolum inſulſe & imperite, ſed impie, perſoluit. mirum enim eſt, quam infans, & ineptus, in illo libello, quem aduerſus Oſorium ſcripſit, Haddonus fuerit: qui vbi primum Oſorij libros legit, & argumentorum vim, quibus, admirabili cum eloquentia, illius impudentiam fregerat, ſenſit, ſingulari affectum triſtitia eum ſuſcepti conſilij valde pœnituit; &, vt viri fide digni referunt, ex mœroris acerbitate, quæ animum illius diſtinebat, quia fidem ſuam apud Reginam collocauerat, Oſorio ſe ita reſponſurum, vt hominis, quamuis eloquentiſſimi, os comprimeret, poſtquam cœpit iterum neſcio quid litteris moliri, quod non, vt optabat, progrediebatur, viribus diffidens, morbum contraxit, qui illius importunæ temeritati, & impuræ vitæ, finem attulit. huic ſtudio etſi totus Oſorius incumbebat, præſentijt tamen, quid Henricus ſtatuiſſet, quid etiam aliqui homines occultis rationibus contra ſe molirentur. ne igitur grauiſſimum onus ſubiret, & æmulos ſuos ad id facilius perficiendum, quod animo deſignarant, præſentia ſua leuaret, ad Lilienſem ciuitatem, vt ſororem natu maiorem ſibi cariſſimam inuiſeret, ſeſe contulit. Intra tempus deinde ab Henrico ſibi præſcriptum Olyſiponem reuertitur: & Sebaſtiano Regni gubernatio committitur. Adhuc æmuli negotium ad exitum perducere

ducere non poterant: Oſorius multis rationibus a Rege, & ab Henrico, impetrat, vt in diœceſim ſuam abeat: eam tamen illi condicionem imponunt, vt, ſi citius, quam ille putaret, litteris vocaretur, nullas moræ cauſſas prætenderet. Abijt Oſorius in Algarbium: & Sebaſtianus, non multo poſt, illis hominibus traditur, qui optimam adoleſcentis indolem, vt fama erat, comprimerent, & voluntatem, in adoleſcentibus fere ſemper præcipitem, monitis, & præceptis, excitarent. vnde viri prudentes Regno Luſitano maximum aliquod imminere detrimentum ominabantur. quamobrem de Oſorio maxime conquerebantur. niſi enim in Algarbium eo tempore veniſſet, non in eo ſtatu res verſarentur. Erat tunc temporis in Luſitania femina, Regio ſanguine nata, virtutis, & prudentiæ laudibus, excellens, quæ Michaelis Villaregalis Principis vxor fuerat. Hæc, cum a Rege Sebaſtiano in Regni adminiſtratione aliquid imprudenter factum audiebat, Oſorium his verbis abſentem compellabat: Male pereat, o Oſori, animus iſte tuus, ambitionis nomen tam valde metuens: profecto, dum ambitionis ſuſpicionem fugis, patriam in has miſerias abieciſti: cuius ingrati animi pœnas merito ſuſtinebis. Oſorius, dum totus in diœceſis ſuæ gubernationem incumbit, plurimorum litteris de Regis inſtitutione certior factus, Henricum per litteras admonet, vt, dum tempus ferebat, remedium præberet, ne malum in dies magis ſerperet, & augeretur, easq. radices in animo iuuenili ageret, vt nulla poſtea ratione euelli poſſet: verum Sebaſtianus ita ſub illorum erat hominum poteſtate, vt Catherinæ Auſtriacæ, Auiæ, prudentiſſimæ feminæ, adſpectum vitaret; Henricus vero parum aut nihil apud eum auctoritate valeret. quamobrem omnis melioris condicionis ſpes intercluſa videbatur, niſi Rex vxorem duceret: in quod Auia totis viribus pugnabat. Philippus, Rex Caſtellæ, Auunculus, perſuadebat, Regni proceres ſummopere exoptabant: verum Sebaſtianus, aliquorum conſilijs adductus, rem in aliud tempus differendam eſſe iudicabat. Oſorius Regi litteras dat, quibus, ſingulari cum artificio, quaſi, quid homines illi molirentur, ignoraret, ei de vxore ducenda gratulatur, ſummis laudibus illum effert, quia ea in re patriæ potius conſuluerit, quam propriæ voluntati paruerit. Quantum vero Regno Portugaliæ emolumenti eſſet allatura, multis argumentis, & rationibus, demonſtrat. illorumq. hominum, qui illi contrarium perſuadebant, temeritatem, & importunam licentiam, perſtringit: verum, vt dicunt, oleum & operam perdidit; & acerbiſsima in ſe odia concitauit. quo tempore Oſorius opportunum fore exiſtimauit, vt libros de Regis inſtitutione, quos multos ante annos compoſuerat, Regi mitteret, illiq. dicaret. cum enim is ingenio polleret, & diſciplinarum eſſet ſtudioſus, ſpes erat, vt eos euolueret, ex quibus multa cognoſceret, vnde Regnorum deplorandi interitus oriuntur, quæ declinare potuiſſet. hoc eximium erga Regem animi ſtudium numquam prætermiſit. poſtea enim, cũ Tingim in Africam Sebaſtianus traijceret, eum litteris, in patriam vt rediret, eſt vehemẽter cohortatus, & a bello Africo, quod in incunabulis eius in animo infixerant, antequam prolem haberet, quæ, ſi aliquid ei acerbius accideret, in Regni hereditatem ſuccederet, deterruit. prius enim opus eſſe ſentiebat, vt Sebaſtianus filios gigneret, qui Luſitaniam ab omni ciuilis belli, & ſeditionum, ſuſpicione, liberam continerent, pecuniam pararet, qua diu poſſet exercitum alere, Afrorum diſſenſionem exſpectaret, eamq. arte nutriret, & viribus augeret, qua ipſi ſibi perniciem inferrent, vt tandem bello ciuili attritos facili negotio ſub ſuam ditionem ſubigeret. Regem in Luſitaniam redeuntem apud Sacrum promontorium ſalutat; eum graui oratione admonet, quam varij, ac diuerſi, ſint hominum mores, & quanta ſit, cum non mediocri fortaſſe Principum culpa, in Religionem Chriſtianam inuecta calamitas. quamobrem, ſi nominis gloria flagret, nullam ad veram gloriam comparandam paratiorem viam inueniri poſſe, quam Religionis ſtudium, quæ in Diuini numinis cultu, & iuſtitia, maxime cernitur: quamobrem

in eo

Universidad de Deusto
Biblioteca

in eo illi acriter pugnandum esse, vt nullis hominum calumnijs Episcoporum auctoritatem imminui patiatur. fieri enim non posse, vt Episcopi, Regis fauore destituti, officio suo fungantur. quod si non strenue tueantur, sine dubio mores in eam improbitatem labi oportere, quam solet impunita peccandi licentia, cum religionis exitio, inuehere. Rex, vt erat optimæ indolis, ei operam suam pollicetur, animumq. ipsius honorificis verbis de suo erga eum studio confirmat. Verum Reip. status ita erat immutatus, vt totus a paucorum hominum imperio omnino penderet. quamobrem Osorius nihil vmquam his suis conatibus potuit obtinere, nisi, vt, si antea non mediocris quorundam in eum inuidia fuisset excitata, ea vehementius flagraret, quam summa contentione effugere, sibi opus esse existimauit. quare de profectione in Vrbem cœpit cogitare, vt limina Apostolorum veneraretur, & religione solueretur, qua Episcopi, cum primum sacris cærimonijs initiantur, adstringuntur. Accidit autem, post aliquod tempus, vt Tauiræ, quam nonnulli Balsam fuisse existimant, Osorius esset, & ij, qui decumas colligebant, eum adirent, quærentes de Regio ministro, qui salis vectigalibus præerat, quod ex sale decumas soluere recusabat. diligenti facta de re inquisitione, illud manifeste probabatur, semper in more fuisse, ex sale etiam, quod Regi obueniebat, Ecclesijs decumas a Regijs ministris offerri. hominem igitur Osorius de officio admonet, quid fuerit testibus comprobatum, quid ius Pontificium decernat, quid sanctissimorum Regum eximia religio semper præstiterit, ei ante oculos proponit. renuit peruicax homo, & in proposito manet: quem sæpius admonitum, & renuentem, excommunicatione fidelium exclùsit. Ille Olysponem ad Regis Senatum se confert; de hac tanta sibi, Regio ministro, ob Regia vectigalia, iniuria illata conqueritur; litteras Senatoris, ad quem huiusmodi negotia pertinebant, & Regio sigillo consignatas, Osorio defert, in quibus, Regis nomine, vt hominem in communionem piorum Osorius admitteret, primum, quia id gratum Regi erat, postulabat, deinde, nisi sponte faciat, imperabat. Regijs vero ministris, vt hominem a se minime excluderent, præcipiebat. his litteris, religionis studio, adeo exarsit Osorius, vt, nihil veritus, hominem detestaretur, &, vbi is pedem figeret, a sacris interdiceret. quo effectum fuit, vt ab omnibus velut detestanda quædam exsecratio haberetur; Regiq. longiores litteras, easq. libertatis Christianæ plenissimas, misit, in quibus ea, quæ apud Sacrum Promontorium sibi fuerat pollicitus, in memoriam reuocat; multis argumentis, & exemplis, ostendit, Regna non nisi religione stabiliri; &, quam diros exitus aliqui Principes habuerint, admonet, qui iura Pontificia euertere conati fuerunt. quamobrem, ne improbis, & parum religiosis, hominibus aurem præbeat, hortatur: si vero aliqui Senatores essent, qui contrarium illi persuadeant, e Regis Portugaliæ consilio, qui religionis amplificandæ studio flagret, in Britanniam discederent, & Reginæ operam nauarent, quæ in eo totis viribus pugnat, vt religionem ex hominum animis funditus euellat. illudq. vnum certo sciat, se nullo mortis metu posse ab officio dimoueri. Si vero in aliquo ius a se fuisset violatum, ad Henricum Cardinalem, Summi Pontificis Legatum, & Archiepiscopum Metropolitanum, caussam deferendam esse: interim tamen, hominem, nisi resipiscat, ad communicationem, societatemq. fidelium minime fore recipiendum affirmat. qua in sententia vsque eo perstitit, vt homo ad illius pedes se se abijceret, & salis decumas Ecclesijs redderet. quem Osorius acriter reprehensum in carcerem mittere statuerat, vt eum seuerius puniret, nisi de damno illi toto eo tempore illato constaret, & illius submissio iustam iracundiam emolliret, ac Decanus Siluensis, homo Theologus, & pius, multis verbis homini veniam precaretur. De Christiana tandem religione obseruanda hominem admonuit; & ad sacramentorum Diuinorum communicationem admisit. quod factum tantam in Osorium inuidiam excitauit, vt, qui eum oderant, satis amplam calumniandi materiam nacti, Regis animum

animum contra Osorium vehementer incitarent. non enim deerant, qui Regi antea persuaserant, quoscumque homines in Portugalia Episcopos crearet, inimicos sibi in Regno suo a se opibus stabiliri. quibus verbis vnum Osorium significabant. quod cum ad Osorium amici pertulissent, sæpe fidem suam, & singulare animi studium, erga Regem est testatus: illi vero hoc vno facto calumniam suam confirmabant. quamobrem, ne aliquid molirentur, quod vel sibi negotium facesseret, vel Regi dedecus pareret, Romam proficiscitur, vt votum persolueret. Hispalim, Vrbem totius Bæticæ Prouinciæ facile princi-pem, venit. Vnde Sebastianum Regem de profectione sua certiorem facit; &, vt boni æquique id accipiat, submisse petit; Barcinona in Italiam traijcit, & Parmæ a Maria Principe, Odoardi, filij Regis Emmanuelis, filia, sa-tis benigne excipitur. fuit enim Osorius Elisabethæ, illius matris, sanctissimæ feminæ, & Odoardi fratris, immatura morte sublati, studiosissimus; &, dum ipsa in Galliam Belgicam ad maritum veniret, tempestateq. ad Sacrum promontorium deferretur, eam ijs honoribus Osorius coluit, qui solum Reginis Lusitaniæ a suis haberi solent. de quibus singulari modestia quamuis illa recusaret, Osorius inuitæ deferebat, vt exteros homines ad illius obseruantiam, Regis Emmanuelis nepti debitam, excitaret. Dum igitur clarissimæ Principis, & sanctimoniæ laude præstantissimæ, hospitio recreatur, vt Dauidis Psalmos breui oratione explicaret, omni studio incubuit. ob vehementes enim calores, periculosum satis erat, eo anni tempore Romam ingredi; & litteras a Rege Sebastiano acceperat, in quibus ei significabat, minime sibi fore gratum, si Romam ingrederetur. Cui Osorius epistolam rescripsit, in qua suam erga illius Maestatem fidem, & singulare studium, multis argumentis probauit, neque se de Republica Lusitana mereri, vt, quæ calumniatores aduersus sui nominis famam scelerate deferrent, Rex, veritatis, & sanctimoniæ, studiosus, crederet: se Romam proficisci, non vt contra Regiam illius Maiestatem aliquid noui moliatur, quemadmodum sui æmuli calumniabantur, sed vt beatissimos Apostolos veneretur, & tantisper inimicorum odijs cedat. quamobrem firmam se habere spem, vt suum in Vrbem ingressum moleste minime ferat. Gregorium quoque XIII. Summum Pontificem per litteras salutauit, suæq. profectionis in Vrbem caussas significauit. eum Sanctissimus Pater resalutauit; & de aduentu illius in Italiam est gratulatus. Parma discedens, Bononiam venit: quam Vrbem, veluti patriam, semper dilexit: vbi Paraphrasim in Isaiam in lucem edidit; & Henrico Cardinali, Emmanuelis Regis filio, eam dicauit, cui multo antea eam fuerat pollicitus. Bononia Romam venit; Beatorum Apostolorum limina inuisit; & a Gregorio summo Pontefice benigne satis, & honorifice, excipitur; vbi Regis Sebastiani, & Henrici Cardinalis, litteras, eximiæ erga se voluntatis, & promissorum, plenissimas, accepit; quibus eum, vt in patriam rediret, hortabantur. Postquam vero aliqua, quæ ad Ecclesiæ suæ moderationem pertinebant, cum Summo Pontifice egit, in patriam ab Vrbe discedere constituit; tum, quia homo, in totius vitæ suæ cursu verax, proprij officij religionem a se violari existimauit, si, debita Beatissimis Apostolis religione liberatus, quam suæ in Vrbem profectionis caussam fuisse dixerat, non statim in Lusitaniam rediret; tum, quia per annum a Diœcesi sua iam aberat, quare sollicitudine non mediocri angebatur, & quorundam hominum sermone per Vrbem fama percrebuerat, Gregorio Summo Pontifici esse in animo eum in Collegium Cardinalium adscribere. nuper enim Marcellus hoc nomine Secundus Summus Pontifex, cum primum in eam dignitatem fuit euectus, Osorio grauissimum iudicij sui testimonium dederat, illudq. in se receperat, futurum, vt Osorio hunc virtuti illius debitum honorem tribueret. quamob-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rem Osorius, ne minimam de se hominibus ambitionis suspicionem daret, & alias ob caussas, quas præterire lubet, in Portugaliam, contra omnium opinionem, abijt. quo vbi peruenit, Ioannis Zamoscij, hominis Sarmatæ, & politiori disciplina ornatissimi, litteras accepit, in quibus Zamoscius, Regis sui nomine, eum salutauit. Cum enim Rex Stephanus Battorius ad amplissimam Regni dignitatem omnium virtutum ornamenta adiunxisset, sapientiæ studium in eo vehementer enituit. quamobrem, cum Zamoscium Romam mitteret, ibique Osorium tunc temporis esse sibi nuntiatum fuisset, Zamoscio illud munus imposuit, vt Osorium suo nomine salutaret, & suam erga eum voluntatem significaret. is enim excellens in omni genere virtutum Rex, & Religionis Christianæ acerrimus propugnator, non solum domi, sed cum aduersus impios homines, qui in Sarmatia Ecclesiæ Romanæ auctoritatem spreuerant, vel cum aduersus Turcas exercitum duceret, Osorij libros secum deferebat, quos in castris, singulari cum voluptate, perlegeret. Zamoscius, postquam Romam venit, quia Osorius inde discesserat, ad eum litteris datis, hoc suo munere est functus. Osorij in Portugaliam aduentus optimis quibusque fuit valde gratus, atque iucundus. fore enim sperabant, vt Sebastianus illius opera, & consilio, in Regni administratione vteretur.

Erat Sebastianus belli Africani cogitatione vehementer implicatus. quamobrem Osorius, cum ab eo benigne susceptus fuisset, & auctoritate plurimum apud eum valeret, totis viribus pugnauit, vt Sebastiano persuaderet, ne Auiæ Catherinæ Austriacæ singularem prudentiam parui faceret, quæ in periculosissimis Lusitaniæ temporibus, summa cum laude, Regnum gubernauerat, quæ paucos post dies cum singulari sanctimoniæ, & virilis animi, prudentiæque, laude diem obijt, non sine magno totius Portugaliæ detrimento. Si quid enim remedij exspectari poterat, quo in melius Sebastianus mentem commutaret, in illius feminæ animi magnitudine, & grauitate, erat positum. Osorius, quamuis videret omnia ad expeditionem Africam parari, & difficillimum fore, vt, quod Rex in incunabilis imbiberat, disciplina didicerat, & more comprobauerat, ex animo abijceret, ne aliquam tamen officij sui partem prætermitteret, eum adit; multis, & firmissimis, argumentis demonstrat, quam perniciosum rebus Lusitanis, & quam parum scientiæ militari esset consentaneum, illo tempore totis viribus Africæ bellum inferre; sed, si in Africa nomen Christianum propagare ita erat in animo infixum, ex omni Lusitana nobilitate milites fieri curaret, & nouis præsidiis ea opida, quæ in Africæ litore obtinebat, confirmaret, vt Lusitani militiæ assuescerent. quæ præsidia si in dies augerentur, belli ciuilis inter Africanos incendium non solum excitare, sed vsque ad illorum internecionem amplificare poterat, vt, cum opportunum foret, ex veteranis militibus, Africano bello exercitatis, iustum exercitum conscriberet, cui Lusitani nominis decus, salus, & opes committi possent. aliter enim, sine veteranis militibus, sine ducibus, sine Afrorum inter se dissensione, non posse aliquid laude dignum perfici. Cui Rex, Si de communi, inquit, belli gerendi ratione ageremus, Osori, tuam ego sententiam amplecter: verum in hac, quam molior, expeditione multa sunt, quæ illam communem militiæ rationem immutant: quæ si contemplere, hanc, quam mihi persuades, sententiam abiiceres. Illa, o Rex, respondit Osorius, ignoramus: hoc tamen certo scias, præter ea, quæ dixi, duo nobis esse maxime formidanda: alterum est, Afrorum perfidia, quæ illorum animis est a natura insita; alterum est, intrepidus iste, qui in te viget, animus, gloriæ cupiditate nimis incensus, ne, dum omnia ardua spernis, parum tibi, patriæque, consulas. Tum Rex multa de animi sui

sui moderatione disseruit, foreq. est pollicitus, vt nihil inconsiderate, nihil præceps, aut immoderate, gereret. Cum igitur nihil Sebastianum a bello Africo auerteret, & classis fere iam parata esset, aliquot inter nostros magni nominis viri nobiles Osorium adeunt; illud obnixe postulant, vt Regem, falsis argumentis delusum, admoneat, vt consilium belli Africæ inferendi dimittat. ex eo enim non nisi totius Lusitanæ nobilitatis interitum exspectari posse. Quibus Osorius, ante illorum admonitionem, se officio suo iam functum fuisse, ait, suamq. sententiam libere Regi aperuisse; nunc illi, si Rempublicam saluam esse velint, Regi, quid de hac expeditione, & de Republica, sentiant, intrepide ante oculos proponant: verebantur enim, ne a Rege cum ignominia exciperentur: quamobrem se ipsos, & patriam, prodiderunt. Rex vero, cum in Africam proficisceretur, omnes viros principes, & Episcopos, vocauit, ad quos simul iunctos de expeditione in Africam cum esset aliqua præfatus, illi certatim, vt gratiam fortasse eius obtinerent, non quia consilium probarent, eius manus osculabantur. quod Osorius vehementer est detestatus, eumq. postea more solito salutauit, &, quod sibi de ea expeditione semper visum fuerit, sæpius ei aperuisse, in memoriam reuocat; vt iam nihil sibi aliud reliquum esset, nisi Deum suppliciter precari, vt rem Lusitanam benigne respiceret, & illum, in cuius incolumitate tota nitatur, suo numinis præsidio seruaret. Soluit Rex Olysipone: & interim Osorius libros de vera Sapientia in lucem emittere curabat, quos Gregorio Summo Pontifici dicauit. Paucos post dies, funestissimæ cladis, non longe ab Alcasere Quibirio acceptæ, nuntius affertur. quem Osorius vt accepit, multis cum lacrymis, flexis genibus, elatis in cælum manibus, Deum est suppliciter veneratus; deinde ad me, qui forte aderam, Grauissimum, inquit, ex hac Africana expeditione detrimentum nostris rebus importandum fore semper existimaui: verum Regis interitum, cum totius exercitus cæde, numquam mihi persuasi. Principes terræ, discite iustitiam, inquit Salomon: iniustitia, & iniuria, quæ iam diu Portugaliam occupauit, non Mauri, hanc nobis cladem, & nominis fere exitium, inuexit. misericordiam, & iudicium, cantabo tibi, Domine, quia, dum in fontes animaduertis, maximas quoque immensæ misericordiæ tuæ partes geris.

Fuit Osorius vir excelsi animi, & in omni fortuna singularis, & eximiæ modestiæ, vt nulla vmquam re commoueri sit visus. quamobrem sui cum profundo Maris pelago illius animum conferebant; quia nulla, quamuis maxima, & grauissima, iniecta mole in alteram partem moueretur. hic tamen Sebastiani Regis acerbissimus casus tanto eum doloris sensu affecit, vt eius valetudinem debilitarit. cum vero sæpius de salute patriæ cogitaret, nullum aliud sibi remedium occurrebat, quod eam tanta clade perculsam, & abiectam, subleuare posset; nisi si Henricus, Emmanuelis Regis filius, qui Sebastiano succedere posset, operam daret, vt, quam primum fieri posset, optimis condicionibus Philippum, Hispaniarum Regem, ex sorore nepotem, sibi successorem declararet. ita enim afflictam patriam potentissimi Regis opibus confirmaret. Henricum igitur hac de re, & de multis alijs ad Regni statum pertinentibus, admonere statuit. eum ergo adijt, quem postquam salutauit, facultatem petijt, vt, quæ sibi de Republica Lusitana esse videbantur, diceret. Cui Henricus, Non mihi, inquit, admonitores desunt. Faciat Deus, o Rex, respondit Osorius, vt, his monitoribus, quos dicis, Rempublicam Lusitanam saluam, & incolumem, serues. hoc tamen meo erga patriam studio contentus ero. In Algarbium statim abijt, miseram patriæ vicem vehementer dolens, & ea mala animo diuinans, quæ postea illam oppresserunt. Hæc Henrici in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

digna reſponſio, nec Oſorio, neque ijs, qui rerum antecedentium pondera, & momenta, quæ præterire lubet, attentius contemplabantur, vllam admirationem commouit. In Algarbium vbi primum venit, nihil ſibi maiori cum diligentia agendum putauit, quam Algarbienſium animos ab omni ſeditionis excitandæ ſtudio abducere, & ad pacem, ac tranquillum rerum ſtatum, totis viribus, procurandum, hortari. Per id tempus Henricus, diuerſis conſilijs diſtractus, dum moram gerit, Olyſipone ſeditionis cœpit materia ali, quæ poſtea non paruum incendium peperit: in reliqua vero Hiſpania milites parabantur, quibus Rex Philippus ius ſuum tueri decreuerat. Henrico igitur, litteris Farone datis, Oſorius, quid de Republ. ſentiebat, aperuit. Vertente autem anno, Oſorium ad ſe litteris Henricus accerſit. Cui Oſorius, quibus teneatur impedimentis, ne ad illum veniat, reſcribit. quod Henrico valde multumq. fuit moleſtum. illum fortaſſe erroris, quem commiſerat, pœnitebat. Secundo Oſorium ad ſe vocat: nec non Ludouicus Granatenſis, vir ſanctimonia, & doctrina, ſingulari, longioribus litteris hortatur, ne in difficillimis illis temporibus Henricum deſereret: accidit autem illis diebus, vt, nouarum rerum ſuſpicione, Antonius, Ludouici Principis filius, ab Henrico patruo exſilio multaretur: quem Oſorius, ob patris memoriam, & plurima in eum officia, valde vehementer amabat. multum etiam Antonius ei ſemper detulit, quamuis eius conſilijs in vita moderanda non fuerit vſus: hominem tamen maxime obſeruabat. quamobrem, vt Antonium de ſuſcepto conſilio, propoſitoque, depelleret, & in patrui gratiam adduceret, in opidum Almerinum, in quo Henricus agebat, ſe contulit: Antonium litteris hortatur, vt patris veſtigia ſectetur, qui pro patriæ incolumitate vitam libenter abijceret, patrui animum leniat, Philippum Regem fratrem patruelem ne a ſe alienum reddat, rebus ſuis prouideat, eorum conſilijs, quibus ſapientiſſimus Princeps Ludouicus, illius pater, dum vixit, vtebatur, ille quoque res ſuas committat, illorum temeritatem, qui, cum multa inani ſpe deuorent, illum, cum patriæ interitu, in exitium rapiebant, deteſtetur. Verum Antonius, fideliſſimi hominis, & ſui nominis ſtudioſiſſimi, monita contempſit. Henricus ex omnibus Reipublicæ ordinibus conuentum agebat, vt, quod Reipubl. optimum foret, ſtatueret. Oſorium, quid de Rep. eſſet, conſuluit. cui ille eam, quam iam retulimus, ſententiam, patriæ ſalutem ſi velit conſtituere, ſequendam eſſe perſuaſit. &, quia Henricus illo tempore iam ſurdaſter erat, ei libellum tradidit, in quo multis argumentis illum confirmabat: quem poſtquam Henricus euoluit, cum Oſorius ad Epiſcoporum conſilium iret, cum interpellans, Epiſcope, inquit, quantum tua ſententia mihi placuerit, ex forma poſtulationis, quam ad vos mittam, manifeſte cognoſces. Non multos poſt dies, cum Henricus perdita eſſet valetudine, & multa futuræ ſeditionis argumenta apparerent, Oſorius in Algarbium reuertitur. Henricus obijt. quattuor ab eo antea electi gubernatores Regni gubernaculum ſuſceperunt, qui litteras ad omnes Portugaliæ vrbes miſerunt, in quibus iubebant, vt in templis concionatores diebus feſtis ad libertatem armis defendendam populum excitarent. Quæ vt ad Oſorium delatæ fuerunt, gubernatoribus reſcripſit, illas ſingularem ſibi admirationem commouiſſe; &, quid illorum mentes immutauerit, eſſe ſibi omnino ignotum; ſe vero in eadem, qua antea, eſſe ſententia; & in tota ſua diœceſi a ſe grauiſſima pœna eſſe ſancitum, ne quis concionator plebem ad arma excitet: quamobrem ne mirentur in Algarbio ſacros concionatores, cum certiſſima cladis ſpe, plebis animum ad arma non fuiſſe cohortatos: ipſe autem nihil diligentius curabat, quam de pace, de pietatis ſtudio, de Religionis Chriſtianæ

ſtianæ integritate, de offenſa numinis expianda, ad ſuos ſæpe orationem habere; illos admonere, iram Diuinam Portugalenſium peccatis eſſe excitatam, vt acrius in eorum ſcelera animaduertat; propterea lacrymis ſcelerum maculas diluerent, vitæ conuerſione iram Diuinam a ſuis ceruicibus depellerent; & virtutis ſtudio pacem, & tranquillum Reipublicæ ſtatum, a Deo Optimo Maximo conſequerentur. quod idem munus concionatoribus impoſuit. vnde effectum fuit, vt in toto Algarbio nullus ſit inuentus vir, ſacris initiatus, qui ſeditionis excitatæ nomine fuerit notatus, aut arma induerit; cum in multis Portugaliæ vrbibus non ita res ſeſe habuerit. Erat Dux Metimnæ Sidoniæ ad Regni Algarbienſis fines a Rege Philippo conſtitutus, vt, ſi Algarbienſes res nouas molirentur, eos armis comprimeret; nec triremium claſſis longe aberat; cum Oſorio nuntius defertur, Tauiræ, quæ eſt totius Algarbienſis Regni vrbs nobilior, aliqua ſeditionis initia oriri: quæ ſi non opprimantur, fore, vt, cum totius Algarbij maximo detrimento, aucta propediem erumperent. quamobrem e Farone, omni cum feſtinatione, Tauirum properauit: quod iter viginti fere paſſuum millium vt celerius conficeret, e lectica, qua vehebatur, in mulum valde celerem adſcendit: quare vlcus paruum, quod vngue in crure excitatum fuerat, caloris vi, quæ æſtiuo tempore in Algarbio maxima eſſe ſolet, & muli commotione, acerbe intumuit. Tauiræ Fratrum Franciſcanorum hoſpitio eſt vſus; & ita omnium animos oratione compoſuit, vt ſibi, & Algarbienſi Regno, optimum eſſe iudicarent, Philippum, Portugaliæ Regem, more patrio, declarari. Vrbis tranquillitate conſtituta, vlcus in dies magis eum affligebat; & nuntij, qui de exercitu Hiſpanorum, & de Antonio Ludouici filio afferebantur, ſummo eum mœrore conficiebant. mortuo enim Henrico, fuit Antonius a quibuſdam in Regia dignitate conſtitutus; & Albanus Dux Federicus, tranſmiſſo Ana fluuio, per mediam Luſitaniam, verſus Olyſiponem, exercitum ducebat. Oſorius, cum exercitationibus, propter vlceris acerbitatem, vt aſſueuerat, valetudinem minime confirmaret, ea cœpit tentari, nec diutius morbo, & doloris magnitudini, quem ex patriæ exitio exceperat, potuit reſiſtere. Per id tempus, more, & ritu Chriſtiano, ſollemni precatione vtebamur, vt Diuinum numen, nobis iure optimo iratum, placaremus. quod vt facilius aſſequi poſſemus, Gregorius Summus Pontifex omnium peccatorum expiationem procurauit; litteriſq. in Luſitaniam miſsis, omnes ad vitæ conuerſionem, Diuiniq. numinis cultum, eſt valde vehementer hortatus. Pridie igitur Kal. Auguſti, poſtquam Oſorius his precibus, & rebus Diuinis, operam nauauit, præter morem, vt pauliſper quieſceret, in lectulum adſcendit: eum grauiſſimus ſomnus occupauit, a quo nullis poterat vocibus excitari: adhibitis tamen remedijs, ſomni vi aliquantulum liberatus, in illa verba prorupit, Quo, inſani homines, ruitis? quorſum, cum ſummo Luſitani nominis dedecore, exitium patriæ comparatis? Febris deinde ſubſecuta eſt, quæ illum intra viginti dies confecit, atque conſumpſit. Vbi primum, per vim morbi, licuit, Diuino Chriſti Domini corporis pabulo animum confirmauit. quod, ad ſe in cubiculum adductum, religioſis illis hominibus, ſacros hymnos canentibus, nudato capite, iunctis manibus, vt ſummum Deum, eſt veneratus: deinde, pectus manu percutiens, peccatorum veniam ſubmiſſe precabatur, & illud ore comedendum ſuſcepit. Cum vero morbus in dies ingraueſceret, valetudinis ſuæ curationem Monachis illis Franciſcanis demandauit; qui id Chriſtianæ caritatis officium, ſingulari cum ſtudio, præſtiterunt; inter quos erant viri docti, qui cum eo de rebus Diuinis ſæpius ſermonem conferebant; qui, cum eā, quæ in illius verbis continebatur, eximiam erga Deum pietatem, atque religionem, ſecum cogitarent,

in ſum-

Universidad de Deusto
Biblioteca

in ſummam admirationem rapiebantur; adeo, vt is, qui illorum curam gerebat, cuius opera Oſorius, per id tempus, quo Tauiræ fuit, ad peccatorum ſuorum expiationem vtebatur, vtilius fore iudicaret, ſi hominem ſibi ipſi relinqueret. mens enim illius, Diuinarum rerum conſuetudine aſſueta, illarum contemplationi ita hærebat, vt, eorum ſermonibus diſtractus, inuitus inde traheretur. accidit enim, cum vir iſte ad morbi leuamentum eum admoneret, vt Chriſtum Dominum acerbiſſimis afflictum doloribus mente cogitaret. Num, reſpondit, manibus pectus amplectens, & oculis in cælum ſublatis, aliquid ego boni, præter Dominum meum Ieſum Chriſtum, habeo? Cum plura verba non protuliſſet, ſed cogitabundus quieſceret, ad me vir pius conuerſus, Ne, inquit hominem noſtris ſermonibus a Chriſti Domini pedibus auertamus. Interim, ſcripta, quæ fuerat, commentatus, & apud ſe compreſſa habebat, mihi tradidit. Vt enim ex illius obitu acerbiori doloris ſenſu eram afficiendus, ſic maior quoque in rebus commiſſis fides iure optimo futura credebatur. non ſolum enim ſanguine illi eram ceteris propinquior, cum ex fratre illius nepos eſſem, ſed a pueritia me ſuis ſumptibus aluit, litteris inſtituendum curauit, & ipſe aliquando erudiuit, paterna caritate ſemper eſt amplexus, & omnia, ſi quæ in me ſunt, dignitatis ornamenta contulit. Deſperata iam valetudine, cum ſtomachus nihil reciperet, opus fuit, vt ei manifeſtum fieret, quo in ſtatu eſſet. quo officij munere uir quidam Theologus, qui nuper famulus Oſorij fuerat, & Tauiræ Eccleſiam, ob virtutis merita, ab Oſorio regendam acceperat, eſt præclare functus. is, ad lectulum accedens, vbi ille iacebat, eum excitauit. ſomno enim vehementer opprimebatur. Ego, inquit, quamuis ſummo cum dolore, hoc poſtremum officij mei munus tibi ſoluendum duxi. ſcito, Præſul, te mori. Cui ille, Valde, inquit mihi placet. elatiſq. manibus, & in cælum ſuſpiciens, Summis, ait, Iaudibus Deus, in omnium ſæculorum æternitate, efferatur. Cumque ab eodem viro admoneretur, vt teſtamentum faceret, Quidquid, inquit, optimum tibi viſum fuerit, facito. Suis igitur omnibus vocatis, vt cuique viſum erat, ſui mentionem faciebat. quibus ille benigne conſuluit; illudq. curauit, vt poſt obitum ſuum omnibus ſuis famulis per menſem cibus adminiſtraretur; reliquis vero, quibus ab eo annuum ſtipendium dabatur, ac ſi per annum integrum ſuis officijs functi fuiſſent, illud tribui mandauit. qui ſumptus ex mille & quingentis aureis nummis, quos ſolos habebat, faciendi erant. quamuis Gregorius XIII. Summus Pontifex poſt illius ab Vrbe diſceſſum ei litteras miſiſſet, quibus facultatem illi conceſſit, vt viginti millia heredibus poſſet teſtamento relinquere. verum, cum illi pecuniæ ſtudium minime eſſet a natura inſitum, nec plus pecuniæ, nec plura, quam tria vaſa argentea, eaq. parua, ſunt inuenta, quibus ad menſam vtebatur, quamuis ex decumis annuis, quæ illi ſuppeditabat, ad decem millia & amplius numerarẽtur. Cum vero publicus ſcriba, qui his rebus aderat, ſublata voce, quæreret, an eſſet aliquis, qui Epiſcopum vellet conuenire, & nemo accederet, cum maximo omnium, qui aderant fletu, ſtatuit, ut corpus ſuum in Diui Franciſci æde ſepeliretur, poſtea vero, ad Faronenſem Eccleſiam, quæ totius diœceſis eſt caput, deferretur. Rebus ſuis ita conſtitutis, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ritu, Extremæ vnctionis ſacramentum ſuſcepit, & animo intrepido, & ſumma cum Diuinæ benignitatis fiducia, mortem opperiebatur. Interim viri Religioſi, ceteriq. Sacerdotes, qui conuenerant, Pſalmos recitabant: duo vero ex illis Monachis, qui ſeuerioris ſunt vitæ, & ſub nomine Diui Antonij cæleſtem viuendi rationem ſequuntur; illuc ex Loulienſi ciuitate venerant, vt eum inuiſerent, qui ad Diuini numinis benignitatem contemplandum eum excitabant: quibus cum reſpondere minime poſſet, accepta Cruce, cui imago Domini Noſtri Ieſu Chriſti

Chriſti erat affixa, ſæpius eam eſt oſculatus; poſtremo, cum ad os illam apponeret, manibus intra pectus eam complectens, numquam dimiſit, donec ad illius pedes animam efflauit, quem in uita ardenter amauerat. Vir vere pius, Diuinæ gloriæ valde ſtudioſus, Chriſtianæ religionis propugnator inſignis, excellens Theologus, in ceteris diſciplinis non mediocriter eruditus, poſt Tullium Romanę eloquentiæ princeps, patriæ ſuæ decus, cuius vtilitatem ſuis rebus ſemper prætulit, veritatis amator, timoris, & ambitionis, omnino expers, veræq. gloriæ cupidus, ſeptuageſimoquarto ætatis ſuę anno, ſalutis humanę M D X X C. Auguſti menſis die vigeſima obijt. Quem religioſi illi homines, quia eum eximiæ vitæ ſanctimonia prędituм fuiſſe ſciebant, & omnibus in rebus erga religioſos viros ſingulare illius animi ſtudium experti fuerant, Epiſcopi ornamentis indutum, humeris ſuis ad ſepulturæ locum detulerunt. Mirum erat, quam pulchra facie, quam placido oculorum adſpectu, totiuſq. oris ſpecie, cadauer illud animos hominum ad ſe alliciebat. Omnes interim viri religioſi, ſacerdotes, viduę, & pauperes, eum, vt parentem, lacrymis proſequebantur. qui, quamuis ſub parua tellure ſit conditus, in ore hominum, dum res humanæ incolumes fuerint, vigebit. ea enim ſapientiæ monumenta reliquit, quæ nulla vmquam poterunt temporum iniuria obliuione deleri.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIERONYMI OSORII LVSITANI

Ad Ludouicum, Emanuelis Regis filium,

DE NOBILITATE CIVILI

LIBER PRIMVS.

Præfatio libri.

POsteaquam beneficio tuo, Ludouice Princeps clarissime, consecutus sum, vt me ad pristina studia reuocarem, in litterarum meditatione multo ardentius quam antea versari cœpi. Principio enim, natura tantum impulsus, ad earum artium studium me applicabam, quibus instructus, patriæ meæ fructum aliquem meæ eruditionis afferrem. Nunc autem, cum, humanitate beneficentiaq. tua incensus, omnes meas cogitationes ad tuam dignitatem, & gloriam conferendas esse statuerem, maiore animi impetu mihi enitẽdum existimaui, vt ad aliquem doctrinæ gradum peruenirem. Nec enim id elaboro, vt ingeni aliqua laude fruar, sed vt inere dibilem meam erga te beneuolentiam, singulare mq. grati animi voluntatem, si non referenda, at saltem prædicanda gratia declarem. Non igitur mihi deero, quamdiu aliud præstare non possum, quin hoc saltem scribẽdi genere meum in te animum plenissimum pietatis ostendam, perficiamque, vt me in omni loco memorẽ gratumq. esse cognoscas. Non me fallit, quam id pro meo singulari erga te studio, quo quidem sum mirabiliter inflammatus, exiguum sit. Sed non debent, qui magna præstare nequeũt, parua negligere; & qui in rebus maioribus vsui esse non possunt, ob id in leuioribus muneribus apud eos, quos præcipue obseruare, collocandis, diligentiam remittere: præsertim cum in omni genere officij pluris animi voluntas, quam muneris magnitudo facienda sit. Cum igitur, vt commodius tuæ dignitatis amplitudini seruire possem, styli exercendi gratia, multas quæstiones Aristotelico more disputãdas suscepissem: tum in primis de Nobilitate mihi differendum esse putaui. Et, propterea quod ea materies mihi tanto Principe digna visa est, & himostri de Nobilitate commentarij, erant paullo diligentius elaborati: eos tibi dicare cõstituí. Ac eo libentius feci, quo maior quædã ac illustrior in te nobilitas elucet. Nam, si genus ad dignitatem pertinet, nihil in rebus humanis est Regio nomine sublimius, & eorum præcipue regum, qui ex Christi Opt. Max. voluntate res humanas administrãt: quales ij certe fuerũt, ex quorum es stirpe generatus. Si virtute tantum nominis gloriæ cõparatur, nihil est animi tui magnitudine nobilius, nihil laude tuæ liberalitatis illustrius, nihil ingenii tui flore præstantius. Vt interim omittam pietatem in fratrem tuũ, Regem omnium iustissimum, & optimum patriæ parentem; humanitatẽ deinde in omnes; & postremo, quod caput est, ardens quoddam, & singulare Christianæ religionis studium. Sed reprimam me. nec enim huius temporis esse statuo, animi tui dotes egregias debitis laudibus celebrare. A te vero contendere non desistam, Princeps amplissime, vt hos nostros conatus boni, & æqui facias, scriptaq. nostra, qualiacumq. sint, pro tua singulari humanitate libenter legas. Equidem, si ea tibi non ingrata fore intellexero, ad alia maiora gradum faciam: nec vllo vmquã labore defatigabor, modò habeam exploratum fore, vt hæc nostra studia tibi non iniucunda contingant.

Virtus gloriæ genitrix.

Captatio beneuolentiæ ab auctoris instituto.

CVM itaque variæ dissensiones inter eos, qui iisdẽ legibus instituti, eademq. iuris societate deuincti sunt, frequenter oriantur, nulla certe frequentius vniuersæ Reipub. otium perturbat eã, quæ inter nobilitatem, & multitudinem concitari solet. Hæc autem contentio sic

I.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quamplurimas ciuitates Imperio atque gloria florentes afflixit, vt sæpenumero totius Reipubl. statum immutare cogeret, qua res nulla perniciosior communi saluti excogitari potest. Si enim ea, quæ sunt mandata litteris, memoria repetamus, vix vllam ciuitatem tam bene fundatam reperiemus, quæ non fuerit hac discordia ciuili inter primores, atque plebem orta, nimis sæpe conuulsa, & in diuersas partes dissipata: ita, vt modo pauci præessent ciuibus vniuersis: rursus vero, paucorum imperio sublato, rerum summam multitudinis furor occuparet. Quæ quidem mutationes, neque sine ferro, & cæde multorum fieri poterant, neque sine summorum pernicie. Nemo enim, qui modo esset paullo audacior, dubitabat, dum sibi eam Reip. conuersionem fructuosam putaret fore, imminuere legum grauitatem, instituta maiorum violare, omniaq. tandem perturbare, atq. commiscere.

Ciuilis discordia.

II. NON persequar hic, quantas ruinas ediderit hoc discordiæ genus inter principes, atque plebeios excitatum: cum illud constet, quãplurimas ciuitates propter hanc partium contentionem funditus corruisse. Dum enim populus nobilitatis imperium, tamquam violentum, & superbum excindere conatur; rursus nobiles, vim populi, sæuitiam, atque vehementiam armis reprimendam, & summa imperii seueritate coercendam putant; nullum est adeo pestiferum facinus, & inhumanum, quod non ab vtrisque in Reipubl. suscipiatur: animisq. semel hostili odio imbutis, ita dimicant, vt etiam publicam salutem, & propriam libertatem hostibus suis interdum prodere minime recusent. Idq. est eo mirabilius, quod & ciuitatis communione coniuncti sunt, & studio vitæ dissimiles: ita vt nihil relinqui videatur, quod animorum certamen accendat. Id enim, quod in ciuitate plurimum valet ad beneuolentiam coniungendam, nempe communis periculi, atque publicæ incolumitatis societas, ab vtrisque retinetur: quod autem non parum offensionis habet in Reipubl. & acerbissimum ciuium inter ciues odium creare solet, eo quidem carent. Simultates enim atque inimicitiæ, & inuidia, & æmulatione conceptæ, in eos tantum exercentur, qui, cum genus idem vitæ secuti sunt, eadem omnino concupiscunt. Optimatibus vero, cum obscuris hominibus nullum eiusmodi certamen esse posse videtur, in tanta vitæ dissimilitudine, & tam dispari studiorum ratione, atque voluntate. Illi enim imperium, & gloriam expetunt; hi, dum vitæ commodis abundent, non ita magnũ fructum in decore, & dignitate ponendum arbitrantur. Cum igitur, tam diuersa præmia respiciãt; nulla caussa certaminis, atque odij subesse videtur, maxime cum neutra pars possit ad ea, quæ omnibus modis intuetur, peruenire, nisi cũ alterius auxilio. Neque enim vulgus vitam secure traduxerit, si non fuerit in tutela bonorũ: neque boni poterunt vllis ornamentis gloriæ illustrari, & amplificari, nisi sit vulgus, & multitudo, cuius patrocinium suscipiant. Ita, vt præsidium multitudinis in clarorum hominum virtute constitutum esse videatur; & ipsi rursus homines clari, non solum ad opes suas muniendas, verumetiam ad gloriam, atque dignitatẽ comparandam auxilio multitudinis indigeant. Hac cum ita & natura, & legibus ad concordiã conglutinandam instituta sint; nullum tamẽ maius odium ex historiis accepimus exstitisse, neque quod maiores strages ederet Rerumpublicarũ, quam id, quod a plebe contra nobilitatem, & a nobilitate contra plebem sæpenumero susceptũ est. Quæ omnia cum animo mecum agitarem, in ea cogitatione versari cœpi, discordias fere omnes eorum flagitio, & improbitate, qui se principes in Republ. dici cupiunt, esse concitatas. Quamuis enim nihil sit amentius, nequemagis furiosum, atque turbulentum, quam corruptæ multitudinis studium; illa tamen ipsa vitia, quæ multitudo concipit, summis viris adscribenda sunt. Nam, cum omnes nobilium imitatores exsistant; nũquam plebs tantis flagitiis seipsam inquinasset, nisi fuisset ad immensam luxuriam, & infinitam cupiditatem exemplo nobilitatis incitata. Ita fit, vt ciuium libidines, quas amplissimi viri vel solo exemplo continentiæ frangere debuissent, vitæ turpitudine augeant, atque vehementer incendant. Vbi vero plebis animi flagitiis, atque nefariis cupiditatibus infecti fuerint, nullis legibus, nullius auctoritate, nullo supplicii metu, a furore, & audacia continebuntur; nec vlla ratione prohiberi poterunt, ne erumpant aliquando in totius Reipubl. perniciem. Omne itaque malum videtur a summis viris, tamquam a fonte, defluere: in quorum potestate situm erat, nascentem populi cupiditatem, & virtutis exemplo, & legum seueritate refrenare. Venit interim in mentem mihi admirari, quibus rebus adducti plerique mortales, tantum generis splendori tribuant, vt eum summis honoribus decorandum, & omnibus ornamentis afficiendum, esse putent. Nam aut nobilitas natura nihil habet amplum, aut magnificum, aut maxima pars istorum, qui vulgo nobiles appellantur, quorum animi tam multis morbis impediti sunt, longe, multumq. distant a vera illa germanæ nobilitatis ratione. Nec enim dubium est, quin, si nobilitatis studium exstaret in vera gloria comparanda, multi virtutem illius amarent, omnes auctoritatem non inuiti sequerentur. Nam nemo est, qui non virtutis admiratione commoueatur; & omnes existimant, communem salutem clarissimorum hominum virtute, atque prudentia cõtineri. Quapropter, non alienum arbitratus sum, ipsius nobilitatis vim, rationem, originem, & reliqua ornamẽta, quæ veræ nobilitati affixa esse videntur, indagare: vt, iis explicatis, quantum instrumenti habeat ad dignitatem, & quantum inter illam, atque simulationem nobilitatis intersit, statuere possimus. Cum autem hoc nomen multo latius pateat; hic tantum vsurpabitur a nobis, vt generis

Nobilitas despecta.

Plebeii qui

Nobilitas varia.

ris claritatem significat.

Nobilitas num in bonis sit.

PRIMVM omniũ illud in dubiũ vocari potest, sit ne nobilitas in bonis numeranda. Multa namq. adduci possũt, quibus fiat verisimile hãc generis celebritatẽ nec vllã dignitatẽ habere, nec vllo modo posse ad aliquod bonorũ genus reuocari. Quantũ enim ad naturã attinet, & humanę vitę cõdicionẽ, vix intelligere possumus, quem fructum ferat hæc nobilitatis admiratio. Simul enim, vt in hanc vitam fragilem & calamitosam ingredimur, ita legibus iisdem tenemur vniuersi, vt nemini detur libertas recusandi mala quam plurima, quibus hæc mortalis cõdicio afflicta est. Omnes viuendi principium a lacrymis, & acerbitate facimus, omnes infinitis miseriis, & anxietatibus implicati, in metu, atque dolore versamur, atque tandem variis casibus ad mortẽ imus. Tantum vero abest, vt ab iis pestibus tuta sit nobilitas, vt multo grauior sit eius condicio, & exitus multo acerbior. Siquidem, vt fumus semper summa petit; sic morbi, cædes, insidiæ, & reliqua vitæ mala eos potissimum persequuntur, qui sunt in altissimo gradu collocati. Sin autem animum ad corporis naturam conuertas, ne in illo quidem quidquam inesse comperies, quamobrem nobilitas sit plebeiis familiis anteponenda. Nec enim viribus est valentior, neque celeritate pedum velocior, neque valetudinis firmitate robustior. immo, quo delicatius viuit, eo corpus reddit infirmius, & maiora morborum cruciamenta pati cogitur. Quod si nec in fortuna, nec in corporis prestantia est id, quod hominum inter homines discrimen facit, & tamquam in classes distribuit; certe, in bonis animi est id, quod a principio ordines hominum varie distinxit, aut nusquam est. Nec enim aliud genus bonorum præter hæc tria inuenitur, ad quod hic nobilitatis splendor reuocari possit. Cum autẽ videamus aditum ad virtutem patere omnibus, & sæpe numero, qui claris natalibus orti sunt, ad turpissima flagitia delabi, & ignotos homines interdum ad virtutis laudem vehementius excitari; reliquum est, vt suspicemur, hanc, quã vulgo nobilitatem appellant, prorsus inanem esse, & a sola multitudinis opinione ineptissime constitutam. Hæc sunt, quæ possunt contra generis claritatem disputari.

Ortus hominum primus.

Comparatio a fumo.

Virtus omnibus concessa.

Attamen, cum videamus vniuersum genus hominum, quam diu est ab animi perturbatione liberum, mirifice consentiens ad honores amplissimos certis gentibus deferendos: id nõ temere euenire arbitramur. Siquidem omniũ gentium in re aliqua consensio, lex naturæ putanda est. Quod quidem vt melius perspici possit, ab ipsa natura exordium capiemus. Principio igitur in naturæ vim, & vniuersi condicionem intuenti nihil sane occurret, quod non vel cetera uincat dignitate, uel ab alio rerum genere superetur. Hoc enim in rebus omnibus incredibiliter natura fabricata est, ut cum omnes rerum formæ sint inter se dispares, atque dissimiles, tum in nullis insit eadem omnino uis, & potentia, sed alia aliorum impetu, & ui mouean tur, alia impellant, & moueant. Primum enim, si rem ipsam altius contẽplari uelis, cælumq. diligẽtissime suspicias; nihil in eo uidebis, quod uel in eodem loco reponi, uel eadem uenustatis laude censeri debeat. Sidera namque cernimus non tantum ordine, atque specie, uerum etiam uirtute & potentia inter se longe dissimilia: ita ut alia quidem quasi imperium exerceant, & reliquis afferant splendorem, & dignitatem, alia vero lucem a præstantioribus accipiant. Deinde videmus etiam ignem, omnium elementorũ facile principem, in summo loco collocatũ, cuius vi subiecta corpora concitantur: quorũ rursus eiusmodi ratio est, vt sit inter illa maxima virtutis & potentiæ dissimilitudo. Quid autẽ (vt ad hæc inferiora descendamus) de plantis, aut animantium genere dicamẽ? An in omnibus eadem facultas ineſt, atque naturæ bonitas? Et hoc discrimen non in iis dumtaxat cernere licet, quæ sunt dissimili specie, & ratione; sed in iis etiam, quæ eadem natura continentur, & forma. Nec enim omnes eiusdem generis arbores, vel eandem in specie venustatẽ habent, vel eundem vtilitatis fructũ: nec omnes equi pari pernicitate præditi sunt: nec omnes leones eodem virium robore muniti. Denique nullum genus animantium, atque adeo rerum est, in quo non exstare, & eminere quandam nobilitatis effigiẽ perspiciamus. Hæc autem naturalis excellentia in rebus sempiternis semper manet: in iis autem, quæ oriuntur & occidunt, virtute quadã seminis in sobolẽ ipsam infunditur. Quod summus ille poeta dicebat:

Fortes creantur fortibus, & bonis.
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus.

Ignis elementorum princeps.

Animantia nobilitatis effigies.

Ergo, cum hæc tanta vis naturæ sit, tantumq. iuris habeat, vt res mutas, belluas rationis expertes, reliqua denique omnia complectatur; quid tandem conuenit, eam in homine animantium reliquorum principe fingendo minus efficacem arbitrari? Quid? e quali arbore furculus defringatur, e quali genere sit canis susceptus, aut equus generatus, magni interesse putamus? Qualibus autem parentibus homo procreatus sit, nihil ad rem pertinere existimabimus? Certe, si id contentionis studio negare vellemus, res tamen ipsa nos aperte conuinceret. Perspicuum est enim, vniuersas ferme gentes iisdem studiis semper oblectatas, & iisdẽ moribus prẽditas fuisse. Quod sane facit iudicium, hanc naturę vim sic in singulis nationibus esse defixam, vt nulla condicione auelli queat, hominumq. mores ad posteritatem traduci. Cernis Gallorum nationem, vt amens iracundia, & furore in aciem feratur? eandemq. contra placabilem, & ad lenitatem in communi vita propensam? At semper hæc natura gentis fuit, vt facile susciperet inimicitias, & facile deponeret. Germani vero truculenti semper habiti sunt, & qui in-

Discrimen specierum.

Galli bellicosi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hispani industrii.

trepide mortem oppeterent. Hispanis vt olim, ita etiam nunc industriam ad res strenue gerendas omnes adscribunt, & ad certamen ineundũ alacritatem. Italis summum ingenium, & summam facundiam. Nulla denique natio est, quã natura non finxerit aliquibus vel vitiis, vel virtutibus insignem, quæ virtute seminis posteritati ingenerantur. Hoc autem multo clarius in certis familiis semper eluxit. Id enim ferme videmus euenire, vt ii, qui illustri loco nati sunt, eas virtutes studiose persequantur, in quibus sui maiores aliquã laudem cõsecuti sunt. Ita vt, qui hac sunt stirpe generati, sint manu prõpti, & insignibus pugnis clari: qui alii, liberales, atq. munifici: alii vero rerum ciuilium prudentia cumulati. Ex qua quidem re id efficitur, virtutem non tantum moribus, studio, & consuetudine; sed etiam natura, genere, & ingenio contineri. Id autem Nobilitatem esse dicimus, quod quidem nihil aliud est Nobilitas, quam virtutis præstantia in aliqua gente constituta. Nobilitatem igitur non opinione, sed natura contineri expositum arbitror. Quod sic est accipiendum, vt perinde, ac agri vberes, & frugiferi nõ per se, sed frugum exspectatione in summo pretio sunt: sic gentem aliquam præcipue amplectimur, quod vberem virtutis frugem sæpius ef fundat. Sed iam facillimum erit, ipsam rei vim, & naturam intueri. Est autem Nobilitas splendor generis, in quo frequenter magnæ virtutes enituerunt. Sed, quoniam non omnem virtutis speciem, amplitudinis, atque dignitatis gloria consequitur; hæc definitio uidetur amputanda. Nec enim ii, qui, sapientiæ studio dediti, cœtus hominum relinquunt, & otium persequuntur, possunt ea sapientia splendorem nobilitatis obtinere, quantumuis egregiis uirtutibus cumulati, & maximarum scientia rerum admirabiles exsistant: quod scilicet eas artes, quibus probe ornati sunt, non facile conferre queant in communis salutis studium. Nec enim ulla umquam familia generis amplissimi nomen adepta est, quod exstiterint in ea permulti ingenio singulari, qui, cum hominum celebritatem studiose vitarent, omnem operam in geometris, vel in physicis, vel in musicis contulerunt. Quæ tandem igitur ea virtus, quæ gentem clarã reddit, & splendidis titulis insignem? Ea nempe, quæ ad communem vtilitatem refertur: quæ desidiæ inimica totã se dat ad hominum cœtus colendos, & conseruandos, vt in rebus bellicis fortitudo: in domesticis institiæ, & æquitatis studium: adde etiam eloquentiæ magnitudinem, & iuris ciuilis scientiam, & reliqua eiusmodi, quæ ad ciuilem disciplinam pertinent, & in Republica dominãtur. Est igitur Nobilitas dignitas generis, in quo maximæ virtutes exstiterũt, vitæ communi salutares, & commodæ. Huius autem duæ species traduntur. Alia est enim ciuitatis vniuersæ, alia familiarum singularum. Sic nobiles Athenas dicimus, propterea quod viros permultos aluerint, qui consilio & sapientia Rempublicam regere, & cõseruare possent: qui singulari virtute animi hostes arcerent, imperijq. fines propagarent, & innumeris deniq. beneficiis patriam obstringerent. Hoc modo Spartam nobilem dicimus, hoc etiam Carthaginem, hoc postremo Romam, omnium ciuitatum, quę vmquam fuerunt, nobilissimam. Ea propemodum ratio in singulis etiam familiis considerari solet; vt ea egregie nobilis habeatur, quæ frequentia clarissimorum hominũ maxime illustrata est. Ita fit, vt eadem vis in vtroque genere insit, re tamen subiecta distinguatur. Ad istum enim modum Fabiorũ, Claudiorum, Corneliorum gentem illustrem, & claram fuisse accepimus. Harum autem partium duarum eiusmodi ratio est, vt, qui nõ fuerit nactus vtramque, vix sit nobilium in numerum adscribendus. Nec enim fieri potest, vt in obscura ciuitate familiæ illustres exsistant. Qui potuisset enim ea ciuitas in tenebris delitescere, si lumẽ aliquod diuinæ cuiusdã virtutis habuisset: iam enim nõ obscura, sed illustris haberetur; neque, si aliquis in ea exstiterit præstãti virtute ciuis, poterit facile sese ab illa caligine, qua patria vniuersa demersa est, in lucem, atque dignitatẽ vindicare. Primum igitur naturæ beneficiũ est, vt in clara patria natus, & educatus sis: deinde, vt claris parentibus ortus. Scitum est enim illud Themistoclis dictũ, Tymodemo Aphidnæo in iurgio obiicienti, quod non propria virtute, sed propter splendorem patriæ fuisset a Lacedęmoniis singularibus ornatus honoribus: Recte sane, inquit Themistocles. Nec enim ego, si Aphidnæus essem, tanta virtutis insignia fuissem consecutus; neque tu, si esses Athenien sis, clarus esse vmquam potuisses. Quod etiam ad hanc rationem transferri potest. Nec enim nobilis esse quisquã potest in ciuitate clara, ignotis parentibus ortus; nec in ignota clarus, quamuis genere sit, vt in illa ciuitate, præstantissimus. Iccirco ii nobiles in suis tantum sedibus, & a suis nuncupantur. Absoluta autem nobilitas numquam loco dimouetur: &, vbiuis gentium fuerit, semper altis defixa radicibus animis hæret; & eandem apud omnes nationes dignitatẽ habet. Quis enim vmquam Romanorum, cum Roma imperio, rerumq. gestarum gloria floreret, Ciliciæ, vel Bithyniæ principes magnopere admiratus est? Contra Barbari Romanos, quasi quædam numina, sæpe venerati sunt. Poterit igitur Nobilitas ad hunc etiam modum deduci: vt alia sit omni ex parte absoluta; alia vero domi tantum locum habeat. Hæc itaque in solo tantum patrio, & inter suos eminebit, magis opinione vulgi, quam veris dignitatis luminibus illustrata: illa vero, quæ & patriæ claritate, & virtute gentis exculta est, apud omnes homines splendorem retinebit. Hinc illa Theodectæ Helena, cum inter alienisimos versaretur, loqui tamen magnifice sibi concessum arbitrabatur: sic enim inquit:

Vtraque stirpe maximis ortam deis
Quisquam

Virtus quibus continetur.

Vere nobilis quis.

Nobilitatis definitio.

Natura beneficiũ principeps. Plut. in Th. & Cic. in Catone.

Absoluta nobilitas quæ.

Virtus nobilitans.

Nobilitas domestica.

Nobiles Athenę quid.

Quisquam putet vtilem, atq. seruam nuncupet?

Est hoc sane insitum perfectæ nobilitati, vt numquam in rebus turbulentis animo frangatur; nec vllo vitæ periculo dignitatis obliuiscatur: vsque adeo, vt nulla res magis indicet generis claritatem, quam animi magnitudo, quæ cernitur in laboribus, & periculis. Quod sapienter a Virgilio existimatum est, apud quem Dido sic Aeneam singulari laude celebrat:

Virg. Aeneid. 4. Aeneas ex genere deorum.

Credo equidẽ, nec vana fides, genus esse Deorũ.

Operæ pretium est videre, quid illi venit in mentẽ, Aeneam sanguine, & affinitate Diis coniunctũ existimare. Vide quam rationẽ assignat:

Virg. ibidẽ.

Degeneres (inquit) *animos timor arguit.* ——

Nihil potuit verius ab illa confirmari. Vt enim generis celebritas in aduersis rebus constantiæ, atque virtutis laude perspicitur; sic gentis humilitas, timiditate, & turpitudine seipsam prodit. Tum demum hac oratione laudes Aeneæ concludit: —— *Heu quibus ille*

Virg. ibidẽ.

Iactatus fatis, quæ bella exhausta canebat?

Incredibile videbatur, ut, qui tantas bellorũ tempestates inuicto animo pertulisset, humili generi affinis esset, quod quidem antea ostenderat, formidine, & animi imbecillitate demonstrari. Cum igitur (ut, unde sumus digressi, redeamus) duplex sit Nobilitas, altera quidẽ perfecta, & absoluta, quæ tum patriæ, tum generis claritate cõmendata est, & ubique retinet eandem dignitatem, nec ab animi magnitudine umquam deseritur; altera uero, quæ domi tantum susciptur, qualis est earum gentium, apud quas iacent maximarum uirtutum studia; nos illius prioris ornamenta persequemur. Atque, ut illius ortum a fonte repetamus, de illius origine alio sumpto principio disseremus.

Nobilitas duplex.

IV. Natura hominũ quæ.

NATVRA in animis hominum fingendis, summã coniunctionis rationẽ habuisse videtur. non in eo solum, quod homines iisdem muneribus mentis & cogitationis ornatos, & generis similitudine cognationeque inter se deuinctos, sic instruxit ad eandem vitæ rationem, vt nullum animal magis sociabile reperiri possit; sed in hoc etiã, quod, dum eorum ingenia varie distinxit, id effecit, vt homines ad societatem natos, incredibili etiam necessitate colligaret.

Artes innumeræ.

Cum enim artes innumerabiles exsistãt, ad cõmunis vitæ cultum & incolumitatem maxime necessariæ; neque possit vnus homo omnibus illis inseruire: id fuit a natura diuinitus excogitatum, vt alios aliis artibus instrueret, aliisq. muneribus præficeret: ita vt, dum quisque præstitisset operam suam, & in commune contulisset, ipse vicissim propriam indigentiam, quam suis non potuisset, alienis opibus sustentaret. Nec enim omnes Hippiæ Elei similes esse possunt, quem gloriari solitum accepimus, nihil esse vlla in arte rerum omnium, quod ipse nesciret; neque solum eas artes tenere, quibus ingenuæ doctrinæ & sapientiæ studia continentur, sed eas etiam, quæ in sordida & illiberali ratione versantur, ita vt anulum, quem habebat, palium, quo amictus incedebat, soccos, quibus indutus erat, se sua manu confecisse diceret. Nõ est, inquã, facile cuiuis, tantum ingenio præstare, vt tam multa munera solus sustinere possit: ipsumq. Hippiam opinor haud satis commode tã dissimilia inter se studia exercere potuisse; qui præterquã quod indecenter liberales & ingenuas disciplinas, cum sordidis & humilibus coniunxit, non omnes artes enumerauit, quarum præsidio vita confirmatur. Nec enim (vt alia omittam) fecit vllam mentionem disciplinæ militaris, in cuius tutela reliquæ omnes acquiescunt. Rei autem militaris studium nulla ratione poterit ab vno Hippia, præsertim tam multis negotiis implicato, strenue nauari. Est igitur necesse, vt alii quidẽ principes sint & rectores, qui sapientia & æquitate omnium saluti prospiciant; alii autem vel arma tractent, vel eas artes persequantur, quibus in rebus magnis Reipublicæ vsui esse possint; alii postremo sedulo terrã colant, aut fabrili artificio aliquid conficiant eorum, quæ ad communem vitã cultum ue pertinent. Cum igitur in humana societate sint omnino oporteat homines & ordine & vitæ studio dispares atque dissimiles; id prouidens egit natura, vt ingenia essent etiam omnino dissimilia. Sic factum est, vt quibusdã diuinam mentis aciem, & excelsum animum singulari sapientia & industria præditum elargita sit, quo, quid vniuersitati expediret, & videre prudenter, & perficere constanter possent. Hanc autem ingenii atque sedulitatis præstantiam, aurum diuinum appellat Socrates in Phædro. Cuius auri copia circumfluentes animos, deorum quasi agnatione teneri, & ad regnandum maxime natos esse putat. Hos itaque collocauit in summo gradu dignitatis ipsa rerum parens natura. Alios autem non tanta virtute excellentes effecit, alacritate tamen, & inuicto animi robore firmauit, vt possent imperata strenue perficere, in maximisq. rebus, legibus obtemperando, patriã iuuare. quosdã postremo humilitate animi depressos ad sordidas & infimas artes abiecit, quales sunt ii, quos opifices & operarios appellamus. Sic enim diuino consilio effectum est, vt quisque ceteris auxiliũ fert, & vicissim aliorum artibus atque facultatibus seipsum tuetur, ius illud humanæ societatis sanctum permaneat. Hoc autem ingeniorum discrimen, iam inde ab eo tempore perspectum est, quo genus humanum erat adhuc in montibus, atque siluis dissipatum, cum nullis esset ciuilibus institutis, aut domesticis moribus excultum. Excelluit enim maxime tunc vnus, aut alter eorum, quos natura finxerat ingenio, & prudentia præstantes, qui dispersam illã multitudinem vnum in locum congregauit, & ex immani agrestiq. vita, ad humanitatem, & honestos mores excoluit. Id quod homines doctissimi fictis fabulis memoriæ prodiderunt, Orphei cantu siluas, ferasq. omnes vnum in locũ confluxisse, voluptate illa eximia commotas.

Studiummilitare.

Excellẽtes qui sint.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Amphion Musæus.

Sic enim traditur Amphion cantus suauitate lapides impulisse quo vellet, vnde vellet deduxisse: quo significatur, homines illos agrestes, atque feros, qui vel ingenii stupore, uel immanitate morum, lapidum, atque ferarum instar haberent, paucorũ ingenio fuisse moribus humanis, & ciuilibus institutos. Hoc opere Theseus, qui primus Athenienses per pagos dispersos in unum locum compulit, & legibus, ac institutis deuinxit, est immortalem gloriam consecutus. Vt nihil interim dicam de illis, qui Theseo longe uetustiores exstiterunt, a quibus ciuitates fuerunt initio conditæ, & constitutę. Inde igitur cœperunt homines intelligere, quantum generosus animus, & excelsus, humilibus anteiret.

Virtutis admiratio.

Tantaq. exstitit uirtutis admiratio, ut, quãdiu in uita manebant ii, a quibus beneficium illud acceperant, omnem illis sui regendi potestatẽ traderent: mortuos uero diuinis honoribus afficerent; eorumq. liberos omni caritate ample ẽndos statuerent. Primum mouebat homines recens memoria principum, a quibus tam multis fuerant obstricti beneficiis, eorumq. posteritati gratiam referendam esse putabant. Deinde, ubi experientia didicerunt, inesse in liberis paternam effigiem, non tantum corporis lineamentis, quantum animi indole euidenter expressam; iam non solum parentum memoria, sed etiam indolis admiratione prouocati, gentem illam præcipue coluerunt, eiq. Reipublicæ gubernacula libẽtissime tradiderunt. Si igitur tempus quæris, a quo primum tempore Nobilitas esse in honore cœperit, scito, cum primum hominum cœtus iure societatis exstiterunt, Nobilitatem suspici cœpisse, idq. duplici ratione fuisse consecutos homines summo loco natos. Primo parentum meritis: deinde magna virtutis exspectatione. Fuit enim priscis illis hominibus maxime persuasum, virtutẽ paternam in posteritate infundi, morumq. præstantiam esse claræ gentis indicem: quod est ab Euripide sapientissime dictum:

Opinio vetũ falsa.

Egregia dignitatis indoles, nota
Insignis est nobis generis amplissimi.

V. HAEC autem opinio tantum valuit apud antiquos, ut, qui maximo loco natus esset, eundem continuo sperarent maximis fore virtutibus exornatum. Quod si cuiusquã virtus adeo esset admirabilis, vt extra communem hominũ sortem posita, & collocata videretur; is humana cuncta despiciens, seque longe inferiora reputans, originem suam ad deos auctores referebat. Hoc autem ut posset multitudini persuaderi, non tantum imperitia, atque superstitio, quibus illa rudis antiquitas obligata erat, quãtum virtutis admiratio faciebat. Fiebat enim illis verisimile, diuino semine susceptum esse, quem cernerent diuinis virtutibus esse cumulatum. Hinc illi prisci Heroes exstiterunt, quibus Homeri Ilias referta est: inter quos nemo erat, qui non Deorum aliquem in suis gentilibus numeraret. Vt Hector ille, quovno, dũ viueret, res Troianæ nitebantur, de quo Neptunus ita Græcos alloquitur:

Homeri Ilias describit Heroes.

Hac timeo pestem ne Graijs inferat hostis.
Nãq. furẽs animis, flãmaq; simillimus Hector,
Qui Ioue se natũ fert, hac nunc agmina ducit.

Ipseq. Priamus eximiis cõfectus angoribus, cũ in tenebris, & luctu ob Hectoris mortem versaretur, eius virtutem incredibilem laudibus in cælum efferens, illum, inquit, eam opinionem cunctis ciuibus Troianis attulisse, vt virum tã singulari virtute prẽditum, non humano sanguine ortum, sed diuino semine procreatum existimarent. Quid autem hic referam illas Heroũ contentiones, quibus & sui generis celebritatẽ ostentabant, & eo nomine se cunctis aliis præponebant? Quale est illud Achillis in Asteropæum Axij fluminis nepotem:

Sic morere, Asteropæe, graue est & flumine natis,
Progeniem Iouis in bello contendere contra:
Sis licet ipse satus tam lato flumine; nobis
Cede tamen, quãdo est nostrũ genus a Ioue summo.
Me genuit Peleus: illi est pater Æacus ingens,
Quem genuit quondam summi regnator Olympi.

Exemplorũ enumeratio.

Quid illud? quod in medio armorum discrimine Tlepolemus Lycium Sarpedonem conuiciis insectatur, quod falso Iouem patrem nominaret? Quam vanitatis maculam Sarpedon ille non tantum dictis, quantum factis deleuit. Tlepolemo viro fortissimo, & Herculis filio vitam eripuit. Nec enim ulla re magis potuisset egregii generis celebritatem tueri, quam illo virtutis egregiæ documẽto. Sed dicet aliquis, quor sum attinet, tam multiplices Deorum partes enumerare, & reliqua Poetarum deliramenta sermoni admiscere, qui fuit veritatis inquirendæ gratia susceptus? An est quidquam apud Homerum, vt alios omittamus, quin risus ingentes moueat? Apud quem & gemitus Deorum exaudiuntur, & turbæ in cælis nefariæ commouentur, & vulnera, si diis placet, vel potius vt reor, inuitis ipsis diis sæpe infliguntur. Quid igitur conuenit, eam rationem, quæ ad Philosophorum mortem instituta est, his Poetarũ mendaciis inquinari? Hęc, inquam, mihi aliquis obiiciet. Cui sermoni imperito vt respondeã, velim dari mihi veniam, si tantisper a proposito digrediar, dum de studiis humanitatis breuissime disputẽ. Hoc autem eo facio libentius, quod Homeri testimonio mihi sæpius vtendũ puto. Equidem is sum, qui Poetas omnes vera scripsisse credam. Homerũ autem arbitrer omnium Poetarum fuisse veritatis amantissimum. Hoc certe uiri Græcorum grauissimi statuerunt, cũ duos Homeri versiculos secuti, litem secundũ Athenienses dederunt, cum fuisset de Salaminis possessione inter Athenienses, & Megarenses ingens controuersia constituta. Id arbitrati sunt doctissimi viri, qui tã crebro auctoritatis Homericę præsidio scripta sua munierũt, viri in omni genere laudis præstantissimi. Nec enim, quod istos homines minime malos fefellit, eadẽ veritas exigitur et a Poeta, & ab historico. In

Historici & Poetæ in quo dissideant.

historia nãq. res tantũ gestę describũtur, vt hominũ memorię cõmendẽtur. A Poetis autẽ, quibus est aliud propositum, multa etiam ad honestam aurium voluptatem referuntur. Iccirco in historia prẽcipua virtus est, vera simplexque rerum gestarum expositio, locis, personis, temporibusq. distincta. Poetarum autem oratio, vt numeris est adstrictior, ita in rerum expositione liberior. Alia tamen illis est veritas requirẽda, in qua si quid est offensum, nõ solum omnes eruditi, sed theatra tota reclamant. Est autem Poetarum munus, hominum mores, fortunæ lubria, & communis vitæ condicionem, quasi quodam penicillo, versibus vere, & eleganter imitari: quid in uita sit illustre, quid obscurum, quid honestum, & graue, quid turpe, & flagitiosum, quid expetendum, quidue fugiendum, sententiarum lineis, & orationis coloribus depingere, & illustrare. Qui munus istud susceperit, & susceptum ita præstiterit, vt ad naturæ similitudinem proxime accedat; hunc non mendacio condemnari, sed verum dici, & haberi, est valde consentaneum. Quis autem est tam sine mẽte, vt, cum legat Vlyssis errores, uarios casus, et ancipites, naufragia sexcenta, addee Charybdis immensam illam voraginem, & rabiem Scylleam, Antiphatem præterea, & Polyphemum, quis, inquam, est adeo excors, vt, cum ista legat, arbitretur, ea sic ab Homero in scriptis relicta, quasi id fieri potuisse defenderet? Illud tamen diuinum ingenium docti omnes admirantur, a quo tam veræ virtutis vis, & ratio expressa est, quæ nullis vmquam fluctibus obrui, nullis blandimentis potuerit ab instituto cursu reuocari, nullis periculis animo frangi, aut debilitari potuerit. Sic in Achille virtutis militaris effigiem intuentur: in Nestore autem uiuum sapientiæ simulacrum. Hæc autem non subtili, & spinosa oratione persecutus est, quæ legentibus satietatem attulisset, quod est a Philosophis factitatum; sed incredibili potius, atque diuina dicẽdi venustate, quo facilius homines ad studium uirtutis alliceret. Quis igitur Homerum mendacii insimulare poterit, cum tam vere, cumulateque præstiterit eam fidem, quæ erat ab illo requirẽda? Cum igitur illius testimonio vtimur, id facere videmur, vt hominis diuina mentis acie cuncta perspicientis auctoritatem sequamur. Non quidem vt res omnino sic gestas esse, perinde ac ab alio scriptæ sunt, arbitremur, sed eos propemodum fuisse hominum mores, ea gẽtium instituta, eam rerum vim, & naturam, & reliqua deniq. omnia, quemadmodum sunt illius monumẽtis illustrata. Sic igitur (vt me iam ad nobilitatis rationẽ referã) cum Achillẽ Thetide procreatum, Aurora Memnonẽ, Ioue Sarpedona scribit; id illum sic arbitratum fuisse, & eadem opinione vniuersos illius ætatis homines imbutos esse credimus, vt viros maximos non nisi diuino consilio ortos, atq. adeo semine diuino susceptos existimarent. Hæc autem opinio effecit, vt Theseus Neptuni filius haberetur Romulus, item Martis. Alexander autem Magnus se multis post ætatibus Iouis filiũ dici concupiuit; quod etiam de Scipione Africano existimatũ est. Fuit enim de illo viro rumore quodam vanissimo dissipatum, quod prius in Alexandro Magno vulgatum fuerat: nempe anguẽ immanẽ persæpe visum in matris cubiculo, eũque hominum interuentu repente ex omnium oculis elapsum, neq. postea vsquam comparuisse. Inde consecuta est opinio eiusmodi, anguis illius concubitu Scipionis matrem grauidã esse factam. Impudens, inquies, mendacium. Quis quæso est tam ignarus omnium disciplinarum, aut Christianę pietatis expers, vt ista vera esse animum inducat? Verum istud mendacium ab ea opinione minime falsa natum est, quæ magnam virtutẽ & excelsam, magnis, & claris natalibus asignat.

Poetarum munus.

Scipionis mater grauida.

VI. HINC iam facile potest perspici, quanto in honore fuerit apud priscos illos homines in clytum genus, & excellens. Et merito quidem. Nã si quid in illa ætate exstitit præclare gestũ, dignũq. memoria sempiterna, plurimũ ab hoc ordine gestũ est, quod satis est manifestũ ex vetera scripta memoria repetenti. Quis nescit Heraclidarũ gentẽ ita magnitudine animi præstitisse, vt Pelopidarũ potentiã copiis exiguis fregerit, & rebus Atticis in vltimũ discrimen adductis sæpe lucẽ attulerit? Tantumq. valuit opinio Nobilitatis, vt, qui se viderent ab illis aditos, non humanis opibus, sed Deorũ numine se conseruatos existimarent. Quid hic Perseidas referã? Quid Aeacidarũ res immortalitate dignissimas? Iã, te si Athenas animo conuerteris, vt res memorabiles videas, quæ ab illa ciuitate gestæ sunt; omnes maxima ex parte videbis, a viris maximo genere ortis & maiorũ gloria concitatis editas esse. Vt enim Reges prætream, quos singulari virtute fuisse constat, certe Clisthenes, qui tyrannidis delendæ princeps exstitit, Miltiades, Cimõ, Aristides, Pericles, & multi prætereа, quos infinitũ esset recensere, a quibus tam multa sunt suscepta facinora, tum contra Barbaros, tum etiã aduersum Græcos, omnes isti ferme in amplissima familia nati sunt. Idem etiam apud Thebanos, Spartiatas, & innumerabiles alias nationes accidisse cõperies. Sed linquamus hæc aliena, & ad nostra veniamus. Si animum ad sacras litteras adieceris, quantum ibi nobilitatis testimonium, & discrimen generis inspicies? Vt enim reliquos omittamus, constat eos, qui a Iuda procreati erant, inter omnes Hebręi generis homines, splendore virtutis, atq. nobilitatis excelluisse. Qui quidẽ, iã inde ab eo tempore, quo fuerũt ab Aegyptiorũ impotẽti dominatu in libertate vindicati, magnã multis in locis virtutis egregię signiũ cationẽ dederũt. E quibus admodũ pauca referã. Cũ rex Aegypti multis iniuriis Hebręos laceraret, nec illos ulla condicione missos facere uellet, ut erat a Deo iussus: immo quotidie magis gentẽ affligeret; tandẽ meritas impietatis

Heraclidarum gens.

Clisthenes tyrannidis delẽdę princeps.

Rex Aegypti Hebræos iniuria prosequitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Debellatonis processus, & ordo.

pœnas persoluit; apparuitq. Dei optimi maximi numẽ. Primũ igitur agri deuastati, omnesq. fruges teterrima clade cõsumptę; deinde per diuinę seueritatis ministros cędes fieri cœptę sũt, & innumerę strages editæ; postremo Rex, tantis malis edoctus, vt videbatur, gentem, vt iret sacrificatũ, dimisit. Hebræi igitur, inde digressi, cum castra ad Rubrum mare posuissent; inopinatum malum sibi intendi animaduertunt. Nã, cum primum illi Aegypti finibus excessere; pæ nituit Regem consilii, quo fecerat illis abeundi potestatem. Cumque, insita animo superbia, in instituta animi impietate permaneret; eos, quos tam multis prodigiis cælesti præsidio sæptos esse cognouerat, bello persequendos esse statuit. Furore namque sceleris agitatus, haud potuit videre malam sibi pestem esse comparatam. Magnum igitur equitatũ, magnum peditum parat: quantas maximas potest copias educit: incredibili celeritate Hebręorũ agmina cõsequitur. Ibi Moses cum Dei pacẽ exposceret, & opẽ tantis malis imploraret; virga illa, quæ diuinę uirtutis significationem habebat, & quã semper in manu gestabat, fretum verberat, & in medio mari uiam aperit. Aqua enim imperio Dei obediens, sic ex vtraque parte instar muri constitit; vt, medio interiecto spatio, securum, & facilem transitum præberet. Tantus autem terror (vt quibusdam Iudęorum scriptis memoriæ traditum est) (in sacris enim literis nulla fit de hac re mentio) Hebræos oppressit, vt neque tam præsenti Dei ope ostensa, se committere aquis auderent. Asserunt autẽ, tunc eorum, qui a Iuda orti erant, valde uirtutem enituisse; nec vllam moram interposuisse, quin Mosis vestigia animo magno ingressi, reliquos omnes ad sequendum excitarent. Quid autem post illam insignem cladem, qua Rex impius, dum acerbissimo imbutus odio, nefarioq. scelere occæcatus, in medium mare præceps ruit, cum vniuerso exercitu deletus est; num quid non in omni genere laudis hæc gens egregie præter ceteras versata est? Inde constitutum fuit, vt inter duodecim Principes (singuli enim a singulis tribubus rectores deligebantur) primus haberetur, qui esset ex Iudę stirpe generatus: hic primus agmen ducebat: primus vota faciebat: primus immolabat: huius imperium, & auctoritatem reliqui sequebantur. Vnde plane colligitur, Mosem verę nobilitatis rationem duxisse, cum sic statuit, vt certę genti honores amplissimi mandarentur.

Moses edit miracula.

Iudæi virtutis studiosi.

Calebi ortus.

Ab hac familia ortus est Calebus, qui sibi primo gloriam ingentem peperit, cum orationi turpissimæ aduersatus est eorum, qui de reditu in Aegyptum cogitabant, satiusq. esse dicebant Aegyptiorum contumelias, atque superbum dominatum pati, quam vitam in armorũ discrimen adducere. Hic Calebus suę virtutis, atque constantię lumen ostendit, magnis clamoribus id agens, vt hominum spem eo genere orationis fractam, & debilitata excitaret, eos que ad prœlium incenderet. Vbi parũ abfuit, quin ab impia, & formidolosa concione fuisset indignissimo cruciatu laceratus. Hic etiã sub Iosue, cum esset natus annos octuaginta quinque, ita se gessit, vt nemo fuerit illo vel manu prõptior, vel imperatoriis artibus instructior. Qui ne filiam quidem forma excellentẽ nuptui dare voluit, nisi ei, qui facinus aliquod egregiũ suscepisset. Negauit emim se filiam vlla condicione desponsurum, nisi illi, qui ciuitatem quandam hostium munitissimam pugnando cepisset: & cepit eam filius fratris ipsius Calebi. Vnde perspicuum est, virtutem cum vera nobilitate plerumq. consociatam esse. Generum vir ille maximus non genere, sed virtute præstantẽ sibi deligendum prudenter existimauit. Nam gentis nomen, & dignitas non aliunde, quam a virtutis laude, profecta est. Id tamen euenit, ut uirtutis splendor a gentis claritate non discederet: nec alius propius accederet ad uirtutem Calebi, quam is, qui communione sanguinis erat illi coniunctissimus. Quid post mortem Iosuæ? Non fuit Dei optimi maximi iussu omnis cura belli, & gentis imperium Iudaicę tribui delegatum? Aetas me deficeret, si uellem omnes huius stirpis uiros egregios recẽsere. Quod si uera est ea descriptio nobilitatis a nobis explicata; minime dubium est, quin fuerit ea gẽs perfectam rationem nobilitatis assecuta. Inde enim belli duces innumerabiles exstiterũt; inde uiri singulari sapientia, & æquitatis laude præditi exorti sunt: inde permulti reges regio nomine longe dignissimi; atque, vt de reliquis silẽã, sanctissimus, & fortissimus Dauid Rex inde natus fuit, vnicum pietatis, atq. virtutis exẽplum. Denique, propter virtutis excellentiam, mansit in ista familia regnum, quam diu res Iudæorum steterunt. Vt autem ista prisca mittamus, certe constat, in sanctissimis illis monumẽtis, quibus Christi optimi maximi gesta consignata sunt, aliquam duci etiam nobilitatis rationem: cum in congressu alicuius sit istius celebritatis mentio, quasi ad ornamentum eius, cum quo sermo suscipitur, pertinere videatur. Veluti cum cælestis ille nuntius inquit, Ioseph fili Dauidis, noli timere: & rursus illud, Iesu fili Dauidis, miserere nostri; item Paullus ad Romanos, cum vtriusque naturæ splendorem, & dignitatem in Christo celebraret, eum secundũ condicionem humani generis atq. seminis, a Dauide Rege procreatum esse commemorat. Pauciſsima ex infinitis decerpsi, dum breuitati studeo. Ex iis tamen paucis liquido perspici potest, hanc generis claritatẽ, & hoc gentis discrimen, diuinis etiam scriptis comprobari.

Calebi dux Iosue.

Gentis dignitas ex virtute.

Belli duces nobiles.

VII. Vis & nobilitatis origo.

IAM, quantum fuit in nobis, vim, & originem Nobilitatis explicauimus, eius ortum ab illa naturali indole repetentes maximis animis innata; quæ quidem si excitetur, & temporis etiam vetustate confirmetur, perficit illum vniuersi generis splendorem, & claritatẽ. Mirũ est enim, vt de hoc etiã aliquid dicamus, quantum

tum dignitatis adiungat etiã nobilitati, temporis antiquitas; nẽpe, quæ rebus omnibus homiñ memoriæ cõmendatis, maiestatẽ constituat incredibilẽ. Fiunt enim quodãmodo, ea, quæ a præsẽti memoria semota sunt, ipsa vetustate sanctiora: ita, vt maius quiddã de illis suspicemur, quã quantũ nostræ ætatis homines, omni studio possint imitari. Hinc exstitit illa scriptorũ monumentis celebrata contentio, inter varias gentes, atq. nationes concitata: dũ aliæ se ante omnes mortales in lucem editas esse contenderẽt, aliæ rursus eam antiquitatis gloriam ad se traducere niterentur. Aegyptii solis Phrygibus antiquitatis laudem ingenue cõcedebant; aliorum autem hominum se longe vetustissimos esse iactabant. Arcades autem ad fabulas vsq. progressi sunt, se ante Lunam natos esse confirmantes. Quid de Athenięnsibus dicam? Qui quidem tãtum sibi hac vetustatis laude tribuebant, vt vel eo solum nomine se in Græcia principatum obtinere putarent. Nam, cum aliorũ Græcorum primordia, vel litterarum beneficio, vel monumentis aliquot fuissent memoriæ mandata; solũ Athenięnse nomen exstitit, cuius principium, & origo, nullis vestigiis indagari potuisset. Inde, cum seipsos omni memoria antiquiores esse cernerent, in eam opinionem descenderunt, vt se nõ aliunde dilapsos, sed ex Attica terra principio genitos; nec ex varia hominum colluuione, vnum in locum confluxisse; sed eandem semper regionem coluisse putarẽt. Ob idq. reticulo quodam aureis cicadis distincto caput ornabant: vt ostenderent, se, instar cicadarum, e terra, quam incolerent, fuisse generatos. Vnde etiam αὐτόχθονες dicti sunt. Duplici itaq. nomine sibi placebant: tum, quod nihil in maioribus suis vel barbarum, vel peregrinum agnoscerent; tum etiam, quod antiquitate reliquis Græciæ gentibus anteirent. Hoc in familiis etiam magnam vim habere cernimus, vt in contentione nobilitatis magni interesse videatur, vtra sit antiquior. Videtur enim rationi cõsentaneum, vt illæ maxime illustres habeantur, quæ plurimis annis ita se gesserunt, vt decoris, atq. dignitatis possessionem virtute perpetua tuerentur. Inde fit, vt generis nouitatem contẽni plerumq. videamus. Fit hoc quidem a multis insolenti quodam fastidio, atq. superbia nõ ferenda: non tamen omnino sine ratione fit. Nouitas enim, quantumuis sit omnibus rebus ornata, non habet tamen illam ætatis caniciem, cui præcipuum honorem tribuendum putant. Perinde enim ac in singulis hominibus habet auctoritatem senectus; sic in nobilitate, claræ gentis antiquitas. In qua tamen opinione sunt aliqui fines, & termini constituendi. Quemadmodum enim summa senectus mentis vim, atque consilium debilitat, & affert interitum dignitatis; sic etiam nobilitatis splendor augetur mediocri vetustate; extrema vero senecta conficitur. Quod quidem vt accidere soleat, inferius explanabimus: nunc uero quod instat persequamur.

Atheniẽses vetustatis cupidi.

Superbia Athenienſium.

Cõparatio a mentis senio.

IIX.

CVM iam multa, & præclara nobilitatis ornamenta complexi oratione simus, illud nunc consideratione dignum videtur, sit ne plebi cõmodum, nobilitatis imperio gubernari. Iniquũ enim multis esse videtur, cum omnes homines ad libertatem nati sint, hanc ita abiicere, vt nõ suo arbitrio viuant, sed aliorum auctoritatem, & nutum sequantur: præsertim, cum permultos eorum, quos vulgo nobiles appellant, nimis insolenter honoribus vsos, & dominandi cupiditate præcipites ad omne facinus vehementer incitatos esse videamus. Vt autem id melius explicari valeat; videndum est, non tam quid singulis hominibus presentem afferat utilitatem, quam quid ad uniuersitatem conseruandam, & in longum tempus propagandam sit accommodatius. Id enim, quod ciuitatis vniuersæ saluti constituet, & plebis etiam fortunas & cõmoda tuebitur. Nec enim, vbi uniuersus Reipublicæ status corruat, potest sanitas in aliqua Reipublicæ parte permanere. Sin autem aliquis incolumi Rep. fuerit vehementer oppressus; poterit certe multo facilius, quam in communi omnium rerum pernicie, in pristinas fortunas restitui. Vt autem id apertius inspiciamus; par est in exempla earum ciuitatum intueri, quæ omnium ferme opinione præstantissimę sunt existimatæ. Athenæ post Codri Regis mortem fuerunt optimis legibus, atque moribus, a Solone constitutæ: qui tamen in hoc a multis excellentibus ingẽnio, atque doctrina viris reprehenditur, quod popularem Reip. statum instituerit, & libertatẽ plus nimio parem effecerit. Itaq. status ille propriam imbecillitatem indicauit: cum intra finem anni quadragesimi, plebis temeritate conuulsus Pisistrati tyrannidem perpessus est. Postquam uero, sublatis tyrannis, ciuitas in pristinã libertatem rediit; aliquot annos in Græcia, & magna Asię parte, rerũ potita est. Quod tamen imperium non ita diu tueri potuit, ambitione quorundã, qui se populares esse, & haberi cupiebant: inter quos enumeratur Pericles. Qui quidem licet fuerit in dicendo admirabilis, & imperatoriis artibus instructissimus; non vidit tamen, quantum mali patriæ moliretur, cum plebem principibus æquaret; & hoc modo miscendo infima summis, auctoritatem Areopagi imminueret. Nec enim est aliud, vulgus, & multitudinem principibus libertate pares efficere, quam effrenatæ cupiditati ad perniciem arma largiri. Vide autem, qui casus sint illam ciuitatem consecuti, postea quam ad arbitrium, libidinemq. plebis omnia administrari cœpere. Primo quidẽ, omnibus spectatis hominibus, qui Rempublicam conseruarant, & auxerant, pestis, & exitium per obscuros, & flagitiosos homines afferebatur. Nec enim fuit vmquam Athenis, post illam Reip. formam, vir aliquis ad laudem insignis, qui non inuidia tandem ingratæ patriæ conflagraret. Multi bonis omnibus euersi sunt, multi in exsilium electi, multi etiam morte multatiquorũ virtute fue-

Status Reipub. qualis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

te fuerat Athenienſi populo ſalus,& gloria quæſita. Hoc iam certe non mediocre malum eſt exiſtimandum, nudare videlicet vrbem optimorum præſidiis, & nobilium induſtriam, qui ſuorum exemplo ad patriam iuuandam inflammati fortaſſe erant,infringere. Ergo,cum bonorum auctoritas concidiſſet; & populi vis nunquam conſilio & ratione,ſed impetu ſemper,& dementiſſima temeritate duceretur;nullum tãtum malum excogitari potuit, quod non fuerit in illius Reip. calamitate. Nam, cum Athenæ maximo, periculoſiſſimoque bello fuiſſent implicatæ,omnisque Græcia in ciuitatis illius perniciem conſpiraſſet;populi cupiditate, atq; furore factum eſt,vt eodem tempore aliud bellum non minus graue contra Siciliam ſuſciperent, Nicia contradicente,& omnibus bonis reclamantibus.Merito igitur in illa luctuoſiſſima Syracuſarũ oppugnatio Syracuſarum oppugnatione, non modo imperii,ſed etiam fortunarum omnium naufragiũ fecerunt,& in grauiſſimos, atque acerbiſſimos luctus inciderunt;atque tandẽ domeſticis ſeditionibus agitatę,& innumeris cladibus affligę, libertatem miſere perdiderunt.Poſtquam vero triginta tyranni Reipubl. dominatione ſemoti ſunt: quid aliud collectas Reipubl.reliquias diſſipauit, niſi plebis cupiditas, & licentia? quæ nullis iam legibus poterat ad communium rerum curam,& ſtudiũ impelli.Immo,cum vnicuique ciuium licuiſſet de publico ſumere, quod in priuatos vſus conuerteret;omnes ab induſtria ad deſidiam vocati,& ad theatra, atque fabulas conuerſi,& reliquas voluptates, quæ virtutis neruos incidunt,omnem Attici decoris,& antiquæ dignitatis memoriam depoſuerunt. Itaque non multis poſt annis,gens illa, quæ innumerabiles Perſarum exercitus ſuderat, quæ tantas res geſſerat,quæ Græciæ imperio potita fuerat, armis Macedonum, quorũ nomen ſane obſcurum ad id tempus exſtiterat,oppreſſa eſt, omneſq. imperii opes de manibus elapſæ ſunt. Huius autem calamitatis principiũ non aliunde natum eſt,quam ab illa plebis petulantia, & improbitate. Apud Spartiatas autem, vt de his etiã aliquid dicamus, Reges, & Principes multa memorabilia,tum domeſticis in rebus, tum vel maxime in bellicis effecerunt, & Reipubl. ſalutaria,& immortalitate digniſsima. Ephori autem, qui quidem magiſtratus erat e plebe, contra, dum omnia priuata vtilitate metiuntur,mala quam plurima ciuibus ſuis inuexerũt, & terrimam patriæ perniciem machinati ſunt.Nec eſt enim aliud,leges, quibus publica certe ſalus continetur,labefactare, & infringere, quam uniuerſam Rempublicam iugulare. Cum autem Lycurgus uniuerſos ciues ad induſtriam,uirtutem,& morum ſeueritatem ſanctiſſimis legibus inſtruxiſſet,Ephori multis poſt annis quæſtus & uoluptatis gratia, quæ duæ ſunt maximæ omnium rerum publicarum peſtes,inclytas illas leges ſuſtulerunt. Quo facto,Sparta illa uirtus ſubito exſtincta eſt. Cum uero reges aliqui uoluiſſent Lycurgi leges cõſtituere, ciuiumque mores in antiquam diſciplinam reuocare;fuerunt ab Ephoris indigniſſime trucidati. Ita factum eſt,ut ciuitas illa, quæ Heraclidarum ductu, & auſpicio, optimatiumq. ſapientia, tam multos annos imperiũ habuerat, & incredibili uirtute,atque fide Græcię libertatem defenderat,inſanæ plebis opera crudeli tyrannorum dominatu premeretur.

Quid autem hic Romanos commemorem? cum illud inter omnes conſtet,nõ ob aliud fuiſſe Romanam Rempublicam funditus euerſam, quam propter temeritatem multitudinis in nobilitatem concitã? itaq. imperium illud, quod per Reges primo,deinde per optimates,& principes partum, & amplificatũ erat, breui fuit uulgi furore,& amẽtia diſſipatum. Cum enim plebis cupiditas ita creuiſſet,ut nulla ratione, aut metu coerceri poſſet; & turbulentis hominum popularium orationibus, ad ſpem ingentis prædæ fuiſſet uehementer excitata, non dubitabat,dum auaritiam expleret ſuam, omnia iura diuina,humanaq. uiolare. Inde illæ Tribuniciæ ſeditiones.& Agrariæ legis actiones, non ſine magno Reipublicæ malo a Tribunis agitatæ,donec ad Gracchos uentum eſt, a quibus eſt natum principium omnium calamitatum, quæ poſtea Rempublicam conſecutæ ſunt. Eiuſmodi enim ſeditiones conſequentia quædam exceperunt Mariana tempora: quæ cum per ſe ſatis grauia,& luctuoſa Reipubl. fuiſſent, tũ etiã ad ærumnas ſexcentas,atq. tandem ad Cæſaris dominationem uiam munierunt. Vides igitur, Athenas, Spartam, Romam a principibus conditas, conſtitutas, & conſeruatas fuiſſe; a multitudine uero uexatas,direptas,& funditus exciſas.Nec id in iis dumtaxat ciuitatibus accidiſſe comperias, ſed in omnibus ferme aliis. Vt enim quiſque ſtatus maxime a plebis arbitrio ſeiunctus eſt; ita videbis eum maxime ſtabilem,atque diuturnum. Inde fit,vt popularis ſtatus facillime conuellatur,& vix hominis ætatem duret: optimatium vero poteſtas diutiſſime permaneat: regnum autẽ immutabile propemodũ,atque perenne ſit. Hic aliquis fortaſſe mihi Alcibiadem,& Critiam obiiciet, qui exitium,& vaſtitatem patriæ intulerunt; aut Pauſaniam, qui nefaria conſilia prodendæ totius Græciæ ſuſcepit;aut Syllam,& Cæſarẽ, & alios præterea innumerabiles, genere quidem illos, & induſtria excellentes, ita tamen cupiditate principatus incenſos,vt ſuorum ciuium libertatem armis opprimere minime dubitarent. Fateor quidem, mala quamplurima fuiſſe per viros egregios Rebuſpublicis importata. Nec enim ſemper illa animi elatio, quæ in claritate generis elucet,eſt cum virtutibus æquitatis, & continentiæ conſociata.Id tamen defendo, nullam vmquam ciuitatem fuiſſe ab humili plebe rite conſtitutã. Animus enim generoſus, & excelſus habet arma, quibus poſſit & violare Rẽpublicam,nempe ingenium,induſtriam,& fortitudinem. Contra plebs,vt plurimum eſt temeraria & improuida, animiq. nimis abiecti, atque demiſſi. Poteſt igitur temeritate,& furore patriam labefactare;non tamen vmquam incolumem conſeruare,neque collapſam in priſtinã dignitatem reſtituere poteſt. Vnde perſpicuum eſt,quam male ſit iis ciuitatibus conſultum, in quibus claris hominibus infimi prę ferun tur.Cũ vero id acciderit,vt nobilitas omnibus veræ nobilitatis ornamentis redundet, neque ſolum altitudine animi impellatur ad res gerendas, ſed multo etiam magis in iuſtitiæ atque temperantię ſtudio verſetur, & omnem operam, curã & diligentiam ponat in ſuorum ciuium ſalute, atque libertate tuenda, &,vt vno verbo dicam, omnibus germanę nobilitatis officiis ſumma ope perfungatur: quis erit tunc ita profligatus, atque perditus, qui eius imperium repudiet? quis non potius illud vniuerſis ciuibus omnibus modis expetendum exiſtimet? Nam ſi quiſquam eſt,qui nullo modo putet vtile, vitã ad alicuius quantumuis moderati, atq. prudentis arbitriũ inſtituere,& conformare: is non libertatem obtinere,ſed omnium flagitiorum licentiam conſequi cupit,omnemque viuendi rationem ſcelere ſuo perturbare. Nec enim eſt quidquam in vniuerſo genere rerum, quod ſit ad naturæ ordinem accommodatius,quam leges, & imperium. ſine quibus neque domus, neque ciuitas, neque natio vlla ſtare diuitus poteſt. Attamen grauiſſimum,inquit, eſt Seruire. Equidem is ſum, qui Seruitutem extremũ omnium malorum eſſe arbitrer:ſed aliud eſt Seruire,aliud Parere. Quem admodum enim inter dominum,& rectorem plurimum intereſt: Rector enim in ſalutem eorum, quos regit intuetur: Dominus autem omnia ad ſuam vtilitatem refert; ſic etiam liberi hominis obedientia,& obſequium plurimum a ſeruitute diſtat. Seruitus enim ea eſt, qua mancipia, ſuo arbitrio prorſus carentia, heri nutum ſequuntur; neque ſuam, ſed vnius domini voluntatem inuiti reſpiciunt. Liberi autem hominis officiũ eſt,iis velle parere,qui valent ingenio, & induſtria,& quibus intelligit eſſe curam ſalutis communis antiquiſsimam. Vt igitur ægrotus medico minime ſeruit, ſed ſua ſponte obtemperat, quia id ſibi ſalutare iudicat,vt vector gubernatori,vt miles imperatori; ſic etiam munus incorruptæ multitudinis eſſe debet,ad veræ nobilitatis imperium voluntatem ſuam applicare.Plebs enim neque quid in commune ſtatuat,neq. quid ſibi cõueniat,ingenii tarditate poteſt explicare; contra vero excelſus animus non tantum præſentia comprehendit, ſed etiam impendentia multo ante proſpicit, & ad omnia mala præcauenda ſummam adhibet diligentiam. Deinde,cum Leges gloriã pariũt. plebs nõ ſentiat vllam gloriæ ſuauitatem,niſi legibus,& imperio refrenetur, omni ſtudio lucri, ſordes atque flagitia conſectatur, & ad pericula pro patria ſubeunda mollis,& languida eſt.Contra,nobilitas,ſola cupiditate gloriæ, & laudis incenſa,turpitudinem ipſam omnibus malis peius odit, & libentiſsime pro Republica res magnas ſuſcipit. Quod ſapienter Homerus (cuius auctoritate ſæpe, & libenter vtor) multis in locis oſtendit. Sic enim inducit Regem vario ſermone Græcos adhortãtem, vt Heroas & Principes, laudis & dignitatis commemoratione,ad certamen acuat; multitudini vero,ſi metu mortis abſcedat a pugna,vitæ cruciatum, atque necem denuntiet. Vt igitur equi virtus tum maxime elucet,cum prudentis equitis arbitrio gubernatur; vt animum tum rectiſsime conſtitutum arbitramur,cum voluntas rationis dicto obediens eſt; vt familiam tum demum ſaluam, & incolumem fore putamus,cum diligentis patris familiæ imperium ſequitur; ſic plebis ſalutem tum conſtitui, atque confirmari exiſtimandum eſt, cum ſui regendi arbitrium, atque tamquam habenas,veræ nobilitati tradiderit.

HIERO-

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIERONYMI OSORII LVSITANI

DE NOBILITATE CIVILI

LIBER SECVNDVS.

Ratio & vis nobilitatis.

QVæ sit vis & ratio nobilitatis, Ludouice Princeps, & quemadmodum ab ingenii diuinita te, virtutisq. præstantia nata, & alta, summos honores consecuta est, & opinionem attulit antiquitati, genus clarum esse cum diis sanguine, & affinitate deunctum; quantis denique gloriæ ornamentis, atque præsidiis in omnibus bene constitutis nationibus redundauerit: non modo fabulis, & exemplis ex omni memoria repetitis, sed etiam sacrarũ litterarum testimonio confirmauimus. Deinde, cum essemus oratione persecuti, quantum etiam conferat ad dignitatem generis vetustas: demonstrauimus postremo, homines vere nobiles ad imperandum non solum natos esse; sed etiam plebem ipsam tum demum pace firmissimoque præsidio muniri posse, cum omnia sunt in claro rum hominum potestate.

I. Vita humana.

SED, quoniam nihil est in hac vita firmum, stabile, & diuturnum; sed omnia sunt fluxa, caduca, & fragilia; fieri non potest, vt hoc generis ornamentum in perpetuum permaneat. Est itaque Nobilitas mortalis, vt sunt pleraque bona mortalium. Perinde igitur, vt aliarum rerum, sic etiam nobilitatis est quidam flos, & iuuenta, quam deinde maturior ætas excipit, & senium deinde consequitur; mors postremo sic occupat, vt ne vestigium quidem vllum appareat priscæ nobilitatis. Alias itaque familias videmus ad laudem excitari, & incendi, quæ prius ignotæ fuerant; alias maiorum gloriã vix tueri; alias magis magisq. labi; deinde præcipites ad ima deuolui, postremo sempiternaobliuione deleri. Quod Glaucus Homericus Diomedi his versibus significat:

Quid genus inquiris, Danaum fortissime, nostrum?
Nam genus humanum est foliis par, tempore verno.
Hæc nunc fundit humi auræ lenis sibilus: illa
Silua virens nutrit, renouat dum frondis honorem:
Sic genus humanum viget hoc nunc, excidit illud.

Vestigia antiquarũ familiarum.

Ecquod modo vestigium intueri possumus antiquarum familiarum? Omnes Iulij, Fabij, Metelli, Scipiones, vna cum fortuna populi Romani, ita sepulti sũt, vt, si aliquis exsistat, qui se ab illis ortum asseueret, perinde irridetur, atque si Pythagoræ somnium defendat. Post illa vero gentium nomina, quæ supra memorauí, alia multa floruerunt, & interierunt, quæ nunc omnino deleta, & exstincta iacent. Id autem duplici de causſa solet accidere. Prima est naturæ conditio, qua sic comparatum est, vt nihil insit in rebus humanis constans & perpetuum; sed omnia, vt paullo superius exposui, infirmitatis, & imbecillitatis plenissima: ita, vt vel fortunæ telis in medio cursu obruantur; vel certe, senio confecta, tandem interitu consumantur. Deinde vitia sunt in causſa persæpe, vt illud gẽtis lumen longe citius, quam postulet ipsius naturæ cursus, exstinguatur: vt illis accidere videmus, qui vino, & lustris obruunt corporis valetudinem, & immodica luxuria, quasi quodam exitiali veneno, mortem sibi ipsis consciscunt.

II. Nobilitas quomodo cõparanda.

Quocirca, non alienum erit percurrere, quibus artibus Nobilitas ipsa comparetur: sic enim erit facillimum intueri, quibus vitiis amittatur. Sed iam vereor, ne sit hęc nostra disputatio plurimum reprehensionis habitura, quod prima specie sibi non consentiat: propterea quod statuere principio videbamur, neminem esse nobilem, nisi qui fuisset illustri genere susceptus. Quod si verum est, nec is, qui est infimo loco natus, ad nobilitatis splẽdorem adspirare poterit; nec, qui amplissimo, nobilitatem sibi comparabit, sed a maioribus traditam omni cura tuebitur. Hæc sunt, quibus adductus ali quis fortasse orationem nostram inconstantiæ nomine vituperabit. Ego vero is nullo modo sum, qui eos tantum ad virtutem natos esse eredam, quos vulgo nobiles appellant: cum sit omnibus ad laudem cursus apertus, qui res magnas, & magnopere expetendas concupierunt. Id tamen disserui, plurimum instrumẽti Nobilitatem habere ad dignitatem: cuius tamen omnis ratio est a virtute petenda. Quemadmodum enim in semine causſam esse scimus stirpium, atque arborum; sic etiam, maiorum satu, ingenerari plerumque posteris egregiæ cuiusdam virtutis indolem suspicamur: quæ tamen tunc demum apparet, cum optimis studiis, & exercitationibus exculta est. Cum autem generis splendorem ob id dicimus amplectendum esse, quod in eo frequenter virtus emineat: ipsam certe virtutem, vnicam nobilitatis effectricem, singulari studio colẽdam arbitramur: quam tamen interdum a nobilitate deseri, ab hominibus nulla maiorum commendatione notis magna contentione suscipi videmus. Nec enim semper verum est, innasci nobilitati illã animi elationem, qua qui præditi sunt, in laudis studium ardenter incitari solent; neque id nos confirmare voluímus; sed id, quod frequentius euenit, in disputatione nostra ponendum esse

Cõparatio a femine.

esse duximus. Virtus tamen, a nobilitate, splendore virtutis illustrata, hac ratione differet: Quod uirtutis laus in singulis cernitur hominibus: nobilitas autẽ uniuersã gentẽ amplectitur. Poterit igitur aliquis homo nouus existere omni uirtute cumulatus, qui ita versetur in studio dignitatis, ut inter omnes excellat: quia tamen in ea gente primus numeratur: non erit in numero nobilium. Postquam vero in ea familia, multi, exemplis illius incitati, in gloriæ cupiditatem incubuerint, tum demum elucere incipiet illud nobilitatis eximiæ lumen. Primus igitur generosus, & magnificus, non tamen nobilis appellari solet: vt sit ea omnino differentia, quæ est apud Græcos inter εὐγενῆ, & γενναῖον. Hoc enim ad animi præstantiam refertur; illud ad familiæ celebritatem. Vt igitur vnum, non numerum, sed numeri principium dicimus: sic illum primum, omnibus summis honoribus dignissimum, non nobilem, sed auctorem, & principem nobilitatis existimamus: quod nomen haud equidem scio, an sit longe multoque præstantius. Quare perspicuum est, neq. id falsum esse, quod antea fuit a nobis constitutũ; &, quod modo explicare ingredimur, esse verissimum.

Vir magnus.

Nam ille vir magnus, qui primus ingeniũ suum ad gloriæ studium adiunxit, quamuis non appelletur vulgo nobilis, cum tamen ingentẽ laudem sit adeptus, & virtutis insignia posteritati relinquat; videtur sane præclare iecisse fundamenta nobilitatis, atque virtute sua omnem posteritatẽ illustrasse. Restat igitur, vt videamus, quibus artibus hoc generis ornamentum, ab illo principe generis comparetur. Iis certe, vt breuissime dicam, quibus conseruatur. Est autem dictum, Nobilitatem esse genus maximis virtutibus excultum. Eas autem virtutes, auctore viro doctissimo Aristotele, maximas appello, quæ se ad ciuilem statum, & hominum salutem accommodant, & quibus societas hominum, & vitæ quasi communitas continetur. Qui autẽ institutis est, is bonus vir rite haberi solet: nõdum tamen sibi, iis artibus, egregiæ dignitatis laudem pariet, si eas non contulerit in communis vitæ societatem. Si enim tantum nostra ipsorum causſa nati essemus, satis esset ad summam dignitatem nostros animos recte componere, & familiæ nostræ prospicere. Cum autem natura nos ad reliquos homines inuãdos impellat, & exsuscitet: is videtur munus sibi delegatum omni ex parte præstitisse, cuius studium erga Rempubl. magnis in rebus perspectum fuerit. Non quidem, vt illa boni viri virtus sit vllo modo contemnenda: nam, si non tota, aliqua certe Reip. pars, nempe illius domus, & familia eius consilio cõseruatur. Sed, cum intra domesticos parietes continetur, neq. sese vlterius effundit, haud videtur illis amplissimis honoribus valde digna, qui tribuuntur illis, quorum virtus latissime patet, & Rempublicam vniuersam amplectitur. Nec enim vnquam tanta fuisset hominum consensio, ad paucorum virtutem diuinis laudibus ornandam, nisi cernerent vniuersi, se illius opera fuisse magnis in rebus adiutos. Ergo ciuili tantum disciplina, ad istam nominis claritatem peruenire poterit.

Vir bonus.

III. Iustitia pars disciplinæ.

HVIVS autẽ disciplinæ præcipua quidẽ pars est iustitia, in qua virtutis maximus splendor inest. Eius enim admiratione commoti initio mortales, omnes opes certis hominibus detulerunt. Sic enim, cũ de iustitia quæritur, disputari solet, fuisse quoddam tempus, cum genus humanum vitã in siluis, & agris nullo certo more traducebat, nullam colebat religionẽ, nullum humanitatis officium tuebatur: nihil denique ratio, vel disciplina, sed pleraque vis, & furens animi impetus administrabat. Cum igitur latrocinia, atque cædes infinitę fierent; & ij, qui viribus plus valebant, affligerent imbecilliores; essetq. omnis vita malis innumeris circumuẽta: omnes ij, qui iniuriam acceperant grauiorem, confugiebant ad præsidium alicuius prestantis ingenio viri, in quo lumen æquitatis elucere perspexerant. Is, cum miseros & supplices in suam fidem recepisset; studiumq; suum exstinguendi latrocinii, reprimendæque cædis, & iniuriæ vindicandæ declarasset; & potentes cum tenuioribus pari iure retinuisset: eueniebat, vt omnes, qui otium & securitatem amabant, omnia vitæ præsidia in eius virtute, & imperio cõstituta putarent, quem animaduertebant esse iustitiæ laude florentissimum. A iustitię igitur fonte Regia potestas orta est: hinc optimates & principes exstiterunt: hinc prima nobilitatis principia nata sunt: nec vllum omnino genus claritatis aut antiquius, aut præstãtius hac Regum natione reperitur: qui primi virtute sua humanam vitam excoluerunt. Horum diuinitatem admiratus Hesiodus, Reges a Ioue procreatos esse, in Theogonia scriptum reliquit. Quæ opinio fuit etiam ita multis vsurpata, vt eum gentilem Deorum existimarent, qui virtutis huius præstantia clarus esset. Aeacus enim, Minos, & Rhadamanthus, iustitiæ magnitudine, filii Iouis habiti sunt. Qui etiam, vt est in fabulis, vmbris dare iura dicuntur. Adeo ne apud inferos quidem putauit antiquitas, vllam multitudinem sine grauitate legum, & seueritate iudiciorum, permanere vlla ratione posse. Pittacus ille Mitylenæus, iis æquitatis artibus, ad imperii fastigium peruenit, quod etiam Numæ Pompilio Romæ accidit. hoc enim iustitiæ, & æquitatis studio, dignus est omnium suffragio iudicatus, qui secundus a Romulo clauum teneret. Quid referam hic Lycurgum, Draconem, & Solonem? vt interim illos vetustiores omittam, Mercurium, & Phoroneũ, & reliquos, qui, cum, leges, & iura describendo, salutem suis ciuibus attulissent, amplissimos honores sibi quęsierunt, & nobilem stirpem in multos annos propagarũt. Quod autem nullius virtutis laus illustrior esse possit, vel hoc iudiciũ facit, quod reliquæ omnes, si non sint cum iustitia coniun-

Regia potestas.

Legum vis, & dignitas.

Leges qui describserint.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctæ,nullam possunt habere commendationem: hæc autem,etiam a reliquis seiuncta, suam semper retinet dignitatem. Hoc autem innumeris exemplis intelligi potest:ego tamen,breuitatis caussa,duobus ero contentus. Aratus enim Sicyonius,cum nullus imperator esset, eã tamen est gloriam iustitiæ pulchritudine consecutus, vt cum omnibus summis Imperatoribus sit omnium iudicio conferendus. Qui,dum vixit,bellum sibi cum omnibus tyrannis, & improbis ciuibus suscipiendum putauit:nec vllum pro legum defensione recusauit vitæ periculũ; Aristides autem,qui hunc multis annis præcessit, iustitię integritate tantum laudis est assecutus, vt neque Themistocles, tantis rebus gestis, apud Athenienses clarior haberetur. Ex quo intelligi potest,nullam esse viam ad amplificationem honoris,& gloriæ certiorem, neq. quæ maioribus ornamentis gentem aliquam afficiat.

Mortẽ contemnere.

POST iustitiam,ea magnitudo animi,quę cernitur in periculis,ad summum laudis fastigium,& merito quidem, euecta est.Magnũ est enim,mortem contemnere,& pro dignitate,atque salute omnium, vitam libenti animo profundere, nec vllum patriæ vitæ periculum denegare. Iccirco omnes ferme, qui ad gloriam incensi sunt, in rei bellicæ studium præcipue incumbunt.Priscis etiam legibus apud omnes bene cõstitutas nationes.plurimum honoris huic virtuti semper attributum fuit: vt scilicet ea gloriæ cupiditate, omnes alacrius arma caperent.Contra vero,ignauiæ, atq. formidini permulta probra fuerunt legibus prudentissime constituta. Apud Macedones erat olim lege sancitum,vt,qui nullum hostem in acie cęcidisset, capistro publice cingeretur.Apud Scythas,nemini licebat in sacris epulis circumlatum poculum accipere, qui nullum in re militari virtutis signum dedisset. Amazonibus non erat cõcessum vlla condicione nubere, nisi prius hostẽ pugnando interemissent. Solon autem statuit, vt eorum liberi,qui pro patria dimicando mortem occubuissent, de publico alerentur. Quod etiam fuit in multis aliis ciuitatibus prudẽter vsurpatũ.Sapienter enim ab ipso Solone Græciæ sapientissimo existimatum est, Reip. salutem præmio,& pœna contineri. Hac enim improbi,& facinorosi coercentur: illo autem splẽdida ingenia,ad percipiendæ virtutis studium maiore quodam animi impetu concitantur. Diuinitus igitur a priscis legislatoribus institutum est, vt, in quocumque hominum genere ista virtus eluxisset,multis insignibus, atq. titulis ornaretur: contra vero,turpitudo, & ignauia,omni dedecore,& publica cõtumelia afficeretur.Hoc autem cum legibus instituebant, nihil aliud efficere videbantur,quam ad nobilitatis splendorẽ viam omnibus aperire, qui essent egregiis virtutibus exculti; turpes autem, & nimium formidolosos homines,etiam si in amplissima familia nati fuissent, nobilitatis ordine mouere.Quid autẽ de Romanis loquar? Ecquis enim tot equestres imagines, tot coronas murales,castrenses,ciuicas, triumphales, enumerare valeat?Ecquis tam multa virtutis insignia,atq. laudis ornamenta poterit explicare, quam multa Romanorũ legibus fuerunt olim virtuti militari proposita? Ergo nimime mirũ est,si ciuitas illa, ad tantam imperii magnitudinem peruenerit in qua virtus tam multis honoribus,& præmiis afficiebatur;ad quorum cupiditatem,non modo nobiles; verum etiã multi e plebe, ita vehementer exarserunt, vt nullũ pro Republ.vitæ periculum recusarent. Atque (vt ex innumeris paucos admodum recensẽ) duo Decii plebeii quidem fuerunt, propter tamen singularem animi virtutem,amplissimum honoris gradum in Republ. consecuti sunt:qui tandem pro salute patriæ,victoriæ sese libentissime deuouerunt.L.Marcius,ille qui Rempubl. Romanam in Hispania collapsam restituit, humili genere susceptus erat,virtute tamen est assecutus, vt ad summos honores, atq. gloriam peruenirer. Quid hic referam M. Porcium Catonem, virum insigni virtute, atque singulari sapientia clarum? Quid M. illum Marcellũ,qui primus Hãnibalis impetum repressit,omniaq. tandem uirtute vinci docuit? Quid fortissimũ illum Marium, & sexcentos alios, humili loco natos,qui tamen,propter uirtutem militarem, & imperatoriam, ascenderunt ad honores amplissimos, posteriq. suis nobilitatis gloriam pepererunt? Hinc etiam hæc nobilitatis insignia, quæ nostris etiam temporibus circumferri videmus,ortum habuere. Nam,cum aliquis operam egregiam in bello præstitisset, erat illi ab imperatore cõcessum, vt nobilis haberetur, & insigne virtutis gestaret aliquod, per quod nobilitaret genus,& posteritatem ad similis facti memoriam excitaret. Alii igitur tot castella depicta gestant, quot illi generis principes pugnando ceperunt: alii circulos, aut quiduis aliud,pro numero hostium, quos in prœlio aliquo durissimo interfecerunt: alii, vt fortasse ostenderent, se lucem rebus patriæ afflictis attulisse,stellis scuta distinxerunt:alii deniq. alia assumpserunt, quibus virtutis suæ memoriam proderent.Hæc omnia eo pertinent,ut facilius intelligamus, semper huic virtuti fuisse aditum apertum ad summam totius generis claritatem.

Amazonibus nulla nupsit.

Decii duo plebeii.

Nobilitatis insignia.

Legibus qd significatũ.

MVLTI etiam liberalitate, & magnificentia,illustria sane claritatis fundamenta iecere, dando,largiendo,amplissimisq. beneficiis complures ciues obligãdo.Sic enim Priscus ille Tarquinius,exsul,& ignotus,Romæ clarum nomen est adeptus,& ad regni fastigiũ peruenit. Hac etiam magnificentiæ ratione, isto multo antiquior Pelops,barbarus,& aduena,in ea Græcię parte, quam a nomine suo Peloponnesum appellauit,rerum summam tenuit. Atq. vt etiam recentissima commemorem, Cosmus Medices, huiusq. nepos Laurentius, tantum hac liberalitatis

Fundamenta.

litatis laude præstiterunt, ut & Florentiæ principatum, & apud omnes nationes amplissimũ dignitatis nomen obtinerent. Nec est enim ulla uirtus ad nobilitatis condicionem accommodatior, neq. quæ maiores amicitias, & studia maiora pariat, atq. conseruet, sine quibus neq. suas opes firmare,neq. gloriam ullam consequi quisquam potest. Hoc autem mihi secuti videntur ij, qui Nobilitatem tradiderunt, esse uirtutem generis cum abundantia pecuniæ.Nã cũ hæc vna laus beneficentię videatur esse propria nobilium,(sunt enim eorum pleriq. propẽ fiores ad benigne faciendum) & eam laudẽ nemo possit adipisci, qui non sit auxilio pecuniæ instructus; existimarunt viri doctissimi,pecuniã ipsam,tamquam liberalitatis materiam,in definitione Nobilitatis ponendam esse. An recte ea definitione vis, & natura rei fuerit explicata,minime laboro:dum modo ex ea etiam intelligatur,esse hanc virtutem ad gloriam comparandam, & totius generis ornamentum consequendum apprime necessariam.

Nobilitas quæ.

MVLTI etiam & nostra, & priscorum memoria,tum eloquentiæ magnitudine, tum etiã iuris ciuilis prudentia, sunt ingentem gloriam adepti. Eiusmodi enim artes inter eas numerãtur, quę merito semper in Republ. plurimum dominatæ sunt, & sine quibus ciuilis status non potest diu permanere.Frustra namque sunt foris arma,nisi res sint domi consilio, & pacis artibus constitutę. Sunt præterea multi, qui vel principum gratia,vel liberæ ciuitatis consensu in nobilitatis ordinem adsciscãtur. Hoc autem prima specie, minime videtur veritati, atque rei naturæ consentaneum. Nobilitas enim aut nititur opinione;aut virtute,& moribus cõstat, aut natura simul,& industria continetur. Opinionis leuitatem semper graues homines pro nihilo habendam putarunt; virtutis laus nobis ipsis parienda est,non aliunde sumenda; generis autem,& naturæ vis ea est, vt minime principum imperio flecti possit.Neque enim est facilius principum beneficio ex ignobili nobilem quemquam effici;quam ex stulto sapientem,ex elingui disertum,ex ignauo impigrum, & audacem.Quod etiam in dandis ciuitatibus considerari potest.Nam si ciuis est natura,(vt multi sapicati sunt) nulla ratio est, cur in ciuitatem recipiatur hospes,& peregrinus. Vnde Gorgias Leontinus Larissæorum principes irridens,quod multis exteris hominibus ciuitatem ornarent, dicebat,perinde atq. opifices e quauis materia conficiunt mortaria, aut quiduis aliud generis eiusdem; ita esse quosdam Larissęorũ artifices, qui e quouis hominum genere, Larissæos ciues effingerent. Attamen neque Gorgię sententia, neque aliorum,qui simili ratione regũ, & principum benignitatem intercludi cupiunt, mihi probari vmquam poterit.Nam cum omnes,qui paullo elatiore animo præditi sunt, ad virtutẽ honoris, & gloriæ cupiditate incendantur: si honoris spem debilitare velis, virtutis omnino studia exstingues,quę erat incitãda,& inflãmanda. Qua quidem re,nihil omnino ciuili disciplinæ magis aduersarium est. Huc enim leges respicere,hoc omnibus bene constitutis nationibus propositum esse debet, vt homines magnarum rerum cupidos, quamuis sint sæpenumero sua sponte ad iuuandam Rempubl. incitati,gloriæ tamen cupiditate, multo vehementius ad publicæ salutis studium inflamment.Nam & ea ratione maxime firmari possunt opes ciuitatis, & iuris æquabilitas conseruari. Quid enim esset indignius, quam nullum præmium propter magna merita, claris in Remp. viris esse constitutum? Aut quod præmium excogitabis, quo virtuti satisfieri aliqua ex parte possit, præter hoc dignitatis,& gloriç? Quid deinde magis regium est,magisq. magnificum,quam virtuti debitum dare testimonium,& titulis honestare dignitatem: vt hoc modo, tum iustitia conseruetur, tum etiam complures in studium virtutis acrius incitentur? Nec enim princeps, ut iam ad illa respondeamus,potest efficere,vt vilis, & abiectus animus,ad nobilitatis cśaritatem perueniat:quæ videlicet non gratia parta, sed a natura profecta, & optimis exercitationibus exculta sit. Potest tamen generosum,& inuictum animum,splendidis titulis exornare. Quod quidem non solum honestum est,& rationi consentaneum; sed ita necessarium, vt ea re salutem Reipub.contineri existimãdum sit. Auctoribus quidem maximis, & regendæ Reipublicæ scientissimis, ad istam sententiam vti possem: sed ego vnum tantum Platonẽ adhibeo, apud quẽ Socrates in tertio de Republ.libro, cum fabula quadam de hominibus armatis e terra editis, ad patriæ caritatem, & mutuam inter se benuolentiam,ciues impulisset:tum deinde sic instituta sermonem continuauit. Audi, inquit ille,reliquam partem fabulæ.Omnes,qui in eadem ciuitate viuitis,fratres estis.Sed Deus, cũ vos informaret,iis quidẽ,qui nati, & apti sunt ad imperandum,aurum immiscuit:iis autẽ,qui principibus in communi salute defendẽda operam nauant,argentum:agricolis autem,atq. reliquis opificibus,æs,& ferrum.Ita fit,vt,cum ab eodem principio ortum habeatis,vobis similes plerũq. generetis. Euenit tamẽ, vt ex aureo parente,interdum argentea soboles nascatur; ex argenteo aurea; & similiter omnia ab aliis vicissim oriantur.Iubet igitur Deus,vt principes ipsi,primum,atque præcipue,adeo magnam curã suscipiant inuestigandi,& inspiciendi, quod in animis liberorum suorum immistum sit; vt nihil omnino diligentius animaduertant. Quod si æneum aliquid,aut ferreum insitum filiorum sensibus inspexerint; non impediantur misericordia, quo minus illis munus eorum naturæ conueniens assignent;& ad opifices,aut agricolas dimittant. Sin ex illis aliquid rursus aureũ, & argenteum exsiterit, honoribus afficiant: & alios quidem ad urbis custodiam,& imperiũ; alios autem ad vrbis auxilium,& militiam euo cent.

Opes ciuitatis conseruantur.

Nobilitas nititur opinione.

Similitudo ab opificibus.

Fratres in eadem ciuitate.

Honore q destituantur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cent. Insideatq; in eorum mentibus, fuisse olim oraculo prædictum, ciuitatem tunc omnibus bonis euertendam, cum ea ferri, aut æris custodię commissa fuerit. Hęc Plato de Principis officio, per Socratis personam disputauit. A quo reliqua omnia præclare, illa postremo diuinitus dicta sint: omnes ciuitatis opes funditus interituras, cum æs & ferrũ, hoc est, ingenium humile, omnisq. virtutis præsidio nudatum, Reip. gubernacula tractanda susceperit. Ob id igitur non solum homines industria, & ingenio excellentes, ex agris ad vrbis custodiam euocandos, & nobilitatis ornamentis afficiendos, sed etiam amplissimo genere natos, si degeneres exstiterint, in infimam turbam coniiciendos esse statuit. Hoc autem tantam vim habere putat ad Rempubl. stabiliendam, vt summa quadam religione, cum ab omnibus, tum vel maxime a principibus ipsis, quasi diuinam legem, ad hominum salutem constitutam, conseruandum esse censeat. Quod si verum est omnia ornamenta, quæ cogitari possunt, virtutis excellentiæ deberi, princeps, qui Socratem audire voluerit, eos, qui indigne patiuntur virtutem, in quocũque hominum genere eniteat, omnibus ornamentis illustrari, omnium primos in agros deportandos, armentisq. præficiendos esse, decernet. Nam si virtutis studio ipsius Reip. salus, atq. dignitas continetur; is, certe, qui virtuti aduersatur, Reip. opes infringit, & communem ciuitatis gloriam labefactat. Vt igitur in institutum sermonem redeamus, nõ potest princeps efficere, vt abiectus animus, atque demissus, ad rerũ maximarum gloriam adspiret. Potest tamen magnum animum, & excelsum debitis ornamentis afficere: itaque non tam tribuit nobilitatem, quam iam præclare institutam nobilitatis rationem, & singularem animi magnitudinem, egregiæq. virtutis, aut artis præstantiam, honoribus debitis honestam, & illustrem reddit. Iccirco, cum antecedunt merita, tũ hæc grauissima principum iudicia rite conequuntur. Aliter vero non erit ea nobilitas, sed inanis nobilitatis species, fuco, & quibusdam medicamentis illita, & opinione tantum multitudinis confirmata.

Vis Remp. conseruans

IV. Genus quibus nobilitetur.

CVM igitur manifestum sit, æquitatis laude, virtutis studio, & beneficentia, & iis artibus præterea, quæ semper in bene moratis ciuitatibus floruerunt, nobilitari genus, facile palam fiet, quibus vitiis hæc generis claritas exstinguatur, iis nempe, quę virtutibus illis aduersantur. Quamuis enim (vt expositum est superius) plerumque contingat, vt, qui sunt honesto loco nati, nõ mediocri sint ad virtutem indole, fit tamen interdũ & frequentius quidem, quam esset utile rebus humanis, vt aut a clarissimis viris degeneres oriantur, aut saltem illud naturale bonum, quod animis nobilium innascitur, vitio prauæ consuetudinis intereat. Itaque, cum aliquis adeo malis moribus imbutus, & praua consuetudine deuinctus est, vt nullã honestatis rationem ducat; ipse sese in tenebras abdit, & gentem claram, quantum potest, obscuram, & ignobilem reddit.

V. Aequitas.

QVEMADMODVM igitur æquitatis studium multis nobilitatem comparauit, sic iniquitas, iniuriæ, indignæ in multos mortales cõtumeliæ, quamplurimos honoris possessione deiecerunt: cuius quidem rei, calamitosi omnium ferme tyrannorum exitus testes esse possunt. Nec enim illis solum vita eripiebatur, & dignitas; sed omnibus, qui erant illis sanguine coniuncti: ita, vt magna pars illorum eodem supplicio necaretur: reliqui vero fortunis omnibus spoliati, necem quidem exsilio vitabant: non tamen ignominiam, & dedecus fugiebant. Vt enim hic nihil dicam de Phalaride, omniũ tyrannorum crudelissimo, in quem vniuersa Agrigentinorum multitudo impetum fecit: vt eos etiam, qui simili morum immanitate fuerunt, prætermittam; certe Pisistratidæ non alia ratione principatum amisere. Nec enim Armodius, & Aristogiton, tantum patriæ liberandæ studio, quantum iniuriæ vlciscendæ causa, facinus illud egregium susceperunt. Cùm enim Hipparchus, Pisistrati filius, Armodium adolescentem, forma, & moribus elegantem, quem perditissime amabat, neque blandis sermonibus, neque magnis promissis in stuprum illicere potuisset; iniuit secum rationem, quẽ admodum repulsæ dolorem vlcisceretur. Venit interim dies, qua sollemnis quædam põpa erat Athenis celebranda, in qua delectæ virgines sacra quædam calathis repositia, in capitibus patrio more sustinebant. Hic Hipparchus venisse tempus ratus, quo tempore posset Armodio dolorem grauissimum inurere; eius sororem in earum virginum numerum adscribendam curauit. Deinde, cum sacra fieri cœpissent, eandẽ, tamquam sacris illis indignam, eiecit, vt acile appareret, non ob aliud adsciam fuisse, nisi vt eiecta, illam publice contumeliam acciperet, quæ in Armodium redundaret. Erat autẽ hæc apud Athenienses insignis iniuria, qua quidem offensus Armodius, re cum Aristogitone, cui erat in amore, communicata, & aliis sociis adhibitis, contra Hippiam, Hipparchi fratrem natu maiorem, qui tyrannidem obtinebat, coniurationem fecit; & Hipparcho ipsi necem intulit. Hæc coniuratio quamuis tunc minime processit; excitauit tamen Athenienses ad Hippiã non longo post tempore expellendum, & libertatem recuperandam. Quid Tarquinii? numquid non ea ratione Roma fuerunt exterminati, quod nihil iure, pleraq. violentia, & immanitate gerebant? itaque, cum Sextus Tarquinius, patris nefaria scelera imitatus, post multas iniurias, quibus Romanos onerarat, Lucretiæ per vim stuprum intulisset; cum patre, & fratribus in exsilium eiectus, sine vlla dignitate, cum dedecore vixit. Sic etiã Dionysius posterior, cũ principio Dionis, postea Timoleontis virtute fuisset propter iniustitiã, & improbitatem Syracusis

Armodius quis.

Tarquinii Roma exterminati.

cusis expulsus, Corinthi sordidam, & ignobilẽ ætatem exegit. Sic innumerabiles præterea, scelere, & iniquitate gloriam, & imperium, maorum virtute partum, sibi ipsis detraxerunt, & vniuersæ posteritatis tenebras offuderunt. Hic non amplius immorabor, cum nihil magis perspicuum esse possit, quam semper iniustitiæ scelus, genus obscurum, atq. vile reddidisse. Quid deinde ignauia, & timiditate fœdius, aut turpius fingi potest, & a vera nobilitate magis alienum? Quid miserius, quam formidine perterritum, a statu mentis ita discedere quemquam, vt neq. dignitatem tueri, nec vlla in re consiste re valeat? Neque licet exemplis omnia cõfirmare, cum illud constet, multarum gentiũ decora propter animi imbecillitatem, & inconstantiã de manibus elapsa fuisse. Iam quid auaritiæ fordes persequar, & reliquas animi labes? quibus id moliuntur persæpe homines, summo loco nati, vt sibi dedecus, & ignominiam adiungant: illudq. generis ornamentum ita conuellunt, vt nihil malle videantur, quam in turbam coniici vilissimorum hominum?

Formido quid.

VI. Nobilitas nascitur & interit.

CVM igitur manifestum sit, nobilitatem, & nasci, & occidere solere; profecto, vt illi videntur laudibus in cælum efferendi, quorum virtute hic splendor generi comparatur: ita ij dignissimi certe sunt, quos omnes mortales odio persequantur, quorum maculis, & turpitudine celebritas ista dissipatur: quandoquidẽ neque generis indole, neque maiorũ exemplo, ad virtutem excitari potuerunt, voluptatis, & turpitudinis vinculis impediti. Quapropter sunt miseratione digni (si misericordia superbię, & stultitiæ tribui potest) quidam homines imperiti: qui, cum nulla ingenij laude floreant, nulla vitæ dignitate, nullo amplitudinis fructu, ita tamen inani nobilitatis nomine sibi blandiuntur, atq. si cęlo delapsi fuissent. Miseratione, inquam, digni sunt, qui se beatos, & florentes putant, cum tam multis animi miseriis, & interdũ etiam corporis agitentur. Operæ pretium est autem, videre istorum in omni genere insolentiam: tunc autem maxime, cum in regia versantur. Famulorum pars antecedit; pars autẽ magno agmine subsequitur: ipsi vero ingressu certis quibusdam numeris vtuntur. Cum autem ianitoribus introducuntur, & omnia circum cõmouentur, tum demum sese felices, supra quã dici potest, existimant. Credo, quod illic tandẽ contagione plebis minime violãtur. Nec enim quemquam fugit, in quantam religionem ueniat, si quispiam eorum, qui sibi heroes videntur, nec omnino nati, sed a Deo aliquo efficti, plebeio homini familiariter admistus incedat. Cunctas religiones pollui clamabunt omnes, & omnia nobilitatis sacra funditus interire. Quid ni, inquit, mihi placeam, quando in amplissima familia natus sum? Quin tu igitur generis animum isto generis splendore dignum? Tu dignitatem illam, maiorum virtutee comparatam, tuis fœdis factis amisisti. Illi, magnitudine animi, integritate, & beneficẽtia circumspti, aut maximarum artium disciplinis eruditi, magnum in Rep. gradum consecuti sunt; tu contra timiditate, flagitiis, atq. sordibus, & omnium rerum insciitia, te ipsum in infimam turbã coegisti. Quid est igitur in te, in quo possimus imaginem antiquę claritatis agnoscere? Qualiscũque sum, inquit, illustri tamen genere natus sũ. Numquam ne intelliges, homo ineptissime, ornari virtute genus; neque genere virtutem illustrandam; sed omnem generis dignitatem ex virtute quærendam? Quid autem inanius est hoc nobilitatis nomine, si virtutis ornamenta subtraxeris, atq. veræ gloriæ fructum? Virtute autem etiam a generis claritate seiuncta, nihil in vita præstabilius, nihil homini melius, nihil naturæ accommodatius: quæ per se splendet semper, & pulsa loco manet; nec vllo in tempore potest dignitatis possessione depelli. Sed quæso videamus, quem tandem fructum feret istud nudum nobilitatis nomen, cum Resp. in vltimum discrimen venerit armorum, aut domesticis seditionibus agitata fuerit. Ibi enim virtute, & consilio res geretur, non fumosis imaginibus. Ibi saltem loco cedat necesse est istiusmodi nobilitati, quam tanto flagitio flocci pendis, si longo rerum usu, & virtutis præsidio firmata fuerit. Immo, inquit, locũ eundem semper obtinebo, in quo mei maiores collocati summa cum laude vixerunt; hi autem terræ filij in suis sedibus hæreant, & eas artes persequãtur, quas scimus illorum parentes coluisse. Sapienter mehercle dictum, & lepide, vt in rebus turbidis, & afflictis virtutem contemnendo, & ignauæ nobilitati assultando, eode pereamus. Sed vellim intelligas aliquando, te conuicium indignũ iis facere; qui tibi præclara ista nomina reliquerunt. Nam certe ille tui generis auctor, & princeps, a quo primum ista vestræ nobilitatis insignia profecta sunt, homo nouus fuit. Cum igitur eos homines maledictis insectaris, qui tuis maioribus sunt simillimi, & ea probra ingeris, quæ possunt in tuos retorqueri; non id tantum agis, vt dedecore tuo labem illorum laudibus adspergas, verũ etiam ingrate, & impie re geris, dum illorum splendorem conuiciis extenuas, a quibus hanc speciem dignitatis accepisti. Sed horum iam magnifica verba, & ineptias omittamus, qui, cum ab omni laude sint alienissimi, maiores suos in ore semper habent. Quibus congruit illud a Dionysiodoro Trœzenio frequenter vsurpatum, Quis patrem laudabit, nisi liberi infelices? Ego vero germanę nobilitati, quę & ex ipsius virtutis stirpe generata est, & eadem virtute nititur, summum honorem haberi, par esse puto. Istos autem, qui nobilitatis fabulam frigide nimis, & insulte peragunt, vellem omnium sibilis excipi, & theatro, perinde atque digniissimi sunt, explodi.

Insolentia obseruanda

Gradus in Republ. vnde.

Virtutis ornamẽta nobilitant.

VII.

POSTEAQVAM istorum vesaniã oratione compressimus, qui nouos homines, industria, & virtute præditos, maledictis insequun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur, cum ipsi sint omnibus flagitiis inquinati: nunc illa quæstio relinquitur, vtri sint antetonendi. Iinc, qui nullo domestico exemplo incitati, famam tamen virtutis egregię consecuti sunt: an illi potius, qui gloriam maiorum virtute quæsitam omni pectore conseruant. Est enim quæstio anceps, cuius vtraque pars potest probabili ratione defendi. Potest enim homo nouus hoc pacto caussam tueri suam. Ego nec vllis institutis domesticis, nec vlla maiorum meorum celebritate prouocatus, in gloriam incubui; nec alienis opibus, sed mea ipsius virtute id assecutus sum, vt ad honores summos peruenirem; genusq. meũ, quod antea in obscuritate latebat, illustraui: posteris autem meis nobilitatis initium dedi, & egregiæ virtutis exemplum. Tu vero, qui illustri loco natus es, plurimum instrumenti ad gloriam habuisti. Primũ stimulabant te exempla domestica, & status ille, quem tui tenuerunt: deinde liberalis educatio, & institutio: postremo hominum exspectatio, quæ omnia tibi quasi necessitatem attulerunt, vt virtutem coleres. Neque tanta est ea gloria, quam tibi peperisti tuorum facta imitando; quantum illud dedecus fuisset, si domesticæ laudis studium turpiter omisisses. Vi igitur, atque necessitate coactus magna gessisti. Mihi contra licebat in tenebris delitescere: præsertim cum omnibus illis instrumentis carerem, quæ maghum tibi adiumentum attulerunt. Cum igitur nõ vlla necessitate adstrictus, sed amore virtutis impulsus, animum ad res gerendas applicui; idq. tam multis difficultatibus implicatus, summa cum laude præstiti, inuidiamq. inimicam nouitati virtutis præstantia superaui: nihil causſæ esse video, cur sit mihi nobilitati cedendum. Hæc homo nouus. Quid contra nobilis? Ergo, tu me contra ius omne de possessione laudis deturbabis, tam multis ætatibus confirmata? Non vides hereditatem eius gloriæ, quam mei maiores adepti sunt, nõ minus ad me pertinere, quam prædia, quam villæ, quam reliqua bona, quæ ad me tamquam verum heredẽ lege redierunt? Quid igitur obstat, quo minus huius dignitatis fructũ, & mancipium in meis bonis numerare debeam, eiusque possessionem omni contentione tueri? Quod si ita est: iam vides, quam multis in locis hæc laudis hereditas fuerit amplificata, antequam ad me perueniret. Quoties enim accidit, vt aliquis meorum gentilium pulchrum aliquod facinus susciperet, toties scito adauctũ fuisse hoc dignitatis patrimonium. Omnia igitur meorum gesta ad meam gloriam reuocare possum: quandoquidem illorum vestigiis ingressus pugnaui, vt meorum decori non deessem. Tu igitur tua tantum virtute clarus es: ego non tantum mea, sed etiam meorum. Quantum vero ad gloriam domesticam attinet, qua dicis nobiles ad virtutem necessario excitari: immo plerosque videmus, gloria parentum cõtentos quiescere; nec vltra quippiam moliri, quod satis habeant, frui laude labore alieno quæsita. Quorum consilium vt reprehendam, id tamen liquet, nobiles homines nulla tantum re, quantum animi elatione, & magnitudine ad res gerendas incitari. Hæc, & alia multo plura possunt in vtramq. sententiam adduci: ita vt relinquatur ratio sane difficilis ad iudicandũ, vter alteri sit præferendus, si videlicet vtriusque virtus æque late pateat. Nam, si faciamus ipsius honestatis contentionem, virtutemque ipsam proprijs ponderibus examinemus; illius virtus esse videtur longe admirabilior, qui primus e familiæ obscuræ latebris emersit in lucẽ, industriaque sua laudem, & gloriam consecutus est. Si vero vita functis est aliquid tribuendum, eorumq. memoria, qui præclare de Repmeriti sunt, quod & ratio postulat, & leges præcipiunt, est post illorum mortem omni studio conseruanda, ii, qui secuti exempla maiorum suorum, in gloriæ cupiditatem incumbunt, nõ iniuriã præferuntur. Neque enim solum eorum industria, verum etiam parentum merita ponderantur. Est igitur anceps controuersia, quam alijs diiudicandam relinquo. Mihi enim satis est demonstrasse, id, quod etiam fortasse sine vllius explicatione satis apertum est, omne generis splendorem, & familiæ claritatem a fonte virtutis ortum habuisse.

Studiũ virtutis.

Virtute clarus.

Virtus examinatur.

Peroratio.

HIERO-

HIERONYMI OSORII LVSITANI

DE NOBILITATE CHRISTIANA

LIBER PRIMVS.

Exordium a iudicii grauitate Doctorum.

NON eram nescius, Lodouice Princeps inuictissime, cum has nostras cogitationes literis mandare instituissem, fore, vt hic noster labor in doctorum hominum vituperationem grauissimam veniret. Quidam enim temeritatis, & audaciæ nomine me condemnabunt, quod tantam rem sim animo complexus, quantam vix homines exquisita doctrina, præstantique ingenio præditi suscipere ausi fuissent: quosdam autem offendet, quod neque rerum magnarum tractatione, neque orationis ornatu, videbor suscepti muneris magnitudini aliqua ex parte satisfeciſſe. Alii igitur in me prudentiam, alii vero ingenii vim, & acumen desiderabunt. Quibus, antequam in huius operis disputationem ingrediar, breuiter respondebo. Equidem, etsi numquam ita me ipsum amaui, vt mihi vel ingenii laudem aliquam, vel doctrinę alicuius præstantiam assumerem; id tamen ingenui adolescentis, & in præclara studia incumbentis officium esse duxi, mediocribus rebus minime contentum, altissima, atque vehementer ardua consectari. Nam nec ille summus locus est omnino desperandus, & in medio non licebit insistere, nisi illi tantummodo, qui ad summum maximo animo contendet. Bene enim veteri prouerbio admonemur; vt ad rerum fastigia nitamur, si media tenere cupimus. Quod si nihil animo, atque studio complecti fas hominibus fuisset, nisi quod primum virium suarum imbecillitati conuenire putarent; neminem existimo vmquam ad vllam artium, non dico perfectionem, sed ne mediocritatem fuisse peruentu rum. Nec enim Platonem ipsum opinor, cum primum sese ad scribendi studium applicuit, tantum de se sperasse, quantum postea periclitando, & audendo consecutus est; neque Demosthenem ingenio suo tantum initio tribuisse, vt se aliquando Pericle superiorem in animum induceret; neque Ciceronem suspicatum fuisse, cum primum ad dicendi studiũ excitatus est, sibi diuinæ cuiusdam, & incredibilis eloquentiæ palmam reseruari. Sed, cum vis cuiusdam præstantis naturæ illos admoneret, vt ad multo maiora conarentur, quam quæ essent eo tempore viribus suis accommodata; summum illum eruditionis, & doctrinæ gradum consecuti sunt. Quid autem de iis dicam, qui mediocri doctrina culti, & eruditi fuerunt? Potuissent ne illũ ipsum locum obtinere,

Admonitio

nisi

Universidad de Deusto
Biblioteca

nisi supra vires suas audendo, seipsos ad maximorum hominum imitationem ardenti studio contulissent? Numquam enim tam bene cum rebus nostris agitur, vt eo, quo cursum habemus, omnino feliciter appellere valeamus. Quocirca omnibus, qui alicuius artis præclaræ laudem admirati fuerint, summa contentione enitendum est, vt non ad ea tantum, ad quæ peruenire cupiunt, sed ad altiora etiam contendant, quò tandem eo, quo cursum instituerant, facilius prouehatur. Cum sit igitur exploratum, neminem in aliquo numero esse posse, nisi summa studiosissime sequatur: non ii sunt in crimen audaciæ vocandi, qui conatum adhibent ad res maximas suscipiendas: immo potius illorum, qui id non tentant, ignauia, atque desidia est summopere reprehendenda. Nec me illorum oratio a scribendo deterret, qui genus aliud dicendi vberius, & ornatius, quam id, quod pro ingenii nostri imbecillitate possumus in hac disputatione sequi, fortasse requirent. Nam, si ea tantum, quæ a nobis augeri litteris, & illustrari queunt, tractare concessum fuisset; nemo vmquam scribere aggressus esset ea, quæ non dico verbis exprimi, sed nec omnino concipi mente, atque cogitatione possunt. Quis enim tanta diuinitate ingenii, aut tam admirabili dicendi facultate præditus est, vt de Christiana pietate, & religione, de sanctissimis Christiani nominis mysteriis, in quibus magna ex parte nostra versabitur oratio, postremo de Deo optimo maximo differere pro dignitate valeat? Atqui tantum abest, vt ii, qui statim initio rerum magnitudine franguntur, &, hoc timore debilitati, se ad alia quouis potius, quam ad Christianæ dignitatis ornamenta stylo celebranda conferunt, verecundię sibi laudem adscisçant, vt etiam in reprehensionem interdum impietatis incurrant. Omnes itaque, qui aliquid de litteris consecuti sunt, & in veræ pietatis studium fuerunt ardentius incitati, hoc animo semper exstiterunt, vt scelus inexpiabile ducerent esse, ingenium suum ad res alias excolendas, quæ abhorrerent a dignitate religionis, adiungere, cum tamen viderent, nulla quantumuis admirabili eloquentia, posse res tantas, tamque diuinas, explicari. Multa igitur ab illis relicta sunt ingenii monumenta, partim oratione culta, partim etiam horrida, & impolita, plenissima tamen grauitatis, & ardentissima pietatis significatione commendata. Quin etiam, multi ex illis omnes dicendi festiuitates, & orationis lumina, tamquam res leues, atque pueriles, & religionis dignitati parum consonas, neglexerunt. Quocirca minus est nobis laborandum, si conata efficere, &, quo iamdudum cupit animus, adspirare non possumus: cum & rerum magnitudine, & summorum hominum exemplo, & auctoritate defendamur. Illud autem admonere superuacaneum est, incidere sæpe multa in tractatione rerum sacrarum, in quibus non facile est tueri Latini sermonis elegantiam, ijs præsertim, qui non sibi durissimas quasdam leges imposuerunt, & animi sensa clare, & impolite potius, quam obscure, & eleganter expromere malunt. Nec enim vereor, si verbum aliquod interdum in ijs libris barbarum, aut peregrinum posuero, quod tamen sit ex sacris litteris depromptum, quin ea res mihi apud æquos iudices fraudi sit futura. Sed inepte facio, Princeps Lodouice, qui aliorum iudicium formidem in eo libro, quem ad te vnum scribo. Nec enim est mihi dubium, quin hæc nostra, qualiacumque sint, magis ex animo, quo scribuntur, quam ex aliquo scribendi artificio ponderanda existimes. Quam quam id quidem facio audacius, singulari tua humanitate, & commemoranda beneficentia prouocatus. Cum enim libellum quendam de Nobilitate ad te misissem, nulla quidem elegantia, neque doctrina perpolitum; illud animi mei in te ardens studium tibi non ingratum cecidisse, non solum muneribus in me collatis ostendisti, verum etiam, quod longe pluris facio, perhonorifico sermone declarasti. Nec enim possum dissimulare, me, quamuis minime laudis auidus sim, non maximo tamen gaudio tum cumulatum fuisse, cum non dubitarem, quin tanti Principis, tamque diuinis virtutibus ornati, testimonium, omnibus dignitatis ornamentis, ad gloriam antecelleret. Primum itaque, amore quodam religionis incensus, deinde studio amplitudinis tuæ concitatus, aliquid multo amplius complexus sum, de quo in iis tribus libris disputarem. Et, quamquam de Nobilitate inscripti sint, longe tamen diuersa ratio est, quam in præsentia secutus sum, ab ea, quæ commentarijs illis nostris continebatur. Illic enim de naturali tantum virtutis indole, in certis gentibus elucente, disseruimus: quæ si excitetur, & exercitatione confirmetur, perficit illum naturalem generis splendorem, quem Nobilitatem appellant. In quo quidem sermone, cum primum dialecticorum more nobilitatem definientes, & in partes tribuentes, eius vim, & rationem explicare conati essemus: tum de illius origine, & antiquitate diximus, ab heroicis vsque temporibus omnem veterem memoriam repetentes. Postremo, cum nobilitas vt humana omnia, sit bonum varium, & commutabile; quibus artibus id generi lumen accederet, quibus contra vitiis exstingueretur, ostendimus. Omnis autem nostra disputatio eo pertinebat, vt demõstraremus, nobilitatem virtutis radicibus innixam sustentari; virtute vero

Instituum ad laudem.

Difficultas in diuinis.

Reiectio & commemorationem.

Confessio.

Repetitio.

uero fracta, atque debilitata, concidere.

Virtus in quo consistit.

¶ I. SED, quoniam omnis illa virtus, in qua tũ magna ex parte nostra oratio versabatur, quãuis habeat speciem amplam, & illustrem, non tamen attingit illam perfectam virtutis rationem, sed in ciuili quadam exercitatione consistit, humana magis opinione celebrata, quam vero illo, diuinoq. numine sanctitatis illustrata; visum est mihi, altius repetito principio, inuestigare, quam vim habeat vera, perfectaq. virtus: vt, illa scilicet perspecta, possimus intueri, vbi consistat perfecta illa, omnibusq. numeris absoluta nobilitas. Cum enim generis claritas a virtute nascatur; cõsequens est, vt eam tantũ magnam, & veram generis claritatem existimemus, quæ ab illa certa, atque constanti virtutis ratione profecta fuerit; quæ scilicet non ostentatione, sed veritate tuetur dignitatem. In hoc igitur opere, primum illam virtutem, quæ constat opinione, a vera vitute distinguentes, illius nobilitatis ornamẽta, quæ diuino munere Christiano generi concessa sunt, explicare conabimur. Sed, cum virtutis vis intelligi non possit, nisi fuerit ante constitutum illud vltimum omnium bonorum, ad quod omnia vitę consilia referenda sunt, siquidem virtus nihil aliud est, quam certa via, atque directa, dirigens ad illud summum omnium rerum expetendarum: cum igitur virtus sine vltimi finis explicatione intelligi non possit; principio aggrediemur explicare, quod sit illud humani generis vltimũ, ad quod destinati natura sumus, & vnde honestatis vniuersæ ratio defluxerit, & in quo summũ hominis bonum continetur. Nobilitas enim, virtute spoliata, ne intelligi quidem potest: virtus vero, nisi in verum finem respiciat, nulla censenda est: ita fit, vt, nisi summi boni ratio penitus nota fuerit, nulla nobilitas constare queat. Deinde, cum generosi animi, atque magnifici sit, alta contueri, & infima omnia negligere; certum est, eum tantum nobilem, & splendidum dici debere, qui summum aliquod bonum, & excellens intuetur. De finis igitur istius ratione, item de generis humani condicione, & dignitate, postremo de illius ruina, & occasu, in hoc primo libro scribere instituimus, vt sic tandem aditum ad hominis perditi restitutionem, & nominis Christiani decus, mihi comparem. A te vero, Princeps Clarissime, peto, vt ea animi lenitate, singularique, & propemodum diuina benignitate, qua tuos omnes semper fuisti prosecutus, hæc scripta nostra recipias. Satis enim magnũ præmium arbitrabor esse meis laboribus persolutum, si intellexero hoc meum erga te in hoc scribendi genere studium, tibi non prorsus iniucundum contigisse.

Auctoris institutum.

III. VT igitur ab eo principio ordiamur, satis constat, omnes mortales in aliquem finem respicere, quo proposito in actiones incumbunt. Hunc autem vltimum finem, vno ore omnes appellant vitam beatam, florentem, atque felicẽ, omni genere mali vacantem, & omnibus bonis affluentem. In quo tamen insit ista felicitas, fuit semper inter mortales summa, perpetuaq. dissensio. Quali enim quisque animo præditus est; talem de summo opinionem aucupatur. Principio enim, qui se totos corpori dediderũt, neque cernere oculis potuerunt pulcherrimam sui partem; ii vel in diuitiis, vel in corporis voluptatibus illud vltimum ponendum esse statuerunt. Partim enim existimabant, felicitatẽ omnium commoditatum affluentia contineri, easq. commoditates, quas solas intelligere poterant, iis diuitiarum opibus parari videbant: partim, cum nullam maiorem suauitatem sentire potuissent ea, quæ sensibus dulcem motum affert, ipsamq. felicitatem omni genere suauitatis completam esse ducerent; voluptatem corporis omni studio complexi sunt. Qui autem erant grauiore aliquo morbo corporis, aut fortunæ iniuria vehementius oppressi; in corporis integritate, aut in illius mali depulsione, quo acrius vrgebantur, summam vitæ beatæ consistere statuebant. Horum autem omnium error, & inscitia est exsecrãda magis, quam verbis, & oratione refellenda. Quis enim non videt eorum amentiam, qui, cum & animo, & corpore constemus, alteram tantum sui partem, & eam quidem longe multumq. inferiorem, nobisq. cum belluis communem, amplectuntur: alteram vero, quæ formam, & speciem diuinæ mentis habet, nihili pendunt? Sunt deinde alii (vt ab isto hominum genere turpi, & abiecto diceda-mus) elatiore animo prediti, paulloq. acutius videntes naturæ uim, qui honores, & dignitates omni diligentia consectantur. Est enim nobis innatum splendidum quiddam, atque magnificũ, appetens honoris, & principatus, quod in iis, qui excelso animo sunt, apparet facillime. Isti tamen primum in eo graniter errant, quod ex imperitæ plebis opinione pendẽt; & in insipiẽtis multitudinis rumore ueræ laudis pulchritudinem ineſſe constituunt. Deinde, quod honores, & imperia, tamquam ultimum uitæ præmium, & finem spectant. Illud enim ultimũ bonum, constans, fixum, & stabile, non varium, fragile, & caducum, nec in quo vanum uulgi testimonium dominetur, ponendum est. Deinde, qui conuenit in eo finem collocare, quod numquam per se expeti contingat, sed semper ad aliud referatur? Videmus autem omnes, qui ad Rempublicam accedũt, tribus maxime de caussis honores ambire. Quidam enim, ut, potestate maiore prediti, omni genere uoluptatis, & omnibus uitæ commodis potiantur: alii deinde, ut uirtutis nomen obtineant: ualet enim plerumque ciuilis prudentiæ, ac egregiæ uirtutis opinio in eo, qui est in maxima dignitate constitutus. Sic enim uulgo homines opinantur: nõ temere fuisse honores illos ad quempiam delatos: sed propter aliquod uirtutis insigne meritum. Postremo, qui melius instituti sunt, ob id petunt fæpenumero magistratus, ut in Republ. gerenda, omnibus illis uirtutibus, quibus ornati,

Honores tribus modis ambiuntur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ornati,& instructi sunt, magnificentissime perfruantur. Nam,qui iustitiæ,integritatis,& constantiæ fructum capere concupierit,non aliunde poterit vberiorem colligere, quam ex eo dignitatis gradu, in quo non sibi solum, sed ciuibus uniuersis,in maximis rebus usui esse possit. Cum igitur quidam,ut possint facilius commodis.& uoluptatibus expleri; quidã uero,ut uirtutis nomen aucupentur; alii postremo, ut sese in studio uirtutis exerceant, seruiunt honoribus; imprudentissime faciunt, qui in illis uitæ finem collocandum esse putant. Si quidem finis ultimus non alio refertur, sed omnia propter finem expetuntur. Quocirca uoluptates, corporis integritatem,& reliqua eiusmodi, in infimũ bonorum ordinem, si bona illa appellãda sunt, coniicienda putemus. Honores uero,non ambitionis studio, sed ratione consectemur interdũ, ut quamplurimis prodesse possimus: non ut in illis uitæ præmium constituamus. Sed iam istas multitudinis opiniones omittam, ut ad eorum sententias, qui se uitæ magistros esse profesi sunt,gradum facere possim. Non tamen ad omnes. Esset enim infinitum,persequi tam multas opiniones, quam multæ Philosophorum monumentis.& litteris mandatæ sunt. Illos autẽ omnino prætermittam, quorũ sententiæ nullo modo discrepant a multitudinis opinione.Nempe qui cum se flagitiis inquinassent,nihil aliud turpitudinis tenebris occæcati uidere potuerunt, nisi quod ad uoluptates corporis, atque commoda pertineret. Cyrenaicos igitur nescio quos, Hieronymum Rhodium, Aristippum, &, qui uti iusque sententias complexus est, Epicurum præteribo. Nec enim digni sunt, qui ueniant in numerum eorum, qui doctrina & ingenio sunt præstantes existimati.

Voluptas quo reiicienda.

IV.

Philosophorum secta.

VT igitur ad Philosophos ueniamus, satis constat, Academicos, atque Peripateticos triplicem bonorum rationem posuisse. In primo ordine illa collocant, quæ animum perficiunt. Quæ quidem rursus in duo genera diuidunt. Alia siquidem mentem instruunt ad plurimarũ rerum scientiam: alia uero uoluptatem ad omnem uirtutem, quæ prudentiæ moderatione gubernatur, erudiunt. Secundo loco ea numerãt, quæ pertinent ad corporis perfectionem, & incolumitatem. Postremo ea bona, quæ fortuna, & casu proueniunt, in infimum ordinem coniiciunt. His autem omnibus bonis in unum collatis,compleri uitam beatam putant: ita tamen, ut uirtutem,uel uirtutis usum, præcipue amplectantur: opes uero uel corporis, uel quæ extra corpus in casu sunt,ita retineãt,quasi quasdam uirtutis satellites, atque ministras, quæ illi ad nutum adsint,& sine quorum operis, existiment haudquaquam commode posse fungi suo munere uirtutem. Felicitatem uero ita definit summus uir Aristoteles. Est, inquit, animi actio,secundum maximã uirtutem,per omne uitæ tempus suscepta. Virtutem autem maximam, sine illis, uel corporis, uel fortunæ bonis exercere posse,minime censet. Nec is ullo modo est, qui uitam beatam dici debere putat eam, quæ aliquando est in maximos mærores, & calamitates peruentura. Statuit itaque, ut omnes uitæ actiones illuc respiciãt,ut animi uirtutes egregiæ comparentur;deinde reliquis bonis ita circumfluatis,qui beatus esse studet,ut neque uitæ cultus, & uitutis officium propter inopiam deseratur; nec ipsæ fortunæ, & corporis facultates,ad aliud prius,quam ad decus, & honestatẽ referantur. Hæc autem cum ad humanam uitã aptissime dicta esse uideantur,ita sunt omnium ferme opinione comprobata, ut nulla umquam sententia a pluribus recepta sit. Nam & uirtuti primas defert,cuius splendore homines bene instituti maxime ducuntur: & cum reliqua bona uel corporis, uel fortunæ haud contemnenda putat, popularis efficitur. In qua tamen opinione,quam multa uitia sint, facile perspiciet, qui rem ipsam diligentius animaduertet. Maximæ uirtutis usũ,in uita diuturna, perfici uitã beatam putat. Age iam uideamus,quæ tandem sit ista uirtus uitæ felicis effectrix: aut quibus studiis eam nobis comparabimus,quibusue notis honestatem,ab honestatis simulatione distinguemus. Mihi enim non uenit in mentem suspicari,unde uirtus intelligi possit, nisi prius ultimi boni rationem perspectam habuero. Nec enim Virtus aliud est, quam rationis perfectio ad ultimum uitæ consequendum. Rationem uero perfectam tunc inquiũt esse,cum,instar eius, qui aliquo sagittam, aut hastam collineat, ita ratio aliquem finem propositum tamquam signũ intuetur,in quod dirigat omnes actiones. Nullo igitur modo uirtus percipi potest, nisi comprehenso,& percepto fine: quod etiam Aristoteles ipse decreuit:quandoquidem, antequã de uirtute disputaret, ultimi boni rationem explicare aggressus est: ut scilicet,illo constituto, quæuis, & natura uirtutis esset, quidq. posset efficere,cerneretur. Quod tamen præstare non potuit.Quæro enim,quod sit summum illud bonum,cuius ut compos efficiar, omnes sint mihi subeundi,& excipiendi labores. Hic mihi omnia bona enumerat, cuius copia uitam beatam contineri putat. Et primo loco omnia uirtutis officia.Iam hoc quidem & præposterum esse,manifestum est:finem ex uirtute cognosci, non ex fine uirtutem. Sed demus id,ut tandẽ, quid uirtus sit,dispiciamus. Virtus, inquit, est constans animi affectio,consilio parata, cõsistens in quodam medio, eoq. recta ratione constituto. Longius quaso progredere. nondum enim uirtutẽ uideo. Quæ tandẽ est ista recta ratio, quam in uirtutis definitione posuisti? Ea, inquit alio in loco, quæ nullis tenebris impedita, facile eum finem cernit,ad quem sunt omnes actiones uitæ referendæ. Rursus me ad finis inuestigationem reuocas,quẽ ut probe tenerẽ,ab illo ad uirtutis considerationẽ me reiecisti. Quid quæso aliud est,in orbẽ circũferri,si hoc nõ est? Virtutẽ eam esse ponis, quę dirigit ad finẽ. Rursus ita finem descri-

Aristotelis felicitas.

Virtuti primæ defertur.

Virtus absq. que fine nõ percipitur.

Quæstio & correctionem.

describis, vt, nisi prius vim virtutis cognitam habeamus,quid finis sit, ne suspicari quidẽ possimus. Hæreo igitur,neque quid virtus sit, nequorsum ferat intelligo. Sed, vt ista spinosiora linquamus,videndum est,num ea felicitas, quã posuit Aristoteles,eiusmodi sit, ad quam valeamus aliquando peruenire. Nam, si ea est, quæ neque parabilis est,neque alicui contingere potest, propter rerum humanarum inconstantiã, & imbecillitatem: quem fructum uitæ communi ferret ista beatæ uitæ descriptio? Præterea, cũ omnia, quæ sunt in rerum natura, fere semper suum finem assequantur; uehementer absurdũ est arbitrari,solum hominem, cuius caussa omnia,quæ uidemus oculis,creata sunt,numquam suum finem adipisci: quod est Aristoteli necessario confitendum. Cum enim summum bonũ in hac uita ponit,& eam uim fortunæ tribuit,vt eius aliquo grauiore cursu,possit obteri instituta felicitas; id uidetur statuisse, omnes mortales esse semper miseros. Quis enim est, cui data sit immunitas eorum malorum,quibus hanc uitam oppressam,& afflictam uidemus? Ecquis, inquam,est adeo liber,& immunis,quin grauissimis interdum malis urgeatur, uel saltem non extimescat eas clades,quibus uita beata,si modo illa beata est appellanda,corrumpi,& amitti potest? Omnes enim mortales, ista condicione nascuntur, vt magnam uitæ partem exigant in lacrymis, & mærore, infinitis malis, & calamitatibus implicati. Nec ex omni hominũ memoria, aliquis umquam inuentus est, cui non multis partibus plura mala, quam bona contigerint. Solum ille Græciæ sapientissimus,interrogatus a Crœso Lydiæ rege, quem putaret esse beatissimum: Tellum quendã Athenienſem retulit,qui in patria florente,liberos, & forma, & uiribus excellentes suscepserat; & postremo mortem clarissimam pro patria dimicans oppetierat. Annumerauit etiam Cleobin, & Bitona Argiuos: qui, cum egregio pietatis officio erga matrẽ functi fuissent, a uita digressi sunt: cum mater a Iunone, cuius erat sacerdos, precata esset,vt illis largiretur, quod maximũ homini præstari posset a Deo. Fuit illis igitur (vt ferunt) mors, præmium pro pietate constitutũ. Hos ille tres,qui e corpore excesserant, beatos esse censuit. Nemini uero, qui in uita maneret, id concedi posse confirmauit. Longo enim tempore,inquit ille, multa quæ nolumus, aspicere, & perpeti opus est, neque dies sequens idẽ omnino affert,quod attulit antecedens. Omnis igitur homo,o Crœse,est obnoxius calamitati. Tu mihi quidem opibus abundare, & multis nationibus imperare uideris: illud tamẽ, quod a me quæsieras, numquam tibi tribuendum putabo, nisi prius audiero, te cum dignitate uitæ spiritum extremum edidisse. Nec enim ille,qui plurimas diuitias congestas habet, illo, qui in diẽ uiuit,beatior esse potest: nisi eadẽ fortuna, rem bene gerentem,ad mortem usque sequatur. Hactenus Solon. Cuius uerba si perpendas,intelligis plane, ne illos quidem tres fuisse illius sententia beatos: Sed,cum uir infigni sapientia clarus, in communes hominum miserias inspexisset; cum iis actũ esse præclare existimauit, qui antequam grauiore clade, aut ærumna premerentur, a uita discessissent. Non itaque molestiis omnibus uacuos exstitisse, beatos tamen præ omnibus aliis fuisse, quos in uita cernebat innumeris doloribus intercludi,iudicabat.Quẽ admodum,inquiunt,futurum fuisse beatũ Priamum, si non ita diu uixisset. Non quidem,quod ætatis flore, omni doloris acerbitate caruisset, fuerat enim captus ab hostibus, multaq. iam in ea ætate calamitates hauserat, sed quia morte abstractus fuisset ab omnibus illis cladibus luctuosissimis,quibus postea fuit miserrime circumuentus. Non uidisset,inquiunt,Hectora ad Achillis currum religatum trahi, sacras ædes suorum sanguine funestari, ciuitatẽ uniuersam crudelissime uexari,diripi,& incendi, omnisaq. sanguine,& incendio miseri,& reliqua, quæ in illis heroicis calamitatibus recensentur.Sic igitur illi tres comparatione habiti sunt felices, quod morte tempestiua, illis grauissimis malis,quibus ii,qui diu uiunt,assidue conflictantur,erepti fuissent. Qui potest igitur in ea uita summum bonum esse,qua quamprimum discedere, sit diuinum beneficium? In primis itaque celebratur uulgatissimum illud Sileni responsum,nempe optimum non nasci,proximum uero quamprimum ad mortem ire. Quod quidẽ rectissime dicitur, si ad cõmunes uitæ miserias, & acerbissimos casus spectes, nec in aliũ finem respicias. Memorant esse quandam in Thracia gentem, quæ infantes in lucem editos mærore, & lamentis excipiant, suorum uero funera tripudio, & cantu prosequantur. Initiis enim uitę, tamquam malorum omnium principio, lacrymas existimant conuenire:morti uero,tamquam miseriarum fini,gratulationem.Sed quid plura in hanc sententiam disputo? Non modo enim antiquorum testimoniis,sed etiam nostræ memoriæ infinitis exemplis perspici potest:neminem umquam fuisse, qui non sæpissime curis,angoribus, periculis, innumeris morbis, & calamitatibus premeretur.Colliguntur a uiris doctissimis pauci admodum, qui uulgo omniũ mortalium beatissimi putabantur, quales fuerunt Metellus Macedonicus, Cæsar Octauius, L. Sulla, & pauci admodum præterea. Horum autem uarios casus, & ancipites percensentes, & ea mala,quibus sæpissime agitati fuerũt,enumerantes; ostendunt facillime nobis humanæ miseriæ grauitatem.Nam,si ii,qui fortuna valde secunda usi sunt,huius uitæ acerbitates effugere non potuerunt; quid erit de reliquis omnibus existimandum, qui sunt omnium confessione miseri? Quod si casus sit alicui adeo propitius, vt omnia uitæ commoda in eum conferat,hunc semper uidebimus tragicos exitus, & uehementer calamitosos habere. Quod accidit illi Polycrati Samio, qui cum summa felicitate per

Nihil in rerum natura absq. fine.

Hominum condicionis fera.

Diues non est pauper beatior.

Gens Thracia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

per omne vitæ tempus vsus fuisset, tandē hostiū proditione vita,& fortunis omnibus fuit spoliatus. Quid hic Cyri mortē? quid Cambysis exitū? quid Magni Pompeii tristissimam cædem referam? quid alios innumerabiles percenseam,materiam præbentes,ad grauissimos luctus etiam in tragœdiis, & fabulis excitandos? cum ipsa vita communis fateatur, nihil in terris esse homine calamitosius? Si igitur, quod Aristoteli placet, ista bona ,vel corporis, vel fortunæ, ad beatæ vitæ cultum requiruntur, & mala contraria vitam miserā efficiunt; nemo certe beatus esse poterit. Nemo est enim, quin grauissimis interdum malis vrgeatur,vel saltem, quod idē valet,ea quæ possunt homini euenire,noctes, & dies non formidet,instar eorum,qui describuntur apud inferos:

Virg. Aeneid.6. *Quos super atra silex iamiam lapsura, cadenti*
Imminet assimilis. ——

Frustra igitur vir tantus operam suam consumpsit,in eius beatitudinis explicatione, quā possint quidem optare multi, nemo tamen assequetur. Quod si tantum ingenium, tantam industriam, tantum in explicanda rerum natura studium fefellit,quid in vita sequendum esset; minime mirum est,si reliqui, quorum neque simile acumen fuit, neque par in indagatione veritatis industria,lapsi,& decepti sunt, quales Stoici fuerunt.

IV. Zeno philosophus. HORVM autem princeps Zeno, vir grauis, & continens, & qui, vt sibi quidem videbatur,cum aduersus doloris stimulos, & fortunæ fulmina solius virtutis armis egregie tectus esset,corpus omnino contempsit,omnemq. felicitatem animi bonis terminauit.Ea tamen dicit, quæ a nullo viro sapiente, qui non esset eidem sententiæ consecratus (fit enim sæpissime, vt multa non animi iudicio, sed constantię caussa defendantur a multis) ea igitur dicit, quæ nec ab eruditis probantur,& irridētur ab indoctis. Vult enim, vt sit animus ita constantia fundatus,& constitutus,vt ne tantulum quidem vmquam ecmmoueatur. Nefarium enim facinus existimat,angi dolore, & solicitudine; gratia, aut misericordia flecti;impelli cupiditate; ira, odio,aut aliqua perturbatione mentis incitari. In hoc autem statu omni motu vacante, quam Græci ἀπάθειαν appellant, summū bonum contineri putat:ita vt,qui illum fuerit assecutus, sapiens,Rex, atq. beatus sit existimandus: reliquos omnes,tamquam stultos,seruos, & omnibus malis inquinatos, contemnit, & pro nihilo ducit. Principio autem summum bonum in humana dignitate collocare, ita vt nullo dolore corporis,nulla grauiore calamitate possit illa virtus a beata vita deseri, est hominis splendide magis,& magnifice,quam sapienter, & vere dissentis.Nam,cum animus ipse sit naturali amoris coniunctione corpori deuinctus; fieri certe nulla sapiētia potest,quādiu in ista coniūctione manet,quin, corpore doloribus oppresso,animus conficiatur ægritudine. Si igitur recte censent Stoici, animum ægritudine occupatum,in miseria esse;fateantur necesse est, si non veritatem extorquere, & sensibus vim afferre velint,neminē quantauis sapientia præditum, in totius corporis doloribus esse beatum. Nam si sensus nihil ad nos pertinerent, corpusq. ipsum non esset hominis pars;tunc potuissent cuiuis homini mediocri probare, eum cuius corpus vratur, nihilominus tamen esse beatum. Cum autem animo,& corpore constemus; qui possumus,quamdiu hæc vita manet, summum bonum id existimare,quod alteram tantum nostri partem amplectitur,alteram vero in malis deserit? præsertim cum,natura ita cogente,ipsa mala corporis,in animam redundent? Sapiēter enim a viris doctrina, & ingenio præstantibus est existimatum,iram, & cupiditatem fuisse animis nostris a natura vtiliter insertas; vt animi ipsi corporum, quorum custodes esse debent,saluti consulerent. Vt scilicet cupiditate salutaria corporibus appeterent, ira vero noxia,& incommoda propulsarent.Cum igitur secundum naturam sit ira, & appetitus; necesse est,cum aliqua species maximi boni, aut extremi mali animis nostris obuersabitur, vt animi ipsi maiore quodam impetu concitati,vel in bonum alacrius ferantur, vel malum vehemētius formident.Cum autem formido, vt de aliis motibus fileam, cogente natura in animum inuaserit;ipsam Stoicorum felicitatem,quæ in indolentia consistit,facillime dissipabit.Iam,vt suis argumentis omnia conficiant, quid tandem ex eorum decretis ad humani generis vtilitatem transferre possumus? quæ vitam omni ratione labefactant,cum omnes motus nostris animis innatos,& quibus ad virtutem interdum acuimur,euellūt radicitus. Quam facile id fit,omitto.Nemo est enim,qui nesciat,id humanæ naturæ repugnare:& qui stuporem illum,quem Stoici appellant tranquillitatem, animis iniicere solent; eos non hominis bonum constituere, sed omnem sensum humanitatis exstinguere,& sepelire.Id igitur, quod notum omnibus est, omittamus; &, quam salutaris ea sententia sit hominum cœtibus, inspiciamus. Hostium nuntiatus aduentus ciues terret vehementius. Omnis igitur ciuitas metu turbata, in maxima cura versabitur, quo possit illud malum a se depellere. Principes ciuitatis consilio,& auctoritate communi salute prospicient, iuuentutem in armis continebunt, præsidia disponent, reliqui omnes pro se quisque sedulo efficient, quo illam externam vim, quam quidem malum, & id non mediocre esse statuunt, a finibus arceāt. Vir autem ille magnus, & grauis in ea totius patrię formidine,nullo modo is erit, qui priuato otio publicum negotiū anteferat. Cur enim se leuissimorum hominum caussa a sapientiæ studiis abducet? nullo modo faciet. Immo in eo ciuitatis vniuersæ tumultu, constantiam illā suam retinebit. Irridebit interim, atque contemnet eorum hominum leuitatem, qui id tamquam

Summum bonum.

Stoicorum assertio.

Ira & appetitus.

Ciuitas in cura versatur.

quam malum formident, quod nulla ratione in malorū numero sit habendū.Iam vero,cum vrbē obsidione cingi viderit,& summis vndiq. viribus oppugnari; risum tenere non poterit, animad uertēs ciues suos trepidare metu, conuolare,huc, & illuc discurrere, omnia periclitari,quo tandē a mœnibus hostiū impetum repellant. Immo,inquies,tunc nō opinione mali cōmotus,sed animi iudicio ductus,in hostiū castra irrumpet armatus.In quē finē quæso? Nec enim vir sapiēs quidquā temere efficiet, nihil nisi magno consilio aggredietur. Cuius igitur rei gratia actionē illā suscipiet? an, vt suis ciuibus afflictis aliquid opis afferat? At ciues suos non aliis malis opprimi putat,nisi errore opinionis,& inanitate.Id autē,cuius specie territos animaduertit, nullo modo in malis numerat:&,quāquam asperū esse fateatur,non tamē eiusmodi, vt pro stultorū opinione sit extimescendū.Lente igitur, & negligenter, non acriter,& animose certamen illud putabit esse sibi subeūdū.Quis igitur erit fructus huius magni ficæ sapientiæ? Aut in quo tandē loco animi excelsi,& inuicti lumē ostendet? Illum opinor exitum fabulæ spectabit, vt cū ciuitatē funditus euerti,omniaq. agi, & ferri viderit, ostēdat se nullo dolore frangi,& debilitari,seq. in seruitute Regē, in omnium rerū inopia copiosum, in dolore beatū, in ærumnis florentē esse iacta bit.Id etiā vt probet, & stultitiā, in qua vnum summū malū ponit, suis detrahat, contorta,& aculeata sophismata,quasi medicinā illius inanissimæ opinionis adhibebit, quibus probet, mortē,exsiliū, egestatem,orbitatē,cōtumeliā, & seruitutē non esse in malis habenda. Omnia certe(vt verū fateamur)magnifica,& excelsa, sed quæ nullū omnino fructum ferant hominū cōmunitati.Nec enim isto modo sapiens impēdentē belli molē prudētia præcauebit,nec præsentē acri animi impetu propulsabit.In rebus, inquies,ciuibus vsui esse poterit.In quibus? in publicis ne? quomodo eum Reipublicæ præficies,qui nullū vel in faciēdis legibus,vel in iudiciis exercendis,rerū discrimen nouit,neque minore supplicio plectendū esse statuit eū, qui deliquerit in re leuissima,quam qui parēti necē per summū scelus intulerit? Quid autem dicā in priuatis? Hunc speres impelli posse ad homines miseros,& afflictos excitādos,qui misericordiā fracti animi seruitutē esse cōstituat? Quo modo autē flagitiosos homines acrius insectabitur,aut virtute excellētes ardētius amplectetur is,qui nullo vel odii, vel amoris sensū ducitur? Quid autē (vt vno verbo dicā) rebus humanis vtilitatis inueniet is,qui se hominē obliuiscitur, humanæq; naturæ sensum repudiat? Cōmotiones enim animi ratione reiectandæ sunt,nō radicitus euellendæ. Illud enim & salutare est, & in prudētiæ potestate situm: hoc autem neq. fieri vllo modo potest, &,quāuis fieri potuisset,nō esset adeo optabile,& expetendū. Omnis enim virtus frigida nimis, & languida est,quæ non exsistit ex animo, maximis industriæ stimulis commoto,& concitato. Nam,cum omne officiorū genus ab animo cōformetur, nihil poterit fieri acriter, animose, vehemēter ab eo, cuius animus ardore quodā non fuerit incitatus, & non mediocriter incēsus.Quod autē pro concesso sumunt, omnē animi motionē esse rationi contrariā; nemo facile dabit,cum videat ipsam rationē cunctis animi affectionibus leges imponentē, &,quousq. sit progredi endū,diligentissime præscribentē. Ratione itaq. irascimur interdū, odio, aut amore ducimur, miseri cordia flectimur, timemus multa venientia, præsentia vero cum dolore sustinemus,inflammamur studio, gaudio etiam efferimur, & exsultamus. Quæ quidem affectiones cum sese efferunt longius, recta ratione frenātur,& cohibentur, numquā tamen penitus exstinguūtur. Non semper igitur animi cōmotio rationi aduersatur: immo sepe numero sequitur rationē. Vt igitur in mari nō ea trāquillitas optāda est,in qua ne minima quidē aura fluctus cōmouetur, sed illa potius, in qua nauis a puppi secundis ventis impellitur; ita in animo desiderādus est mediocris animorū flatus, quibus celeres cursus, & certi dirigantur. Atq. vt prudens, & alacris agitator nō semper equū a cursu sustinet,sed aliquādo longe sępius admotis calcaribus immittit;sic etiam ratione concitantur animi appetitus, quo rem geramus alacrius. Quod tandē igitur est istud summum bonū, quod nulla ratione parari pōt, &, quamuis posset, nullā tamen salutē rebus humanis afferret? In eo vero quod disputant, sola virtute vitam beatā perfici, non videntur animaduertere,quæ sit istius verbi vis. Beatū enim, nisi expletū & in suo genere cumulatū, ne intelligi quidem potest. Quæ autem vis,humana industria,& studio comparata, infinitā illam multarū, & maximarum rerū cupiditatem,natura mentibus humanis insitā,explere, & satiare valet? Qua quęso virtute, (vt alia omittā)ardens illud veri visendi desideriū,quo maxime anguntur ii,qui sapientes haberi volunt,minues, atque lenies? Quis vmquā fuit, qui omnes artiū disciplinas, omnes naturaliū rerum caussas,omnem Reip. gerendæ prudentiā teneret,atq. perciperet? Omnia naturę obscuritate inuoluta sunt, neq. fuit vmquā quæstio adeo prompta, & facilis, de qua inter doctos homines nō fuerit summa,perpetuaq. dissensio. Illa etiā, quæ tractamus, & in manibus habemus, atque adeo nostri corporis, & animi naturam explicare nequimus: quod facile ostendit, quā tenui ex parte nos rerū scientia cōtingat. Quo pacto igitur sapiens acquiesce re in virtute potest,cū omniū scientiarū cupiditate flagret,nec ea tantū,quæ cernit oculis, sed multa etiā,quę voluit animo,cōprehendere cupiat?ipse vero ne minimæ quidē alicuius rei naturā penitus notā habeat.Illum vero perfectū animi statū tunc fore putandū est,cū ani-

Summū malū in stultitia.

Misericordia seruitus.

Animi cōmotiones.

Rationē ira scimur.

Similitudo a maris trā quillitate.

Naturæ obscuritas.

Perfectus animi status

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus ipse ita completus omnibus bonis erit, vt nihil amplius requirat. Relinquitur, opinor, nullo modo posse in virtute ista nuda, quã Stoici exornant, beatæ vitæ summam consistere, cum nec in illa sint omnia, quæ ad humanã vitam, & cultum pertinent: nec animus ea sola contentus esse posit, præsertim cum ea cupiat, ad quæ quidem nullis humanis opibus vmquam peruenerit. Omnia namque humana scita, siue mentem instruant, & exornent, parua, & angusta sunt: animus autem ita natus est, vt semper aliquid immensum, & infinitum desideret. Faciliusq. Aetnæ incendium stilla exstinxeris, quam ardentem illam cupiditatis sitim, nostris animis innatam, satiare possis. In quo quidem non sunt improbi reprehendendi, quod infinita cupiant, sed quod improba cupiant. Illud enim infinitum est in natura, hoc vero proficiscitur a consuetudinis depravatione, & improbitate. Siquidem nec is, qui dignitatem acri animi studio petendam putat, modum in rebus honestis expetendis sibi ipsi constituat. Fingamus autem aliquem ea felicitate præditum, quam solam Zeno posuit, ita, vt sit omnium humanarum artium genere cultus, & eruditus, omniq. virtutum comitatu circumfæptus. Addamus huic, si placet, ea bona, quæ sunt in corpore, & extra corpus, quando Academicis, & Peripateticis visum est, ista tamquam virtutis instrumenta minime negligenda esse, qualia sunt vires, pulchritudo, integri sensus, firmitas valetudinis, & reliqua generis eiusdem: deinde opes, & facultates, generis decus, & honores, filii omnibus rebus florentes, & ornati, amici denique magna amoris conspiratione consentientes.

Cupiditatis sitis ardens.

VI. Epicurus voluptatem secutus.

POSTREMO, si videtur, vt Epicuro obsequamur, demus operam, vt omnibus exquisitis voluptatibus animo, & corpore potiatur, eumque doloris acerbitate, atque metu, quantum humano consilio prouideri potest, liberemus. Huic fortasse dices, nihil deesse vel ad dignitatem, vel ad vitæ cultum, & elegantiam, vel ad voluptates. Verum, si ab isto quæras, an præterea aliquid desideret, clamabit, si verba fingere non vult, se tantis istis commodis, quibus affluit, minime contentum esse. Hunc Zeno vexabit contumeliis, eumque miserum, atque dementem esse statuet, vel eo solum nomine, quod illam effrenatam cupiditatem, & immensam non cohibeat, quodque in tantis opibus inopem se esse fateatur. Cui tamen, qui iudex æquus fuerit, ignoscendum putabit. Nam, vt illius animus in eiusmodi bonis acquiescat; quod fieri nulla condicione potest; nec enim, si omnia bona humano studio parta in animum coniicias, illius capacitatem expleueris; vt id tamen fieri posse concedamus, immortalitatis certe desiderio noctes, & dies cruciabitur. Istud, inquit, non est fas optare sapienti? qui ita se suis finibus tenet, vt omnes actiones non cupiditate, sed natura metiatur. Quasi vero immortalitatem cupere, sit transire naturæ fines, aut quidquam sit magis humanæ naturæ consentaneum. Vnde igitur tanta cura insita est hominibus eorum, quæ post mortem futura sunt? Vnde & procreandæ sobolis, & nominis propagandi desiderium? vnde illa, quę splẽdidis ingeniis innata est, sempiternæ gloriæ cupidita? Non aliunde certe, quam ex immortalitatis studio. Nam diu videt homo, animal scilicet mentis, & intelligentiæ particeps, nihil recte beatum appellari, quod non sit constans, & æternum: & omnia, quæ amitti, & eripi possunt, esse à felicitatis ratione longe aliena: mortem formidat, & ad immortalem vitã flagranti cupiditate, & naturali quodam animi impetu concitatur. Cui dum diffidit, se versat huc, & illuc, & in eam cogitationem totus incumbit, vt quacumque ratione possit sese ab interitu vindicet. Alius igitur operam dat, vt filium sui nominis effigiem, tamquam alterum se, post mortem relinquat. Alius in eo pugnat, vt elogiis, ingenii monumentis, rebus a se præclare gestis, sui memoriam quam maxime diuturnam efficiat. Alius ædificiis magnificentissime exstructis id molitur, vt se memoriæ hominum commendet. Quod satis iudicium facit, omnes naturæ admonitu mortem perhorrescere, vitæque perpetuitatem omni ratione concupiscere. Cum igitur vitam conseruare nequeant; omnibus enim mors pariter impendet, calcandaque semel via lethi, (vt inquit Horatius) dant operam, vt aliquam salem imaginem vitæ post mortem tueantur. Quo tandem igitur pacto eueniet, vt non perturbetur metu mortis animal immortalitatis cupidissimum? Quod si nullius cupiditates siniri, & terminari in hac vita possũt: nec enim fieri potest, vt finem facias cupiditati, nisi quę concupieris adipiscare; facile constat, ad maiora, magnificẽtioraq. natos esse nos: ob idq. non posse animos nostros iis bonis, quæ sunt in hac vita, satiari, quod omnia minuta sint, & angusta præ his, in quæ tacita naturę cupiditate ardenter incitamur. Ad horum autem bonorum cognitionem, quę sola summa, & omnibus modis expetenda sunt, duplici ratione perueniemus. Nam primum ipse animi nostri appetitus facile viam aperiet: deinde origo illa, atque fons, vnde defluximus, multo clarius id, quod quærimus, indicabit. Nec enim alium vnicuique rei finem propositum esse putandum est, quam eum, in quem natura non omnino deprauata fertur, nec aliunde peti a nobis debet finis beate viuendi, quam vnde viuendi sumpsimus initium.

Auiditas inexpleta.

Studia hominũ varia.

Duplex bonorum cognitio.

VII. Digressio.

PRIMVM igitur, quæ sit humanę mentis appetitio, considerandum est. Videmus autem omne genus humanum aspernari dolores, consectari etiam voluptates, opes, & facultates caras habere, scientiarum cupiditate flagrare: quas si multi propter segnitiẽ non attingunt, admirantur tamẽ omnes, atq. suspiciunt,

ciũt, eumque, qui clarissimis artibus fuerit institutus, diis similimum iudicant. Deinde cernimus vniuersos homines allici virtutis, & dignitatis splendore: ita, vt improbi etiam, & petulantes ipsa honestatis pulchritudine moueantur, in flagitioque deprehensi erubescant, malintque se iustos, & moderatos haberi. Denique sic omnes nati sunt, vt non vno tantum bonorũ genere, sed omnibus simul expleri cupiant, omnique metu, & ægritudine vacare. Deinde, vt illa omnia illa summa bona sint, & immortalia, ardenter expetunt. Hoc autem iam quid aliud est, quam deorum condicionem postulare? Dei est enim proprium, affluere maximis, & ęternis bonis, suaq; virtute, & sapientia gaudere, & ab omni mali contagione segregatum, summis, perpetuisque voluptatibus perfundi. Qui igitur omnibus summis bonis frui cupit, eaque vt perpetua sint, ardenter expetit; se quasi in Deorum numero reponi vult. Quid hic dicam de studio religionis vniuersis hominibus innato, quo summi rectoris numen omnes, quacumque ratione, & reuerentur, & amant, seq; ad illius cupiditatẽ adspirare, multis, & certissimis signis testificantur; numquid non satis indicat, in esse nobis cæleste quiddam, atque diuinum, cuius impulsu a terris excitati, cælestia, atque diuina suspicimus? Nec est enim quippiam in omni genere rerum, quod cupiat aliquid, nisi naturæ suæ fuerit accommodatum. Si vero quisquã ita se corporis voluptati constringendum dedat, ita suspiciat humana, vt nihil ad cælestia dirigat; hunc tamen habere in se aliquid diuini, vel ex eo facillime apparet, quod nullis voluptatibus, aut opibus satiari potest. Ita, vt nullæ vmquam diuitiæ Crœso satis fuerint, nullum voluptatis genus Sardanapalo satisfecerit, nullæ res memorabiles in rebus bellicis effectæ, illam inexplebilem gloriæ sitim, qua flagrabat magnus Alexander, exstinxerint. De quo est illud verissime dictum:

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis.

Dei ppriũ quod sit.

Auida hominũ mẽs.

Quod satis arguit, nihil in terris inueniri, quod animi magnitudinem explere valeat, cũ omnia sint angusta, fluxa, atque mortalia: animus autem ad magna, cõstantia, & æterna, atq; adeo ad diuinitatem ipsam omnibus modis adspiret. Cum vero praua consuetudine imbutus, a via declinat, & nihil studio sequitur, nisi mortale, & caducum, & in his terrenis opibus vitã beatam statuit: vt omnia adipiscatur, numquã tamen satis haberi poterit; seroq. intelliget, falacem se potius, & inanem, quam veram, & solidam felicitatis rationem fuisse consectatum. Vt igitur ignis, & aquæ, reliquarumq. rerum omnium eum finem esse dicimus, in quem res ipsæ, si nihil obstaret, insita cupiditate feruntur; sic etiam homini finis Deus est, in quem natura duce ferimur, & cuius qui fuerint participes, erunt in omni genere iucunditatis beatissimi. Quod quidem erit magis apertum ex ipsius hominis origine, in qua omnia summa & inclyta conspicies.

IIX. Hominis ortus vnde.

ERIT autem hominis ortus non ex Poetarum fabulis, nec ex Philosophorũ opinionibus repetendus, qui licet ingenio præstantes exstitissent, communibus tamen tenebris occæcati, verum adspicere non potuerunt, & pro veris ea tuebantur, quæ fuerant oscitantes alucinari. Horum itaque incertas, & vagantes opiniones omittamus, vt veritatem ipsam non aliunde, quam ex sacris voluminibus, in quibus vera perfectaq. Philosophia continetur, hauriamus. Atque libet in principio, Poetarum more, non tamen Musarum, aut Phœbi præsidium, sed ipsius summi, atque præpotentis Dei numen inuocare, vt a nobis omnẽ labem criminis repellat, quo possimus rite, pure, & caste tanta mysteria pertractare.

Amissũ bonum vnde petatur.

EXCELLENS illud præstantissimæ mẽtis numen, summum, atque sempiternum, quem Deum, quem perennem vitæ fontem, vniuersiq. conditorẽ, & opificem veneramur, & colimus, cum suæ sapientiæ opes cõmunicare, & in complures diffundere statuisset: nihil enim magis est diuinæ bonitatis proprium, quam gratuita beneficentia: principio mundum inuisibilem creauit, altissimis mentibus illustratum, quæ lucem illam diuinam perpetuo contemplantes, vita beatissima æuo sempiterno fruerentur. Ad quam tamen immortalem gloriam nõ omnes peruenere; sed illæ dumtaxat, quæ non tantum luce propria delectatæ, quantum lucis auctore, & principe, omne incolumitatis præsidiũ, & vitæ finem, in domino constituendum esse putarunt. Nam, quę, nimium se amantes, in Dei negligentiam prolapsæ sunt, cultuq. optimi domini, atque parentis omisso, omne bonum a seipsis petendum esse statuerunt, naturæ propriæ quasi diuinitatem tribuentes, illa luce, qua erãt indignissimæ, penitus orbatæ, in sempiternam miseriam, & perpetuæ noctis tenebras inciderunt. Post illius autem mundi diuinum, atque præclarum opus, quod mente cõcipimus, hunc rursus, quem intuemur oculis, quem tam admirabili varietate, pulchritudineq. distinctum, & excultum cernimus, ædificauit. Ad cuius operis fabricam non aliis machinis vsus est, quam propria cogitatione, & voluntate. Perfici enim aliquid a Deo, nihil aliud est, quam verbo percipi, hoc est, æternæ sapientiæ consilio, quod ab infinito tempore destinarat, ad exitum tandem deducere. Principio autem, quęret fortasse quispiam, in quem vsum tantum mundi ornatum, tam illustrem rerum cælestium speciem, tantã vim maris, atq. terrarũ creauerit summus ille rerum conditor, & dominus. Non enim est illius immensæ sapientiæ, aliquid inane, & sine caussa moliri. Cuius nam igitur gratia decentissimam hanc rerum dissimilium inter se consentientem naturam admirabili ratione construxit: num, vt haberet pulchriorem aliquam domũ, in qua cõmodius habitaret? At non impium solũ, sed extremæ etiã dementiæ est, exisSapientiæ immensæ contrariũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mare, mentem illam beatiſsimam, qua nihil maius, aut perfectius intelligi poteſt, cuius virtus, & poteſtas eſt infinita, mole corporea indiguiſſe, aut aliquid ei in præteriti temporis ſpatio ad beatam vitam, & gloriæ cumulum defuiſſe, aut aliquot ſpatiis includi poſſe? Quid igitur eſt? Num propter illas æternas mentes? At illæ ab omni corporis coniunctione ſecretæ, atq. liberæ nihil illud expetunt, quam in ſuum conditorem intueri, neque poſſunt ex inferioribus rebus fructum aliquem percipere. Iam vero plantarum, aut beſtiarum cauſſa hanc rerum naturam conſtitutam arbitrari, eſt nimis abſurdũ. Qui decet eum Deum, propter res aut omnino mutas, aut certe nihil intelligentes, ob idque cum diuino numine nihil iuris habentes, tantarũ rerum molitionẽ ſuſcepiſſe? Non igitur ſibi, non angelis, non plantis, aut animantibus rationis expertibus mundi fabricam excogitauit, ſed homini corporis, atque mentis compoti, & ex his duabus naturis conſtituto, vt & ſenſibus mũdi pulchritudinem notaret, & mentis adſpectum ad tanti muneris artificem conuerteret.

Hominum cauſſa mundus.

Hominis itaque cauſſa fuit hic rerum ornatus, & vniuerſi natura conſtituta. Primum, vt domicilium haberet, in quo, & corpus variis terræ opibus, quas largiter omni animanti ſuppeditat, aleretur, & animus ex tanta rerum varietate multa colligens, proprio animi pabulo, quod in veri videndi ratione conſiſtit, ſuſtentaretur. Deinde, vt, cum ordo, ratio, atque conſtantia tãti operis pelleret animum hominis vehementius, facile illum ad opificis contemplationem adduceret. Vt eſſet itaque mundi pulchritudo, quaſi ludus quidam, atq. cuiuſdam diſciplinæ traditio, quæ hominem ad Dei contemplationẽ & cultum erudiret. Hominis igitur cauſſa, fructus, & fruges, quas terra ſumma largitate fundit, animantia, ac adeo terras vniuerſas, maria craſſo aere circumfuſa, cælum denique, atq. ſidera, vnde eam multa fluunt humano generi ſalutaria, ſummus ille Deus condidit, atque perfecit. Nondum erat editus homo, cum omnes iſtas opes, & diuitias, hominis cauſſa compararet.

IX. Homo omnium poſtremo conditus.

TANDEM poſt vniuerſę naturæ conſtitutionem, hominis corpus e terra finxit: animum vero, ſui imagine, & ſimilitudine decenter impreſſum, pulcherrimæ figuræ corporis inſpirauit. Hinc iam videre licet, excellentem, & magnificam humanæ mentis originem, quę non aliunde, quam a Dei ſpiritu manauit, & in elegantiſsimum corpus incluſa, diuinam formam labe nulla infectam retinuit. Nullum enim tum erat in corpore vitium, quod rationem perturbaret aut menti noctem offunderet. Is itaque primus homo omnem ſcientiam tenuit, omniũ rerũ cauſſas nouit, omnem viuendi diſciplinã, non ab alio doctore, quam a principe Deo accepit. Cumque corpus eius ineredibili ſpecie excelleret, tum etiã multo clarior, & illuſtrior pulchritudinis ſpecies in firmamẽtis elucebat.

Primus homo abſque diſciplina doctus.

Nam & ſingulæ partes erant colluſtratæ lumine ſingulari, & ita inter ſe congruebant, vt vix vlla maior conuenientia, aut elegantior vllus ordo venuſtatis excogitari poſſet. Nullus erat error in mente, nullus motus in ſenſu, qui rationis imperium detrectaret, cum ratio ipſa quaſi in perfecta Rep. ſic in illo tranquillo ſtatu omnes affectiones facillime teneret. Nihil igitur animum impediebat, quo minus rerum contẽplationi vacaret. Intellectus autem vigẽs, acer, & excelſus, cum omnia, quę cælo, mari, terraue abdita ſunt, erueret, & euolueret; non ſatis tamen habebat rebus iis, quæ infra lunam ſunt, & oculis cernuntur, inſiſtere, niſi in cælum etiã penetraret. Cum autem haberet naturam rectiſsime conſtitutã, tum etiam iſ liis bonis, quæ naturam humanam ſuperant, abundabat, quibus aſſequebatur, vt facile ſe Deo coniungeret. Inerat autem in illo cęleſtis illius iuſtitiæ, quæ animum ad omnem ſanctitatem inſtrueret, fideliſsima cuſtodia: inerat firma, & ſtabilis virtutis conſtantia: inerat excellens honeſtatis decus, & pulchritudo. Voluntatem vero neque neceſsitate deuinctam, neque cauſſę alligatam, neque vlla perturbatione impeditam habebat. Deniq. cum Deus tam multa in hominem beneficia contuliſſet, eum terris omnibus præfecit, & in regio domicilio collocauit. Paradiſũ vocant Syrij locum irriguum, & amœnum, omni florum varietate diſtinctum, & ſempiternis arboribus conſitum, aptiſsimum ad ætatem feliciter degendam. In iis ſedibus fuit homo conſtitutus, vt ex eo loco, quem dicunt fuiſſe excelſum, & editum, inſtar cuiuſdam ſummi rectoris, non modo ſui ipſius clauum teneret; ſed etiam cunctorum animantium gubernacula ſapiẽter & libere tractaret. Ius autem in regni adminiſtratione non ſcriptum, ſed natum ſequebatur, hoc eſt, perfectam rationem, & aptam ad diuini numinis naturam, quam ſummam legem appellant. Erat autem illi præmium conſtitutum, ſi munere ſibi aſſignato pie, & iuſte fungeretur, in cælestes illas ſedes proficiſci, & illi ſummo bono, cuius deſiderio in terris flagrabat, in cælis cõglutinari. Hæc fuit prima hominis inſtitutio, hoc primũ humanę nobilitatis initiũ, & origo, in qua nihil agnoſces, niſi inclytũ, & excelsũ.

Natura recte conſtituta.

Ius natum.

X. Caligo mẽtis miſera.

HINC iã facile perſpicitur, quã miſerãda caligo ſit eorũ mentibus offuſa, qui cũ habeant mentẽ diuino cõſilio ortã, ac adeo Dei ſatu editã, in rebus mortalibus, & caducis vitę finẽ ponẽdum eſſe ducunt. Rectiſsime autem fuit a veteribus, ac Stoicis præſertim, verbũ illud vſurpatũ, vltimũ bonũ eſſe naturæ cõueniẽter viuere. Sed cũ, quid humanę naturæ cõueniret, ignorarẽt, cõſequẽs fuit, ut neque beatę vitę rationẽ vllã tenerent. Ea igitur ignoratio genuit errores turbulẽtos, & impias, atq. amentes opiniones, cũ qualem de ſe quiſq. opinionẽ acceperat, talem ſibi ipſi finẽ conſtituiſſet. Qui enim in ſe nihil diuinum agnoſcebant, omnemque animi ſenſum exſtingui cum corpore putabant, res mor-

mortales, & ad corpus pertinentes, omni ſtudio ſectabantur. Qui vero aliquid quaſi per caliginem videre potuerunt, non exiſtimarunt vitæ finem in fluxis rebus, ſed in opibus animi collocandum. Hoc recte ſane. Sed videamus, in quibus opibus. Si in illis, quæ non aliunde, quam a Deo ſummo, deriuantur, & influunt in animos noſtros, immo in ipſo Deo conſiſtunt, idem dicunt, quod nos. Si vero illis animi bonis perfici vitam beatam putant, quæ humana induſtria comparantur, & ad iſtum modum in ſe ipſis ponunt omnia; ii neque vim propriæ naturæ vident, & in Deum ingrati, & impii cognoſcuntur. Nec enim intelligunt, mentem non ex ſeſe, ſed ex Deo primordium cepiſſe, qui finem vitæ non in Deo, ſed in propria mente conſtituendũ putant, & animo impudenter elato, ſtudia vitæ, quæ diuino numini conſecrare debebant, in ſui ipſorum cultum conferũt. Si igitur in vitæ principio eſt vitæ finis conſtituendus, cui dubiũ eſt, quin illud ſit nobis vltimum omnium rerũ expetendarum, cuius beneficio in lucem editi ſumus, & in cuius cupiditatem impetu naturæ ardenter incitamur? In illum igitur fontem omnium bonorum, inexhauſtum, atque perennem; vnde profluximus, & cuius beneficio conſeruamur, celeri conuerſione redeamus. Nec enim dubium eſt, quin, vbi orbem iſtum confecerimus, tum demum immortali, atque beata vita perfruemur, & omnis illa animorum noſtrorũ cupiditas explebitur, neque quidquam præterea poſtulabit. Illuc igitur omnes actiones vitę conferendæ ſunt, vt Dei optimi optimi maximi compotes aliquando ſimus. Nam, ſi voluptas ad beatam vitam pertinet; tunc voluptates ſtabiles, & nullo æuo interituras capienus. Si ſapientia ſummum bonum continet; tum demum illa inſatiabilis veri viſendi cupiditas ſatiabitur, cum, omni caligine diſcuſſa, non modo rerũ naturam, ſed ipſum naturæ Dominum perſpiciemus, & contemplabimur. Si felicitas vita diuturna perficitur; ea ſola diuturna eſt appellanda, quæ immortalis eſt, non quæ ætate, & vetuſtate conſumitur. Si poſtremo ſecuritatem beatitudinis definitioni recte adiiciendam putant; tum enim, inquiunt, demum fore vitam beatã, cum fuerit exploratũ, illa bona, quibus affluit, eſſe permanſura: ſi igitur ſine ſecuritate beata vita intelligi non poteſt, illic tandẽ erimus omnibus curis, & angoribus laxati, cum nullus terror, aut metus impenderit, cum ſummum, atq. præpotentem Deum ſalutis cuſtodem, & conſeruatorem habebimus. Sed iam ea, quorum gratia ſumus in hanc diſputationem ingreſſi, ratione concludenda ſunt. Fuit autem poſitum, virtutem eſſe quandam animi perfectionem, ad vltimum omnium bonorum curſum ſuſcipientẽ. Summum autem bonum, vt oſtenſum eſt, niſi in Deo eſſe non poteſt. Efficitur itaque, nullã animi affectionem, niſi ad Deum referatur, in virtutis rationẽ cadere. Deinde, ſi nihil, quod ampiectitur vita beata, cadere, & exſtingui poteſt, abſurdum eſt enim, id quod fluxum & inſtabile eſt, beatum exiſtimare; homines autem omnes incerti, & inſtabiles, variisq. voluptatibus, & ſtudiis agitati ętatem exigunt; non poterunt vllo modo felices eſſe, niſi Dei præſidio firmentur, atque fulciantur. Virtutem autem eſſe beatę vitę effectricem, omnes conſentiunt. Nulla igitur virtus cenſenda eſt, niſi quæ nos Deo copulabit, eumq. ſolum intuebitur. In ea igitur ſola decus veræ virtutis elucet, & omnes aliæ non virtutes, ſed virtutum inanes imitationes putandæ ſunt. Qui enim conuenit virtutem eam appellare, quæ non habet propoſitum virtutis finem? Negat Ariſtoteles veram, & ſolidam fortitudinis rationem in Diomedem cecidiſſe, cũ, Græcis omnibus in fugam conuerſis, ipſe ſolus maneret, malletq. ſummo cum periculo Hectoris impetum ſuſtinere, quam ignominioſæ fugæ ſe mandare. Cur ita tandem, numquid non fuit pulchrum facinus omnibus metu, & formidine perterritis, Diomedem ſolum, aut cum pancis exſtitiſſe, qui turpi vitæ mortem præclaram anteponeret, maioremq. rationem gloriæ duceret, quam ſalutis? Pulchrũ ſane, inquit. Sed, quia facinus illud egregium non ad debitum finem, ſed ad popularis laudis ambitionem referebat; dicebat enim vereri ſeſe, ne Hector in ſuarum laudum commemoratione Diomedem a ſe fugatum prędicaret; verę virtutis fructũ non tulit. In eodem eriam numero Hectora reponit, quod aperte fateretur, formidare ſermones Troianorum, & Troianarum, eaq. de cauſſa putgnam ſibi alacrius capeſſendam putabat. Hos igitur vir acutiſsimus, propterea quod non tuebantur ſolam ipſius honeſtatis pulchritudinẽ, quam potiſsimum vitę finem conſtituit, virtutis ordine mouet, & in ſecundam claſſem coniicit, in qua collocauit eam virtutis imaginem, quæ glorię ſtudio tuetur officium, & legibus, atq. diſciplina ciuili continetur. A fine igitur penderet (ut Ariſt. etiam uidetur) omnis honeſtatis ratio. Ea ſiquidem actio, & honeſtiſsime, & ſine ulla dignitate ſuſcipi poteſt: interdum etiam cum dedecore, & turpitudine, pro rei propoſitæ uarietate. Ita fit, at uiri fortes ij demum appellandi ſint, qui, in uerum uirtutis finẽ reſpiciẽtes, præclare mortẽ oppetunt, qui rumuſculos intuentur, & ob id pericula ſubeunt, inanes, & leues: qui uero nefaria libidine, & flagitioſa animi perturbatione ad rem ſtrenue gerendam impelluntur, improbiſsimi. Vnde id efficitur, illos minime fortes fuiſſe, Hectora inquam, & Diomedẽ; Achillẽ uero, atq. Paridẽ nõ ſolum parum fortes, ſed etiã turpiſsimos. Hic n. ut nuptias pfidia, & ſcelere partas tueretur, in aciẽ irruebat; ille uero, ut immoderatã animi iracundiã expleret, immẽſas illas ſtrages hoſtiũ faciebat. Hinc etiã id ſequitur, ipſũ Ariſtotelẽ planẽ uidiſſe, quę uis uerę fortitudinis eſſet, cũ eadẽ nocte circumfuſus, illud ultimũ bonũ ignoraret, unde uirtutis firmitas, & honeſtatis cõuenięntia ſumitur. Sed illum multa, inquies, & prę-

Mentis primordium.

Voluptas ſtabilis.

Virtus beatæ vitæ effectrix.

Hector fortis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

clara fuisse de Deo philosophatum, Scio id quidem. Sed quem tandem illi locum in rerum humanarum procreatione reliquit? Cum enim mundum effectum esse neget, hoc vnum tantummodo munus Deo asignat, vt mundum circum axem cæli, summa cum celeritate verset, cuius conuersione omnium rerum inferiorum mutationes,& vicissitudines,generationes, & interitus confici putat. Fuerunt quidem non pauci viri doctissimi, qui omnes res humanas non temere, & casu, sed diuina prouidentia,& consilio gubernari putarent:nõ tamen ita, vt vel virtutes ab illo petendas, vel in illo vitæ finem collocandum esse docerent. Quid igitur horum de Deo instabiles opiniones, & multis erroribus inquinatæ, ad vltimi finis considerationem faciunt? Nam, si coacti interdum pulchritudine mundi, ac ordine rerum cælestium,æternam illam,atq. præstantem naturam confessi sunt; non tamen illi præstiterunt debitam pietatẽ, neq. spem vitæ beatæ in illa positã habuerunt. Illi igitur omnes neq. vitæ finẽ aspicere,neq. virtutis formam amplecti potuere; sed pro vera dignitate,dignitatis imaginem, verborum magis splendore, & magnificentia, quam moribus, & vita persecuti sunt. Si virtus igitur ea sola dicenda est, quæ in verũ vitæ finem intuetur; relinquitur plane, (quod est iam sæpius ostensum) eam esse solam virtutem existimandam,quę ad summum Deum omnium rerum principium, atq. finem ardenter adspitat. Vnde id etiam concludi potest, eam solam veræ, & summæ nobilitatis splendorem efficere. Omnis autem nobilitas, quæ ex ista diuina virtute nata non fuerit, quamuis illustrem speciem habeat, re vera tamen inanis,& fluxa est, nec in veræ claritatis rationem cadere vllo modo potest. Neque dubium est,quin ea gens, in qua cælestе illud virtutis genus eluxerit,non tam ex hominum genere oriunda, quã diuino ortu edita sit existimanda. Istius autem diuinæ gentilitatis ornamenta explicare conabimur,si prius ruinam primi hominis, & interitum persequemur. Explanatio enim illius calamitatis, cuius vi oppressus corruit parens generis humani, caussam affert erroris, atque caliginis, qua mentes humanæ circumfusę tam multis ætatibus ita iacuerunt, vt neque cælum adspicere, neq. veræ dignitatis splendorem cernere valerent. Vnde factum est, vt,exstincta nobilitate, animi demissio, & humilitas ingens exsisteret.His autem malis explicatis,facillimũ erit videre, quemadmodum in istam nominis, & claritatis dignitatem restituti simus.

Ασυφοι.

XI. Homo in terra collocatus.

VT igitur ad hominem redeamus, erat is, vt dictum est superius, in terris collocatus, vt eas tueretur, animantia cuncta regeret,cælumque omni pietate, & veneratione susciperet. In terris itaque potestatem regiam habebat, cæli autem Domino seruiebat, eratque diuini numinis interpres, & sacerdos, humani autem generis princeps, & auctor. Qui cum illustri corporis specie constaret,animo tamen ad cælitum dignationem peruenerat,ita vt etiam inflatu diuino futura significaret. Nudus autem in illo horto amœnissimo spatiabatur. Nec enim vestitu indigebat is, cui nec vlla cæli grauitas noxia esse poterat; nec vllam notam turpitudinis habebat, quam vt abderet,atque cõtegeret, vestimenta requireret. Fuerat autem illi lex imposita, vt liberam voluntatem in studio virtutis exerceret, quo tandem mereretur in cælitum numerum adscribi. Lex autem fuit, ne fructum nobilis cuiusdam arboris, quæ boni,& mali scientiam continebat,attingeret.Nõ quod inuideret Deus eam cognitionem homini, quem diuinis beneficiis ornauerat;sed vt illius saluti consuleret, atque prouideret. Nouerat enim, hominem, si suæ omnino potestatis factus esset, continuo periturum. Ita igitur illius libertatem attemperauit, vt eam rursus salutari lege deuinciret. Nec enim tam vetuit, fructum illum ne carperet,quam ne in id, quod fructu illo significabatur, incideret. Siue enim significabat, ne eas caussas, quæ nondum illius animo illabi poterant,ingenio proprio scrutari, & euoluere vellet: siue, ne in delectu bonorum, & malorum declinatione,suo iudicio potius vteretur, quam diuini numinis impulsu, cui se regendum tradere debuisset: siue postremo,ne ad illa bona declinaret, quæ malis innumeris inquinata sunt:Nosse enim in sacris litteris, significat studiosè complecti:siue igitur,inquam, id præcipiebat homini, vt illud summũ bonum, in quo nihil est admistum mali, complexus, reliqua bona malis contaminata reiicere; quid potuit homini præscribi salutarius? Nam & inuestigatione earum caussarum,quas animus noster comprehendere nequit, obruimur, & in rebus gerendis ex arbitrio nostro potius, quam ex Dei optimi maximi voluntate, quid sequendum sit statuere, certissimum est ruinæ periculum:alicuius autem boni suauitate deceptos, ab illo summo bono decidere, est omnibus funestum,atque mortiferum.Hęc erat primi parentis condicio,futuri felicis,& beati, si seipsum ab illius immanis, & vastæ belluæ congressu seruasset, quæ pestem, & exitium omnibus terris intulit. Cum enim videret princeps ille tenebrarum,auctor impietatis, & sceleris, & earum mentium dux, quas diximus superbia elatas,voluisse proprijs viribus ad gloriam diuinitatis adspirare,& ob id in sempiternam miseriam deturbatas esse;cum videret igitur hominẽ humo excitatum, vt adscẽderet ad eam gloriã,vnde se deiectũ considerabat; æstuauit inuidia, & hominis interimendi, & funditus euertendi consiliasuscepit.Formã igitur serpẽtis gerens,fraude,cõfictisq. dolis mulierẽ aggreditur,quã nouerat propter infirmiorẽ naturã,facilius labi,& decipi posse Eã itaque verbis allicit,& hortatur,vt tructũ illum ueritũ decerpat. Futurũ enim,ut ubi primũ illius suauissimi mali gustum perciperet,ad diuinã continuo boni,

Integer primus homo.

Diaboli insidia.

boni,& mali scientiã peruenirет.Mulier igitur, quæ & arboris pulchritudine vehementer illecta erat,& ad diuinæ scientiæ cupiditatem exarserat,facile mortiferum illud anguis tæterrimi venenum hausit. Imperio igitur summi Dei, & parentis optimi, cuius benignitate fuerat in lucem edita, tantisq. opibus instructa, neglecto, hostis pestiferi consilium secuta est,virumq. ad easdem funestas epulas inuitauit. Hæc fuit origo humanæ miseriæ: hoc malorum omnium seminarium: hinc mortis initium natum est, quæ postea magis inualuit,& crudeli dominatu terras vniuersas oppressit. Nam, vbi primum homo passus est se contaminari pestilentis illius criminis contagione, manauit continuo malũ illud in venas, inhæsitq. penitus in viscеribus, corporique,& animo cladematque mortem attulit. Quam miser animus continuo sensit,cum videret se disiunctũ & auulsum a Deo,vnde animam ducebat, & cuius numine propriam vitã sustentabat,intelligeretq. corpus iam cæli grauitati misere obnoxium, tandem post varias ærumnas, & luctus acerbissimos a vita deserendum. Mortis autem illa certissima signa fuerunt,turbuleti motus in corpore, qui animi inconstantiam,& perturbationem mente,& ratione vacuam,tætrasque,atque temerarias cupiditates indicaret. Fuit enim hoc iustissime constitutm, vt, qui domini imperium neglexerat, iussisq. illius impudenter & impie repugnarat; ipse vicissim eas animi partes, quæ rationi antea parebãt,experiretur rebelles, atque contumaces, omniq. immanitate in rationis arcẽ inuadentes inrospiceret. Cumq. duo sint hominis munera, agere scilicet, & intelligere, ob idq. rationis, & mentis particeps exsistat,vt in rebus gerendis appetitus animi regat, & omnem mentis curam,& studium,in diuinarum rerum cognitione ponat; in vtraque parte plagã grauissimam accepit.Nam mens, exstincto magna ex parte lumine, quo antea collucebat, iacuit in tenebris,& caligine,& omnis vitæ ratio, simili nocte circumfusa, gubernaculis pæne deiecta est: quæ quidem,vt ei lumen aliquod affulsisset,non tamen,quo volebat,prouehi facile poterat. Erat enim cõfecta grauiter,& saucia,turbidisq. animorum tempestatibus iactabatur, quibus obsistere non valebat. Emersit tum primum turpitudo, ante illud tempus ignota, cuius tętra facie, & deformi adspectu conturbati primi parentes, seipsos in opacam siluam abdiderunt, illasq. corporis partes, quas contra rationis imperium obscenius excitari viderant, arborum foliis contexerunt.

Humanæ miseriæ origo.

Mens labitur.

XII. AB illo principio, omnis naturæ depranatio,& opinionis vanitas oborta est.Inde omnes improbæ cupiditates, & formidines; inde omnes dolores, & nefariæ voluptates exstiterunt, quæ animi imbecillitatem facile torquent, atq. flectunt quocumque ruunt. Mala autem illa, quibus erat animus implicatus, in corpus etiã miserum redundabant, cui erant labores infiniti subeundi, mors etiam postremo perferenda. Denique (vt breuissime dicam) sic fuit relictus homo,vt illi sunt,qui,a summa fortuna,& exspectatione depulsi, ad summam miseriam deuoluuntur. Omnibus ornamentis spoliatus,a Paradisi finibus expulsus, extorris domo, patria, & cælitũ congressu,&,quod caput est,exclusus illo diuino amoris fœdere, vitæ cursum tenuit acerbum,miserum,& calamitosum. Cumq. vepres, & spinæ, quas diuino iussu tellus in illius pœnã gignebat, corpus pungerent; multo tamen grauiore morsu mentẽ ipsam impietatis recordatio,& criminis conscientia vulnerabat:qui quidem animi aculei,nulla mundi amœnitate frui illum sinebant,& omnes illius cogitationes, ad superioris vitæ desiderium,& præsentis miserię sensum reuocabant. Illius tamen arboris vim nimis efficacem fuisse,ille etiam tristis euentus facile comprobauit. Nam & repertum est,quãtum mali esset in scelere; & præsentia mala faciebant, vt melius amissa bona cognoscerет. Tum enim secundę res a nobis cognoscuntur, cum in aduersas incidimus.

Primi homines.

XIII. HAEC fuit illa dira clades primi parentis, in quam se dedit præcipitem, dum auctore serpente a Deo optimo maximo desciuit. Nec ipse solus corruit; sed vniuersam simul posteritatem euertit. Cum enim ab illo, ægroto,& cõfecto, procreati simus; necesse est, vt tandem etiam infirmitatis,& culpæ similitudinem contrahamus,& vitio sanguinis illius corrupti,nascamur eadem labe criminis infecti, & inquinati. Vulnus igitur graue, & mortiferum, cunctæ posteritati impositum est. Nam, cum ex ista ægritudine,quam habemus a primis parentibus, hereditaria, ratio vulnerata langueat; facile fit,vt omnes animi commotiones,tamquam feræ vinculis laxatæ,turbentur,& ruant,mentẽq. sine magnis angoribus consistere non sinant. Animus itaque miser,metu affectus, & cupiditate, & vario genere morborum miserabiliter implicatus, in cõtrarias partes ita distrahitur, vt vix sui iuris esse possit; sed, quocumque libido, vel alia quæuis pestis impellit, eo se conferat. Hæc igitur parentis imago, satis expressa in ista corporis,& animi imbecillitate, seminauit omnia mala quæ postea mortales omnes oppresserunt. Nam primum, cum illæ perturbationes animi, rationis opes paullatim deprimerent,atque comminuerernt; effectum est, vt os illud hominis erectum, atque sublime, a cælis deiectum, terram intueretur, in eaq. defixum, omnem spem rerum suarum in præmiis humanis,& fluxis constituendum putaret. Omne igitur honestatis decus, & dignitatis splendorem, exstingui necesse fuit illius vltimi boni negligẽtia,& contemptu,in quo summa virtutis, perfectæq. gloriæ consistit.

Vulneris mortiferi caussa.

XIV. CVM autem serperet peccandi consuetudo,& in dies maiores vires colligeret,eo deuentum est,vt nullum facinus excogitari posset, siue id ex libidine nasceretur, siue ex furore, & auda-

Peccati effectus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

audacia, quo se non contaminarit humanum genus. Neque satis habuit omnia scelera moliri, quibus fides, & societas humana lædituri, nisi etiam summi Dei religionem pollueret, atque violaret. Cum enim essent mentes occupatæ immensa quadam caligine, non facile poterent mortales aliquid cogitatione comprehendere, nisi quod intuerentur oculis, aut alio quouis sensu corporis vsurparent. Cum igitur Deũ animo non adspicerent, oculosq. ad Solem, Lunam, atque sidera conuerterent, quorum pulchritudine mouebantur maxime; cœperunt ea quasi diuina numina colere, & venerari. Inde continuo delapsi, (nec enim mens sceleris grauitate depressa, diu poterat vel in astris ipsis insistere) nõ solum hominibus, sed brutis etiam, atque feris, dum modo ex illis fructum aliquẽ perciperent, diuinos honores decernendos, & mortuis aras cõsecrandas statuerũt. Quid enim ego hic Serapim, quid Osiridis, & Isidis sacra nefaria commemorem, reliquaque simulacra Aegyptiorum, in habitum, atq. figuram brutorum animantium formata? Quid Bacchi orgia, per summum furorem (vt ex ipso nomine apparet) & amentium constituta? Quid de inde reliqua genera persequar impuræ superstitionis, quę omnium ferme gentium imbecillitatem occupauit, non tantum libidine, atque flagitio, verum etiam sanguine, & parricidio contaminata? Quasi enim parum foret, si per religionis speciem versarentur in omni genere turpitudinis, quod tum in Veneris, & Bacchi sacris, tum etiam in alijs quamplurimis fieri solemne erat; tæterrimas etiam crudelitatis cærimonias attulerunt, ita, vt frequentissime sanguine humano aras imbuerint. Quod quidem apud omnes fere gentes, non modo barbaras, sed doctrina etiam, ac humanitate cultas, factitatum legimus. Nam, & Rhodii, qui propter doctrinam in Mineruæ tutela esse credebantur, hominem Saturno sacris anniuersarijs immolabant, & Græci ferme omnes, ante quam in aciem prodirent, humana cęde aras, atque templa funestabant: & Romani, licet raro, aliquando tamen humanis hostiis Deos placandos esse statuebant. Quare fit, vt minime mirum sit, si Thraces, Galli, Scythæ, & reliquæ nationes, illis temporibus ab omni cultu humanitatis abhorrentes, ea sacra malorum dæmonũ impulsu receperunt, quæ in cæde, & sanguine versarentur. Vt enim hic Scythicam illam Dianam, numquam crudelitate satiatam, vt alia sæua numina prætermittam, satis constat, Phœniciæ principes in magnis reip. calamitatibus solere vnum ex liberis, quem haberent carissimũ, vt hostiam, iugulare. In Syria vero morem eum fuisse, historiæ sacræ testimonio compertum habemus, vt parentes; omni pietate repudiata, liberos suos ign: consecrarent Sed quid hoc in loco immoror, cum ex ipsis historiis perspectum habeamus, nullum ferme sacrorum genus fuisse ab illis hominibus sine magno aliquo scelere constitutum. Inde factũ est, vt summum furorẽ, & impietatẽ, summa peccandi licentia consequeretur. Cũ enim veræ religionis munus sit, mortales in officio continere; postquam ea religio introducta est, quæ non solum pudoris, & humanitatis officia negligeret, sed etiam petulantia, cæde, parricidio Deos placandos esse doceret; iam necesse erat, vt vniuersi, furore, & amentia præcipites, omni genere turpitudinis, & immanitatis se commaculerent. Ita igitur accidit, vt peccatum principio natum a naturæ deprauatione, auctum deinde consuetudine, postremo religionis impuritate perfectum, atque cõclusum, vniuersum genus humanum pessumdaret. Quid igitur? dicet aliquis, nullas ne putas in tanto virtutis naufragio dignitatis reliquias collectas esse? nec aliquem vmquam mortalium priscis illis temporibus honestatis studia coluisse? Negare non possum, multos etiam in illa communi labe generis humani, specie honestatis illectos, & in virtutis studium incitatos quodammodo fuisse. Fuit enim illa diuini numinis imago animis humanis impressa, peccati quidem vitio deformata, non tamen deleta prorsus, & exstincta.

Aegyptiorum idola.

Scythicæ Diana.

CVM autem imaginem DEI audis, non tu mihi picturam aliquam in tabula, quasi Protogenis alicuius, aut Apellis artificio variis coloribus illustratam, consideres; aut signum aliquod ex ebore factum, opere præclaro & excellente, quod diuinam speciem referret. Nihil est enim aliud Dei imago, quam diuinæ virtutis imitatio, quoad homini fas est. Hoc autem est ingenium prouidum, multiplex, & acutum, omnia semina virtutũ in seipso cõtinens. Cum igitur hoc opere diuino ficti, & informati simus, ad nullam rem magis apti natura sumus, quam ad decus, & honestatem Quod si a principio liberi a contagione criminis essemus, & a peruersitate opinionis, & criminis improbitate soluti, facile nos ipsa virtus ad verum decus alliceret. Cum autem ista malorum consentiens multitudo, diuinæ huic imagini quasi vim inferre conetur, a rectis natura institutis sæpissime deducitur, exsistitq. illa contentio, atque bellum intestinum, in quo quidem ratio, quasi specie diuinitatis informata, sæpe vincit, longe tamen sæpius victa cedit voluptati, atque turpitudini; ita tamen, vt ostendat aliqua doloris significatione, se inuitam, & repugnantem a studio virtutis abductam esse. Quod satis indicium facit, obteri interdum hanc virtutis indolem, aut libidinis impetu, aut aliqua flagitiosa cupiditate, numquam tamen omnino deleri. Numquã enim quisquam erit tam effuse petulans, quin, vbi primum incõstans illa temeraria voluptas, quæ sua immanitate iudicium rationis impediebat, effluxerit; mærens, & animo anxius, susceptæ turpitudinis cõscientia crucietur. Quod satis ostẽdit adolescens ille Plautinus. Sic enim conqueritur:

XVI. Imago Dei quid.

Virtutis indoles.

Omnia ego istic, quæ dixisti, scio.

Vel

Vel exsignauerã vt rem patriam, maiorum gloriã
Fœdarim meũ, sciebam: vt esse me decerei, facere
Non quibam miser, ita vi Veneris victus in fraudem incidi.

Cum vim Veneris inquit, aperte nobis indicat illam animi perturbationem, & inconstantiam a crimine primi parentis ortam, scelere deinde vniuscuiusque confirmatam. Rursus, cum sese miserum esse dicit, & ex flagitii conscientia dolorem capit; ostendit plane dininũ animi sensum, cui nihil nisi rectum, & honestũ, quippiam suauitatis afferre possit. Sunt igitur, sunt in nobis (vt iam ad propositum reuertar) innata semina virtutum, sunt decoris, & gloriæ stimuli, sunt incredibilia quædam honestatis, & dignitatis studia. Tanta tamen exstitit humanæ mentis imbecillitas, tanta nobis a peccato orta fuit ægritudo; vt, licet non pauci, natura duce, ad aliquam speciem virtutis adspirauerint; paucissimi tamen illam veram, & eminentem honestatis formam amplexati fuerint. Quamuis enim decoris splendore ducerentur, quale tamen ipsum verum decus esset, ignorabant, cum in cælum, vnde omnis virtutis ratio peti debet, minime susspicerent. In cælum vero tuentur qui poterant ij, quorum animi erant in terra defixi, & qui omnia vitæ consilia vel ad diuitias, vel ad popularem laudem, & gloriam referẽda putabant? Quid igitur consecuti sunt viri illi maximi, & ingenio excellentes, quos tulit antiquitas? Quid præclari Imperatores, tantis rebus ad laudem, & decus insignibus clarissime susceptis adepti sunt? sine vllo fructu possumus suspicari, tantũ industriæ, laboris, & operæ in dignitatis studio consumptum? sine vllo quidem. Virtutis enim rationem præclarã ad adipectum, re autem falsam, & inanem studiose complexi sunt. Omnes enim, quãuis in eorum oculis versaretur aliqua species honestatis, non tamen se ab illa communi generis humani lue, atque tabe tutos conseruare, nec a multis animi morbis, quibus sunt implicati, emergere potuerunt, cum id per se præstare non possent, & Deum virtutis auctorem, atque finem, cuius solius præsidio id quiuissent obtinere, ante mentis oculos minime cõstituissent. Nulla igitur vera virtus, sed fallax virtutis imitatio: nulla dignitas, sed vana dignitatis species: nullum veri decoris studium, sed effrenata quædam inanis gloriæ cupiditas tenuit illud genus hominum, qui quidem non tantum honesti pulchritudine illecti, quantum vt in magnum honorẽ adscenderent, & hominibus admirationem mouerẽt, egregias illas actiones susceperunt. Quod si illi, qui conatum aliquem ad virtutẽ capessendam habere videbãtur, virtutis fructu omnino caruerunt; quid est de reliquis existimandum, qui cum semel omnia pietatis, humanitatis, officii repagula perfregissent, nihil tam propositum habuerunt, quam omnia inaudita flagitia, & scelera moliri, quo infinitã, & temerariam omnium rerum cupiditatem explere possent?

Cælum qui nã intuean tur.

Simulatum genus hominum.

XVII. Sacrę scripturæ testimonia.

SOLA Iudæorum natio quondam mansit in officio, diuinis legibus, & institutis sanctissimaque religione deuincta, & ab omni nefasta superstitione longo tempore segregata. De qua scriptum est, Nõ est Idolũ in Iacob, neque simulacrum in Israel, Dominus Deus cum eo est. Et alibi: Notus in Iudæa Deus, & in Israel nomen sanctum eius. Hæc & in studio sanctitatis sese diligenter exercebat, & ad spem futuræ salutis erecta, iustitiam, & pietatem, quantum poterat, excolebat. Non fuit tamen in illa lege perfecta, & absoluta ratio virtutis, sed inchoata quædã, atq. rudis species honestatis. Repressit illa quidem impios, atq. nefarios hominum conatus, iuit obuiam furori, & sceleri, seuere, atq. vehementer impia facinora vindicauit, neminem tamen ad illum perfectum virtutis, & sapientiæ gradum perduxit. Ad virtutem enim, non ipsius virtutis illecebris, sed partim metu, atq. formidine, partim commoditatis vitæ propositis incitabat. Cum enim in legis promulgatione vidissent ex omnibus cæli regionibus coruscare fulmina, terram, & aera crebris tonitruum ictibus concuti, ignem superne decidere, cuius incendio, atque flamma mons editissimus omni ex parte conflagraret: addetubam illam horrificam, fumum, atque caliginem, & reliqua, quæ præsentis numiuis maiestatem indicabant; metu exanimati, Mosen maximis vocibus appellant. Loquere, inquiunt, tu nobis, & audiemus; non loquatur nobis dominus, ne forte moriamur. Quid ad ista Moses? Iubet illos bono animo esse, diuinique illius consilii causam aperit. Nolite, inquit, tremere. Vt enim probaret vos, venit Deus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis. Quod perinde valebat, atq. si diceret, Nondum estis ab improbis cupiditatibus, & a reliquis animi morbis numine diuino liberati; nec omnino tales, qui sponte vestra ad uirtutem alliciamini. Formidinem igitur istam animis uestris dominus iniecit, ut ea saltem ratione uos a scelere coerceret. Ad uirtutem uero quibus præmiis incitat? His propemodum, quorum causa rude uulgus, & imperitum uota suscipit: nempe frugum ubertate, copia diuitiarum, integritate corporis, & incolumitate. Si autem uirtus ea sola dicenda est, quæ non metu coacta, sed sponte suum officium facit, & præclaras actiones, non ad res huius vitæ fluxas, sed ad Deum uerum uitæ finem dirigit; qui potest ea virtus existimari, quæ formidine expressa est, & cuius finis nõ tam est Deum amplecti, quam uitæ commodis abundare. Nec enim nunc de iis loquor, qui fragilitatis humanę conscii, sapienter intellexerunt, sese non posse ea, quæ in lege præscribebantur, exsequi perfecte, nisi ad Deum unicum uitæ moderandæ, & conseruandæ præsidium confugerent. Ii enim uiri sapientissimi, qui, diffisi uiribus suis, omnẽ spem in Deo reposuerunt, spiritus diuini numine confirmati, & ad summum illud uirtutis genus ex-

Moses adducitur.

Tranſitio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

XIIX.

nus excitati sunt. Qui tamen non ita multi fuerunt.

RELIQVI omnes, qui vel rationis opibus nitebantur, vel propter vitæ commoda in officio manebant, nullo modo ad virtutis gloriam adspirare poterant: nec ita diu, propter animi infirmitatem, in honestis actionibus consistere; immo per summũ scelus, atq. flagitium sæpissime corruerunt, nefariis cupiditatibus, & turpissimæ voluptatis illecebris impediti. Quin etiam multi ex illis, cum se scelere nefariæ cuiusdam superstitionis obstrinxissent, eo deducti sunt, vt nullum tam immane facinus animo fingi possit, quod non sponte susciperent, ita vt etiam filios in honorem Deorũ fallacium funestis ignibus inferrent. Hoc de tanto, tamq. atroci scelere, & furore, cum alii viri sanctissimi, tum in primis Ieremias grauissime multis in locis conqueritur. Veluti, cum ita Deum inducit loquẽtem, Scelera sua intulerũt in domum, in qua inuocatum est nomẽ meum, vt pollueret eam, & ædificarẽt aras in Tophet, quæ est in valle filii Ennom, vt incenderent filios suos, & filias suas igne. Et rursus: Non vocabitur posthac locus iste Tophet, & vallis filij Ennom, sed vallis occisionis, & dissipabo consiliũ Iuda, & Hierusalem in loco isto, & concidam eos gladio in conspectu inimicorum suorũ. Hęc Ieremias. Non est autem necesse persequi reliqua gentis facinora, quib. sæpissime violauit fidem, & religionem, illamq. diuinam legem neglexit, & per summam libidinem, atq. superstitionem conculcauit. Hoc autem satis est, vt intelligamus, ne in illa quidem gente, prẽterquã in paucis admodum, fuisse veræ, & absolutæ virtutis studium: & maximam illorum partem se se longe maioris sceleris impietate, quam reliquos mortales, obligasse. Nec enim idem valet crimẽ in eo, qui nulla institutione prædituς est, quod in illo, qui omnia genera virtutis fuerit diuinis legibus institutus.

Reiectio per commemorationẽ.

XIX. πολυπράγμονες fugit gloria.

QVOD si neque ratio hominibus, neque exercitatio studiosis, neq. lex Hebræis per se valuit ad solidam virtutis laudem, & gloriam; & nihil aliud in rebus humanis, quod de virtute commonefaciat, inueniri potest; relinquitur, omnem virtutis, & dignitatis splendorem priscis illis temporibus exstinctum iacuisse: neq. fuisse in terris locum, quo non peccati diritas, tamquam calamitas quædam exitialis, atq. funesta, peruaderet. Hoc autem fuit illud infinitũ imperium peccati, atque mortis, quod diutissime terras omnes oppressit, de quo tam multis in locis sacræ litteræ conqueruntur. Neminem esse, inquiunt, qui ius, & æquitatem colat: neminem, qui DEVM requirat; omnes de via declinasse, ne vnum quidem in officio permansisse: cuncta deniq. importuna tyrannide peccati, & mortis atrocitate teneri. Deinde illud: Studia hominum versari in summa vanitate, falsa quædam somnia consectari, nihil nisi quod prudentiæ, & honestatis inane, plenum vero erroris & nequitiæ sit, amplecti. Tum illud præclarum, quod gloriam, & decus hominum herbæ, atq. flori caduco comparant, quem si ventus vehementior asflauerit, ita dissijciet, vt ne minimum quidem illius vestigiũ relinquatur. Quale est etiam illud Esaię, Omnis caro fenum, & omnis gloria eius tamquam flos, agri. Exsiccatum est fenum, & cecidit flos, verbum autem Domini manet in æternum. Quæ omnia manifeste declarant, nullam in rebus humanis fuisse, post illam primi hominis ruinam, expressam effigiem dignitatis, nec vllam veri decoris speciem, atque pulchritudinem, nec aliquam germanæ nobilitatis formã exstitisse, cũ essent omnia vitiis, atque tenebris miserrime circumfusa.

Prophęta Dauid in Psal.

Conclusio.

HIERO-

HIERONYMI OSORII LVSITANI DE NOBILITATE CHRISTIANA LIBER SECVNDVS.

Libri præcedentis summa.

IAM satis (vt opinor) constare potest, veræ virtutis, atque solidæ dignitatis rationẽ multis sęculis in obscuritate latuisse, cum vltimum omnium bonorum ignoraretur a quamplurimis: cum funestum peccati regnum omnes orationis opes comminueret: cum eorum etiã pulchri conatus, qui ingenio, & industria excellebant, eo solum peruenissent, vt aliquod virtutis genus, non veritate, sed ostẽtatione magnificum tuerentur: cum illi etiam, qui erant diuinis legibus instituti, propter animi imbecillitatem, nefariis erroribus occupatam, versarentur in omni genere turpitudinis, & immanitatis. Communis igitur fuit illa calamitas, cõmune incendium, atque flamma, quæ per orbẽ terrarum diutissime peruasit: communes illæ tenebræ, quibus omnes decoris, atque dignitatis rationes occultatæ, & demersæ tam diu iacuerunt, donec tempus illud diuino consilio ab æternitate præstitutum venit, quo tempore genus humanum erat e tantis malis eripiendum. Tunc enim cum exortus esset Sol ille iustitiæ, qui caliginem erroris, & impietatis mentibus offusam discusit, diuinamque lucem rebus humanis attulit; cœperunt homines oculis videre ipsam honestatis formam, atque pulchritudinem: tunc ad veræ ũirtutis laudem, & gloriã inflammari cœperunt, numine diuino erecti, atque confirmati. Nec enim summus ille pater atq. rerum dominus, ita scelere irritatus fuerat humano, vt non longe maiorem misericordiam in hominis salute, quam in ruina seueritatem adhiberet. Qui quidem nec in ipsa sceleris pœna ita fuit homini infensus, vt illius diuinæ imaginis, quę erat in homine, memoriam abiiceret. Immo, cum pro criminis atrocitate clementi admodum castigatione vsus est in puniẽdo; tum eam pœnam in hominem constituit, nõ quæ vltrix esset impietatis, sed quæ faceret medicinam, & ad frugem bonam sæpissime reuocaret. Cum autem diuinæ iustitiæ ratio postularet, vt in aliquos, quorum salus propter insitam animo superbiam, erat omnino desperanda, summæ seueritatis exempla constitueret: illis exemplis editis factum est, vt multi sese a scelere, & impietate remouerent: eademque opera longe plures diuinæ clementiæ lenitatem, quã iustitiæ seueritatem experirentur. Omnia denique post peccatum, in peccati remedium constituta sunt. Propositæ minæ, clades illatæ, eluuiones, incendia, terrores variis ostentis, atque prodigijs hominum mentibus iniecti, bellorum tempestates, gentium ruinæ hanc vim habuerunt, vt a scelere, atque flagitio mortales abducerent. Contra vero vitæ commoditates, lex diuinitus promulgata, sanctissimæ religionis institutio, diuinæ promissiones, immortalia beneficia, vt ad officium, atque sanitatem reducerent. Omnibus itaque rationibus, siue illæ ad sceleris pœnam comparata sint, siue ad virtutis inuitamentum, fuit rebus humanis ab omnipotente Deo, egregia quadam patris pietate, consultum.

Magna Dei misericordia.

II. Virtus vera priuatim comes gloria.

POSTEA quam vero ita creuit morbi vis & peccati magnitudo tanta fuit, vt non facile inueniri posset ratio ægritudinis leuandæ; aliud medicinæ genus diuinum, atque singulare summus ille medicus adhibuit: quod non tantum id, quod morbo dilapsum fuerat, resarciret; verum etiam priscam illam sanitatem, multis opibus, & viribus amplificatam restitueret. Hoc autem fuit ipsa summi Dei sapientia: ipse, inquam, patris sempiterni sempiternus filius, inexplicabili ratione genitus, paterni splendoris effigies, vitæ, & immortalitatis fons, atq. principium. Ipse igitur hominem, quem effigie quadã diuinitatis olim impresserat, & peccati & mortis laqueis implicatum, & omnibus ærũnis, atq. calamitatibus circumuentum expetiuit, & in antiquam libertatem singulari, diuinoque consilio vindicauit. Principio autem necesse erat, vt nefas illud, quo genus humanũ contaminatum fuerat, eluueretur; Numinis religio violata, sanctissimo quodam piaculo expiaretur: macula ex impietate, & scelere concepta deleretur: vt sic tandem posset homo, tetra peccati tyrannide liberatus, antiquæ dignitatis, & decoris ornamenta recuperare, atque ad immortalis vitæ gloriam peruenire. Sed nullum piaculum in terris inueniri potuit, quo tanti sceleris magnitudo procurari, aut iustitię diuinæ satisfieri, aut elui concepta macula, posset. Omnes igitur sceleris affines, diris tristissimis obnoxii, turpitudine contaminati, in sempiternam miseriam nascebamur. Hæc erat nobis proposita tristis, & miserrima condicio, nisi nos Christus Optimus Maximus respexisset, veramque hominis formam diuina benignitate suscepisset, & in illa diuinitatis maiestate permanens, naturam humanam inaudita quadam

Numinis religio violata.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dam ratione sibi conciliasset. Omnium itaque rerum dominus, qui nutu terram, atque cælum concutit, vt hominem misere perditum, paradisique finibus exturbatum, in sedes patrias reduceret; a cæli vertice delapsus, in terris versatus est, atq. ita versatus est, vt neq. a cæli moderatione, nec ab vniuersitatis imperio discederet. Isto igitur diuinitatis cum humana natura fœdere, atque coniunctione, peccatum humano generi penitus infixum, repente exstirpatum est: mortis autem imperium conuulsum: omne que scelus sanctissimis sacris expiatum. Quę enim sacrorum genera illis sanctiora possunt excogitari, quę a summo illo pontifice, qui sacerdos secundum ritum Melchisedechi, priscis sanctorum Patrum vaticiniis nominatus est, celebrata, atque peracta sunt? Qui nō ouibus, aut vitulis, aut vllis hostiis vana hominum superstitione receptis, sed proprio sanguine litauit. Qui, vt a capitibus nostris pestem propulsaret, caput suum ad omnium salutem consecrauit. Deus patitur. Qui se virgis cædi, & in crucem tolli passus est, vt communis sceleris pœnas ipse lueret: Deūque consceleratis hominibus infensum sanctissimi corporis hostia placaret. O singularem diuinæ beneficētię magnitudinem. O immensam diuinorum beneficiorum copiam, & incredibilem munerum largitatem. Ille terum opifex, cuius virtute omnia supra, subterque producta, atque perfecta sunt; qui regit, & temperat vniuersa; cuius maiestatis amplitudinem cæli continere nequeunt: sanctissimæ virginis vtero inclusus delituit, veramque hominis formam suscipit: vt hominem in aliquo diuinitatis gradu tandem collocaret. Hoc illud fuit, quod multis ante sæculis a viris diuino numine afflatis prædictū erat fore, nempe, vt Deus in humana forma delitescens, doctoris officio fungeretur, omnemque nobis virtutis, & honestatis disciplinam traderet. Sic enim Esaias. Fluēt, inquit, ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite, adscēdamus in montem domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius. Alibi vero ita inducit patrem cum filio loquentem. Deus dux est lux gentium. Dedi te in fœdus populi, & in lucem gentium, vt aperires oculos cæcorum, & educeres de carcere vinctum. Alio rursus in loco, filius ita de se ipso sermonem instituit: Spiritus domini super me, eo quod vnxerit dominus me, ad annuntiādum māsuetis misit me, & vt mederer afflictis. Baruch autem hunc Deum appellat, a quo omnis disciplina profecta est. Et post hæc (inquit) in terris visus est, cum hominibus collocutus. Ioel vero his vocibus pios excitat: Filij Sion exsultate, & lætamini in domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitię.

III. Christus veræ virtutis Doctor.

POSTQVAM igitur cælestis illius doctoris vox in tenebris illuxit, hominumque genus ad instituta veræ religionis, atque sapientiæ disciplinam instituit; omnemq. animorum cupiditatem a rebus abstraxit humanis; ostendit-

que nihil esse in terris magnopere metuēdum; non mortem, quæ corpori tantum interitum affert, animum autem non attingit, non orbitatē non egestatem, non reliqua eiusmodi mala, quę si corpori officiant, opes tamen immortalis animi labefactare nequeunt; instruxitque deinde ad caritatem, beneficentiam, & animi moderationem; cum ista igitur omnia in intimis sensibus hominum defixit, & ad spem gloriæ immortalis auditores erexit, studioque diuinitatis inflammauit; cui dubiū esse poterit, quin iam non virtutis imago, sed solidæ ipsius virtutis splendor, homines ad gloriā natos caperet, atq. vehementer incenderet? Quid? quod non modo erudiuit ad honestatis, atque sanctitatis officia, sed etiam vires confirmauit: quibus ea, quæ docuit, perfici constanter possent. Quod etiam diuinis fuerat oraculis dudum præmonstratum: APERIENTVR, inquit ille, OCVLI CAECORVM. Non est autem intelligendum, vatem illum sanctissimum de corporis tātum oculis ista vaticinatum fuisse. Omnia enim, quæ a viris illis excellentibus diuino instinctu, & inflatu prædicta sunt, a consuetudine corporis abducenda, atque ad mentis sensum referenda sunt. Subiungit deinde: AVRES SVRDORVM PATEBVNT. Surdos appellat eos, qui pietatis disciplinæ aures antea claudebāt: de quibus, Ieremias, ecce, inquit, incircumcisę aures eorum, & audire nō possunt. Christi tamen beneficio factum est, vt surdi etiam auribus acciperent disciplinam. Quid deinde sequitur? TVNC SALIET VT CERVVS CLAVDVS, ET LINGVA MVTORVM IN DEI LAVDES ERVMPET. Quid per claudum intelligatur, nouerunt ij, qui sunt, in sacris litteris mediocriter exercitati. Claudi enim sunt, qui animi imbecillitate impediuntur, quo minus in curriculo pietatis exerceri valeant: qui neque viribus eniti, neque cursu ad virtutis præmia cōtendere vllo modo possunt. Vide igitur, quā multa simul in animę salutem contulit ille uindex humanę libertatis, qui cæcis lumen attulit, surdis aures patefecit, claudis celeritatem dedit, qua possent instar ceruorum altissima cursu petere, & serpentibus pernicem machinari: infantibus postremo, atque mutis egregiam canendi facultatem largitus est. Fuit autem id amplissimum, quod omnis vitæ ratio afflicta, atque perdita, fuerit Iesu Christi ope in pristinā sanitatem restituta: id tamen multo maius, multoque magnificentius, quod, diuino lumine collustrata, legem diuinam non tabulis incisam, sed intimis præcordiis infixam perpetuo studio conseruet. Cum enim iam nihil mentem impediret, quo minus se ipsam traderet in cęlestem disciplinam, ipsum Dei Opt. Max. numen, animis sese insinuauit humanis, illiq. imagini diuinæ, quæ iam in ortu suo, propter conditoris similitudinem, sempiternæ legis particeps extiterat, longe clarius lumen prætulit, totamq. studio

Miracula allegantur.

Dona mortalibus collata.

Deus semper suis adest.

studio diuinitatis inflammauit. Quod si lex nihil aliud est, quam ratio perfecta, illa certa ratio, quæ non modo natura, sed, quod est longe, multumque præstantius, præsenti Dei numine ita perficitur, vt facile sese ad Dei imitationem accommodet; dubium non est, quin diuinam legem in se contineat. Sic enim est apud Ieremiam: Hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel. Post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. Lex autem ista, ipse Christus est. Ipse, inquam, qui Dei patris virtus, & sapientia nominatur: qui est mortalibus diuinæ virtutis exemplum, & vnica vitæ moderandæ ratio, mentibus illius, quas ex impuris castas, atque sanctas, effecit, præsens semper adest, easque Spiritus sancti numine concitatas, ad gloriæ immortalis studium incendit. Cum autem nihil magis concipi mente, & cogitatione possit, ipso Christi numine, quod nobis præsens adesse scimus, & cuius diuino impulsu ad veram virtutem excitamur; nulla certe dicendi vis, nulla orationis vbertas poterit consequi dicendo diuinæ erga nos clementiæ magnitudinem.

Christi numine nihil magis.

Atque video tandem me, Princeps amplissime, iuuenili quadam audacia præcipitem eum cursum suscepisse, quem tenere nulla ratione possim. Sum enim, quasi in mare profundum, & immensum, in earum rerum explicationem ingressus, quarum altitudine omnis humana dicendi ratio, atque facultas obruatur necesse est. Quid autem dico humanam? cælites quidem ipsi, vix illo genere orationis cælesti, atque diuino, de tantis rebus pro dignitate differere potuissent: tantum abest, vt lingua mortalis, impuris sermonibus inquinata, diuinum in hominum genus beneficium amplecti oratione possit. Ecquis enim tantum ingenio valet, vt queat, non dico verbis explanare, sed cogitatione concipere, quomodo Dei vnicus filius, hominis formam induerit, nostramque naturam, adeo incredibili coniunctionis vinculo sibi copularit, vt Deus fieret verus homo, in hoc, vt vniuersum genus humanum, & ab omni vestigio sceleris expiaret, & ab omni scelere tutum, atque sanctum redderet? Quod deinde genus orationis crucis mysterium consequetur, quam Christus, tamquam molem, & machinam, ad euertendas opes hostis nostri comparauit? Quis virtutem inuictam illius pro dignitate celebrare potest, qua serpentem illam venenatam, in cuius potestatem vniuersum genus humanum reciderat, illisit, atque compressit: mortilque imperium infinitum exstinxit: omnesque superstitiones, atque feritates expulit, & profligauit? Vt interim illud omittam, quomodo a mortuis exsuscitatus, atque ornatus manubiis, quas sibi bellorum omnium victor fecerat, summa cum gloria, in diuinas illas sedes scipsum intulit: vt inde sub potestatem suam, & æternam iu-

Deus in forma seruili.

Mors Christi ad quid.

risdictionem, omnes gentes, atque nationes subiungat. Vt etiam de illo diuini spiritus incendio reticeam, quo Apostolorum mentes inflammatæ, res occultas, atque cælestes, diuina quadam constantia mortalibus enuntiare cœperunt, orbemque terrarum Christi nomine compleuerunt. Incutiunt hæc omnia summam mentibus admirationem, opprimunt magnitudine sua cogitationes humanas, linguam timidam, & hæsitantem reddunt. Magnum igitur opus, & arduum, & quod non modo ingenij nostri imbecillitate, sed nullis etiam humanis viribus perfici possit, est, explicare partem aliquam eorum, quæ non humana doctrina, sed diuina sapientia nostris mentibus inspirauit. Attamen id nobis e portu egredictibus considerandum fuit. Nunc quidem, posteaquam temere in altum prouecti sumus, danda nimirum vela sunt. Ea vero, quæ iam superius, quo ad licuit, & fas fuit, attigimus, relinquentes, reliquum orationis cursum, quo Christiani nominis diuina ornamēta continentur, Christi auxilio freti perstringemus.

Apostoli spiritu sancto perfusi.

PRINCIPIO autem, quantum ad virtutem attinet, si (vt est a nobis superius explicatum) ea tantum virtus dicenda est, quæ a Deo profecta, Deum semper intuetur, & omnes actiones in illum dirigit; constatq. hoc virtutis genus cæleste, atque diuinum, a Christi tantum doctrina, atque numine profluxisse, & ad eorū tantum animos permanasse, qui Christum secuti sunt; relinquitur plane, in solis Christianis veræ dignitatis lumen elucere. Hæc enim sola virtus est, quæ omnes peccati neruos excidit: quæ diuinam mentis effigiem, illuuie infuscatam, in pristinum splendorem restituit: quæ tenues opes animi incredibili constantia corroborauit: quæ cunctas cogitationes ab humanis rebus, ad religionis, & sanctimonię studium traduxit: viamq. certam, atque directam, in cælum aperuit. Conferat autem nunc qui volet, illud virtutis genus, quod fuit in Græcis, & Romanis hominibus, ad adspectū amplissimum, cum Christiani hominis dignitate: iam videbit, quantum interuallum inter vtramque interiectum sit. Illa humano studio, & exercitatione quæsita fluxis opibus innititur: hæc diuina benignitate concessa, habet firmissimam spem in summo Deo collocatam. Illa lubricas diuitias, aut popularem gloriam breui moriturам intuetur: hæc nihil, nisi diuinum, atque sempiternum spectat. Illa contagione criminis obscurata, atque depressa, repit humi: hæc autem pura & inuiolata, alacriter in cælum euolat. Illa infirma spe, atque animo, de gloria sua cogitat: hæc autem, spe firmissima immortalitatis, certissimoq. gloriæ fructu ducitur. Illa postremo leuissimis opinionibus inflata, stultis admirationem cōmouet: hęc, verissimo lumine sanctitatis illustrata, sapientes homines ad verum, atq. sempiternum decus inflammat. Denique illic videbis imaginem quandam virtutis

Virtus Christianorū generalis.

Collatio duplicis virtutis.

Imago virtutis mortuæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

intermortuã: hic autem virtutẽ ipsam omnibus præsidiis, & ornamentis redundantem. Quantũ autẽ inter vtramq. interſit, facillime perſpiciet, qui ad vtriuſque actiones animum diligenter attendet. Qui enim Chriſtianæ liberalitatis, manſuetudinis, temperantiæ, & reliquarum virtutum omnium officia examinauerit, eaq. cum humanæ virtutis actionibus contulerit; intelliget plane, nihil aliud eſſe mentem hominis vere Chriſtiani, quam CHRISTI ipſius ſacrarium, atque templum, in quo ſanctiſſimæ Triadis numen inhabitet. Sic enim ille: Ego, & pater ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Et alibi, Habitabo in eis, & inambulabo. Paulus vero non ſemel Chriſtianas mentes, ſancti ſpiritus fana, atque delubra appellat. Cum igitur Deus ipſe, in eorum animis, qui Chriſti viam ſequuntur, quaſi ſedem, atque domicilium collocarit, vt eos præſenti numine incendat ad ſtudiũ diuinæ virtutis imitandæ; ridiculum eſt, aliquam humanæ virtutis ſpeciem adeo præcellenti comparare.

V. Chriſtianorum nobilitas vera.

QVID autem de nobilitate dicam? Nam, ſi vere ſapientes homines nobilitatem virtute metiuntur, eamq. nihil aliud putant, quam gentem eximiis virtutibus illuſtratam; ea profecto gens, quæ diuinis virtutibus exculta eſt, a diuina progenie aliena eſſe non poterit. Itaque non timide, & turbanter, ſed maxima voce, ac elato animo dicimus, Chriſtianum genus, diuino ſatu editum eſſe; atque non ita fatum, vt heroum natio, quæ eſt apud Homerũ. Illi enim, cum propter egregiã aliquam actionem, inter omnes excellerent, facile ementiebantur nobilitatem, generiſq. principium ad falſa quædam, & impia numina referebant. Nos vero, non Iouem, aut Liberum, ſed ſummum, atque præpotentem Deum vere patrem nominamus. Neque licet cuiquam de tanta claritate ſine nefario ſcelere dubitare: cum id innumeris ſacrarum litterarum teſtimoniis compertum, & exploratum habeamus. In primis Ioannes diuinitus teſtificatur, eos, qui Chriſtum receperunt, iſto præclaro beneficio affectos fuiſſe, vt filii Dei efficerentur. Ita, vt iam nullo modo, in illa ſerie, quæ ſanguinis communione continetur, aut in illa familia, in quã adoptati fortaſſe ſunt, cenſeri; ſed in diuina ſtirpe, atque ſobole numerari debeant. Videte, (inquit alio in loco) quantum beneficium contulit in nos pater, vt filii Dei nominem. Quruid autem Paulus? Quam multis in locis, quam præclare, atque magnifice, de iſta eximia nobilitate diſſerit: veluti, cum Chriſtum fratrem noſtrum nominat: cum ſpiritus nos diuini beneficio in Dei familiam adoptatos eſſe dicit: cum maximis vocibus illum rerum omnium conditorem, parentem noſtrum appellat. Sed, quod iam grauius, quam ipſius Chriſti teſtimonium requirimus? Nuntiabo (inquit) nomen tuum fratribus meis, in medio eccleſiæ laudabo te. Et alibi: Nolite vocare vobis patrem ſuper terram; vnus eſt enim pater cæleſtis. Tum poſtremo illud, Aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum. Aetas me deficeret, ſi vellem omnia teſtimonia colligere, diuinam iſtam generis claritatem confirmantia. Sed hæc ſatis, ſuperq. ſunt, ad alia præſertim properantibus. Illud autem admonere non alienum puto: non eſſe plures, atque diuerſas nationes, in quibus diuina claritas eniteat. Quamuis enim ſanguine diſiunctæ, condicione diſpares, locis infinitæ ſint; poſtquam tamen omnes unum in locum congregatæ ſunt, ut apud Chriſtum imperatorem militent: omnes repente eodem agnationis, & propinquitatis uinculo conſtringuntur. Nam, & ſanguinis neceſſitudinem, quo antea diſcretæ erant, reliquerunt, & in diuinam familiam adoptatæ, in qua nullum eſt generis diſcrimen, omnes eadem gentilitatis iura tenuerunt. Poſt quam enim aquis ſalutaribus expiati, primi parentis imaginem depoſuerunt, amiſſaq. priore uita, quaſi iterum nati in nouam ingredi cœperunt; facta eſt continuo mentis humanæ renouatio, & ornatus incredibilis exortus eſt, ita, ut uix iam ueſtigium ullum infirmitatis humanæ relinquatur. Non igitur ille nobis dies natalis celebrandus eſt, quo in lucem editi ſumus, ad omnes uitæ miſerias, & acerbitates nati. Ille iſte, inquam, eſt natalis dies, incredibili lætitia, & uoluptate celebrandus, quo die nobis diuina lux oblata eſt, ſalus, atque libertas Chriſti optimi maximi beneficio conſtituta. Nec enim tam eorum parentum liberi appellandi ſumus, per quos iſta miſera, mortaliq. uita fruimur, quam ipſius Dei, a quo diuinum iſtud uitæ genus habemus, & per quem immortalitatem aliquando conſequemur. Iccirco, quamuis genus miſtum, & uarium ex omnibus fere nationibus, lucis maioribus, natura diſiunctiſſimis, ad iſtam ſanctiſſimi fœderis ſocietatem adſcitum ſit; una tamen gens ex omnibus gentibus efficitur: eadem omnibus ſacra ſunt: eadem gentilitatis ſtirps, & origo. Generis principium (ut eſt ſuperius oſtenſum) ipſe Deus eſt, qui nutu condidit, atque continet uniuerſa: in quem omnia cupiditate incredibili referuntur. Ipſe enim nos generauit: diuiniſq. muneribus ornauit, & in hereditatem immortalis gloriæ uocauit: omnibus denique ornamentis cæleſtibus affecit. Quid iam altius animo fingi poteſt, aut magnificentius, quam humo excitatum eſſe genus humanũ, ut adſcendat ad quendam diuinitatis gradum, atq. amplitudinem? Oſtentet iam qui uolet, imagines ſuas: nobilitatis ſeriem a ſtirpe repetat. Herculem, aut heroem aliquem generis ſui principem, & auctorem leuiſſimo orationis genere confirmet: aut, ſi commodum eſt, dicat ſe Ioue prognatum patre: dummodo nobis uere liceat, immortalem Deum parentem nominare: quod quidem maxime licet, cum intus incluſum

Pater hominum vnus.

Nationes omnes sũt vnius familiæ.

Filii Dei verius dici mur.

Filii Dei qui vocentur.

ſum numen ſentiamus, quod iſtius diuinæ clari tatis tamquã pignus habemus. Nullum enim certius, aut grauius teſtimonium dici poteſt, quam illud ſpiritus ſancti donum, in Chriſtianos homines magnificentiſsime collatum, quo inflammantur ſtudio rerum diuinarum, & in omni genere virtutis vigilantes efficiuntur, quod animis pacem, gaudium, & caritatem incredibilem conciliat.

VI. Spiritus sãcti gratia.

HOC igitur præſentis numinis ſubſidium eiuſmodi eſt, vt nos infirmo animo, atque ſpe eſſe nõ ſinat. De quo vt commodius diſſeramus, ipſius Chriſtiani nominis ratio, atque dignitas explicanda eſt, cuius originem paullo altius repetemus. Illud autem, cum ſit vulgatiſsimũ, non neceſſe eſt admonere: Chriſti nomen, ab vnctione ductum. Siquidem χριστὸς apud Græcos, idem valet, quod vngi apud Latinos. Fuit olim vnguentum quoddam ſanctum, & religioſum, incredibili cærimonia conſtitutum, quo ſolebãt vngi deſignati ſacerdotes, Reges, atque Prophetæ. Nemini autem vmquam fas fuiſſe in ſacerdotium venire, aut ad regiam dignitatem adſcendere, niſi iſto ſacro vnguento fuiſſet antea delibutus, vulgatius eſt, quam vt cuiuſquam explicatione egeat. Quo pacto autem Prophetæ etiam illo perfunderentur, ex Regum hiſtoriis intelligimus. Illic enim imperat Deus Heliæ, vt vngat Azaelem, atque Iehum; & eorum alterum Syriæ regno, alterum Samariæ præficiat. Addit deinde, Heliſæum autem filium Saphat, vnges Prophetam pro te. Itaque, neque regnum adminiſtrare, neque ſacerdotium inire, neque vatibus etiam interdum diuina mente aliquid in poſterum præſentire, aut arcani quippiam interpretari licebat, niſi prius fuiſſent vnguento illo rite perfuſi, atque conſecrati. Non quidẽ quod eſſet ea virtus in caſia, aut cinnamomo, aut in reliquis odoribus oleo commiſtis, vt ſine illis exiſtimemus, neminẽ ad honores ſummos peruenire potuiſſe. Sed nimirum aliud vnguenti genus erat occultum, atque diuinum, cuius iſtud a Moſe compoſitum, vmbram, & imaginẽ gerebat: ſine quo nemo pro dignitate regnum tueri poteſt: nemo ſanctiſsimis ſacerdotii muneribus caſte fungi: nemo denique diuino motu animi futura proſpicere. Nec eſt enim aliud hoc genus vnctionis, quam diuini numinis præſens auxilium, & cæleſte munus, apud mentes caſtas, & puras diuina benignitate collocatum, cuius virtute multi in terris poſiti, cœlitum iura ſunt quodam modo conſecuti. Hoc eſt illud vnguentum, quo Chriſtus fuit copioſiſsime perfuſus, quemadmodum ſcriptum eſt: Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit me. Daniel autem nõ modo de hac vnctione prædixit; ſed tempus etiam ſeptuaginta hebdomadarum præfinitum eſſe monſtrauit: intra cuius temporis fines, futurum erat, ut eluereturomnis peccati macula, & ſceleris improbitas expiaretur, & ſanctorum princeps ungeretur; non unguento aliquo, cuius breuem, & fluxam uoluptatem ſenſu corporis uſurpamus; ſed illo, cuius uoluptatem ſempiternam mente ſentire poſſumus. Vt planius alio in loco demonſtratur. Quem unxit Deus (inquit ille) ſpiritu ſancto, & uirtute. Cum autem omnia munera, quę fuerant priſcis temporibus adumbrata, & diuerſis hominibus diſtributa, fuiſſent excellenter, atque ſimul omnia in Chriſtum conferenda; na m & regnum illius ſempiternum, atque ſummum ſacerdotiũ diuinis oraculis prędictum erat, & eximius propheta fuerat multis ante ſæculis nominatus: cum igitur omnibus gloriæ ornamentis, atque ſummis honoribus fuiſſet ſupra omnes mirabiliter honeſtãdus; par fuit, ut præ omnibus eiuſdem hereditatis, atque gloriæ conſortibus ungeretur. Vt eſt in Pſalmorum libro: Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus, oleo lætitiæ, præ conſortibus tuis. Myrrha, gutta, & caſia diſtillauerunt a ueſtimentis tuis. Iis itaque odoribus, & unguentis affluens, unde etiam Chriſti nomen habet, Rex regum factus, ſummum item ſacerdotium conſecutus, & omnium diuinorũ conſiliorum particeps, atque adminiſter effectus, ita gubernat uniuerſa, ut etiam pacem nobis a Deo patre cõciliet: & omnem ſapientiæ diſciplinam, & res ab humana ſcięntia remotiſſimas, mentibus noſtris inſpiret. Omnia igitur illa poteſtatis, ſanctitatis, atque diuinitatis ornamenta, vno Chriſti nomine continentur. Cum autẽ ex eo, quod in rege Chriſto redundauit, ad illos etiam defluxit, qui eius viam, & auctoritatem ſecuti ſunt, quos fratres, ſocios, bonorum omnium conſortes appellat; iure, atque merito factũ eſt, vt Chriſti nomen obtineant, &, vel quod venerentur Chriſtum, vel quod eiuſdem vnctionis participes exiſtãt, Chriſtiani nominentur. Sic enim eſt apud Ioannem: Vos Vnctionem habetis a ſancto, & noſtis omnia. Et paullo inferius: Vnctio, quam accepiſtis ab eo, manet in vobis: & non neceſſe habetis, vt quiſquam doceat vos: ſed vnctio eius docet vos de omnibus. Cum autẽ virtus iſtius vnctionis eiuſmodi ſit, vt reges creet, ſacerdotes conſtituat, mentes diuinis motibus inflammet; dubium non eſt, quin omnes vere Chriſtiani iſtorum ornamentorum omnium partẽ conſequantur. Non enim ſolum regnum poſſident, & ad ſacerdotium electi ſunt, vt inquit Ioannes in Apocalypſi; ſed habent etiam magnam occultarum atque diuinarum rerum notitiam. Rectius enim, vt hic de regni illius futuri immortalis, atq. diuini opibus reticeam, regem appellaueris eum, qui in cupiditatibus moderandis, & vitijs animi coercendis, diuinis legibus vtitur, omniaq. dirigit ad Chriſti regiam diſciplinam, atque normam, quam principem dedecori, atque turpitudini, tamquam vile mancipium, ſeruientem. Rectius ſacerdotem illum, cuius ſancta, atque pura precatio, longe, multumque priſcum illud ſacrificium, vel matutinum, uel ueſpertinum, ad religionem antecellit;

Vngendi dignitas nõ in herbis.

Daniels Prophetia.

Christi nomen ab vnguendo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam Caipham, qui manibus conſceleratis ſacra nefaria peregit. Rectius vatem illum, qui diuino afflatu multa cognoſcit, quæ ſunt ſupra hominis ingenium, certiſſimamq, ſalutis viam exploratam habet: quam Balaam, qui cupiditate cæcus, perniciem ſibi paratam non vidit. Diuinitus igitur illud Moſis elogium ab Apoſtolorum principe, cum de dignitate Chriſtianorum diſſereret, vſurpatũ eſt. VOS, inquit, GENVS ELECTVM, REGALE SACERDOTIVM, Vide autem, quomodo cum regia dignitate ſacerdotium copulauit. Nulla enim ratione vult has dignitates a ſe inuicem diſiungi. Nec enim caſte fungi poterit ſacerdotio, qui neque ſe, neque alios iuſte rexerit: nec is qui iuſtitiam regie colit, honore ſacerdotis carere poterit. Nõ quidem, vt continuo ſacra omnia poſſint adminiſtrari, per illum qui honeſte vixerit. Sic enim omnium munerum confuſio inducereꝛtur, & omnes dignitatis gradus tollerentur: qua quidem re nulla capitalior eſſe poteſt. Erit tamen ſacerdos, omnis qui iuſtitiam excoluerit, ad illud ſacri genus rite peragendum, quod eſt, exhibere proprium corpus hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, & cultum e pia mente, atque ratione depromptum. Quid deinde ſequitur? GENS SANCTA POPVLVS ACQVISITIONIS, VT VIRTVTES ADNVNTIETIS EX EO QVI DE TENEBRIS VOS VOCAVIT IN ADMIRABILEM LVCEM. Iam quod dicit ſanctum, quod e tenebris ereptum, & in lucẽ admirabilem, hoc eſt, in diuinarum rerum, atq. cæleſtium notitiam vocatum: Spiritus ſancti beneficium eſt, numine ſuo mentem interius illuſtrantis, & cõmouentis, atque ad ſumma omnia perducentis. Hoc autem cuiuſdam diuinitatis eſſe, prophetiæq. dignitatem attingere, quis non videt? Nec enim aliud prophetiæ munus, quam rerum occultarũ, quarum vel inueſtigatio, vel inuentio ſupra naturam humanam eſt, per Deum facta demonſtratio. Cum igitur tam multa nobis ſupra ſenſus hominis a Deo in lucem prolata ſint, dubitamus, quin verſetur in animis noſtris præclara quædam diuinatio, atque certiſſima multarum rerum præſenſio? Quid enim eſt aliud fides, qua inſigniti, atq. fundati ſumus vniuerſi, quam certiſſimum argumentum earũ rerum, quas adipiſci ſperamus, animis noſtris per diuinum numen infixum? Ita fit, vt Dei ipſius inſtinctu nobis ea polliceamur, quæ humanam cogitationem longe ſuperant: quod iam ſine dubio pertinet ad officium vaticinii. Non vulgari igitur aliquo Dei optimi maximi dono, atque munere hoc Chriſtianorũ numen commendatum eſt: ſed multis atque præſtantiſſimis ornamenris affectum. Sic eſt enim diuino ſpiritu afflatum, vt regiam dignitatem obtinere, præclariſſimum ſacerdotium habere, & diuinæ mentis viribus ad futuram immortalitatem excitari poſſit.

Elogium Moſis.

Prophetiæ munus.

VII. Antiquitas Chriſtiani nominis.

SED, quoniam de nominis tam ſancti, atq. auguſti origine, & dignitate diximus, pauca etiam de illius antiquitate dicenda ſunt. Non quidem, quod magnopere interſit ad Chriſtianæ gentis celebritatem, quam multas imagines ſuorum enumerare valeat, aut quam multis gradibus ab illa fuerit claritatis poſſeſſio retenta. Cum enim generis principium ad Deum referat, inuidiam nouitatis non formidat. Sed, ne videantur excluſi non pauci, qui in iſta familia principem locum tenuerunt, & quorum diuina virtus non multis in locis enituit, ſermonem etiam de his inſtituendũ putaui. Non eſt enim, cur huius nominis ortum ex Antiochiæ geſtis repetamus, in qua primum (vt eſt apud Lucam) Chriſtiani vulgo nominati ſunt. Quãuis enim tum primum vulgari cœpiſſet, multo tamen, antequam Ieſus oriretur in terris, verſata eſt inter homines huius nominis dignitas, & amplitudo. Siue enim, quod Chriſti diſciplinam, & imperium ſequantur, Chriſtiani nominati ſunt: ſiue ab vnctione illa cæleſti nomen iſtud ductum eſt: ſiue (quod magis reor) vtrumque valuit ad huius nominis rationẽ, quod ſcilicet & in Chriſti verba iurarint, & eiuſdem vnctionis participes exſtiterint; quis erit tam amens, vt Moſen ab hac familia ſeiungat, qui Chriſti contumeliam in ſe accipere maluit, quam regio luxu circumfluere? Quis Iacobum, qui Chriſtum ſcalis innixũ ſumma religione veneratus eſt? Aut Iſaacum, qui vt hoſtia Deo conſecratus, Chriſti ſupplicium adumbrauit? Aut Abrahamum, qui Chriſti diem vidit, & ex eius adſpectu fuit eximia, atque incredibili voluptate perfuſus? Quis porro Dauidem ab iſta gentis ſerie ſecernendũ putet? Cum quo fœdus illud, de Chriſto ex eius ſtirpe generando, quondam cum maioribus ictum, ſanctiſſime renouatum eſt. At quẽ virum? Qui omni vitæ ratione ſe præſtitit in omni Chriſtiana virtute excellentem. Infinitum eſſet, ſi omnes illos, qui ante legem fuerunt, & lege inſtituti ſunt, enumerare contendam. Hoc vnum dico, quod eſt ab omnibus teſtatum, neminẽ vmquam fuiſſe eximia pietate, atque virtute virum, qui Chriſtum toto animo complexus non fuerit. Res per illum gerendas, vates diuino numine concitati cecinerunt: ad illius ſtudium, & cupiditatem ſanctiſſimi Reges exarſerunt: illius imaginem multi viri, omni genere virtutis ornati, quamplurimis ſignis expreſſerunt. Et, quemadmodũ, cum in ſpeciem trium phi Hieroſolymam inuectus eſt, innumerabili turba circumfluens, cuius pars antecedens veſtibus viam ſternebat: pars vero ſequens maximo plauſu gratulationem ſignificabat: vna tamen vox omnium audiebatur, quæ illius virtutem inuictam celebraret: ſic etiam & priſci illi Heroes viã Chriſto munierunt; & poſteri Chriſtum ardentiſſimo ſtudio ſectati ſunt, & omniũ voce vnius regis, atq. domini laudes in cælũ ferũtur. Hoc illud exemplũ fuit, quod Moſi propone batur ad imitandũ. Inſpice, (inquit illi Deus) & fac ſecundum exemplum, quod tibi in monte monſtratũ eſt. Nec Moſi ſolum, ſed omnibus illis,

Iacob dormiens ſuper petram

Chriſtus triumphãs.

lis, in quibus fuit ſingularis pietas, atque ſumma ſapientia, qui omnes illas opes animi, quibus floruerunt, per Chriſtum, vnicum rerum humanarum perfugium, conſecuti ſunt: quem fide perſuaſi venturum ſperabant: quem iam animo vt preſentem intuebantur: & ex cuius voluntate omnia pietatis, atque religionis officia ſeruabãt. Vt autem illud omittam, quod non omnino illius adſpectu caruerunt; non enim ſemel ſeſe conſpiciendum illis ſanctiſſimis hominibus exhibuit, vt Moſi cum multis in locis, tum in illo rubi incendio, atque flamma; vt Eſaiæ in illa ſede regia, atque diuina collocatus; vt multis aliis, quos non eſt facile percenſere: vt igitur hic non perſequar, quomodo multi ex illis Chriſtum in aliqua forma latentem deſpexerunt; illud certe conſtat, omnes illos ad Chriſtianę diſciplinæ rationem vitæ officia omnia perpendiſſe. Cum enim animaduertas, Moſem ſupplices manus ad Deũ tendentem, & pacem, atque veniam inimicis imprecantem; dubitas, quin ad Chriſti præcepta omnes actiones vitæ direxerit? Vt interim de reliquis ſileam, qui magnitudine animi, incredibili mortis contemptione, ſingulari clementia, & reliquis virtutibus Chriſti diſciplinam egregie præſtiterunt. Quid enim opus eſt ſingulorum res geſtas exponere? Qui in vitã Samuelis inſpiciet, qui res ab Ezechia geſtas animaduertet, qui Ioſiam, qui vates illos omnes intuebitur, & reliquos eiuſdem ordinis homines conſiderabit: intelliget plane, illos magis ad legis finem, hoc eſt, ad Chriſtũ, quam ad ipſam legem officia vitæ accõmodaſſe. Si igitur Chriſtianos dictos eſſe placet, ex eo, quod Chriſti diſciplinam ſequantur: nemini dubium eſſe poteſt, quin & illi, qui Chriſtũ naſciturum proſpexerunt, & in illius doctrina, & beneficio omnem ſpem ſalutis repoſitã habuerunt, Chriſtiani nominari poſſint. Si vero mauis nomen ab vnctione deduci: neque ſic vlla cauſſa eſt, cur dubitemus, fuiſſe illis nomẽ hoc inſigne cõmunicatum. Sic enim de Abrahamo & eius liberis ſcriptũ eſt: Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetas meos nolite malì quippiam moliri. Quos Chriſtos Deus appellat, ſatis perſpicuum eſt, nõ legis vnguento, quod nondum fuerat inſtitutum, ſed illo diuino fuiſſe delibutos, & ea de cauſſa Chriſtos appellatos. Sed quid attinet de iſto ſpiritus ſancti dono, atque munere plura dicere? Num quid parum manifeſtum eſt, neminem, poſtquam illa criminis plaga iniecta eſt generi humano, potuiſſe vllam veræ virtutis actionẽ ſuſcipere? Ergo, quicumque virtutis, atq. pietatis religionem coluerunt, id nõ viribus ſuis, ſed diuino numine aſſecuti ſunt. Quicumque enim illorum hominũ memoria, ingenii, atq. naturæ opibus diffiſus, ad Deum confugit, ab illoq. miſericordiam, atq. clementiam implorauit; facile expertus eſt diuinæ benignitatis magnitudinẽ; animumq. antea percuſſum & afflictum, diuino præſidio recreari, & ad omne virtutis genus incitari ſenſit. Nihil itaque memorabile, nec in Rep. conſtituenda, nec in ſacrorũ religione atque cultu, nec in rebus bellicis effectum eſt, niſi Spiritus ſancti numine mentem principis alicuius excitante, & commouente. Vnde illud eſt, Factus eſt ſuper leptẽ ſpiritus domini: &, Irruit ſpiritus domini in Samſonem: &, Inſiluit ſpiritus domini in Saulem: & eiuſmodi ſexcenta ſacrarum litterarũ monumentis æternitati commendata. Dubitas igitur illos homines in Chriſtianorum ordinem, atq. dignitatem reuocare, qui eodem, quo nos, diuini ſpiritus munere affecti fuerũt, & qui omnia ſalutis præſidia in Chriſto conſtituenda putarunt, cuius vnius beneficio ad eã, quam adepti ſunt, dignitatem peruenire poterant? Nec enim eſt aliud humanæ calamitatis ſubſidium, nec aliunde ſpes ſalutis oſtendi poteſt. Omnes igitur illi, qui ab humili condicione ſeruitutis abhorrentes vſque eo progreſſi ſunt, vt adoptionis ſpiritu fruerentur, gentiles, atque maiores noſtri ſunt, ipſeque Abraham parens noſter eſt. Magiſq. ab illo nati ſumus, cũ illius ſimilitudo ad nos peruueniret, nosq. ſimili pietate illius fidem referamus, quam ij, qui ſe ortos ab illo putant, neque tamen domeſtico exemplo a ſcelere, & impietate reuocantur. Cũ enim in iſta diuina cognitione, omnia ſint a ſenſu corporis ad mẽtis dignitatem conferenda: non multum refert, cuius ſanguine procreatus ſis, ſed cuius veſtigiis ingreſſus, vitam inſtituas. Merito igitur animi illorum, qui inani nobilitatis opinione tumebant, a Chriſti præcurſore comprimuntur. Non dicatis, (inquit) Patrem habemus Abraham. Potens eſt enim Deus ex lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Deinde vehemẽter illis comminatur. Iam, inquit, ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Fuit illis quidem ſecuris iniecta, qua a generoſa ſtirpe exciſi ſunt. Nos autem rurſus inſerti in illã ſumus. Illi itaque, qui ſe ſummo loco natos arbitrabantur, ad ſummam ignobilitatem redacti, conuicia illa merito, atque iure ſuſtinent, generatio praua, atque adultera, & germina viperarum, & alia complura. Nos autem, qui obſcuro, & humili loco nati eramus, in Abrahami familiam tranſlati ſumus; & in maioribus noſtris omnes illos reges, atq. principes numeramus. Non tamen id miſeri homines intelligunt. Sed, quem admodũ ſe Iudæos appellant, cum nõ ſint; ita Abrahami nomine gloriantur, cũ a florentiſſimi illius generis dignitate, iam multis ſæculis ſint deiecti; & nunc vagi, & exſules errent, vndique excluſi, & ornamẽtis omnibus ſpoliati. Nos, nos, inquã, vere Iudæi ſumus, modo generis antiqui dignitatẽ iuſtitia, atq. pietate tueamur. Nam, ſi carnẽ nõ circũcidimus, animi circumciſionẽ libẽter amplectimur. Paſcha vero ſi nõ agni ſãguine cõſecramus; Chriſtũ pro nobis immolatũ veneramur, cuius ſãguine inſigni

Legis finis Chriſtus.

Opibus diffidendum.

Diuina cognitio mentẽ reſpicit.

Opinio hominũ varia

Animi circumciſio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ti, omnem a nobis pestem, & vastitatem depulsam esse confidimus. Et, si a fermento non abstinemus, vetusti tamen sceleris contagionem formidamus. Quid multis opus est? omnes illas cærimonias ab antiquis institutas, summa religione recipiendas arbitramur. Omnia tamen, vt Christiana dignitas exigit, ab illa corporis consuetudine, quæ iam temporibus ita postulantibus sepulta est, ad diuinam virtutẽ intus inclusam, esse conferenda putamus. Illũ autem Iudam generis, atque nominis principem habemus: de quo diuinitus scriptum est: Iuda, te laudabunt fratres tui, manus tua in ceruicibus inimicorum, adorabunt te filii patris tui. Quod quidem vaticinium ad Christũ spectare, nemo sanus ambigit. Vtrum igitur illi potius, qui disciplinæ veteris vmbram tantum inanem consectantur, & salutem diuina clementia constitutam, & a lege contestatam repudiant, Iudæi appellandi sunt? an illi potius, qui illius disciplinæ sapientiam litteris occultam, summa religione colunt? Vtrum de inde est æquius asseuerare, illos ab Abrahamo ortos esse, qui ab illius virtute degenerarunt, & in Deum contumaces, atque rebelles exstiterunt? An illi potius, qui Abrahami gloriam adamarunt, & veræ religioni libentissime paruerunt? Quemadmodum igitur illi viri excellentes, Christianæ vitæ splendore nobilitati sunt; ita & nos, qui illorum vestigia persequimur, Iudaici nominis laudem, & gloriam obtinemus. Nullum itaque iam discrimen generis, nulla sacrorum distinctio, nulla dissimilitudo vitæ relinquitur. Siquidem omnia, quæ hostili odio antea disfidebant, omnium necessitudinum vinculo constricta sunt, per summũ illum pacis interpretem, qui non solum humanis diuina conciliauit, sed etiam diuersissima hominum studia, & dissimillimam vitæ rationem ad summam concordiam adduxit; & ex rebus maximo interuallo distinctis, incredibilem concentum effecit. Si igitur Abrahã gentilis noster est; quis prohibet, quo minus eos etiam, qui illo longe vetustiores fuerunt, & eiusdem fidei, atque religionis consortes exstiterunt, in eiusdem familiæ dignitatem contineri existimemus? Quid autem dico vetustiores? Immo vero ab vniuersitatis primordio licet huius gentis celebritatem repetere. Quid enim hic referã diuinos illos homines ad omnia summa natos? qualis Abel fuit, cuius oppressi, & occisi sanguis eas voces mittebat, quæ in cælum penetrarent, atque ad aures diuinas peruenirent? Qualis item fuit ille, qui a Deo raptus est, nec amplius in terris apparuit? Quales alii permulti, quos Mosis testimonio diuinitus celebratos animaduertimus? Quid igitur antiquius? quid vetustius Christianæ gentis splendore dici potest? quæ iam ab illo tempore, quo iste rerum ornatus, & pulchritudo constituta est, in summa dignitate fuit: quæ singulari fide, eximia virtute, incredibili sanctitate continuata, vsque ad Christi aduentum permansit: & quæ antea firmo animo, atq. spe se omnia consequi posse per Christum confidebat, omnibus nunc ornamentis Christi beneficio redundat? Quid enim iam illi ad laudem, & gloriam deesse potest? Nam, si virtute decus excolitur; in sola Christiana gente veræ virtutis decus, & solidæ dignitatis lumen elucet. Si maximorum hominum gloria, genus commendatur; innumera multitudo est eorum, qui huius claritatis possessionẽ perenni virtute tenuerunt. Si antiquitate cõciliatur amplitudo; nihil est in hominum genere, quod quidem sit antiquius.

Princeps humani generis.

Imitationis fructus.

Transitio p cõmemorationem.

IIX. Singulæ Christiano rũ virtutes.

SED, quoniam non est satis disserere de vniuerso genere virtutis, nisi etiam aliquam partem persequare; non alienum erit, posteaquam de Christianæ virtutis dignitate generatim diximus, & antiquitatem nobilitatis ostendimus, nunc de singulis disputare. Non quidem de omnibus; esset enim infinitum; sed de iis tantum, quæ magis cursum ad decus, & gloriam aperire, atque ad nobilitatis splendorem viam munire videntur. Quod si Nobilitas est genus maximis virtutibus illustratum: maximæ autem virtutes appellantur illæ, quibus qui sunt præditi, non vtilitati suę consulunt, sed communi saluti prospiciunt: quales sunt iustitia, liberalitas, & animi magnitudo; certe vel ea solum ratione perspicuum est, in solis Christianis esse summam nobilitatem: cũ soli sint illis virtutibus cumulati, quæ genti veram claritatem & splendorem pariunt.

IX. Iustitia virtutũ maxima.

VT autem ab illa virtute, quę omniũ habetur maxima, principium sumamus: illi soli possunt colere iustitiam, qui nulla cupiditate impediuntur, nullo motu iracundiæ a mentis statu deducuntur, nullius odio, aut offensione commouentur; qui postremo non hominum rumori seruiunt, sed ipsa recte factorum conscientia sustentantur. Quamdiu enim animus fuerit ira, aut cupiditate, aut reliquis eiusmodi morbis implicatus, non facile cohiberi poterit, quin vel appetat alienum, vel manus asferat alicui, vel quauis alia ratione faciat iniuriam. Quin etiam ille, qui omnes hominum rumores intuetur, & ea de caussa in iustitiam incumbit, non iustitiam tuetur, sed simulatione, & inani iustitiæ ostentatione laudem aucupatur. Propterea enim quod innocentiæ nomen cupit obtinere, tantisper dum testes habuerit, sese in officii regionibus continebit: infamię autem timore sublato, non dubitabit iura omnia commodi alicuius gratia violare. Quare, vt ii, quorum mentes humi defixę, & variis animorum tempestatibus agitatæ sunt, qui res humanas admirantur, & in illis omnia ponunt, iniuria abstinere nulla ratione possunt; ita illi, qui mentes inuictas a cupiditate, & ab omni perturbatione liberas habent, qui negligunt humana, & in diuina suspiciunt, iniuriam nemini conflare possunt. Nec enim nunc

nũc de iis loquor, qui nihil habent Christiano rũ præter nomen, cũ re ipsa sint ab omni pietatis religione remotissimi, sed de iis tantũ, qui veri Christiani sunt, Christiq. moribus, & institutis viuũt. Quo enim modo eiusmodi homi nem ad iniuriam inferendã impelles, qui neq. cupiditati seruire, neq. libidine incendi, neq. ęgritudine vlla frangi potest? Num eximias illum prędiis ad iniquitatem pellici? At omnia humana contemnit, & pro nihilo ducit. Num supplicij metu? sed frustra illi comminaberis, qui iniustitiæ turpitudinem instar omnium supplicium putat. Odio fortasse, inquies, aut offensione aliqua concitatus, inferet iniuriam? At nullum odium maius esse poterit eo, quod in improbitatem conceptum perpetuo continebit, nec vlla offensione lacesitus, animum inducit, vt optimi domini, atque parentis voluntatem offendat. Quid autem (vt vno verbo dicam) inquitatis suscipiet is, cuius omne vitæ studium in omnium hominum caritatem comparatum est? Qui inimicitias persequi, facinus nefarium putat; iniuriam vlcisci, scelus atque flagitium. Qui, id quod proxime accedit ad diuinam beneficentiam, eam mentẽ habet, vt inimicis etiam benigne faciẽdum putet? Est enim Dei maxime proprium, indignissimis etiam misericordiam impertiri, nefastis, & impuris hominibus huius lucis vsuram largiri, flagitiosissimis quibusq. magnorum interdum commodorum facultatem tribuere. Qui non statim vt quisque facinus aliquod nefarium suscipit, in sceleratorum pœnam detrudit, nec agit præcipitem in æternæ miseriæ regionem; sed spatium dat resipiscendi, & incredibili clementia vocat ad sanitatem, vt tandem in viam redeuntibus ignoscat. Huius autem diuinæ benignitatis imitandæ tanto studio efferuntur ii, qui sequuntur Christi disciplinam, vt vel in ea summam religionis esse ponendam statuant. Iccirco, neq. cõuiciis lacesiti commouentur, neque vexati maledictis incenduntur, nec iniuriis prouocati vltionem vllam machinantur. Immo, quod plane diuinum est, certamen illud sibi propositum existimant, vt inimicorum improbitatem beneficiorum magnitudine vincant, & eorum etiã saluti cupiant esse consultũ, a quibus per summum scelus oppugnantur. Istos igitur existimas ad iniquitatem impelli posse, qui neque cupiditate frangi, neque timore debilitari, neque odio vllius immoderato incendi possunt? Qui etiam in hostes omnia mansuetudinis officia conferunt? Qui postremo tunc se putant maximum lucrum facere, cum omnium commodi tatibus inseruiunt? Nam quid ego de liberalitate dicam? cum illud constet, omnia ferme viuendi præcepta, quæ a summo illo doctore nobis tradita sunt, ad misericordiæ, atq. beneficẽtiæ rationem maxime pertinere? Nec enim, ad vllius virtutis officium studio maiore nos instruit, neque frequentius aliquid inculcat; neque rursus vitium aliquod acrius reprimit, atque vehementius, quam auaritiæ, & crudelitatis immanitatem. Atque adeo, cum ponit ante oculos illius extremi iudicii seueritatem; & ostendit, qui nam in cælum euocandi sunt; qui rursus in impiorum sedem, atque tenebras detrudendi; non alia officia enumerat, quam ea, quæ ex clementia, & liberalitate depromuntur, nec nominatim aliis comminatur, quam feris, & inhumanis hominibus. Hospitem, inquit, me non recepistis: nudum non operuistis: infirmum non visitastis; & reliqua omnia eiusmodi. Quod quidem non sic est accipiendum, vt putemus, aditum ad gloriam esse reliquis virtutibus interclusum, aut reliqua facinora, non esse supplicio acerbissimo punienda. Quid est igitur in caussa, cur alia nõ cõmemoret? An ob id, quod, quemadmodum nulla virtus est, quæ magis Dei bonitatem referat, quam humanitas, & beneficentia; ita nihil est tętrius, nihil odiosius, nihil magis diuinis placitis alienum, quam crudelem auaritiæ, & immanitatis? Cum igitur futuri iudicii rationem exposuisset, non necesse habuit omnia officiorum genera persequi; sed ea tantum voluit oratione complecti, quæ sunt in omni vita præstantissima. Nec enim quidquã in terris fieri potest, quod Deo sit acceptius, quam ferre opem miseris, præbere perfugium afflictis, tribuere misericordiam perculsis, beneficiis iuuare quamplurimos, bene de vniuersis promereri. Nullum est remedium præsentius, ad omnes morbos animi depellendos, nulla in cælum via expeditior. Omnes igitur, qui non solum nomine Christiani sunt, sed qui vitã etiam, atque moribus cum Christi disciplina cõgruunt, huic vni virtuti præcipuę incumbũt, eandem perpetuo studio colendam putant, in ea denique magnum robur, atq. firmamentum salutis ponendum arbitrantur. Tum demum se existimant, illius institutum, atque exemplum sequi, qui diuinas, & immortales opes nobiscũ communicauit, cum omnes suas opes in vtilitatem omnium conuertunt. At vide, quantus sit Christianę liberalitatis splendor, quanta dignitas, & amplitudo. Satis amplam sibi beneficentiæ laudem vulgo quæsisse videtur ii, qui ex eo, quod sibi superat, aliis gratificantur. Maxima deinde pars, ipsius liberalitatis officia, adeo angustis religionibus definit; vt nemini se quippiã debere, nisi sibi, atque suis arbitretur. Si vero beneficia in alienos conferenda sint, apud eos collocat, qui videntur posse referre gratiam cumulatius. At vero, qui se Christi disciplinæ penitus dediderunt, non solum in pecuniæ abundantia, sed etiam in angustiis omnia benignitatis officia tuentur. Deinde neminem putant alienum, cui possint opitulari. Postremo, non tam in eos benefici sunt, a quibus possunt officii fructum repetere, quã in illos, qui, propter omnium rerum inopiam, & egestatem, minime idonei sunt ad gratiam referendã. Nec ii sunt vllo modo, qui pecuniam tantum, qua quidem nihil est homini Christiano vilius, profundant; reliqua

Ingenia bona ad uitia non flectuntur.

Odium maximum.

Dei est misereri.

Vitia qui fugiant.

Virtutis calcar.

Remediũ animorum.

Timor Domini ditat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

reliqua vero consilii, virtutis, industriæ, diligẽtiæ officia negligant. Immo quidquid ingenio, labore, studio, vigilantia perfici potest, semper pro aliorum salute libentissime suscipient: nec vllo capitis periculo ad aliorum hominum, præsertim Christianorum, pericula propulsanda, impedientur vmquã. Tanta est enim inter eos, qui Christi præceptis conformati sunt, in religione colenda cõspiratio: tanta officiorum omnium societas: tanta deniq. amoris cõiunctio, vt nemo propriam salutem, aliorum saluti puter anteponendam. Non igitur est, cur admiremur, tantam multitudinem exstitisse eorum, qui, vt aliorum indigentiam subleuarent, patrimonia sua profuderunt; cum multi etiam, vt aliorum salutem constituerent, vitam propriã fortissime dimiserunt. Quid autem necesse est, in tanto numero, aliquos percensere? Ab omnib. enim ista caritatis officia, in Ecclesiæ primordio colebantur, & nunc non ab vniuersis deseruntur. Sunt enim, sunt non pauci, qui non modo contemnunt omnes opes & facultates; verum etiam, si res ipsa postularet, vitã pro aliorum incolumitate libenter abiicerent. Semper enim Christianæ virtutis, atque probitatis lumen eluxit. Patuit aliquando latissime, & quamplurimos illustrauit: aliquando autem pauciores: semper tamen eundem splendorem retinuit, atque in perpetuum retinebit. Nec enim ab hominibus ortum habet; sed a Deo rebus humanis allatum est. Numquam igitur deerunt, qui non modo communem salutem omnibus suis commoditatibus anteponant; sed etiã vitam libentissime pro omnibus impendant. Fuit autem hoc in ista cælesti disciplina, vt alia omnia, admiratione longe dignissimum. Cum enim homines, ad amoris coniunctionem nati sint; euenit tamen, vt, vitijs, atque cupiditatibus impediti, rarissime sese ad amicitiæ studiũ applicarent. Itaque per tot sæcula, vix duo, aut tria amicorum paria reperta sunt, a quibus amicitiæ ius sancte coleretur, quæ etiam fabulis magis, & antiquitatis opinione celebrata, quã certa fide comperta, & illustrata sunt. At, postquam mentes humanæ huius doctrinæ lucem adspicere potuerunt, tanta continuo fuit inter homines amoris consensio; tam sanctum inter omnes fœdus amicitiæ factum est, vt nemo quippiam ab aliis seiunctum, atque segregatum haberet, sed quilibet eorum omnes suas fortunas, in omnium vsum conferebat. Quid autem dico fortunas, cum manifestum sit, omnium voluntates ita conglutinatas fuisse, vt nihil quisquam sentiret, quod non esset ab vniuersis comprobatum: nihil expeteret, quod non in omnium salutem redundaret? Multitudinis autem credentium (inquit Lucas) erat cor vnũ, & anima vna. Neq. quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse ducebat: sed erant illis omnia communia. Vides igitur illam illustrem, atque præclaram amicitiæ speciem, quæ virtutis opinione conciliatur: cuius imago fabulis adumbrata admirationem incutiebat: ad quam vix duo, aut tria hominum paria peruenerunt, non iam institutam a paucissimis, sed ab omni Christianorum multitudine incredibiliter excultam. Tanta enim facta est animorum coniunctio, vt nõ modo eisdem moribus & institutis viuerẽt, verum etiam vniuersi, vna mente atque voluntate constarent. Denique in solis Christianis verum lumen amicitiæ mirabiliter eluxit. Quemadmodum enim, in multis fuisse virtutis conatum animaduertimus, in nullo tamen, qui religionis expers esset, virtutis perfectionem inspicimus; ita, quamuis multi imaginem amicitiæ tenuerint, ipsius tamen veræ amicitiæ splendor in solis Christianis exstatit. Cum enim amicitia a virtute nascatur, necesse est, vt vera, atque perfecta amicitia in ijs tantũ sit, in quibus perfecta virtus insidet. Sed satis sit in hoc libro de iustitia, liberalitate, & fonte liberalitatis amicitia breuiter disputasse. Nũc reliquã partẽ orationis, qua de fortitudine Christiana latius disserẽdũ est, propter aliquorũ improbitatẽ, qui virtutis huius laudem hominibus Christianis mihi me concedunt, deinceps persequemur.

Consensus amoris.

Epilogus.

HIERO-

HIERONYMI OSORII LVSITANI DE NOBILITATE CHRISTIANA LIBER TERTIVS.

Fortitudo & constantia Christiana.

DIVINA Christiani nominis ornamenta, iustitiam, atque benignitatem, non quidem eo genere orationis, quod rerum magnitudo postulabat, sed eo, quod ingenij nostri tenuitate excoli potuit, superiori libro persecuti sumus.

I.

RESTAT igitur, Ludouice princeps amplissime, vt de magnitudine animi, atque constantia paulo fusius disputemus: cuius quidem virtutis ea dignitas est, vt nulla orationis vbertate exprimi possit. Semper enim summam admirationem excitauerunt mortem contemnentes, corporis cruciatus animo perferentes, nullis doloribus a mentis statu, & a vitæ dignitate discedentes. Nam, cum omnes vitæ iucundita te ducamur, atq. naturæ blandimenta consecte mur, quicumque mortem contemnit, naturam ipsam plane vincit. Quantum autem apud omnes nationes admirationis, atq. dignitatis habeat mortis contemptio, illud vel maximum iudicium facit, quod nulla virtus æque doctorum hominum monumentis celebratur, nulla simili genere laudis effertur. Iusti, & moderati homines mediocriter laudantur, fortes vero, atq. magnanimi sideribus ipsis inferuntur. Socrates, qui, vt temporibus illis, fuit vnicũ continentiæ, atq. moderationis exemplũ, nullo genere virtutis æque illustratus est, atque illa constantia, quam adhibuit, in retinenda dignitate, cum iudicum sententijs ad mortẽ mitteretur. Ipsi illi, qui difficillimã aliquam fortunam subeuntes, omnibus fortunis, atque solatijs spoliati iacent, si in salutis desperatione sibi manus afferant, quamquam in eo genere mortis insit quędam timiditatis suspicio, (non enim videntur tam retinendæ constantię caussa, quam calamitatis effugiendæ, ad letum properasse) illi tamen ipsi, qui sic a vita, voluntate sua demigrant, eximijs sæpe laudibus celebrantur. Tantũ enim dignitatis habet animi virtus, vt eius etiam falsa simulatio admiratione cõmoueat. Quod si ita est, quis poterit oratione complecti Christianæ virtutis constantiam, atque magnitudinem? Etenim, si vires eloquentissimorum hominum, cum ipsius humanæ virtutis laudes exornare volunt, rei magnitudine interdum obruuntur; quod orationis genus, incredibile, atq. diuinum erit, quo possit quisquam dicendo partem aliquã tantæ dignitatis explicare? Nos autem, quamquam nec ingenio, nec exercitatione valeamus; posteaquam semel a nobis res tanta suscepta est, ne sit maius in omittẽdo desidiæ crimen, quam fuit audaciæ in suscipiẽdo; quantum in nobis situm erit, huius etiam virtutis præstantiam latius explanare conabimur.

Molities vitę humanis.

Virtus animi.

II. Differentia fortitudinis.

ATQVE primum, quantum inter illam, & humanam fortitudinem interfit, animaduertẽdum est. Principio, si finem respicias, qui pro Christo dimicant, ipsum verũ virtutis finem assequuntur: qui autem diuitias, aut gloriam popularem sibi proponunt, neque summum illud bonum intuentur, cupidi magis, & ambitiosi, quam fortes appellandi sunt. Deinde plerique se periculis obiiciunt, non iudicio, sed aliquo animi furore concitati, ex odio, inuidia, aut cupiditate concepto. At Christiani, cũ solam improbitatem odio persequantur, erga ipsos homines habent animum ab omni ira, inuidia, cupiditate liberum, atq. solutum. Illi postremo numquam se periculis obiiciunt, nisi aut in summa spe, aut in rerum omnium desperatione. Nemo enim, nisi aut aliquam spem salutis, & commodi sequeretur, aut omnino a spe salutis decideret, pericula sibi subeunda existimaret. At nostri, quam multis in locis, ad certam perniciẽ atque mortem abducti, cum iis vitæ amœnitate frui licuisset: ita vt altera ex parte nulla spes salutis ostenderetur, ex altera si a mentis sentẽtia destitissent, multa ad vitæ iucunditatẽ proponerentur; tamen ad certum mortis acerbissimæ supplicium profecti, omnia vitæ blandimenta repudiarũt, & neque minis, neque promissis a fidei, atque pietatis religione depelli potuerunt. Iam, quantum illud est, quod cum ex omni pæne memoriam hominum, pauci admodum fuerint, qui disciplina, & exercitatione, perpetuoq. vitę studio id assecuti sint, vt oblatã mortem æquo animo ferrent: repente multitudo innumerabilis exstiterit, non modo virorũ, atque mulierum, sed etiam puerorum, atque propemodum infantium, pro Christi religione, verbera, cruces, ignes, mortem postremo atrocissimam, inuicto, & alacri animo perferentium. Cum omnes orbis terrarum principes, tamquã pro salute, atque dignitate contenderent, vt sanctissimę religionis memoriam, ex animis omnium delerent: cum ipsi dæmones, auctores sceleris, & impietatis, animos illorum, quos impurissima superstitione obligatos in potestate cõtinebant, ad immanitatem inflammarent: cum

omnia

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnia exquisitissima suppliciorum genera, ad Christiani nominis perniciem excogitarentur, cum vis, & furor, in omnibus terrarum angulis, in quibus Christi nomen auditum esset, versaretur: cum ista omnia ad Christianæ pietatis iteritum comparata essent; tamen tantam vim habuit vera nobilitas, & illustris animi virtus, vt non modo illa constanti, perpetua, inuicta pietatis defensione, hostium petulantiam libere confutaret; sed etiam sese pro Christi confessione, in cædem, & flammam vltro, atque libenter obiiceret. Abducebantur ad necem, & cruciatum; verbera, cruces, vnci, & inaudita tormentorum genera constituebantur: neque satisfacere crudelitati poterant illi impuri homines scelere furiosi, si statim spiritum auferrent innocentibus: longo cruciatu contumaciã illam, non e superbia, sed ab inclyta virtute ductam comprimere cupiebant. Nec enim tam sacrorũ caussa laborabant, quã inuidia illius eximiæ virtutis, qua omnes minas suas irrideri, atque contemni cernebant. Nullis tamen neque minis, neque exquisitissimis suppliciis, Christiana virtus frangi, aut debilitari poterat. Cũque tortores, atque adeo tormenta ipsa deficerẽt, illi tamen heroes inuicti, in eadem semper mentis constantia permanebant. Cum vero rursus ex interuallo carnifices ad corpora sanctorum omni cruciatu laceranda redirent, ipsi sanctissimi homines, animo mirandum in modum confirmato, atq. renouato, ad eadem supplicia reducebantur. Neque interim vox vlla ab illis exprimebatur, nisi quę Christi diuinas laudes celebraret. Quid iam clarius, aut magnificentius dici, aut animo concipi potest? Gloriosum omnibus videtur, in corporis cruciatu seruare constantiam: at isti non modo constanter, sed etiam cum summa voluptate cruciatũ omnem perferebant. Certissima namque triũphi spes, & corporis dolorem mitigabat, & animum ingenti lætitia cumulabat. Rarum etiam fortitudinis exemplum laudibus in cælum extollitur. At in Christianorum gente, neque ætatis ratio, neque sexus imbecillitas, neque generis, aut ordinis condicio, decori, atq; gloriæ, impedimento fuit. Quid enim hic primores gẽtis referam, cum pueri etiam, atq. virgines innumerabiles, nulla crudelitatis supplicia pro Christo recusarint? Quam multi serui, vt verã animi libertatem tuerentur, omnes acerbitates suppliciorum despexerunt: Quam multi milites, quod genus hominum plerumq. ab omni studio sanctitatis abhorret, mortem pro Christi laude susceptam, omnibus coronis, & triumphis antetulerunt? Nec est nec esse omnes Mauricios, Sebastianos, Catharinas, Agathas, Gordianos enumerare. Hoc satis constat, innumerabilem, atque propemodum infinitam multitudinem fuisse, quæ ad illius virtutis eximiæ laudem peruenerit: cuius imaginem, vix homines excellenti ingenio præditi, post longam exercitationem tenuerunt. Quod satis indicio esse potest, longe aliud virtutis, & constantiæ genus istud esse, ab eo, quod Philosophorum præceptis, & litteris continetur. quod non humana disciplina, sed diuino munere, atq. dono fuit Christianis mentibus instillatum, summũ Christiani nominis, atque nobilitatis ornamentum, certissimumque sanctissimæ religionis testimonium. Non desunt tamen, qui nostrorum virtuti, non dico Catones, & Brutos, quos quidem in loco Deorum immortalium venerantur; sed Cleombrotum etiam fortasse, qui se amentia præcipitem e turri deiecit; aut Empedoclem, qui, simili insania vexatus, se ipsum in Aetnæ incendium demisit; aut quemuis alium anteponent. Itaq. nostri ab illis Cornelius, Cyprianus, Laurentius, Stephanus, atque adeo Paulus ipse, diuini viri, & omni virtutis genere præstantissimi, in numero virorum fortium nullo modo habentur. Quinetiam impurus quidã scriptor, atque nefarius, in libris, in quibus & suæ ciuitatis historiam, & multas quæstiones ad Reip. statum pertinentes Etrusco sermone complexus est, non putauit dissimulandum, quid de nostrorum sacrorum religione sentiret. Christianam religionem scribit illam magnitudinem animi, quæ in antiquis eluebat, funditus sustuliſſe. Romani imperii ruinam, laudis, & gloriæ labem, virtutis etiam militaris interitũ, huic sanctissimæ summi, & æterni Dei religioni assignandũ putat. Tum postremo, vt aliqua ex parte vitet offensionem bonorum, id inquit non vitio religionis, sed interpretum, qui illam male intellexerunt, accidisse: cum tamen non posset ostendere, quæ fuerit illa peruersa interpretatio, quę tantorum malorum causſam præbuerit. Sed vt infixo aculeo honeste posset quacumque ratione discedere: ineptissimam illam medicinam iusti doloris adhibuit. Parcerem mortuo, si non plures nunc monumentis inquinatissimis, quã olim vita contemptissima læsisset. Sed, quando tam indignum conuicium, Christianæ nobilitati, illius defuncti scripta faciunt, non dubitabo, Christi præsidio tectus, cum hominis sceleratis manibus confligere. Quod tamen non studio pugnandi faciam, sed vt eorum amentiæ, atque sceleri resistam, qui in eadem mentis cæcitate versantur. Late enim disseminatum est hoc malum, multosq. funesta contagione graui ter infecit.

Crux pictum.

Exempla referuntur.

III. Macchiauellus confutatur.

PRIMVM igitur illud requiro, quid in nostris hominibus viderit, quod posset vlla oratione contemnere. Nam, si magnitudo animi perspicitur ex rerum humanarum despicientia, & ex quadam elatione, nihil nisi diuinum, & inclytum cogitante; nihil certe illustrius esse nostris potest: qui cum se intelligerent in diuinam familiam vocatos, omnes res mortales infra se positas esse duxerunt, omniaque vitæ consilia, ad diuinitatem, & immortalitatem retulerunt. Si fortitudinis est omnis inuicta patientia; quis nostrorum animum non admirabitur, cum viderit ipsas etiam Virgines, pro Christi nomine acerbis-

acerbissima supplicia, & omnes corporis cruciatus appetiuisse? Quantis laudibus celebratur Leæna meretrix, quod multis tormentis lacerata, conscios coniurationis non indicarit? Quantis Anaxarchus eadẽ ipsa de caussa? Quãtis denique Syracusanus ille Thraso, quod nullis suppliciis adduci potuerit, vt socios coniurationis proderet. Hos certe Macchiauellus ipse (sic enim appellatur præclarus scriptor, cum quo mihi res est) nullo modo contemnendos putabit, propterea quod expertes veræ religionis exstiterunt, quam solam laudis expertem esse vult; & coniurationis participes fuerunt, cuius expediẽdę rationem in summa laude ponit. At quam obscura est illorum constantia, si ad nostrorum virtutem conferatur. Si enim causſam respicias: illi, tyrannorum odio, a quibus læsi erant, supplicia perferebant: nostri, Christi amore, a quo diuinis beneficiis ornati fuerant, tormenta omnia leuia putabant. Si cruciatus magnitudinem consideres, atq. diuturnitatem, in nostros, non vsitata, vt in illos, sed noua, & inaudita genera tormentorum inuenta fuerunt, quæ diutissime viuorum corpora lacerarent, atque contunderent. Illi deinde in desperatione omnium fortunarum, dignitatis speciem ali quam retinuerunt: nostri, cum sibi vtrum vellẽt liberum fuisset, non inuiti tamen mortem claram cum ignominiosa vita commutarunt. Si ad numerum aduertas, ridiculum est pauciſſimos infinitis opponere. Hanc tu disciplinam, e qua tam præclara documenta virtutis exstiterunt, cõtemnis? Hac institutione, quę infirmam etiã naturam mulierum, imbecillam ætatem puerorum, incredibili constantia armauit, quæ tantã multitudinem in laudis, & gloriæ studium incitauit, abiectos animos, atque demissos effici cõtendes? Quæ est ista mentis peruersitas, vt virtutis vmbrã admireris, veram virtutem pro nihilo habendam putes? Sed nimirum illud est. Faciem tantum crucis adspicis; virtutem illam excellentem, sub specie crucis occultatam, non intueris. Nec enim mens angusta, tenebris oppleta, & sordibus inquinata, tantæ lucis splendorem sustinere vllo modo potest. Christi enim disciplina, vt inquit Paulus, perditis, & profligatis hominibus inscitiæ, & humilitatis speciẽ præbet, moderatis vero, diuinoque beneficio confirmatis ostendit sapientiæ cælestis, atq. diuinæ virtutis amplitudinem. Atque, quemadmodum in Christi persona, omnes illam faciẽ vi debant, in qua, vt erat Esaię vaticinio prædictũ, nõ erat species, neque decor, non tamen omnes illam gloriam diuinitatis, quam Ioannes vidit, inspexerunt; sic etiam multi, propter similem mentis caliginem, Christianorum vitam inanissimis ornamẽtis nudatam despiciunt: illam vero excellentem Christianæ dignitatis lucem adspicere nulla ratione possunt.

Constãtia.

Cap. 51.

QVOD autem ad Romanorum imperium attinet, vt etiam de hoc, licet extra causſam esse videatur, aliquid dicamus, homo rerum ciuiliũ peritissimus, non legit apud viros doctissimos, esse quasdam ciuitatum commutationes, & vicissitudines, naturalesque ortus, & interitus omnium Rerump. neque fieri posse, vt aliquid infra Lunam sit immortale, atque sempiternũ. Omnia, quemadmodum nascuntur, ita & concidant aliquando necesse est, & importunitate mortis cuncta demolientis tandem obruantur. Quot ciuitates, quam multæ gentes, & nationes prostratæ, atque sepultæ iacent, quæ olim imperio, & rerum gestarum gloria erant florentissimæ? Quis Assyriorum, atque Persarum imperium deleuit? Quis Athenienſium opes euertit? Quis Macedonum potentiam excidit? Nihil aliud certe fuit in causſa, quam natura rerũ humanarum, qua nihil est in terris imbecillius. Etenim si Cyrus Assyriorum imperium non deleuisset, si Alexander non fregisset potentiam Persarum, si Romanorum armis Macedones, atque cuncta Græcia minime corruisset; tamen necesse erat, vt omnia ista imperia vel aliorum viribus concíderent, vel ætate cõsenescentia tandem interirent. Quare fit, vt nemo sapiens admiretur mortiferos, & exitiales Rerump. exitus. Contra vero nihil magis admiratione dignum esse putant, quam alicuius ciuitatis imperiosæ diuturnitatem. Iccirco magis quærendum arbitrantur, cur Sparta tam multis annis in ijsdem moribus, & eadem Reip. disciplina permanserit, quam cur Athenienſium gloria, & opes tam cito perierint. Hoc autem etiam eo est in Rep. Romanorum mirabilius, quo maior fuit in illa ciuitate gloriæ, & imperii magnitudo, quam in omnibus alijs, quę vmquam fuerunt. Mediocria enim facile se sustentant, summa vero sua mole dissipantur, & ruunt. Cũ ista igitur sit omnium ciuitatum condicio, vt nemo sanus earum interitum admiretur, diuturnitatis vero causſam, quasi rei alicuius incredibilis, summo studio inuestigandam putet; hic vir ciuili prudentia, vt sibi quidem videtur, cumulatissimus, luget Romæ cladem, & ruinam, &, quasi futura esset immortalis, ni Christi religio impedimẽto fuisset, ita ipsum Dei filium in crimen vocat. Quæris homo amentissime, quid aliud Romanas opes euerterit? Primum id respondeo, quod, quemamodum illa ciuitas felici auspitio consita, deinde adulta, rebusque gestis florens, deinde corroborata legibus, & institutis, ad imperii maturitatem, atque ad summã amplitudinem peruenit; ita necesse fuisse, vt adepta senectutem, vitæ tandem extremum diẽ morte conficeret. Deinde illud addo, artes omnes, quibus illud imperium partum fuerat, & quibus retineri poterat, multo ante Christi ortum de manibus amissas fuisse. An tu, cum in Romanos mores immensa luxuria, & effrenata diuitiarum cupiditas inuasisset: cum legum, atque senatus auctoritas omnino cõcidisset: cum plebis animi ad spem prædæ turbulentis, & furiosis concionibus erecti impetum facerent in fortunas locupletum: cum impunitate armata crude-

Cyrus deleuit Assyriam.

Romani luxurioſi & intemperãtes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

crudelitas, cæde, & sanguine ciuium vrbem cruentaret: cum ij, qui armis plurimum poterant, non de patriæ libertate, sed de sua dominatione cogitarent: cum essent omnia ista tela in Reip. corpus immissa; existimas fieri vllo modo potuisse, vt illa diutius permaneret? Addo deinde, si commodum est, venalia comitia, iudicia redempta, nundinationes prouinciarum, imperia extraordinaria, & infinita, summam Reip. ad certos homines dominandi cupiditate præcipites delegatam: intelliges fieri non potuisse, quin illius ciuitatis opes funditus euersæ corruerent. Quid autem hic referam Syllani; atq. Mariani temporis arma? Quæ cladibus innumeris Rempublicam vexarunt, & omni crudelitate lacerarunt, ac tandem contagione illius discordiæ ad posteritatem continuatæ viam tyrannidi munierunt? Dubitas igitur, quin tam multis vulneribus afflicta ciuitas, fuerit aliquãdo diro, & acerbo funere a ciuibus suis efferenda? Itaque, si a sapientibus viris interroges, quo tempore Roma perierit, respondebunt, opinor, iam ex eo tempore, quo obsoleuerat vetusta disciplina Romanorum, illam Remp. nullam fuisse. Nec enim rei euentum exspectant, qui futura certissime ex antecedẽtibus caussis assequuntur. Si ab imperitis quæras, illam Cæsaris dominationem proferent. Nec est enim quisquam tam sine mente, qui putet, post legum interitum, & perditam libertatem, & totius ciuilis status conuersionem, vllum antiquæ Reip. vestigium permanere. Tibi autem quid venit in mentem, illius imperii ruinam Christianis moribus assignare, cum tam caussa illius excidii, quam euentus ipse Christi regis ortũ multis annis præcesserit? Quod si quærat aliquis, quid post tyrannidem constitutam, illas opes Romanas ab vniuersa ciuitate in vnum collatas comminuerit: primum illa repetam, quæ antea commemoraui, illas artes omnes, quæ Populo Romano gloriam & imperium quæsierant, iamdiu inclinatas tandem præcipites concidisse. Nam iam pridem pro frugalitate, infinita luxuria; pro militari duritia, summa totius corporis, & animi mollities; pro metu legum, audacia, libido, cupiditas immensa Romanorum animos oppesserat, hominesque patriæ amantes ad intestina bella concitarat. Deinde mores immanes Imperatorum, & naturam importunam cum summa luxuria, & inaudita libidine coniũctam, excisionem rebus omnibus intulisse dicã. Nec est enim, cur tam funestas Reipublicæ pestes enumeremus; cum illud constet, multos, propter crudelitatem, atq. flagitia, fuisse tum a ciuibus suis, tum a militibus, non raro etiam ab æmulis imperij contrucidatos. Cum autem illa consuetudo interficiendi principis inueterasset, neque modo improbis tyrannis, sed moderatis etiam imperatoribus essent insidiæ cõparatę, illudque imperij nomen minime sanctũ hominibus fuisset: in eum locum res deducta est, vt nihil esset Imperatore Romano vilius.

Præteritio.

Caussa præcedentium.

Tandem cum S. P. Q. R. auctoritas penitus exstincta esset, & militaris licentia simul cum auaritia in immensum creuisset, factum est, vt milites pecuniarum fœdere, quibus libuisset, imperium addicerent. Cum igitur neque generis, neque virtutis rationem vllam haberent, sed quasi constituta actione illi, qui plura promisisset, imperium venditarent; erat impurissimo cuique aditus ad summam Reip. potestatem. Talibus igitur custodibus summæ rerum prepositis, necesse erat, vt omnia Reip. ornamenta funditus interirent, præsertim cum sæpe numero, ne vmquam deesset occasio ciuilis tumultus excitandi, eodem tempore diuersis in locis imperatores multi crearentur, si illi imperatores potius, quam inaudita portenta, atque prodigia, appellandi sunt. Opes itaque Romanæ partim ciuili discordia, tætrisq. seditionibus, nullum exitum habentibus, cõsumptę sunt: partim maximis bellis, & acerbissimis, quæ per orbem terrarum contra Romanum imperium oriebãtur, deletę, communem rerum humanarum cõdicionem subierunt. Hic autem quid habes, in quo nomen Christianum accusare possis? Si enim Christi disciplina contemptum legum, si luxuriam, si petulantiam, si immoderatam dominandi cupiditatem, si acerbissimam ciuium inter ciues dissensionem, si postremo vim, furorem, & amentiam in Romanos mores inuexisset, iure atq. merito diceres, omnia detrimenta fuisse per illam rebus Romanis importata. Illa enim sunt, quę nõ modo Romæ, sed omnibus etiam imperiosis ciuitatibus pestem, atq. perniciem intulerunt. Sin autem nihil est magis a moribus Christianis alienum: quibus nihil placet, nisi iustum, tranquillum, atq. moderatum: qui pudorem, & innocentiam sanctissime colunt, & discordiã ciuilem omnibus malis peiusoderunt: qui omnes actiones turbulentas atque temerarias exsecrantur: ista tamen eris vel stultitia, vel impudẽtia, vt Christiani nominis dignitatem coneris ista calumnia deformare? Poterit ne vlla disciplina magis ciuilem statum constituere, quam illa, quæ instruit ad iustitiã, æquitatem, mansuetudinem, patriæ caritatem, atque virtutis constantiam? At hæc quidem omnia in Christianis moribns summa reperiũtur. Possem enumerare, quam multi Christiani imperatores exstiterint, per quos occidens Imperiũ fuerit ab innumeris calamitatibus recreatum, & in pristinũ dignitatis splendorem restitutũ. Possem ostendere, illius fines per viros veræ religionis cupidissimos, fuisse magis, quam vmquam antea, propagatos. Possem postremo cõuincere, omnia mala, quibus postea circumuentum fuit, non religionis studio, sed contemptione potius religionis accidisse. Sed, quoniam ad finem propero, illud tantum dicam: Non solum homines ipsos, verum etiam omnes humanas artes, atq. disciplinas, omnes nationes, & imperia mors insequitur: omniaque tandem concidunt, & obliuionis tenebris obruuntur. Solum Christi

Barbaries Romanorũ

Opes Romanorum dissipãtur.

Mortes Christiani.

Omnia insequitur mors.

Christi regnum est: quod nullis hostium viribus exscindi, nullis opibus labefactari, nullis intestinis seditionibus conuelli vmquam poterit. Persarum opes corruerunt. Græcorum potentia funditus euersa est: Romanorum imperium est depressum, atque cõminutum: omnia quæ sunt, fuerunt, posteaue nascentur, quoquo modo tandem interibunt: regnum vero Christi omnibus diuinis ornamentis amplificatum, floresçet sæculis infinitis, immortalique gloria, atque sempiterna circumfluet. Sic enim sacris oraculis prædictum est: Potestas eius, potestas æterna, quæ numquam auferetur, & regnũ illius, quod numquam dissipatur. Et alibi: Placuit ergo mihi prædicare signa eius, quia magna sunt, & mirabilia eius, quia fortia, & regnum eius, quia sempiternum. Tum etiam illud Regnum tuum regnum omnium sæculorum, dominatio tua a generatione in generationem. De isto etiam regno est id intelligendum, quod in Regum historia legitur. Sic enim loquitur Deus cum Dauid: Firma erit domus tua, & regnum vsque in æternum. Quod etiam ex Luca perspici potest. Dabit, inquit, ei Dominus sedẽ Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Desinant igitur iam homines imperiti, de Romanę Reipublicæ occasu impie conqueri. Desinant illius ruinæ crimen in diuinum beneficium impie, & scelerate coniicere. Intelligant aliquando, solum Christi nomen esse, cui nulla vmquam ætas finem sit allatura: nempe cuius gloria, laus, virtus, splendor, opes, facultates, sint immortales, atque diuinæ. Reliqua omnia fluxa, & lubrica cum sint, exiguo vitæ curriculo circumscribuntur. Solum igitur Christianum nomen cum diuinis præsidiis instauratur, erit in omni æternitate florentissimum.

Sacrarũ literarum testimonia.

Christianorum virtus militaris.

SEQVITVR, vt etiam de virtute militari aliquid dicamus, quam ille Christianis moribus, & institutis longe alienam putat. Qui conuenit, inquit ille, cum istius virtutis celebritate gloriæ contemptio, quæ Christianis omnibus præscribi solet? Nemo enim, nisi laudis studio inflammatus fuerit, pericula sibi subeunda putabit. Iam quod asserit, neminem, nisi qui laudis studio adductus sit, fortem fieri posse: non credo facile concessuros illos Philosophos fuisse, qui simul & de contemnenda gloria conscripserunt, & fortitudinis innumera præcepta tradiderunt. Nam si illa mutuo sese perimere existimarent, numquam essent tam amentes, vt eadem opera homines a cupiditate laudis abducendos, & in studium virtutis incitandos esse docerent. Virtutem autem illam esse statuerunt, quæ non ex vulgi rumore penderet; sed quæ præclaras actiones ipsius honestatis caussa susciperet. Hic autem sic argumentatur, quasi sola laudis cupiditas ad virtutem acuat: & non alii multo potiores sint virtutis, & industriæ stimuli, quibus bonorum animi dies, & noctes concitati, pericula libenter, & studiose suscipiant: nempe insignis in patriam beneuolentia, incredibilis ipsius dignitatis amor, egregia deinde legum, atque religionis obseruantia: quæ quidem omnia sunt in Christianorum institutis perfectissima. Quid si laudis etiam studiosissimi sunt? Tamen isto erit quisquam vel furore, vel impudentia, vt hoc nomine dignitatem illorum imminuere conetur? Sunt illi quidem ab inanis laudis cupiditate remotissimi, immortalis tamen, & veræ gloriæ cupiditate vehementer incensi. Despiciunt hominum famam; ad veram tamen laudem, quæ Christi omnia conspicientis testimonio continetur, ardenter incumbunt. Non cupiunt homines rerum suarum spectatores habere, nempe qui sciant, se Angelis inspectantibus omnia præclara facinora suscepturos. Hoc magni animi est, hoc generosi, atque magnifici, non pendere ex imperitæ plebis opinione, infima omnia negligere, cælestia tantum, atque diuina contemplari. Quid enim iste dicat in Christianis moribus humile, atque demissum, non satis intelligo. Si superbiam, & insolentiam, si mores immanes, si animos contumaciter elatos, atque inflatos, animi magnitudinem indicare putat; fateor nihil in terris esse Christianorum natione contemptius: nempe quæ summa contentione in studio moderationis, mansuetudinis, lenitatis euigilet. Si vero virtutes omnes, vt etiam eruditissimi prodiderunt, vno coniunctionis vinculo continentur, nec vlla pugna inter illas esse potest; tantum abest, vt mansuetudinis, atque modestiæ laus splendori fortitudinis aduersetur, vt etiam nullo modo a se inuicem diuelli, atque disiungi queant. Itaque nemo vir fortis esse potest, nisi idem sit mansuetus, atque moderatus. Longe enim fallitur opinione, qui animi impetum non æquitatis, & humanitatis studio, sed cupiditate, atq. furore concitatũ, fortitudinẽ appellandam potius, quam importunæ cuiusdam belluæ feritatem putat. Iste autem præclarus auctor, qui principes ad communis salutis perniciem instruit, qui imperii opes non tam æquitate, & clementia, quam perfidia, & crudelitate stabilire docet; appellet sane quo velit nomine furorem illum, cunctam barbariem scelere, & immanitate superantem, dum modo nemo sanus, tam stultæ, atque nefariæ opinioni assentiatur. Nos vero numquam ita amentes erimus, vt illam animi moderationem, quam sacræ litterę appellant humilitatem, vt clementiam, & mansuetudinem, cuius nobis idem auctor exstitit, qui & eximiæ fortitudinis exemplum, ipsam fortitudinem impedire dicamus. Nam cum omnes virtutes inter se conglutinatæ sint, tum vel maxime animi moderatio, atq. fortitudo. Veraque enim ab eadem animi magnitudine profecta, eandem propemodum retinet dignitatem. Nec enim maioris animi est, impetum hostium sustinere, quam cohibere iracũdiam: & cõm perturbationem reprimere, nec vlla offensione ab humanitate, & a mentis constantia deturbari. Non itaque ferme fuit vir egregie fortis, quin

Dextrum quorũdam iudicium.

Virtutes omnes coniunctæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam laudem manſuetudinis ſibi adſciuerit. Quanta gloria fuit illa Themiſtoclis,cum eſſet, in conſilio Græcorum, a reliquis ducibus conuicijs indigniſſime vexatus; ille vero petulantiam illam non conuicio,ſed patientia comprimendam putaret? Quid Iulium Cæſarem, & alios complures, qui nõ maiore ſtudio virtutis imperatoriæ nomen, quam manſuetudinis, & patientiæ laudem venabantur? Contra vero,vt quiſque maxime angu-
Barbari crudeles. ſti animi eſt, atque demiſſi,ita eſt ad iracundiam, & feritatem maxime propenſus. Omnes illi barbari, qui â diſciplina fortitudinis abhorrent, ita crudeles habiti ſunt, vt loquendi conſuetudo crudelitati ipſi barbariei nomẽ adſcripſerit. Quid de mulierum natura dicam? Quibus vt nihil eſt imbecillius; ita nihil ad iniuriã perſequendam concitatius. Quod ſi modeſtia, atque manſuetudo virtutis ſplendorem non excludit; ſed, cum ab eadem animi magnitudine naſcatur, ipſam fortitudinem exornat; iſta tamen erit quiſquam dementia, vt Chriſtianam manſuetudinem imbecillitatem vocet, præceptis fortitudinis repugnãtem? Quæ,malum,eſt iſta peruerſitas, atque impius furor, vt ea, quorum tenuem vmbram in aliis ſuſpicimus,in noſtris vera, & ſumma contemnamus? Magnanimi ſemper habiti ſunt,qui contumelia lacerati, & iniuria lacesſiti, ira non efferuntur. At noſtri illam diſciplinam a Chriſto acceperunt, vt humanitate conuicia,beneficiis iniuriam vlciſcantur. Ergo dicet aliquis, cum ita manſueti ſint, numquam impetum hoſtium a ſuis finibus depellent, neque ſceleri armis reſiſtent,ſed quemuis furorem beneficio compenſabunt. Hoc qui dicit, minime expendit officiorum momenta: nec intelligit alia aliis perſonis,locis, temporibus,cauſsis conuenire. Chriſtiani ipſi,qui in priuatis offenſionibus, & iniuriis moderationem, atque patientiam amplectuntur, ijdem in publicis periculis acerrimi, & vehementes publicæ ſalutis atque libertatis vindices exiſtunt,præſertim vbi ſimul agitur dignitas religionis. Tũc enim manſuetudinem indignum flagitium, patientiam ſcelus nefarium arbitrantur. Hac mente præditus fuit diuinus ille Moſes, quem ſacræ litteræ perhibent,fuiſſe inter omnes mortales mitiſsimum, qui tamen & hoſtium copias ſingulari virtute repreſſit,& læſi numinis offenſionem multorum ſupplicio placauit. Talis
Dauid Moſi ſimilis. fuit etiam Dauid, quem vnum diuina oracula laude manſuetudinis vnice commendant. Hic tamen incredibili virtute maximos, & fortiſsimos hoſtium exercitus profligauit, & ingentes alienigenarum ſtrages edidit. Sic etiam multi Chriſtiani principes,ad omnem rationem humanitatis commodiſsimi, bellicæ fortitudinis gloriæ laudem manſuetudinis æquarunt. Quid? ipſe Chriſtus nonne ſatis exemplo ſuo nos admonuit,quatenus eſſet vtendum manſuetudine, quo rurſus in loco ſeueritatis perſona ſuſcipienda eſſet,cum ſacrilegos, qui ſacras cærimonias polluebant, flagris ſeuere, & acriter inſecutus eſt? Non eſt igitur, cur quiſquam Chriſtianam manſuetudinem aſpernetur, cum ita cum vera fortitudine coniuncta ſit, vt nihil poſsit eſſe copulatius. Vtraque enim ab eodem fonte manat,& altera alteram incredibiliter illuſtrat.

NVNC ad poſtremum egregij ſcriptoris argumentum veniamus, quod totum in religione cõſiſtit, & in illis antiquis cærimonijs omni ſcelere contaminatis. Tantam enim vim habuiſſe putat illam hoſtiarum cædem, atque pecudum ſtragem,vt repente ex timidis feros, & audaces efficeret. Nos itaque, qui nec hoſtias cædimus, nec quadrupedum ſanguine aras cruentamus, nec exta inſpicimus,magnis ad virtutem inſtrumentis hoc religionis inomnodo priuari. Hic Addubitatio. profecto neſcio, quid vel ad impietatis furorem,vel ad mentis cæcitatem,& ſtultitiam addi poſsit. Nefariam ſuperſtitionem cum ſanctiſsima Dei immortalis religione comparare, facinus eſt inexpiabile,atque nefandum: exiſtimare autem,illum, qui pecudum carnificinam intrepido vultu conſpexerit,continuo fortem euaſurum, extremæ dementiæ argumentũ. Cur enim iſto auctore non conquirimus omnes lanios? Cur non etiam carnifices(hos enim oportet magis efferatos eſſe,a quibus hominum corpora laniãtur) ad arma ſimiliter euocamus? Vt ſcilicet illa virtute, quam aut ſanguine pecudum, aut ſupplicio damnatorum adepti ſunt, in hoſtes irruant, & a nobis omnia pericula propulſent. Quid,ſi oſtendo omnia in illis ſacrificiis,& cærimoniis ad imbecillitatem, atque formidinem ſpectauiſſe,nec aliquid fuiſſe,quod animum confirmare poſſet? Primum precationes illæ, priſcis, atq. ſollemnibus verbis inſtitutę,quantum anxietatis habebãt? In quibus ſi quid titubatũ fuiſſet, ſi quid præpoſteris verbis, aut ſiniſtris ominibus effatum, putabant continuo omnes Deos P. R. iratos fore. Deinde,quanta illa formido erat hominibus, anili ſuperſtitione impli Formido quibus iniecta. catis,iniecta, cum non ſatis ex animi ſententia litabatur? Cum exta dirum aliquod, & triſte minabantur exitium? Cum vero accidiſſet, vt multas eodem tempore hoſtias immolarent, & caſus ita tuliſſet, vt aliarum exta darent illa ſigna,quibus homines exiſtimabant, Deos omnia ſecunda promittere,aliarum vero triſtia denuntiarent; neceſſe erat, vt eſſent incredibili metu ſuſpenſæ mentes illorum,qui neque ſecundis extis propter varietatem, & inconſtantiam confirmari poterant,neque rurſus dira propter religionem,qua erant penitus imbuti, contemnere. Quid oſtenta,prodigia, haruſpicũ reſponſa, quantam vim habebant, ad animos debilitandos, atque frangendos? Cum nihil omnino neq. natura, neq. fortuito accidiſſet, quod non interpretarentur,Deorum id conſilio fieri, eladem aliquam portendentium. Itaq. vel alitis inuolatus, vel terræ fremitus, vel dextrum flumen, vel quæuis eiuſmodi monſtra,atque conficta interdum prodigia,terrorem atque metum miſeris

Nihil fortuna a ſe ca ſu accidit. ris hominibus incutiebãt. Quid autẽ ſolliſtima tripudia commemorem? quæ cum eſſent coacta, nec illis quidẽ ſuperſtitioſis hominibus, & auſpicio valde deditis,firmam ſpem facere poterãt. Si vero pulli caſu aliquo non paſcerẽtur, eaq. res ad militum animos permanaret, quaſi de pernicie ſua a Diis ipſis præmoniti, attoniti religione,manus cum hoſte cõferebant,ancipiti formidine perturbati,atq. impediti. Multis itaque in locis proditum memoriæ eſt, exercitus fuſos, atque cæſos, eſſe, quod vitio contra hoſtes educti fuiſſent. Quod quidem minime mirum eſt. Cum enim eſſent illa religione perfuſi,vt crederent,non ſine Deorum conſilio, & numine,cladem, atque peſtem denuntiantium pullos iectam offam neglexiſſe,ob idq.omniũ mẽtes concidiſſent, manusq. metu ob torpuiſſent,neq. ſolita ſpe,atque audacia prœlium cõmiſiſſent, neceſſe erat vt cladem aliquam inſignem acciperent. Inde adeo factũ eſt,vt omnes illis religionibus valde dediti, quos fanaticos appellabant,in timore perpetuo, & curamente ancipiti verſarẽtur. Quid? quod multi viri ſtrenui,leuiſsimis oſtentis permoti, magnã multis in locis timoris ſignificationẽ dederunt? Lacedæmonij, vt de Græcis etiam aliquid dicamus, cum bellum aliquod ſuſcepiſſent, regeſque ipſi in patriæ finibus de more ſacrificarent, ſi caſu non litabant, exercitus continuo domum redu cebãt. Cumque eſſent Lacedæmonii moribus, & inſtitutis ad duritiem, atque virtutem militarem educati;tamen ea imbecillitate ducta ex ſacrorum impura religione tenebantur,vt bellum, intermitterent. Iam, ſi ſtrepitus aliquis auditus fuiſſet, omnia belli conſilia ab illis deſerta,& omiſſa iacebãt. Quid autẽ quæſo aliud, vt Lacedæmonios omittamus, Athenienſiũ opes euertit,quã anilis quædã, & miſera ſuperNicias Imperator. ſtitio? Cum enim Imperator ſane fortis Nicias & claſsi, & exercitui,ſimul cũ Demoſthene præfectus eſſet,& Syracuſas oppugnaret, intelligeret q. ciuitatem illam & ſuis viribus, & totius Græcię auxilio munitam capi non poſſe: Demoſtheneſque inſtaret, vt claſſem a portu deducerent,ne,præcluſo exitu ab hoſtibus,omne robur Atheniẽſium, quod in illa claſſe continebatur, miſere periret: id Nicias ipſe comprobabat, religione tamẽ impeditus, ſalutare conſiliũ exſecutus non eſt. Paucis enim illis diebus lunæ lumẽ,terræ,vt certis temporibus fieri neceſſe eſt, interiectu defecerat. Id Nicias oſtentum ratus, ad religionum interpretes deferendum ſtatuit. Illi netas eſſe reſpõdent,intra triginta dies claſſe nauigare,aut quippiam aliud moliri. Interea Siculi magnis molibus portus fauces obſtruũt, & exitum multis nauibus obiectis intercludũt.
Claſsis Athenienſiũ. Claſsis igitur illa, in qua flos Atticæ iuuentutis,& Atheniẽſiũ robur inerat, cum iam fruſtra claſſem hoſtium perrumpere,& e portu progredi conaretur,inepta illa Niciæ ſuperſtitione miſerrime diſsipata,atque depreſſa eſt,omniſque nobilitas occiſione cõſumpta. Hæc tu ſacra impia,has religiones impuras,& aniles,ad virtutẽ erudire,& inſtituere dices? quæ homines etiam impuros,& audaces, horribili formidine repleant,mentem a conſtantia deducebant, cõſilia ſalutis impediebant? Eam tum gratiam Chriſto optimo maximo refers, cuius munere, atq. beneficio, tam impia,tam impura,tam demẽti ſuperſtitione leuati,atque liberati ſumus,vt illam etiam Chriſti religioni anteponas? Nam ſi animi Chriſtianis inſtitutis informati, fracti, Animi Chriſtiãnis inſtitutis imbuti. languidi, atque demiſsi efficiuntur; illis vero antiquis, & impuris cærimoniis, quibus diuini honores habebãtur, impiorum hominum ſimulacris,ad virtutem incitabantur,illa certe videtur his noſtræ religionis inſtitutis omnino præferenda. At vide,in quanta erroris opinione,atque amentia verſatus ſis. Qui vere Chriſtiana religione imbuti ſunt,non alitis inuolatu, non occinis cantu,non extis triſtia minantibus permouentur. Non terræ motu, non fulmine, non prodigiis vllis,aut monſtris conturbantur. Ni-
Vere Chriſtiani conſtantes in aduerſis. hil eſt denique,quod animum hominis Chriſtiani cõuellere,aut labefactare poſsit. Sic eſt enim inſtitutus, vt,ſi orbem terrarũ bellis ardere videat,ſi omnia ſibi pericula intendi,ſi cuncta incendio conflagrare,atque pęne conſumi,ipſe tamen optima ſpe plenus conſtantiam retineat, nec vllo vmquam horrore perfundatur. Primũ, quia credit eſſe ſe fortiſsimis copiis cõſtipatũ, atque communitum. Didicit enim e ſacris litteris, eſſe quoſdam cæleſtes exercitus, qui piorum hominum ſalutem tueantur,& ab illis, cum commodum eſt, omnem impetum, atque furorem hoſtium propulſant. Hoc enim ſe præſidio vallatum eſſe ſenſit Iacobus, cum caſtra Dei ſe conſpicere teſtificatus eſt. Rurſus, cum Syriæ exercitus Heliſæi capiti immineret, ipſiuſque miniſter formidine perterritus, opem imploraret, Noli timere, inquit Heliſæus: plures enim nobiſcum ſunt. Subiungit deinde ſacra hiſtoria: Cumque oraſſet Heliſæus, ait, domine aperi oculos pueri huius, vt videat. Et aperuit dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum,& curruum igneorum, qui cingebant Heliſæum. Atque,ne quis in paucos illud diuinum præſidium collatum eſſe putet, alibi de vniuerſis, qui pietatem colunt, Deumque caſte, & pure venerantur, ſic ſcriptum eſt: Caſtra poſuit angelus domini in circuitu timentium eum. His igitur te-
Teſtimoniis ſacris fide adiungendo. ſtimoniis qui firmiſsimam fidem adiungit, ſeque diuino præſidio munitum eſſe credit, trepidare metu non poteſt, ſeque elato animo, atque confidenti,id,quod alio in loco ſcriptum eſt,vſurpabit. Si conſiſtãt aduerſum me caſtra, non timebit cor meũ. Si inſurgat aduerſum me prœlium,in hoc ego ſperabo. Itẽ illud: Hi in curribus, illi in equis,nos autẽ in nomine Domini ſpem repoſitam habemus. Ipſi confracti cecidunt, nos autẽ erecti victoriam reportauimus. Hæc igitur, in quam, ſpes gentem Chriſtianã imbecillo animo eſſe non ſinit. Deinde im-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mortalitatis cogitatio, atque certa gloriæ futu
ræ præsensio, quantam vim habet, ad constantiã
stabiliendi? Refert Cæsar, Gallos illa Druidum
disciplina, quæ persuadere nitebatur, non inte-
rire animas, sed ab aliis corporibus ad alia post
mortem transire, fuisse vehementer ad virtutẽ
excitatos. Itaque metu mortis neglecto, intre-
pide sese in quodcunque capitis periculũ, atq.
vitæ discrimen inferebant, cum nihil aliud esse
mortem opinarentur, quam mutationẽ vitæ, at
que in alia corpora migrationem. Ita ne tandẽ?
Prisci Gal li opinione fascinati. Prisci illi Galli, immortalitatis opinione vanis-
sima, ex inani quadam superstitione concepta,
nulla pericula recusabant: Christiani, qui non
imbecilla opinione, sed constanti fiducia cre-
dunt, se, postquam ex hac vita excesserint, fore
beatissimos, mortem horrebunt? Quid enim
magis in Christiana religione celebratũ, quam
omnes eos, qui eoluerint iustitiam, & pietatẽ,
posteaquam e corpore, quasi e vinculis, emissi
fuerint, in cælum euolaturos, vt immortali glo-
ria æuo sempiterno perfruantur? Quid deinde
est magis animis nostris infixum, quam fore ali
quando, vt corpora, quæ iam penitus consump-
ta sunt, instaurentur: atq. cælesti splendore col
lustrata, rursus cum animis ipsis inuiolabili fœ
dere coniungantur: vt sic diuinitus renouati,
omnibus summis, & æternis voluptatibus ani-
mo, & corpore potiamur? Hoc qui persuasum
habuerit, numquam, mihi crede, ab ista vita, in-
numeris ærumnis, atque calamitatibus inqui-
nata, inuitus, & iniquo animo discedet. Quid au
tem postremo dicam de amore illo immenso, &
incredibili, quo illi, qui vere Christi sacris im-
Confirma tio. buti sunt, quotidie magis inflammantur? Illud
certe perspicuum est, nulla re magis incitari, ac
incendi animos, ad omnia capitis pericula sub-
eunda, quam beneuolentia, & caritate. Nihil est
enim amanti difficile, nihil non suaue, & iucun-
dum, quod pro re, quam habet cara, suscipia-
tur. Mortem ipsam, quæ omnibus horribilis est,
& maxime pertimescenda, vltro etiam appeten
dam interdum putat, non modo contemnendã.
quod si tantum valet amor, leuissimis sæpe de
causis inter homines conciliatus, vt contem-
ptionem mortis etiam inducat: quid de illius
caritatis magnitudine dicam, quæ munere spiri
tus diuini puris, & integris mentibus concessa
Nobilitas Christiana in periculis. est? Eius certe vi cõcitata Christiana nobilitas,
omnẽ vitæ suauitatem, in laboribus, & pericu-
lis ponendam esse duxit; omnes corporis volu-
ptates, & fluxos honores, omniumq. rerum af-
fluentiã aspernata. Illa Christi cupiditate ve-
mẽter incensa, neq. minis, neq. terroribus, neq.
in auditis suppliciis, a pietate dimoueri potuit
Illa postremo faciebat, vt omnia tormẽta, quæ
pro Christo, quem vnice, & ardenter amabat,
patiebatur, leuia, atque iucunda putaret. Quin
etiam, nihil videbatur Christianis æque opta-
bile, & expetendum, atq. pro Dei immortalis
religione, vitam in summis totius corporis cru
ciatibus amittere. Quod minime mirandũ est.

Nam, cum amor omnem animi cogitationem
auertat a formidine; necesse est, vt summum, at
que diuinum amorem, incredibilis constantia,
atq. diuina consequatur. Vtra igitur tandẽ reli Religio ad virtutem in cita trix.
gio ad virtutem facilius incitabit? Ea ne, quę ho
stiarum fibris, aut alitum inuolatu, aut apum
examine, atque confictis monstris suspensam
tenet hominum imbecillitatem? An illa potius,
quæ animos ita confirmat, vt neq. totius orbis
cõuersione labefactari possint? Illa deinde, quæ
dementi superstitione ipsam humanæ virtutis
excitationem sæpe numero impediuit? An illa
potius, quæ infirmam naturam mulierum, & te
neram ætatem puerorum, incredibili virtutis
constantia roborauit? Illa postremo, quæ nulla
firma spe mentes humanas cõfirmare poterat?
An illa, quæ diuini auxilii ostẽsione, certissima
spe immortalitatis, Dei amore atq. studio, ad
diuinam virtutem erudiuit, & ad omnium rerũ
humanarum despicientiam instruxit? Sed quid Transitio.
opus est hominis istius impurissimi vel impie-
tatem, vel amentiam multis argumentis couin
cere, cum vtrumq. sit adeo manifestum, vt nihil
facilius deprehendi possit? Impietatis scelus,
cũ istis maculis velit adspergere Christianã di-
gnitatem: quod numquam feciſſet, si aliquam
præclaram opinionem de Christi diuinitate ha
buisset. Furoris amẽtia: cum tam falsis, ineptis,
male cohærentibus rationibus nefariam illam
sententiam confirmet. Atque scio quidem me
longius oratione prouectum, quã fortasse neces
se fuit. Hoc autem si quis vitiosum putabit; ve-
lim vt partim tribuat hãc veniam iusto dolori,
quo sum mirabiliter elatus: partim existimet,
id instituto nostro minime alienũ fuisse. Cum e-
nim de Christianæ claritatis splendore sermo-
nem instituissem; Etruscus autẽ ille scriptor, eã-
dem impurissimo genere orationis obscurare
conatus esset; non dissimulandum putaui, præ-
sertim cum eorum numerum, qui scriptis illius
incitati, vel sponte sua ciusdẽ sceleris, atq. furo
ris affines sunt, late, & varie diffusũ intelligerẽ.

V. An bellum Christia nis sit licitum.

NVNC autem, posteaquam illorum petu
lantiam confutauimus, ostendimusque id, quod
erat satis apertum, nihil angustum, atque de-
missum, sed ampla omnia, atque diuina in
Christianis institutis reperiri, omnemque san
ctissimæ huius disciplinæ rationem ad animi
magnitudinem, & contemptionem mortis ex-
citari; non alienum erit, quando de fortitudi-
ne militari fecimus mentionem, illorum etiam
orationem paucis refutare, qui vniuersum mi
litiæ genus, vt rem impiam, atque sceleratam,
Christiq. præceptis aduersantem, exsecrantur.
Primum autem, cur detestentur belli gerendi
rationem, cum pro æquitate, religioneque su-
scipitur, non satis intelligo: cum eam innume-
ris sacrarum litterarum testimoniis laudari
magnopere videamus. Quod isti nõ negant: sed
quid aiunt? Multa fuisse in antiqua lege conten
ta, quæ tamẽ erant magis temporis caussa ferẽ-
da, quam laude celebranda: vt facere diuortiũ,

vt ex-

vt exteris gentibus fenerari: ex quo etiam ge-
nere esse dicunt, bellum mouere. Sed quid ha-
bet simile, vel fenus, vel diuortium, cum milita
ri virtute? Illa enim præscripta, sed hominum
imbecillitati concessa sunt: at belli gerendi præ
ceptũ qui detrectabat, inexpiabile scelus in sese
Lex diuor tii. concipiebat. Vbi enim legimus fuisse pœna, aut
exsecratione sancitum, si quis, vbi primum ali-
qua offensione interposita licuisset, ab vxore nõ
discederet, aut ab alienigenis fenus non exige
ret? At multis in locis animaduertimus, viros
spiritu diuino concitatos, extremo supplicio
sanxisse eorum ignauiam, qui prodere in aciẽ
recusarent. Quid autem hic Deboram comme
morẽ? Quæ numine sancti spiritus afflata, male
precatur iis, qui prælia domini pro virili par-
te non suscipiunt; eorumque desidiam acriter,
atque vehementer insectatur. Rursus obiiciũt
circumcisionem, agni immolationem, antiqua
sacrificia: quæ summa olim religione seruaban
tur, & post Christi aduentum coli desierunt.
Quasi militia ad sacrorum cærimonias, atque
mysteria pertineat, & non potius reip. geren-
dæ caussa constituta sit. Illa namq. sacra, in qui
bus erant adumbrata signa iustitiæ, atque salu-
tis per Christum optimum maximum constitu-
endæ, posteaquam res ipsa, quę signis illis in-
dicabatur, aduenit, iure, atque merito repu-
diata sunt. Hoc autem de bellica virtute existi-
mari non potest: cum non in cærimoniarum ra-
tionem cadat, sed caussa publicæ salutis custo-
diendæ exculta sit, & ad ciuilem disciplinã per-
tineat. Confundere autem ea, quæ sunt secernẽ
da, aut extremæ dementiæ est, aut summæ te-
Armis Res publica sta bilitur. meritatis argumentum. Cum vero reip. status
stabiliri non possit, nisi armorum præsidio ful-
ciatur; siquidem omnes artes pacis sunt in tute
la militaris disciplinæ; qui militiam tollit, is
rempublicam funditus euertit. Quod si Chri-
stianis moribus fieret, aliqua ratione inducti
criminarentur homines furiosi remp. aliquam
per Christianos mores fuisse sublatam. Quæ
calumnia quantum sceleris, atque vanitatis ha
beat, iam est superius explanatum. Non vult
enim Christus ciuilem statum conuelli, sed con
firmari potius, atque constitui. Quemadmodũ
igitur securim e manibus magistratuum nõ ex-
torsit; ita neque militem gladio spoliauit: vt ille
scilicet auctoritate legum armatus improbita-
tem in reip. visceribus hærentem legum seueri
tate comprimeret; hic armis tectus pestẽ reip.
imminentem virtute repelleret. Ob id Ioannes
numquam deterruit homines ab armorum stu-
dio, sed potius militibus ipsis, innocentiæ, & mo
derationis iura præscripsit. Et Paulus eos ma-
gistratus, qui securi feriunt nocentes, & facino-
rosos homines, Dei ministros appellat. Nihil
esset quidem magis optãdum homini Christia-
no, quam vt omnes mortales sese continerent a
scelere, & cupiditate. Cum vero id semper con
tingere non possit; & pro continentia, effrena-
ta libido, pro iustitia, aut externa vis, aut inte-

stinus furor exoriatur; tum necessario, aut im-
petus hostium est armis, & virtute depellẽdus;
aut audacia ciuium ferro etiam reprimenda.
Id, inquiunt, a Christiana mansuetudine est a-
lienum. Quasi vero vllum genus crudelitatis
maius esse possit, quam in communi periculo
esse dissolutum, atque negligentem. Præcepit Iniuria nõ vlciscenda.
Christus, ne illatam iniuriam vlciscamur. Est
quidem perfectæ, cumulatæque virtutis, vbi no
bis iniuriæ priuatim inferuntur, miram, & sin-
gularem animi patientiam ostendere; vbi ve-
ro, aut communis salus, aut religionis dignitas
agitur, inuictum robur contra furorem, atque
scelus assumere. Pacem nobis vnice commenda
uit. Illam sane pacem, quam nobis ipse largitus
est: quæ non humano otio continetur: quis enim
suspicari potest, humanam istam securitatem
nobis concessisse, cum discipulos suos omnibus
fluctibus humani furoris obiecerit: sed eã, qua
in Dei gratiam, qui nobis grauiter infensus e-
rat, & a cuius religione voluntates nostræ dis-
sidebant, reducti sumus. Has igitur inimicitias
sanguine suo, vt multis in locis Paulus testifica-
tur, Christus exstinxit, pacemq. nobis sempiter-
nam impetrauit. Hac autem frui vel maxime li
cebit, cum bellum acerbum, & graue, pro publi
ca salute, aut religionis studio geremus. Nisi
forte putamus, Abraham istius diuinæ pacis
fructu caruisse, eo tempore, quo domestica ser
uorum manu comparata, maximum, & fortissi
mum exercitum est adortus, & quattuor reges
incredibili virtute deuicit, hostibusq. partim
cæsis, partim fusis prædam detraxit: aut Gedeo
nem, cum trecentis tantum viris fortissimis
sæptus, innumerabiles copias hostium trucida
uit. Quid Iesum Mosis successorem? Quid Iepht- Mosis succe ssor Io- sue.
tem? Quid alios viros excellentes, tam sanctita
tis studio, quam bellicæ laudis gloria præstan-
tes cõmemorem? Iis ne omnibus dicemus Deũ
iratum fuisse, quando in hostes irruebãt? An po
tius tum maxime diuinæ pacis fructum tulisse,
cum bella sanctissima contra sceleratos homi-
nes suscipiebant? Quid nobis, inquiunt, cum il
lius vetustatis exemplis? Illi quidem Hebræi
fuerunt: nos vero Christiani sumus. Pergitis ne
yos diuinos illos homines a Christianorũ ordi-
ne, atque dignitate seiungere, qui, vt est demon
stratum superius, egregii Christi cultores ex-
stiterunt, & eodem diuini spiritus dono, atque
munere, quo nos affecti sumus, ornati fuerunt?
Testimo niorum ex plicatio. Quid enim aliud significat illa cõclamatio, Gla
dius Dei, & Gedeonis: & illud rursus, Factus est
super Iephte spiritus domini; & eiusmodi innu-
merabilia, nisi nõ absque Christi numine, quod
illis fortissimis hominibus præsens aderat, tãta
bella suscipi, atq. profligari potuisse? Quid dein
de illud? de cælo dimicatũ est contra eos, & stel
læ manentes in ordine suo, & in cursu suo aduer
sus Syserã pugnauerunt: nisi cælestes exercitus,
Christo imperatori, quem dominũ exercituum
sacræ litteræ appellãt, cõmissos, pro piis contra
nefarios, & impios pugnã capessere? Nõ est igi-

 tur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur,cur hæc virtutis exempla, a ſanctiſsimis illis hominibus, ad ſempiterni temporis memoriam relicta,negligamus. Non enim a nobis aliena,ſed propria,& domeſtica ſunt,ad quorum imitationem nos ipſos aliquando excitemus oportet. Neq. quiſquam tam imbecilla mente ſit,vt putet,id Chriſti placitis aduerſari, quod ipſius præſidio perfectũ eſſe ſcimus, & ad quod gerendum, ipſius prope voce fortiſsimos homines incitatos fuiſſe cõpertũ habemus. Vt enim
Conſtantinus Imperator. vetuſtiora prætermittam, Conſtantinus imperator non tã numero militum,aut robore exercitus,aut bellandi ſcientia, quam Chriſti præſidio, Maxentium ſuperauit,quem ita prima impreſsione metu perterruit, vt in fugam turpiſsimam verſum,ad exitiumq. præcipitem,Tiberis alueo demergi compelleret. Illum autem eximium terrorem hoſtium animis,ipſius Chriſti numen intecerat. Cum enim Conſtantinus, iam de Chriſtiana religione præclare ſenſiſſet, vidit eo ferme tempore, quo erat cum hoſte cõgreſſurus,æthere puro,atq. ſereno, Crucis ſpeciem diuino ſplendore coruſcantem,vocemque e cælo miſſam accepit,quæ illi victoriam denũciabat,ſi modo crucem, tamquam ſummi, atq. æterni Dei vexillum,ſequeretur.Inde igitur omnibus regiis inſignibus, crucis ſignum antepoſuit:in illo omnem ſpem nõ modo victoriæ, ſed immortalitatis, & æternæ gloriæ collocauit:illo inſignitus, innumerabiles hoſtium exercitus fudit, imperiumque Romanum latiſsime propagauit.

Theodoſius Imperator. Quid de Theodoſio dicam? Qui cum Eugenio ita conflixit, vt facillime ſe Chriſti præſentis auxilio ſuperiorem eſſe cerneret.Fuit autẽ in hoc Imperator ille mirabilis,qui,quo tempore reliqui corpora ſomno , & cibo reficiunt , is cibi abſtinentia,& votis ſumma religione ſuſceptis animum confirmabat. Cuius quidem pietatis,atque religionis fructum eximium tulit. Nam, vbi primum ſignis collatis manum cum hoſte conſeruit,excitati repente turbines vehementiſsimi,aduerſas copias hoſtium peruerterunt,& tela ab illis in Theodoſii exercitum conjecta,maximo impetu repulerunt. Illius autem inſignis victoriæ meminit Claudianus,dum ita ad Theodoſium ſcribit:

Claudianus in conſulatu Theodoſii.

O nimium dilecte Deo,cui fundit ab antris
Æolus armatas hiemes, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſsica venti.

Carolus Martellus. Quid Carolus Martellus? Sine Chriſti præſẽtis auxilio ſuſpicari poſſum? ab exiguis initiis ad tantam gloriæ magnitudinem peruenisſe? Præſertim cum eas res geſſerit,quæ viribus humanis perfici nullo modo potuiſſent? Incredibile fortaſſe multis videbitur, quod eſt traditum memoriæ, fuiſſe vno prælio ad treçenta ſeptuaginta millia Arabum,virtute,& auſpiciis Martelli occiſa, eo præſertim tempore, quo gens illa plurimum armis poterat, & cunctæ Africæ, atque Hiſpaniæ exitium , & vaſtitatem intulerat. Mihi vero nihil minus dignum admiratione videtur. Nihil eſt enim tam arduum, atque munitum,quod non excellens virtus,religionis ſtudio confirmata,expugnet,& conterat.Simili religionis ſtudio incenſus Carolus Magnus,omnia grauiſsima bella contra Chriſtiani nominis hoſtes ſuſcepit,nec vllum vmquam periculum Chriſtianæ reipubl. denegauit. Non immerito igitur illius virtutes, quib. tamquam gradibus in cælum adſcendit , omni genere monumentorum immortalitati conſecratæ ſunt. Pari religionis ardore , multis poſt ætatibus, multi Principes Itali , atq. Galli , duce Gothifredo, viro ſingulari animi virtute , & egregia pietate florentiſsimo , expulſis Turcis , atque Saracenis, Ciliciam,& Syriam, omnemque illã Aſiæ partem armis receperũt , & Hieroſolymã, cuius liberandę ſtudio , omnia,quæ ſunt in vita cara,atque periucunda, reliquerant, immẽſoſque labores ſuſceperant, ingenti armorum cõtentione recuperarunt. In quibus hominibus, neſcio quid primum admirer ; eximiam ne virtutem : an inſignem potius pietatem? Virtutis enim magnitudo tanta fuit , vt omnem barbariem, quæ tantum numero, atque robore valebat , vt etiam de vniuerſo nomine Chriſtiano ex hominum memoria delendo cogitaret , ita repulerint,vt lõge a Syriæ finibus ſubmouerẽt. Singularis pietas in eo perſpecta eſt , quod nec vlla neceſsitate coacti,nec iniuria laceſsiti bellum cunctis hoſtibus Chriſtiani nominis intulerunt,vt Chriſti monumenta, atque veſtigia,terris ad inſignem diuini beneficij memoriam impreſſa , venerari , maculamq. illam ſanctiſsimi Sepulcri a Barbaris oppreſsi , quæ in Chriſtiana gente inſederat,delere poſſent.

Carolus Magnus.

Virtutis magnitudo.

Quid autem de rebus ab Hiſpanis ardentiſsimo animo,atque ſingulari pietate geſtis ſermonem inſtituam? Quę quidem eiuſmodi fuerunt, vt nemo ſanus ſuſpicari valeat, eas ſine Chriſti præſentis auxilio,cuius amore Hiſpanorum natio libentiſsime ſeſe in vitæ diſcrimẽ inferebat, perfici potuiſſe. Cum enim tota Arabia,& Africa influens in Europam , Hiſpanos armis oppreſsiſſet,& cędę , ac infinita crudelitate conſumpſiſſet ; pauciſsimi ex illo naufragio collecti,tanta virtute hoſtiũ impetum repreſſerũt , vt magnam etiam Hiſpaniæ partem in libertatem vindicarent. Poſteri deinde, maiorum exẽpla ita ſecuti ſunt,vt , cum pauci admodum eſſent, Africa vero ingentem vim hominum ſæpe numero effunderet , quæ Saracenis Hiſpaniam incolentibus ſubſidio occurrebat; nõ modo tantæ multitudinis incurſiones, atque furentes impetus ſuſtinerent,verum etiam omnem Barbariam ex Hiſpania tandem exterminarent. Cuius facinoris cõfecti, Ludonice clariſsime, laus incredibilis penes Fernandum regem auum tuum conſtitit , virum inuictiſsimũ , & in omni genere laudis excellentem . Si quærat autem aliquis cauſſam,cur ea gens , quæ florentem,& integram Hiſpaniam oppreſſerat , ab eiuſdem Hiſpaniæ reliquiis fuerit expulſa, atque profligata,

Hiſpani.

Poſteri maiorum exẽpla ſecuti.

gata , non aliam reperiet , quam religionis ſtudium , quod quidem antea erat pene exſtinctũ , & poſt illam plagam noſtris gentibus inflictam, fuit mirabiliter excitatum , atque renouatum. Illo igitur incredibili ardore pietatis incitati, cum omnia præclara facinora pro Chriſti nomine ſuſcepiſſent, res illas immortalitate dignisſimas effecerunt. Infinitum eſſet , ſi recenſere vellem,quam multis in locis immenſas hoſtium copias exigua manu fuderint , atque deleuerint ; quoties ſignis clariſsimis ſibi ſuppetias e cælo venire ſenſerint . Quod quidem minime obſcurum fuit in Alfonſo , primo Luſitaniæ Rege , principe veſtri generis, atque nominis.Is enim vir,excellenti virtute,& incredibili pietate præditus , cum omnem ætatem in ſanctiſsimis bellis pro religionis dignitate ſuſceptis cõſumeret,videretque quadam die, ſe cum praua manu maximis exercitibus oppoſitum; animaduertit in cælo Chriſti ſpeciem , diuino fulgore circumlucentem,illoque adſpectu cõfirmatus quinque reges vna die debellauit . Quid de eius filio Sanctio dicam ? Cuius vt alia præclara facta prætermittã , illud certe fuit inſigne ad memoriam nominis ſempiterni, cũ ingentes Maurorum copias,in Luſitaniam erumpẽtes, vt inde Hiſpaniam vniuerſam in ditionẽ ſuam redigerent,non repreſſit ſolum, ſed etiã ſingulari virtute domuit , atque pene contriuit. Non eſt autem neceſſe,aliorum regum , qui ab illis nati ſunt,ætates , atque tempora perſequi. Id certe noſtrorum annalium litteris , atque teſtimonio conſtat , neminem ferme ex illis fuiſſe , qui non egregiam tum virtutis,tum etiam pietatis laudem fuerit adeptus. Itaque Mahometanis omnibus magna belli contentione ſuperatis , ac e Luſitaniæ finibus expulſis , exercitum etiam in oras Africæ, non tam numero,quam virtute inuictum induxerunt,clariſsimiſque partis victoriis, & multis ciuitatibus expugnatis, magnam Mauritaniæ partem armis occupauerunt. Non eſt autem facile explicatu , quanto animi ardore, & alacritate prælia illa a noſtris commiſſa ſint,qui ita in hoſtium acies irruebant,vt etiam mortem expetere viderentur. Intelligebant enim,huius vitæ curſum exiguo ſpatio circumſcribi , & animi cogitationem in illam immortalem gloriam referebant,quę propoſita eſt omnibus,qui fortiter,& pie moriuntur. Illa autem firmiſsima ſpe immortalitatis,&ſtudio religionis incenſi, nihil interdum ardentius optabant, quam vt vitam fluxam , & breuem, quam erant paullo poſt naturæ conceſſuri, pro Chriſti nomine deuouerent.Illorum igitur opera factum eſt, vt omnes illæ nationes , quæ numero, & impetu poterant rurſus in Hiſpaniam redundare , ita reciſæ ſint , vt magis noſtrorum tela ſuis capitibus intenta pertimeſcant, quam nos illorum furorem metuamus.Poſtremo,quantum illud eſt, quod vaſtum , & immenſum mare , longiſsima, & maxime pertimeſcenda nauigatione tranſmiſerunt, omneſque ferme Solis obeuntis , & Orientis , Aquilonis , Auſtrique partes armis peragrarunt. Quid enim hic commemorem, Aethiopiam deuictã: Arabiæ, & Perſidos vrbes munitiſsimas expugnatas : Indiam duriſsimo bello ſuperatam : inſtructiſsimas claſſes, & maximos exercitus profligatos : Turcarum potentiam in illis partibus noſtrorum virtute repreſſam , atque conuulſam ? Numquid hæc omnia eiuſmodi ſunt, vt ſine Dei immortalis ope præſentiſsima fieri potuiſſe ſuſpicemur? Eqtidem numquam tantum Emanuelis patris tui , regis inuictiſsimi, atque omnis memoriæ facile principis,virtuti,prudentięque tribuam:numquam adeo Regis omnium iuſtiſsimi , atque clementiſsimi,Ioannis fratris tui, diuinum animi conſilium,& virtutem incredibilẽ admirabor : numquam denique ita noſtrorum audaciam , & domeſticam, natiuamque indolem amabo, vt res tantas humana prudentia, atque viribus, & nõ potius diuino conſilio, & numine geſtas, exiſtimem. Nec enim calliditate Mauri , neque viribus Perſæ , neque apparatu bellico Turcæ, neq. numero Arabes a noſtris vinci potuerunt. Sola tamen pietate , atque ſanctiſsima Chriſti religione , quæ in noſtris ſemper eluxit , ſuperati , atque diſſipati ſunt . Hæc vna rem Luſitanam auxit , Regibus noſtris decus immortale peperit,infinitamque alienigenarum multitudinem eorum imperio parere aſſuefecit . Sed quid attinet pluribus exemplis vti ; cum nihil ſit clarius,aut illuſtrius,tum ex ſacrarum litterarum teſtimoniis , tum etiam ex infinitis rebus , ad æternam memoriam conſecratis , quam illud genus belli,quod aut pro ſalute publica,aut religionis incolumitate ſuſcipitur,ita Chriſto acceptum eſſe,vt etiam preſenti numine illius adminiſtretur ? Quod ſi Chriſti religio non impedit exercitationem militarẽ, immo potius eandem mirandum in modum illuſtrat , atque confirmat,cum omnem formidinem firmiſsima ſpe immortalitatis eripiat , & ad veram gloriam incredibiliter inflammet; relinquitur, non laude ſolum integritatis,innocentiæ, liberalitatis, atque iuſtitiæ florere præ cæteris Chriſtianam nationem; verum etiam gloria virtutis militaris,& omnibus virtutis ornamentis eſſe preſtantiſsimam.Illud enim in omni vita tenendum eſt, quod fuit antea demonſtratum,eam tantum eſſe virtutem nominandam , quæ in illud ſummũ bonum , & vltimum omnium rerum expetendarum intuetur,& officia vitæ non humana cupiditate,ſed diuina voluntate dirigit. Vnde facile colligi poteſt , nec in rebus bellicis vllam egregiam animi virtutem præſtitiſſe eos, qui omnes vmbras falſæ gloriæ conſectati ſunt ; ad veram tamen lucem , & ſplendorem peruenire non potuerunt . Soli,qui ad Chriſtum adſpirãt, cum reſpiciant in verum finem,cuius cauſsa vitæ dimicationes , & pericula capitis adire non glorioſum modo,ſed etiam ſuauiſsimum,atqui iucundiſsimum eſſe putant,fortes, & magnanimi ſunt exiſtimandi.Extremum illud eſt,vt agi

Alfonſus Luſitaniæ Rex primus.

Mahometani ſuperati.

Vita hac a piis negligitur.

Pietas ſancta victrix.

Confirmatio per concluſionem.

Fortes qui ſoli ſunt.

temus

Universidad de Deusto
Biblioteca

temus animo, quantum nomen, quanta dignitas, atque maiestas sit Christianę nationis, quã ille princeps Deus ab contagione sceleris expiatam, sibi adoptauit, amplissimis gloriæ insignibus ornauit, & beneficiis immortalibus, atque diuinis affecit. Quam nulla mortalis affinitas attingit: nempe quæ solum Deum tutorem, atque parentem agnoscat, quam Christus Opt. Max. ita sibi coniunxit, vt diuinorum etiam ornamentorũ societate deuinciret. Nos enim illius vnctionis diuinæ participes effecit: nobis regnum, atque sacerdotium largitus est: nostris animis rerum cælestium notitiam inspirauit, & ad omne virtutis genus mirabiliter, atque diuinitus instruxit. Qui igitur laudem, qui dignitatem, qui gloriam quærit, in studiũ Christianæ virtutis incumbat: veram iustitiam, absolutam liberalitatem, perfectam animi moderationem, & reliquas virtutes, quæ nobis a Domino præscriptæ sunt, ardenter amplectatur, eamq. fortitudinem retineat, cui soli conuenit huius nominis decus, & amplitudo. Quid enim aliud est in vita constans, excelsum, atque magnificum? Quid non potius fluxum, demissum, & turpiter abiectum? Siue enim diuitiarum inconstantiam respiciamus: siue honoris, & humanæ gloriæ leuitatem: siue quendam fucatum generis, & nobilitatis splendorem: siue postremo virtutis humanæ speciem simulatam, atque fallacem; nihil reperiemus, quod mentem valeat explere, aut animum voluptate diuturna posit allicere. Omnia namque sunt angusta, fluxa, mortalia, erroris, & inanitatis plenissima. Sola Christianæ nobilitatis ornamenta ampla sunt, immortalia, diuina: quæ nulla vmquã vis eripiet: nulla vetustas obliuione obruet: nulla calamitas exstinguet. Et, quamquam humani pectoris angustiæ non possint capere tantam dignitatem; illi tamen, qui Christi beneficio ab omnibus exierunt, & in diuinam familiam traducti sunt, eam diuino præsidio confirmati facillime sustinebunt, & tuebuntur. Licet enim in terris versentur, cælitum tamen iura retinent, & sunt iam quodammodo in deorum numero collocati. HABES a me munus, Clariss. Princeps, non quidem doctrina, & ingenio perpolitum, quorum vtrumque mihi deesse moleste fero: sed certe tuis studiis, & animi magnitudini cõsentaneum. Cum enim virtutibus humanitatis, liberalitatis, constantiæ, fortitudinis mirabiliter ornatus sis; tum illud est in tuis moribus amplissimum, quod omnia vitæ consilia, pietate, & religione Christiana metiaris. Nec enim Regius, atque domesticus splendor, ita tibi vmquam animos extulit, ut non multo plus glorię, atque decoris in Christiani nominis dignitate ponendum statueres. Nec ita præclaras actiones suscepisti, vt popularis laudis auram respiceres. Nec eo animo vitam multis periculis obiecisti, vt aliquod humanum præmium tibi proponeres. Sed, cum alta quadam mente præditus sis, in omnibus rebus, quæ abs te singulari consilio, & incredibili virtute efficiuntur; siue illæ ad pacis ornamenta, siue ad belli gerendi rationẽ pertineant; ostendis, facillime te humana negligere, & diuina studio ardentissimo contueri. Non immerito igitur te omnes boni diligunt, omnis nobilitas intuetur, omnis Hispania laude, atque prædicatione celebrat. Nemo enim est, qui modo te nouerit, quem non habeas suauitate morũ, ingenii dignitate, incredibili pietatis ardore tibi admirabiliter deuinctum. Et, quamquam virtutis spectatę condicio sit longe difficillima, siquidem non leue negotium est, hominum exspectationi iam propter res præclare gestas concitatæ respondere; ea tamen est animi tui magnitudo, vt omnium de te opinionem facillime vincere, atque superare valeas. Nec enim Christus Opt. Max. tibi omnia præclara facinora ad illius gloriam dirigenti, deerit vmquam; sed numine suo te proteget, atque sempiternis ornamentis decorabit.

Laus, dignitas, gloria, vnde acquirantur.

Peroratio.

Omnia sũt vanitas.

FINIS.

HIERO-

113 114

HIERONYMI OSORII LVSITANI DE GLORIA LIBER PRIMVS.

Vitæ accidentia.

MVlta sunt, Rex inuictissime, quæ magnam vim habent ad hominum vitam, vel recte constituendam, vel funditus euertendam: tum nihil est, quod in vtramque partem tantum valeat, quantum ardens quoddam laudis, & famæ desiderii. Primum enim adeo late patet, vt nullus sit, neque tanta humanitate præditus, neque tam agrestis, & inhumanus, neq. tantis honoribus insignis, neque tam obscurus, & ignotus, neq. tot virtutis ornamentis excultus, neque tam multis flagitijs coopertus, qui non flagret infinita quadam gloriæ cupiditate. Deinde, ita est id communibus sensibus infixum, vt neque vi rationis euelli, neque lege, aut more vllo mutari, neque vllo metu coerceri, & comprimi possit. Postremo, tã vehemens est, vt animũ nullo in loco consistere patiatur, sed semper incensum trahat, & rapiat, ad maiora in dies, & altiora

Animi impetus inquietus.

inflammato studio consectanda. Ex hoc autem animi motu clarissimæ virtutes, ex eodem tæterrima vita nascuntur. Acuit enim industriam, animosq. ad res acriter, & animose gerendas excitat: ita tamẽ, vt alios ad ius humanæ societatis tuendum, patriamq. beneficijs immortalibus obligandam, alios ad leges nefarie tollendas, & remp. delendã sollicitet. Vt enim antiquissima commemorem, illi primi vrbium conditores, qui homines in siluis bestiarum more dissipatos, vnum in locum compulerunt, & in ciuilis vitæ societatem conuocarunt, omnes, quod ex historijs cõstat, ardenti gloriæ cupiditate fuerunt in studium tam præclari muneris incitati. Quid, qui optimis legibus, & institutis, ciuitates suas ad summam amplitudinem perduxere? Quid, qui pro patria caput suum in summum vitę discrimen intulere? Quid, qui maximarum artium disciplinis ciues suos excoluere? Num obscurum est, neminem sese sine magna spe laudis, vel ad homines inter se iustitiæ munere conciliandos, vel ad remp. virtute, & industria defendendam, aut ingenij opibus illustrandam contulisse? Contra vero, qui patrias euertere, aut scelere, & amentia cõuulsere, omnes fuerunt ad tam tætrum, & tam immane facinus gloriæ cupiditate compulsi. Vtriusque autem rei ciuitatis vnius varij casus infinita exempla suppeditant. Si enim inuestigare velimus, per quos fuerit olim Roma fundata, eiusq. imperium latissime propagatum; vt a Romulo ordiamur, & seriem illam clarorum hominum vsque ad extrema florentis imperij tempora perducamus, intelligemus omnes adeo appetentes laudis, & gloriæ fuisse, vt illius parãdæ caussa neque laborem fugerint, neque vitę periculum recusarint. Rursus, si naturam spectemus eorũ Romanorum, qui Romanum imperiũ per summũ scelus euerterunt, aut saltem de illius pernicie, & interitu cogitarũt, omnes reperiemus ad gloriæ cupiditatem incredibiliter exarsisse. Hoc autẽ, nec in vnius tantũ ciuitatis annalibus, nec in vna tantum memoria hominum, sed apud omnes nationes, in omni ætate cernere licet, nullum esse scelus immane, nullum facinus impium, nullam sectam pestilẽtem, nullũ reipub. turbulentum motum, qui non ab appetitu gloriæ nascatur. Non igitur immerito

Fortitudo.

Patriæ hostes quo spectarint.

Cupiditas gloriæ omnia scelera gignit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ex malis moribus bona disciplina nascitur

merito viri sapientia præstantes, cum animaduertissent, ab hoc insito laudis appetitu, & bona quamplurima, & infinita mala proficisci: quasi ancipiti sententia in varias partes distracti, modo iuuentutem ad summæ gloriæ studium cohortandam, modo ab illa quasi a magna virtutis, & constantiæ labe deterrẽdam existimabant. Quid hic sanctarum litterarum monumenta commemorem? Explicari enim non potest, quam sæpe, & quanta oratio

Scriptura sacra prohibet ambitionem.

nis vi nos ad summum studium immortalis nominis inflamment. Rursus autem nihil est in illis tam dira pœna sancitum, quam ne quis honores ambiat, ne principatum appetat, ne cupiditate laudis efferatur, vsque adeo, vt omne Christianæ pietatis fundamentum in contemptione gloriæ consistat. Quid igitur? vt sit vel in casibus humanis, vel in doctorum hominum scriptis tanta dissensio, num id etiã cælesti disciplinæ tribuẽdum est, vt illius præceptis imbuti explicare nequeamus, sit ne nobis gloria consectãda, an summa potius animi cõtentione repellenda? Sed nimirum nihil animis nostris impressum, & inustum est, in quo non diuinum beneficium agnoscere valeamus: nos tamen illis naturæ principijs, quæ nobis ad salutẽ tributa sunt, peruerse vtentes, nostra demẽtia in periculum incurrimus. Nam ira,

Affectuum officia.

cupiditas, spes, metus, dolor, voluptas, & reliqua generis eiusdem, quibus animos vel incendi, vel restingui, vel incitari, vel remitti, vel efferri, vel contrahi, vel alio quouis pacto commoueri, & agitari sentimus, nobis donata sunt, vt, noxia repellentes, & salutaria adsciscẽtes, naturæ statũ conseruemus: nos vero ea plerumque omnia ad flagitium, atque vitæ pestem cõferimus. Quo autem sunt illa maiora, & ampliora, quæ accepimus, eo ex illorum abusu grauioribus malis implicamur. Largitus est enim Deus nobis rationem, qua maxime a belluis distemus. & ad diuinã naturam propius accedamus: nos autem, eandem sæpenumero rationem huc, & illuc versantes, ea scelera concipimus, vt belluas etiam immanitate superemus.

Ratio.

Animus religione imbutus.

Habemus etiam a natura animos imbutos religione, qua incitati præcellentem illam naturam, diuinamq. vim hominum generi consulentem, ex operibus agnoscentes, eam castissimo, pietatisque plenissimo cultu veneremur. At hominum amentia factum est, vt ab illo naturæ sensu duceretur omni scelere contaminata superstitio, quæ fusa per omnes nationes, multis sæculis omnium fere animos opprimeret, mortalesque miserijs infinitis implicatos, & constrictos teneret.

Natura sæpe errat cæco iudicio.

Nihil denique, ne plura persequar, est nobis a natura insitum, quod non sit vel ad corporis tutelam, vel ad animi cultum aptissimum: sed nos plerumque diuinis muneribus ad nostrum exitium, & deformitatem abutimur. Ex quo efficitur, non studium laudis, cum sit nobis ingeneratum, esse vllo modo vituperandum, sed iactationem, & leuitatem hominum a vera virtute penitus aberrantium, & inanissimis opinionibus vitæ rationem peruertentiũ. Non enim temere summus ille Dominus eam cupiditatem omnium mentibus inseuit, sed admirabili consilio, & ratione: vt ea videlicet incitati, ad honestatem, vnde laus omnis exsistit, ardẽtius adspiremus.

Homines dignitate vera orbati

At homines flagitiis infames, cum veræ dignitatis opibus orbati, dignitatem tamen appetant, illiusq. viam penitus ignorent, eam e rebus inanissimis quærentes, magnum in se dedecus admittunt; & patriæ plenumque pestem, atque perniciem machinantur. Hoc igitur gloriæ genus

Gloria inanis.

inane, funestum, atq. mortiferum, omniũ malorum seminarium in se continẽs, exsecrari præcipiunt sapientes homines: ab huius pestilenti contagione Christi Opt. Max. voce deterremur: non ab illo, quod vulgi amentiam contemnens, stirpe veræ virtutis innititur. Quæ cum sæpe mecum animo agitarem, inire cœpi rationẽ, quemadmodum errorem multis insitum ex aliquorum animis euellerem; & homines nostros, in quibus est natura egregius amor laudis ingenitus, a leuitate ad veræ gloriæ studium traducerem. Et vt in libris de Nobilitate, quos scripsi ad Lodouicum fratrem tuum, Principem omnibus virtutibus ornatissimum, facere sum conatus, vt fucatam, atque fallacem nobilitatem a vera secernerem; sic in his libris contendo, vt inanem, & fluxam a vera, & stabili laude seiungam, & admoneam omnes, in quibus inest ardor quidam mentis ad gloriam, vt toto pectore in studium

Auctoris institutum.

pietatis,

Actionum comes pietas sit.

pietatis, & religionis incumbant. Aliter enim numquam, quod expetunt, adipisci vllo modo poterunt. Vt autem id commodius efficerem, venit in mentem mihi cõplecti his libris ea, quæ quondam de Gloria, & Dignitate in sermone quodam, a me cum hominibus amicissimis habito, cum essem Bononiæ, versata sunt. In quo sermone multa sunt adducta, quæ totius gloriæ vim, atque rationem facilius aperient. Hos autem dialogos tibi dicare cõstitui, partim, vt hoc ingenii munere,

Dedicationis caussa I.

exiguo illo quidem, sed a non exigua in te pietate profecto, animum erga te meũ

Caussa II.

declararem: partim, vt, tui nominis amplitudine, & auctoritate munitus,

Caussa III.

facilius omnes reprehensor ũ impetus arcerem. Accedit, quod nihil aptius mihi videbatur, quam libros de Gloria inscriptos illi Principi consecrare, qui est virtutum maximarum gloria præstantissimus. Nec enim tu is es, qui leuitati seruias, cuius studia ad plausum populi referantur, quem misere distringat ambitio, & transuersum a recta viuendi via deducat, sed qui vitæ consilia ad exactissimam prudentiæ normã dirigas, omnesque tuas actiones veræ virtutis, perfectiq. officii ratione metiaris. Cum autẽ sis omni dignitate princeps, tum laude religionis, atque sanctitatis es in primis admirãdis. Quis enim vmquam maiorem diligentiam adhibuit in sacris ædibus exstruendis, in rebus diuinis rite peragendis, in sceleribus impiorum hominum vindicãdis, in Christi nomine propagando? opera enim tua effectum est, vt innumerabiles Asiæ nationes, patria superstitione repudiata, & pristinis, atque inueteratis institutis omnino relictis, sese ad Christum ardenti studio contulerint. Non est igitur mirum, si aliarum virtutum laudibus abundas, cum hanc vnam, e qua reliquæ omnes oriuntur, fueris studiosissime complexus. Tu singularis iustitiæ præsidio remp. tutam ab omni pernicie conseruas: tu mores patriæ fluentes disciplinæ seueritate deuincis: tu Lusitaniam, antea bonarum artium rudem, omnibus disciplinis instruendam curas: tua singulari sapientia effectum est, vt in communi Christianę Reip. incendio, inter Christianos principes excitato, sola Lusitania summa pace frueretur. In

Asia superstitione vindicata.

Iustitia præses Reip.

tuis autem laudibus illa est omnium clarissima, quod Christus numine suo te protegit: tibi præsens adest: pro te pugnam capessit: quod cum alias sæpenumero, tũ abhinc triennio fuit in India, hostium etiam confessione, declaratum. Christi enim numen hostium impetus repressit: nostros in summa paucitate, rerumque omnium indigentia cælesti præsidio communiuit: exercitum maximum, & robustissimum, e Turcis, & aliis bellicosis nationibus Solimanni opibus, & imperio conflatum, deleuit: atque, ne plura dicã, recenti clarissimi facinoris exemplo, memoriam victoriarum, quæ fuerunt olim diuinitus Abrahamo; Gedeoni, Dauidi, aliisque viris sanctissimis concessæ, renouauit. Hoc igitur his tantis rebus es assecutus, vt, cũ glorię caussa nihil facias, incredibili tamen apud populos gloria circumfluas. Singulares enim tuæ probitatis exemplis docuisti, non præcipitem ambitionem, non effrenatam dominandi libidinem, non infinitam pecuniæ cupiditatem; sed iustitiam, æquitatem, mansuetudinem, beneficentiam, religionem, gloriam immortalem efficere. Quare fruere isto tanto bono: Christum tuæ gloriæ auctorem semper intuere: omnes tuas curas in Reip. salute defige: & ad æternã atq. diuinam gloriam, vt facis, adspira. Sed iam tempus admonet, vt ad nostri sermonis explicationem veniamus, quem velim vt pro tua præstante humanitate clementer excipias.

Probitas disciplinę magistra.

II. Auctoris iter.

CVM igitur in Italiam me excolendi ingenij gratia cõtulissem, & ex multorum sermone intellexissem, nullam tunc Italiæ ciuitatem esse cũ Bononia litterarum gloria conferendam; eam delegi potissimum, in qua studia, perturbatione rerum mearũ impedita, longo tandem interuallo reuocarem. Postquam vero in ea consedi, re ipsa cognoui, fuisse mihi ab omnibus, quorum prædicationem secutus fueram, egregie consultum. Est enim illa ciuitas, & opibus florens, & omnibus maximarum artium disciplinis exculta, tum gentis humanitate, & rerum omium copia ad studia litterarum satis instructa. Florebãt ibi

Bononia floruit Doctoribus.

multi doctrinis Græcis, & Latinis non mediocriter eruditi: multi in omni Philosophiæ genere excellentes: multi postremo

dicendi

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicendi facultate præstantes, & in omni liberali doctrina summa cum laude versati. Quid dicam de vtriusque iuris studio, cum illud constet, Bononienses iureconsultos omnibus, quise huic grauissimæ disciplinæ dediderunt, admirabile semper acuminis, & prudentiæ lumen prætulisse? Non igitur mirum videri debet, si tanta loci celebritate commoti bene informati adolescentes vndique Bononiã conueniant, ad animum clarissimis disciplinis excolendum; cum in ea constitutum esse videatur egregium quoddam eruditionis, & sapientiæ domicilium. In ea igitur cum omnem operam, & studium in litteris ponere cogitassem; nihil mihi prius faciendum putaui, quam vt me ad eorum amicitiam applicarem, qui erãt ingenio, atque doctrina præstantissimi, vt eorum ope, & cõsilio eo, quo cursum institueram, citius, atque felicius peruenirem. Quod quidem mihi facillimũ fuit. Multis enim locis vsu didici, numquam elegantiam doctrinæ ab humanitatis laude seiunctam esse: immo sẽper ingenij suauitatem cũ omni litterarum cultu fuisse incredibili amoris societate copulatam. Siue id accidit, quia nemo ferme, nisi miti, clementiq. natura sit, & ab omni motu feritatis alienus, potest excellentem doctrinæ formam intueri, & ad illius cupiditatem incendi: & ita fit, vt pauciss imi docti agrestibus instit utis viuant, quia pauciss imi agresti ingenio prædit i in doctrinæ studium incitantur. Siue tanta vis est in optimis artibus, atque disciplinis, vt illarum ope facile quẽuis natura reddatur mitis, atque mansueta, & ad omnem rationem humanitatis excolatur. Præclare enim ille, abire studia in mores, asseuerat. Vt enim quisque liberalibus est disciplinis instructissimus; ita maxime est in omni genere lenitatis, atque comitatis excellens. Vnde non immerito nomen humanitatis ad maximarum artium facultatem traductum est. Ibi igitur cũ homines admodum doctos peramanter obseruarem; illi mihi parem voluntatem reddentes, cumulatissime gratiam referebant. Erat mihi magnus vsus cum Romulo Amasæo, viro in dicendo admirabili, in omnisque doctrinæ varietate præstantissimo. Obseruabam præterea Achillem Bocchium, equestris ordinis ornamentis, atque singulari eruditionis laude florentem. Lodouicum etiam Buccaferreum, omnium Peripateticorũ facile principem, studiose audiebam: & alios item multos ex doctis habebam arctissima consuetudine deuinctos. Sed ij tam multis erant, & domesticis, & publicis curis impediti, vt nulla ratione possent a gerendis negotiis auocari: meisque, atque meorũ æqualium longissimis sermonibus interesse. Quamuis igitur ad eos frequenter iuissem, aut salutandi caussa, aut percunctandi, si quis locus mihi multa legenti explicatu difficilis incidisset; non tamem vmquam induxi animum, vt homines, qui & me multo ætate anteibant, & erant nimis occupati, vlla molestia afficerem, & prolixa oratione a grauissimis studijs aliquo tempore retardarem. Disputationes igitur longiores, sermonibus æqualium meorum, cũ quibus eram assidue, reseruabam: e quibus duos in primis ex omni nobilitate, insigni amore, & studio cõplexus sum. Alter erat Antonius Augustinus Cæsar augustanus, quem propter mores suauissimos, & multiplicem eruditionem valde amabam: alter Ioannes Metellus Sequanus, homo singulari modestia præditus, quicum diutissime vixi, atque coniunctissime. Vterque autem eorum ius ciuile, cuius studio dediti erant, alijs præclaris artibus excolebat, & multis dicendi luminibus ancipites iuris quæstiones illustrabat. Neque enim erant ex eorum numero, qui sibi diligentissime cauendum esse statuũt, ne bonas litteras quasi iuris studio perniciosas attingant: sed potius numquam se posse ad illam amplissimam iuris dicendi, & reip. constituendæ facultatem peruenire credebant, nisi fuissent omni doctrina, nobilitate digna, in primis eruditi. Cum autem in suburbano quodam, quo nos Augustinus inuitarat, simul essemus, post alios sermones vltro citroque, vt fit, de multis rebus habitos, ego huiusmodi sermonem instituI.

Bononienses Iureconsulti.

Studia animos mollescunt.

Doctores cur visẽdi.

QVANDO eam opportunitatem, quam maxime optabam mihi diuinitus oblatam esse video, valde reprehendendus sim, nisi ex ea fructus excepero, quos facile huius loci amœnitati, omniumque villarum fructibus anteponam. Postquam enim Florentia venistis, numquam mihi licuit per otium scisc itari, quã multa sint in illis Pandectarum voluminibus, quæ dili- III

diligentissime cognouistis, ab ijs quæ vulgo circumferũtur dissidentia: & satis ne magnũ adiumentum studiosis vos allaturos speretis. Ardeo enim incredibili cupiditate audiendi, & simul spem concipio fore aliquando, vt ductu vestro summorum hominum prudentiam in libris illis reconditam penitus inuestigem.

HIC Metellus arridens: Quid tibi, inquit, in mentem venit, arcana iuris ciuilis velle cognoscere, cũ iam pridem a nobis defeceris; & hanc totam disciplinam omnino cõtempseris? Quemadmodum enim cum illis, qui ad hostes perfugere, nõ sunt amplius iura ciuitatis illius, quam scelere amiserunt, cõmunicanda; ita nec tibi in hęc nostra studia, quæ deseruisti, curiosus inquirendum censeo. Si te ad nos retuleris, & quasi postliminio reuersus pristina iura recuperaueris, tũ fortasse te in penetralia disciplinæ ciuilis admittemus. Aliter te non interdictis arcebimus, sed armis, vt iuris ciuilis hostem, ab huius scientiæ finibus repellemus.

Transfugæ quo iure ex cedant.

MALE, inquam, narras. Neq. n. is iuris studia contẽpsisse putandus est, qui solã altissimarum, atq. diuinarũ rerũ cognitionẽ illis anteposuit: neq. hostis iuris, atq. legũ putandus est is, qui se ad illã disciplinã contulit, e qua tãquam ex fonte, sanctiss. leges omnes hausta, atque delibatæ sunt. Nulla igitur caussa est, cur mihi nõ liceat aliq d ex vestra facultate decerpere, vobis præsertim auctoribus, qui tam multa ornamẽta ex illis artibus, in quibus elaboro, ducta retinetis.

POSTEA, inquit Augustinus, videbimus, nũ ea tibi impertire conueniat, quæ tamen nõ oratione, sed scriptis cõprehendi queũt. Neq. n. possent tam multa, tanto tẽporis spatio, tantoq. studio collecta, humana memoria contineri. Nunc aũt quiduis aliud agam libentius, Aequũ. n. est, vt animũ a labore nimio, quẽ his diebus in studio explicandi iuris excepi, alio studij genere relaxem. Præstat. n. hoc multiplex litterarum cognitionis cupiditas, vt nũquam labore frangamur; & vnius studii satietatem aliarũ rerũ commẽtatione depellam°. Quare i præsẽtia (ius. n. esse statuo, vt, quãdiu in meo regno estis, me sequamini) mẽtionẽ iuris ciuilis omittamus: tuq. in primis (me aũt appellabat) si q d est in studijs tuis noui, fac afferas in mediũ: & auriũ nostrarũ siti elegãtia, & copia tuę orationis exstiguas.

Tædiũ labozis quo sit depellẽdũ.

MIHI, inquam, nihil est, quod vestris auribus dignũ esse putem. Toto. n. tẽpore, quo hinc abfuistis, disiunxi me a consuetudine Musarum, animumq. retuli ad studia plena laboris & inania voluptatis. Nã & in Theologis recẽtioribus versatus sum, qui quidẽ sunt plerumq. ab omni elegantia doctrinæ, & venustate sermonis abhorrentes; & in Hebraicarum litterarũ elementis perdiscendis curã, atq. cogitationem posui. Omnia igitur studia his proximis diebus abieci, quorũ disputatio vos afficere voluptate aliqua potuisset: & in illis versatus sum, quę mihi nihil iucunditatis, plurimũ vero laboris attulerunt.

EADEM igitur, inquit Metellus, condicione fuisti, qua nos, qui non modo sine iucundicate, verum cũ magna interdũ satietate, atq. molestia Pandectarũ illa, quę dicebas, volumina perlegimus. Quod si quis nos interroget, qua spe vtilitatis impulsi hoc negotium susceperimus, vix vllã fingere possumus: maxime cũ magna pars eorũ, qui de nobis iudicaturi sunt, vagis, & errantibus certorum hominum opinionibus addicta, eos irrideat, qui ad hos libros, tãquam ad purissimum huius disciplinę fontẽ, omnia referenda putent. Quis enim nos feret, si quibusdã in locis nostrã sententiam, prudentium testimonio cõfirmatam, imprudentium responsis anteponamus? Emolumentum itaq. & præmium nullum video. Voluptas vero, si qua interdum capti, & deliniti fuimus, tanta certe non fuit, vt laboris, atq. molestiæ magnitudinem adæquaret. Non tamen est, quod ad me attinet, cur me suscepti negotij pæniteat. Nam nostro Augustino, homini doctissimo, & mihi amicissimo, præclara quædam molienti, operam dedi; & ita pro mea virili parte multis iuris studio deditis aliquid opis attuli.

Pandectarũ lectiõ qualis.

Voluptas minor labore.

PRAECLARE tu quidẽ, inquam, Mettelle, Nãis demũ est vir virtute præstãs existimãdus, qui studia amicorũ emolumẽtis suis antefert: & oes curas, atq. cogitationes cõfert in publicã vtilitatẽ, libẽtissimeq. rerũ suarũ iacturã facit, vt aliorũ cõmoda cõstituat. Sed illud nõ recte iudicas, vos nullo prẽmio affici posse. Quid? parũne magnũ prẽmiũ ponis in ea gloria, & dignitate, quã isto labore fuistis assecuti? Fieri. n. haud quaquã potest, vt tã præclara industria, q quidẽ est plurimũ lucis doctis oĩbus allatura, laudis, & glorię fructu careat. Gloria aũt nihil est in rebus humanis pulchrius, nihil amabilius, nihil cũ virtutis altitudine copulatius. Nã & a splẽdore virtutis excitata est, & excellẽti pulchritudine ad amorẽ dignitatis allicit, & homines ingenio prẽstantes ad virtutis studiũ inflãmat. Oes. n. qui maximo ingenio prædit i sunt, stimulis gloriæ cõcitati, res præclaras aggrediũtur. Tolle gloriæ cupiditatẽ, & omne studiũ virtutis extingues. Nemo enim vmquã sese, p Reip. salute in capitis discrimen intulisset: nemo publicã vtilitatẽ emolumẽtis propriis antetulisset; nemo deniq. omnibus rebus posthabitis, sapiẽtiæ studia coluisset, nisi primũ fuisset ad spẽ quãdã immortalitatis excitatus. Vt. n. hic Themistoclẽ, Epaminondam, Scipionẽ, & ex nostris Carolũ Magnũ, & Gotefridũ, & reliquos Imp. rerũ gestarũ gloria florẽtes, omittã, q s dubitat Lycurgũ, Charõdã, Zaleucũ, in

Vir præstãs qui sit.

Gloria qd.

Universidad de Deusto
Biblioteca

censos sempiternæ gloriæ cupiditate, leges, instituta, Respublicas condidisse? Quis nescit Platonē, Aristotelem, Xenophontem, Theophrastum, & omnes denique, qui monumentis suis philosophiam illustrauerunt, gloriæ suauitate fuisse in sapientiæ studiū incitatos? Quis ad artē aliquā præclaram animū adiunxit? Quis virtutem studiose colendam putauit, qui non primū in egregii nominis celebritatē aciē mentis intēderet? Ex quo facile cerni potest, quanta sit gloriæ magnificentia, quod oēs, qui maximo animo excellentiq. ingenio sunt, eā ardenter expetunt, & illius caussa nō inuiti res honestissimas, atq. difficillimas aggrediūtur. Nihil est igitur ea præstabilius, neq. cōmuni vitę salutarius, nempe quę a virtute nata sit, & animos maximos ad omniū virtutū excellētiā exsuscitet. Quare, si qđ spero vobis euenerit, vt eo labore nomē vestrū immortalitati cōmendetis, satis magnū pmiū arbitror esse vestris optimis studiis pſolutu. Est.n. vestrū dignitatem omnibus possessionibus anteferre.

HAEC ego cum arrepta occasione dixissem, non tā vt longiorem sermonem elicerē, quam vt obiter Augustino, orationem meā paullo ante requirenti, aliqua ex parte satisfacerem: Augustinus ridens, Istius certe, inquit, orationis ornamenta nō videntur esse a Theologis illis ducta, per quos te fuisse aiebas a studiis eloquētiæ deductū. Primum enim illi non admodum ornate loquūtur: deinde nemini fallere, aut fingere permittunt: postremo gloriam maxime cōtemnendam esse confirmant. Tu vero contra omnia: nā & oratione satis ornata vsus es, nosq. deridendos huius claritatis exspectatione suscepisti, eā que postremo dicis rebus omnibus esse præferē dam. Illud autem quam festiue dictum: vt, parta gloria contenti, reliqua omnia negligamus. Quasi iam sit immortalitati nostri nominis hoc tam illustri opere satisfactum: aut satis magnū præsidium sit in ista nobilitate, ad vitam bene, beateq. degendam. Equidem, vt de me loquar, cum animum ad Pandectarum emendationem adiicerem, numquam speraui posse me hac ratione, ad eam nominis claritatem, quam dixisti, viam munire. Quamuis enim res sit vtilis, non tamen tantam esse puto, vt mihi eam gloriam dare possit, quæ operibus magnificis, monumentisq. perfectis ingenio, & elaboratis industria tribui solet. Nondū enim tantos in studiis progressus habemus, tantumq. roboris adepti sumus, vt inuidiam superare, nomenq. nostrum immortale reddere valeamus. Quod si abunde magnam gloriam essemus consecuti, nulla tamen caussa esset, cur ea nos voluptate diuturna perfunderet: nihil enim illa videtur inconstantius, nihil leuius, nihil commutabilius. Quare, si te ex animo dixisse putarem ea, quæ de gloriæ præstantia, & vtilitate protulisti, magnam mihi profecto admirationē mouisset oratio tua. Nulla enim sententia minus conuenit homini honestatis amore flagrāti, & in vtraque Philosophia versato, quam ea, quæ gloriam exornat: sed credo te ingenii exercendi gratia voluisse rē increPandectarū emendatio.

Hominūstudia præcipua.

dibilem argumentis probabilē reddere, & contra Doctorum omnium sententiam disputares. Atque vtinam id, quod contendis, efficeres: magna enim molestia me liberares. Negare.n. non possum, me ad laudis cupiditatem exardescere, neq. facile posse libidinem istā resecare. Quod si posset haberi facilis, & expedita ratio seruiendi gloriæ, sine virtutis, & cōstantiæ labe; omnes industriæ neruos ad eam parādam, sine vlla dubitatione contenderem. Nunc aūt pudet me leuitatis, atq. flagitii, cum eam nobilitatem appeto, quam vix possim a contagione temeritatis puram, & inuiolatam conservare.

EQVIDEM, inquam, non aliter loquor, atq. sentio: neq. si mihi iuranda calumnia esset, gloriam defendere recusarem. Quamquam illa nullius eget defensione: satis enim per se dignitatē suam tueri potest. Sed ex te scire sane vellem, quid sequaris, vt rei tam insigni, & splendidæ, leuitatis nomen imponas. Quare, nisi graue est, sententiæ tuæ rationem expone.

GERAM, inquit, tibi morem, & simul rationi tuæ respondebo. Illud tamen in primis dicam, me numquam satis laudaturum illorum sapientiam, qui omnia infirma, fluxa, cōmutabilia, in quibus varii humanarum miseriarum casus, & ipsa rerū volubilitas dominantur, nullā vim habere ad beatam vitā statuerunt. Hæc igitur cui sapienti cōtemnenda, atq. pro nihilo putāda iudicabant. Sapientis.n. est, non habere aliunde suspensas viuendi rationes, sed in animi bonis oīa vitæ præsidia collocare. Illa igitur tantum bona numerabāt, quæ essent vera, simplicia, recta, honesta, constantia: quorū opibus, & præsidiis solū boni muniuntur: quæ nūquam eripi, neq. amitti possunt, deniq. sola sunt propria eorū, a quibus possidentur. Reliqua oīa, quibus improbi frequenter affluunt, quæ facile conuelluntur, quæ postremo sunt in casu sita, aut in amentissimæ multitudinis opinione posita, nulla ratione bona nominanda existimabant.

AT gloria primum ex eo genere rerum est, quarum copia flagitiosi homines sæpenumero redundant. Nisi parū Homero credis, apud quē Achilles indigne patitur, vulgari honorē, & laudis ornamenta, virtuti debita, indignis tribui. Hac aūt querella nō solum Achilles vsus est, sed multi etiam quotidie iure vtuntur, cū passim videant homines malitiosos, virtutis simulatione nefaria scelera tegentes, in luce hominum, atq. celebritate versari: eos vero, q virtute præstāt, in tenebris, & caligine iacere. Neque.n. sēper, quod tu assumebas, nominis amplitudo ortum habet e virtute. Immo longe sepius dolis, atque fallaciis, quā vera virtutis ratione cōparatur.

EST enim posita in iudicio populi, qui propter insitam stultitiam, & temeritatem nequit vera cernere, nec inanē speciē dignitatis ab insigni forma veræ dignitatis internoscere. Sic aūt fit, vt ille vir bonus, & integer, atq. verę virtutis amator, cum nihil fingat ad opinionē multitudinis, gloria careat; contra autem vafer, & astutus, imperitæ multitudinis errorem captans, diui-

Gloria vnde.

Vir bonus quis.

diuinis laudibus efferatur. Quod si nullum est vitium tætrius, aut pestilentius eo, quod in virtutis specie latet, (aliorum enim perniciem facile prouidendo vitaueris: hoc autem prius importuna clade premit, quam dolum sentire queas) constatq. gloriam longe sæpius simulatione virtutis, quā vera virtute parari; quæ tandem caussa est, cur non fateamur, gloriam a singulari genere improbitatis exsistere? Hoc infinitis exemplis confirmari potest: videmus enim quotidie audaces, & facinorosos fortes existimari: auaros autē, & prodigos liberalitatis nomen obtinere, & alios item variis vitiorū cupiditatibus implicatos, vt virtute excellētes omniū sermone celebrari. Facile.n. quiuis in tanta populi cæcitate viri boni personā tueri potest, & amentis plebis oculos fallaci splendore perstringere. Cōstātia vero quę potest esse in ea re, quę nō in nostra potestate consistit, sed tota sita est in amētia populari? Quod.n. fretū tantas habet agitationes fluctuū, quantos multitudinis impetus, atq. demētiæ? Quæ fuit vmquam populis in aliqua sententia diuturna permānio? quem modo singulari genere laudis ornabāt, eundem statim lacerant indignissima cōtumelia: & quē antea cōuiciis insectabātur, in cælū laudibus extollunt. Eos expellūt, a quibus cōseruati sunt: illos amplexantur, qui erant Reip. perniciem machinati. Nihil vmquam fuit in illis cōstans, & firmū, nihil quod non varias mutationes in horas singulas haberet. Sæpe itaq. vnius hominis improbissimi dicto, sæpe seditiosi, atq. turbulēti cuiusoratione, & calūnia cōuersi populi iis, quos paullo ante eximia laude afficiebāt, inferunt infamiam insignē, eosdemq. bonis omnibus euertunt. In ista tam mobili populi voluntate, quam in singulas horas inanissimi rumoris aura commutat, in ista tam præcipiti temeritate, tantaq. multitudinis amentia, aliquid inesse statuis, quod sit grauibus, & honestis hominibus expetē dum? Quid.n. quæso, est minus grauitati conueniens, quā populi leuissimi plausum aucupari? Quid cōstantiæ magis aduersariū, quam ex insipientissimi vulgi temeritate pendere? Quid denique miserius, quā in ornamētis insania populi cōcessis aliquod vitæ præsidium constituere, quod quam diuturnū sit, præstare nō possis? Sūt enim oēs rumusculi perpetuo metuēdi illis, qui ad gloriæ cupiditatē incūbunt, cū animaduertunt, quam facile temeritate eiusdē populi, qui eam concesserit, infringi soleat. In eo aūt, quod dixisti, sublata gloria, studia virtutis exstiguī, præclare tu quidem virtutem exornas, quando statuis eā, nisi cupiditate famę popularis excitata sit, officio fungi nō posse. Placet ne tibi virtutis altitudinem, atq. diuinam constantiā ad auctorem populū referre? Cum.n. ita iudicas, virtutem non ipsius honestatis illecebris, sed amore tantum istius inanissimæ nobilitatis ad res gerēdas excitari; oēm virtutis dignitatem plebis arbitrio cōmittis. Virtutis igitur genus inducis humile, supplex, ambitiosum, intues oēs motus

Portesquos vulgo existimat.

Virtuti qđ conueniēs.

populi, multitudinisq. rumori seruiēs, vt præclarā famā possit aliqua tādē ratiōe colligere; qua quidē re nihil absurdi excogitari potest. Quid.n. aliud est dicere, virtutē gloria incēdi, nisi virtutē opinione populi plerūq. delirantis incēdi? omnis.n. glorię ratio sita est in cōsētiētis populi prædicatione. Quid igitur ille faciet in deserto loco, quē laudis tantū cupiditas acuit, & ad claras actiones suscipiēdas inuitat? Necesse est.n. vt oīa virtutis officia deponat, si verū est, quod in oratione tua parum considerate posuisti, restingui virtutis studium, ni gloriæ facibus inflāmetur. Sed tu, dū gloriam falsis laudibus ornare voluisti, virtutē ipsam proprijs ornamentis spoliasti. Neq.n. vllo modo virtus illa dicenda est, quæ famæ seruit, & officia vitæ ad populi opinionē moderatur. Virtus.n. seruire non potest, quæ sola libera est; nec humana ornamēta requirit, cū diuinis illustrata colluceat. Illa vero exēpla, quibus vsus es, nō me valde mouerunt: nam aut illi Imperatores, & principes nihil de sua laude cogitabant, sed amore virtutis inflāmati, res illas tātas gerebant: aut nūquam vllam solidæ, & expressæ virtutis rationē attigerunt. Iā Philosophi, qui scripserūt ad ostentationem disciplinæ, sunt valde ridiculi: nā vitæ grauitatē oratione profitētes, reipsa sese leuitatibus istis dedidere.

Virtutē gloria incendi quid.

Virtus est libera.

QVOD si vellem exemplis pugnare, infinitam prope multitudinē proferre possem eorū, qui pessimis artibus nobilitati sunt. Vt alia genera scelerū prætermittā, quā multi, vt immortale nomen apud suos assequerentur, actiones populares acerrime suscipiendo, patrias euerterunt? quā multi, cum optimos ciues multitudinis amentiæ resistentes exterminarent vt benefici, atque salutares amplissimis laudibus affecti sunt? quam multi postremo bellis iniustissimis orbem terrarū vexantes, fuerunt hominū opinione in Deorū numero collocati? Peruersę igitur faciunt, qui gloriam tāquam aliquod singulare bonū intuentur, cum ea improbissimis quibusque tribuatur, & in opinionis leuitate, & inconstantia sita sit, & scelere sæpenumero, atq. perfidia comparetur: & postremo virtutem expellendo, Reipubl. firmamenta nefarie labefactet. Hæc mihi in mentem venerunt, quæ quidē video potuisse fusius explicari. Est.n. materies eiusmodi, in qua possit totus dies facile cō sumi, Sed cōtineo me, partim qa nolo vobis oratione lōgiori molestus esse, partim qa satis esse dictum puto ad inanitatē gloriæ conuincendā.

IIX. Gloriæ vana vis.

QVAE cum ille dixisset, tum ego, Vtrumque, inquam, te fefellit Augustine. Nā & quo longior fuisset oratio tua, eo maiorem nobis voluptatē attulisset, & opinio mea intimis sensibus sita nō potest adeo breui sermone penitus euelli. Qđ si mihi valde probauisses, in claritatis studio esse flagitiorum omnium seminarium, non tamen auderem fateri, me tam facile fuisse de sententia deiectum: ne fortasse eiusdem leuitatis, & inconstantiæ, quam multitudini tribuebas, vituperationem subirem. Si vero rem vberius

Universidad de Deusto
Biblioteca

explanares, & argumentorum copia ex intimo artificio deprompta mihi vim inferres, & quamplurimis exemplis causſam apertam faceres, fortaſſe non puderet me in tuam ſententiã deſcendere. Nunc autem vides, quantam ignominiam habeat facilis animi mutatio: quare mihi gratiſſimum feceris, credo item & Metello, ſi de hac quæſtione copioſius diſputare volueris. Perficies enim, vt, ſi parum ſententia tua mihi probata eſt, eam quãplurimis rationibus cõfirmes: ſi iã probata eſt, vt me ſaltẽ nõ leui certamine ſuſum, ſed acri prœlio ſuperatũ eſſe cõfitear.

Homoglo-riæ cupidus quid metuat.

HIC Auguſtinus ridens, Eſt certe, inquit, hominis gloriæ ſtudẽtis in omni ſermone infamiæ metu cruciari. Quare nolo deeſſe dignitati tuę. Cum enim coniiciam ſententiam tuam a mea nõ diſcrepare; omnes conatus adhibebo, vt libere te iſto pudore, qui te verũ fateri vetat. Exordiar igitur, niſi qd aliud noſtro Metello videtur.

MIHI certe, inquit Metellus, nihil iſto ſermone iucũdius acciderit. Nam & incredibilẽ voluptatẽ ex veſtro ſermone capiã, & in hac tam dubia quęſtione, quid magis veriſimile ſit, argumentis vtrimq. collatis eliciam. Fac igitur, vt oratione tua rei totius vim, & naturam inſpicere valeamus.

AVDITE igitur, inquit ille, Philoſophum inſignem ex Academiæ ſpatiis venientem, qui vobis aditum ad omnia Philoſophiæ arcana pateſaciet. Hic, poſtquam arriſimus, ad hunc modum exorſus eſt.

IX. Gloriæ definitio.

IN primis ipſius nominis vis explicanda eſt, vt melius poſſimus de tota quæſtione iudicare. Nemo autem dubitat, quin gloria ſit in opinione. Idem enim valet apud Latinos, quod apud Græcos δόξα. Quamuis enim δόξα in vniverſum opinionem ſignificet; ita tamen vſurpatur interdum, vt illam tantum multitudinis opinionem ſignificet, quæ habetur de dignitate cuiuſquam, cum videlicet maior hominũ pars eſt in alicuius laude conſentiens. Vnde etiam euenit apud Latinos, vt opinio pro gloria capiatur, veluti cum dicimus, aliquem eſſe virtutis opinione præſtantem. Ex ipſa igitur vocabuli ſententia iam facile cerni poteſt, quam aliena ſit gloria a ſapientiæ grauitate.

X. Opinio quid.

EST enim opinio imbecilla animi aſſenſio, nulla certa ratione munita, ſed obſcura quadã imagine veritatis excitata, falſa ſæpe, & incognita pro veris, atque perceptis apprehendens. Sapientia vero in errorem numquam inducit poteſt: neque enim, ſiue cæleſtia contempletur, ſiue terrena diſpiciat, in quamuis naturæ ſimilitudinem, ſed in ipſam naturam aciem mentis intendit. Cum autem præcipuum munus illius ſit, res ſtabiles, & nullo quo interituras ſpectare, ita eſt cæleſtium, atque diuinarum rerum diſciplinis aſſuefacta, vt numquam ad humanarum conſiderationem deſcendat, niſi prius omnem circumcidat, & amputet inanitatem. Contra opinio, cum ſit rebus mortalibus, atque fluxis intenta, ex illa conſuetudine rerum minime conſtantium, quaſi quodam æſtu circumfertur incerta; & in ſumma rerum omnium ignoratione, atque temeritate verſatur. Ita igitur fit, vt pro pulchris deformia, pro ſalutaribus pernicioſa, pro iucundis acerba frequenter arripiat. Quocirca nihil tam pugnat cum ſapientia, quam opinio: nempe, quæ ſit inimica conſtantiæ, & amica leuitatis. Si autem nihil eſſe poteſt clarum, & excellens, quod conſtantiæ repugnet: qui fieri poteſt, vt gloria lumen aliquod habeat, cum tota ſit in opinionis inconſtantia, atque temeritate ſita? Sed fortaſſe dices, non debere omnia ad illã exactiſſimam ſapientiæ normam dirigi, quæ negat eſſe grauis, & cõſtantis hominis opinari: eoſq. te magis probare, qui multa cenſent opinione cõformanda. Sit ita ſane: nec eſt enim neceſſe omnia ad viuum reſecare. Sed, qualis erit ea tandẽ opinio, quæ probanda eſt? Ea certe, quæ non ab imperita multitudine, ſed a paucis ſapientibus, vniuerſa etiam multitudine reclamante, concepta eſt. At gloria in exiſtimatione populari, atque multitudinis opinione conſiſtit: quod loquẽdi conſuetudo facile declarat. Non enim gloriæ cupidos appellamus eos, qui ſe paucis probari cupiunt; ſed qui ſe totos ad multitudinis arbitrium fingunt, & accommodant. Quis enim vm quam ſeſe nobilitatis amore ab hominum cœtu, atque cõmunione ſeiunxit? quin potius omnes, qui laudem amant, in hominum luce, atque celebritate verſari cupiunt, & in omnium conſpectu res magnas adminiſtrare: vt eam gloriã aſſequantur, quam ſibi propoſuerunt. Ille, qui Platonem inſtar omnium exiſtimabat, & ab omnibus aliis deſertus, præter vnũ Græciæ ſapientiſſimum, non alium auditorem requirebat, non erat ſtudioſus gloriæ, ſed veritatis. Contra vero Demoſthenes, qui glorię cupiditate Academiam deſeruit, ſi fuiſſet a populi corona deſtitutus, etiam audiente Platone verbum nullum feciſſet, ſed potius animo fractus & mærẽs luctu, quod aliquando feciſſe traditum eſt, propemodum contabuiſſet: ſic eſt enim humilis, atque demiſſus animus in gloriæ cupiditate. Quid Philoſophi: Nonne ſatis oſtendunt, eam in populari prædicatione verſari? Si enim eam paucorũ iudicio contineri putaſſent, numquam ad illius contemptionem tanto ſtudio ſuos auditores inſtruxiſſent. Hoc igitur ſit a nob.s principio conſtitutum, eam in publica opinione conſiſtere. Aliter enim Socratẽ glorioſum appellaremus: Alexandrum uero glorię contemptorem, quorũ alter omnes hominum rumores aucupabatur, &, cum magna bella ſuſciperet, imperitorum opinioni ſeruiebat: alter multitudinem contemnens, non ad populi uoluntatem, ſed ad rectã rationẽ omnia vitæ cõſilia referebat. Eſt igitur hęc vera Glorię definitio, vniuerſæ multitudinis opinio, de alicuius egregia dignitate concepta. Reliqua deinceps perſequamur, niſi prius ea, quæ a me hactenus dicta ſunt, refellenda putas.

Gloria in quo conſiſtat.

Opinio incerta.

Glorię definitio vera.

ID quidem, inquam, experiar, poſteaquã peroraueris. Nunc enim nullo modo committã, vt te interpellam, maxime cum hæc definitio mihi non omnino diſpliceat.

XI. Gloria populi laus.

CVM igitur, inquit ille, conſtet gloriam eſſe conſentientem populi laudem, opinione excellentis decoris excitatam: illud intelligendum eſt, talem nos opinionem de rebus expetẽdis, & fugiendis, de laudandis, & vituperandis accipere, quales ſunt ii mores, quibus imbuti ſumus. Id enim quiſque laudabile iudicat, quod intuetur, quod amat, quod nimis ardẽter appetit. Quanta igitur varietas eſt in vltimi boni iudicio, tanta in laudis opinione ſit neceſſe eſt.

XII. Hominum mores varij.

Cum vero tam varium, & multiplex ſit hominum ingenium, tãque diſpares mores, atque diſſimiles; accidit, vt in ſtudium ſuum quiſque rapiatur, & ea laudanda iudicet, quæ alii vituperanda videantur. Quod quidem adeo late patet, vt nullum ſit tantum flagitium, nullum tam corruptum, atq. ſceleratum ſtudium, quod in ſuo genere laudatore careat. Eſt enim certũ laudis prœmiũ, infimis etiam hominibus in ludicris artibus exercendis conſtitutum. Eſt & lenæ, & meretrici ſua laus in circumueniẽda iuuẽtute, & turpitudinis illecebris allicienda. Quæ res impulit ſcriptorem quendã haud inelegantẽ, vt illam perfectã, & abſolutam meretricis formã, quæ cogitatione concipi poteſt, libro nõ inuenuſto complecteretur. Quem librum, ſi me audietis, legendo conteretis. Plurimũ enim intereſt ad maximarũ artiũ ſtudia, videre, quam pulchre ſint eo opere inſtructę impuræ mulieres ad tendendas fallacias, & pecuniam extorquendã.

HIC Metellus ridens, Bene, inquit, ſane fecit quiſquis ille fuit, cum ſimplices feminas, & huius tam præclaræ artis ignaras, erudiuit. Qui potuiſſent enim fallẽdi diſciplinam tenere, ni fuiſſent huius litteris adiutæ?

Laus vanitate compa rata.

QVID, inquit Auguſtinus, eſt impudẽtius vanitate? Quid odio maiore dignius, quam dolo, fraudes, inſidiæ? Sed videmus Vlyſſem Homericum auxilio Palladis celando, & metiẽdo, mẽtemq. ad omnem malitiam, & fraudem verſando, diuinis laudibus ornatũ fuiſſe. Numquã certe Homerus Vlyſſem, quem nobis ad effigiem abſolutæ ſapientiæ deſcripſit, his artibus prædicum induxiſſet, niſi temporibus illis fuiſſet ſummæ laudi tributum, aſtute fallere, & inſidiis callide circumuenire. Quid autem Vlyſſem admiramur, cum etiam Muſę apud Heſiodum glorientur, ſe, cũ velint, falſa cõfingere, & ſimilitudine veritatis quos velint in fraudẽ inducere? Sed ad maiora veniamus. Eſt ne aliquid, quod magis contineat ciuilem ſocietatem diuini numinis metu, iuſiurandique religione, atque ſanctitate? Nihil ſane. Qui igitur iuſiurandum violat, is nõ ſolum in Deum impius, verum etiam totius humani iuris, & communis ſalutis euerſor eſt exiſtimandus. Attamen apud eundem Homerum legimus, fuiſſe quoſdam illuſtri, & clara fama propter periurium celebratos, qualis fuit

Autolycus ille, quo non præſtantior alter,
Vt inquit Homerus,
Et fraudare homines, & fallere numina diuũ.

Et, ne parum elegantem eam perfidiæ ſcientiã putaremus, ſubiungit:

Namque ſuas illi dederat Cyllenius artes.

Neque enim tam præclara ſtudia ſine Dei illius ope coli potuiſſẽt, qui eo ipſo die, quo natus eſt, tam præclara dedit futuri latrocinii documenta. Namque Apollinis boues abegit, & Vulcani inſtrumenta ſurripuit; aliaque eiuſmodi facinora edidit, immortalitate digniſſimus. Fabulæ ſunt, dicet fortaſſe aliquis. Fabulæ certe, ſed ab egregio vate fictæ, vt videremus expreſſam veritatis imaginem, & totius antiquitatis mores, & inſtituta cognoſceremus. Is igitur docet nos, illis temporibus neque latrociniis niaria, & terras infeſtas reddere, neque inſidijs, & perfidia generis humani ſocietatẽ violare, neque impia fraude, periurioque cæleſte numen offendere, infamiam vllam habuiſſe: ſed potius eos, qui ea ſcelera ſcienter, & callide ſuſcepiſſent, magnam fuiſſe laudem eo artificio conſecutos.

Ethnicorũ exẽpla docent.

XIII. Leges gentiũ variæ.

Sed, ne fabulis omnia confirmemus, quantam vim habeant leges ad laudem rebus impuris tribuendã, ex eo perſpici poteſt, quod multa facinora tętre, & impie cõcepta, apud quamplurimas nationes honeſta & laudabilia putabãtur, quod eſſent legibus præſcripta. Aſſyriis mulieribus, antequam fuiſſet illis ab aliquo peregrino ſtuprum in luco Veneris oblatum, nubere legibus non licebat. In Lydia erat ſtatutum, vt mulieres corporis peruulgati quæſtu dotẽ ſibi cõficerent: ita, vt, quæ id facere renuiſſet, non ſatis proba, neque antiqui moris femina putaretur. Carthaginienſes, Rhodij, Galli, Scythæ, aliæ nationes quamplurimæ nõ ſatis numen placari poſſe exiſtimabãt, niſi in ſacris ſollemnibus homines immolarent: vſq. adeo, vt multi manu ſua filiis vitã eriperẽt. Qui igitur apud illos aras humano ſanguine adſpergeret, & ſeipſũ parricidio cõtaminaret, vir religioſus, & pius haberetur. Quid hic Maſſagetas, quid Derbices, quid Hircanos, & Caſpios comme morẽ, quorũ legibus erãt ea ſcelera conſtituta, quę etiã fugiat, & reformidet oratio? Hæc tamen illi, quod eſſent ſancita lege, & in more poſita, iuſta, & honeſta ducebãt. Magnam enim vim habẽt mores, inſtituta, diſciplinę: quod vitæ cõmunis exẽplis facillime cernitur. Talis enim eſt, vt paullo ante diximus, de rebus laudãdis apud omnes opinio, quales ſunt ij mores, quibus imbuti ſunt. Neq. enim poteſtis, qui pudorẽ penitus amiſit, honeſtatis ſpecie cõmoueri: neq. is, qui omne ſtudiũ ad fallendũ adhibuit, vera ſimpliciaque laudare: neque ille, qui diuturna cædis conſuetudine eſſeratus eſt, humanitate, & clemẽtia delectari. Nemo deniq. ea probabit vmquã, quæ videt eſſe ab inſtitutis ſuis abhorrẽtia, cũ hoc igitur adeo exploratũ ſit

Morũ vis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ tandem vitæ ratio poteſt illi conſtare, qui omnia ad gloriam dirigit, & ſtudia vitæ multitudini probare ardentiſsime cupit? Si genus illud aureum exſtaret, Poetarũ monumentis immortalitati conſecratum: tum demum illi, qui ſe totos fingerent ad multitudinis arbitrium, potuiſſent ſimul cum gloria ſplendorem virtutis adipiſci. Cum enim eſſent vniuerſi ſapiẽtes, quod nunc pauciſsimis contingit, nemo poterat multitudini ſuos mores probare, qui non eſſet omni virtute cumulatus.

Quomodo tandem, inquit, Metellus, ſine doctrinæ ſtudio, quod tunc in illis non erat, ſapientiam aſſecuti ſunt?

Aurũ quid Poetis.

QVASI, inquit Auguſtinus, vllo ſtudio illis opus fuerit, qui nulla re, vt poetæ volunt, impediebantur, quo minus ipſam naturam optimam magiſtram ſequerentur. Aurum autem illud apud Poetas nihil aliud ſignificat, quam naturales opes virtutis, atq. ſapientiæ. Quod vt melius intelligatis, vtar illis Heſiodi carminibus, quæ a te (me aũt appellabat) haud ita pridem conuerſa memoriæ mandaui. Sic enim inquit:

Numine diuino primũ eſt gens aurea terris
Edita, Saturnus dum cæli ſceptra tenebat.
Vt dij viuebant homines, neq. triſtibus ægri
Curis, nec preſsi ærumnis, duro ue labore.
Omne malũ cunctis aberat, triſtiſq. ſenectus
Nondum tardabat vires: ſed ſemper eodem
Robore firmati ſtabant, viridiq. iuuenta:
Ducebantq. choros ſumma dulcedine læti.

Mentis perturbatio quid impedit.

Hinc apparet, illos homines præſidiis ſapientiæ circumſæptos fuiſſe: nempe qui mentem haberent ab omni perturbatione liberam, & ſolutam: & ſeſe ab iis malis, quæ corporis valetudinem perturbant, & ſenectutem infirmã, & odioſam efficiunt, tutos conſeruarent. Nondũ enim ambitio, & auaritia rationis arcem occupauerant: nec corporibus infinitam morborum vim luxuria, atque mollities inuexerãt. Neque ſolum in vita virtutis fructum capiebant, ſed etiam æquitate animi incredibili moriebantur, quod eſt conſummatæ cuiuſdam ſapientiæ. Sequitur enim:

Non tamen inuiti linquebant lumina vitæ,
Sed mors vt grato, dulciq. ſopore quietos,
Iam longa victos ætate amplexa tenebat.

Fato homines vita ſuncti.

Cum enim vis omnis abfuiſſet, neque dum peſtilentes ægritudines in humanum genus inuaſiſſent: nemo poterat vita excedere præter ordinem, ſeriemq. cauſſarum, præterque naturam, ſed longa, atque beata ſenectute conſumptus. Additum deinde eſt:

Cuncta illis igitur felicia prouenieb ant.
Omnia nam tellus, nullo poſcente ferebat.

Hic non tam eſt terræ fecunditas, quam præſtantia moderationis intelligenda. Erant enim diuitiis naturæ contenti, quæ ſunt parabiles, atque terminatæ. Si enim fuiſſent ardentes cupiditate, numquam opibus illis, quas tellus mediocri diligentia culta large fundit, atque munifice, eorum ſitis potuiſſet exſtingui: ſed in pecunia terra, & mari quærenda, omnibus ſeſe periculis expoſuiſſent. Ergo nõ immerito, cũ tãtis honeſtatis, & innocẽtiæ laudibus in vita floruiſſent, poſt mortem antiquitatis opinione fuerũt in Deorum numero repoſiti. Sic enim ait:

Sed poſtquam fatũ genus illud funere merſit,
Sancti terrarum Genii ſunt nomine dicti,
Humani generis cuſtodes, & bona cunctis
Numina ſupplicibus depulſoreſq. malorum.
Nunc terras luſtrant, obſcuroq. aere ſæpti
Vadunt iuſta oculis, iniuſtaq. facta videntes,
Et ditant caſtos homines in vota vocati.
Hæc conceſſa illis regalia munera diuis.

Regium eſt pauperes iuuare.

Eſt plane regium munus, & gentis aureæ maieſtati conueniens, munificentia ſua miſeros homines inopia, & egeſtate leuare, idq. tã opibus terræ venis effoſsis, quam iiſdem ſapientiæ muneribus, quibus eſt aſſecuta diuinitatem. Hoc enim arbitror Heſiodum ſignificare voluiſſe, cũ illos diuitias cultoribus ſuis elargiri affirmat. Sed, vt ad propoſitum redeamus: ſi genus illud aureum in vita permaneret, nec eſſet maiore ex parte ſepultum, tum fortaſſe, qui omnia officia multitudinis iudicio conformaret, facile poſſet egregios fructus honeſtatis percipere. Sed videtis, quanta ſit huius auri diuini pænuria? Socrates apud Platonem in illa ciuitate, quam finxit omnibus opibus florentẽ, atq. beatam, ex huius aureæ nationis ſtirpe Principes ſtatuit. Cum enim vniuerſam ciuitatem in tres partes diuiſiſſet, aliis enim Reipubl. gubernacula tradidit, alios ad vrbis cuſtodiam armis inſtruxit; alios poſtremo voluit vel terram colere; vel in arte quapiam fabrili exerceri. Cũ igitur hoc modo ciuitatem diſtribuiſſet, Principum ordinem aureum appellauit: Militum vero argenteũ: Agricolarum aũt, & opificum æneum, atq. ferreum. Vult itaq. Princeps excellere præſtantia ſapientiæ: milites aũt robore animi: infimorum aũt hominum ætatem in pecuniæ ſtudio conſumi. Sic enim intelligit illam auri, argenti, & æris differentiam. In illa aũt ciuitate, quam vir ſapientiſſimus vt abſolutam formam beatiſſ. populi deſcripſit, fatetur multis partibus plures cuiuſcũque generis opifices, quam optimates, & Principes, hoc eſt, ſapientes futuros. Ergo illic erant plures inueniendi, qui diuitias, atq. voluptates, quam qui veram virtutem amarent. Quod ſi in illa Rep. cogitatione Platonis informata, pauci futuri erant honeſtatis appetentes, præ multitudine hominũ ferrea, hoc eſt, flagitioſa: quid dicendum eſt in tanta, & tam inſatiabili omniũ gentium cupiditate, tamq. præcipiti amentia populorum? An parum liquet, quam vere idem vates, cuius teſtimonio paullo ſuperius vſus ſũ, perditos ferreæ gentis mores inſectetur? Nullum ait, iuris, aut religionis veſtigium in terris apparere: nullum eſſe inter hoſpites hoſpitii fœdus: nullam inter fratres, atque propinquos beneuolẽtiam: nullam inter amicos officii, & amicitiæ ſanctitatem. Deinde filios ait, contumelia paren-

Socratis diuiſio ciuitatis.

Morum religio defecit.

parentes ſuos natu grandes afficere, nec vllo Deorum metu ab hac tanta ſceleris immanitate reuocari. Tum conqueritur, nullam omnino laudem tribui, neque religioni, neque iuſtitiæ, neque probitati: & eos, qui ciues ſuos iniuriis, & maledictis vexant, ſummopere laudari. Poſtremo pudorem aſſerit e terris exterminatum eſſe, Nemeſim in exſilium pulſam, iuſtitiam humanis ſceleribus infenſam hominum cœtus deſeruiſſe, & in cælum euolaſſe. Sed quorſum attinet Poetarum ſententiis vti, cum infinitis exemplis intelligamus, nihil poſſe fingi multitudine turbulentius, nihil amentius, nihil in omni genere pernicioſius? Quotus enim quiſque eſt in populo, qui ſapientiam diuitiis, honeſtatem voluptatibus anteponat? Cõtra vero omnes ſunt ardentes cupiditate, nihil recta ratione moderantes, ſed omnia effrenata libidine, atque nefaria voluptate metientes. Cæco animi impetu ſalutaria declinant: peſtifera, atque pernicioſa conſectantur. Eadem cæcitate mentis impediti nomina rerum immutant. Simplices, & apertos homines ſtultos appellant, vnde etiam illud inueterauit apud Græcos, vt ἁπλᾶ quę proprie ſignificat ingenuam bonitatem optime ſentientem, ſtultitiam ſignificaret, & nomen, quod erat laudis proprium, contumeliæ ſeruiret. Contra vero malitioſi, & fronte ſcelus occultantes, vt viri prudẽtia clari, ſermone omnium celebrantur. Temeritati, & audaciæ fortitudinis nomen imponunt: prudentiæ vero, & moderationi, timiditatis. Legibus obtemperare, imbecilli animi eſſe ſtatuunt; viribus vincere, glorioſum.

Caducæ res immortalibus præponuntur.

Legibus parere quid.

Frugales auaritiæ nomine vituperãt: prodigos autem magnificẽtiæ laudibus exornant. Atque poſtremo in omni genere virtutes deſerunt, vitia perſequuntur, a ſtudio honeſtatis abhorrentes, & indomitis cupiditatibus inflammati, in ſumma opinionum inconſtantia, & inanitate verſantur. Sunt in rebus afflictis humiles: in ſecundis elati: in diſcrimine armorum timidi: in pace & otio præſidentes: in inopia ſupplices: opibus autem affluentes ingrati. In periculis enim conſtituti optimorum auxilium implorant: timore autem liberati, eoſdem e patriæ finibus expellunt. Eſt namque vulgi proprium, omnem virtutis excellentiam odio habere, eamq. vt libidini populi nimis aduerſariam, de medio tollendam putare. Hinc illud ſceleſtiſsimum facinus Epheſiorum natum eſt, qui cum Hermodorum eiicerent e ciuitate, non aliam cauſſam attulerunt, niſi quod virtutis induſtria nimium inter omnes excelleret. Hinc etiã exſtitit oſtraciſmus ille. Sic enim appellabatur illud exſilii genus Athenis, & Argis incredibili ſcelere conſtitutum. Quid enim aliud fuit in Ariſtide, quod offenderet populi voluntatem, niſi admirabilis quædam iuſtitiæ, & integritatis opinio? Quid Cimonem, & Themiſtoclem e patria eiecit, niſi res memorabiles in rebus bellicis effectæ? Quid aliud eoſdem Athenienſes induxit, vt exſilio, aut morte viros excellentes afficerẽt,

Epheſiorũ ſcelus.

Illuſtriũ virorum enumeratio.

niſi quod cernerent in illis ſingulare quoddam lumen virtutis elucere? Sed Athenas omittamus, hoc infando ſcelere nimis infames, atque deteſtabiles. Quid Hermocratem Syracuſis exterminauit, niſi facinus illud maximum, atque pulcherrimum, quo florentiſsimas Athenienſium opes attriuit, & patriam obſidione liberauit? Quid Dionem nondum præclaro illo munere perfunctum, cum adhuc tyranni, quorum iugum a ceruice patriæ depulerat, arcem tenerent, expulit, eundemque, patriæ libertate conſtituta, vita priuauit, niſi egregij illius muneris inuidia? Quid hic referam Camillum, Coriolanum, Rutilium, Metellum, atque Ciceronem, & alios innumerabiles ſingulari induſtria præſtantes, quibus propter excellentem virtutis opinionem aqua, & igni interdictum fuit? Infinitum eſſet, ſi vellem perſequi, quam fuerit ſemper vulgi temeritas optimis viris infeſta. Neſcio enim quomodo ſemper homines animo magno, ſplendidoq. ingenio præditi, populo ſuſpecti, & inuiſi fuere. Quamuis igitur neceſsitate compulſa multitudo omnes imperii opes ad egregios viros deferat, vbi primum eorum virtute fuerit ſingulare aliquod beneficium conſecuta, exſtinguit continuo beneficii memoriam inuidiæ magnitudo: & ita fit, vt eos, quorum opera, & conſilio patriam, atque fortunas retinet, & patria & fortunis omnibus extrudat, & illis peſtem inferat, a quibus conſeruata eſt. Cũ igitur conſtet, omnem populum eſſe amentem & ingratum, nefariiſq. ſceleribus adſtrictum, quid tandem laudare poterit, quod ſit a vera virtute, & honeſtate profectum?

HIC ego interpellans: O hominem, inquam, minime populare. Sic enim acriter in cauſſam plebis inuectus es, vt valde verendum ſit, ne quid hinc emanet, quod in te plebis animos accendat. Quantum enim video, ſic vniuerſum populum improbitatis, & amentiæ condemnas, vt neminem a tanto numero excipias.

Ingenioſi quo loco habendi.

NEMINEM certe, inquit ille: Non tamen vellem exiſtimes, me tam cenſu, & facultatibus, quam virtute, & induſtria ſummos viros a vulgo ſecernere. Is enim ſum, qui omnes homines ingenio præſtantes, & animi ſui motus rectæ rationis imperio ſedatos, & omnem curam, & cogitationem ad cõmunem vtilitatem conferentes, quamuis inopes ſint, & obſcuris parentibus orti, in principum numero habendos cenſeam. Contra vero, qui hebeti ingenio ſunt, & languori, deſidiæq. dediti improbis cupiditatibus obtemperant, &, publicam ſalutem negligentes, omnia referunt ad ſuam vtilitatem, quamuis in ampliſsima familia nati ſint, & res magnas adminiſtrent, plebeios exiſtimo. Non enim, quantas opes habeant, cõſiderandum eſt, ſed quantis digni ſint. An tu illos Principes, & optimates appellandos exiſtimes, qui libidini ſeruiunt, & potentia abuntur ad miſerorum hominum calamitatem, patrimoniumq. ſuum contra ius, & fas amplificando, & plebi grauiſ-

Principum nomina in ducit.

ſimas

Universidad de Deusto
Biblioteca

simas iniurias inferendo, patriæ statum nefarie labefactant? Si enim vetera memoria repetamus, intelligemus profecto hoc fuisse plerumq. in omni Repub. paucis propositũ, vt paullatim omnes possessionibus suis iniuria pellerent, & in omnium fortunis impune dominarentur. Cum autem ipsi soli omnia possiderent, plebs omnibus bonis spoliata esset, nihil mali cogitari potest, quod non esset in populi calamitate.

Insolentia et audacia vnde.

Fit enim plerũque, vt amplissimam pecuniam insolentia, atque fastidium; egestatem vero præceps audacia consequatur. Ita igitur euenit, vt & opulenti superbe imperando, & egentes in nobilium fortunas impetum faciendo, vtrimque patriam turbulenta seditione conuellant. Ergo, cum omnis populus in principes, & plebem infimam distributus sit, & vtraque pars, sceleribus inquinata, & hostili odio imbuta, semper in alterius perniciem incitetur; quid tandẽ boni erit ab vniuerso sperandum? Est enim in plebe temeritas, furor, audacia, cum incredibili studio nouitatis: in iis autem, qui principes appellantur, superbia, immanitas, auaritia, cum immoderata dominandi cupiditate coniuncta. Quibus vitiis omnia tandẽ concidant opus est.

Facinorationum Reipubl. perturbant.

ILLVD autem magno argumento est, nullum esse tam improbum facinus, quod non auctore, & approbatore populo concipi possit, quod quotidie videmus eos, qui publicum otiũ importunitate sua perturbãt, & omnia diuina, & humana iura violant, vt viros fortes, & patriæ studiosos, mirificis laudibus extolli. Quid enim persequar ea scelera, quæ in turba, & seditione ciuili cum magna laude concipiuntur? Quid autem, postquam discordia, sanguine imbuta ciuium animos diuturna cædis consuetudine reddit immanes, & efferatos? Neque enim solum laudantur ære alieno oppressi, cum suis creditoribus necem afferunt; verum etiam qui propinquos, & amicos interimunt. Nullã enim apud eos vim tunc habet naturæ lex: nullam possidet religionem sanguinis communio: nullam sanctitatem retinet amicitia: sed potius omnia gentium iura inaudito scelere, & audacia violantur. Qui autem plura facinora immanitatis ediderint, & audacius fidem iureiurando firmatam fefellerint, astutiusq. aduersarios nihil hostile propter fidem interpositam metuentes insidiis oppresserint, amplioribus laudibus afficiuntur. Neque enim malitia vllum dedecus illis imprimit: immo res alias ab illis gestas exornat. Inde fit, vt pleriq. malint homines se in improbitate callidos, quam in innocentia parum astutos existimari. In nomine enim simplicis bonitatis erubescunt: & in fama malitiosæ pernersitatis insolenter efferuntur. Ac vtinam vetera tantum exempla, quæ a Græcis, & Latinis accepimus, in medium adducere licuisset. Sed recẽs memoria tam multa nobis suppeditat, vt antiqua reticenda videantur. Quid enim, vt de hac potissimum regione loquamur, mali fingi potest, quod Italia in ijs seditionibus longinquita-

Laudes amplores qui assequãtur.

Scelerũ genera varia.

te temporis inueteratis nõ viderit? Multi enim fuere, qui fratres, atque propinquos necarent, qui templa religiosissime culta ciuium cæde funestarent, arasq. sanctissimas sanguine suorum adspergerent. Multos etiã legimus, cõtra fidem interpositam, aut fame, aut inaudito supplicio a ciuibus suis interfectos. Omnia deniq. facinora suscipi videmus, quæ semper in omni ætate a multitudine furente suscepta sunt, quæ pestem. & exitium rebus omnibus inferre solent. Quæ enim gens est, quæ non huiusmodi sceleribus diuulsa funditus interierit? Cum itaq. omnia magna imperia vel externis bellis, vel intestina seditione corruerint; longe plura fuerunt ciuili discordia, quam hostium armis excisa. Hic populorum furor Athenienſium imperium deleuit. Hic Spartam, & Thebas attriuit. Hic Romã, & omnes denique nationes imperio florentes exstinxit. Videtis hanc discordiæ flammam, inter Christianos principes excitatam, quæ non solũ miseris Pannoniæ reliquiis, sed Germanię, Galliis, Italiæ, Hispaniæ, toti denique Europæ deflagrationem minatur, quantum terrorem omnibus incutiat? At hoc tantum malum, tam nefarium, & crudele bellum, tantum Christianæ Reipubl. periculum scimus esse multitudinis scelere, & amentia conflatum. Populares enim furiæ eas faces in Christianam Rempub. immisere. Quo nisi Christus Opt. Max. numine suo tantum incendium restinxerit, omnia conflagrabunt. Cum enim singulæ ciuitates Italiæ sint in duas partes iam inde a Friderici II. temporibus diuisæ, & inter se hostili odio dissidentes; fit sæpenumero, vt, qui viribus inferiores sunt, dum aduersarios vlcisci possint, nullo modo recusent exterarum gentium dominatum. Tantaque est hominum dementia, vt, cum patriam aliarum nationum imperio, atque libidini prodiderint, existiment suam dignitatem esse præclarissime constitutam. Omne namque dignitatis ornamentum ponunt in ciuibus alterius factionis euertẽdis. Hæc Italiæ cruenta seditio populos incitauit, vt primum Germanos, deinde Gallos, postremo Hispanos ad Italiæ dominationem euocarent, & florentissimæ orbis parti vastitatem, & exitium inferrẽt, & odium tandem inter duos summos Principes excitarent, qui, de Italiæ possessione dimicãtes, vsque eo progressi sunt, vt eorum contentio, si diu vixerint, cædem ingentem, & Christiani nominis interitum moliri videatur. Hostes enim nostri satis acres, atque parati ad nostram perniciem accedunt, magis amentiæ nostræ, quam viribus suis confidentes. Nunc igitur magna belli contẽtione Pannoniæ reliquias aggressi, haud mediocrem cladem gentibus illis intulerunt, & bonam Pannoniæ partem ferro, & flamma populati sunt. Qui nisi diuino numine, vt spero, fuerint repressi, in quamcumque regionem armorum impetũ pertulerint, omnia delebunt. Christus Opt. Max. qui summa cæli templa diuina maiestate complet, populo Christiano, quem sanguine

Rerũpublicarum excidia vnde.

Ciuitatũ in Italia diuisio.

Prouidẽtia diuina.

sanguine suo in lucem, & libertatem vindicauit, clementer ignoscat, eumque ab ista malorum tempestate defendat, iramque suam in hostes sui nominis aliquando conuertat. Diuina siquidem ope, diuinoque consilio opus est ad tantam pestem arcendam, quando humano consilio depelli non potest. Confido equidem fore, vt hæc mala, impetu furentis multitudinis excitata, fortissimus Imperator Carolus Quintus confirmatus Christi auxilio propulset. Periculi tamen, quod nobis intenditur, magnitudo, nullis verbis explicari potest. Caussa vero huius impendentis mali nõ aliunde, quam a furore partium nata est. Ipsæ enim, non contentæ cæde, & sanguine ciuium, quo sæpenumero leuissimis de caussis vrbes replebant, complures etiam Reges ad discordiam solicitauerunt: & omnia periclitatæ sunt, si tandem non modo patriam perderent, sed vniuersam Christianam Rempublicam in extremum discrimen adducerent. Nunc igitur, quemadmodum præclari artifices operibus suis delectantur; ita videmus huius tanti sceleris principes, & auctores erectos, & alacres exspectatione rerum nouarum volitare. Nec enim solum exsules, & ære alieno oppressos, qui nisi patria exstincta, se incolumitatem retinere non posse credunt; sed alios etiam videmus, quibus licuisset otio honesto frui, ex hoc tanto ruinæ periculo capere voluptatem. Nunc enim spem concipiunt fore, vt aduersarios vlciscantur, vt impune latrocinentur, vt opes suas per summum scelus amplificent. Sic autem stulti sunt, vt non intelligant fieri non posse, vt in vniuersæ Reipublicæ ruina salutem suam incolumem a communi calamitate conseruent. Quod minime mirandum est: numquam enim fuit consilium in populo, numquam certa, & constans vitæ ratio; sed immanis audacia, atque temeritas omni flagitiorum genere copulata.

Caussa futuri belli.

Comparatio ab artificibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIERONYMI OSORII LVSITANI DE GLORIA LIBER SECVNDVS.

Confirmatio superiorum.

HIC, METELLVS, Sunt, inquit, ista, Auguſtine, vt dicis. Multa enim imperia populari amentia concide runt. Non tamen recte videris facere, ſi propter aliquam tempeſtatem Reipublicæ incidentem, quæ tamen non omni loco, nec ſemper excitari ſolet, omnem populum in crimen voces. Nam illæ ipſæ Reſpublicæ, que ſcelere inteſtino corruere, numquam ad aliquem gradum amplitudinis peruenisſent, niſi fuiſſent aliquo tempore bene cõſtitutæ, publicæq. incolumitatis amantes: & in hac tanta rerum omnium perturbatione videmus multas nationes paci, & otio ſtudentes.

Refutatio confirmationis per correctionem.

AD hæc Auguſtinus: Falleris, inquit, o Metelle, ſi non credis omnem multitudinẽ iiſdem ſemper eſſe flagitiis coopertam; ſed id minus apparere, quam diu eſt ſeueritate legum, atque metu iudiciorum illigata. Fuit enim rebus humanis hoc cæleſti legum munere conſultũ, quod quidem præſtat, vt aliquando metu comprimatur audacia, & innocẽtia ſine cura ſit. Fit enim, vt, dum ſinguli ſupplicia metuunt, ſeſe facilius vniuerſi contineant. Attamen, quemadmodum

Cõparatio a feris.

beſtiam immanem, quamuis eo tempore, quo vinculis conſtricta eſt, minime noceat, non ob id cicurem, atque manſuetam appellamus, quia venit nobis in mentem, quantas ſtrages ederet, ſi fuiſſet illis vinculis emiſſa; ſic etiam, cum intelligamus omnem populum nõ ſponte ſua, ſed legum minis quaſi quoddam animal ferum, & indomitum alligari; debemus cogitare quid faceret, ſi clauſtris illis euolare potuiſſet. Atque id ipſum magnum argumentum eſt, multitudinem agreſtem, atque feram eſſe, quod nulla ratione poteſt, niſi legum metu ſæpta ſit, vitæ officia tueri. Leges enim non ſunt grauibus, & honeſtis hominibus, ſed leuibus, & flagitioſis impoſitæ. Ridiculum enim eſt, iis dare leges, qui florent opibus ſapientiæ, & ſponte ſua in maximarum virtutum ſtudia incumbunt. Non igitur caſtis, & integris, ſed impuris, & omni genere turpitudinis inquinatis ſcriptæ ſunt, vt petulantiam, auaritiam, & reliquas animi labes vi, minis, atque metu conſtringant, & indomitas cupiditates ſupplicii formidine refrenent. Cum ergo manifeſtum ſit, nullum vmquam populum in officio contineri potuiſſe, niſi fuiſſet legum ſeueritate deuinctus; eaſq. conſtet amentiæ, & furoris coercendi gratia inuentas eſſe: poſſumus de furore, & amentia populi dubitare? Qui quidem, etiam cum eſt omnibus iuris vinculis impeditus, dat magnam ſignificationem temeritatis, motuſq. ratione vacuos, atque turbulentos requirit, &, cum primum vires colligit, omnia repagula iuris effringit. Omnes enim id conantur, vt in eum ſtatum perueniant aliquando, in quo poſſint impune quæuis maleficia committere. Quamdiu igitur inopes, & imbecilles ſunt, metu iudiciorum a flagitio reuocantur, non tamen ſemper. Multi enim, quamuis ſint omni re rum preſidio deſtituti, quietem pati nõ poſſunt, & tætra, & immania facinora moliuntur. Nam cum animus ardet pecuniæ cupiditate, aut inflammatur libidine, aut præceps odio, & iracundia fertur, & ad terrorem legis obdureſcit, nullum eſt tantum flagitium, quod non concipere audeat. Fit enim, ut primum nefaria cupiditas ad facinus impellat: deinde ſpes celandi, & occultandi animum audacia confirmet. Eſt autẽ veriſimile, leges ab initio non nimis aſpera ſupplicia ſceleri ſtatuiſſe: ſed, cum intelligerent Reip. moderatores, maiorem uim habere ſpem utilitatis ad cupiditatem inflammandam, quã pœnæ metum ad reſtinguendam, addebant ſem per aliquid ad animaduerſionis ſeueritatem, ut aliqua tandem ratione uitia comprimerent, do nec per omnia ſupplicia paullatim ad mortem deuentum eſt, qua omnem atrocitatem pœnæ complexi ſunt. Nihil eſt enim multitudini ipſa morte terribilius. Attamen tam effrenata cupiditate plerumque concitatur, vt neque morte propoſita a ſcelere refrenari poſſit. Fieri enim nequit, vt libido ad potiundum temere incitata minis ullis contineri diu ualeat: erumpat enim aliquando neceſſe eſt, & omnia officia uitæ peruertat. Quam cupiant autem omnes populi, e iuris, atque legum cuſtodia emitti, facile ex eo perſpicitur, quod, vt quiſque maxime ſibi populum conciliare uult, ita maxime leges omnes, paullo ſeuerius nefariam libidinem reſcantes, abrogare contendit. Hac enim uia multi opes, & gloriam quæſiuere, atque vt publicæ libertatis cuſtodes omnium ſermone laudati ſunt, cum interim ſapientes, & acuti homines ad inſidias præcauendas, qui iſtis aduerſabantur,

Legum neceſſitas.

φιλαργυρία in republ.

Leges primæ quales.

Morte nihil terribilius.

tur, ſalutare magis, quam iucundum conſilium in medium afferentes, vt communis vtilitatis euerſores de medio tollerentur. Vt enim, qui febri vehementius afflictantur, infeſti ſunt Medicis, remedia ſalutaria quidem, acerba tamẽ adhibentibus: illos autem diligunt, qui gelidam, aut quiduis aliud ſuppeditant, quo febris æſtus aliqua ex parte releuatus, poſtea magis ingraueſcat; ſic populus animo ſemper æger illis inimicus eſt, qui ſeueritate Remp. ſanare cupiunt, & eos amplexatur, qui populum vniuerſum ſpecie vtilitatis illectum, ſint intra breue tempus omnibus bonis euerſuri. Eos enim, qui non recta, & ſalutaria, ſed grata, atque perniciosa ſuadebant, vt Reip. tutores, atque parentes, contra opes diuerſa ſentientium præſidiis publicis armabat, atque tandem in omnium dominatione conſtituebat.

Cõparatio a febri.

Libertas qua via amittatur.

Ita igitur eueniebat, vt immodica libertatis cupiditate libertatem penitus amitteret. Illi enim, qui populi dementia eum gradum honoris aſſequebantur, omnibus, qui vel animi magnitudine, vel ſapientia præſtabant, vel necem, vel exſilium inferebant. Cum igitur ita Remp. propugnatoribus omnino ſpoliaſſent, ſine vllo metu crudeli dominatu populum, qui eum alue rat, opprimebant. Quid eſt autem, quæſo, in terra tyrãnide tetrius? Quid odio maiore dignius? Quid iuri humanæ ſocietatis infeſtius? At omnes ferme tyrannos accepimus dementia, & ſcelere multitudinis natos eſſe, eiuſq. præſidio potentiam corroboraſſe. Nec enim, vt antiquiſſima commemorem, Orthagoras Sicyonius aliã ſibi viam ad tyrannidem muniuit: nec aliis artibus Cypſelus Corinthum occupauit: nec Piſiſtratus alia ratione Athenarum potitus eſt. Quid hic referam Gelonem, Alexandrum, Phalarim, alioſq. innumerabiles, non ſolum in illa antiquitate, ſed Patrum etiam noſtrorum memoria tyrannos inſignes, quos omnes cõſtat populares exſtitiſſe, & populorũ amentia eas opes comparaſſe? Si laudari poteſt tyrannus, laudate populum, qui tyrannos gignere, & alere ſolitus ſemper eſt. Quod ſi tyranni deteſtabiles, & exſecrãdi ſunt, quis populi temeritatem nõ exſecrabitur, quæ tam immania, & importuna monſtra in humanarum rerum perniciem extulerit? Quamuis igitur, vt eo reuertamur vnde digreſſi ſumus, aliquis populus aliquo tempore ſedatus, & quietus eſſe videatur, non quid tunc non agat animaduertendum eſt, ſed quæ ſit eius vis, quæ mens, quæ opinio, quæ voluntas, quid efficeret, ſi fuiſſet legum cuſtodia liberatus, quam ſit infeſtus bonis, atque ſapientibus, quam facilis, atque benignus improbis, quanta poſtremo detrimenta communibus rebus amentia multitudinis inuecta, & importata ſint. Extat querella grauiſſima Solonis elegantiſſimis verſibus conſcripta, quibus deplorat ſuorum ciuium inſaniam, & cupiditatem, qua quidem aſſerit omnes Atticas opes confici, atque conſumi. Nondum opes luxuriam in Græcorum mores inuexerant, quæ homines effeminarent, omneſq. virtutis neruos inciderent: cum iam animaduerteret vir ſapientiſſimus omnem populi impetum ad interitum ſpectare. Cum enim videret potẽtium inſolentiam, & perditorum hominum egeſtatẽ, timebat ea mala, quæ vel propter eximias opes, vel propter eximiam inopiam excitari ſolent, ſtupra, adulteria, intoleranda conuicia, furta, latrocinia, ſacrilegia, deinde ſeditiones, proditiones, clamdeſtina cũ hoſtibus colloquia, atque tandem patriæ totius euerſionem, quæ omnia ſolent omnibus populis accidere. Quod vt melius intelligamus, inſpiciamus a capite aliquam Remp. rerum geſtarum gloria florentiſsimã, qualis exſtiterit eo iam tempore, quo ſeueriore diſciplina fundata eſſe videbatur. Fuit ne populus vmquam populo Romano aut prudentię opinione grauior, aut rebus geſtis illuſtrior? Non prorſus. Ponite nunc ante oculos ſingulas Romanorum ætates, & ea ſcelera, quæ temporibus illius Reip. caſtis, & integris concepta fuere, in memoriam reuocate, vt melius de omni populo iudicare poſſitis. Vt enim facinora Regum ætate nefarie ſuſcepta præteream, poſt exactos Reges populus in duas continuo partes diſtractus, ab externis bellis ad inteſtinam ſeditionem conuerſus eſt. Principes enim id propoſitũ habebant, vt plebi libertatem, & fortunas eriperent. Publica itaque bona demum euertendo, & priuatos homines ſuis exturbando, in poteſtatem ſuam omnia redigebant. Plebs iracundia furens ad nobilitatis imperium exſcindendum, inuidiæ etiam ſtimulis concitata ferebatur. Alteri igitur eos, quorum tutores eſſe debebant, iniuriis grauiſſimis onerabant: alteri in illos, in quorum tutela erant omnes opes Reip. impetum faciebant. Interim potentium hominum cupiditas omnes poſſeſſiones vſurpabat: feneratorum immanitas ciues in neruo deuinctos contumeliis, atque verberibus conficiebat; multitudo tribuniciis furoribus agitata, omne imperium aſpernabatur, vimq. ſummis magiſtratibus inferebat: clamdeſtini, nocturniq. cœtus, & occultæ ciuium coniurationes interitum Reip. denuntiabant. Quid referam illas inſanæ plebis ſeceſſiones, illã nobilitatis in opprimenda plebe contumaciam, illam temeritatem plebis ad affligendam publici conſilii grauitatem inſtructam, & armatã, illam poſtremo odii acerbitatem contra populi commoda in principũ animis inſitam, & penitus inhærentem? Iam in legibus rogandis, aut abrogandis, in tribunorũ intercęſionibus, in obnuntiationibus augurũ; quantæ turbæ commotæ, quantæ cædes etiam interdum factæ? Pauci enim erant, qui ratione aliqua ducti communi vtilitati cõſulerent: multi, qui omnia infima ſummis paria facerent, turbarent, atque coinmiſcerent. Tantũ itaque malum erat populi ſcelere conflatum, vt bellum, quantumuis magnum, atque periculoſum, eſſet ſanis ciuibus optabile, & expetendũ. Nec enim alia ratione poterant diſcordię ſedari, niſi communis

Exemplum adducitur.

Principum immanitas.

Præda ſub honeſti ſpecie.

Vtilitati cõmuni nemo conſuluit.

Tyrannis & temeritas populi idem.

Solonis querella.

Universidad de Deusto
Biblioteca

munis periculi metus animos odio disfidẽtes ad cõmune malum depellendum coniungeret. Hæc erat illa prisca Romanorum disciplina: hoc illud Reip. decus, & ornamentum: hi denique ciuitatis illius sancti, & incorrupti mores. Non hic disputo de immensa luxuria, & auaritia, & reliquis pestibus, quæ post imperium latissime propagatum, & otium terra, atque mari constitutum, incubuerunt ad nominis Romani perniciem. De illa ætate incorrupta priscorum hominum loquor, omnium Græcorum, atque Latinorum scriptis illustrata. Quod si nullus vmquã populus habitus est Romano præstantior, isq. vel eo tempore, quo magis excellere videbatur omnibus virtutis, & industriæ laudibus, fuit infinitis sceleribus inquinatus; quid de reliquis omnibus existimandum est, qui omnia studia vitæ in turpem quæstum, & effrenatam libidinem contulere? Vera est igitur, & sapiens eorum sententia, qui a procuratione populi tamquam a nauigatione maris scopulosi, & infesti fugere præcipiunt. Non immerito itaque Demosthenes, cum Athenis exsularet, & ciuitatis arcem respiceret, flens exclamabat: O Minerua, inquiens, quid tibi venit in mentem tribus feris importunissimis delectari, noctua, dracone, & populo? His quidem verbis ille vir eloquentissimus non modo grauiter, vt debuit, in populũ inuectus est; sed eius etiam naturam, & ingeniũ sapienter explicauit, cum noctua, atque serpente coniungens. Nulla enim noctua sic luce Solis, vt multitudo splendore virtutis offenditur. Nullus draco tam vastus & immanis est, qui sit conferendus cum feritate populi, multiplici lapsu, & impetu furente omnia peruertentis.

Præteritio.

Cõparatio apissima.

Draco fero populo mitior.

II. ERGO, cum hominum opiniones cum eorum moribus, & vita consentiant, ita vt id solũ laudent, quod institutis suis cõuenire viderint, constetq. omnem populum esse magnis furoris, & amentiæ stimulis agitatum, atque virtutis ipsius inimicum; erit quispiam tam sine mente, qui dignitatem aliquam in illius opinione posi tam existimet? qui tam feri, & indomiti animalis motus obseruet? qui multitudinem cæcam, & amentem sibi magistram vitæ constituat? qui denique ad illius infinitam libidinem actiones administret? Quid enim est amentius, quã tam varias, & inanes hominum opiniones intueri? Quid difficilius, quam tam contrariis, & inter se repugnantibus studiis, & cupiditatibus obtemperare? Quid denique miserius, quam popularis offensionis metu dies, atque noctes exanimari? Est enim primum libertas abiicienda, sine qua vera dignitas, quæ tota est in virtute posita, ne intelligi quidem potest. Virtus enim non in populi opinionem, sed in se ipsam intuetur; nec leges accipit, sed potius imponit; nec vllis malis frangi potest, sed est ab omni malorum impetu semper inuicta. Fit itaque, vt, dum miseri homines, dignitatis specie capti, gloriam consectantur, omnia ornamenta veræ dignitatis amittant. Deinde quid absurdius, quam honestatis iudicium committi iudicibus inhonestis, atque totius virtutis ignaris? Semper enim, cum de re aliqua quæstio exoritur, requirimus iudices, qui sint eius rei, quæ vocatur in dubiũ, scientissimi. Si de Philosophia certamen est, summos Philosophos studiose consulimus. Si controuersia aliqua iuris incidit, eorum sequimur auctoritatem, qui optimi Iureconsulti numerantur. Si de rebus ad artem Musicam pertinentibus ambigimus, ad eorũ examen, qui sunt in Musicis valde exercitati, omnia perpendimus. Neque id solum facimus in artibus ingenuis, sed in sordidis etiam, vt ad iudicium artificum excellentiũ omnia referamus. Nihil enim arbitramur indignius, quam velle aliquem de re, cuius vim penitus ignorat, ferre sententiam. Si igitur in omni contentione eorum insolentiã, qui iudicant de rebus, quas numquam cognitione attigerunt, intolerandam censemus: qui cõuenit existimationem multitudinis virtutis expertis, & ignaræ, in virtutis iudicio magnifacere? Quid? in artibus leuissimis iudicum imperitorum audaciam damnamus; rei vero omnium maximæ, atque pulcherrimæ iudicium populari amentiæ committemus? & non quid pauci sapientes, sed quid vulgus imperitum statuat, intuebimur? & quos singulos vt leues, & insanos contemnimus, iis vniuersis tantum auctoritatis tribuemus, vt eorum opinione a turpibus honesta distinguamus? Quid illud? quantum mali est? Nemo enim potest ab omnibus laudari, nisi sit iucundus vniuersis. Nemo autem potest id assequi, nisi seipsum iisdem sceleribus adstringat, quibus vniuersam multitudinem infectam esse videt. Nihil est enim aptius ad amorẽ conciliandum, quam studiorum similitudo. Est igitur illi necesse, qui diligi cupit, vt ineat rationẽ, qua populi cupiditati satisfaciat. Ita efficitur, vt, qui gloriæ seruiunt, non modo sint humiles, & amentes, verum etiam scelerati. Nam populari temeritati ita addictum esse quempiam, vt nihil moliri audeat, quod intellexerit non fore populo iucundum, est extremæ cuiusdam humilitatis: honestatis autem iudicium ad multitudinis arbitrium deferre, singularis stultitiæ: indomitis vero populi cupiditatibus obtemperare, sceleris immanissimi. Est igitur illorũ humilitas contemnenda, & leuitas irridenda, & improbitas exsecranda. Illud autem est valde odiosum, quod, vt quisque maximo animo præditus est, ita maxime opinionis errore gloriam aucupatur: eaq. de caussa omnia vitæ consilia ad populi uoluntatem alliciendam dirigit. Nec enim potest aliter clarus esse, & summos honores adipisci, nisi popularis exsistat. Popularis autem ille est, qui nihil omnino neque dicit, neque facit, quod populo ingratum fore cognouerit. Cum igitur is, qui ualet industria, & ad omnem disciplinam docilis est, animũ suum ad studium multitudinis adiungit, tætra facinora suscipiet.

Honestatis iudiciũ quibus cõmittendum.

Iuris cõtrouersiã quis decidat.

Audacia quãlis quãdo damnetur.

Amor quomodo conciliandus.

Gloria quę odiosa.

QVOD

III. QVOD si solum hebetes, & tardi animi reperentur in istum errorem, non tantum damni fieret. Nam neque si se studio sapientię dicauissent, valde proficere potuissent; neque eorum erratis tam multa detrimenta fuissent rebus cõmunibus importata. Cum autem homines florentes ingenio sic vitam instituunt, vt morem populo gerendum existiment; duplex malũ est. Nam & seipsos priuant illo amplissimo virtutis fructu, quem perciperent, si studia sapientię coluissent, & multo grauiora mala possunt ciuibus suis excellenti industria machinari. Prestans enim naturæ vis perinde est, atque sunt ij mores, & disciplinæ, quibus informatur. Vt enim nihil est Reip. salutarius ingenio excellente, si fuerit honestis artibus excultum; ita nihil Reipub. pestilentius esse potest animo maximo prauis opinionibus imbuto. Ergo, qui populi leuitatem intuebitur, quo maiore industria fuerit, eo erit perniciosior. Populi enim disciplina assuefactus, ingenium suum ad ea flagitia, quę populo cordi esse videt, diligenter exacuet; & in iis conficiendis inter omnes excellet; omniaq. summo studio declinabit, quæ populo suspecta, & inuisa cognoscet.

Malum duplex.

Philosophia spreta.

ATQVE primum, cum Philosophiæ studiũ vulgo spretum, atque contemptum esse videat, numquam is erit, qui magnam vitæ partem in studiis sapientiæ consumendam existimet. Nũquam igitur inuestigabit, quis sit terræ situs, quæ forma, quæ circumscriptio, quæ maris vniuersas terras ambientis species, atq. magnitudo, quæ fontium, & fluminum natura, quam disparia, atque dissimilia genera plantarum, & animãtium. Neque inquiret vmquam, quæ sit origo ventorum, quæ vis fulgurum, & fulminũ, vnde nocturnæ faces flammis coruscantibus, & cometę, quos vulgus esse putat malorum prænũtios, exsistant. Numquam denique iucunditatẽ illam sentiet, quæ percipitur ex admirabili specie, atque pulchritudine siderum, immutabili constantia, certos, & æquabiles motus in omni ætate conseruantium: neque postremo in sui ipsius cognitione studium vllum ponendum arbitrabitur. Quę certe consideratio illum ad sũmum sapientię gradum perducere, ingentique voluptate afficere, & ad summi rerum conditoris amorem incendere potuisset. Sic autem omnibus opibus diuinis affluens, illum beatum statum aslequeretur, qui in cælestium, atque diuinarum rerum cognitione consistit. Ille enim demum est beatus existimandus, cuius mens hoc diuino contemplationis pabulo, quasi quodam nectare, & ambrosia, alitur, atque sustentatur. Quid enim aliud est Deorũ interesse conuiuiis, quam diuinis opibus sapientię, quę quidẽ sunt epulę mentis, & cogitationis, abundare? Nolite enim putare, doctissimos homines fictis fabulis nos in eum errorem inducere voluisse, vt credemus Tantalum, aut Prometheum, aut alium quempiam a Dijs conuiuio splendide, magnificeque ornato acceptos fuisse; sed, cum existimarent, Deorum vitam naturę cognitione contineri, eos, qui in naturę peruestigatione multum operę, & studii consumebant, Deorum conuiuas appellauerunt, quod diuinis Sapientię dapibus alerentur. Felix enim ille habendus est, non qui ingenio ad quęstum & libidinem abutitur, sed qui rerum potuit cognoscere caussas. Qua quidem notitia nihil vtilius, aut humanę naturæ conuenientius inueniri potest. Nam, si natura pulchritudinem amamus; nihil possumus cernere hac tam excellenti mundi specie pulchrius. Si voluptas omnes mortales allicit; nullæ voluptates sunt cum iis, quę mente ex notitia rerum capiuntur, vlla ex parte conferendę. Si tranquillus animi status est ardenter expetendus; nihil est, quod maiorem vim habeat ad constantiam animi comparandam, Is enim, qui diuinarum rerum pulchritudinem amare cœperit, numquam humanarum cupiditate cõcitatus vllum scelus admittet. Deinde, cum sic natura comparatum sit, vt, mores nostros ad imitationem eorum, quos assidue intuemur, effingamus; opus est, vt qui singulari studio in naturę cognitione defixi sunt, cæli magnificentiam, constantiam, & ornatum imitentur; nec aliquid in vita suscipiant, in quod aliqua humilitatis, aut inconstantiæ, aut turpitudinis suspicio conuenire possit. Nam humilitati repugnat amplitudo naturę: inconstantię, rati, & æquabiles astrorum omnium cursus, totiusque naturę cælestis firmitas: turpitudini vero, tam magnifici operis decus, & ornamentum. Ex iis itaque studiis præclarissima efflorescat necesse est pietas, atque iustitia, & reliquę virtutes, quibus humani animi excoluntur, atque ad diuinę mẽtis similitudinem accedunt. His igitur tantis, tamque diuinis honestatis fructibus, qui ex studio sapientię constant, carebit is, qui gloriam expetendã censet. Necesse est enim, si in vulgus cõmendari cupit, vt seipsum ab eo studio seiungat, quod vulgo despici, atq. cõtemni perspicit.

Philosophiæ ignarus nihil obseruat.

Felix quis.

Integer a scelere quis futurus.

Virtutũ repugnantia.

Artes vulgus despiciunt.

QVI quidem si, multitudinis opinionem despiciens, animũ suum summis artibus excoluisset, quam facile contemneret omnes istas insanias populares? Nec enim cõuenit, animum incredibili celeritate cælum, terras, atque maria perlustrantem, aut glorię celebritatem angustis terrę finibus, exiguoque tẽporis spatio circumscriptã exquirere, aut ignobilitatẽ vt maximum malum extimescere. Omnis enim glorię splendor exiguis regionibus cõtinetur, & intra breue tempus exstinguitur. Et, quamuis in omnes nationes effundi, atque in ætatem longissimam propagari potuisset, illi tamẽ, qui per infinitam cęlestiũ regionum magnitudinẽ animo peregrinatur, & cui ęternitatẽ considerat, nihil magnũ esse potest, q̃ sit terrę angustiis inclusum, & aliquando tandẽ vetustate cõsumendũ. Omnis enim humanarũ rerũ memoria necesse est tandem obscuretur, & euanescat, & obliuione sẽpiterna deleatur. Quod si veritas ad sapiẽtium normam dirigenda est, constatque sapien

Memoria humanorũ mortalis.

Fabularum refutatio.

G tes

Universidad de Deusto
Biblioteca

tes homines gloriam paruipẽdere; quid causſæ
eſt, cur gloriam expetamus? Nec enim vlla re
clarius ſe ſapientia ſolet indicare, quam gloriæ
contẽptione. Qui enim ambitione diſtricti, ho-
minum rumuſculos intuentur, aperte declarant
nondum ſe mentis aciem in naturæ magnificen
tiam intendiſſe.

VI. Illud deinde naturæ iudicium num eſt parui
ducendum? Omnes enim, qui gloriæ cauſſa ad
res gerendas impelluntur, eam cupiditatem oc
cultant, atque diſſimulant, ſeque finem alium
ſibi propoſuiſſe profitentur. In quo facile iudi-
cant, ineſſe in gloriæ cupiditate inſignem ali-
quam fœditatem. Non enim, quod amplum, &
honeſtum eſſe ſtatuunt, ab hominum conſpectu
remouendum cenſent; ſed potius enituntur, vt
id in omnium oculis ponant, atque conſtitu-
ant. Cum ergo illi, qui nondum ſenſum omnem
amiſerunt, gloriæ cupiditatem in hominũ con-
uentu profiteri non audeant, nonne aperte indi
Gloria quæ turpis. cãt, eam eſſe inſigni turpitudini affinem? Quod
ſi cupiditas gloriæ turpis eſt, & ipſa gloria tur-
pis habenda eſt: neque enim ea res honeſta eſt
exiſtimanda, cuius appetitum inhoneſtum eſ-
ſe conſtat; nec mirandum eſt eos etiam, qui
omnia referunt ad nominis claritatem, qui po-
puli famam, vt rem omnium præclariſſimam,
ſibi proponant, natura admonitos ſentire hu-
ius inſanæ cupiditatis turpitudinem. Eſt enim
tum peſtilens, & exitioſa, tum inſatiabilis, &
infinita: nempe cuius nec ardor vllo modo re-
ſtingui, nec impetus vlla ratione coerceri po-
teſt. Nec modo ſingulos homines amentes, &
inſanos effiçit, ſed vniuerſam Rempublicam
exagitat, & omnia ſocietatis humanæ iura per-
uertit. Ex illa enim, acerbiſſima odia, turbulen-
Odia vnde. tiſſimæ ſeditiones, tæterrima bella naſcuntur.
Reliquæ deinde cupiditates pacem plerumque
& otium expetunt, vt iis rebus potiantur, quæ
in bello obtineri nequeunt: at hæc vna quietem
publicam pati nõ poteſt, nec aliud optat, quam
patriæ procellam, & tempeſtatem, rerumque
omnium confuſionem. Poſtremo ſingula vitia
ſingulis virtutibus aduerſantur, libido tempe-
rantiæ, frugalitati luxuria, liberalitati auari-
tia: at hoc vnum in omnes virtutes cæco impe-
tu incurrit, omnemque ſplendorem decoris, &
honeſtatis exſtinguit.

VII. Prudentiæ definitio. ATQVE in primis, quam ſit contrarium
prudentiæ, videamus. Eſt enim Prudentia recta
ratio, lumen quoddam animo præferens, quid
fugiendum, aut ſequendum ſit, ſine vllo errore
præſcribens. Hoc tamen lumen is habere non
poteſt, qui multitudinem inſanam, atque de-
mentem ſequitur, & in omni officio ſeſe ad eius
libidinem accommodat. Qui autem gloriæ ſer-
uiunt, vt demonſtrauimus, multitudini, & a-
mentiæ multitudinis addicti ſunt. In aura enim
populari dignitatem omnem cõſtituunt. Quare
neceſſe eſt, vt in eaſdem tenebras incurrant:
videmus enim eos, qui ſemper aliquid noui in
Republica moliũtur, & quietæ ciuitatis ſtatum
ſolicitant, magnos, atque claros exiſtimari; qui
vero bonum, & æquum populi rumoribus ante-
ponunt, in obſcuritate latere. Sic enim eſt amẽs
multitudo, vt turbulentos homines, pernicieq.
rebus communibus afferentes, laudibus in cæ-
lum tollat; ſalutares autem ciues, communi pa- Ciues ſalu tares.
ci, & otio conſulentes, ne homines quidem exi-
ſtimet. Quid autem amentius Hectore? Cum
enim illum hortaretur Polydamas, ne temere
cum Achille conſligeret, ſed reciperet ſe intra
mœnia, vnde hoſtium impetum ſine vllo perи-
culo propulſaret, conſilium illud ſpernens, ſe,
parentes, & patriam funditus euertit. Videmus tamen illum viribus ſuis ſtultiſsime præ-
fidentem, diuinis laudibus ab exercitu affectũ:
Polydamantem vero patriæ ſapientiſsime con
ſulentem, indigno conuicio iactatum. Quis au- Imitationis cupiditas.
tem, vt fabulas omittamus, ex iis, qui gloriam
amant, non ſe mallet Hannibalis, quam Hanno-
nis eſſe ſimilem? cum alterum videat eximiis
laudibus efferri; alterum vix a quopiam nomi-
nari? atqui Hannonis conſilio potuiſſet Car-
thago diutiſsime permanere; Hannibalis au-
tem amentia omnes opes Carthaginis exciſæ
ſunt. Infinitis exemplis e Græca, & Latina hiſto
ria ſumptis poterit confirmari, quam ſit ſtu-
dium gloriæ prudentiæ aduerſarium. Sed mi-
nime neceſſe eſt: quotidie enim videmus eos,
qui ciues ad inutilia bella ſolicitant, qui teme-
raria, & periculoſa conſilia ſanis, & tutis ante-
ponunt, quorum animi sũt ſtimulis quibuſdam
amentiæ concitati ad facinus obeundum, in
oculis ciuium eſſe, & vt viros acres, & animo-
ſos omnium ſermone celebrari: contra vero,
qui ciuitatis otio conſulunt, & longe in poſte-
rum conſilio ſuo Reipublicæ incolumitati pro-
ſpiciunt, ignauos haberi. Iam, ipſam gloriam
tantopere colendam putare, quantæ tandem eſt
imprudentiæ, atque leuitatis argumentum?
Neque enim quidquam fingi poteſt leuius, aut Exiſtimatio populi vana.
commutabilius, populi exiſtimatione, atque vo
luntate. Sæpe enim pertenui quadam ſuſpicio-
ne, ſæpe ſermone non certis auctoribus diſſipa-
to, non raro inuidia ex alicuius hominis egre-
gii dignitate concepta, eos, quos antea laudi-
bus affecerant, attrociter inſequuntur, eorumq.
nomini notam nefariæ turpitudinis inurunt,
quos paullo ante in cælum extulerant. Cum igi
tur tanta ſit in gloria leuitas, & inconſtantia, Leuitas in gloria.
is certe, qui contra omnia cæci caſus tormenta
ſe gloriæ præſidio præclare ſæptum, atque mu-
nitum eſſe ſtatuit, ſtultus, & demens eſt exiſti-
mandus. Ille tamen longe dementior, qui, vi-
dens, quam infirma ſint omnia egregiæ famæ
propugnacula, omnia tamen illius cauſſa ſibi fa
cienda putat. Vtrumque igitur nimis alienum
eſt a prudentis ſententia, & grauitate, & ea præ
clara ducere, quæ ſunt inania, &, quæ ſentit
eſſe inutilia, ardenti ſtudio conſectari. De- Laus vnde petenda.
nique, qui fieri poteſt, vt vir excellenti ingenio
præditus, neque ſolum longo rerum vſu, ſed
omnium gentium monumentis inſtructus,
qui

qui populorum, atque Regum illuſtrium im-
peria, & res geſtas cognouerit, & totius ætatis
conſequentis ordinem diuina mente perſpexe-
rit, laudem a paucisſimis hominibus, iiſq. im-
peritisſimis magno ſtudio petendam arbitre-
tur? Quantula enim eſt iſta hominum multi-
tudo, apud quam laudari poſſumus, ſi ad omnes
homines, qui vniuerſam terram incolunt, ſi
etiam ad illorum, qui fuerunt, poſteaue naſcen
tur, numerum conferantur? Fieri ergo non po-
teſt, vt vir omni prudentia cumulatus, gloriam,
cum exiguis terrarum finibus circumſcribatur,
& breui temporis ſpatio terminetur, & poſtre-
mo in leuitatis opinione ſita ſit, non contemnat,
Prudens vn de ſtultus. atque deſpiciat. Quod ſi quis iſta cupiditate nõ
vacauerit, quamuis prudentiæ nomen habeat,
imprudentisſimus eſt habendus. Satis enim in-
dicat, ſe parum inſtructum, & ornatum eſſe illis
rebus, quæ prudentiam efficiunt, cum id appe-
tit, quod præ illarum ſplendore erat valde con-
temnendum. Cum igitur exploratum ſit, gloriã
ſitam eſſe in opinione populari, quæ quidẽ ſem-
per eſt comes ſtultitiæ, atque temeritatis; ni-
hilq. minus conuenire prudentis hominis grau
tati, quam id appetere, quod eſt Reip. pernicio
ſum, & ſapientis amplitudine nimis indignum;
nihil magis perſpicuum eſſe poteſt, quam glo-
riæ cupiditatem prudentiæ repugnare.

IIX. Gloriæ con trarium. SI autem cupiditas gloriæ prudentię aduer
ſatur, & prudentia virtutem omnem continet;
is, quem ſtudium gloriæ ſolicitat, virtute omni
carebit. Primum enim neceſſe eſt, vt humanæ
ſocietatis iura violet. Videmus enim vulgo de-
ſpici ſimplices, & apertos homines, nihil per
vim, aut fraudem gerentes, ſed iuſtitiam, atque
pietatem ſtudioſe colentes. Eos quamuis pleri-
que bonos viros eſſe fateantur, ciues tamen nul
lo numero habent. Vxores autem calamitatem
ſuam deplorant, quod datæ ſint in matrimoniũ
ignauis hominibus, quibus neque ſtudium ſit
patrimonium augere, neque opes malis artibus
amplificare. Serui moleſte ferunt, ſe dominos
imbelles, & nulla induſtria præditos habere.
His autem ſermonibus incitati liberi, dictitant
ſe nulla ratione parentum veſtigiis ingreſſuros,
ſed, vbi primum adoleuerint, operam daturos,
Innocentia vt in Rep. dominentur. Nihil eſt igitur ad opi-
nionem multitudinis humilius innocentia: nem
pe quam cõtemnunt ciues, exſecrantur vxores,
ſerui deſpiciunt, liberi ſumma contentione fu-
giendam eſſe cenſent. Omnes enim exiſtimant,
eos, qui leges ſanctas habent, & æquitate omnia
metiuntur, non conſilio, ſed imbecillitate ab in-
iuria abſtinere: & eũ, qui impunitate propoſita
non contendit, vt per ſcelus etiam nefarium ad
ſummum honoris gradum adſcendat, hominem
Ratio augẽ di nominis falſa. abiecti animi, aut amentem iudicant. Hanc igi
tur vnam rationem augendi nominis, & gloriæ
comparandæ plerique putant, quæ in vi, & au-
dacia conſiſtit. Dum enim vident, eos, qui leges
obſeruant, a multitudine contemni; non modo
ciuilia iura, ſed illud etiam ius naturæ lege ſan
citũ incredibili audacia conculcant. Neq. enim
poſſunt illum ſtatum aſſequi, quem ſibi propo-
nunt, quamdiu æquo iure cum ciuibus ſuis cõ-
tenti fuerint. Quantum igitur in illis eſt, ea
omnia conuellunt, quæ cupiditati ſuæ obſtare
vident, nempe leges, iudicia, conſilium publi-
cum, & omnem denique conſtituendæ Reip.
rationem. Quid enim attinet hic commemo- Gloria im peratorum.
rare, quantam cladem rebus humanis inuexe-
rit, vt alios innumerabiles omittam, Imperа-
torum gloria? quantam cædem, incendium,
vaſtitatem orbi terrarum intulerit? quantas
furor hic immanis in omnibus regnis, & impe
riosis populis ſtrages ediderit? Sunt enim hæc
adeo perſpicua, vt oratione nullius indigeant.
Nec per ſe ſolum eſt ambitio, & laudis effrena
ta libido peſtilens & exitioſa; ſed auaritiam, &
ſimiles rerum humanarum peſtes effundit. Qui
enim principes eſſe cupiunt, omnes auaritia
immani ſunt. Partim enim exiſtimant valde
pertinere ad dignitatis amplitudinem, ſplen-
didi cultus elegantiam, partim ad gratifican-
di voluntatem, & multitudinem infinita lar-
gitione deleniendam opes ſummo ſtudio com-
parandas eſſe ducunt. Omnes itaque, qui no- Pecuniæ cupiditas maxi gni æſtima atur.
minis claritatem amant, ita pecuniæ ſtudent,
vt eam omnibus rectis artibus anteponant.
Qui quidem, ſi in gloria ineſſet aliquod bonum,
atque natura expetendum, cum alienum appe-
terent, & iura violarent, potuiſſent ſe non in-
honeſta ratione defendere.

HIC ego ridens, Te quidem, inquam, eo-
rum cauſſam agentem ſane libenter audirem.
Non quod diffidam poſſe te, modo velis, om-
nia crimina quantumuis tætra, & capitalia
diluere. Eſt enim ingenioſi Iuriſconſulti, per-
ditam litem, omniq. iuris præſidio deſtitutam
ſuperiorem efficere, & ad clientis vtilitatem
leges omnes interpretari. Quamuis igitur non
dubitem, te facile poſſe facinoroſos homines
crimine omni liberare; cupio tamen acumen
iſtud ex artificio veſtro depromptum propius
intueri.

OBLITVS es, inquit ille, me hodie Iuriſconſulti perſonam depoſuiſſe? Non eſt Iureconſul tus arte ex ſuitur.
igitur, cur tibi inſidias fieri ſuſpiceris. Om-
nem namque artem, qua, vt inquis, cauſſam
e manibus aduerſariorum, cum volumus, ex-
torquemus, a noſtra diſputatione remouebo.
Alibi igitur cenſeo tibi caueas. Hic enim ni-
hil erit veteratorium, aut malitioſe comparа-
tum ad fraudem inferendam. Vere itaque, &
ſimplici animo patrocinium eorum ſuſcipe-
rem, qui laudis cupiditate contra ius opes
ſuas amplificant, ſi conſtaret, gloriam eſſe
rem præclaram, & expetendam. Non tamen
tu fortaſſe mihi ſuccenſeas, ſi illos defendam,
ſi ad me accedant. Ipſi pro ſe cauſſam dicent.
Finge igitur ſic tecum loqui homines claros,
honoris, & laudes appetentes.

NOS, inquient ii, certe ſumus, qui omnia vi
tæ conſilia ad gloriam, & honorem referamus:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sudor & labores inglo ria adipiscenda.

ignobilitatē, & humilitatem in extremis malis numeremus: & nihil esse ducamus præclarum, & excellens, nisi quod ad famæ celebritatem dirigatur. Quocirca nullum laborem fugere, nullum periculū recusare in hoc studio debemus: nec nobis indignum aliquid putare, quod nos ab obscuritate vindicet in hominum lucem, & claritatem. Neque enim vllum tantum malum opinione nostra fingi potest, quod sit cum obscuritate, & contemptione aliqua ex parte conferendum. Posses ne tu, qui gloriam laudas, tam honestum orationis principium vituperare? Minime, inquam. Nunc igitur, inquit, attende, qua ratione hoc iacto fundamento defensionem instituerent.

Dignitas cū opibus tollitur.

CVM igitur, inquient, omnia ad nominis amplitudinem dirigamus, consentaneum est, vt ea studia persequamur, quæ gloriam pariant; ea vero deseramus, quæ apud omnes improbantur. Videmus autem, homines, iustitiam, & æquitatem obseruantes, propter inopiam vulgo contemni; eos autem, qui opibus abundant, quamuis iniustissimi sint, erectos, & alacres, magnaq. famulorum antecedentium, atque sequentium turba constipatos incedere. Hi ad Reip. consilium adhibentur: illis honores deferuntur: eos omnes mortales intuentur, cum ob vitæ magnificentiam, tum quia sperant, eos tantum posse publicam salutem, atque dignitatem tueri, quibus amplissimæ fortunæ fuerint. Quantum autem instrumentum in pecunia sit ad dignitatē, non solum vitæ communis exemplis, sed etiam prudentissimorum hominum auctoritate confirmari potest. Illi enim primi vrbium conditores, atque rectores, qui sempiternæ memoriæ commendati sunt, sic initio statuerunt, vt tantū loci quisque haberet in ciuitate, quantum illi pecuniarum esset. Censibus enim constitutis, omniq. populo in certas classes pro pecuniæ ratione distributo, penes eosdem honores summi fuere, qui summis opibus affluebant. Ita igitur factum est, vt egentibus a Reip. moderatione delectis, diuites, atque beati res communes administrarent. Hic autem mos omnium gentium consensu confirmatus est. Quære Hispaniæ tuæ monumenta, & reperies Hispaniæ primarios viros diuites homines appellatos fuisse. Sic enim passim legimus; reges, quoties de rebus ad Rei publicæ summam pertinentibus consultare voluissent, diuites homines euocasse, vt eorū ope, & consilio, vel bellū, vel pacem facerent. Nomine autem diuitum satis constat principes intelligi, qui quidē, vt ex nomine apparet, nō tam virtute, & industria, quam opibus, & facultatibus ad illum principem locum adscenderunt, & nobilem stirpem in multa sęcula propagarūt. Hæc cum ornatius, & copiosius explicarent, tum illā nobilitatis ciuilis rationem a te duobus libris constitutam euerterent, ostendentes quam parum sit firmitatis, & roboris in virtute ad posteritatem nobilitandam, nisi opes adhibeas, quæ solæ complures familias illustres, & nobiles effecerunt: id autē demonstrarent, in singulis nobilium familiis perspicuum facientes, eas omnes ex opibus singulari diligentia partis originem duxisse; atque tantisper dignitatem retenturas, dum incolumes fortunæ permanserint. Hæc igitur cum verbis illustribus, & acutis sententiis disseruissent, tum ita fortasse concluderent. Ergo, cum tanta momenta sint in diuitiis ad gloriam comparandam, cum omnes aditus ad honores, ad imperia, ad generis nobilitatem, qui sunt sæpenumero virtutibus intercluſi, magnitudini pecuniarum aperti sint; & nos vitam sine dignitate mortis instar putemus; possumus ne pecuniā aliqua ratione contemnere? Non prorsus, inquient. Aut enim diuitiæ nobis omni studio quærendæ sunt ad nominis claritatem, aut gloriæ studium omnino deserendum. Nihil est enim gloria sumptuosius, quam vel minima illi beralitatis suspicio frequenter obscurat. Sunt enim in vitæ cultu immanes quidem sumptus faciendi: sunt hospitibus cōuiuia splendida, atque magnifice comparanda: est amplissima familia semper alenda: sunt multi mortales muneribus alliciendi: sunt postremo multa ad vniuersi populi voluptatem, atque plausum referenda. Qui autem existimat, se iuris æquitati obtemperando hos tantos, & tam multis in locis sumptus facere posse, est omni sensuum auxilio destitutus, atque vitæ cōmunis ignarus. Qui enim iustitia par esse voluerit, numquā opibus, & potentia superior esse poterit. Est igitur necesse, si velimus illorum vestigiis insistere, qui nomen suum immortalitati consecrauerunt, qualis fuit C. Cæsar, & Cn. Pompeius, & alii huius generis innumerabiles, factis illustres, & vitæ splendore magnifici, vt multa contra iuris præscripta moliamur: vt prędam ex priuatorū bonis faciamus: vt publica depopulemur: vt nullam occasionem patrimonii contra fas augendi prætermittamus. Neque est, cur nos vlla iuris ratio perturbet: si enim esset aliqua constans, & certa iuris descriptio, non tanta esset contentio armorum propter controuersiam iuris excitata. Omnes enim, qui sumunt arma, ius suum persequi dicunt: eiusdemq. defensio partem vtramque ad hostilem dissensionem sollicitat. Vnde facile apparet, cum reliqua omnia sint dubia, & controuersa, hoc vnum ius certum esse, communiq. gentium more comprobatum, vt legum æquabilitas locum tantum habeat in iis, qui fortuna sunt, & condicione pares; qui vero potentia præstant, omnia, quæ viribus occupare poterunt, obtineant, illisq. cedant imbecilliores, & ita tandē omnia ad eos, qui sunt in summo loco collocati, deferantur. Pareant igitur istis legibus, qui imbecillo animo sunt, vitamq. in humilitate ducere, & contumeliam pati possunt. Nobis vero, qui propter altitudinem animi nihil! vmquam abiectum, & humile cogitauimus, indignum est vlla legum formidine conturbari. Quid? Nos, cū ad decus nati, & instituti simus, & ad excellentem

Gloria sum ptuosius nihil.

Iustos pauperes vulgo despicit.

Pecunia auget dignitatem.

Imitatio aliorum quo modo fiat.

Pauperes nō euehuntur ad clauum Reip.

Armorum contentio vnde.

Diuites vbi cōsuluntur.

Legibus quo modo parēdum.

tem gloriæ formam amplectendam ardenter incitati, cum tantum opibus, ac dignitate valeamus, æquo iure cum infima plebe viuemus? & eadem iuris societate deuincti cum iis erimus, quos tanto interuallo superamus? & æquo animo cum abiecta, & contempta multitudine cōmercium iuris habebimus? Non profecto vlla condicione tantam indignitatē patiemur. Omnia potius iura violabimus, & vniuersæ Patriæ statum conuellemus, quam tantum dedecus admittamus. Hæc si dicerent homines clari, atque nobiles, venitne tibi in mentem, qua nam ratione posses eorum sententiam refutare? præsertim cum demonstrarent, se eorum exemplum sequi, qui sempiternæ memoriæ propter factorū excellentiam commendati sunt?

Dedecus summopere fugiendum.

NON ita quidem facile, inquam. Neque enim facile est dicere contra homines non modo potentes, verum etiam acres, atque ad dicendum paratos, nisi sumpto prius spatio ad confirmationem animi, atque diligentissimam commentationem.

HIC METELLVS, Quam isti diserti, inquit, sint, nescio: hoc vnum scio, illorum orationem ad tyrannidem spectare. Fieri enim non potest, quin ea animi furentis elatio patriam opprimat, vbi primum vires nacta fuerit.

Iustis clarū nomē raro contingit.

VERVM id quidem est, inquit Augustinus. Attamen id mihi facile probant, non posse eos clarum in Rep. nomen adipisci, qui iustitiā colunt: suntq. magis ad accipiendam iniuriam, vt recta ratio postulat, quam ad inferendam parati. Sic enim est amens, & cæca multitudo, vt eos pro nihilo ducat, qui manus a scelere cōtinent: eos vero, qui iura omnia conculcant, laudibus exornet. Hoc igitur multos mortales ad omne nefarium facinus impellit, vt ex scelere laudem aucupentur. Fit ita que, vt gloriæ cupiditas non solum propter bonorum contentionem, sed etiā quia est cum anaritia, & luxuria coniuncta, omnia diuina, & humana iura violet, atque tyrannides vbique constituat. Huc enim erumpat ali quando laudis appetitio, necesse est. Videmus enim eos egregiis laudibus efferri, qui tætri, & immanes in patriā exsistunt. Quanta enim prædicatione celebrantur ii veteres, qui non contenti priuata viuendi ratione, tyrannidem occupauere? Quin etiam patrum memoria multi, quos minime necesse est nominare, egregiā laudem consecuti sunt, tætra & crudelia facinora suscipiendo, multaq. contra publicam salutem, & vniuersæ Reipubl. libertatem moliendo. Hac enim ratione summis honoribus vsi, & in ciuitatibus suis dominati sunt. Quid imperiosi populi? Quid reges illustres? Alia ne ratione sibi gloriam pepererunt, quam gentium iura violando, & iniustissima bella finitimis populis inferendo? Cum enim summi principes animaduertāt, nō alia via posse clarius, & amplius nomen adipisci, quasi communes hostes generis humani, omnibus, quos opprimere possunt, infesti sunt. Hac igitur libidine furentes, causam aliquam dictu speciosam prætendunt, vt non sine ratione videantur aliis regibus aut populis perniciem afferre. Primo igitur tenuiores inuadunt: deinde accessione victarum gentium duplicatis viribus potentiores adoriuntur. Iam si vident vicinos atteri seditionibus, ad discordiarum euentum, tamquam ad certissimam prædam, attenti sunt. Sperant enim fore, vt altera pars illis supplicatum pro auxilio veniat, & hac via credunt ita se posse victis subsidio occurrere, vt tam victos, quam victores libertate spolient, aut certe partem vtramque mutuis vulneribus confectam aggredi cogitant. His artibus Assyrię principes imperium auxerunt. Iisdem Persæ, & Medirerum potiti sunt. Hac ratione Athenienses in socios tyrannidem comparauere. Eadem etiam via Lacedæmonii socios oppresserunt. Quid de Philippo dicam? qui partim vi, partim dolis, & fraudibus vniuersam Græciam subiugauit? Filius autem illius Alexander, cum orbem terrarum iniustis armis peragraret, & innumerabiles nationes, a quibus numquam læsus fuerat, euerteret, nominis sui gloria omnes mundi regiones impleuit. Qui si ab iniuria abstinuisset, ne tenuis quidem illius fama ad nos vsque permanasset. Romanos autem, quis non videt ambitione præcipites omnia bella quæsiuisse, iugumq. omnibus terris imposuisse? Apud quos disputabat Carneades, omnes opes, quas habebant, illis dimittendas esse, si vellent iuris humani præscriptis obtemperare. Sed quid opus est in rebus adeo perspicuis multis exemplis vti? Parum ne liquet, omnes ferme, qui ardentes gloriæ cupiditate in rerum bellicarum studium incubuere, nullam rationem iuris habuisse? Scitum est igitur illud Antigoni dictum, Sophistæ cuidam librum de iustitia inscriptum illi offerenti, Nugaris, inquit, cum apud me de iustitia disseras, quem vides armis alienas vrbes inuadentē. Intelligebat enim Rex acutissimus, eum, qui ditionis augendæ, & gloriæ parandæ gratia bella sumit, intra regiones officii contineri nō posse. Inde adeo factum est, vt nullus vmquam Rex Iusti cognomen assumpserit: cum enim alii Vrbium expugnatores, alii Aquilæ, alii Fulmina appellarentur, permulti etiam Inuicti cognomine gauderent, neminem umquam in omni memoria ætatum, temporum, regionum accepimus, qui se iustum appellari uehementer expeteret. Quæretis autem fortasse, quæ tanta illos amentia uexaret, ut sese titulis uim, & impetum significantibus efferrent? Iustitiæ uero nomen, quo nullum est magis regio muneri consentaneum, omnino despicerent? Quia uidebant eos, quos æquitas, & continentia delectabat, uulgo contemni: qui autem uiribus ad iniuriam utebantur, consentienti omnium laude celebrari. Quod si nihil est hominū

Scelera vnde oriātur.

Laudem veteres vnde adepti.

Via subigēdi populos.

Græciā Philippus subiugauit.

Belli tempore iura silēt

Iustitiæ nomen quale.

Universidad de Deusto
Biblioteca

opinione clarius industria militari: & constat omnes ferme, qui gloriam armis assecuti sunt, iniustos, & humano generi infestos exstitisse; relinquitur, nihil magis pugnare cum iustitia, quã gloriæ cupiditatem. Hæc enim, vt dictum est, propter bonorum contentionem, intestina bella concitat, patriamq. omni crudelitate lacerat, multisq. vulneribus impositis tandẽ exstinguit. Nulla denique tanta iniuria est, quę non habeat ortum e gloriæ cupiditate.

IX. Fortitudinis tractatio.

NVNC, si lubet, fortitudinem videamus.

PERGE, inquam: hic enim audire cupio quid sentias.

PRIMVM, inquit, est euellendus error omnium animis insitus. Opinantur enim nihil esse, quod magis accendat animum ad egregiæ virtutis studium, quam eximiæ nobilitatis desiderium. Hoc autem euenit, quia parum acute vident, quantum intersit inter virtutem, & audaciam; & quantum ab animi magnitudine furor, & amentia differat. Nam, si omnes, qui quacumq. de caussa sese intrepide in armorum discrimen inferunt, fortes appellandi sunt; cur nõ omnes sicarios, & gladiatores multũ in sanguine & cæde versatos fortes appellamus? Fit enim persæpe, vt maiora facinora edant in turba perditi homines, quam in prœlio pro patria inito viri virtute præstantes. Quid est igitur, quo virtus ab audacia, & temeritate præcipiti distinguatur? Primum quidem rectæ rationis imperium, sine quo nulla mentis affectio poterit ad virtutis amplitudinem pertinere. Quos enim non ratio impellit, sed furor exagitat ad pericula subeunda, non modo parum fortes, sed ne homines quidem habendi sunt. Cur enim hac eximia laude non leones, & pantheras, in quibus natura incredibile robur inseuit, ornaremus, si virtus aliqua posset sine lumine rationis aliquo modo consistere? Tum demum igitur exsisset illud animi robur inuictum, tunc eminebit illa virtutis præstantia, quam excellentem, atq. pæne diuinam arbitramur, cum ratio imperiũ tenuerit, atque pro dignitate præscripserit, quæ sunt tamquam tætra, nefaria, & infesta impetu repellenda. Est enim hoc viri fortis officium, vt, cum honestatem ratione duce perspexerit, eam omnibus vitæ commodis anteponat, illiusq. retinendæ caussa mortem libenter occumbat. Et, quemadmodum in Rep. bene constituta omnes leges sunt in armorum tutela; sic etiam in bene moratis animis omnia iustitiæ præscripta fortitudinis præsidio muniũtur. Exsistunt enim e corpore immanes iracundiæ, nefariæ cupiditates, & timores horribiles, qui menti tenebras offundunt, eamq. de gradu deiiciunt. Fuit igitur necessaria ad firmissimam iustitiæ custodiã quædam altitudo animi, mortem, atque dolorem negligentis, omnesq. turbidos motus, qui cæco impetu rationis arcem oppugnant, acerrime propulsantis. Est itaque fortitudinis munus, cum illud commune omnium virtutum, vt rationi obtemperet; tum illud præcipuum, vt iuris æqui tatem diuina constantia tueatur. Ergo, si fortitudo semper rectæ rationi paret, & pro iustitiæ sanctitate pugnat, illi, qui se totos effingunt ad temerariæ multitudinis opinionem, & iniuriis quamplurimis vniuersum genus humanum vexant, quo modo tandem poterunt ad fortitudinis excellentiam adspirare? Eos enim, vt ante disputatum est, a multitudine laudari eximie videmus, quorum viribus, & potentia fuerit omne lumen æquitatis exstinctum. Quid igitur? illi ne tam claræ virtutis nomen assecuti merito videntur, qui dominandi libidine aut patriã oppresserunt, aut aliis gentibus, a quibus læsi num quam fuerant, libertatem eripuerunt, multosq. mortales bonis omnibus euerterunt? Cur enim sicarii, atque latrones infamiam vllam suscipererent, si isti verum decus sibi conciliare possunt? Neque enim sunt minus, quam latrones, atque piratæ, generi hominum pestilentes: immo quo maiores opes habẽt, eo maiores calamitates rebus humanis inferunt. Ex hoc autẽ genere sunt illi Imperatores, quorum paullo ante fecimus mentionem, quos imperita multitudo tãtis laudibus affecit, vt eos propemodum in Deorum numero collocaret. Qui quidem tantũ abest, vt fortes habendi sint, vt etiam in summa imbecillitatis turpitudine volutentur. Qui enim fortis est, idem est magnanimus: qui autem est magnanimus, animo excelso & alto, humanaq. omnia contemnente præditus est. Sed, qui gloriæ studet, humana despicere non potest, cum in popularibus ornamẽtis omne decus vitæ constituat. Efficitur itaque, vt, qui gloriæ seruit, numquam splendorem veræ fortitudinis assequatur. Fortitudini enim semper aduersatur animi infractio, atque demissio. Qui autem ex plausu populi dignitatem quærit, vt sit populo supplex, & obnoxius, opus est. Præterea, si magnitudo animi seruitutem pati non potest, qua ratione illum magnanimum appellabis, qui se populo in turpissimam seruitutem addixit? Nec enim vllo modo is liber dicendus est, qui se plebi indigne submittit; qui ad multitudinis nutum se totum accommodat; qui omnes infamię rumusculos extimescit; cuius omnia facta, dicta, cogitata ad aurã popularem referuntur. Quod si constat omnes virtutes esse inter se nexas, atque iugatas, fortitudinemq. esse quandam animi elationem, ab omnibus timoribus inuictam, ad alta, & ardua incitatam, infima vero contemnentem; relinquitur plane istam insanæ mentis affectionem, quæ se fortitudinis imitatricem esse vult, cum omni virtuti repugnet, & ad populi auram captandam tam cæco impetu rapiatur, immanitatem potius, atque leuitatem, quam virtutem nominandam esse.

Virtus ab audacia differt.

Iustitiæ custodia qui sit.

Vulgꝰ quos laudet.

Sicarii, & latrones.

Virtutes cõiunctæ omnes.

NVNC vltimo loco videamus, quam parũ cum temperantia, & moderatione gloria conueniat. Cum enim constet, non posse gloriæ cupiditatẽ cum aliquo virtutis genere simul habitare, tum hoc vel maxime cernitur in animi tranquilli, atq. sedati cõstantia. Multi enim tyranni sapien-

X.

sapientiæ laudem adepti sunt: multi simili ratione falsam iustitiæ personam induere: multi etiam fallaci virtutis imagine famã egregiam consecuti sunt: Animi autem moderationem nemo vmquam flagitiosus, & improbus potuit imitari. Habet quidem prudentia acumen ad mala præcauenda: id tamen sibi malitiosa calliditas assumit. Est iustitia clemens, atque benigna: eãdem vero laudem multi largitione, & falaci specie liberalitatis adepti sunt. Inest in fortitudine incredibilis quædam animi elatio: at huius elationis similitudinem in hominibus audacissimis, & improbissimis plerumque cernimus. Temperantia vero, cum totius honesti formam habeat expletam, & cumulatam, nempe quæ ab vniuersæ virtutis cõsensione, sapientiæq. muneribus exsistat, & in animi placida, & quieta constantia sita sit; nihil relinquit insipientibus, quod aut cupiant, aut possint assimilare. Quemadmodum enim magna tẽpestas, ventis vehementissimis excitata, nihil habet commune cum tranquillitate: ita nec in insipientis animo variis perturbationibus tamquam fluctibus agitato, cerni potest aliqua mentis honestæ, & tranquillæ similitudo. Operæ pretium est autem videre eos, quos nominis cupiditas inflammat, quam multa signa dent furoris, & amentiæ: quam sint eorum inconsiderata consilia, atque turbulenta: quantis stimulis ad facinus incitentur, & a mente, rationeq. deducantur: vsque adeo, vt neque somnum capere, neq. vllo modo quietem pati possint. Vt enim quisq. maxime gloriæ studet, ita maxime illi accidit, vt a tota mente deficiat. Quid enim inter amentem, & ambitiosum intersit, non intelligo, cum ipsa ambitio sit maximus quidam furor. Quod quidem in Hannibale facile cerni potest. Sic enim a Silio haud contemnendo Poeta describitur, vt furorem cum inaudito scelere coniunctum in eo videre liceat. Sed ipsum Silium audiamus. Sic enim inquit: Quid mirum?

Tẽperantia qualis.

Amens & ambitiosus non differunt.

Silius Poeta.

Armato diuum nullus pudor.

Est enim hæc propria laus virorum fortium, sęq. insolentius efferentium, omens religiones spernere, nempe quibus animos tantum humiles & abiectos constringi putent. Sed videamus, quam claræ fuissent illæ virtutes, quæ erãt cum isto contemptu numinis coniunctæ:

Improba virtus,
Et pacis despectus honos.

Virtus non maculãda.

Non facile patior diuinum virtutis nomen improbitatis coniunctione maculari. Nec enim virtus improba esse potest, nempe quæ, improbitatẽ repellẽdo, publicam salutẽ cõstituat. Hic tamen Poeta, vulgi consuetudinem secutus, audaciæ importunæ gloriam appetenti, virtutis nomen imponit. Quid deinde sequitur?

——Penitus quemedullis
Sanguinis humani flagrat sitis.——

Vtrum magis sentienter appeteret, humanum ne sanguinem, an nominis claritatem, nequeo dicere. Illud quidem affirmare possum, Hannibalem multo clarius & illustrius nomen ista immanitate adeptum fuisse, quam mente, vitaq. trãquilla potuerit adipisci. Addit deinde:

Hannibal quomodo nomen adeptus.

——Insuper æui
Flore vigens auet Aegates abolere, parentũ
Dedecus: ac Siculo demergere fœdera põto.

Et iure quidem auebat. Neque enim, si fœderis sanctitatem coluisset, potuisset ea gloria florere, quam fœderibus violatis, maximisq. detrimẽtis in patriam inuectis, assecutus est. Sed ait:

Dat mentẽ Inno, ac laudum spe corda fatigat,
Agnosco Iunonis inueteratum odium. Nec enim satis habuit bellũ acerbum terra, mariq. contra virum pietate insignem domo profugũ gessisse, & omnes Acherontis opes ad illius exitium euocasse, nisi, quemadmodum Diana aprum in Calydonios fines, sic illa immane illud monstrum ex Africa ad ipsius Aeneæ posteritatem euertendam immisisset. Quæ tamen quamuis Romanos vlcisci vellet, multo tamen acrius ipsum Hannibalem sibi carissimum vexauit, quã Aeneadas, quibus erat infensa. Lõge enim grauius est mentem, & rationem, quam vitam, atque fortunas eripere. Videte igitur, vt Hannibal, antequam exercitum in Romanos compararet, numine Iunonis cruciaretur, &, iam ad furorem & insaniam redactus, maleficiorum pœnas penderet:

Aper Calydonius.

Iactura bonorum grauior.

Iamq. aut nocturno penetrat Capitolia visu,
Aut rapidis fertur p summas pasibus Alpes.
Sæpe etiam famuli turbato ad lumina somno
Expauere trucem per vasta silentia vocem,
Ac largo sudore virum inuenere futuras
Miscentem pugnas, & inania bella gerentem.

Silius lib. 1.

Num potuit maior furor inuadere Alcmæonem, aut Orestem, quos matrum furiæ tædis ardentibus agitauere? Aut Pẽtheum, & Athamanta, quos Poetæ nobis furentes inducunt, & in suorum cæde bacchantes? Non est enim, cur existimemus, Hannibalis tantum naturam, & ingenium hic descriptũ esse, & non potius omnium, qui simili studio ad gloriam contendunt. Quid enim Achille furiosius? qui, vt expleret iracundiam, cupiebat suos armis Troianorum opprimi, vt in vltimo discrimine constituti faterentur, se sine illius ope pares hostibus esse nõ posse. Iam de Aiacis impotentia nihil attinet dicere, quem ira ob Achillis arma Vlysi adiudicata, ad furorem, mortemq. perduxit. Sic enim furebat gloriæ cupiditate, vt existimaret, esse sibi vitam abiiciendam, si quisquam sibi fuisset antelatus. Sed fabulas omittamus. Quis gloriã experiuit ardentius Alcibiade? Quis illo fuit intemperantior, peiusq. animo & vita constitutus? Eius autem ambitionem, & effrenatam gloriæ libidinem legimus, exitium Athenienſium rebus intulisse. Qui si non inexplebili laudis cupiditate fuisset inflammatus, numquam ciuitatem aliorum consilio florentem, ad inutilia bella furenter incitasset, nec opes patriæ intemperantia sua comminuisset. Quid de Alexandro dicam, non minus amente, atque furioso, magis tamen

Catalogus furiosorũ.

Alexander furiosus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tamen fortunato? Quam multa ille signa dedit intemperantiæ, & immanitatis, cum in suos nō solum esset petulanter inuectus, sed iis etiam, quibus omnia debebat, mortem crudeliter attulisset? Nec enim necesse arbitror persequi Cliti, aut Parmenionis, aut Callisthenis cædem, aut aliorū, cū quibus erat necessitudine sanctissima copulatus. Vnde facile apparet, quam fuerit immanis in alienos, cum fuisset tam sceleratus in suos. Quantus ille furor exstitit, cum magna pœna sanxit, si quis se vt Deum non veneratus esset? Quid, cum in mediis epulis hortatu meretricio regiam, in qua epulabatur, incendit? Quid, cum profusis lacrymis questus est, nondum se vnum mundum subiugasse, cum a Philosophis innumerabiles esse traderentur? Quid, cum suorum oblitus, quos in media barbaria infinitis hostibus circumfusos deserebat, solus se intra Sudracarum vrbem in confertos hostes saltu deiecit? Nonne hæc omnia declarant, illum nihil vnquam sapienter, & grauiter, sed furiose semper, & rabide res administrasse? Nō est opus in re minime dubia plurimis exemplis vti. Perspicuum enim est, eos, qui omnia ad gloriam, & honorem referebant, amentia præcipites, & nimis intemperantes exitisse. Quin etiam, si est aliquis paullo modestior, vbi primum gloriam gustauerit, quasi Circæam aliquam potionem hauserit, omnem humanitatē exsuit, & superbus, crudelis, immoderatus efficitur. Nemo Pausaniam insimulauit insolentiæ, antequam apud Platæas cum Mardonio signis collatis dimicaret. At post illam insignem victoriam, adeo sese insolenter extulit, vt omnem Græcorum nationem fastidiret, & de patria, pro qua paullo ante vitam in discrimen adduxerat, prodēda cogitaret. Quid Themistocles? Nonne Salaminia victoria sic elatus fuit, vt nihil fingi posse intēperantius? Idem etiam morbus Lysandrum inuasit, postquam Atheniensium opes attriuit. Tanta enim insolentia esse cœpit, vt statum Lacedæmonis prudentissime a Lycurgo fundatum immutare cuperet, ne videlicet illa iuris æquabilitas, quæ erat in Lacedæmoniorum institutis, honori immodico, quē ardenter appetebat, obsisteret. Iam Romulus propter intolerandam superbiam, qua post Fidenates deuictos Rempublicam administrauit, fuit in frusta discerptus. Quid hic L. Manlium Capitolinum? Quid alios infinitos commemorem, qui simul vt in gloriam venere, statim ab omni mentis statu deiecti sunt, multaq. furoris, & amentiæ signa dedere? Si igitur temperantia est omnium virtutum fons, continet enim omnium perturbationum sedationem: vnde omnis virtutis splendor exsistit; estq. manifestum, gloria, constantiam, atque moderationem penitus euerti; quid est, quod dubitemus, ex ista cupiditate omnes immensas libidines, quæ vitam miseram, & ærumnosam efficiunt, oriri? Quid igitur est in ista nobilitate, famaq. populari, quam obrem in tam multis miseriis esse velimus? Si enim constat, eorum animos, qui gloriæ studēt, multis erroribus obcæcatos esse; si vi, & fraude plerumque nituntur; si nihil possūt clare, & ample cogitare, cum omnem dignitatem ex populi temeritate petendam existimant; si postremo infinitis cupiditatibus distracti sunt, & ægritudinibus anxiis, & acerbis implicati; si omnes istæ pestes sunt semper comites istius leuitatis, & insaniæ; quid tandem gloria tætrius, aut detestabilius inueniri potest? Nec enim vno tantum genere flagitiorum animos exedit; sed tamquam furia innumeris circumplicata serpentibus, multiplici cupiditatum genere circumsæpta, faces intētat, animosq. perpetuo cruciatu conficit: omnemq. rationem beatæ vitæ peruertit, quæ in tranquillitate animi cura vacantis, & omni virtute cumulati, consistit. Sed tempus admonet, vt ad exitum festinemus: nimis enim diu vestra humanitate abusus sum, & fortasse immodica loquacitate fui vobis aliqua ex parte molestus.

Arrogātia impia.

Digressio per probationum.

Alexander insolens victor.

Virtutum fons quis.

Enumeratio partium vitiosarum.

Conclusio.

EQVIDEM, inquit Metellus, vellem vt integrum diem in tam præclara disputatione consumeres. Nihil enim mihi iucundius isto sermone accidere potuisset.

HIC Ego, Idem, inquam, dicerem, si non fuisset missi impositæ necessitas contra tam accuratam orationem disserendi. Hęc igitur cura abducit animum meum a voluptate, quam ex tam erudito sermone capere potuissem.

Expostulatio tecta.

NONDVM igitur, inquit Augustinus, satisfactum tuæ dignitati putas? Nescio enim quam spem ostendebas fore, si rem vberius explanarem, vt in meam sententiam discederes: quod ne statim faceres, pudore te aiebas impediri. Nunc autem ad gloriæ defensionem te magis paratum video.

Reiectio.

QVID? ridens, inquam, adeo ne me gloriæ ipsius immemorem esse putas, vt sine sudore, & sanguine, quod aiunt, me victum esse confitear? Prius omnia periclitabor, tibiq. quanta maxime potero contentione resistam, quam tibi victoriam concedam. Fac igitur, vt orationi tuæ finem imponas. Epilogum enim exspecto tuæ disputationis elegantiæ consentaneum.

XI.

ILLVM quidem, inquit Augustinus, non tam e Rhetorum officina, quam ex sanctissima Christi religione depromā. Sic igitur a nostris traditū est, maximas cælitū copias a cælo detrusas in inferorum sedes, & perpetuæ noctis tenebras incidisse, propter insanam principatus, & gloriæ cupiditatem. Deiade persequuntur casum, atque ruinam primorum parentum, qui simili libidine cæcati, non solum ipsi concidere, sed omni posteritati ingentem vim malorum inuexere: quæ quidem nullo genere orationis possunt explicari. Sunt enim infinita, quibus animi sæpe in contrarias partes distracti, & a seipsis dissidentes, sæpe graviore aliqua clade perculsi, & abiecti; sæpe cæcati erroribus, & opinionum prauitatibus impediti, a recta ratione deiici-

Lapsus primorum parentum.

deiiciuntur, & quam plurimis sceleribus imbuuntur. Sunt innumerabiles ærumnæ, ingentes dolores, acerbissimi casus animum assiduo cruciatu lacerantes, quæ quidem possint eruditi homines deplorare, complecti autem oratione non possint. Nullum enim est tātum ingenium, tantaq. dicendi facultas, & copia, quæ valeat ea mala dicendo consequi, quibus sæpissime conflictamur. Quod si omnia mala, quibus oppugnamur, ab illa ruina primi parentis nata sunt; eaq. non alia de caussa edita fuit, quam gloriæ cupiditate; quid alia argumenta requirimus? Quid illud? Non ne satis nobis adimit differendi laborem cælestis ille Doctor, ad omnem errorem depellendum, hominumq. genus a tenebris vindicandum, a cælis in terras missus? Videns enim humanas mentes multis erroribus implicatas, & infinitis sceleribus adstrictas, diuina benignitate motus, humanam naturam inexplicabili ratione sibi copulauit, vt, in humano habitu, atque forma delitescens, nos a seruitute miserrima, qua oppressi tenebamur, eriperet, & in cælestem libertatem assereret. Luit ille quidem suo sanguine nostra facinora, pestiferiq. hostis imperium excidit, vt pestem a capitibus nostris auerteret. Sed non hac solum ratione insanabiles ægritudines generis humani curare voluit; sed etiam disciplina cælesti, diuinæq. virtutis, atque sanctitatis exemplo. Caligi nem enim hominum mentibus offusam præsentia sua discussit, atque docuit, quæ esset vera, & constās vitæ ratio, quod esset illud summum, & extremum in bonis, quibus ornamentis esset animus excolendus, quibus gradibus in cælum adscēderemus. Quod est autem huius sanctissimæ disciplinæ caput, atque Christianæ Philosophiæ fundamentum? honoris, laudis, & gloriæ contemptio. Hanc virtutem qui complexi fuerint, omnes virtutes assequentur. Quemadmodum enim ab illa nobilitatis appetitione natum est principium omnium flagitiorum; ita, contempta illa, omnes virtutes oriūtur. Quam sit autem ista nobilitatis appetitio pernicīosa, satis est diligentius intuentibus exploratum. Euertit enim omnem ciuilis, atque domesticæ disciplinæ rationem, iuris æquitatē oppugnat, fidei sanctitatem violat, amoris & amicitiæ rationem labefactat. Simul enim, atque honoris species obiecta fuerit, quæ plures amicos ad sui cupiditatem alliciat, omnis ardor amoris extinguetur, & exsistet nefaria quædā, atque scelerata contentio. Animos præterea libertate spoliat, formidine infamiæ concutit, variis perturbationibus exagitat, atq. furenti libidine ad omne facinus inflammat. Ergo, vt is, qui in loco inculto, agrestiumq. plantarum asperitate vasto, hortum facere instituit, opus est, vt prius inutiles illas plantas euellat; ita fuit necesse, vt, antequam Christus animos nostros excoleret, prius istud inanitatis seminarium, quod omnia scelera fundit, radicitus exstirparet. Hoc igitur in primis, & doctrina, & vitæ exemplo su-

Malorū magnitudo.

Asylum afflictorum.

Lux mentibus affusa.

Virtutes vnde.

Cōparatio ab agricolis

Christus in tenuitate natus.

Christus misericors.

Dignitas læsa.

scepit, vt humanum fastum comprimeret. Primum enim in obscura patria, & ad multitudinis opinionem obscuris natalibus, nasci voluit. Porro, quo tempore in lucem editus est, in præsepe propter loci angustias abiici. In illa tenuitate delituit summus ille cæli moderator, qui naturam vniuersam infinita virtute coercet, & continet. In ipso vero ortu sanctissimæ matris inopia, perditi tyranni illius sanguinem petentis immanitate, postremo fuga, & exsilio vexari voluit. Postquam vero ab Aegypto in Iudæam reuersus est, non statim Hierosolymam concessit, vt in hominum luce versaretur; sed in loco ignobili, & infrequenti domicilium constituit. Cum vero venit maturitas tradendæ disciplinæ, seque ad homines erudiendos applicauit, nihil aliud frequentius inculcauit discipulis, quos ex infima plebe delegerat, quam vt ambitionē fugerent, & de se humiliter, atque demisse sentirent: omnes autem immodicæ laudis appetentes verbis acribus insectatus est, eisque præcipitem ruinam, & occasum denuntiauit. Contra vero, moderatos, & humiles, ingeniq. sui opibus diffidentes benigne complexus, ad firmissimam spem immortalitatis excitauit. Quid illud? Nonne satis ostendit, quam essent honores respuendi, cum eos fugit, qui se creare regem volebant? cum vitam inopem, & ab omni cultu, & elegātia remotissimam secutus est? Iam quis non videt illum gloriæ mortiferum vulnus imposuisse, cū insignes contumelias pati, grauissimas ignominias accipere, multisq. flagris cædi, &, quod mortis genus erat olim maximo dedecori, in crucem tolli voluit? Est igitur audax, & impium facinus, cum humilitatis auctorē Christum rerum omnium dominum habeamus, claritatē nominis aucupari velle. Illius enim sunt hæc monita, præcepta, instituta, quibus gloriam euersam, & exstinctam conspicimus. Si igitur Christum Opt. Max. pura, integra, & incorrupta mente veneramur: si illius disciplinam, in qua omnis immortalis, atq. beatæ vitæ ratio consistit, sequendam existimamus: si non nomine dumtaxat, sed re ipsa Christiani sumus: omnem gloriæ appetitum coercere debemus. Aut enim summi illius rectoris disciplina repudianda est, aut gloriæ cupiditas ex animis extrahenda. Vtrumque enim fieri non potest, vt & Christo obtemperemus, & gloriæ seruiamus. Attendite, quæso, diligēter, vt melius videre possitis, quam contraria sit gloria Christianæ pietati. Elatus iracundia maledictum in aliquem temere contulisti? Facinus est inexpiabile, sanguine, atque cēde luendum. Nec enim existimat is, qui verbo violatus est, posse se in pristinā dignitatē restitui, nisi prius illi, qui eū affecit contumelia, in armorum certamine vitam eripiat. Potest iniuriam persequi iudicio. Non est, inquit, viri fortis, cum eo iure contendere, quem manu, & ferro possit opprimere. Nullum est enim in legibus honestum virtuti præsidiū, sed quoddam subsidium imbecillitati necessario constitutum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cutum. Ideo ne ego ætatẽ in decoris ſtudio conſumpſi, & tam multa facinora virtutis militaris edidi, vt poſt tantas res cum magna laude geſtas, ſit mihi inſtar cuiuſdam viduæ iudicum auxilium implorandum? Tunc certe longe maius dedecus in me concepiſſem, quam illud ipſum, cuius macula mihi vel cum vitæ periculo diluenda eſt. Certum eſt enim vitæ non parcere, dum dignitati conſulam. Præcepit Chriſtus, vt iniurias, & errata omnia condonemus. Quid Chriſtus, inquit, in hac cauſſa præcipiat, non valde ad me pertinet. Id autem quod pertinet, valde exploratum habeo, nempe nihil eſſe viro indignius, quam pati contumeliam, & ab vlciſcendi ſtudio religione aliqua dimoueri. Aut igitur ſeſe mihi ad pedes abiiciat, erratiq. veniam petat, vt ipſe ſubeat infamiam, ego dignitatem meam recuperẽ: aut, ſi recuſet hanc condicionem, ad pugnã ſe paret. Vitari enim ſumma cõtentio nõ poteſt. In qua ſi ſeſe prius nõ dediderit, gladio meo cõfectus cadet, aut ipſe fortiter, & honeſte decumbam. Quid ſi cadas, & e corpore excedens in perpetuũ cruciatum abripiare? Ridiculum eſt, inquit, iſtis tartareis monſtris viros incenſos gloriæ cupiditate perterrere velle: moueant iſta homines anilis, & imbecilli animi, anxiiſq. ſuperſtitionibus implicatos. Me vero non obiecta religio, nõ mortis metus, non ſupplicia, quæ dicuntur eſſe apud inferos conſtituta, non monſtra denique vlla a laudis ſtudio deterrebunt. Quod ſi ad inferos adducendus ſum, non dedecore contaminatus, ſed honeſtus, atque viri fortis officio functus abducar. Videtis amentiam? Queruntur miſeri homines ſe dignitate ſpoliatos eſſe ab iis, quos ipſi impuros, & nulla dignitate præditos eſſe confitentur. Non puder, igitur homo amentiſsime, te tantũ operæ, atque ſtudii ea in re poſuiſſe, quæ non ſit vmquam in tua poteſtate, ſed in aliorum libidine futura? Nam, ſi tantum iuris habet in dignitate tua cuiuſuis audacia, vt cum velit verbo tibi totam eripiat; quid te miſerius, quid magis anxium, aut ſolicitum fingi poteſt? Vitam enim ages acerbam, & calamitoſam: intemperatiſsimi cuiuſq. furorem extimeſces: infamiæ metu noctes, & dies cruciaberis, atque perpetuo animi angore pœnas amentiæ perſolues. Sed videamus, quantum malorum furor hic rebus humanis importet. Primum legum vtilitatẽ, quæ a diuina mente ad humanæ vitæ cultum defluxit, e medio tollere contendunt, dum illis ſubmitti ingnominioſum exiſtimãt. His aũt ſublatis, nihil eſt in vita, quod cohæreat, atque permanere poſſit, nihil quod impediat, quo minus omnia ſcelere, & audacia violentur, & cupiditatis incendio deflagrent. Deinde, quod eſt longe grauius, Chriſti religionem, & ſanctitatem deſpiciunt, atque populi cæcam, & amentem opinionem ſplendori diuinæ lucis anteponũt. Quo quidem ſcelere nullum profecto dirius, aut deteſtabilius excogitari poteſt. Tu ne, vtimperitiſſimi populi plauſum aucuperis, cæleſtem Chriſti diſciplinam, ſummi, atque præpotentis Dei mentem, & numen ludibrio habeas? Tantum ne iſtam neſcio quam gloriam admiraberis, vt maius apud te pondus inſanæ plebeculæ rumores habeãt, quam leges ſanctiſsimæ ad ſalutem generis humani diuina beneficentia conſtitutę? Tandiu igitur Chriſtiani nomen retinebis, quamdiu id tibi per populum licuerit. Vbi vero caſus aliquis inciderit, in quo populi leges iubeant a Chriſto deficere, repente Chriſti leges infringes, &, quãtum in te erit, omnia illius ſacra conturbabis. Sed operæpretium eſt, exitum tam funeſti certaminis ſpectare. Ille igitur miſer, cuius honor, & dignitas, in quam omnia ſtudia vitæ contulerat, vnius hominis improbiſſimi conuicio deleta eſt, nullam moram interponit, quin ad peſtiferum armorũ certamen prouocet eum, a quo accepit iniuriam. Prouocat autem litteris per omnia cõpita muris affixis, atque multorum teſtimonio conſignatis. Alter iiſdem tyrannicis legibus populi coactus, oblati certaminis condicionem minime recuſat. Tempus ergo præſtituitur: locus deſignatur: omnia, quæ ad pugnam opportuna ſunt, ſummo ſtudio comparantur. Interim domus vtriuſque impuriſſimo comitatu, flagitioſiſsima turba referta perſtrepit vocibus gladiatorum, & aleatorum, conuiuia quotidie celebrantur, in quibus nemo vir honeſtus accumbit, opes in libidine, & nequitia conſumuntur. Animus autem vtriuſque confectus acerbiſsimo cruciatu, conſiſtere, aut ſpirare non poteſt, cum diuturna cædis cogitatione diuis & hominibus infeſtus, ad perniciem contra fas inferendam ſe paret, & nocte viſis terrificis in ſomno obiectis turbulente quatiatur. Poſtquam vero dies adeſt, qui inter eos conuenerat, & in loco deſtinato leuiſſimorum hominum turba circumfuſi cõſiſtunt; cõſtituitur ſpectaculum inhumanum, & atrox, omnibus rectis inſtitutis, & legibus perniciosum. Homines duo, eiuſdem plerumque linguæ, nationis, & patriæ, atque ſaltem iuris, & ſacrorum ſocietate deuincti, cauſſa leuiſſima contentionis oblata, in campum deducuntur, vt alter alteri exitium inferat, & vitam, quam religioni, & patriæ debet, cum ſummo religionis, atq. patriæ detrimento, in magnum periculum mortis, & ſempiterni cruciatus adducat. Locus vndique ſæptus, & armatorum præſidio communitus, diſceptatio armorum inter vtriuſque partis aduocatos, ipſiq. iudices ſeſe truculentius gerentes, & truci vultu barbaram immanitatem denuntiantes; atque poſtremo illa tam triſtis exitus exſpectatio animos formidine perterret, & oculorum acies horrore perſtringit. Quin ipſi egregii bellatores, antea ferociter inſultantes, eximiam animi conturbationem diſſimulare nequeunt: imperio tamen populi coguntur in inſtituta amentia perſiſtere. Poſtquam vero ſigno dato vterque eorum infeſtis animis, & ancipiti armorum agitatione contendit, vt alteri exitium comparet, & alteruter, vt ſit, graui vulnere

Patiendam iniuria quis præcipiat.

Laudis ſtudium indefeſſum.

Audaciæ ſint in quo valeat.

Sublatis legibus omnia tollũtur e vita.

Miſer quis.

Iniuria læſus.

Exemplo rẽ illuſtrat.

Ira ſeipſam prodit.

nere ſauciatus occumbit, tum demum appareret, quantum imperium habeat in homines laudis inanitati ſeruientes amentia popularis. Neceſſe enim eſt, vt tanta ferocia appareat in vultu illius, qui ceciderit, vt, quãuis illi victor maximis vocibus inclamet, vt ſeſe dedat, iugulum det potius, mortiferamque plagam accipiat, quam deditione ſua, id quod erat omnibus notiſsimum, victum ſe eſſe fateatur: aliter enim extremum dedecus concepiſſet. Mauult igitur crudeliſsima morte mactari, ſibiq. morienti ſacris omnibus interdici, quam, vitã ab hoſte accipiendo, ab omnium aditu, ſermone, congreſſu, propter infamiam nominis, arceri. O condicionem ſeruitutis miſeram, acerbam, & luctuoſam, omnia mala, quæ cogitatione fingi poſſũt, continentem. Deſpicit populus animi ſimplicitatem, & ſtultitiã appellat. Eſt igitur tibi vtendum verſuta, fallaciq. nocendi ratione, ſi vis ſapiens exiſtimari. Contemnit integritatem, & innocentiam: danda ergo opera eſt, vt per vim & fraudes fortunas amplifices. Frugalitatem obſcuram, & nobilitate alienam ducit: omne patrimonium eſt per luxuriam effundendum, ſi velis in clarorum hominum numero reponi. Modeſtiam, & animi moderationem imbecillitatis eſſe putat. Sunt igitur danda plura furoris, & amentiæ ſigna, ſi cupis vir ad res gerendas acer, & animoſus exiſtimari. Leges poſtremo duriſsimas imponit, vt religionem negligas, vt diuina, & humana iura violes, vt ſempiterni domini numen offendas, vt te manibus inferis inaudito ſcelere deuoueas. Eſt ergo tibi repudianda ſalus Chriſti ſanguine quæſita, & omnis ſanctitas irridenda, bellumq. ſceleratum gigantum more cælitibus inferendũ, atque manus tætre & impure Chriſtiano ſanguine cruentandæ. Quid enim quæſo eſt ad opinionem vulgi præclarius, quam multos in hoc impio, atque nefario pugnæ genere trucidare? Victor enim, poſtquam aduerſarij cæde crudelitatem expleuerit, ita diſcedit e loco certaminis, atque ſi e patriæ finibus hoſtium impetũ repuliſſet. Equo igitur inuectus, ingentiq. numero hominum ſtipatus deducitur ouans, & omnium oculos in ſe conuertit. Celebratur incredibili multorum gratulatione victoria: tympanorum, atque tũbarum cantu omnia cõcrepant. Nec ſolum prædicationis voce, ſed prædicatione omnium magnitudo tanti facinoris ornatur, miriſq. in cælum laudibus, effertur. Si igitur, vt iam omnia concludamus, cõſtat, omnem gloriæ rationem, cum in populari leuitate, atque ſcelere ſita ſit, eſſe contrariam legibus, iudiciis, totique diſciplinæ ciuili: ſi compertum eſt, hoc inſanabili morbo domus, ciuitates, imperia, nationes exſcindi, omneſq. virtutis opes euerti: ſi poſtremo nihil eſt, quod tam pugnet cum Chriſti Opt. Max. diſciplina, religione, ſanctitate, quid cauſſæ eſt, cur non a gloria, tamquam a re peſtilẽti, atque pernicioſa, fugiamus, illiuſq. impetum ſumma animi cõtentione comprimamus? Dicam enim quod ſentio, me iſta aliquando mente pertractantem vehementius conturbari. Sum enim, quod apud tales amicos fateri libet, gloriæ fortaſſe, quam par erat, auidior. Sed, cum videam, quam multa mala morbus hic in res humanas inuexerit, omnia vota facienda puto, vt illum depellam. Nunc autem exſpecto, quid ad hæc reſponſurus ſis. Quamquam, ſi te Chriſtianum memineris, &, quid a te ſanctarum litterarum ſtudia poſtulent, animo cogitaueris, eam defenſionem deſeres, gloriamque non modo contemnes, verum vt magnam religionis, & pietatis labem ſingulari diligentia propulſabis.

Fama mortiti præferenda.

Victoris affectus.

Religio humanis rebus maior.

HIERO-

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIERONYMI OSORII LVSITANI DE GLORIA LIBER TERTIVS.

Repetitio præcedentium.

HAEC ille cum dixisset, finem disserendi fecit. Ego autem: Vix, inquam, statuere apud me possum, maiorem ne mihi voluptatem, an admirationẽ attulerit oratio tua. Tantam enim rerum varietatẽ in omni genere disciplinæ, ingenio, copia, facultate complexus es, vt me pæne magnificentia orationis obrueres. Sed, quo maior fuit eloquentiæ tuæ vis, eo magis in pristino meo sensu permaneo, vel eo solo argumento persuasus, quod nec ista tanta dicendi facultate potuerim ab hac sententia depelli. Quid enim censes? Esse ne me in disserendo pertinacem, & veritati, quod Sophistæ faciunt, impudentissime repugnantem? Nihil est certe magis a mea natura, atque moribus alienum. Cum enim in errore aliquo versor, tantum abest, vt in eo perseuerare velim, vt etiam immortale me beneficium accepisse cõfitear ab eo, qui me in viam reducit. Quod enim munus amplius homini veri cupidissimo dari potest, quam veritatis ipsius abstrusæ, atq. reconditæ patefactio? Quod si vel amici prudentis auctoritas, vel diserti hominis facultas errorem vmquam alicui detraxit, id tibi nunc facillimum, & expeditissimũ fuisset. Nec enim habeo amicum, quem pluris faciam; nec est e nostris æqualibus, quem putem esse tecum orationis vbertate, & elegantia conferendum. Sed sic natura comparatum est, vt opiniones iudicio, & voluntate susceptæ facile deponantur: innatæ vero nulla dicendi vi cõuelli possint. Id igitur es assecutus, vt mihi difficile admodum videatur, gloriam a calumnia tueri, non vt eam odio aliquo dignam putem. Adhuc enim is sum, qui nihil arbitrer in natura, præter vnam virtutem, nominis claritate diuinius. Fieri quidem fortasse potest, vt propter ingenii mei imbecillitatem disputationis tuæ firmamenta labefactare nequeam. Gloria tamen nihilominus ornamenta sua retinebit, nempe quæ non in oratione mea, sed in natura consistant. Attamen, quando semel illius defensionem suscepi, pugnabo, ne officio meo desim. Malo enim, vt male a me defensa ingenium meum vituperet, quam deserta perfidiam.

Veritatis patefactio.

Reiectio laudis.

HIC Augustinus ridens: Hoc certe, inquit, veteratorium est, eloquentiam meam extollere, tuamq. ipsius extenuare, vt, si minus causam a te susceptam tueri poteris, appareat, id non illius imbecillitate, sed incredibili mea dicendi vi effectum esse. Exspecto igitur, an reliquus orationis tuæ cursus huic principio respõdeat. Me namque oratorem, qualem tu me vis esse, non putabo, si me hoc artificio abs te vinci patiar. Certum enim mihi est, vbi peroraueris, meum ingenium, & copiam, quam tantis laudibus ornasti, in tuam laudem conferre.

Laudem venari nemi nem decet.

QVASI, inquam, mihi homini gloriæ auidissimo quidquam iucundius acciderit, quam laudem vndequaque venari. Istius igitur quam uis artificiosæ laudis spe, contendam nunc multo vehementius. Atque primum gloriæ ortum e fonte repetamus: deinde paullatim ad Christiana disciplinam veniemus, cuius testimonio probabimus, nihil esse magis cum Christiana sapientia copulatum, quam laudis, & gloriæ splendorem. Quare non me valde mouet illa oratio tua, qua me perorando admonebas, vt meminissem me Christianum esse, sacrisque literis deditum. Quasi minime officio meo conueniret, gloriam, quam tu magnam religionis labem appellas, aliqua ratione defendere. Ego quidem illam, quantum potero, defendam: nec vllius oratione ab illius studio deducar. Continet enim totius honestatis elegantiam, & claritatem. Fieri autem non potest, vt res tantis honestatis opibus exculta, diuinis institutis, & legibus aduersetur. Id tamen suo loco reseruemus: exordium nunc aliunde capiamus.

II. Gloriæ ratio in quo sita.

GLORIAE igitur rationem non esse in errante opinione, sed in natura sitam, id maxime declarat, quod omnibus innatum est mirum illius desiderium. Quæ enim gens est, aut tam humanitate culta, aut tam immanis, aut barbara, quæ non naturali studio concitetur ad laudis studium? Quantam vero illius cupiditatem natura nobis inseuerit, ex eo facile cernitur, quod omnes pueri infantes, simul atque sentire aliquid incipiunt, laude mirifice capiuntur. Mirum est enim, quanta certamina ineant, quanto vincendi studio efferantur, quantus in victis pudor insit. Vt autem quisque præstantissima indole natus est, ita maxime cupiditatis huius significationem dat. Refert Xenophon, Cyrum illum Persarum Regem, cum esset adhuc puer, adeo ad cupiditatem laudis exarsisse, vt illius causa iam in ea ætate pericula omnia subeunda duceret. Facile fuisset igitur, ex illo motu animi futuram Cyri virtutem augurari. Nemo enim vmquam res magnas animo magno aggressus

Adducũtur exempla.

gressus est, qui non in ipsius ætatis primordio dederit insignia documenta, quanti gloriam æstimaret. Non est hic necesse, Pyrrhos, Scipiones, Alexandros enumerare, cum omnes summos Imperatores, hoc tantum signo constet magnam spem futuræ virtutis ciuibus suis attulisse. Quid de insigni ad præclaras disciplinas indole? Num parum liquet optimam de illis spem concipiendam esse, qui omnem conatum animi ad laudem referunt? Mihi, inquit Fabius Quinctilianus, ille detur puer, quem laus excitet, quem gloria iuuet, qui victus fleat. Hic erit alendus ambitu, hunc mordebit obiurgatio, hunc honor excitabit, in hoc desidiam numquam verebor. His verbis optimus ille magister indicia ingenij excellentis explicat. Quid, postquam pueri ætate progressi, quatenus quidquid ipsos attingat, despicere incipiunt: num alio genere orationis a languore, desidiaq. citius auocantur, quam summorum hominum commemoratione? Videte, quibus verbis Pallas apud Homerum Telemachum incendat, ad pœnas de procorum petulantia repetendas. Sic enim ait:

Spes de quibus cõcipienda.

Nec iam res tantas puerili mente retractes.
Nonne vides, quantum nomen sit adeptus Orestes,
Cum patrem vlciscens vita spoliauerit illum,
Qui scelere infando patrem demiserat orco?
Te decus eximium præstanti in corpore tandẽ
Excitet, vt magno laudum capiaris amore.

Oratio sæpe intendit.

Illa igitur oratione sic videmus incensum Telemachum, vt nihil aliud, quam de virtute, cogitaret. Cum enim sit hoc studium laudis in omnibus, tum illi, in quibus est maior animus, tanto laudis amore capiuntur, vt illius causa vitam despiciant. Quod de se testatur Euryalus apud Maronem, dicens:

Aeneid. ix.

Est hic, est animus lucis contemptor, & istum
Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorẽ.

Nec is ardor exstinguitur ætate confirmata, sed tunc ratione, & studio multo magis incitatur. Vnde Vlysses apud Euripidem ait, se necem haud recusaturum, dummodo sibi mortuo sepulcrum magnificum ædificetur ad sempiternum gloriæ monumentum. Multos etiam constat fuisse eo progressos, vt gloriæ cupiditate suis vitam eriperent. Vt Brutus ille, de quo idem Maro:

Aeneid. vj.

Infelix, vtcumq. ferent ea fata minores.
Vicit amor patriæ, laudisq. immensa cupido.

Sic etiam traditum memoriæ est, Alcitheam Pausaniæ matrem, cum illum Spartiatæ in Tænaro monte domi intercluſum, fame necare parauissent, primum lapidem ad obstruendum ædium exitum posuisse. Similis etiam cupiditas Timoleontem induxit, vt fratrem dominatu patriam opprimentem interimeret. Ne Torquatus quidem, cum filij cæde sanxit militarem disciplinam, hac cupidita te caruisse putandus est. Non hic disputo, an omnes hi recte officio functi sint: sed illud ostendere volo, neminem vmquam gloriæ causa suorum caritatem repudiaturum fuisse, nisi natura hæsisset eorum animis, gloriam esse omnibus rebus humanis longe præferendam. Quid Philosophi? Nonne, spe clari nominis inducti, seipsos ad sapientiæ studium contulere? Vt enim antiquiores præteream, Plato certe, quantum prædicationem, atq. nobilitatem amaret, aperte declarauit. Nam & laudem esse bonum quoddam cæleste censet, & omnibus eam recte factis quasi præmium diuinum proponit, ipseq. maximarum artium instrumentum, & illud admirabile genus eloquentiæ in gloriam suam maxima ex parte transtulit. Aristoteles autem, cum esset Philosophiæ gloriæ præstans, minime contentus illo splendore, quem erat sapientiæ studijs assecutus, eloquentiæ laudem incredibili animi contentione quæsiuit. Infinitum esset, si vellem eos, qui ab his orti sunt, enumerare, quos omnes constat fuisse gloriæ stimulis acriter incitatos. Quod si aliqui se gloriam despicere gloriati sunt, id fecerunt, vt ea nobilitatis contẽptione maxime nobilitarentur. Quod declarat eorum studium in suis nominibus inscribendis, cogitationumq. suarum memoria propaganda. Quid de Poetis dicam? Non enim solum sibijpsis, sed omnibus, in quorum studium propensi sunt, nominis immortalitatem pollicentur. Hoc enim sibi diuinitus concessum existimant, vt e tenebris, quos velint, eripiant, atq. sæculis innumerabilibus in hominum luce constituant. Cæleste profecto munus, res ad laudem insignes ab obliuionis iniuria vindicare, mortemq. ipsam omnia delentem ingenio comprimere. Sed nescio quomodo inuitus hoc dico, tum quia Poetarum ingenia sum semper admiratus, tum quia te, Solonem credo imitatum, cum illis coniunxisti. Nescio igitur quanam ratione pleriq. suæ dignitatis obliti mercatum immortalitatis instituunt, gloriamq. venalem omnibus proponunt. Multi enim sunt, qui, cum nulla instrumenta virtutis habeant, eam facile a Poetis nundinantur, quibus si te muneribus insignes, statim te facient Iouis filium felici sidere natum, atq. multiplici virtute aurea sæcula referentem. Quod vitium ad quosdam historicos hac nostra ætate contagione permanauit. Nam bene de se meritis spem sempiterni nominis ostendunt; ijs autem, quibus infensi sunt, perpetuam nominis infamiam minitãtur. Vtrumq. enim se ingenio, & eloquentia præstare posse confidunt.

Lex cẽde sancita.

Diuinũ munus quod.

ILLIS igitur, inquit Augustinus ridens, inseruias opus est, si te immortalem fieri cupis. Nihil enim proderit summum ipsius honestatis studium illis, qui Poetas, aut Historicos iratos habent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVASI, inquam, posſint homines leuiſsimi, id quod contendunt, efficere. Multi enim sunt, qui vere, & incorrupte res gestas memoriæ prodant: idq. solum est in omni ætate permãsurum, quod est veritate subnixum. Vanitas enim in lucem veritatis incurrens, quasi quædam nebula, diſsipatur, & euaneſcit. Attamen neque ſcriptores laude afficerent eos, quos maximo beneficio ſibi obligare cupiunt; neq. auari homines ingenti pretio laudem emerent, niſi vtriq. eorum laudis eximia dignitate caperentur. Sed quid Poetas admiramur, cum agricolas, & opifices, cum barbaros etiam homines, & ab omni cultu humanitatis abhorrentes laudis dulcedine moueri videamus? Nullus enim est agricola, nullus artifex, nullus operarius, qui nõ laudari valde cupiat, & inter ſui ordinis homines princeps exiſtimari. Ergo, cum pueri, ſenes, adoleſcentes laudem ardenter expetant; cum omnes, ſiue principes, ſiue plebeij, ſiue intelligentes & docti, ſiue rudes, & imperiti, ſiue maximis diſciplinis exculti, ſiue artibus infimis incumbentes, ad eam enitantur; poſſumus ne dubitare, quin ea cupiditas humanam naturam maxime attingat? Numquam enim eſſet tantus omniũ gentium conſenſus, & conſpiratio in gloria conſectanda, ſi ea moribus, & opinione deſiderata, & non potius vi, & impetu naturæ expetita eſſet. Quæ enim moribus, aut legibus, & inſtitutis continentur, nec sunt eadem apud omnes, nec vllam conſtantiam habent; ſed varias pro temporum ratione mutationes ſubeũt. Ex eo igitur, qnod omnes mortales ſemper laudari concupierint, facile cernitur, hunc appetitum laudis eſſe natura, & non opinione noſtris animis infixum. Si autem, qui vel ingenio, vel præclara ad virtutem indole præſtant, quo sunt ad altiora nati, eo maiora dant indicia naturæ; conſtatq. in ſtudium laudis iſtos ardentius incitari, qui maiore indole præditi ſunt; relinquitur plane, hunc animi impetum nullo modo infirma opinione, ſed naturę præſtantia contineri. Quod ſi natura nos non ad flagitiũ, ſed ad honeſtatem genuit, & confirmauit; ob idq. omnes ſapientes eam tãquam optimam vitæ ducem ſequendam ſtatuunt; & perſpicuũ eſt, nos impetu naturæ ad laudem contendere; efficitur, nos gloriæ cupiditate ad virtutem, & honeſtatem dirigi.

Vanitas non consistit.

Probatio.

Laudis appetitus.

III. Error mali genitrix.

POTERIT quidem fieri, vt non teneant homines veræ gloriæ viam, & opinionis errore flagitia infinita concipiant. Quemadmodum enim reliquas affectiones vtiliter a natura datas, ad noſtrum ſtatum conſeruandum temeritate, & amentia ducti in perniciem noſtram conuertimus: ita etiam fit, vt gloriæ cupiditate ad noſtrum decus abutamur. Vt igitur in rebus alijs cum impetum naturæ cernimus, quid ſit illud, quo nos impellat, ratione inueſtigamus; ita, cum tantum gloriæ deſiderium omnibus innatum eſſe videamus, in quibus rebus ea ſita ſit, exquirere ratione debemus. Prouidendum enim eſt, ne, quod pleriſq. accidit, inanis laudis ſpecie deleniti, ſempiternam infamiam ſubeamus. Vt id igitur præcaueri poſsit, eſt gloriæ vis, & ratio diligentius inquirenda.

PRIMVM itaq. videndum eſt, eam in laudis genere verſari. Locus autem, & regio laudis, honeſtate, & pulchritudine continetur. Id enim tantum laudamus, quod aptum, & venuſtum eſt, & aliquo ſplendore dignitatis illuminatum. Contra vero, quidquid turpe, & ineptũ eſt, vituperare ſolemus. Quod ſi interdum accidit, vt rebus inhoneſtis aliquid laudis impertiamus, id fit propter aliquam decoris, atq. venuſtatis ſimilitudinem rebus turpibus adiũctã. Exſiſtit enim in corporis motu, inceſſu, & in voce quidam modus, & conuenientia, in numeri rationem cadens, & venuſtatis rationem præ ſe ferens, qua quidem fit, vt res etiam flagitioſæ genus quoddam laudis aucupẽtur. In quibus tamen rebus nullo modo flagitia laudari poſsunt, ſed illa pulchritudinis imago, qua ſæpe numero inſignes turpitudines occuluntur. Quæ enim ita deformia ſunt, vt nulla ſpecie pulchritudinis illuſtrentur, nemo laudauerit vmquam, niſi ſit humano ſenſu penitus orbatus. Cum id igitur tantum laudari contingat, quod decorum, atq. venuſtum eſt; videamus, ſit ne huius decori iudicium in errante opinione ſitum, an ſemper ad naturam referatur. Continet enim hæc quæſtio omnem diſputationem. Si enim eſt in natura poſitum, non tanta erit varietas, & inconſtantia, quantum tu eſſe voluiſti: ſed erit profecto aliquid, quod in omni memoria ſit certa, & conſtante laude celebratum. Hoc autem in corporis humani figura cerni facile poteſt. Vt enim ex omni genere animantium nullum eſt præter hominem, quod pulchritudinis elegantiam ſentiat; ita nullum aliud poteſt inſigni aliqua ſpecie delectari. Reliqua enim, vt hiſtrionis motum ſentiunt, ipſius autem motus ordinem, & venuſtatem non ſentiunt; vt cantorum ſonos auribus accipiunt, harmoniam autem ex varia compoſitione ſonorum haud aſſequuntur; ita & in formis magnitudinem, atq. colorem vident, ipſam vero partium conuenientiam, & aptam corporis compoſitionem intueri non poſſunt. Ex quo ſequitur, deformia a pulchris humana tantum natura atq. ratione diſtingui. Quæ cum ſit eadem in omnibus, idem erit apud omnes de venuſtate iudicium. Nam, vt omnium aures vox extra modum abſona, & abſurda lædit, diſtincta vero, & varijs interuallis numerum apte conficiens delectat; ita oculos omnium, partes corporis non certa ratione inter ſe conuenientes offendunt, membrorum autem omnium concinnitas incredibiliter allicit. Sumus enim natura elegantiæ, & concinnitatis appetẽtes.

IV. Laudis locus & regio.

Laude indigna quæ sint.

[Homo solus quid sentiat.

Natura appetens elegantiæ.

Quæ

Quæ quidem in motu, & in voce numeris, in corpore autem certa, & rata partium ratione conſtat. Quis enim eſt, quamuis ſit ab omni flagitioſa cupiditate remotiſsimus, qui non excellentem formam libẽter adſpiciat? Neq. enim ſolũ adſpectu alienæ pulchritudinis alliciuntur homines, ſed etiam omnibus inſidet cura quædam propriæ dignitatis. Nemo enim eſt, qui non cupiat integras, & aptas corporis ſui partes habere, & non omnia circumſpiciat, quibus eius ſpecies ornatior eſſe poſsit. Quod ſi corporis elegantia, quæ quidem non tam in coloris bonitate, quam in certa dimenſionis lege conſiſtit, omnium oculos ad ſe rapit: efficitur plane, id non incerta opinione, ſed cõſtante naturæ iudicio cõtingere. Non. n. nunc hoc, nunc illud, ſed idẽ ſemper oẽs natura iudicant, fugiendam videlicet eſſe deformitatem, & pulchritudinem expetendam. Poterit quidem fieri, vt alios alia magis delectent, vt in picturis: nemo tamen, niſi prius omnem humanitatem exfuerit, honeſtam, & liberalem oris ſpeciem non adſpectui iucundam exiſtimabit. Si igitur illa pulchritudinis imago, quę ſub oculos cadit, quamuis fluxa ſit, & inſtabilis, non tamen incerta opinione, ſed certo ipſius naturę sẽſu iudicatur; quid de pulchritudine animi dicendum eſt, quæ neque morbo corporis amittitur, neque ætate defloreſcit, neque medicamento vllo corrumpitur, ſed quotidie magis ornamentis diuinis illuſtratur. Illic enim non adumbrata venuſtas multis interdum maculis adſperſa cernitur, vt in corpore, ſed ſolida, & expreſſa pulchritudo, quę ſola eſt ſua natura & ſpõte laudabilis. Nã, ſi laus omnis, vt dictũ eſt ſuperius, rebus tantum decoris, atque venuſtis tribui ſolet, & verum decus in animi tantum bonis eminet, quis dubitet omnem laudem eſſe ad dignitatem animi referendam? Quod vt facilius videamus, illam ſimilitudinem honeſti corporis ad pulchri animi ſpeciem transferamus, vt in eo tantum excellentem illam formam intueri poſsimus. Atque vtinam ſic eam oratione liceret, atq. mente licet & cogitatione depingere, viderentis ipſius honeſtatis fontem, vnde omnes laudes emanant. Sumamus igitur hominem ingenio, & ſtudio præſtantem, optimis artibus imbutum, veriq. videndi cupiditate vehementer inflammatum. Is, cum acrem mentis aciem in mundi motus, & conuerſiones, admirabilemq. cæli ornatum, atque totius naturæ conſtantiam intenderit, omniaq. cæleſtis illius rectoris numine, & conſilio regi, & adminiſtrari perſpexerit, conuertat ſeſe ad ſui ipſius contemplationem, vt mentem ſuam cæleſti ſatu editam, & cum diuina mente copulatam ſentiat, atq. tandem videat, quid ſit tanto natalium ſplendori conſentaneum. Intelliget enim profecto, ſummum illum dominum, a quo animum hauſit, & tanta beneficia accepit, eſſe ſibi non modo religione ſummã colendum, ſed etiam ardentiſsimo ſtudio ſequendum. Ex hac igitur animi conformatione pietas, & ſanctitas exſiſtit: hinc admirabile iuſtitiæ, & æquitatis decus oritur: hinc ſingularis amicitiæ fides, hinc liberalitatis, & magnificentiæ ſplendor eluceſcet. Huic tam claro, & illuſtri virtutum comitatui, adiungamus illam quaſi cuſtodem, & propugnatricem iuſtitiæ fortitudinem, quæ hunc armis diuinis vndiq. tegat, & muniat. Sit itaq. erecto animo, & excelſo, humanaq. omnia deſpiciente, altaq. nimis, & ardua conſectante, & in omni contentione ſemper inuicto. Hanc autem animi altitudinem moderetur temperantia, quæ quidem totius honeſtatis, & elegantiæ decus, & ornamentum in ſe continet. Sit igitur hic, quem animo, & cogitatione fingimus, inſigni modeſtia præditus, omnem turpitudinem repellat, turbulentis cupiditatibus obſiſtat: in omnibus dictis & factis modũ, & ordinem conſeruet, &, quid maxime deceat, ſemper inquirat. Ergo, cum his tam illuſtribus, & inter ſe concinentibus honeſtatis ornamentis, atque præſidijs redundauerit, nullam ne cenſes admirationem hominibus allaturum? Illum quidem admirabũtur vniuerſi, & complures etiã amabunt. Nullo enim modo honeſtas, qua quidem nihil eſt in terris magnificẽtius aut amabilius, hominum admiratione, & ſtudio carere poteſt. Etenim, quis tam agreſtibus inſtitutis viuit, qui non ipſius rationis præſtantiam, atq. ſapientiam cum ingenti admiratione ſuſpiciat? Quis vmquam tam abiecto animo fuit, qui virtutis altitudinem minime prædicandam exiſtimaret? Quis tanta immanitate efferatus eſt, vt fidem, & bonitatem non amandam iudicet? Si igitur ſingulæ virtutes per ſe, quamquam illæ re diſiungi non poſſunt, ſed cogitatione tantum ſeparantur, omnibus præ ſe ferendæ, & amandę videntur; quid tandem omnium conſpiratio, atq. conſenſus efficiet? Præclare Ariſtoteles: Si eſſent, inquit, qui veluti Deorũ ſigna pulchritudine corporis excellerent, reliqui omnes æquum eſſe ducerent, eos in omnium dominatu locari. Quod ſi corpus elegantia præſtans hanc opinionem afferre poteſt, multo facilius id eſſet de animi præſtantia iudicandum. Sed non ita facile pulchritudinem animi cernimus, atq. venuſtatem corporis adſpectu ſentimus. His verbis oſtendit Ariſtoteles, vehementius amores excitari poſſe animi dignitate perſpecta, quam corporis inſigni ſpecie conſiderata: animi autem formã non ita facile cerni. Sed quid refert? Non enim diu celari poterit. Neceſſe eſt enim, vt aliquando tandem exſiſtat, lucemq. ſuam longe lateq. diffundat. Tunc igitur omnes, inſolito ſplendore commouebit, & ad ſui amorem inuitabit.

Collatio per distinctionẽ.

Interrogatio per reiectionem.

Meditationes hominis de mũdo quales.

Pietas vnde.

Temperantia vtilitas.

Encomium honeſtatis.

Virtutes quo modo diſiungantur.

V. Gloriæ principium.

HABETIS hic gloriæ principium, quod quidem nihil eſt aliud, quam egregium illud altiſsimæ mentis lumen, omnium oculos in

Universidad de Deusto
Biblioteca

se conuertens, & ad sui amorem incredibiliter alliciens. Est enim gloria, publica virtutis excellentis admiratio, cum insigni benevolentia coniuncta. Nec enim quoduis decus gloriam gignit, sed excellens, & admirandum. Neque rursus omnia, quæ sunt admiranda, gloriosa dicenda sunt; sed ea tantum, quæ ab animi decore, & honestate ducũtur. Si enim, quæcumque sunt admirabilia, gloriam sibi parerent, cur nõ monstra, atque prodigia, quæ magnã mortalibus admirationẽ incutiũt, gloriosa putaremus? Gloria igitur tũ demũ locũ habet, cũ excellens, & admirãda pulchritudo animi conspicitur, quam admirentur oẽs, & singulari omnium caritate dignam existiment. Sola enim dignitatis amplitudo vtrumque simul efficit, vt & stupore suspẽsos homines teneat, & sui amore inflammet. Neque enim tantum propter vtilitatum magnitudinem, quam viri virtute florentes nobis afferunt, quantum ob insignem, & illustrem virtutis speciem, eos amplectimur, vsque adeo, vt illos etiã, quos numquã vidimus, eximie diligamus. Sumus enim appetentissimi honestatis, eiusque forma perspecta, in illius cupiditatem ardenter incumbimus. Vt enim eos, a quibus numquam læsi fumus, si virtutis expertes, & flagitijs inquinati fuerint, & cõtemnimus, & iustum in illos odiũ concipimus; ita homines virtute præcellentes veneratione quadam, & insigni benevolentia dignos iudicamus. Quis enim est, qui desidẽ, & ignauum hominem non despiciat? quis libidinem, auaritiam, perfidiam, crudelitatem nõ oderit? Nemo tam effrenatis cupiditatibus vmquam fuit, qui, si vtrumuis licuisset, nõ multis partibus maluisset ad ea, quæ scelere conse cutus est, sine scelere peruenisse. eos. n. ipsos, qui se vitijs omnibus dediderunt, ita grauiter offendit suscepti flagitij turpitudo, vt sibi ipsis odio sint. Sit autem aliquis homo teter, & impurus, omnique scelere, & parricidio contaminatus: fieri ne posse credis, vt non in domesticorum odium irruat? vt non eum fratres etiã, atque parentes, vt malum auspicium, detestentur? vt nõ illum omnes e naturæ finibus exterminandum putent? Si igitur omnes, a natura instituti, scelus odio, & vituperatione prosequuntur; consequens est, vt honestatem iudicẽt esse diligendã, atque mirifice celebrãdam. Vnde plane colligitur, omnem laudis excellentiam esse in virtutis magnitudine constitutam. Quod igitur in orationis initio posuisti, nemo facile tibi dabit, nempe gloriam e populi leuitate pendere. Illud enim iudicium multitudinis, in alicuius hominis laude consentientis, non est libera voluntate, sed naturæ necessitate susceptũ. Necesse enim est, vt quẽ viderint omnes esse virtute præstantem, quod minime obscurum esse diu potest, quamuis id principio lateat, laudibus in cælum tollant. Gloriæ itaque fundamentum non in populi constantia ponendum est, cum ea sibi stabilem sedem, & sempiternũ domicilium in vna virtute collocarit. Hoc enim semper euenit, vt virtutis ipsius lumen celebris opinio consequatur.

Amplitudo dignitatis quid faciat.

Quos plerũque contemnamus.

Natura qui scelus fugit.

Gloriæ fundamentum.

NEC me conturbat nomen opinionis. Nõ enim verum est, omnes esse dubias, & incertas: siquidem multæ sunt veræ, constantes, & graues, quibus ad religionem, ad patriæ caritatẽ, ad omnem denique virtutem incitamur. Hæ igitur opiniones (sic enim doctissimi viri appellant interdum communes sententias in animis nostris impressas) quamuis nec ratione conclusæ, neque vlla disciplina cõfirmatæ sint, nullam possunt habere varietatẽ. Sũt enim naturales, & insitæ, nec ad eas confirmandas vllis exquisitis rationibus opus est, cum sint ipsa natura perspicuæ, nec vllo modo dubitandæ. Si igitur grauissimi Philosophi non verentur has inchoatas intelligentias, vnde omnis sapientia defluxit, opiniones appellare; quid tibi venit in mentem, ex nomine opinionis inuidiam concitare velle? Equidem, vt verum fatear, illo tuæ disputationis principio cohorrui. Putaui enim, te velle Chrysippum ab inferis excitare, qui nos non hydris, sed aculeatis argumentis vndique pungeret, & maledictis insectaretur; quod aliquid præclarum in opinione positum existimaremus. Ij enim sumus, qui non modo innatas opiniones, sed alias quamplurimas honestas, & laudabiles asseramus. Si itaque illo genere necromantiæ vti voluisses, me certe metu exanimasses.

VI.

Chrisyppus qualis dux tator.

QVID ita tandem? inquit Augustinus arridens. Nec enim vmquam te Lusitanum hominem adeo timidum putaui, vt mortuorum imagines extimesceres.

Disputationis habitę refutatio.

QVASI, inquam, Gorgonis ipsius adspectu conturbari possim, & non potius horrido illo disserendi genere, a naturæ tuæ clementia penitus abhorrente. Nec enim Chrysippus ipse mihi tantum terroris incussisset, si carmẽ illud vsurpasset, Adsum, atque aduenio Acheronte; quantum si me contortis sophismatis oppressum indigna etiam contumelia vexasset, leuem, & futilem appellando, quod in aliqua opinione dignitatem constituissem. Timui igitur initio, cum te de leuitate opinionum disputantem animaduerti, ne me nullas eiusmodi insidias suspicantem acumine Zenonis oppugnares. Sed, postquam dixisti, non tibi placere omnia ad illam exactissimam sapientiæ normam dirigi; teque vidi ad hoc mitius disserendi genus oratione delapsum, illam ætatem auream luculenter explicantem; continuo respiraui. Non dubitas enim, quin, si genus aureum exstaret, tunc is, qui se multitudini probauisset, fuisset omnino splendorem virtutis assecutus: Si hoc inter nos conueniat, non erit difficile demonstrare, cum etiam, quem hæc gens, quam vos Poetæ ferream appellare soletis, laude perpetua dignum existimarit, esse omni virtute cumulatum.

HOC

Assumptio p instant. am.

HOC quidem, inquit, scire sane vellem, qua ratione te id probare posse confidas.

QVIA, inquam, insipientis multitudinis de rebus laudandis, & vituperandis opinio, a sapientium sententia non discrepat. Si igitur in illius aurei, hoc est, sapientis gentis opinione de alicuius dignitate cõcepta, erat aliquid excellens, atque magnificũ; non erit dubium, quin id etiam, quod imperitum vulgus mirifice laudandum putarit, sit honestum, & laudabile existimandum.

Repetitio superiorũ brevis.

HOC igitur, inquit, effice, si potes, multitudinis opinionem a sapientiæ decretis minime dissentire. Nec enim te impedire volo.

HOC, inquam, plane effectum arbitror. Iam enim disputatum est, fieri nõ posse, vt virtutis decus animaduersum, non vniuersis hominibus admirandum, atque summo studio complectendum videatur. Tantas enim vires virtus habet, vt ab hostibus etiam egregiæ dignitatis confessionem exprimat. Hoc autem voluit ostendere Homerus, cum Priamum inducit in senum consessu, Agamemnonem, & alios Græcos Principes, a quibus ingẽtes clades acceperat, eximie laudãtem. Sed quid hostes admiramur, cum illi etiam, qui non cum hominibus, sed cum virtutibus bellum omni scelere imbutum gerunt, ipsarum virtutum splendore, & elegantia obstupescant? Illud enim, quod dicebas, talem nos opinionem de rebus laudandis, & vituperandis accipere, quales sunt ij mores, quibus instituti sumus, qui tibi concedet, qui modo in ipsius naturæ vim acutius intenderit? Omnes enim nati sumus ad decus, & honestatem, hisq. virtutum seminibus inclusis fit, vt, quamuis prauis moribus imbuti, & perniciosis legibus instituti simus, vnam tamẽ virtutem summis laudibus efferendam iudicemus. Nec vllo modo tanta morum, aut rerum pernicies incidere potest, vt rerum natura vertatur. Quis enim quæso est adeo flagitijs omnibus coopertus, vt non cupiat se iustũ, & grauem existimari? Si enim flagitia multitudini pulchra viderentur, cur ea impuri homines tanto studio celarent? cur explendæ libidinis gratia tenebras, & lustra sequerentur? cur eos post susceptum scelus intemperantiæ suæ pæniteret? Nam, cum aliquis aut turpitudinis illecebra delenitus, aut alia quauis animi perturbatione concitatus flagitium committit, vbi primum ille motus animi resident, qui rationis iudicium impediebat, multis signis ostendit, quam acerbo animi cruciatu afficiatur ex illius maculæ conscientia. Hinc illa Phædra, priuigni amore insaniens, atque a mollissimo vitæ cultu ad venationis studium traducta, ab Euripide lamentans inducitur. Cum enim amore furens nihil aliud, quam tela, canes, & montes inclamaret, vbi se colligit, ita suum dedecus lamentatur:

Nati ad decus omnes sumus.

Phædra insaniens.

Euripides in Hippolyto.

Miseram me, quod facinus feci?
Quo me traxit furor inuitam?
Agit in præceps dira calamitas.
Heu, heu infelix,
Iterum, nutrix, caput occulta
Nostrum: nam me pudor oppressit.
Tege: nam lacrymas oculi stillant,
Vultumque rubor nimius tinxit.
Rediens sensus cruciat animum,
Amens trudor in exitium, sed
Præstaret tunc funere mergi,
Cum sensum furor eripit omnem.

Amentes rudorem retinent.

Videtis in Phædra etiam scelere, & amentiæ furente, non esse penitus exstinctam indolem pudoris, & honestatis? Sed quid Phædram admiramur, cum Medea, mulier omnium scelestissima, multiplicique parricidio contaminata, apud eundem Poetam Corinthijs mulieribus persuadere nititur, sese nullos officij numeros præteriisse. Sed fabulas omittamus. Non enim illis nobis opus est, cum ipsa vita communis infinita exempla suppeditet. Quis enim vmquam fuit adeo impurus, & flagitiosus, qui non suspiceret fidem, continentiam, animique excellentis altitudinem? Sume ex omni memoria quem velis. Vis ne Dionysiũ illum superiorem, terterrimum hominem, & impurissimum. Multa quidem ille contra generis humani societatem impie, atque nefarie commisit, & patriam a se durissima seruitute oppressam multorum cæde finestauit. Num illius inueterata perfidia, & immanitas efficere potuit, vt non fidem, & animi constantiam laudabilem existimaret? Non profecto. Quantum enim amicitiæ sanctitatem suspiceret, aperte declarauit, cum exemplum singularis amicitiæ, atque fidei in duobus Pythagoricis admiratus, exclamauit: Vtinam ego vobis tertius amicus adscriberer. Idem, cum parasset insidias Polyxeno viro spectatissimo, qui Cestam illius sororem in matrimonio habebat, isque Polyxenus metu perterritus in Italiam fugisset, Cestam acriter incusauit, quod non indicasset mariti consilium. Tum Cesta: Adeo ne me, inquit, dignitatis oblitam putas, vt, si rescisuissem, quæ vir meus animo agitabat, non me illi eiusdem fugæ, atque fortunæ comitem præbuissem? Multo enim erat mihi ad dignitatem aptius, vxorẽ exsulis Polyxeni, quam Dionysij tyranni sororem appellari. Quid deinde secutum est? Tyrannus ipse, vir immanis, & truculentus, illius virtutis admiratione perculsus, Cestam post illam diem multo officiosius obseruauit. Iam filius eius, quamuis patris scelera immensa luxuria cumulasset, satis ostendit, quid de sapientiæ, atque virtutis amplitudine sentiret, cu Platonem honoribus diuinis affecit: quem tamen postea Syracusis ablegauit, ne videlicet in illius conspectu turpior appareret. Omitto præclaram Phalaridis indolem: nihil dicã de multis alijs tyrannis importunissimis, vt ad Neronem tandem perueniam, quo quidem nullum terrius, aut immanius monstrum tellus

Probatio antecedentium per exempla

Trãsitio per commemorationem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

extulit. Parum ne multis ille signis ostendit, quam magnifice de virtute sentiret? Quanto studio quodam tempore viros excellenti ingenio complexus est? Quanta industria musicen, & alias ingenuas artes excoluit? Cum autem omnes suas opes in singularem nequitiã contulisset, inauditaque scelera cõcepisset; cupiebat tamen sese continentem & grauem, summumque populi Romani Rectorem appellari. Numquam certe Nero virtutis egregiæ nomen concupisset, nisi in ea quamplurimum dignitatis inesse iudicasset. Quid, postquam matrem necauit? Num quid illæ ipsæ matris furiæ, quæ mentem ipsius assiduo cruciatu lacerabant, parum aperte docebant, numquam in hominibus, quantumuis perditis, & effrenatis, sensum honestatis exstingui? Numquam enim conscelleratos homines tantum sceleris conscientia vexaret, nisi hæsisset eorum animis, nihil esse scelere fœdius, nihil tetrius, nihil detestabilius. Quod si Nero, homo omniũ sceleratissimus, si homo ille appellandus est potius, quam importunum quoddam mõstrum, atque prodigium, & scelus odio dignũ, & virtutem laudabilem, & amandam esse iudicabat; quis animo fingi potest, adeo consuetudinis improbitate victus, vt virtutis magnificentiam non suspiciat? Dies me deficeret, si vellem exemplis hanc sententiam confirmare. In re tamen adeo perspicua vnico tantum, eoque recenti, atque domestico contẽtus ero. Fernãdus quidam fuit, Regius Lusitaniæ princeps, Ioannis Regis hoc nomine primi filius. Is, defuncto patre, cum ab Eduardo Rege illius fratre exercitum cum imperio obtinuisset, in Africam traiecit, atque, signis collatis, ita parua manu cum innumerabili hostium multitudine sæpe conflixit, vt semper ex illis victoriam reportaret. Sed tandem effectum est, vt insidijs oppressus in hostium potestatẽ peruenirẽt, & in mediterraneas Mauritaniæ regiones deportaretur. Occuparat illic tyrannidem Lazerachus quidam, homo auaritia immani, luxuria infinita, feritate incredibili præditus. Cum autem Fernandi redemptio fuisset in longinquũ tempus dilata (nihil enim inter nostros, & Maurum conuenire poterat) accidit tandem, vt Fernandus ipse multis doloribus in ergastulo perfunctus vitam ederet. Eius tamen morte tyranno nuntiata, tradunt illum quasi stupore perculsum diu siluisse, atq. tandem hæc verba protulisse: Profecto, si vir hic non ita Mahometi institutis infensus, & inimicus exstitisset, fuisset in omni ætate diuina laude cumulandus. Fuit ille quidem in omni genere honestatis excellens: ego tamẽ tres illius virtutes præcipue sum semper admiratus. Constat enim illum numquam sese Venere vlla commaculasse, nec vniquam in vita mentitum fuisse; Deumque semper ardentissima pietate coluisse. O vim virtutis admirandam, quę hominibus etiam dedecore, flagitio, turpitudine contaminatis eam affert necessitatem, vt vel inuiti decoris, & honestatis excellentiam laudibus in cælum tollant. Num clarius naturæ indicium exspectatis? Perfidio sus homo, atque adeo ex fraude, & mendacio compositus, singularem fidem admiratur, in omni libidine tetre, & impure volutatus, sanctissimi viri castitatem celebrat: hostis sanctitatis, purissimum, & ardentissimum religionis studium laudibus efferendum putat. Ergo, si virtus tantum valet, vt ijsdem ipsis, quorum cupiditatibus infesta est, admirationem ingentem commoueat; quid conuenit afferere, nos laudem non natura, & splendore suo, sed studio, & cupiditate nostra metiri. Si enim ita esset, qui turpi voluptate ducuntur, nullo modo continentiæ pulchritudine mouerentur. Neque, qui alienum appetunt, innocentiam laudarent; neque sceleſti, & impuri castitatem religionis extollerent. Quod quam falsum sit, satis esse probatum arbitror. Quamquam in re minime dubia confirmanda longior fui, quam fortasse cõueniebat. Nihil est enim magis perspicuum, quam vniuersum genus humanum in virtutis laude mirifice consentire. Et hoc fit, vt dictum est, non lege, more, aut instituto, sed insito naturæ iudicio. Vt enim Solem lucere, ignem calere sentiunt vniuersi; ita mortales omnes, quantumuis impuri, iudicant virtutis excellentiam esse admirandam, & prædicandam, & omnium studio complectendam. Nam ad id, quod dixisti, infames homines, & impuras mulieres in ludicris, aut flagitiosis artibus exercendis certo laudis præmio affici solere; iam responsum est, turpitudinem ipsam per se a nemine laudari posse: sed illud aptum, atque concinnum, quod in forma, in cultu, in motu, in gestu deniq. corporis enitescit. Quæ tamen honestatis similitudo non tantam vim habet, vt impuras artes vulgo laudabiles efficiat. Numquam enim vt probrum obijcerentur, si hominum vulgus existimaret, alicuius expetendi decoris laudem in illis esse sitam. Quod autem ad Sisyphum, & Autolycum, & Vlyssem attinet, intelligi oportet non in illis vanitatem, sed sapientiæ speciem fuisse laudatam. Sapientis enim hominis officium existimatur, multa dissimulare, multa etiam interdum Reip. causſa simulare, & hostes insidijs calide circumuenire: quibus artibus apparet, tres illos priscis temporibus nobilitatos exstitisse. Nec tamen Homerus, quamuis multa præclare dicat, est in omnibus audiendus. Multa enim mentiuntur Poetæ, vt est in veteri prouerbio.

Nero virtutis cupidus.

Fernãdus Lusitaniæ Princeps.

Perfidiosus homo quid miretur.

Comparatio a Sole.

Fernandus moritur.

Sapientis officium.

IIX.

CVM igitur, vt ad propositum redeamus, exploratum sit, tantam esse admirationem virtutis, tantum ipsius honestatis splendorẽ, vt tyrannos etiam, homines feros, & humano genere pestilentes, commoueat; quid de populo tandem vniuersõ existimandum est? Cõstat enim ex ijs, qui nec insigni scelere contamina

ti sunt, nec rursus egregię virtutis specie commendati, virtute namque excellentes multis annumerari non possunt: & qui insigni aliquo scelere publicum otium perturbant, omnium consensu a vitæ communione repelluntur. Est igitur Populus, multitudo collecta ex ijs, qui vel aliquã officij mediocritatẽ tueri possunt, vel in leuiore aliquo flagitio versantur. Hic tu quantam orationem consumpsisti in accusanda libidine populorum, in amenti multitudinis insectanda, in communibus vitæ flagitijs describendis?

Populi definitio.

IX.

IN illa vero explicatione ciuilium seditionum, atque publicarum calamitatum exsultauit oratio tua, omnem antiquitatis memoriã repetens, atque demonstrans, omnia imperia populorum amentia, & scelere concidisse. Sed, mihi crede, habuit multum iniquitatis accusatio tua. Prætermisis enim bonis, populorũ opera, & industria constitutis, in eorum tantum malis enumerandis, vitijsque omnibus seligendis versata est. Quid enim quæso fuisset ad humanæ vitæ præsidium, & cultum vtiliter inuentum, si non multitudinis labor, & manus accessisset? Vt enim hic omittam terræ culturam, ędium exstructiones, vrbium munitiones curationem valetudinis, nauigationem, & artes innumerabiles, ad vitam sine cura degendam populi ipsius ope, & diligentia constitutas: recte profecto viuendi disciplina, mores & institutа nulla fuissent, nisi hominum multitudo iure sociata vnum in locum conueniſſet. Nam, si homines in siluis dissipati bestiarum more vagarentur, quis humanitatis cultus, aut quod verecundiæ signum in rebus humanis exsisteret? Ciuitates igitur indolẽ adolescentem excitauerunt, atque paullatim hominum ingenia excolentes, ad honestatis splẽdorem instruxerunt. In illis religio, & officiũ ortum est, ibi iustitiæ lumen eluxit, ibi magnitudo animi, ibi modestia, & reliquæ virtutes exstitere. Quin etiam artium maximarum studium, occultarumque rerum inuestigatio, & inuentio nulla esse potuisset, nisi prius summorum hominum ingenia fuissent ciuilibus institutis manſuefacta, & exculta ad rerum naturam acriori mentis acie perspiciendam. Neque solum hoc præstat ciuilis cultus, vt homines ab agresti vita ad humanitatẽ traducti, facilius humanarum, atque diuinarum rerum cognitionem capiant; verum etiam vt secure, atque commode vitam in naturæ perueſtigatione consumant. Nullo enim modo summi viri sapientiæ studia colere potuissent, nisi multitudinis ope eorum vita muniretur, multorumque hominum inuentа ingentem illis materiam ad naturæ explicationem suppeditarent. Omnes igitur artes, quarum præsidio vitam sustentamus, & vim bestiarum, imbrium, hostium arcemus, & animum sapientiæ disciplinis excolimus, atque postremo homines sumus, ipsius multitudinis ope inuentæ, atque perfectæ sunt. Hæ tam multæ vtilitates quanã tandem ratione a populis manare potuissent, nisi fuisset innatus omnibus insignis quidam pudor, & publicæ incolumitatis appetitus? Quis enim quæso est in populo, legibus, atque moribus constituto, qui a caritate humani generis abhorreat? Nec enim solũ liberos, parentes, propinquos, sed ciues etiam, atque adeo genus humanum sibi naturali amoris fœdere sociatum vident. Quam dociles autem sint ad omnem recte viuendi disciplinam, si modo rectores habeant & prudentia graues, & publicæ incolumitatis amantes, est explicatu difficillimum. Mirum enim est, quam omnes Magistratus & Principes vereantur, & viros omni virtute præstantes obseruent, vsque adeo, vt excellentis hominis conspectu furor omnis concidat, & incendium seditionis exstinguatur. Quod Virgilius elegantissime describit.

Ciuitates palæstræ disciplinarum.

Cultus facit dociles.

Magno (inquit) in populo cũ sępe coorta est
Seditio, sæuitque animis ignobile vulgus:
Iãq. faces, & saxa volãt, furor arma ministrat.

Aeneid. 1.

Nõ potuit magis ante oculos ponere turbulentæ discordiæ tempestatem. Sed videte illius sedandæ facilem & expeditam rationem:

Tũ pietate graue, ac meritis si forte virũ quẽ
Conspexere, silent, arrectisque auribus adstãt.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Ibidem.

Cernitis, quantũ habeat auctoritatis apud populum, furijs etiam ad tętrum, & immane facinus excitatum, prudentiæ, constantiæ, atque probitatis opinio? Non est necesse id exẽplis confirmare. Plenæ historiæ sunt: neque est quidquam magis peruulgatum, quam prudentium, & grauium hominum auctoritate populi furores omnino comprimi, & turbidas sedi tiones exstingui. Quid illud? nonne magnum argumentum est, nihil esse apud populum virtute illustrius, quod eos magnificiat, qui præstantium hominum testimonio comprobantur? Non enim mediocrem laudem inueniunt ij, qui se ad claros, & spectatos viros adiungunt, & ab illis diliguntur. Hos itaque multitudo statim incipit admirari, quamuis nondum eorum recta studia perspicit. Satis enim ad magnum decus existimat esse, datũ illis a summis hominibus, virtutis, & industrię testimonium. Hoc animaduertentes Poetæ, fecerunt eos, quos ornare volebant, quorundã Deorum familiares, vt Vlyssem Mineruæ, Aeneam Veneris, Hippolytum Dianæ; vt multitudo in tanta gloria ponens approbationem hominum virtute præstantium, tanto magnificentius de illis iudicaret, quos audiret fuisse Deorum familiaritatibus implicatos, quantum diuina sententia hominum iudicijs antecellit. Ergo, cum omnes homines maximam quidem laudem arbitrarentur esse, a diuina mente comprobari, proximam autem a viris diuinis in pretio haberi; quid est magis perspicuum, quam omnes ad virtutis, & sapientiæ laudem conspirare?

Furores populi quid cõprimat.

Poetæ quomodo laudent.

Artes vndenatæ.

NAM,

Universidad de Deusto
Biblioteca

X.

NAM, quod, ais populum ingratum semper, & improbum in ciues benemeritos exstitisse; si recte iudicare de omni caussa velimus, eũ certe huius inuidiæ crimine liberabimus. Eas enim calamitates, quas viri excellentes in liberis populis hauserunt, magna ex parte reperiemus paucorum perfidia illatas multitudine reclamante. Obijt in carcere Miltiades, in quem fuit non populo, sed Xãthippo ac cusante deductus. Populum enim in iudicio valde propitium expertus est. Theramenes triginta tyrannorum iussu venenum sumpsit inuito populo, necemque illius ægerrime ferente. Hausit in ea ciuitate venenum Phociõ, calumnia paucorum, Macedoniæ regibus gratificantium: at vniuersa ciuitas ob illius mortem in luctu versata est. Quid Socratis necẽ? Quid Xenophontis exsilium? Quid Demetrij fugam? aliorumque hominum industria præstantium exitus miserabiles oratione complectar? Parum ne constat, eos omnes ferme inuita multitudine in clades illas incidisse? Quantum mærorem, vt de Romanis loquar, exsiliũ Cæcilij Metelli Numidici, gentilis, o METELLE, tui, ciuibus vniuersis attulerit, quantam rursus voluptatem ex illius restitutione cuncti ciues exceperint, dici vix potest. Fuit Clodij cõductis operis in exsilium pulsus Cicero: at illius discessu omnis ciuitas incredibili dolore confecta fuit. Quid de illius restitutione dicam, tanta totius Italiæ gratulatione celebrata? Quanto amore populus vniuersus Catones, Paullos, Marcellos, Scipiones, & omnes egregios viros complexus est, vt eorum casus, & incommoda dolenter tulit, quam grata voluntate fuit semper summorum hominum memoriam persecutus, doctorum hominum scripta declarant. Quare Africanum illum superiorem valde admiror, Linternũ patriæ, quæ illum amplissimis honoribus auxerat, prætulisse. Quin etiam tradunt morientem præcepisse, vt sepulcrum sibi in eo ipso loco, quem exsilio voluntario delegerat, ædificaretur, ne ossa illius ingrata patria contineret. O vocem tanto viro indignam. Tu ne ingratam patriam appellas eam, quę te tantis beneficijs ornauit? Illa te admodum iuuenem in summo imperio locauit; eadem summis viris, gloriã, & dignitatem tuam imminuere cogitãtibus, incredibili studio restitit: quin etiam eo ipso die, quo erat tibi iudicium subeundum, suum erga te studium declarauit, cum; deserto foro, neglectis tribunis, & insigni contumelia vexatis, te omnia templa salutãtem prosecuta est. si patriam appellas duos Petillios, qui tibi diẽ dixere, non recuso, quo minus eam, vt ingratam, & immemorem, scelere condemnes. Si autem patria est vniuersa ciuium multitudo, cũ hæc te semper ornarit, & auxerit, tuæque dignitatis amplitudini nullo in loco defuerit, non in ea gratum animum, sed in te prudentiam requiro. Idẽ, quod de Scipione diximus, de omnibus ferme præstantibus in Republ. gubernanda viris dicendum est. Vix enim fuit vmquam egregius homo, qui nõ populo egregie carus exstiterit.

Theramenis interitus.

Cæcilij Metelli exsiliũ.

Africanus moriens.

XI.

AIS præterea, populorum amentia ciuitates, & imperia corruisse. Verum id quidem est; sed ea ipsa imperia populorum opera, & industria fundata, & amplificata sunt. Non, inquies, sed paucorum consilio & sapientia. Fateor equidem. Sed, si ea iusta caussa est, cur populos ab ea laudis societate repellas, quod nõ per se, sed paucos secuti vrbium fundamenta iecerint, & ciuilem societatem diutissime coluerint; eadem ratione defendam non esse verum, causssam publicæ calamitatis populis attribui. Non enim per se, sed paucos secuti omnia perdiderunt. Quæ igitur inuidia est, id illis crimen inferre, quod præcipue pertinet ad principes, eorum inscitia ad suam dominationem intemperanter abutentes; & laudem illis cum principibus communem, ad principes vniuersam transferre? Si verum itaque fateri, & rectis populorum studijs vitia pensare velimus, multo plura bona, quã mala reperiemus rebus humanis fuisse opera multitudinis importata. Quæ quamuis interdum turbetur, & in perniciem irruat, ducta tamen sæpe ipsius honestatis splendore a flagitio reuocatur. Vt enim mare diutius sedatum atque tranquillum, quam tempestate cõcitatum animaduertimus; ita populum diutius quietum, quam seditione commotum adspicimus. Hanc tu populi causssam si tueri voluisses, quantum eampum haberes, in quo oratio tua posset excurrere, & quomodocumque vellet libere vagari? Facile enim potuisses, quæ tua copia est, infinitis exemplis ostendere, quantus amor honestatis fuerit semper omnibus populis ingenitus. Atque primum res ab Atheniẽsibus gestæ (nescio enim quo modo ciuitatis illius, omnium disciplinarum altricis, exempla libentius vsurpamus) ingentem tibi materiam afferrent. Commemorares enim, quam sæpe omnis populus honestatis tuendæ gratia extremum discrimen adierit; quam illustres contẽtiones pro iustitiæ defensione, & totius Græciæ libertate susceperit, quanto impetu, & ardore cum summo fortunarum omnium periculo supplicibus opem attulerit. Quod si Spartam orationis ipsius cursu, & impetu delatus esses, quam multis, & quam memorabilibus exemplis disputationem locupletare potuisses? Explicares enim puerorum institutionẽ, studia iuuentutis, ipsius senectutis grauitatem, vniuersique populi in virtutis studio consensionem. Tum, ea, quæ Lacedæmoniorum multitudo pro Græciæ defensione fortiter, atque laudabiliter gessit, quæ recte, temperate, & constanter administrauit, luculenter exponeres. Iam Romanæ gentis mores, & instituta, quam amplam orationis segetem tibi suppeditarent? Quæ enim tantæ fides, tanta iu-

Obiectio per confirmationem.

Comparatio a mari.

Athenienſium res gestæ.

Lacedæmoniorum pro quibus pugnatum est.

risiurandi

risiurandi religio, tantum honestatis studium in vllis vmquam fuit? An tu credis fieri potuisse, vt populus ille tam longe, lateque imperiũ augeret, idq. tam multis annis conseruaret, si non artes præclaræ, quibus erat instructus, multis partibus eiusdem vitia superassent? Nullo modo, mihi crede, non dico imperium augere, sed ne ciuitatis quidem vnius opes diu tueri potuisset, si plus apud eum libidinis, & ignauiæ turpitudo, quam laus industriæ, & continentiæ valuisset. Nihil enim est, quod sine virtutis, & modestiæ præsidio possit esse diuturnũ. Vt autem hic Gallos, & alios populos rerum gestarum gloria florẽtes omittam, quo modo tu Hispanæ nationis facinora verbis extolleres? vt singulas res vniuersæ Hispaniæ consensu contra Christiani nominis hostes susceptas exornares? Diceres enim, quanta virtute Hispani pro religione dimicarint; quanta contentione patriam defenderint; quanta fide reges, & principes amplexi fuerint. An tibi, homini eloquentissimo, in tam vera, & expedita caussa oratio defuisset?

Nil sine virtute diuturnum.

XII.

QVAM autem similitudinem truculentæ bestię inducis, alienam, puto. Non enim, vt inuitis bestijs, atque recusantibus sunt iniecta vincula, sic hominibus leges impositæ. Homines enim non vis, sed ratio impulit ad leges accipiendas. Rationi autem injici vincula nõ possunt. Quæ vis enim quæso multitudini inferri potuit? Aut quo supplicij metu vniuersum populum coges legibus obedire? At constat, sæpenumero multos, vt patrijs legibus obtemperarent, ad non dubiam mortem concurrisse. Vnde in Spartiatas, qui apud Thermopylas duce Leonide ceciderũt, exstat illud Simonidis Epigramma: a nostro Cicerone versum: Dic hospes Spartæ, nos te hic vidisse iacẽtes, Dum sanctis patriæ legibus obsequimur. Ergo, qui, vt legibus parerent, mortem expetiuerunt, eos certe constat non metu coactos, sed honestatis amore ductos, ad quã eos leges erudiebant, seipsos in vitæ discrimen intulisse. Nec enim, si hosti cessissent, erat illis aliqua pœna præter ignominiam subeunda, quam vt vitarent, sanguinem suum patriæ largiri voluerunt. Hoc etiam de multis alijs nationibus affirmari potest, quæ vsque ad extremum spiritum pro institutis patriæ decertarunt. Hoc ipsum autem est magnum argumentum docilitatis ad honestatem, quod vniuersi populi leges vereantur. Sunt enim magistræ morum, & officij disciplinam contineut. Sed eas, inquis, nõ esse graues, & honestis, sed flagitiosis hominibus scriptas. Equidem, vt fatear eas non esse perfectis hominibus impositas, ita necijs, qui omnem moderationem repudiant, scriptas esse defendam. Hoc enim est illis propositum, vt humanum animum ad omnia virtutis officia natum, sed domesticis interdum vitijs a natura discedentem, ad naturam suam reuerti cogant. Nam duplex est animorum cultus. Vnus positus est in Philosophia, qua splendida ingenia sapientiæ opibus excoluntur: alter in legibus, & institutis, quibus imperfecti, & mediocres homines ad officium eruiuntur. Quod enim præstat altissimis animis altissimarum rerum cognitio, hoc, licet non eodẽ modo, præstat multitudini disciplinæ ciuilis institutio. Vtraque enim facultas id efficit, vt ratio coerceat temeritatem. Vt igitur, qui apti sunt ad sapientiæ disciplinam, Philosophiam colunt, vt sapientes euadant; ita, qui nondum moribus recte constituti sunt, natura tamen propensi sunt ad honestatem, legibus viuentes in dies honestiores fiunt. Sunt enim leges, præscripta rationis, ad officium impellentia, & a flagitio multis modis auocantia. Partim enim sceleratos homines de medio tollendo, partim mediocres homines ad honestatem præmio laudis incitando, multitudinẽ bonam, & obsequentem efficiunt. Vt enim medicina resecat interdum partes insanabiles, ne earum contagio totum corpus inficiat; ita leges extremo supplicio inexpiabile scelus cõprimunt, ne ex illo quasi quædam lues ad vniuersam Rempublicam permanet. Et, quemadmodum, vt in eodem simili versẽr, vbi salus omnino desperata est, ibi nullus medicinæ vsus esse potest; ita, si mores publici fuissent omnino corrupti, numquam fuisset in scelera vindicatum. Nam neque curatio desperatis adhibenda est, neque corruptæ partes exscindendæ, si totum corpus est similiter affectum. Hic tu populum ipsum, quasi belluam immanem, inuitam, atque repugnantem, legum claustris inclusam esse vis. Quasi non ab ipsis populis expetitæ leges, atque comprobatæ sint. Aliter enim, cur tanti honores Lycurgo apud Lacedæmonios publico omnium consensu decreti fuissent? Cur apud Athenienses Solonis nomen in tanta laude floruisset? Cur Romani ciuitatis principes in Græciam mississent, qui leges a sapientissimis hominibus latas describerent? Cur omnibus, qui leges dedere, summa rerum omnium potestas permissa fuisset? Omnes enim constat in suis ciuitatibus principatum tenuisse. Omitto illa antiquiora de diuinitate credita, Mercurij apud Aegyptios: de Minoe, & Rhadamantho, qui filij Iouis habiti sunt: de multis alijs legumlatoribus, qui fuerunt populorum opinione in Deorum numero repositi. Velim igitur mihi dicas, quæ nam bellua immanis vincula expetiuit vmquam, aut diuinos honores habuit illis, a quibus alligata est?

Docilitatis argumẽtum.

Animorũ cultus duplex.

Legum descriptio.

Desperatis curatio neganda.

Transitio.

XIII.

QVID illud? Multa enim in publico more posita pro lege habenda censent illi, quos auctores habetis: Sic enim, vt alios omittam, vester Iulianus ait. Cum ipsæ leges nulla alia ex causssa nos teneant, quam quod iudicio populi receptæ sint, merito & ea, quæ sine vllo scripto populus probauit, tenebunt omnes. Ex hac Iuliani sentẽtia, quam reliqui omnes sequun-

Leges quo modo non teneant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sequuntur, apparet, quantum sit publico iudicio tribuendum. Numquam enim viri grauissimi, atque prudentia præstantissimi, tanti fecissent vniuersæ multitudinis approbationẽ, nisi acute vidissent, illius voluntatem esse plerumq. cum honestatis studio, legumq. prudentia mirifice congruentem. Quod si lex est, vt placet Demostheni, Deorum inuentum, atq. munus, aut, vt inquit Aristoteles, mens omni perturbatione vacua, eaq. de caussa diuina: constatque populi morem, & legem ratam effi cere, & pro lege reputari; efficitur plane, populi plerumq. iudicium cum diuina mente consentire. Quod igitur tu pro argumento sumis amentiæ popularis, id maxime populi pudorem, & verecundiam confirmat. Continent enim leges, quibus populi deuincti sunt, totius honestatis disciplinam, vniuersumq. Reipubl. statum præsidio suo communiunt. In quo autem inuidiam ex tyrannorum immanitate pudo concitare voluisti, parum mihi visus es attendere, quantum iudicium honestæ indolis in populis exstiterit, tunc etiam, cum tyrannos publico præsidio armabant.

XIV. Vulgus ad honestatem propensus.

QVANTVM enim sit multitudo ad honestatem propensa, ex eo perspicitur, quod nemo vmquam ad eam astu capiendam accessit sine virtutis egregię simulatione. Quis enim vmquam tyrannidem affectauit, qui non prius omnem cõtentionem in eo adhibuerit, vt vir virtute excellens, & publicæ incolumitatis amans haberetur? Quemadmodum enim aucupes aut esca, aut fistula anes alliciunt, atque tandem improuidas illaqueant; ita, qui populum insidijs opprimere statuunt, hoc primum aucupio simulatæ virtutis sibi vtendum putant. Numquam profecto malitiosi homines hac arte sibi populum capiendum existimarent, nisi intellexissent illum virtutis specie delectari. Ergo, si populi voluntatem respicias, videbis eum tunc etiam, cum ad homines improbissimos omnes opes Reipublicæ deferebat, plurimum virtuti tribuisse. Non enim illos, sed virtutem, quam esse in illis existimabat, ornandam esse ducebat. Idq. vbi primum dolum sentire potuit, aperte ostendit. Quantum enim odium in tyrannos, & quam immane concipiat, quam inimicus, & infestus sit omnibus, qui simulata virtute populis illuserunt, explicari non potest. Multa dici alia possunt, ex quibus liquido constet, quam sit vt plurimũ omnis multitudo honestatis appetens, & infensa turpitudini. Sed minime necesse est. Hoc enim dico, cum populi mores immutati perniciem Reipublicæ minitantur: etiam ciues perditi, effrenataq. libidine furentes sese flagitijs omnibus inquinant: cum, vt rerum humanarũ conditio postulat, Reipublicæ fatalis exitus appropinquat: tunc etiam omnium testimonio virtutis excellentiam comprobari. Testem autem teste potissimũ vtar. Sic enim ais, nomina rebus immutari, malitiam appellari vulgo sapientiam, audaciæ virtutis nomen imponi. Si igitur tantum studium exsistit in omnibus improbis occultandi flagitij, virtutumq. nomina captandi, nonne satis apparet eos omnes egregie de virtute iudicare? Addis præterea, in periculis constituti optimorum auxiliũ implorant, metu autem liberati, eosdem e patriæ finibus expellunt. Nõ cernis igitur, quantum in omni fortuna testimonium a corrupta multitudine viris optimis impertiri soleat? Nam, qui in communi rerum omnium perturbatione, in rebus desperatis, cum ad delubra omnia confugiant, vt iram diuinam religione placent, a viris etiam bonis, quasi a quodam numine cælesti auxilium implorant, iudicant certe in illis diuinam virtutem elucere. Qui vero secundis in rebus ciues bene meritos eijciunt, aut in eos improbi sunt, quod intelligãt eorum virtutem, & continentiam pecuniarũ cupiditati, voluptatumq. libidini repugnare, aut, inuidia ducti, virtutis præstantiam æquo animo adspicere nequeũt: si, vt licentiam suarum cupiditatum obtineant, quid illustrius, quam declarari ab hominibus libidini deditis, sese præsentia hominis vnius, tamquam luce Solis, offendi? Nec enim perdit, homines de illo præclaram opinionem habent, quem flagitij testem habere non reformidant: si æstuantes inuidia egregios viros exterminant, eos plane iudicant esse diuinis copijs affluentes. Ijs enim, quæ quisq. contemnit, nemo inuidet, sed ijs, quę pulchra, & eximia putat, Quid est igitur clarius, quam in omni fortuna semper excellentem virtutem furiosi etiam populi consensu in laude versari?

Optimorum auxilia quando imploran tur.

Spes mala de quibus.

XV. Tria virtuté impediunt.

IN vniuersum autem tria sunt, quæ aliquo tempore expressam laudẽ virtutis impediant. Nam aut flagitiosa cupiditas incitat homines ad laudem honestatis obterendam, aut inuidia ad exstinguendam, aut inscitia ad obscurandam. Cum enim, vt primum de cupiditate loquar, animus æger, quasi graui morbo oppressus, ad studium virtutis excitari nequit, seq. nefariæ voluptati constringendum dat, indigne patitur, proprium scelus aliorum splẽdore coargui. Hoc igitur instigat homines amentes ad aliud facinus longe detestabilius obeundum. Intendunt enim insidias optimo cuique, machinas omnes adhibẽt, vt eum aut interimant, aut exterminent, vt ita tandem possint per omnia genera libidinum vagari. Vt igitur lucem oderunt, non quia parum iucundam adspectu, aut parum rebus humanis vtilem existimẽt, sed quia suis interdum flagitijs eam aduersari conspiciunt; ita virtutem interdum nefarie persequuntur, non quia lumen illius parum cæleste, atque diuinum arbitrentur, sed quia vident illud esse sceleri contrarium, & inimicum. Ergo, vt ad suscipienda flagitia opportunitate noctis vtuntur; ita, luce virtutis amota, credunt se multo liberius peccaturos. Vident enim, illius discessu, nocte, atq.

Mores quid in Republica

Noctu qui vagentur.

atq. tenebras, quasi occidente Sole, futuras. Hæc itaq. flagitiosę cupiditatis immanitas est interdum impedimento, quo minus virtus pleno ore laudetur. Inuidia deinde, quantum potest, eam refringere conatur. Est enim malum tętrum, detestabile, exsecrandum, omnibus bonis infestum, rebus humanis pestilens, atq. mortiferum. Hæc vbi animis hominum quasi furias quasdam immittit, ita eos amentia præcipites exturbat, vt in amicorum etiam perniciem instiget. Dũ enim pleriq. dignitate principes esse cupiunt, idq. non tam industria excellenti, aut acri virtutis studio, quam alienæ laudis imminutione se assequi posse confidũt; omni impetu feruntur in eos, quos vident insigni dignitate præditos, vsque adeo, vt neq. familiaritate, neque propinquitate, nec vlla deniq. coniunctione a tanta sceleris immanitate deducantur. Nihil est enim tam sanctum, nihil tam omni religione munitum, quod non inuidia violare soleat. Intimos enim sensus lacerat, atq. consumit, tantumq. dolorem efficit, vt menti lucem eripiat, & ab omni alia cogitatione ad virtutis exitium traducat. Hinc igitur doli, fraudes, insidiæ, hinc tela comparata in bonorum pestem, atq. perniciem, hinc turbulentissimæ tempestates excitatæ. Attamen, quo maiorem dolorem capiunt homines perditissimi ex aliena dignitate, eo clarius indicium iudicij sui dant. Numquam enim tanta inuidia æstuarent, nisi plane cernerent, eas opes, quibus homines singulari virtute in omni genere redundant, esse laude immortali dignas. Ergo neq. flagitiosi homines, cum impune libidini, atq. dedecori seruire cupiunt, nec inuidi, cum alienæ dignitatis adspectu cõtabescunt, aliter de virtute iudicant, atq. viri boni, quamuis id omni ratione diſsimulent. Considerandum tamen est, quam breuis & quam imbecilla sit illa fraus hominum aliena dignitate dolentium. Quamuis enim primos impetus habeat vehementes, interposito tamen spatio consenescit, atq. tandem vires omnes amittit. Illi enim ipsi, qui omnia effrenata libidine metiuntur, qui virtutem intueri nequeunt, eandem paullo post, vi naturæ victi in omni ætate celebrandam, atq. religione consecrandam existimant. Obscurum ne est, vbi primum virtus ab omnium conspectu remouetur, omnem inuidiæ tumorem residere, & spectatos homines ab ipsis inuidis requiri? Tunc enim omnes virtutem amissam lugent; tunc se bonorum præsidio orbatos esse queruntur; tunc cupiunt eos etiam, quos occiderunt, in vitam reuocare; tunc eos laudibus in cælum extollunt. Sic igitur fit, vt omnes excellentes viri in multo maiore gloria floreant post mortem, quam in vita florebant. Tunc enim inuidiæ impetu vidĕbatur nonnumquam cursus veræ laudis impediri. Post mortem vero inuidia prorsus exstincta, & caligine ab omnium oculis dispulsa, mirum est, quantus splendor virtutis omnium oculis obuersetur, & quanto consensu multitudinis efferatur. Restat, vt de multitudinis inscitia disseramus, quam tertiam caussam esse dixi, cur interdũ virtus in obscuritate lateat. Fateor equidem, imperitũ vulgus in magnis erroribus versari solitum. Multos enim videmus falsa virtutis opinione commendatos, multos contra virtute excellente præditos, eodem errore hominum, in ignominia versari. Nam, licet sapientes cum insipientibus in virtutis approbatione consentiant; hoc tamẽ interest inter vtrosque, quod sapientes statim vere, & incorrupte iudicant, & vitia nomine virtutis inuoluta perspiciunt: insipientes vero id tardius assequuntur, & prius aliquam inscitiæ pœnam luunt. Vnde perspicitur, illis, qui ad veram gloriam nituntur, non modo perditorum hominum furore, & inuidia multos labores esse perferendos, & ingentia vitæ discrimina subeunda, sed etiam infamiam concipiendam. Quæ tamẽ intra breue admodum tempus euanescit. Tanta enim est veritatis vis, tantum veræ virtutis lumen, vt omnem infamiam aut scelere hominum, aut errore conflatam deleat, & exstinguat. Ita tandem fiet, vt homines etiam scelesti, & imperiti bonos egregie laudent. Non ita est, inquis: nam, cum in omni genere rerum illi tantum iudicare de ijs rebus possint, qui sunt earum scientissimi; fieri non potest, vt populus, cum sit virtutis ignarus, recte de virtute iudicet. Hoc quidem recte dictum fuisset, si sensus ille, quo honestatem laudandam, & amãdam sentimus, ratione, & disciplina, & non potius natura, & quadam penitus insita notione constaret.

Principes dignitatis quomodo fiant.

Dignitate florentes inuisi.

Virtus & reliqua bona amissa homines lugent.

Falsa virtutis opinio.

Vis veritatis.

XVI. Natura adhonum informata.

OMNES enim a natura informati, sapiẽtiam, æquitatem, & animi altitudinem cum admiratione suspiciunt. quod insitiari non potes. Sed insidias inquis fieri multitudini, & ita euenire, vt homines flagitiosi, simulatione virtutis, opes, honores, imperia consequantur. Fateor equidem. Sed quæro, nũ possit aliquis dolis, & fraudibus in diuturna laudis possessione permanere? Minime certe. Cur ita tãdem? Quia multa signa sunt, quæ facile arcana mentis indicent. Nam, cum oculi, frons, status, incessus, occulta mentis aperiant; tum multo magis oratio, omniaq. vitæ consilia, quæ semper natura cogente cum mentis habitu consentiunt. Est enim animus quasi fons perennis, vnde omnis oratio, & omnes actiones emanant.

XVII. Alcibiadis studia.

VBI igitur vitijs redundauerit, multa necessario profluent, quæ illius incluſas libidines ostentent. Quantum studium instituit Alcibiades, quam diu Spartæ vixit, vt seueri, & constantis hominis personam sustineret? Num eã tueri diu potuit? Non profecto. Insita namq. libidine concitatus, infinita flagitia concepit cum summa impuritate, & impudentia. Quid Phalaris? quid Dionysius? quid alij immanissimi tyranni? Num, cum populos specie lenitatis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

rix, & clementiæ delenire cuperent, insita immanitatē dissimulare potuerunt? Quam multi perfidiosi, cum intelligerent nihil esse fide plausibilius, frustra se bonos viros esse simularunt? Quam multi natura, & ingenio truculenti, frustra clementiæ famam aucupare conati sunt? Velut ille Demea Terentianus, qui cum videret facilitate nihil homini esse melius, neq. clementia, eaq. de caussa blande, atq. benigne facere meditaretur, nullo modo potuit id quod inuita Minerua conabatur, ad extremū vsq. tenere. Ad naturam itaq. suam subinde redit, &, cum maxime se cohibere vult, verba plena stomachi fundit: quale est illud, Effundite, emite, facite quod vobis lubet. Nulla deniq. virtus, nullum studium diu simulari potest. Aduersatur enim, atq. repugnat ipsa natura. Quamuis igitur nullum esset ingenium in populo, scelus tamen tam multis signis seipsum indicans, negotium nullum esset inspicere. Quid, quod non est omnino hebes ad id, quod est melius, intelligendum? Vt enim fatear, in rebus, quæ artificio constant, multa ab earum rerum intelligentibus animaduerti posse, quæ imperitos effugiunt, id tamen in rebus, quæ sunt communibus insixæ sensibus, accidere nō posse defendo: quamquam in artibus etiam videmus eadem sæpenumero doctis, & indoctis probari. Quis enim est in populo, quem Francisci Mediolanensis eximij citharœdi cantus non incredibili suauitate demulsit? quem Michaelis Angeli Florentini tabula non admiratione suspensum teneat? Legi nuper perbella Epigrammata summorum hominum in tabulam quandam, in qua erat Mendoza tuus, vir omnibus rebus ornatissimus, Cæsaris apud Venetos Legatus, opera Titiani cuiusdam luculenter expressus. Existimasne fieri posse, vt illa pictura, quæ viros doctissimos, & amplissimos commouit, non multitudinem etiam commoueret? Idem etiam in omnibus aliis artibus accidere videmus, vt, qui excellentes artifices ab optimo quoque artifice iudicantur, iudicio etiam multitudinis excellant. Contra vero, si pictor aliquid imitando a natura discedit; si Musicus vocem absonam, & paullo a numerorum ratione discrepantem emittit, omnes, quantūuis harum artium rudes, offendit. Quod si homines idiotæ de artibus illis sæpenumero recte statuunt, quarum intelligētiam sine disciplina assequi non possunt; quid de honestate dicendum est, ad cuius intelligentiam & cupiditatem non disciplina, sed natura instituti sumus? Si Aristidis ætate quæsisset aliquis, Athenis, quis esset omni laude florentissimus, num aliter graues homines, aliter plebem fuisse responsuram opinari conuenit? Minime quidem. Omnes enim vnum Aristidem propter virtutis excellentiam admirabantur. Tempore Phocionis, quis bonorum opinione fuit illo virtutis, & continentiæ fama præstantior? Quis item fuit illi iudicio multitudinis antelatus? Quid hic Camillum, quid Regulū, quid Africanum, & alios excellentes populi Rom. principes commemorem? Quis enim erat Romæ, qui non eorum virtute Romanū Imperium niti iudicaret? Sed minime necesse est in re perspicua confirmanda multis exemplis vti. Constat enim, semper vulgus hominū constantiam, grauitatem, & animi magnitudinem suspexisse. Quod si aliquando aut vera virtus latet, aut vitia simulatione virtutis occultantur; considerandum est, nec virtutis lumen diu obscurum esse posse, nec quidquam fictum, aut simulatum in diuturna laude versari.

Demea Terentij apud in Adelphis.

Cytharœdus excellens.

Pictura quos commoueat.

Aristidē omnes admirati.

XIIX. Socrates ex veritate gloriam metus.

PRAECLARE igitur Socrates, vt est apud Xenophontem, eam, tantum esse certam ad gloriam viam asserebat, quæ veritate muniretur. Hoc autem ita confirmabat: Fingamus, inquiebat, velle aliquem aulœdum præclarum existimari; non tamen sit. Is, cum illud musicum artificium imitari nequeat, reliqua omnia, quæ viderit fieri ab aulœdis, summa animi contentione persequeretur. Primum igitur operam dabit, vt ad eorum similitudinem ornatu pulcherrimo instructus, & sequentium agmine circumfusus, in publicum prodeat. Deinde, cum eos videat omnium sermone laudari; multos etiam laudatores allegabit. Sed tandem aut nullum sui specimen dabit, aut, si dare voluerit, sese ridiculum ostendet. Nec olum malus aulœdus, sed impudenter arrogans esse cōuincetur, ingentesq. opes sine vllo fructu consumere. Hoc igitur tanto dedecore sine vllo emolumento, & cum omnium derisione concepto, quonam modo potest reliquam vitam sine angore traducere? Idē eueniet illi, qui se summum Imperatorē, aut optimum gubernatorem haberi velit, harumq. artium sit ignarus. Si enim, cum cupiat valde singularem de se opinionem multis afferre, fidem non fecerit, erit certe miser. Si autem fidem fecerit, multo miserior. Nec enim poterit aut clauum sibi traditum tenere, aut exercitum sibi commissum moderari: & ita eos, quos minime vellet, funditus euertet, & ipse cum insigni dedecore, & ignominia peribit. His quidem verbis Xenophon ait solitum fuisse Socratem nobiles homines ab inani gloria deterrere.

Imperator quis miser.

XIX. Sapientia nil vtilius.

ALIBI vero sermonem a Cambyse cum Cyri filio habitum exponens, ita eos loquentes inducit. Sic statuit pater, inquit Cyrus, nihil esse vtilius opinione sapientiæ, ad milites imperio continendos. Ego vero, inquit Cambyses. Quanam igitur ratione perficiam, vt me omnes sapientem opinentur? Vna est, inquit, via, o fili, ad illustre sapientiæ nomen in quouis genere consequendum, sapientiam ipsam cōplecti. Quod quidem in res singulas inquirens, verum esse deprehendes. Si velles enim te bonum agricolam, aut equitem, aut aulœdum existimari, non tamen esses, aut aliā quamuis

quamuis artem profiteri instituisses, cuius esses omnino rudis, vide, quam multa tibi fuissent excogitanda, vt eam, quam velles, opinionem populo commoueres. Atqui, si cum multis egisses, vt te laudarent, vt videlicet ea via falsa illa confirmaretur opinio, & magnifico cuiuslibet artis apparatu exspectationē multitudinis excitasses: vbi primum tui periculum fieret, inscitia tua conscientia omnium conuicta teneretur, & apertissimum insolentiæ crimen sustineres. Hactenus quidem Xenophon. Cuius sententia, videmus, quam sit inanis eorum conatus, qui dolo, atq. fallacijs ad gloriam adspirant. Erunt quidem illi aliquo tempore in oculis populi, & opibus, atq. gratia florebunt. Sed, vbi primum insidiæ detectæ fuerint, (neq. enim animo conceptum scelus dissimulari diu potest, neq. latere) summa infamia deformabuntur.

Sententia de gloria vana.

XX. Virtutis veræ effectus.

SOLA igitur vera virtus firmam, & stabilem gloriam efficiet. Magna enim est vis in virtute, magnum robur, & inuictum, nempe, quæ nec perditorum hominum iniurijs infringi, neq. inuidiæ telis obrui, neq. inscitia multitudinis obscurari possit: sed ita semper cum scelere, & amentia congreditur, vt clarissimū triumphum agat, lumenq. suum tandem omnium oculis conspiciendum exhibeat. Ergo, cum neq. flagitiorum omnium inuisa fœditas, neq. inuidiæ detestabilis immanitas, neq. imperitæ multitudinis amentia possint vllo modo laudem honestatis diutius impedire, nihilq. fit aliud, quod laudi virtutis officiat; euenit tandem necesse est, vt virtus omnium probissimorum etiam cōfessione summis laudibus efferatur. Hæc est illa gloria, quam expectendam iudico. Nihil est enim a virtute profectum, quod non sit omni studio complectendum. Illa vero fallax, & inanis, quę se huius imitatricem esse cupit, quamuis illi nemo resistat, per se tamen intra breue tempus euanescet. Nullas enim vires falsum habere potest ad permanendum. Hæc est illa, quę miseros homines afflictat, quæ populo supplices esse facit, quæ scelera infinita suscipit, quæ ciuitates & imperia conuellit, inanis, furiosa, turbulenta, dignitatis appetens, & numquam in vlla dignitatis parte versata. Huius tu quidem vitia grauiter insectatus es, sed oratio immerito inanis gloriæ flagitia ad ipsam gloriam transtulit. Quod quidē perinde est, atq. si quis, humanæ figuræ e luto fictæ vitia colligens, eaq. in hominem conferens, probare vellet, hominem esse luteum, & fragilem, mentē, & ratione penitus carentem. Ista enim gloria, cuius scelera complexus es, non magis in gloriæ rationem cadit, quam homo e luto, & argilla fictus in hominis rationem. Tuis autem definitionibus vti libet. Vis enim Gloriam esse consentientem vniuersi populi laudem, opinione excellentis decoris excitatam. Vtri igitur tibi tandem gloria affluere videntur? Illi ne, qui e blanditis suffragijs in opinionem suorum ciuium irrepunt, an illi potius, qui, laudem non ambitiose flagitantes, ab omnibus tamen & ciuibus, & peregrinis miris laudibus efferuntur? Illi, qui aura leuissimi, & incōstantissimi rumoris exsultant? an ij, quorum laudem nulla consequens ætas obruet? Illi postremo, quos imperiti tantum ad breue admodum tempus inanissimo plausu prosequūtur? an illi potius, quos paullo post omnes ciues, & peregrini, prudentes, & imprudentes, boni, & improbi sunt eximijs laudibus ornaturi? Est enim virtus grata multitudini, iucunda bonis, & improbis admiranda, & contra omnia inuidiæ tela vndiq. munita. Eam itaq. solam gloria stabilis, & firma consequitur. Contra vero, qui virtutis expertes sunt, frustra ad gloriam nituntur. Merito igitur eos ita pudet istius leuitatis, vt interdum gloriæ studium in concione profiteri non audeant. Est enim fœdum, & flagitiosum, gloriam sine virtute consectari. Illa igitur oratio, qua ambitionis indignitatem, insidias, ægritudines, humiles, & fractas exanimationes elegantissime describisti, nullo modo gloriam labefactat, nempe quæ non in ambitione, sed in eximia virtute consistat. In quo vero ais, sapientiæ studia contemni, sapiē tiam tuam requiro. Si enim, quid primo impetu vulgus exquirat, attēdimus; fateor eorum studia despici, qui, neglectis diuitijs, spretis voluptatibus, omnem operam in naturæ perquisitigatione ponunt. Si vero quid tandem natura cogente laudare soleat, intelligimus omne studium esse gloriæ cupidis in sapientia collocandum. Illi enim ipsi, qui primo præclara studia spernunt, paullo post animo reputantes ipsius sapientiæ dignitatem, sapientes homines, vt aliquod cæleste numen, intuentur. Si autem antiquitatis memoriam repetere velimus, videbimus omnes, qui sunt habiti sapientia præstantes, amplissimis honoribus vsos, eorumq. consilio res magnas administratas. Vt enim a Poetis ordiamur, quis ignorat, in quanto honore fuerit apud Thebanos Tiresias; Calchas vero apud vniuersos Græcos, qui Troianis bellum intulere? Ex Principibus autem Amphiaraus, Nestor, Palamedes, & Vlysses sapientissimi sunt existimati. Quis igitur illis temporibus fuit auctoritate præstantior? Achilles autem fertur fuisse traditus in disciplinam Chironi Centauro, qui fuit inter illius memoriæ sapientes numeratus. Ex quo intelligitur, quantum fuerit olim sapientiæ tributum. Numquam enim Poetæ finxissent, Achillem, quem diuinis laudibus ornare volebant, fuisse summis artibus eruditum, nisi animaduertissent, omnes mortales præclaras disciplinas admirari. Sed abeamus a fabulis. Quid Lycurgus? nonne sapiētiæ admiratione tantum est auctoritatis assecutus, vt ciuitatē luxuria diffluentem legum seueritate deuinciret? Quid septem Sapientes? nonne in suis

Virtus fallax.

Comparatio est ab effigie humanæ.

Virtus qualis sit.

Gloria sine virtute nulla.

Exempla a Poetis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ciuitatibus principatum obtinuerunt,& Græciam vniuersam,bonamq. Asiæ partem sapientiæ nomine commouerunt? Athenis vero,post quam doctrinæ studia a paruis initijs ad summam amplitudinem peruenere, quis populi suffragio vel exercitui, vel Reipub. præfectus vmquam fuit,qui non esset idem omni doctrina perpolitus? quid hic referam amplissima laudis ornamenta,quibus Gorgias,Plato,Aristoteles,Xenocrates,Theophrastus, & omnes deniq. in Philosophia excellentes affecti sunt? Apud Persas autem Magi in tanta admiratione fuerunt,vt nemini regnare liceret,qui non fuisset prius eorum disciplinis institutus. Quantus honos item fuerit habitus apud Aegyptios Sacerdotibus, penes quos erat diuinarum,& humanarum rerum scientia,explicari non potest. Romani longo tempore politio re doctrina caruerunt. Attamen,quantum rerum cognitioni tribuerint,ex eo intelligi potest, quod vanissimam illam ex Etruria disciplinam,quæ in augurijs,& monstris interpretandis, & extis inspiciendis posita erat, in summo honore haberent. Quare minime mirandum est, postquam Philosophia Romana immigrauit, multitudinem maximarum artium disciplinas admiratam esse, nobilitatēq. ad earum cupiditatem vehementer exarsisse. Quid commemorem Africanum illum, qui Carthaginem, & Numantiam deleuit? Quid Lælium, Sapientem cognominatum? Quid Scęuolam, & Brutum,atq. postremo, vt alios innumerabiles omittam, Ciceronem nostrum, eloquentiæ parentem, qui gloriam Romam Imperij doctrinæ præstantissimis muneribus illustrauit? An est obscurum,eruditos homines apud Romanos egregiam laudem, & eximios honores fuisse disciplinarum omnium laude consecutos? Nec Romani solum,sed etiam externi doctrinæ commendatione fuerunt in eam ciuitatem accepti, atq. summis honoribus ornati: qualis fuit Plutarchus Cheronæus, & L. Seneca, alijq. permulti, quos esset infinitum recensere. Druides autem apud Gallos, Brachmanes apud Indos,quantum multitudini admirationis attulerint, est satis exploratum. Exponam vobis rem admirabilem,& auditu fortasse non iniucundam. Sinæ, vt scitis, regionem incolunt latissimam, in extremis Orientis oris ad Septemtrionem sitam, atq. Scythiæ continentem,ita,vt multis in locis,niue pruinaq. rigeant. Nostri autem,cum maria omnia transmiserint,inuictis armis omnia litora peruagantes, auream Chersonesum, extremasq. oras Indiæ præteruecti, flectunt ad Septemtrionem,ad regiones maritimas Sinarum naues appellentes. Ibi itaq. tandem consistunt, atq. finem vlterius nauigandi faciunt. Qui igitur ex nostris aliquod commercium cum illis habuerint,aiunt vix esse vllam nationem, siue vrbium magnitudine, siue ædificiorum pulchritudine, siue victu, cultuq. ciuili, siue flagranti artium studio,cum Sinarum natione comparandam. In libris autem scribendis, æneis formis, quæ non ita pridem apud nos in vsu sunt,illi infinitis prope sæculis vtuntur. Tantumq. ferunt apud illos tribui disciplinis, vt non sit vllo modo fas summum imperium committi, nisi illi, qui se probauerit esse omni disciplina cumulatum. Nec enim in mandandis honoribus,aut generis,aut fortunæ rationem habent,sed tantum disciplinæ. Omnes igitur, qui principatum expetunt, in artium studia incumbunt. Vbi autem credunt,se non pœnitendam progressionem fecisse, ad certos iudices huic muneri destinatos accedunt. Horum suffragio, aut vt indocti repelluntur, aut vt docti certis honoris insignibus ornantur. Ex ijs deliguntur, qui minores iurisdictiones administrent. Qui autem diutius in studio permanere, & in maioribus disciplinis versari cupiunt, vbi certum cursum absoluerint,aliud iudicium longe grauius subeunt. Iudicantur enim a viris multo doctioribus: ijs si satisfecerint, ad altiorem honoris gradum adscendunt. Sic etiam licet ijs,qui ampliorem honoris spem sibi proponunt,plures annos in studio consumere, & ordinatim alia, atq. alia doctorum hominum iudicia subire. Sunt enim plures ordines hominum,de ingenio,atq. doctrina iudicantium. Pauci autem sunt,qui per omnes doctrinæ gradus ad amplissimum locum adscendant: cum multos præstans vis naturæ,non paucos fortunæ deficiant. Hi tamen pauci summum imperium administrant, in summo rerum fastigio collocati.

Romani sine doctrina.

Lælius sapiēs

Sinę populi.

Sinarum mores exquisitissimi.

Ad honores qui aspiran dum.

HIC METELLVS: Si verum est, inquit,quod asserit Plato,nempe eam Rem publicam beatam fore, quæ se Philosophis regendam tradiderit; Sinæ beati putandi sunt.

Confirmatio sentētiæ Platonis.

ESSENT quidem,inquam,si fuisset Philosophia apud eos recte constituta. Sed,vt fama est, genus doctrinæ colunt multis erroribus, atq. magicis superstitionibus implicatum. In hoc tamen admirandi sunt,quod eos imperio summo præficiant, quos esse iudicant doctrinæ laude præcellentes. Nam, si tantum apud eos valet opinio sapientiæ, vt eius etiam inanem speciem summis honoribus afficiāt; quid fecissent, si vidissent aliquem veræ sapientiæ muneribus ornatum,& instructum? Illum profecto, vt diuinum hominem, atq. e cælo delapsum, cum ingenti admiratione suspicerent. Si igitur, vt eo redeamus vnde sumus digressi,omnes sapientiæ opinione præstantes in summa laude, atq. dignitate vixerunt; si doctrinæ studium non solum apud Græcos,& Romanos, sed etiam in omnibus barbaris nationibus semper floruit, atq. dominatum est; satis constat, non disciplinæ studio gloriam imminui, sed potius amplificari.

Repetitio superiorū.

IN eo autem, quod ais, graues, & sapientes XXI.

tes homines minime esse de fama, atq. existimatione solicitos,valde tibi assentior. Sed id non accidit,quia gloriam despiciant,sed quod sapienter intelligunt,fieri non posse,vt gloria virtutem deserat. Nec enim Aristides, cum plausum vulgi contemnebat,gloriam contemnebat, sed temerarium illum populi motum, breui interiecto spatio confidentem. Neq. Fabius Maximus, qui non ponebat rumores ante salutem,gloriam aspernabatur, sed leuem, & inanem famam negligebat, vt paullo post constanti omnium laude frueretur. Hoc est autem,quod dici solet,gloriam fugientem sequi. Necesse est enim, vt, qui alta mente fontem gloriæ videt, & ita vulgi leuitatem contemnens ipsam uirtutem, vnde laus omnis emanat,consectatur, in vera,& constanti gloria vigeat; & ita fit,vt, laudem spernendo,laude circumfluat. Qui sunt igitur anxij? qui soliciti? qui cum exanimatione humili, atq. fracta omnes auras extimescunt? Illi, qui errore hominum obrepunt ad dignitates. Nec enim ita sunt amentes,vt non intelligant, quam infirma sint omnia, quæ fraude, atq. fallacijs innituntur. Vt enim,qui in magna rerum omnium inopia se copiosum,& lautum existimari vult, magna solicitudine conturbatur,anxie reformidans, ne domesticarum sordium fama in vulgus emanet, cum ea cura diuitem hominem ne attingat quidem; ita necesse est virtutis, & sapientiæ expertes magna molestia torqueri, si cupiant gloriam adipisci, cum ij, qui virtutis opibus abundant, sine vlla huiusmodi cura ætatem degant. Vident enim sese veræ gloriæ compotes aliquando futuros, ex quo efficitur,nimiam in studio gloriæ solicitudinem turpitudine vacare non posse. Satis enim apparet,non adesse virtutem,quæ homines quietos, atq. confidentes efficit.

Fabius Maximus.

Comparatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIERONYMI OSORII LVSITANI DE GLORIA

LIBER QARTVS.

Continuatio per repetitionem superiorum.

QVAE cum dixissem, paullum cõquieui, & rursum ita exorsus sum: Satis opinor esse demonstratum, gloriam nõ ab errore vulgi pendere, sed a lumine virtutis oriri; nec in populi delirantis inscitia, sed in exculta mentis acie sitam esse; nec sequi multitudinis inconstantiam, sed esse stabili, atq. firma in sede collocatam. Naturæ enim vi fieri ostẽdimus, vt omnes mortales virtutem, & sapientiam in cælum fama, atq. sermone tollant; contra vero flagitia, & scelera detestentur. Probauimus errorem vulgi, quo sæpenumero laudem tribuit indignis, esse non posse diuturnum: & ita fieri, vt, qui maxime videntur gloriæ studere, eam minime consequantur; &, qui primo interdum adspectu gloriæ expertes apparent, insigni laude cumulentur.

II. NVNC igitur consequens est, vt breuiter explicemus, quantum fructum rebus humanis afferat illius studium. Vt autem hinc initium sumamus, cum multa diuinitus in humanis animis innata sint, nihil tamẽ habent vtilius, quam ingenitum pudorem, & verecundiam. Est enim pudor vehemens quidam dedecoris, & ignominiæ timor. Hunc autem timorem appellat Plato diuinum: est enim custos omnium virtutum. Primum enim huius verecundiæ lumen elucet in pueris, in ijs præsertim, qui clariore indole nati sunt, quos videmus non tam doloris metu, quam timore infamiæ, & turpitudinis offensione, commoueri. Hic igitur infamiæ metus illos acuit, & in studio vigilantes efficit. Dum enim ab æqualibus vinci turpe, & ignominiosum putant, omnem laborem perferunt, & summam adhibent diligentiam, vt inter omnes excellant. Et ita fit, vt, dum dedecus summo studio vitant, honestatem omni ratione consectentur. Postquam vero, ætate progressi, magis vim ipsius naturæ adspiciunt, quid est, quod eos vehementius incitet in virtutis studium? Hoc enim timore impulsi, quidam artium maximarum studia sequuntur: alij militarem disciplinam strenue colunt: alij ciuilia munera diligenter administrant: alij deniq. alijs eiusmodi curis intenti sunt, vt omnem dedecoris suspicionem a se remoueant. Cum enim videãt nihil esse turpius inscitia, nihil effeminati animi languore sœdius; nullum laborem, aut periculum dedecoris vitandi gratia recusant. Vides igitur, quam vtile sit hoc insitum odium turpitudinis? Qui enim ita affecti sunt, vt dedecus exhorreant, non vmbra, & otio languescent, non luxuria, & mollitia diffluent, non auaritiæ sordibus inquinabuntur, non hostis adspectu perculsi, & abiecti fugient; sed omnibus se periculis exponent, & omnem ætatem honestis in actionibus consument. Quod si illis eadetur optio, quę, vt est in fabulis, data fuit Achilli, velint ne potius pro patria dimicantes cum gloria mori, an vitam cum rerum omnium affluentia, & sine vlla dignitate ad extremam senectutem perducere: non est dubium, quin obscurę vitæ mortem claram anteponant. Hic etiam pudor senes a leuitate, libidine, & inconstantia deterret, animo reputantes, nihil esse temeraria, libidinosaq. senectute flagitiosius. Vt igitur nihil est in vita tætrius impudentia, ex ea enim omnes effrenatæ libidines exsistunt; ita nihil poterit ad virtutem colendam pudore vtilius inueniri. Pudor autem quid aliud est, quam vehemens motus animi dedecus repellentis, ad laudem, & gloriam adspirãtis? Ex quo efficitur, omne studium honestatis cupiditate gloriæ contineri. Illud deniq. quantum est? Nemo enim vel laborem excipere, vel voluptatem respuere, vel vitam negligere potest, si non sit laudis, & gloriæ suauitate delenitus. Cum enim a natura sic instituti simus, vt dolorem vitemus, & voluptatem adsciscamus; euenit necessario, vt magna pars hominum omne officium voluptate metiatur. Nec enim sapientes sumus, vt statim ipsius honestatis pulchritudinem cernere valeamus. Præclare Plato, beatum fore prædicat, cui vel in senectute contigerit sapientiam adipisci. Vnicam igitur præclaræ institutionis rationem esse censet eam, quæ in recto dolore, & in honesta voluptate consistit. Dolorem autem rectum eum esse statuit, qui e turpitudinis infamia capi solet: honestam autem voluptatem, quam magnitudo laudis efficit. Præcipit igitur sic institui pueros, & adolescentes, vt ignominia quam maxime doleant, & laude quam maxime delectentur. Hæc Platonis sentẽtia sequenda est omnibus, qui suos in officio continere cupiunt. Aliter enim frustra operam suam consument. Nemini enim persuaseris, vt voluptatem spernat: vt autem

Odium turpitudinis qd sequatur.

Platoni senex sapiens beatus.

voluptati

voluptati fluxæ, atq. nefariæ stabilem, & honestam anteponat, persuaseris. Nemo inducet animum, vt dolorem appetendum iudicet: vt autem breui, & exiguo dolore ingentem effugiat, inducet. Possunt enim bene informati animi facile videre, quam inanis, & fluxa sit corpore percepta voluptas; & intelligere, laudem honestis laboribus emptam, firmam, & constantem voluptatem efficere. Turpi itaq. voluptate libentissime carent, ea compensatione, vt veræ laudis dulcedine perfruantur.

Dolor commissi dedecoris.

Sic etiam, illius doloris vitandi gratia, quem admissum dedecus inurit, omnem dolorem libenter excipiunt. Quas enim vigilias, quos labores non referunt ij, quos laudis suauitas ad disciplinarum studium inflammat? Quære ab ijs, qui summam eruditionem in omni litterarum genere consecuti sunt, an potuissent vmquam ad eũ gradum adspirare, nisi fuissent a principio dulcedine laudis inuitati? Negabit aperte Iacobus Sadoletus, vir omnibus litterarum laudibus abundans, & insigni eloquentia præditus: negabit Petrus Bembus, qui res Italas, vt audio, clarissimis ingenij monumentis illustrat: negabit Contarenus, vir omni doctrinæ genere, atq. Philosophiæ laude cumulatus: negabunt deniq. reliqui eiusdem ordinis Principes, qui sapientiæ studia colunt. Hoc autem fatebuntur multi viri eruditione præstantissimi, quos esset infinitum recẽsere, sese hac laudis iucunditate delenitos omnes labores sustinuisse. Hoc idẽ tute ipse fateberis, & omnes denique, in quibus idem ardor exsistit. Magnum est enim, voluptatem aspernari, blandimenta naturæ respuere, vitæ cursum in corporis labore, & inanimi contentione conficere. Laudis igitur illecebris opus fuit, quibus animi a flagitiosa voluptate ad honestam traducti, neq. laborem, neq. dolorem vllum sentirent. Tanta enim est gloriæ dulcedo, vt illa semel capti, quamuis sapientes non sint, nullis inuidiæ telis infringi, nullis fortunæ tormentis debilitari possint. Licet igitur omnes malorum tempestates sibi subeundas animaduertant, non tamen eorum metu deterrentur, quo minus omnem operam, curam, & cogitationem in vnam virtutem conferant. Crede mihi, ferre tantam contentionem animi non possent, nisi voluptate eximia laudis allecti fuissent. Multa sunt a nostris (dicam enim audacius) tanto animo suscepta, atq. perfecta, vt omnem pæne antiquitatem obscurent. Vt enim alias præclaras contentiones omittam, illud certe facinus stupendum est, homines neq. multitudine, neq. opibus abundantes, omnia maria transmisisse, Indiam & suis, & maximorum Regum præsidijs, opibusq. vallatam aperuisse, & in suam potestatem summa belli contentione redegisse. Quid enim ego referam ingentes classes hostium depressas, innumerabiles exercitus exigua manu fusos, Persas, & Arabas multis in locis superatos; &, vt nihil aliud dicã, regionem immenso spatio a Lusitania distantem, e Solimani hostis potentissimi faucibus ereptam, & contra ingentẽ Turcarum, & Thracum multitudinem defensam, atq. conseruatã? Hæc quidem tanta sunt, vt impiũ facinus sit ea humanæ virtuti, & non potius auxilio CHRISTI, qui nostris sæpe presentiam suam declarat, adscribere. Sed, si est aliquid humanę fortitudini tribuendũ, quæ tamen ipsa in Diuinis beneficijs numeranda est; nihil in nostris hominibus video, in quo tam multis gentibus excellant, præter eximiam laudis cupiditatem. Si enim ad numerum respicias, sunt pauciss imi: si ad belli apparatum, aut rei militaris scientiam, nullo modo cũ Turcarum opibus vsu comparandi: si ad aliorum auxilia, Turcis omnia in illis terris pacata, nostris autem propter religionis dissensionẽ vehementer infesta sunt. Sed illud est: nostros, vere gloriæ cupiditate incensos, neq. vulnera, neq. dolorem sentire, in gladios, & flammas irruere, omniaq. vitæ pericula dignitatis gratia negligere. Hæc enim voluptas, quæ ex laude percipitur, illos adigit, vt ad mortem ante oculos positam alacri fane, atq. fidenti animo gradiantur. Ex quo facile constat, laudis suauitatem, non modo, vt ait Cambyses apud Xenophontem, summorum hominum laborem leuiorem efficere; sed etiam optabilem, atq. iucundum. Si igitur præstãtium hominũ ingenia multis laboribus, & vigilijs lucem aliquã rebus humanis attulere; si viri fortes, & magnanimi, vt patriæ consulerẽt, vitæ non pepercerunt; si postremo aliqui, ætatẽ in clarissimis studijs consumentes, sapientiam assecuti sunt; id certe est studio, & cupiditati veræ laudis assignandum. Ea enim primã ętatem allicit, & in virtutis studiũ incẽdit, donec paullatim animos ad ipsam virtutẽ per se colendã, & amandam perducat. Neq. solũ primus animi cursus & impetus ad laudẽ eos fructus affert, quos diximus; sed multo etiã maiores, & vberio res effundit ipsa laus amplificata. Ex ea enim æmulatio exsistit, quæ stimulis languentem animũ excitat, & ad certamen virtutis accendit. Vt aũt nihil est inuidia pestilẽtius, in eo enim pugnat, vt nõ virtute propria, sed alienæ virtutis exstinctione principẽ locum obtineat; ita nihil æmulatione salutarius, nẽpe quæ nõ alienum decus obscurando, sed ad parẽ, aut maiorem laudem nitendo, ad summam dignitatem adspirat. Quod n. ferũt de Themistocle, quem gloria Militiadis instigauit, vt omnẽ ætatem in virtute cõsumeret; quod ẽt antiquior fama de Theseo prodit, qui, Herculẽ imitatus, bellũ cõtra mõstra omnia suscepit; patet latissime. Incredibile. n. est, quantã vim habeat excellẽs virtus constanti omnium fama celebrata, ad animos amore virtutis incitandos, & inflammãdos. Quis enim est, quẽ non clarorum hominum gloria vehementer afficiat? quem a somno non suscitet? cui stimulos non admoueat?

Iacobi Sadoleti auctoritas adducitur

Fortitudo in periculis subeundis.

Facinus admirandum.

Fortitudo humana quo referenda.

Laudis suauitas quid suppediter.

Inuidia pestilens.

Vis virtutis incredibilis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Multos libidini deditos accepimus, qui, summorum hominum claritate incitati, repente ad studium honestatis exarserint. Quod minime mirãdum est. Quamuis enim pars illa animi nostri, quæ cælestis habenda est, sit plerũq. vitijs in terram depressa, & quasi demersa; tamen, vbi primum aliquam honestatis speciem intuetur, ad memoriam suæ naturæ reuocata, amore honestatis accenditur. Quantum igitur potest, enititur, vt a vitijs emergat, & quasi renatis pennis, quas nefariæ cupiditates inciderant, in altum euolet. Inde autem oritur illa præclara contentio inter virtutis amatores excitata, dum nemo alijs æquo animo cedit, sed singuli potius dant obnixe operam, vt inter omnes excellant. Hoc autem certamine iniecto, quis non videt, quanta sit futura bonorum affluentia? Illa enim ciuitas plane beata est, in qua non sigulus figulo inuidet, vt ait Hesiodus, sed sapiens cum sapiente certat, iustus iustum æmulatur, fortis cum forti virtutis præstantia contendit; modestus, & continens in eo laborat, vt omnes magnitudine continentiæ vincat. Sic enim fit, vt, dum singuli sese ad virtutis certamen acuunt, vniuersi tandem sint in virtutum omnium studio florentes. Ergo, cum hæc illustris & honesta contentio tantum vtilitatis afferens, amplitudine laudis excitetur, quid tãdem illa vtilius in rebus humanis inueniri potest? Animum enim iacentem excitat, instruit, inflammat, omnium dolorum obliuisci facit, & ab omni alia cogitatione ad magnorum hominum imitationem, atq. singulare virtutis studium traducit. Gloriam tu igitur, quæ tam vtilis, & fructuosa est, vituperare audeas? & eam sapiẽtissimo cuiq. spretam, & inuisam esse contendes? Quomodo tandem, aut qualis erit iste sapiens, cuius omne studium in virtute colenda positum esse debet, si virtutis ipsius partum negligat, atq. pro nihilo putet? Poterit ne fieri, vt, quod ab ipsius honestatis fonte ducitur, non sit ipsum honestum, eaq. de caussa sapientibus expetendum? aut parum demonstrauimus, nullo modo gloriam aliũde, quam ab honestate, nasci? Nihil, inquis, esse magnum potest ijs, qui cæli spatia immensa mente definiũt. Quasi sit quidquam intra cæli complexum virtute magnificẽtius; aut maius decus in sideribus ipsis, quam in pulchritudine mentis eluceat.

Remotio vitiorum.

Ciuitas beata.

III. NAM, quod ais, eam prudentiæ repugnare, iam facile cerni potest, quam id sit ab illius ornamentis alienum. Omnes enim virtutes gloriam parientes prudẽtia gubernat, & ipsa per se munera amplissima, dignitatisq. plenissima, tuetur, & sustinet. Quemadmodum enim errare, labi, decipi, temere quidquam, & imprudenter administrare, turpe, & flagitiosum videtur omnibus; ita, qui nullis erroribus cæcatam mentem habent, sed obscura cognoscunt, & futura præcipiunt, &, quemadmodum incidentibus rebus vti conueniat, sapien-

Virtutes reguntur prudentia.

Interrogatio per reprehensionem.

ter explicant, amplitudine laudis antecellunt. Hæc est enim omnium mortalium opinio, vt homines prudentia præstantes, summo imperio dignos existiment. Inde fit, vt sæpenumero multitudo, quam præcipitem esse dicis, imperiumq. nefarie detrectantem, prudenti homini libenter obtemperet. Intelligit enim, omnium salutem illius auctoritate, & iudicio contineri, qui optime potest, quid omnibus vtile futurum sit, ratione prouidere. Quod quidem in rebus singulis licet inspicere. Aegroti enim, quantumuis morosi, bonorum Medicorum iussis parent: vectores etiã præstantium gubernatorum nutus omnes obseruant. Sic etiam milites incredibili alacritate, ijs imperatoribus obediunt, quos esse vidẽt rei militaris scientia præcellentes. Hoc item in reliquis artibus (neq. enim omnes percurrere necesse est) euenire cõstat, tantũ quemq. auctoritatis ad imperandum habere, quantum intelligentia suæ artis excellit. Quod in reipubl. regendæ scientia maxime cernitur. Nemo enim adeo mente captus est, vt non intelligat, eos saluos esse non posse, qui spectati hominis consilium aspernantur. Ergo ea virtus, quam omnes mortales plane regiam existimant, quo tandem modo fieri potest, vt gloriæ aduersetur? Sequenda est, inquis, vulgi temeritas ijs, qui publice laudari cupiunt. Sequenda quidem, si breuem, & inanem laudem appetunt, quam summum statim dedecus, & infamia consequatur. Hoc autem vel ex eo exemplo, quod ab Homero sumpsisti, de salutari consilio Polydamantis improbato, intelligi potest. Nisi forte suspicaris, cum Hector ipse se damnaret amentiæ, quod Polydamanti non auscultasset, & temeritatis infamiam morte delere statueret, clementiorem in illum exercitum ab Achille cæsum fuisse, quam ille in se fuerit. Inanissimo igitur plausu vnius noctis elatus, in eam ignominiam incidit, quę erat morte tristissima, & acerbissimo patriæ funere luenda. Sed, inquis, Hectoris nomen esse multo, quam Polydamantis, illustrius. Quid ad rem? Quasi Hector illum splendorem nominis assecutus sit temeritate, & amentia, & non potius singulari magnitudine animi, qua pro patria dimicabat. Cum illum itaq. multitudo Polydamanti præferebat, non temeritatem prudentiæ, sed virtutem eximiam medio cri consilio præferebat. Idem de illa comparatione Hannonis, & Hannibalis dicerem, nisi viderem alterum grauitate, & constantia omnium approbationem mouere; alterum perfidia, & immanitate offensionem incurrere. Gloria autem, vt dictum est, non admiratione tantum, sed quadam etiam animorum conciliatione comparatur. Cum igitur Hannon semper honestus, & grauis, Hannibal sæpe turpissimus nobis occurrat; & in alterũ quodammodo propensi simus, alterius autem sęuitiam detestemur; nõ est probatu difficile, Hannonem

Multitudo obtemperãs.

Temeritatẽ vulgi qui sequantur.

Hector se dãnat amentia.

Gloria quomodo comparetur.

nonem plus gloriæ, quam Hannibalem, fuisse consecutum.

ILLAM autem partem orationis tuæ, qua probare conatus es, gloriam esse contrariã iustitiæ, sum valde admiratus. Quid enim quæso est aptius iustitia, ad immortalitatem nominis comparandam? Nam, si virtutis amplitudo commouet homines, nihil est illa magnificentius: si decus honestatis amorem conciliat, nihil illa pulchrius: si vtilitatis magnitudo mortales in alicuius studium incendit, nihil est iustitia salutarius. Quod enim est officium, siue ciuile, siue bellicum, siue priuatum, siue publicum, siue ad honestatis cultum, siue ad vitæ commoda pertineat, quod illius tutela vacet? nullum est studium, quod ab illo seiunctum homines ad se allicere, & aliquã gloriæ partem consequi possit. Ingenium enim perspicax, & acutum, si absit iustitia, quo magis exstiterit, eo magis eritomnibus suspectũ, & inuisum. Magnus autem animus iustitia vacans, quo fuerit erectior, eo maiorem ex illo perniciem formidamus. At iustitiæ vel soli confidimus, omniaque vitæ præsidia in bonorum fide cõstituenda putamus. Gloria autem sine hominum fide, & beneuolentia intelligi nequit. Ex quo efficitur, sine iustitia gloriam constare non posse. Non enim, quod non semel diximus, omnia, quęcumque animos insolita magnitudine conturbant, in gloria ponẽda sunt; sed ea tantum, quæ excellentis animi pulchritudine, & honestate continentur. Tamberlanus quidam Scytha fuit, multis opibus abundans, & bellorum gerendorum pertitissimus. Is, e Scythiæ finibus egressus, multas Asiæ nationes populatus est: & omnia, quocũque impetum armorum tulit, ferro flammaq. vastauit. Tandem, cum Turcarum Imperatore congressus, eum in prælio cepit, & in aurea cauea vinculis aureis constrictum inclusit. Hunc ferunt adeo truci, immanique natura fuisse, vt nullius vmquam lacrymis ad misericordiam adduci potuerit. Morem autem hunc in obsidione ciuitatum solitum seruare constant. Primo die candidis tentoriis castra tegebat, significans eo tantũ die spem clementiæ obsessis ostendi. Sequenti vero die purpurea figi præcipiebat, vt intelligerent omnem aditum ad clementiam illius esse iam puberibus intercluſum. Quod si deditionis consilium in tertium diem differrent, tunc, atris tentorijs collocatis, omni sexui, & omni ętati internecionem denuntiabat. Cum autem aliquando vrbem, quæ sese dedere intra illud bidui spatium recusarat, multis tormentis, & machinis oppugnaret, obsessis, salutem desperantes, omnes pueros habitu lugubri deformatos instruunt, vt ad Tãberlanum supplices accedant, &, flebili clamore sublato, misericordiam implorent. Hos ille pueros cõspicatus, turmã equitum obuiam mittit, quæ eos omnes proterat, atque dilaniet; vrbemq. statim capit, & in omnem sexum ita crudelitatem suam expromit, vt neminem superstitem patriæ relinquat. Hic quidem, quamuis ingẽtes opes habuerit, omniumque bellorum victor exstiterit, nullam gloriam assequi potuit. Est enim gloria, vt sæpe iam diximus, fama celebris honestatis, excellentibus in humanum genus meritis excitata, beneuolentiam multorum concilians. Illum autem nõ magis quis quam aut laudare, aut amare poterat, quam procellam, atque tempestatem turbido impetu omnia peruertentem. Sed, quorsum Tamberlani fecimus mentionem? Vt, cum intelleximus, nullam naturam immanem, & importunam, quamuis sit reliquis in rebus admiranda, posse laudẽ adipisci, facilius intelligamus, nihil sine iustitia, & eius partibus, nempe fide, benignitate, clementia, gloriosum, & laudandum reperiri. Præterea minime obscurum est, omnem nominis claritatem, & splendorem, in Diuini numinis imitatione consistere. Huc enim naturæ impetu trahimur omnes, qui laudem appetimus, vt Dei similes efficiamur. At nulla virtus in Deo nobis clarior, & illustrior occurrit, ea, qua generi hominum ope, & gratia consulit, omniaque iustissimo imperio moderatur. Ea namque omne piæ venerationis studium, & castissimæ religionis sanctitatem excitauit. Ea efficit, vt non modo sancti Scriptores, sed etiam Poetæ Græci, atque Latini præpotentem Deum deorum, & hominum parentem appellarent. Ergo, cum hac vna virtute, quæ posita est in humano genere tuendo, maxime posimus distare ab immanitate belluarum, & Diuinæ naturæ similitudinem attingere; quid tandem ad claritatem nominis illa fieri potest illustrius? Quantum vero vniuersum genus hominum iustitiam amaret, aperte declarauit, cum sese illis regendum tradidit, qui iustitia excellentes esse videbantur. Omnia siquidem regna, & imperia singulari iustitiæ, & equitatis opinione constituta sunt. Principio enim, cum nõdum essent homines certo iure deuincti, omnisque vita mutuis esset iniurijs, & cædibus infesta; ij, qui a potentioribus indigne premebantur, confugiebant ad aliquem iustitia, & fide prestantẽ, qui ab eis iniuriam propulsaret. Hic autem, aliorum quidem vim, & impetum reprimendo, aliorum vero miseriam subleuando, saluti omnium consulebat. Cum igitur animaduerteret vniuersus populus, quam salutaris esset omnibus illa iuris æquabilitas, eum, cuius iustitiam expertus fuerat, in summo rerum imperio locabat. Ex egregia itaque iustitiæ fama Regum maiestas orta est: inde summa imperia nata sunt: inde postremo gloria immortalis illuxit. Nam vsque eo prouecta fuit amore iustitiæ multitudo, vt eorum principum memoriam, qui cum fide, & æquitate vixerant, summa religione cõsecraret. Vnde colligitur, hãc vnam esse viam munitissimam ad Regiæ dignitatis amplitudinem.

Iustitia confert immortalitatem.

Gloria non intelligitur.

Tamberlanꝰ crudelissimꝰ Scytharũ Tyrannus.

Gloria fama honestatis.

Claritas nominis a Deo.

Discrimẽ hominis a bellua.

Regum maiestas ex iustitia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem,& magnificentiam,quæ iustitia,probitate,& beneficentia contineꝰtur.

Cæcesio per negationem.

RECTE tu quidem, inquit Metellus. Contra tamen disputant aliqui, conuenire principi,qui magna quædam spectat,in loco fidem fallere. Aliter enim negant eum suæ dignitati, & amplitudini seruire posse.

SCIO, inquam,multos esse in hac sententia,qua quidem nihil fingi potest amentius. Si enim principi hanc virtutem detraxeris,non modo perfugia bonorum, præsidia innocentium, firmamenta Reipublicæ conuelles; sed eum turpitudine insigni notatũ reddes. Quid enim turpius principe, & astuto, & fallaci, & vitæ consilia non ad humanæ societatis fidẽ, sed ad vtilitatem suam callide referente? Quasi,inquiunt,putes, non eum magnum hominẽ appellare,qui societatem humanam, & nimiã in colenda fide religionem emolumentis suis anteponit, & non eum potius, qui omnia ad suam amplitudinem dirigit. Credibile quidẽ est,auctores tam sceleratæ sententiæ nulla præcepta honestatis in magno principe fugiẽdo complecti.Sed istud amplius, & magnum videamus, quale tandem sit. Est ne aliquid in rerum natura, quod sine propria virtute magnum esse possit? in vniuersum enim vniuscuiusque rei virtus appellatur id,quod eam perficit,& absoluit.Ad hunc modum canis virtutem esse dicimus celeritatem,& sagacitatem: equi, velocitatem ad cursum, & in periculis adeundis alacritatem:hominis vero,ingeniũ excellens, & egregiam ad omne genus honestatis indolem. Similiter etiam in rebus,quæ non natura,sed studio,& arte constant,eas virtutes appellamus,quibus earum rerum perfectio continetur. Alia enim est virtus Pictoris, alia Poetæ,alia Citharœdi. Nullum autem est artificium, siue ingenuum, siue sordidũ, quod sine propria virtute esse possit in suo genere cumulate perfectum. Artis autem regiæ virtus,aut iustitia est,aut nulla prorsus est. A principio enim hæc Reges creauit, & auxit, & ad summum fastigium dignitatis euexit. Nullam autem huius omnium præstantissimæ disciplinæ virtutem dicere, cum artes etiam infimas proprijs virtutibus excoli videamus,hominis est dementis, & maximis in rebus turpissime delirantis. Ergo,cum nihil propria virtute vacans magnitudinem suæ naturæ conuenientẽ assequi possit; constetque iustitiam esse virtutem maxime regiam; quo tandem modo fieri poterit,vt princeps iniuria, atque perfidia regiam magnitudinem consequatur? Poterit ne vir altus,& magnus esse, qui clarus, & honestus non sit,aut honestus esse,qui decus, & honestatem,pro qua viris magnanimis vita deserenda est, vtilitate posteriorem habet? Quæ enim dignitas in eo poterit inesse, quem inquinauit auaritiæ turpitudo? quem deformauit perfidiæ scelus? quem effrenata dominandi libido a recta ratione detorsit? Eum certe non principem modo, sed ne hominem quidẽ appellari fas est; sed monstrum potius importunum,non ex equo,& homine mixtum, quales Poetæ Centauros fuisse fingunt, sed totum e Leonis immanitate, & vulpeculæ fraude cõpositũ. Nõhic disputo,quãtoangore,solicitudine,tabe,cruciatu,afficiantur ij, q̃ neminẽ possunt habere fideli beneuolentia coniunctum, quales sunt omnes,qui fidem sanctam non habent. Non dico,in quam fluxa, & incerta sede sint eorum opes locatæ, qui ad eas augendas malitia vtuntur; quam breui cõcidant omnia imperia malis artibus comparata.Hoc dico, quod ad nostrum institutum pertinet,nihil esse ad hominum existimationem turpius,nihil magis cunctis mortalibus inuisum. Omnes enim iustum imperium libentissime sequuntur,iniustum vero exstinctum,atque deletum cupiunt. Quod quidem vnius tantum ciuitatis exempla apertum facient. Fuit in Romanis olim præclara quædam indoles ad iustitiã. Ex ea enim ciuitate prodijt Camillus,qui magistrum, inaudito scelere ciuitatem hostium prodẽtem,noua pœna affecit:& Faliscos,quos belli magnitudine non poterat, iustitiæ admiratione sub Romanum Imperium subiunxit. Ex illius Reipublicæ institutis exstitit Fabricius,qui Regem potentissimum, terrorẽ maximum Romanorum mœnibus inferentẽ,monuit, vt a veneno caueret. Eiusdem ciuitatis disciplina instructus Regulus,ne fidem hosti datam falleret,ad exquisitissima supplicia subeunda Carthaginem profectus est. Quid hic memorẽ Coruncani,Catonis, & Aemilij Pauli continentiam? Quid Africani, quid Quinctij,quid aliorum Principum mãsuetudinem, & in seruandis victis moderationem? Bella vero numquam ferme, nisi lacessiti iniuria, sumebant, nec arma illis ipsis, a quibus violati fuerant, inferebant, nisi,rebus frustra repetitis,bellum ante denuntiarent,atque sollemni ritu indicerent. Imperatores autẽ earum ipsarum nationum, quas armis subegerant, patroni fiebant more maiorum, & eorum commodis egregie consulebant,vsque adeo, vt esset eorum victoria sanis hostibus interdũ expetenda. Quam multis enim populis, intestinis seditionibus agitatis, malorum finem attulere? Quanta fide socios,& omnes denique, quos semel in fidem receperant, tutati sunt? Quamdiu igitur illa ciuitas floruit æquitate, fuitq. omnium gentium commune perfugiũ, ita propagauit imperium,vt id propemodum vltimis terræ finibus terminaret. At,postquã auaritia infinita in illius mores inuasit, postquam Romani e sociorum bonis prædari,subditas gentes vexare, prouincias exinanire cœperunt; statim ciuitatis illius magnitudo dissipari cœpit, & magis magisque labi, donec omnino corrueret.Minime igitur probãda est illa Carneadis oratio, qua contra iustitiam in populi Romani concione disseruit. Noluit enim ea vir copiosus,& disertus sentẽtiam suam exponere,sed ingenium ostẽtare, & demonstrare,nihil esse tam absurdum,quod non posset probabile dicendo fieri.Si enim verum fateri velimus,asseremus,Romanum Imperium fide auctum,atque diutissime conseruatum fuisse. Quod quidem Romanos impulit,vt fidem in Capitolio prope Iouem summa religione consecrarent.Sapienter enim videbant, nihil,quod fide, & beneuolentia fultum non esset,diu permanere posse.Id autem,cum a fide discedebant, multo facilius apparebat. Claudicabat enim Imperium, quoties euenie bat,vt illi in officio claudicarent.Quod si nullus honor, nullum imperium, nulla potentia, si non sit fidei constantia stabilita, aliquid stabilitatis habere potest; tamen erit quisquam tanto furore præditus, qui perfidiam summis viris vtilem esse dicat? Nõ aliquando tandem animo reputabit,quam multi Reges,& imperiosi populi propter iniurias illatas omnibus bonis euersi fuerint? quam cito magnas illas opes amiserint? quantum semper odium,doli, atque fraudes excitarint? Sed esto: sit aliquis improbus, qui in magna amicorum inopia,multorum animis grauiter offensis,possit opibus per iniuriam partis diu,atque sine cura frui: tamen erit quisquã animo magno præditus, qui velit propter vllum vitæ commodũ omni laude spoliari? qui diuitias vllas virtutis ornamentis anteponat? qui non dedecus, vel cum summo vitæ periculo,declinet? Quod autem dedecus tantum est,quod sit cum perfidiæ infamia conferendum? Qui excellenti animo sunt,neque paupertatem,neque exitium, neque mortem,neque dolorem metuunt;omnia, quæ mortales intoleranda iudicant, contemnunt,atque despiciunt;vnum tantum dedecus extimescunt,& libenter vitam abijciũt, ne splendorem honestatis amittant. Cum igitur in iniquitate turpitudo tanta sit, qui laudis amore flagrauerit, opus est, vt oĩ impetu in iustitiæ studium incumbat. Hanc tu tamen vulgo sperni dicis. Ita enim ais euenire, vt serui dominos, liberi parentes, vxores maritos pro nihilo putent,si videant eos innocentiam seruare, fidemque proprijs emolumentis anteferre. Ita credo fieri posse,vt,qui tam alto animo sit, vt eum pecunia non moueat,& constanter huic inani cupiditati, qua plerique inflammati in perniciem rapiuntur, obsistit,contemnatur. Eum quidem,quamuis in principio multi vt negligentem hominem, & parum rebus augendis attentum despiciant, vniuersi tamen paullopost admirabuntur.Sed paupertatem obscuram, & ignobilem esse dicis.Est quidem,si nullæ sunt animi diuitiæ,quibus fortunæ iniuria compensari possit. Nam, si virtus adsit,tantum abest, vt paupertas splẽdori nominis officiat,vt id etiam lõge clarius & illustrius reddat. Quid Epaminondæ gloriæ nocuit rei familiaris angustia? Nihil sane:immo multo illã magnificentius illustrauit.Non enim ignauia,sed pecuniæ contemptione pauper erat.Nihil autem videtur esse tam excelsi animi, quam pecuniam contemnere. Idem etiam de Aristide,de Phocione,de multis alijs dici potest; quorum gloriam paupertas non imminuit,sed amplificauit.Si enim gloria posita esset in inanissimo ludorum apparatu, in sumptibus pro fusis, & immodicis, e quibus nullus fructus ad publicam vtilitatem redundat,si denique in muneribus illis, quæ ad breue admodum tempus multitudinem imperitam deleniunt;faterer equidem,eam sine magnis diuitijs parari non posse. Cum autem sita sit in virtutis altitudine,& magnificentia, quæ non inani plausu statim morituro,sed laude perpetua celebratur;quid tibi venit in mẽtem dicere,pecunię cupiditatem esse cum gloriæ cupiditate coniunctam? quasi quid quam sit,quod in maius odium multitudinis incurrat,quam auaritia; aut non facile possint animi maximi gloriam vllam consequi,sine pecuniæ magnitudine. Fuisset hoc in loco facillimum coarguere eorum hominũ amentiam, quos disputantes induxisti,neminem splendoris,& gloriæ cupidum posse colere iustitiam, & æquitatem. Sed,cum sint ita vehementes, atque violenti, vt nullo modo patiantur se vlla iuris disceptatione vinci,iusq̃ suum armis, & non oratione persequendum statuant: metuo,ne,disputatione irritati, impetum suum in me conuertant. Vides enim,quam periculosum sit, homines opibus elatos oratione lacessere. Verba namque rebus vlciscuntur.

QVID igitur? inquit Augustinus ridens: timore aliquo ductus,tam illustrem causam, tantoque impetu a te susceptam deseres? Minime profectò conuenit homini gloriæ cupido in ipsius gloriæ defensione tam insigne dedecus admittere.

NVLLO, inquam, modo, neque meæ dignitatis obliuiscar, neque causam deseram, quam etiam,si opus ita fuisset,vel cum periculo vitæ defenderem.Ratio tamen ineunda est, si commode fieri possit, vt in odium hominũ potentium minime veniamus, & illis valde prosimus. Alio igitur sermonis genere minus contentioso, & magis nitido,mihi vtendum censeo, vt facilius in eorum animos insluat oratio.

EXORDIRE igitur,inquit Augustinus: Nos enim valde ad audiendum animis erecti sumus.

FACIAM, inquam. Sed est necesse, vt, si mihi exciderint argumenta, quibus illos vti fecisti,me in eorum memoriam reducas. Hoc enim tantum memini, illos,postquam se omnia ad gloriam dirigere professi sunt, disputasse fieri non posse, vt sine magnis opibus ad princi-

Canis virtus, celeritas, & sagacitas.

Absente virtute abest magnitudo.

Romani olim iusti.

Romani degenerantes.

Absque fide nihil cõstitit.

Excellẽti homine animo nihil metuũt

Paupertas nõ officit virtuti.

Transitio.

Assumptio.

Instantia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

principatum peruenirent. Deinde exemplis clarorum hominum,& institutis omnium Rerumpublicarum,& Hispaniæ etiam monumẽtis,ostendere conati sunt, omnem vitæ splendorem in pecunia consistere. Tum fieri posse negauerũt, vt sibi quisquam vel magnas opes pararet, vel ingẽtem pecuniam coaceruaret, nisi prius omnia iura perfringeret. Atque ita tandem concluserunt, esse indignum summorum hominum præstantia, legibus vllis submitti.

OMNIA, inquit Augustinus,argumenta potissima complexus es. Nec aliud mihi in mentem venit, quod quidem ad rem facere putem.

PRINCIPIO igitur,inquã, videamus, an hoc pacto me illis insinuare valeam.Sic igitur existimate me cum illis loqui.Nõ possum equidem,viri clarissimi,non admirari præclaram istam indolem animi vestri, ad omnẽ decoris,atque dignitatis excellentiam.Quantũ enim ex oratione vestra iudicare potui, sic laudis amore flagratis,vt opes, & facultates, arq. postremo vitam ipsam gloriæ causa profundere minime dubitetis. Est igitur iam hic vester impetus ad laudem non vulgari laude decorandus. Quid enim quæso est in vita laude dignius? Ea namque Deum veneramur, nec vllam victimam numini Diuino gratiorẽ, aut magnificentiorem offerre possumus. Ea diuinos homines, & in omni genere virtutis excellentes afficimus, nec vllum maius præmium,quod recte factis proponi possit,habemus. Eius postremo immortalitate breuitatem vitæ consolamur. Cælestis igitur natura animorum vestrorum, atque cognatio, quæ vobis est cum mẽte diuina,facit,vt,rebus aliis neglectis, quæ vulgus hominum sitienter appetit, immortalem gloriam, atque diuinam ardenter expetatis. Sed interdum vereor, (multæ namque insidiæ tendi solent hominibus amplissimis,quales vos estis) ne sermonibus improborum pateant aures vestræ, quibus in errorem inducti, non veram, sed inanẽ gloriam consectemini, cuius specie capti in sempiternum dedecus incidatis. Ne igitur id vobis accidat,vt perditorum hominum rumoribus,tamquam ventis aduersis,iactati,laudis, & glorię naufragium faciatis;singularem cautionem, atque diligentiam adhibendam censeo;&,perinde atque gubernatores optimi,in maximis tempestatibus vectorum consilia nõ aspernantur; ita nullo modo conuenit vobis in profundo tantis procellis agitato nauigantibus, repudiare consilia hominum dignitati vestræ studentium. Audite igitur,viri nobilissimi, ea, quæ fortasse vos, quamuis sitis ingenio excellenti, propter curas rerum maximarum,quibus estis impliciti, haud ita clare potestis intueri. Nec enim dubito fore,modo recta consilia perditorum hominum sermonibus anteponatis,vt eam gloriam consequami ni, quam nulla vmquam vetustas possit obruere. Præclare tu quidem,inquit Metellus,exordium e Rhetorum officina sumpsisti multis dicendi luminibus illustratum, & ad animos nobilitatis vniuersæ præparandos satis appositum. Si igitur reliquum orationis cursum eadem, qua cœpisti,felicitate peregeris, homines insanos in sanitatẽ fortasse restitues. Omnia quidem,inquam,tentabo,nec vllum artificium mihi notum prætermittam. Tu tamen,si quid me hominem in dicendo pæne rudem effugerit,velim mihi præsto sis. Omnes namque persuadendi rationes tibi notas esse oportet, nempe qui non Ciceronem modo, sed artem etiam vniuersam diligentissime cognoueris. Magnum,inquit ille ridens, tibi aduocatum adhibes. Faciam igitur, si te opera mea indigere videro,vt te consilij tui in me ad hoc munus deligendo minime pæniteat. Audi igitur, inquam. Sic enim institutam orationem fortasse non incommode contexere licebit. Mihi quidem,amplissimi viri,hoc in primis spectãdum videtur omnibus, qui gloriam amant, quam sedem, atque domicilium habeat ipsa laudis elegãtia. Nec enim conuenit,rem adeo illustrem,nullum certum locum, in quo consistat, habere, sed sine vlla constantia vagari. Credibile autem non est, vos,cum tanta magnitudine animi præditi sitis,aliquam leuẽ,& inanem laudis vmbrã intueri, quæ statim euanescat,& non potius eam nominis claritatem quam omnes anni consequentes excipiant. Cum igitur immortalitatis amore flagretis, reliquum est, vt laudis ipsius domiciliũ in ea parte constituatis, quæ in vobis immortalis, atque diuina ducenda est. E corpore autẽ, cũ sit e terra concretum,eaque de causa mortale,&caducum,quid tandẽ exsistet,quod fixum, &stabile permanere possit?Si claritatẽ igitur eximiam,si laudem insignem, si gloriã sempiternã adipisci cupitis; animus ipse natura diuinus, & immortalis est vobis egregie colendus, omnibusque diuinis copijs locupletandus:nihilque omnino prætermittendũ, quod ad illius excellentem speciem,& pulchritudinem pertinere videatur. Non enim e gẽmis, & auro, quo flagitiosos homines, & impuras mulieres sæpenumero fulgere conspicimus, sed e diuino cultu animi laudes omnes exsistunt: inde omnis summæ gloriæ splendor, & dignitas eluescit. Animi autem ornamenta, sunt virtutes eximiæ,quibus humanæ mentes ornatę similitudinẽ diuinę mentis attingunt, & immortalitatẽ nominis assequuntur. Contra vero vitia,flagitiosa fœditate,pulchritudinẽ animi corrũpunt, & mentis habitũ ita deprauãt,vt nihil turpius fingi possit. Primũ igitur cauendum est omnibus, qui dignitatẽ suã tueri volunt,ne,voluptatũ blanditiis illecti, ce leste illud animi decus inquinent. Nefariæ nãque voluptates,præterquam quod sunt futiles & inanes,cum semel effluxerint,ingentẽ dolo rem

Laude Deũ colimus.

Adhortatio.

Consultatio, seu paraſceue ad ſequẽtia.

Gẽmis,& auro impuri ſplendent.

rem animis, & diuturnum dedecus impressũ relinquunt. Contra vero labores honesti breui contentione perficiunt, vt animus eximia voluptate compleatur, & insigni gloria cumuletur. Vt igitur illustris laborum, atque dolorum patientia animum illustrat;ita laborũ fuga omnibus illum ornamentis spoliat. Inde fit vt ne mortem quidem, quæ plerisque mortalibus horribilis est,& maxime pertimescenda, summis viris, & cupiditate laudis incensis,liceat extimescere. Timoris enim turpitudo mentis altitudinem deprimit, & illius speciẽ obscurat. Videtis enim,quam fœdum,& turpe sit,abiectis armis ex acie fugere, metu trepidare,nihilque vt forti,& constanti homine dignum est,sed omnia cum humili, & fracta animi demissione suscipere? Hoc certe vobis accidere posse non arbitror, vt mortem magis tętram, & horribilem existimetis,quam tanti dedecoris offensionem. Sic enim esus nati, sic educati, sic exemplis domesticis instituti,vt, dum ignominiam & turpitudinẽ vitetis,mortem facile contemnatis. Si igitur tuendæ dignitatis gratia sunt omnes voluptates nefariæ repellendæ, labores eximij suscipiendi,dolores magni subeundi, atque postremo mors etiam oppetenda; tantaque est ipsius honestatis vis,vt omnes labores leues,atque tolerabiles efficiat, & occidentem vitam veræ laudis dulcedine consoletur;quid erit indignius,quã dignitatem ipsam sordibus auaritiæ maculare?quid amentius,quam excellentis animi statum,pro quo viris magnanimis vita ponenda est, & acerbissimi etiam cruciatus perferendi,pecunię causa prodere,&,amore diuitiarũ terrestrium, & caducarum,opes cælestes, quæ magna ex parte in iustitia consistunt,amittere? Nihil est enim vel ad elegãtiam pulchrius, vel ad studium multitudinis amabilius, vel ad claritatem nominis illustrius, quam humanã societatem tueri,propriæque vtilitatis immemorem, omnium incolumitati prospicere. Hæc enim sunt illa diuina opera, quæ admirationem cunctis afferunt, studia hominum excitant,immortalique laude vigent. Vt autem nihil est iustitia præstabilius, ita nihil iniuria tętrius,nihil fœdius,nihil omnibus magis exsecrandũ. Ergo,qui pecuniam æquitati iuris anteponit,illustrem animi figuram,habitumque corrumpit:&,dum legibus,quas recta ratio,atque diuina sanxit, subdi ignominiosum putat,ipse sese dedecori, & ignominiæ,vilissimo pretio addicit. Animi itaque splendore deleto,impuritateque suscepta,quętandem spes relinqui potest vllius laudis,& gloriæ comparandæ, cum ex ornamentis animi laudes omnes oriantur? Non adducar igitur,vt credam, vos aliquid ad famam sordidum, & vestris rationibus,& institutis alienum,pecuniæ causa susciperе. Quamuis deinde valde fortunas amplificetis,multi tamen erunt mercatores, qui vos diuitijs longe superent. Vestrum autem est,non eas opes appetere,quibus obscuri etiã homines affluunt,sed quæ vos in altissimo gradu constituant;neque in illis diuitijs dignitatem ponere,quibus abundantem licet esse turpissimum,sed per quas omnia verę dignitatis ornamenta consequamini. Si vero pecuniam, vt gloriæ instrumentum, amandam existimatis,reputate,quam sit absurdum,pecuniæ causa dignitate omni orbari, atque gloriam prorsus abijcere. Nec vos illorum hominum exemplis vti decet, qui flagitijs indignissimis facta egregia contam inauere. Quis enim est tam sine mente,qui vel Marium,vel Syllam,vel Cæsarem, vel alios simili amentia furentes eo nomine laudet,quod,vt magnas opes haberent, detrimenta quam plurima cõmunibus rebus inuexerint? Contra vero,si quid ab illis sapienter,& fortiter administratum est, si quid operæ, & studij in Rempubl. contulere, id omnes laudibus efferendum, atque prædicandum iudicant. Non sunt igitur quidam homines imperiti vestri dissimiles vllo modo ferendi,qui, cum summorum hominũ virtutes assequi nequeant, eorum vitia consectantur. Hoc enim perinde est, atque si quis, excellentem formã illuuie,& squalore fœdatam effingere volens, cum pulchritudinem illam exprimere nõ possit,illuuiem tantum, atque sordes imitetur. Nec vos moueat illa descriptio facultatum,in Rebuspubl. ab earum moderatoribus institutа. Non enim fuit mens eorum, vt summos honores ad eos, qui essent opulentissimi, deferrent. Sed,cum intelligerent,illos, qui summa rerum inopia premuntur, haud ita facile posse Reipubl.studium nauare,& eas artes colere,quibus patriæ maximis in rebus vsui esse possent;homines propter necessarij victus indigentiam infimis artibus incumbentes, nec immodicis oneribus fatigandos, nec summis honoribus honestandos esse decreuerunt. Illũ autem maximum censum statuerunt,qui satis esset ad vitam honeste,& moderate degendã. Quod si quis infimæ classis homo virtutẽ egregie coleret, & excellenti industria e tenebris emergeret,illi certe noluerunt esse aditum ad summos honores interclusum. Tum enim optime Reipubl.consuli putabant,cum virtus,& frugalitas inerti nobilitati esset antelata. Nã quod ad Hispaniæ Principes attinet, quos olim dicitis diuites homines appellatos, haud facile dixerim, magisne, propter abundantiã pecunię,an ob illustres animi opes,hoc sibi cognomen peperisse. Illud affirmare possum,eorum nomen, qui virtutis opibus minime instructi fuerunt, aut obliuione sepultum esse, aut quod est longe grauius, sempiterna infamia notatum. Soli igitur omnium prædicatione celebrantur,qui pro religione,& patriæ defensione opes,& facultates neglexere, caputque suum in vitæ discrimen intulere, hostũq. impetum inuicta virtute repressere. Horum enim laudes ad citharam patrio more cani,

Labores honesti voluptatem ferunt.

Voluptates dignitatis gratia vitandę.

horum

Universidad de Deusto
Biblioteca

horum res gestas ornari, his mirificum ab vniuersis studium tribui videmus. Si vos autem lauta, & pretiosa supellex, si magna familia, & magnifici apparatus ita delectant, vt in illis decus vitæ constituatis; veniat vobis in mentem, quam sit indignum, aliunde, quam a vobis, ipsis, dignitatem exquirere. Etenim si vos aliqui propter alium vestrum equalem honorarent; idque aperte ostenderent sese nullo numero vos habituros fuisse, nisi vidissent cum illo sociatos, quem obseruantia dignum cêserent; id certe splendore vestro indignum putaretis, honoremque aliorum caussa vobis oblatum aspernaremini. At, quanto est indignius, propter infimam seruorum conditionem, aut propter opes fluxas, & caducas obseruari? Perficite igitur, viri nobilissimi, vt non facultatibus, non familiæ, non generis claritati, sed vobis ipsis, hoc est, animis vestris omni laude cumulatis honores eximij deferantur. Ea enim tantum vestra ducite, & earum facultatum copia gloriamini, quæ nec casus eripit, nec inuidia labefactat, nec ætas vlla consumit. Quæ enim ad imperitę multitudinis plausum aucupandum referuntur, ita sunt fluxa, & inania, vt intra breue tempus, & exiguum ea omnia leuissimus etiam quisque contemnat, & pro nihilo habenda putet. Nec eos imitemini, qui corruptis hominum studiis se stabilem gloriã assequi posse confidunt, eaq. de caussa alijs eripiunt, quod alijs statim largiãtur. Multo enim plures erunt iniustitia læti, quam beneficio deuincti. Deinde multitudinis odium iustissimis de caussis excitatum, est multo vehemẽtius, quam sit illa gratia paucorum, impurissima largitione collecta: & ita fit, vt, qui malefici sunt in multos, vt esse possint in paucos benefici, fructum laudis exiguum, & inanem habeant, sceleris autem offensionem sempiternam. Repellite igitur omnia, quæ maculam afferre possunt vestræ dignitati, illaque studia colite, quæ sola gloriosa sunt existimanda. Non enim diuitijs abundare, nec tenuiores affligere, neque in Republica dominari, sed animi bonis affluere, vniuersis carum esse, Reipublicæ salutarem existimari, est laudabile, gloriosum, & summis honoribus illustrandum. Est enim honor diuinum quoddam præmium, virtuti, & honestati constitutum, omne turpitudinis consortium repellens, & ita fit, vt, qui animum flagitio, & turpitudine contaminatum gerunt, nullo pacto honorem, sed inane fortasse nomẽ honoris adepti in summa ignominia versentur. Ergo, cum tanta dignitas sit in animo virtutis ornamentis exculto; cum tantum laudis ornamẽtum in fide, iustitia, bonitate consistat; tamen erit quisquam, qui suadere audeat, vobis hominibus ad decus, & laudem natis, vt tantum decus abijciatis? vt præclaram istam indolem insigni scelere polluatis? vt animi præstantiam eximio dedecore maculetis? Non istud genus hominum a vestra familiaritate repelletis? Non tantam gloriæ labem, atque perniciem in terras vltimas exterminabitis? Arcete, viri amplissimi, pestem, fœda consilia detestamini, sceleratos homines a contubernio vestro reijcite, ne vestro nomini grauem maculam sermonibus impurissimis inurant. Non enim illa domus gloriã floret, in quam innumerabilis pecunia conge sta est; sed quæ multis abstinentiæ exemplis abundat. Nec qui opibus, & potentia præstant, sed qui sunt virtute, & dignitate principes, splẽdide solent, atque magnifice laudari. Nec illi, qui propriæ vitæ consulunt, sed qui eã pro patrię salute ponunt, in gloria sunt. Non vos autem conturbet inopiæ nomen. Si enim fortunas Reipub. caussa neglexeritis, pro fluxis, & interituris opibus, æternis, atque diuinis affluetis. Nec mortis ipsius adspectu terreamini. Si enim, cum id a vobis patria flagitauerit, hanc breuem, & miseram vitam in summum discrimen adduxeritis, immortalitatẽ consequemini. Si igitur exarsistis ad gloriæ cupiditatem; si vos a primis annis pulchritudo dignitatis allexit, si immortalitatis studio flagratis: excellẽtem istam industriam in virtutis studio consumite, iustitiam atque pietatem colite, vniuersum genus hominum beneficijs vestris obligate. Sic enim eam honestatis amplitudinem consequemini, quam præsentes admirentur, posteri memoria gratissima prosequãtur: de cuius laude mortales omnes vna mente, & voce consentiant. Hactenus quidem me cum illis disseruisse existimate. Libenter autem hoc dicendi genere vsus sum, vt hac quasi declamatione meditatus, atque paratus, aliquando ad huiusmodi homines ab iniuria dehortandos accedam. Cupio enim eos quouis artificio ab opinione leuitatis ad veræ gloriæ rationem traducere.

Domus diuẽ floret gloria.

Peroratio.

NIHIL quidem, inquit Metellus, erit, quod non isto tam elegãti orationis instrumento effici valeat. Sed, vnde, quæso, tibi tanta dicendi ornamenta suppetunt? Hanc enim ante hac habui de te opinionem, vt existimarem te facile posse tractare materiam, in cuius commentatione multum, vt soles, operæ, & studij consumeres. Vt autem ex tempore isto modo diceres, suspicari nõ poteram. Quod item in Augustino nostro mirabar. Quamuis enim nihil sit illo politius, tamen tã splendidum orationis ornatum ab illo sine diligentiore meditatione non exspectabam.

Locus qualis sequens.

FORTASSE, inquam, ridens, habet hic locus aliquam uim diuinam, quæ differentium animos incitet: & nos ea, quæ dicimus,

mus, non ingenio nostro, sed Musarum spiritu concitati dicimus. Vt autem Poetis multo felicius fluunt carmina, quæ non studio, & meditatione, sed furore diuino proferuntur; ita mirum non est, nostra nõ multũ multis in locis Poetis dissidentia, vberius Musarum quodam afflatu fundi, quam diuturna commentatione contexi potuissent.

Homines qd reijciant.

Fructus disputationis superioris.

SI hæc, inquit Augustinus, loci natura est, huc nobis sæpius veniendum censeo, vt tam iucunda Musarum consuetudine fruamur, illarumque numine completi, in his saltem sedibus floridis, & amœnis, inter has vlmos tam suis frondibus, quam adiunctis vitibus totum hunc locum opacantes, diserti esse possimus. Tibi igitur auctor sum, vt, hac tanta loci opportunitate admonitus, ea, quæ restant, alacrius persequare.

FACIAM, inquam: atq. de Iustitia quidem non est quod amplius in præsentia disseram. Cum enim verum decus sit in maxima virtute positum, quæ quidem illustratur magnis in Rẽpubl. meritis; constetque nihil esse Iustitia magnificentius, aut hominum vitæ salutarius; quid est magis perspicuum, quam summum, & excellens decus iustitiæ munere contineri? maxime, cum nulla animi, & ingenij indoles egregia a iustitia seiuncta, possit aliquam habere dignitatem? Quæ enim iniusta sunt, quamuis sint admirabilia, sunt odiosa & inuisa, perpetuaque flagrant infamia.

Gloria in hominum caritate.

QVOD quidem in animi magnitudine facile cernitur. Recte tu quidem virtutem a temeritate, & audacia distinxisti, cum diceres, non omnem animi alacritatem in fortitudinis rationem cadere; sed eam tantũ, quæ rationis imperium sequitur, & pro Iustitia, atque communi vtilitate pugnat. Qui enim, impetu cæco, & inconsiderato concitatus, manu cum hoste confligit, eum nullo modo fortem, sed temerarium, & immanem appellari conuenit. Ille igitur tantum, vt dixi, fortis est, qui, rationi parens, nullum periculum pro salute communi recusat. Qui autem hoc animo est, egregia laude carere non potest. Omnes enim mortales admirantur inuictum robur animi, nemini cedentis, nulli labori succumbentis, nullis periculis officia relinquentis. Nec verum est, inhumanam, & impudentem audaciam cõstanti multitudinis opinione laudari. Quis enim homines cæde nefaria imbutos, sanguinemque perpetuo sitientes, eo nomine laudandos putat, quod ali quod immane facinus intrepide suscipiant? Contra vero, quo maior est in illis ad scelus audacia, eo magis illos omnes mortales oderunt, & exsecrantur, malaque peste dignos existimant. In eo autem, quod ais, summos principes, iniustissima bella suscipiendo, summa quadam gloria floruisse, parum mihi videris attẽdere, quæ sit huius verbi sententia. Gloria enim, vt sæpe dictum est, sine singulari homi-

Mortales qd laudi ducãt.

Laus quibus tribuatur.

num studio, & beneuolentia, ne intelligi quidem potest. Nemo enim pestilentiam, & vastitatem, nemo terræ motum, eluuionem, incendium, & reliqua, quæ vi incredibili animos hominum perterrent, glorioſa vmquam putauit. Ea igitur tantum laudari, ea memoriæ mandari, ea immortali religione consecrari cernimus, quæ alta quadam mente, atque singulari iustitiæ, & pietatis studio geruntur. Vt igitur nec naturæ prodigijs, nec truculentis belluis gloria tribui potest; ita nec hominibus nihil omnino a belluarum immanitate distantibus. Quis enim est tam sine mente, qui nomen eorum non oderit, quos accepit fuisse generi humano pestilentes? Ergo, cũ gloria magna ex parte in hominum caritate sita sit, eos quos omnes existimant luce indignos exstitisse, quibus etiam apud inferos perpetui cruciatus exstant, dices esse gloriã consecutos? Fuerint illi potentes, & admirandi, horrificũ bellũ multis intulerint, innumerabiles nationes Martis vi perculerint, atque subegerint; gloria certe ne tum quidem, cum se florẽtes, atque beatos existimabant, affici potuerunt; & nunc mortui, omnibus impuri, detestabiles, & exsecrãdi videntur. Quod si leuissimus quisque eos admiratione perculsus extollat, non diu in ea opinione permanebit. Illã enim breui tempore ratio, atq. mediocris animaduersio penitus euellet. Hic locus postulat, vt, ordine tuo omisso, nunc potissimum orationem illam refutemus, qua asseuerabas, eos, qui in singulari certamine furenter inito parem suum obtruncãt, insigni gloria cumulari. Eos enim ne minimam quidem gloriæ partẽ attingere contẽdam. Non enim fortes, sed furiosi; nõ honesti, sed impuri; non illustres, & ampli, sed humiles, & obscuri sunt existimandi. Grauiter tu quidem, & merito genus illud certaminis, vt omnibus institutis diuinis, & humanis infestum, infectatus es. Quid enim habet turbulentum illud disidium, insana in lacessendo contumelia, funestus ille tæterrimæ contentionis exitus, quod non sit & omni scelere imbutum, & turpitudine insigni cumulatum? Eos tamen, ais, in summa gloria versari. Quo modo tandem? Aut qualis est ista gloria? Concursus vndique fit leuissimorum hominũ, vt virosillos Martios inter se acriter, & animose, sine vlla graui caussa, certantes spectent. Tribuitur magna laus illis, qui vel hominẽ sanctissimo sibi religionis fœdere sociatum iugulant; vel mortiferam plagam, vt amẽtissimæ multitudini satisfaciant, interrito vultu excipiunt. Sed velim mihi dicas, cum olim gladiatores, inspectante populo Romano, depugnabant, num existimes eos, qui simili audacia paribus suis vitam eripiebant, simili laudis genere caruisse? Immo, quo plures, & clariores spectatores habebant, eo maiorem plausũ excitabãt. Quid autẽ mirũ est, hominũ genus abiectissimum, propter inanem virtu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tis imaginem,eam laudem obtinuisse,quæ bestijs etiam dari solebat? Laudabantur enim ferę truces,& immanes,quę multos homines in circo laniabant.Hac etiam ætate,in Hispania præsertim, cum in ludis publicis vndique spicula in tauros intorquentur, illi,qui magnam hominum stragem edunt,egregij tauri,atque non vulgari pretio digni reputantur. Sic igitur homines isti nobiles, qui amentia præcipites in exitium ruunt, ab imperita multitudine laudem assequuntur; sed eam laudem, quæ sit illis cum impurissimis gladiatoribus, cum leonibus,cum pantheris,atque postremo cum tauris etiam communis. Num quispiam asseruit,aut feras illas,aut homines efferatos,quorum ludus erat humanum sanguinem fundere,in gloria fuisse? Minime quidem. Cur ita tandem? Quia gloria nullo modo consistit in leui, atque repentina multitudinis approbatione, quæ momento temporis euanescit. Vt igitur apud Romanos non Myrmillones, non Retiarij,non Thraces, non Hoplomachi, non denique totum hoc operarum genus e disciplina lanistarum impurissimum,& inquinatissimum, quamuis audax esset, in gloria vixit; sed Imperatores,& optimates,virtute,grauitate,& consilio patriam conseruantes;ita nũc non inhumanum,ferum,barbarum facinus obeuntes in gloria vigent, sed viri constantes, & graues, amplissimæ virtutis opibus Christianam Rempubl.fulcientes.Nemo enim non videt istorum turpitudinem, qui vitam venalem habent;qui sui,aut aduersarij cæde amentissimæ multitudini spectaculum præbent;qui sunt furoris ipsius mancipia, qui leuissimis de caussis gladiatorio generi mortis addicuntur.Videte igitur,quod genus laudis vita emẽdum putent homines amentissimi.Id nempe, quod impuris gladiatoribus, & bestijs immanibus concedi potest. Deinde,quam cito memoria facinoris illius exstinguatur. Postremo quanta sceleris infamia deformatum sit. Qui enim in certamine spiritum effundunt, statim veniunt in obliuionẽ, & ita excedunt e vitã, vt ne pompæ quidem aut funeris, & sepulturæ honorem,quem vulgus hominum plurimi facit, obtineant. Victores autem quis post triduum sapiens in magnis viris habendos putat? Quemadmodũ igitur olim gladiatores, quamuis victores e circo discederent, & picti veherentur in rheda, eximio quodam plausu celebrati,nemo non infames,& detestabiles existimabat;ita isti,quos similis in condicione dissimili morum feritas, atque barbaria delectat, quamuis illo tempore exiguo, in quo maior est leuitati, & amentiæ, quam rationi,& iudicio locus a leuissima illa turba aliquod genus laudis assequantur; breui tamen omnium opinione in turpissimorum hominum numero reponuntur. Nec enim esse potest in scelere diuturna sceleris approbatio. Ergo,cum gloria posita sit in præstanti prædicatione hominum,ingentia facta mirantium, & eximiũ ornamentũ dignitatis insigni amore complectẽtium;illam tam inanem laudem, tam temerariam,tam repentinam,tam subito ex omni memoria discedentem, atque postremo tãta scelerisimmanissimi cogitatione maculatam,gloriam appellabis? Nullo modo,mihi crede, potest gloria in tam tętro, & impio, tam omnibus detestato,tam cunctis hominibus inuiso facinore consistẽdi locum habere. Qui sunt igitur illi, quorum virtutem omnes summi,infimi,mediocres admirantur? quorũ magnificam speciem intuentes studio incenduntur,qui non viui modo,sed multo etiã magis post mortem in ore omnium sunt?Illi nempe,qui insignem patriæ caritatem incredibili robore,atq. virtute communiũt; qui humana omnia, quantumuis horribilia, veri decoris tuendi caussa,despiciunt;qui vitam,cum opus ita fuerit, patriæ reddere minime recusant. Mirum enim est,vt afficiantur omnes,quoties audiunt,aliquod facinus clarum,&memorabile, pro salute omnium cum magno vitæ periculo susceptum. Tanta est enim huius virtutis admiratio,vt eos etiam,qui multis ante sę culis patrię suum sanguinem largiti sunt,amare compellamur. Codrus itaque hominum cõ memoratione viget,qui sese in medios hostes immisit,vt morte sua patriam conseruaret. Clarissimam Leonidę mortem pro saluteGręciæ oppetitam miris laudibus exornant. Decij,sese pro patria deuouẽtes, animos nostros sibi virtutis admiratione deuinciũt.Huius generis exempla innumerabilia proferri possunt,quibus intelligamus,non audacię,sed virtuti laudem immortalem tribui, nec patriam importuna cupiditate vexantes, sed ea cum vitæ etiam periculo cõseruantes omnium sermone celebrari: nec illis,qui omnia dominandi libidine peruertere,sed qui e suorum cerui cibus hostium impetum insigni virtute depulere,diuinos honores haberi. Sed minime necesse est nobis hoc in loco diutius immorari, ad alia præsertim festinantibus.

Ludi in Hispania.

Ingloria qui vigeant.

Codrus mortuus viuit.

Mors absque honore.

Gloria ĩ quo consistat.

VI. Temperãtia.

RESTAT, vt aliquid etiam deTemperãtiæ laude dicamus. Est enim in hac virtute totius honestatis decus, & lumen constitutum. Regit enim,& continet omnes affectiones,vnde appellatur Temperantia, quod insit in illa animorum temperatio quædam, & admirabilis ex vario,&repugnante affectionum genere concentus. Græci appellant, σωφροσύνην, quasi, σώζουσαν φρόνησιν. Conseruat enim maxime prudentiam; & considerata iudicia rationis salutari præsidio confirmat. Parũ. n. iuuat recte sẽtire,si statim nos libidinis immanitas a recta sentẽtia depellat. Hoc igitur efficit Tẽperãtia,vt ratio imperiũ facillime teneat,atq.pro dignitate regiũ munẽ administret. Refrenat.n.libidinẽ,voluptatẽnefariãrepellit infinitis cupiditatibus obsistit,& oẽs denique motus animi temerarios, atque turbulentos

Temperãtiæ effectus.

coercet,

coercet, & comprimit. Ex quo efficitur, prudentiam atque iustitiam modestiæ munere contineri. Tunc enim demum vel vera cernere, vel recta atque simplicia consectari possumus, cum omnis libido comprimitur. Iam vero illa magni animi indoles, ad res altas, & arduas adspirans, si modestia vacat, virtutis nomen habere non potest, sed extremi furoris, & amentiæ. Qui enim ita elato animo sunt, vt modum non teneant, a rationis imperio deficiunt, & impetu cæco ruunt, omnia quocumq. se conferunt, euertentes. Cum autem pręcipuum munus huius virtutis sit,in omni officio modum, & ordinem conseruare, & id, qđ in qualibet re maxime deceat,ample cti,necessario complexa est omnem pulchritudinis excellentiam. Vt enim qui temeritate,& amentia ducuntur, aut alicui proterue nocent, aut molliter, & effeminate se gerunt, dedecus insigne concipiunt; ita,qui animo recte constituti sapientiam,& æquitatem colunt, & humana cuncta despiciunt, omnia honestatis lege metientes, omnibus simul dignitatis opibus excellunt.Ergo,cum hæc virtus omne dignitatis ornamentum in se contineat, & virtus ex se necessario gloriam generet;relinquitur,omnem gloriam in temperantia consistere. In ordine enim vitæ,& constantia sita est honestas omnis, & in confusione turpitudo. Quid enim quæso Achillis iracundia,aut Aiacis furore turpius? quorum alter luctu, atque lacrymis, quantum sibi ipse displiceret, ostendit, alter dedecus impotentia animi conceptum morte delere constituit. Quod si homines laudis auidi, propter intemperantiæ recordationem se ipsi oderunt; quod tãdem de illis populi vniuersi iudicium fore suspicamur? Fieri ne potest, vt multitudo sit in quemquam natura clementior,quam est quisquam in seipsum? aut vt cernat aliquis acutius sua flagitia, quam vulgus, ad alienum dedecus animo notandum semper intentum? Quod autem ad Hannibalem attinet, si talis eius natura fuit, qualis a Silio describitur,ecquem existimas, qui tantam illius immanitatem non exhorruerit, atque detestatus sit? Cum igitur odio hominum flagrarit, ad gloriam peruenire non potuit. Non est ita, inquis. Immo præcipiti,& effrenata mente eam gloriam est adeptus, quam animi moderatione, atque temperantia numquam assequi potuisset. Pergis ne tu gloriam in hominum metu, atque consternatione ponere, quæ tota est in animi dignitate, atque beneficentia collocanda? Fuit ille quidem stupendus,fateor;sed ita,vt horrida,& infesta pestis,non vt vir egregiæ dignitatis laudibus abundans. Quod etiã in Alcibiade perspici potest, qui cum egregiam indolem intemperantia contaminarit, ignominię sempiternę maculis est adspersus. Idem de Pausania, cuius etiam memoriam in tulisti, & reliquis eodem morbo oppressis asserendum est. Nam,quod ad Alexandrum attinet,quantum illius dignitati intemperantię dedecus offecerit,explicari non potest. Quamuis enim magnum nomen animi prestantis altitudine,& multis continentiæ exemplis adeptus fuerit, postquam sese immensa luxuria, impiaque multorum cæde commaculauit,extremam ignominiam subiuit. Factum enim est,vt illius nomen,paullo antehostibus etiam carum, esset repente amicis prope omnibus inuisum. In vniuersum autem, quos dixisti gloriæ magnitudine insolentes,& furiosos extitisse,ij numquam vllum veræ laudis gustum habuere,nec solida gloria,sed iactatione,& leuitate a mentis statu deiecti sunt. Non enim erant virtute vera, e qua gloria omnis emanat,stabiliti,& ideo nec ventosam populi celebritatẽ,nec honores eximios ferre,atq. sustinere vllo modo potuerunt.Perinde.n.atq. parua cymba,nauis onerariæ velis, & armamentis instructa,ventum sustinere non potest, sed leuissimo flatuiactata deprimitur;ita isti,cum virtutis amplitudine,& grauitate careant,honoribus eximijs tamquam ventis vehementius obruuntur. Vide autem,quam graviter Plato omnem vitæ dignitatem in animi moderatione ponat. Sic enim ait in 4. lib. de Legibus: Deus quidem,o viri,vt ex antiquorum scriptis accepimus, omnium rerum initium, extremum,&medium numine suo cõplectens ita recta per omnia pertinet, vt orbem natura conficiat. Illum autem sequitur iustitia,in eos,qui a Diuina lege deficiunt, seuere vindicans. Porro autem, qui vitæ beatæ compos futurus est, iustitiam amplexus humili ornatu subsequitur;qui vero ductus insolentia, vel opibus,vel honoribus, vel forma corporis elatus,tum iuuenta, & amentia præceps, ardentique impetu animi concitatus;cum tanta cõtumelia,vt statuat nullius se principis,aut moderatoris ope indigere, sed esse potius ad alios regendos instructum; is a Deo deseritur. Desertus autem, & alios ijsdem opinionibus inflatos sibi socios adiungens,exsultat,omnia perturbans. Et primum quidem apud multitudinem in viris magnis habetur,sed breui dignas pœnas iniustitiæ pendens, seipsum, domum, vniuersamque patriam funditus euertit.Verba Platonis expressi,quibus vir ille sũmus omnem gloriæ rationem in iustitiæ cultu,& in humanitate collocandam putat.Illius enim tantum firmas,& stabiles opes esse dicit qui Deum omnia prouidentem,atq. moderãtem intuetur,sibiq. nihil assumens,omnia beatæ vitæ præsidia in ope cælesti,Diuinæq. virtutis imitatione constituit.Superbi vero, & insolentes,suisque opibus nimium præfidentes, cum in Deum non respiciãt,& ita Diuinæ mẽtis lumine careant, in tenebris ruunt, omnia temere cõmiscentes,atque perturbantes.Breui itaque flatu inanissimi rumoris elati, cum insigni patriæ calamitate in sempiternum

Inſolẽtes laude deſtituuntur.

Platonis de vitæ dignitate ſententia.

Superbi omnia confundunt.

Temperãtia dignitatis ornamentum.

Proximus sibi quisque.

Ironia per ilantiam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dedecus incurrunt. Vnde colligit idem Plato, esse Deum supplici animo venerandum, & omni studio sequendum omnibus, qui laudem, & dignitatem caram habent, neque aliam esse censet ad vitę splendorem viam, quam quę Diuinæ virtutis similitudine, & animi moderatione continetur. Sic enim ait eodem in loco: Quod nam erit igitur officium Deo gratum, & cum illius natura congruens? Vnum certe vna priscorum hominum sententia contentũ. Aiunt enim, simili simile, quod quidem est ratione dimensum, gaudere. Quæ enim modum non habent, neque secum inter se, neque cum ijs, quæ certa ratione, & modo definita sunt, vllo pacto conuenient. Deus autem nobis modus, atque mensura est, multo quidem certior pecunia, & multo exactior, quam mens humana. Is igitur, qui in Dei amicitiam venturus est, oportet, vt, quam maxime possit, ad illius similitudinem accedat. Hac autem ratione efficitur, modestum esse Deo carum. Est enim illi similis. Intemperans vero dissimilis, & ab illo dissidens, & iniustus. Hæc Plato. Quibus nihil potuit dici præclarius. Primum enim similitudine sumpta e magnitudinibus communi dimensione carentibus, asserit incontinentes, proteruos, atque petulantes, neque bonis, neque sui similibus vlla ratione coniungi posse. Cum enim eorum infinita cupiditas nequeat vllo modo terminari, & idem omnes ardentissime cupiãt; multo maior exsistit inter illos contentio, quam inter bonos, & improbos excitari plerumq. solet. Tum illud quam sapienter dictum? Non pecuniam, quam multi communem rerum omnium mensuram esse statuunt: non mentem humanam, qua quidã omnia moderanda putant; sed Deum ipsum esse modum, rationem, & regulã, qua sint omnia vitæ officia dirigenda. Ita autem fit, vt illi moderati sint, qui sese ad Dei voluntatem, tãquam ad exactissimam vitæ legem, & normã accommodant. Qui, cum Dei similes sint, (necesse enim est, vt sit illis eximia cum Deo similitudo, qui sua omnia Diuina lege, & ratione metiuntur) Dei sibi amorem conciliant, & illius opibus illustrantur. Vt igitur omnes impuri, & intemperantes, cum Deum, a quo valde dissident, infensum habeant, & honestis hominibus odiosi sint, & flagitiosis etiam vehementer inuisi, luce omni dignitatis orbati, cõcidant; ita mites, atq. mansueti tranquille omnia, atque moderate gerentes, cum Deum respiciant, Diuino quodam lumine collucẽt, & bonis cari sunt, & improbis admirandi; atque ita tandem Diuino, & humano iudicio immortalem claritatem assequuntur. Ex quo efficitur, omne gloriæ lumen esse in temperantia positum. Non igitur impotentes, & iracundi, non superbi, & insolentes, omniaque furore & inaudita libidine perturbãtes gloria, florent, sed qui iracundiam cohibent, libidinem refrenant; animum temperant, &, quãto magis excellunt opibus, tanto se submissius gerunt, & ordinem, atque modum in omni officio conseruant. Hi constantes, & graues homines, hi viri magni, atque plane Dei similes habentur, & omnium tandem consentiente laude celebrantur. Ergo, vt iam huic parti finem imponamus, si illi tantum, quos neque amentia vexat, neque nefaria habẽdi cupiditas inquinat, neque formido concutit, neque vis libidinis inflammat, in gloria sunt; sed, qui sapientia florent, & omnem curam, & cogitationem in publica salute defigunt, animoq. magno sunt, & inuicto, quem quidem lege Diuina moderantur: relinquitur plane, omnia egregiæ cuiusdã laudis ornamenta esse necessario cum virtutum maximarum studio coniuncta.

Deus est modus mẽsurãque.

Improbi gloria non vigent.

Deum moderati respiciunt.

HIERO-

HIERONYMI OSORII LVSITANI DE GLORIA LIBER QVINCTVS.

Repetitio superiorum.

NVNC tandem, inquit Metellus, reliquum est, vt ostendas, quam vim habeant argumenta illa, quibus contendebat Augustinus, gloriæ studium Christianis institutis aduersari.

TVM ego: Ea vero, quæ hactenus adducta sunt, satis superque puto ad illa diluenda. Si enim, inquam, constant, nullam esse in temeritate, & amentia ad gloriam munitam viam, si laus omnis in eximiæ virtutis elegantia cõsistit, & omne studium Christiani hominis excellenti virtuti dicandum est; quid clarius esse potest, quam gloriæ cupiditatem esse cum Christiana disciplina copulatam? Qui fieri enim potest, vt quisquam singulari studio virtutem colat, virtutis autem ipsius decus, & ornamentum despiciat? Quod quidem si diuini homines indignum virtutis præstantia putauissent, numquam splendore illius inuitarent eos, quos omni virtute instructos, & ornatos volebant. Audi enim quibus verbis magnus ille Moses populum in amorem pietatis allectet, & inuitet. Sic enim ait: Hæc est vestra sapientia, & intelligentia in gentium luce, & celebritate constituta, vt audientes vniuersi huius Diuinæ legis instituta, dicant: En populus sapiens, & intelligens, gens magna. Vides ne, quali oratione vir ille summus ostẽdat, gloriam esse diligendam? Non mediocrem enim vim in eo argumento sitam putat, ad populum amore pietatis inflammandum, quod ipsa pietas sit apud omnes miris laudibus efferenda. Idemque statim subiungit: Nõ est vlla natio tam illustris, & ampla, vt Deos præsentes habeat, sicut nos habemus Dominũ Deum nostrum præsentem, & nobis in votis, & precibus occurrentem. His verbis Moses non modo gloriam exornat, sed illius fontem aperit. Deo enim carum esse, illius mente gubernari, cælesti præsidio communiri, est maxime laudabile, & gloriosum, & omnium sermone celebrandum. Multa ex huius sanctissimi viri scriptis proferre possem, quibus videretis, quantum semper omnes veræ gloriæ stimulus ad studium virtutis incenderit. Sed ad Diuini vatis, atque clarissimi Regis carmina festinat oratio. Dauid igitur, vt alios inter illius, & Mosis tempora intereos omittam, quanto studio gloriam tuetur? Quanta animi contentione dedecus repellit? Quam indigne patitur eorum inuidiam, & immanitatem, qui laudes ipsius obscurare nituntur? Quousque tandem, inquit, o viri, gloriam meam deformatis? Et alibi: Domine, inquit, si feci istud, (intelligebat autem falsum sibi crimen illatum) si manus meas scelere maculaui, si domesticis meis aliquid mali machinatus sum, & non potius ita me gessi, vt inimicos etiam meos a debita peste seducerẽ; hostis me persequatur, atque petat animam meam; comprehendat, atque proterat vitam meam. Grauis sane imprecatio. Nihil enim videbatur fieri posse calamitosius, quã in hostium manus incidere, & sanguine suo crudelitatem illorum satiare, nisi id vltimo loco addidisset, quod omni diritate tætrius existimabat. Adiungit enim: Gloriam meam infringat, & abijciat. Hæc oratio videtur ne tibi hominis laudem contemnentis; an eam potius omnibus vitæ commodis longe præferentis? Iam vero, cum excitatur ad Diuinę maiestatis amplitudinem auguste, atque sancte venerandam; cum illius erga se beneficia infinita commemorat; quid illo tam grandi carmine celebrat magnificentius, quam gloriam sibi a Deo tributam? Pugnas itaque suas, victorias, atque triumphos extollit; omnia summæ laudis ornamenta, quæ fuit Diuina benignitate consecutus, oratione complectitur; neque tantum potentia, aut imperij finibus, quantum claritate nominis incenditur, ad Dei laudes cælesti quadam harmoniæ concinendas. Illius autem vltima verba, quæ dixit, cum iam mors appropinquaret, nõ ne aperte declarant, quantum illi nominis amplissimi studium exstiterit? Nam neque nomẽ suum, neque parentis reticuit; &, cum maiestatem suam esset oratione complexus, musicum illud artificium, quo tantum Diuinæ mẽtis viribus excitatus excelluit, nullo modo silentio præteriuit. Huius sapientissimi viri sapientissimus filius Solomon, quæ præmia proponit iuuentuti? quibus muneribus adolescentes ad sapientiæ studium in principio operis inuitat? Non alijs certe, quam Regiæ dignitatis insignibus, quibus excoluntur omnes animi, qui Diuinę legi parent. Ait enim in eodem libro: Iustitiæ memoriam esse iucundam, atque sempiternam: impiorũ autem nomen quasi tabe exesum, atque confectum euanescere,

Moses ad pietatem populum hortatur.

Dauid respicit gloriam.

Salomon præmia iuuentib. proponit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

claramque famam esse omnibus opibus, & facultatibus anteponendam. Alibi vero, cum rerũ humanarum imbecillitatẽ, huiusq. miseræ vitæ solicitudines, & angores esset elegantissime persecutus, omniaque tandem humana, vt leuia, & inania, contemneret, vnam gloriam excipit, & quasi mente incitatus exclamat, illius suauitatem vnguentis suauissimis, & odoribus esse præferendam. Multa possum ex huius summi Regis scriptis memoriter pronuntiare, quibus ea confirmetur opinio: gloriam nempe esse pijs hominibus expetendam. Sed par est, vt rationibus etiam pugnemus. Atque primum illud afferamus, obscuri tatem, ignobilitatem, ignominiã, & dedecus, esse diuinæ vindictæ supplicium conscleratis hominibus irrogatum. Legimus enim, eorum nomen, qui diuinam religionem impie, atque nefarie violauerunt, fuisse ex hominum memoria penitus euulsum. Apud Mosen vero Deus ipse prædicit impijs, fore, nisi resipiscãt, vt eorum nomen obliuione sempiterna conteratur. Alibi autem, idque multis in locis, minitatur infamiam omnibus, qui legem neglexerint, atque sacra polluerint. Ieremias autem ita sub Dei persona in Iudæos inuehitur: Euellam, inquit, vos, & ciuitatem istam exscindam, tradamque vos grauissimis ignominiæ maculis inuitos hominum memoriæ sempiternæ. Ex ijs, & alijs locis infinitis, quos breuitate diei admonitus omitto, apertum, atque perspicuum est, ignominiam esse supplicium, hominum impietati, & sceleri a diuino numine constitutum. Quare minime mirandum est, viros interdum sanctissimos infamia quodammodo frangi, atque debilitari; &, qui contra omnia fortunæ tormenta egregie muniti sunt, ignominiæ tempestate sæpe conuelli. Quod in Iobo, Dauide, Neemia, & alijs viris sanctissimis, & fortissimis cerni potest: qui, cum reliqua omnia inuicta virtute sustinerent, indigne ferebant ignominiam. Quod si tantum malum est, in sepulti nominis obliuione in dedecore, & infamia, vt in ea sepenumero videatur vltio Diuina consistere; consequens est, vt laus, & gloria sit in diuinis muneribus habenda. Et, si viri pietate præstantes non sine caussa vituperatione, & conuicio perturbantur; par est, vt laude, & prædicatione delectentur. Quod autẽ gloria sit diuinum beneficium, Moses in primis ostẽdit. Hoc enim Israeli denuntiat: futurum nempe, si diuinis institutis obedierit, vt sit à Deo locatus in summa gloria, & cunctis gentibus honore antelatus. De Iesu vero illius successore scriptum est, Dei munere fuisse nomen illius per omnes terras cum summa omnium admiratione peruagatum. Apud Samuelem aiebat Deus: Eum, qui me coluerit, honestabo: qui autem me contemnunt, erunt contempti. Non igitur immerito Dauid id multis in locis asserit, illam omnem gloriam, qua mirifice redundabat, esse Diuinæ beneficentiæ referendam. Illum itaq. perennem gloriæ fontem carmine perpetuo celebrat illum summum auctorem decoris, & dignitatis intuetur; in illius cultu claritatẽ omnem positam esse docet. Ex quo apparet, gloriam esse cælestе quoddam munus apud animos pios collocatum. Ergo, cum nominis, atque famæ celebritas sit in Diuinis bonis numeranda, sapientem appellabis eum, qui illam aspernatur? qui lucem ipsam fugit? quibeneficium Diuinum repudiat? Christus, inquis, præcipit, vt a gloria, tamquam a re pestilente, atque perniciosa, fugiamus: quasi vero Moses, Dauid, & reliqui, quorum testimonijs vsus sum, non ea, quæ protulere, spiritus illius afflatu protulerint. Erat enim iam illis temporibus diuina Christi vis illorum animis inclusa. Sed de illius institutis postea videbimus. Nunc vero ex te libenter audierim, num Christus a cælo in terras delapsus est, vt rerum naturam, quas ipse finxit, euerteret; immovero, vt eam iacentem erigeret, atq. cælesti præsidio cõfirmaret? Gloriæ autem appetitum esse in animi natura insitum, abunde demonstratũ est. Necesse est igitur, vt animus tunc ardẽtius laudem appetat, cum fuerit morbis, qui illum impediunt, omni no liberatus. Tunc enim incorruptus, atq. sui similis permanens, vim, atq. naturã suam clarius ostendet. Ergo, cum Christus omnes morbos, quibus erat oppressum genus hominum, a suis oino depulerit; consequens est, vt illi qui Christi ope ex illis malis, quæ naturam humanam deprimebãt, emersere, ad gloriã adspirent, atque tanto ardentius gloriam expetãt, quanto maior ardor honestaris in illis exstitit. Deinde, quid impudentia tetrius? quid hominum vitæ pernitiosius? quid Christianę religionis castitati magis infestum? Nequam enim hominem, & improbum, poteris aliquando fortasse ignominiæ metu a flagitio reuocare: at, qui pudorem omnem amisit, nihil sibi reliquum fecit ad effrenatam libidinem aliqua ex parte cohibendam. Quocirca non immerito viri sanctissimi hoc impudentiæ nomine omnem morum immanitatem complectuntur. Quale est illud Isaię: Scelus instar Sodomæ præ se tulerant, nec occultauerunt. Item illud Ieremiæ: Fontem perfricuisti, meretricis impudentiam suscepisti. Quod si nihil existimatur apud nos impurius inuerecundæ frontis audacia, nihil erit moribus, & institutis Christianis aptius, quam pudor, & verecũdia. Pudor autem nihil aliud est, quam vehemens motus animi, dedecus fugientis, laudemque maxime consequentis. Ex quo efficitur, Christiani hominis esse, decus, & laudem intueri. Præterea, cũ hominibus Christianis omnis opera in eximio virtutis cultu ponenda sit; qui possunt id negligere, cuius ope vident omnẽ contentionẽ in virtutis studio susceptam, facillime sustineri? Quantam enim

Gloria cęleste munus.

Impudentia nil tętrius.

Impijs minatur Deus.

Gloria beneficium diuinum.

Christianorum opera in quo sita.

enim vim habeat laudis suauitas, ad pericula negligenda, voluptates nefarias repellendas, labores ingentes subeundos, satis fuit antea demonstratum. Id autem impulit Paulum dũi num hominem, vt tam sæpe eos, quos ad virtutis altitudinem instruit, laudis suauitate deleniret. Romanorum enim pietati, atq. religioni gratulans, dicit, eorum famam iam fines orbis terrarum peragrasse. Ad Philippenses vero scribens, eos ait, instar siderum lumen suũ longe, lateq. diffundere. Corinthios autem sanctissima templa, atq. delubra diuini Spiritus appellat. Omnes deniq. ad quos scribit, laudibus inuitat ad pietatis certamẽ alacrius ineundum. Petrus item quam magnifice exornat eos, quos ad summum gradum virtutis adhortatur: Vos, inquit, estis genus electum, regium, sacrosanctum, & ab omni terræ contagione secretum, & liberũ. Sed, quid horum cælestium hominum testimonijs vtimur, cum ipsum cæli dominum auctorem habeamus? Discipulos enim suos coram laudans, eos mundi lucem appellat, &, vt ciuitas in edito loco, & excelso sita occultari nequit, ita illorum excellentem virtutem celari, & occultari non posse confirmat. His igitur laudibus eos vehementius allicit, ad omnes tempestates, atq. procellas inuicto animo subeundas. Ergo, si tantum virtutis instrumentum est in laudis suauitate positum, vt ea sibi viri cælesti quadam, atq. diuina virtute præditi, vtendum esse duxerint, ad animos hominum amore pietatis vehementius incitandos; si Christus ipse suorum mentes ad summum virtutis studium magnificentia laudis inflammat; possumus nedubitare, quin laus egregia sit diuinum quoddam imbecillitatis humanæ subsidium, ad omnes labores animo maximo perferendos valde necessarium? Iam illud quantum est? Omne videlicet Christianorum studium, omnem operam, industriam, curam, cogitationem, omnem deniq. mentem esse ad communem salutem generis humani conferendam? Quid autem magis homines iuuet, quam egregiæ famæ celebritas, & amplitudo, haud quaquam reperietis. Est quidem liberalitas, & beneficentia satis vtilis: sed ea vtilitas ad multos permanare non potest. Vnius viri iustitia, vnius ciuitatis opes contineri fortasse aliquando possunt, quæ tamen illo exstincto corruent. Sic etiam fortitudo ciuis vnius, ciuibus tantum suis erit aliquo tempore salutaris, non tamen alijs, nec suis quidem semper. Hoc etiam modo sapientiæ, continẽtiæ, aliarumq. virtutum omnium fructus est angustis finibus & exiguo vitæ spatio circumscriptus. At fama iustitiæ, fortitudinis, liberalitatis, continentiæ, & omnium deniq. virtutum, non paucis, sed omnibus, non modo suis, sed etiam exteris, non vna tantum ætate, sed in multa secula, atq. prope infinita consulit. Nec enim tantum valet ad præsentes ampla dignitatis species commouendos; sed ad omnem posteritatem exemplo virtutis inflammandam. An tu credis fieri potuisse in tanta scelerum omniũ colluuione, crescente subinde luxuria, vitiorumq. multitudine mentes humanas obruente, vt aliquod virtutis, & industriæ vestigium in hominum vita resideret, nisi quorundam animi, virtutis egregiæ monumentis excitati, sese ad virtutis studiũ applicuissent? Laus, laus, inquam, & gloria hominum dignitate florentium, omnium prædicatione celebrata, & monumentis annalium consecrata, languentes animos exsuscitat, & amore dignitatis incendit, atq. facit tandem, vt omnia humana, quantumuis aspera, & difficilia, cõtemnant, & honestatẽ in maximis laboribus, & periculis acri studio cõsectentur. Ea aũt de caussa sancti Scriptores non modo nobis sanctorũ hominum expressas imagines reliquerunt, sed etiam nos ad eos intuendos, & imitandos omnibus modis adhortati sunt. Illos itaque, qui pietatem vnice coluere, diuinis titulis, & ornamentis illustrant: nos autem acerrimis interdum verbis insectantur, quod vitæ nostræ consilia excellentium hominum cogitatione minime confirmemus. Quod certe non fecissent, nisi plane iudicassent, nihil ad vitia ex animis exstirpanda, virtutesq. ferendas, hominumq. vitam honestatis opibus excolendam vtiliũs inueniri posse, quam clarorum hominum maxime claram, & nobilitatam virtutem. Etenim, vt nulla maior pestis, atq. pernicies rebus humanis inferri potest ea, quæ nascitur ex aliquo inauditi sceleris exemplo; ita nihil est ad homines in officio continendos vtilius, nihil ad communis vitæ cultum salutarius, quam virtutis eximiæ monumentum. Quod si præstantium hominum memoria ijsdem regionibus, quibus vitæ spatium circum scriptum est, terminata fuisset; eorumq. res gestas idem tumulus, qui eorum corpora contegit, obruisset; quem tandem fructum ab illis ca peremus? Nunc vero dici non potest, quam nos iuuet illorum gloria æternis monumentis celebrata. Cum igitur constet, tantum fructum afferre hominibus nominis claritatem, vt sine illa parum sit vtilitatis in virtute; Christianiq. hominiũ officium sit, vitam etiam, si opus fuerit, pro omnium salute profundere; quid minus Christiano conuenit, quam gloriam repudiare? Equidem eum, qui gloriam omnibus modis aspernatur, atq. respuit, non impudentem modo, atq. naturæ communis ignarum, vt quidam homines sapientes, nec angusti, atq. parui animi, vt pleriq. sed etiam inhumanum, atq. ferum appellabo. Tu, cum officium tuum sit omnium vtilitati consulere; ijsq. legibus adstrictus sis, vt, quantum possis, vniuersum genus humanum tueri debeas; id negligas, atq. despicias, quo nihil potest hominum vitæ salutarius inueniri? Si te non pulchritudo laudis allicit, vtilitas certe communis

Exclamatio.

Petrus qnos tuos,

Virtutis instrumentum.

Pestis maxima ex aliorũ exemplis malis.

Gloriæ contęptor, ferus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis te ad eam amandam incitare debuisset. Nunc verò, cum nobilitatem despicis, aut non intelligis, quantum fructum rebus humanis afferat hominum præstantium fama, aut intelligis quidem, sed id ad te pertinere non putas. Si non intelligis, fatuus, & amens; si, cum intelligas, id minime curandum putas, inhumanus, & ferus es existimandus. Quantum enim in te est, non modo dignitatis tuæ lumẽ, sed hominum salutem repudias. Illud postremo tantum est, vt nemo possit sine graui crimine laudem abijcere. Summum enim & extremum omnium bonorum, quo sunt omnia studia, officia, consilia vitæ referenda; ad quod omnes curæ, cogitationes, & omnes deniq. rationes honoris, laudis, & dignitatis dirigendæ sunt; est ille summus omnium rerum sator, atq. moderator, a quo animum hausimus, & tantis, tamq. diuinis beneficijs affecti sumus. Si igitur ingrati animi crimẽ, & scelus exhorremus, si beatæ vitæ compotes fieri ardenter optamus, nihil tanta cura, & studio moliri debemus, quam vt Dei nomen ample magnificeq. apud omnes nationes illustretur. Quid autem magis Dei gloriam illustret, quam Christiani hominis dignitas, non facile reperies. Talem enim gentes a nostris institutis abhorrentes opinionem de Christi numine concipiunt, quales sunt ij mores, quibus Christianam, numiniq. Diuino cõsecratam nationem præditam esse consp iciunt. Inde fit, vt nihil magis dedecoret apud homines summi Dei nomen, quam turpitudinis infamia a Christianis impie concepta. Vt igitur Christianorum flagitia quodammodo in Dei contumeliam redundant; ita nihil clarius illius bonitatem in omnium conspectu constituit, quam Christiani hominis decus excellens. Multo enim clarius Dei numẽ in animis pietate, atq. virtute florentibus ẽlucet, quã in hac vniuersæ naturæ fabrica, quam oculis intuemur. In naturę enim operibus opificium summi conditoris ornatum, atq. pulchritudinem mundi, quasi Regiarum ædium elegãtiam, & magnificentiã adspicimus: in animis autem omnium virtutum ornamentis, quasi gemmis, & auro fulgentibus, effigiem Diuinæ mentis admirãtes, obstupescimus. Ea autẽ de caussa Petrus Christianos litteris adhoratur, vt sic inter gentes vitam instituant, vt omnibus admirationem commoueant. Sic enim, inquit, fiet, vt, qui modo vos quasi maleficos insectantur, opera vestra bona respicientes, Deo gloriam tribuant. Paullus vero quam multis in locis admonet, ne vllum impijs sermonem demus; vt omnem maledicendi materiam amputemus; vt decoris, & honestatis coram omnibus hominibus studiosi simus? Sic enim ait futurum, vt illustri dignitatis exemplo multi virtutis studio incendantur, & Diuina virtus debitis laudibus efferatur; eamq. sibi caussam asserit, quod tanto studio muneris sui functionem clarissimæ virtutis operibus illustret, vt gentem suam æmulatione incendat; atq. ita tandem aliquos ex Hebræis ad verum Dei cultum traducat. Porro autem, cum docet Timotheum, qualem sacerdotem deligi conueniat, adijcit in fine, oportere, vt non solum a pijs, sed ab ipsis etiã impijs, & alienis detur illi honestatis, & innocentiæ testimonium, qui Pontifex creãdus est. Idem ad Corinthios scribit, se mortem facilius passurum, quam vllam gloriæ suæ imminutionem. O diuinum hominem, atq. veræ gloriæ cupiditate flagrantem? nempe qui illius tuendæ gratia, neq. mortem, neq. cruciatum vllum recusẽt. Videbat enim nihil esse in rebus humanis neq. ad salutem generis humani fructuosius, neq. ad Dei virtutem prædicandam illustrius, quam piorum hominum claritatem. Ergo, cum nihil clarius in omni natura Dei laudem, & gloriam ostendat hominibus, quam illustris piorum hominum laus; & omnis animorum cõtentio ad Diuinam gloriam referenda sit; qui possumus gloriam sine graui, tetro, & impio crimine repudiare?

Summum bonum Deus.

Paulus scribit Timot.

Numen Dei in quo magis conspicuum.

Christi tamen, inquis, præcepta gloriam tollere. Inanem quidem gloriam, quæ vel ex inani plausu populi, caduca, & fragilia laudantis, vel e simulatione virtutis exsistit; non illam, quæ ex vera virtute nascitur. Nec eorum studium damnat, qui gloriæ seruiunt, sed qui errore hominum ad eam se peruenturos esse confidunt; & ita, quod erat Diuino beneficio tribuendum, in amentia populari collocandũ putant: qua quidem nulla capitalior pestis esse potest. Mentem enim omni luce spoliat, & a rebus Diuinis abstractam in terras ita deprimit, vt nullo modo possint verum animi decus intueri: hoc est autem, quod Christus ipse perditissimis hominibus dicebat, Quo modo potestis credere, qui gloriã ab hominibus accipitis, & gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis? Nihil est enim, quod mentem magis impediat, quo minus cælestis disciplinæ lucem accipiat, quam illius gloriæ cupiditas, quæ errore hominum cõparatur. Ita igitur fit, vt, qui, terrenis rebus addictus, inanem laudem ardenter appetit, cum vera virtute caret, numquam ad veram gloriam adspiret, quam solus Deus solum pietatis, & honestatis cultoribus elargitur. Verum enim decus, quod non est in falsa opinione, sed in vera virtute positum, vt antea disputauimus, Dei munus, atq. beneficium est. Diuina autem beneficia non repudianda, sed gratissimis animis accipiẽda sunt.

Præcepta Christi quã tollant gloriam.

Verũ decus diuinum est munus.

IMMO, inquis, laus etiam vera fugienda est. Id enim Christus præcipit, vt præclara munera obeuntes oculos hominũ vitemus. Quando id? aut quo modo? Nec enim præclarum id dici debet, quod in inani specie virtutis inest. Qui autem extremum vitæ finem in humana laude constituunt, non virtutem colunt, sed, virtutem simulãdo, scelus immane concipiũt. Dirum enim est, impium est, exsecrandum est, non

non dico in humanas opes, sed ne in gloriam quidẽ, aut virtutẽ ipsam, e qua gloria omnis existit, vt in summũ bonum respicere. Deus. n. Deus solus est illud vltimum omnium bonorum, quo sunt omnia vitæ consilia dirigenda. Qui igitur gloriam vt vltimum bonum respicit, fructum omnem virtutis amittit. Nulla enim virtus esse potest, nisi ad Deum virtutis ipsius auctorem referatur. Exstincta autẽ virtute, exstingui gloriam necesse est; & ita fit, vt nulla veræ gloriæ ratio constare possit, nisi illis, qui semper in Deum respiciunt, & omnem celebritatem ad Diuini nominis amplitudinẽ dirigendam existimant. Qui igitur opus aliquod specie honestum ita molitur, vt in humanam laudem, quasi in vltimum actionis finem, respiciat; nihil amplum, aut præclarum suscipit, sed potius in se impium, atq. nefarium scelus admittit. Ab hoc autem scelere grauissima Christi oratione deterremur. Hoc enim sanxit, ne, cum Deum precamur, cum inedia libidinem refrenamus, cum egentibus opitulamur, nobis auram popularem, vt summum præmium proponamus. His igitur præceptis nullo modo nos a gloriæ studio reuocare contendit, sed ab illa inanitate, quæ pulchritudinem gloriæ corrumpit. Quod eo diligentius erat faciendum, quo gloria magis omnibus humanis opibus antecellit. Qui enim ad voluptatem, vel ad pecuniam, vel ad alias res fluxas omnia referunt, facile possunt intelligere, in quanto errore versentur. At gloriæ splendor tantus est, vt illius etiam species homines honestatis amore flagrãtes commoueat, illisq. sæpe ruinæ periculum intẽdat. Fit enim interdum, vt, laudis specie capti, eam non ad aliud præstantius bonum referendam, sed per se sequendam, & amandam iudicent. Ne igitur insita laudis cupiditate prolapsi corruamus, illa cautio adhibenda est interdum, ne opes nostras ostentemus, donec eum statum assequamur, in quo tuto possumus eas explicare, fructum nobis laudis, non laudem ipsam, sed hominum salutem, atq. Dei gloriam proponentes. Vtrumq. autem Christus ipse præscripsit. vt enim eos, qui in tam lubrico loco sine graui casu insistere nequeunt, a periculosa ostentatione deterruit: ita illos; qui sunt aduersus inanis laudis insidias salutari consilio præmuniti, ad omnes suas opes proferendas impellit. Et igitur tantum agitat, & insectatur, qui vel leuitati seruiunt, vel gloriam vt summum bonum intuentur. Tantum enim abest, vt nos ab illa dehortetur, vt etiam ad illius studium instruat. Veluti cum admonet, vt inuitati postremum in conuiuio locum petamus, vt nos ipsos submisse geramus. Sic enim ait futurum, vt nobis laudis, & gloriæ dignitatem ampliorem inter homines etiam comparemus. Qui tradit veræ gloriæ disciplinam; qui nobis certam, & directam viam dignitatis ostendit; qui docet, qua ratione possimus ad laudem peruenire; is nullo modo nos a gloria deducit, sed potius in illius studium incendit, & incitat. Quid illud, cum clare, & aperte suis præcipit, vt omnes præclaras actiones in luce collocent, & id omnium hominum conspectui proponant, vt illo præclaro virtutis adspectu commoti homines, Deum agnoscãt, atq. debita laude prosequantur? Minime igitur necesse est, priscorum vatum responsis, Diuinorum hominum scriptis, atq. monumẽtis, innumeris piorum hominum exemplis vti, cum ipsum Christum gloriæ ducem, & auctorẽ habeamus. Illius enim hæc sunt monita, instituta, præcepta, a quibus deflectere fine scelere nefario non possumus. Cum igitur gloria sit Diuinum beneficium; cum in ea tãtum instrumentum virtutis insit; cum nihil sit ad emendandos hominum mores, & vitam recte constituendam salutarius: cum tãtum valeat ad virtutis Diuinæ gloriam magnificentius illustrandam; cum postremo ad eam amandam Diuinis oraculis, & Christi præceptis, & monitis, incitemur; qui tandem conuenit asserere, eam esse Christianæ disciplinæ contrariam? Non est igitur vllo modo negligenda, sed optandum potius, si fieri possit, hoc fine, quem diximus, constituto, vt in omnes orbis terrarum regiones virtutis nostræ fama penetret, nec vmquam nomen nostrum deleatur. Nullus enim modus earum rerum cupiditati constituendus est, quæ ad hominum salutẽ, & Dei gloriam referuntur. Est itaq. votum hoc non modo amplum, & illustre, sed etiam sanctissimum, pietatisq. plenissimum. Cõtra vero, gloriam negligere, non modo est animi turpis, & abiecti, verum etiam ab omnibus naturæ legibus, atq. diuinis institutis nefarie disidentis. Quid enim aliud est, gloriam a virtute repellere, quam Solem luce sua orbare? Aut quid minus decet hominẽ pietati deditum, quam Diuinum munus aspernari? hominum salutem negligere? de gloria Diuini numinis minime solicitum esse? Christiq. imperium detrectare? Hæc enim omnia sunt committenda ijs; qui laudem, & claritatem non amant. Quare vos hortor, vt magno, & elato animo in gloriam incumbatis, eamq. putetis esse cælestę quoddam munus, animos nostros spe quadam amplioris decoris, & dignitatis inflammans. Vt autem melius cerneretis, nihil esse Diuinæ legi magis consentaneum, quam veræ laudis studium, erat mihi in huius disputationis fine laudis ipsius ratio ab hominis ortu repetenda. Sed partim, quod arbitrer aures vestras iam audiendo defessas esse; partim, quod Solem præcipitantem adspicio, hac postrema parte nunc supersedere constitui. Si placet, igitur, disputationem hanc in alium, & commodiorem diem reseruemus.

Laudis specie capti.

Morum præcepta.

Superiorum confirmatio.

Modus vbinam sit obseruandus.

ANTV, inquit Augustinus, cum opus iã pane ad extremum perduxeris, imperfectum e manibus dimittes? Nos autem non audiendo defessi,

Expostulatio modesta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

do defessi, vt inquis, sed valde oblectati sumus,& sermonem nostrum,si dies non sufficerit,possumus in multam etiam noctem producere. Quare tibi auctor sum,vt præsenti dicendi felicitate, quæ tibi hodie oblata est diuinitus,vtaris. Minime enim conuenit,cum orationis tuæ cursum adeo secunde tenueris, antequam portum optatum capias, vela contrahere.

EQVIDEM, inquit Metellus,tum demum integram voluptatem ex ista disputatione percipiam,cum illam absolueris. Quare te etiam hortor, vt hodie tuæ orationi finem imponas. Eadem enim opera te labore in posterum leuabis, & homi nibus tui amantissimis obsequere.

Reiectio per purgationē.

EQVIDEM, inquam,inuitus hanc orationis partem in alium diem differebam: verebar tamen, ne loquacitate mea satietatem vobis afferrem. Nunc igitur,quando vos,quæ vestra est benignitas, ad audiendum erectos esse video, persequar libētissime,quod restat. Atque vtinam non, quod antea ioco dicebamus,Musarum numen, sed ipse Diuinus spiritus mentem nostram afflaret, vt,illius cælesti vi,& impetu concitati, possemus veræ gloriæ splendorem oratione consequi. Nec enim fieri potest, vt ingenij nostri tenuitate rem tantam pro dignitate explicemus. Sed, quando me huc sermonis cursus prouexit, oneri potius ipse succumbam, quam aliquid intentatum omittam.

Digressio.

VT autem hinc potissimum aliud dicendi initium sumam,quātis opibus ornatus fuerit ille Princeps generis humani, a quo omnes procreati sumus, explicari non potest. Quod enim est tantum ingenium, tamq. diuina orationis facultas,& copia, quæ possit illum excellentem humanæ mentis habitum,illam multiplicis virtutis elegantiam, illas tantas opes memoriæ,rationis,intelligentiæ, nō dico ornare dicendo, sed enumerādo percensere? Si enim qui terræ situm, & circumscriptionem, qui maris immensitatem, qui aeris circumfusi naturam, totiusq. ætheris ardorē, qui cælum vndiq. sideribus distinctum, & ornatum; qui postremo totius mundi concinnitatem,& admirabilem rerum omnium conuenientiam contemplari volunt,neq. satiari tantæ pulchritudinis adspectu queunt,neq. illam naturæ vim in singulis rebus insitam ingenio, & ratione consequi; quid de illo præcellenti summi conditoris opere, cuius caussa omnia, quæ cernimus oculis,effecta sunt,cogitare debemus? Constat enim, non ea solum, quæ in terris,& aquis gignuntur, ad vsum hominum creata esse, sed cælum etiam fuisse humani generis alendi, atq. conseruandi caussa generatum. Nostris vsibus seruiunt illi rati, & immutabiles siderum omnium cursus, cælestis naturæ admirabilis,& incitata conuersio,dierum, atq. noctium vicissitudines, temporum omnium varietates. Quantum vero hominis natura,& condicio, inter omnia,quæ sub sensum cadunt, excellat, ex eo perspicitur, quod nec in astris clarissimis,nec in Sole aliorum luminum principe, nec in cælo ipso tantis sideribus illuminato, sed in homine solum accepimus fuisse imaginem Diuinæ mentis impressam. Hæc autem imago cernitur in mente, & ratione,incredibili celeritate,& sollertia multa simul agitāte,& summo studio verū semper inquirente, cū admirabili cupiditate Diuinę virtutis imitandæ. Hanc vero cælestem animi indolem lux Diuinæ mentis illustrabat, & ad clariorem Dei similitudinem omnium virtutum muneribus instruebat. Si igitur homo in illo florentissimo statu permansisset, fuisset profecto admiranda quadam, atq. sempiterna gloria cumulatus. Cum enim esset Diuinis ornamentis excultus, & ad spem amplioris etiam dignitatis excitatus,necesseerat,illum non modo in singulari dignitate versari, sed etiā indies magis Diuina similitudine, quam natura ardenter expetebat, animum conformare. Nec enim verum est,primum parentem Diuinæ gloriæ cupiditate omnibus corporis, & animi bonis euersum fuisse. Qui potuisset enim gloriam illam non appetere, ad quam fruendam editus in lucem fuerat? Tam enim est in natura hominis insitum, Diuinæ virtutis, & sapientiæ similitudinem optare, quam cælo in orbem verti,quam igni superam regionem appetere, quam terræ in medium mundi locum vndiq. conglobari.

Comparatio a sideribus.

III. Temeritas primos parētes reddidit miseros.

QVID igitur illum præcipitem beatis sedibus exturbauit? Inconsiderata illa temeritas,qua legem Diuinam violando, sese a Deo nefarie disiunxit, atq. id,quod sine Dei præsidio assequi non poterat,per se consequi posse confidit. Non igitur,quia vitam florentem, & beatam, atq. Diuinæ similem appetiuit, sed quia impie,& insolenter appetiuit, immortalitatem,atq. cęlestes opes amisit. Sic autem effectum est,vt, cælesti lumine priuatus, in tenebris, & caligine versaretur, innumeris malis vndiq. circumuentus. Perinde enim atq. leue corpus, Solis luce collustratum, occidente Sole tenebricosum repente fit; ita necesse est, animum Diuina luce destitutum, summa caligine circumfundi. Et,quemadmodum ij, qui per loca multis latrocinijs infesta noctu iter faciūt, nullo modo vitare possunt infortunia; ita,qui Diuinæ mētis lumine caret,nulla ratione potest,quam diu est a Deo seiunctus, hostiles insidias, malorumq. omnium tempestatē declinare. Quod primus homo statim sensit, vbi primum non a Deo pendere, sed ingenio suo niti,pulchrum existimauit. Fuit enim repente orbatus omni lumine cælesti, spoliatus Dei beneficijs amplissimis, præcipitatus ex altissimo gradu dignitatis, omnibusq. florentissimi

Partium enumeratio.

tissimi illius status ruinis oppressus, atq. immanissimorum hostium cupiditati prædæ relictus: qui quidem illum primo impetu perculerūt, atq. grauissimis vulneribus inflictis deformauerunt. Postquam enim se ipse a summo illo vitæ custode, & cōseruatore distraxit,atq. tętræ mortis imperio addictus est, protinus anxij metus, inanes spes, immensæ libidines, molestissimæ ægritudines, & reliquæ vitę pestes incitatę vndiq. irruunt;illum inermem,& imparatum adoriuntur, & quasi turbine, & tempestate iactatum a mentis statu deijciūt. Vt autem in lumine mentis,& rationis,in ordine vitę, & constantię erat sita illius honestas,& amplissimi cuiusdam decoris, atq. laudis ornamentum; ita fuit necesse,mentis cęcitatem,& fœdam illam animi confusionem omnibus turpitudinis, & ignominię maculis inquinari. Offusis itaq. tenebris,malorum omnium procella concitata,perturbata ratione, fuit oppressa dignitas, obtrita laus, decus exstinctum. Quid enim ego commemorem illas tam funestas generis humani labes, tam turpia,atq. detestanda flagitia, tantam scelerum omnium colluuionem,quibus se homines ab illo corrupto principio propagati progressu temporis quotidie magis contaminarunt? Tantum dicam, animal illud regium, & excellsum,ad imperium,atq. laudem natum,in tantam miseriam incidisse, vt fieret tandem turpitudinis vile mancipium. Non tamen homines tantis malis oppressi illam indolem amiserunt: immo,quantum natura decus & laudē appeterent,animi dolore, quem sæpenumero capiebant ex dedecoris admissi conscientia, satis indicabant. Mentis enim angore,& cruciatu confecti,tam sibijpsi displicebant, vt de vita etiam deserenda sæpissime cogitarent. Quod si turpitudinis infamia e voluptatum libidine solum exsisteret,abunde magnum flagitiorum incendium libidinis impurissimæ faces excitarent.

Honestas in vnione sita.

Corporis forma superbię fomes.

IV. SED illud est maxime dolendum, homines naturaincensos laudis cupiditate, nō modo cum libidine,aut iracūdia, aut alia quauis animi perturbatione cæcati ab honestatis studio detorquentur; infamiam subire; sed tum etiam, cum ad decus enituntur, & illam fractam, atq. debilitatam animi vim ad laudem conferunt, omnibus sordibus ignominiæ maculari. Est enim hic tęter animi morbus insanabilis:nempe qui nec humana ope leuari possit, nec ad eum depellendum homines erroribus inflati, Diuinum auxilium implorandum putent. Stupra enim,furta,latrocinia,& similes impuritates adeo tętræ, & deformes ad aspectum sunt,vt eos ipsos, in quibus inhærēt, vehementer exterreant. At,cum,inanissima laudis imagine deleniti,dedecus insigne suscipiamus; neq. facile conceptam maculam videmus, neq. ad eam abstergendam opem vllam requirimus:& ita fit,vt,falsæ dignitatis forma captī,in perpetuo dedecore,& flagitio volutemur. Sic enim ille perennis hostis hominum, quē Sacrę litteræ Satā Hebræo nomine appellant,sese ad omnem fraudem & malitiam versat,vt nos ipsos illis naturæ principijs,quæ nobis ad bene beateq. viuendum attributa sunt, ad nostram ipsorum perniciem, & interitum abuti faciat. Perinde igitur atq. sensum illum, religionis hominum mētibus insculptum, ad impuram superstitionem traduxit; ita laudis appetitum,dignitatis illecebris incitatum, in omnium flagitiorum gurgitē abripuit. Quod quidem illi facillimum fuit. Cum enim homines laudem expeterent, eamq. in tantis tenebris nec vbi, nec qualis esset intelligerent: quidquid primum illorum animos inani specie pulchritudinis alliciebat, statim arripiebant:neque vitia occulta perspicientes,neque quid esset ex illa temeritate prouenturum, animo suspicantes. Hinc igitur animi tumor, & fastidium exstitit. Hinc superbia,& insolentia nata est, quæ maximis incommodis omnē vitæ rationem perturbauit,& infinitis calamitatibus afflixit. At quibus rebus leuissimi homines efferuntur? Alijs,inanis,& fluxa corporis forma, quæ temporis momento corrumpitur, tollit animos, cum interim mens ipsa, in qua est gloriæ sedes,atq. domicilium, sit omni turpitudine deformata. Alij, valetudinis vanæ,& lubricæ firmitate confidentes, humanæ fragilitatis obliuiscuntur. Alij,viribus corporis elati tanta flagrant amentia,vt nullis se legibus adstrictos esse putent. Quo quid esse potest indignius? hominem,reliquorum animantium principem, atq. dignitate proxime ad cælites accedentem,id amplum existimare,in quo sit tā multis belluis inferior? Nemo enim poterit robore leones, aut velocitate tigres superare. Illam igitur sui partem negligunt homines amentissimi,qua principatum in natura tenere facillime potuissent; & ea roboris præstantia tument, qua neq. cum brutis animantibus conferendi sunt,quam morbi vis cōficit,quam extrema senectus interimit. Quod si corporis ingens proceritas, si vires eximiæ certam gloriandi segetem suppeditarēt; quid fuisset illustrius illis Gigantibus,qui bellumtę trum & impiū cunctis cælitibus intulisse perhibētur? Nihil enim visum est interris aut corporis firmitate robustius, aut viriū immanitate truculentius,quibus insolenter elati, omnem religionem,atq. sanctitatem neglexerūt inauditoq. scelere violauerunt. Vnde Poetæ finxerunt,illos bellum contra cælum mouisse, atq. tandem fulminum incendio conflagrasse. Sed,quæso,num viribus illis immensis, illa corporum vastitate, illis animis ingentibus potuerunt clarum, & illustre nomen adipisci? Non profecto. Nulla enim sunt relicta tantorum facinorum vestigia, illorum internecione sublata funditus,atq. deleta sunt:nec aliud ex eorum rebus gestis accepimus,nisi fuisse genus

Potiora homines negligunt.

Scelera deformia.

Superbię monumenta sola restant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nus hominum ſuperbum, arrogans, elatum, ſæuum, immane, truculentum, Diuinis legibus & inſtitutis inimicum, quod tandem Dei telis confixum euanuerit. Ergo, cum genus illud tã vaſtum, & tanto corporis robore munitum, nullam ſui memoriam reliquerit, niſi tenuem, & obſcuram, & quæ magis valeat ad inſignem maculam nullis ætatibus eluendam, quam ad egregium nominis ſplendorẽ; quid iſtis amentius fingi poteſt, qui, in tanta vitæ breuitate, & imbecillitate naturæ, eaq. tam multis, & infeſtis caſibus obiecta, tenuiſsimis elati viribus inſoleſcunt? Alij deinde pecunijs & fortunæ muneribus efferuntur, cum interim immanis illa cupiditatis ſitis, qua ſemper æſtuãt, exſtingui nulla ratione poſsit. Et ita fit, vt non modo auaritiæ ſordibus inquinentur, ſed etiam ſemper in mendicitate viuant. Iam vero, qui leui, & inani nobilitatis nomine gloriantur, quam amentes ſint, eſt explicatu difficillimũ. Ita enim gaudent imaginibus, & fucato illo generis ſplendore, atq. ſi poſſent eo nomine eſſe incolumes ab omni turpitudine, & infamia conſeruare, & ad immortalitatem peruenire. Quid de illorum inſania dicam, qui ſplendidis titulis, & honoris inſignibus erecti ſe in cælo eſſe putant? Glorioſum enim, atq. beatũ exiſtimãt, in oculis ciuium eſſe, magnis hominum gregibus ſtipari, a multis ambitioſe ſalutari, moleſtiſsimis negotijs intereſſe; minime videntes interim, quam inane ſit illud honoris nomen, quam plenum curæ, ſolicitudinis, angoris, quantis inuidiæ telis expoſitum, quantis ſæpe cladibus oppreſſum, & exſtinctũ. O extremam demẽtiam hominum, exiſtimantium in iſtis tam infirmæ naturæ muneribus, aut temeritatis, & caſus ludibrijs, aliquod veræ dignitatis ornamentum, aut firmamentũ gloriæ eſſe conſtitutum. Quid enim his rebus inanius? quid leuius? quid commutabilius? Vt enim in turbato mari fluctus alios, atq. alios, magnitudine, & fremitu diſpares, & diſſimiles, ſubinde tumidos attolli, atq. repente frangi cernimus; ſic in his tantis vndis, & quaſi quodam æſtu rerum humanarum, alios extolli, atq. repẽtino motu deprimi videmus; alios viciſsim ad eum locum adſcendere, vnde ſint etiam ſtatim deiciendi, ruineq. magnitudine conterendi. Nihil eſt enim in vita tam firmũ, & ſtabile, quod non vno momento temporis exſtinguatur. Ex quo facile cernitur, omne, quod videtur hominibus imperitis pulchrum & expetendum, nihil habere ſolidi, nihil expreſsi, nihil eminentis; ſed eſſe tantum inanẽ quandam ſpeciem ſtultorum oculis obuerſantem; quæ cum procul apparet, ampla, & inſignis videtur: ſi vero propius accedens eam attrectare, & in manus ſumere ſtudeas, effugit;

Honores fluxi mutãt mores.

Vir. Aeneid. lib. 2. Comparatio ex ſacris petita.

Par leuibus ventis, volucriq. ſimillima ſomno.

Præclare igitur ſanctiſsimus ille Poeta Dauid, fluxam, & inſtabilem rerum humanarum condicionem exponens, ait, futurum, ſi in altera libræ lance vanitas ipſa, in altera autem hominis ſtudium fuerit impoſitum, vt ipſa vanitas longe multumq. præponderet. Non potuit magis hominum amentiam explicare, qui præclara cupientes, & eam cupiditatem in res fluxas, & inanes conferentes, turpiter irriſi, & æternis maculis adſperſi relinquũtur. Non leuioribus autem flagitijs infecti, & inquinati fuere, qui venditabant ingenium, & maximarum rerum ſcientiam in illis tenebris oſtentabant. Nam, cum omnis inſcitia turpis eſt, tum nihil fœdius illorum temeritate, qui, ſe tenere altiſsimarum rerum cognitionem profitentes, in minimis etiam labuntur. Quæ autem tanta dementia eſt, vt ſit cum illorum leuitate, & inſania cõparanda? Alij enim res humanas mẽte Diuina regi, & adminiſtrari negabant, Deumq. impia oratione tollebant. Alij innumerabilem vim Deorum inducebant, quos certis tantum officijs, atq. muneribus pro ſuo arbitratu præficerent. De animorum autem natura incredibili etiam diſſenſione certabatur. Quid dicam de naturæ principijs? Alij enim aquæ, alij aeri, alij igni, alij alijs corporibus, cauſſam, & originem rerum omnium tribuebant. Quin etiam multi, vt facilius probarent, ad mundum efficiendũ non Diuina ratione, & conſilio opus fuiſſe, innumerabiles mundos fingebant, ex indiuiduorum corporum concurſione fortuita. Argumentis itaq. mundum efficiebant; argumentis euertebant; eundemq. rurſus inſtaurabãt, atq. renouabant. Multo acutius perſpexiſſe videntur naturæ vim illi, qui, omnem dignitatẽ in honeſtate collocantes, omnia ſtudia vitæ ad comparãdas opes animi contulere. Sed, in tanta caligine, tantoq. naturæ vulnere, quamuis eſſet eorum conatus egregius, & caput attollere, atq. ſeipſos erigere valde cuperent, fruſtra tamen nitebantur. Fracta enim vis animi, inanes faciebat impetus, & vis libidinis incitata miſeros mortales ab inſtituto honeſtatis ſtudio deducebat. Non igitur veram virtutem, ſed ſimulacrũ virtutis multis flagitijs tamquam luto oblitum, ſtudioſe conſectati ſunt. Vt igitur fingunt Poetæ Ixionem Iunonis amore incenſum, cum nube Iunonis ſpeciẽ referente fuiſſe congreſſum; atq. ex ea nube Centauros procreaſſe; ita quidam, naturæ ſtimulis incitati ad honeſtatis ſtudium, inanem illius imaginem complexi, ſobolem inanem, & mixtam, atq. monſtri ſimilem genuere. Non eſt enim magis mõſtrum animal ex hominis, & equi figura conglutinatum, quam habitus mẽtis ex honeſtatis ſpecie, & turpitudine inſigni compoſitus. Alius itaq. magnitudine animi præſtãs, eam elationem ad ſuperbiam conferebat. Alius frugalitati quodammodo ſeruiebat: ſed eam frugalitatis laudem auaritiæ fœditas inquinabat, & ita in reliquis officiis (nec enim omnia perſequi libet) omne virtutum decus, & elegantiam vitiorum dedecore corrum-

Origo rerũ varia.

Figmentum poeticum.

Probatio.

corrumpebant. Quid igitur? Num poteſt virtus cum vitijs ſimul habitare? nullo modo. Nec enim patitur honeſtas vllam turpitudinis, & ignominiæ coniunctionem. Cõſtat itaq. non fuiſſe illam veram honeſtatem, quæ tantis in omni genere vitijs infecta, & cõtamina ta fuerit; ſed inanis honeſtatis imaginẽ, multiplicis naturæ fetum, atq. tamquam portentum efferentẽ. Quam me pudet igitur illorum hominum exemplis orationem referſiſſe, qui numquam vllam partem ſolidæ dignitatis attigerunt; ſed in illius tantum vmbra conſectãda fuerunt occupati. Nam Phociones, Metelli, Paulli, Scipiones, & reliqui ſimili laude florẽtes, cum multis vitijs imbuti fuerint, facile apparet, quam fuerint remoti ab illa vera virtute, omnem contagionem turpitudinis repellente. Erant. n. eorũ mentes cum illa cõmuni plaga perculſæ, & abiectæ, tum ſuis queq. morbis, i ſq. grauiſsimis, atq. moleſtiſsimis oppreſſæ, & impeditæ. Illi quidem diutius in laude vigebant, eis, qui virtutem ementiendo erant artificio quodam ſimulationis eruditi; quorum laus ſtatim interibat. Non enim ſimulate, vt illi, ſed vere, & ex animo effigiem illam virtutis, quam vulgus maxime pulchram, & elegantem iudicabat, (nec enim aliquid honeſtius imperitorum animis occurrebat) incredibili ſtudio ſequebantur. Cum tamen laus illa non eſſet orta a vera virtute, conſequens erat, eam poſt aliquod tempus imminui, & exſtingui. Nam, vt homines ignari pingendi, primum quidem floridis, & illuſtratis tabulis parum artificioſe pictis allecti, picturæ vitia nõ ſentiunt; vbi tamen propius acceſſerint, vel ab intelligẽtibus admoniti, vel ipſi per ſe paullo diligentius intuentes ea cernunt; ita multitudo, quam inſignis, & ampla ſpecies honeſtatis detinet, ne ſtatim videat oculis vitia ſub illuſtri illa ſpecie latentia, omnia tandem aliquando clare perſpiciet. Ita enim fiet, vt, quæ videbãtur antea ad adſpectum venuſta, interiecto ſpatio, infamiæ ſordibus obſoleſcant. Videtis igitur, quo modo poſt illud mortiferũ vulnus humano generi impoſitum, omne decus euerſum fuerit? quantum naufragium laudis, & gloriæ, factum ſit? Nec enim ſolum ij, qui dignitatis ſtudia deſerentes ſeſe libidini conſtringendos dedidere, neque illi modo, qui dignitatem quidem amant, eam tamen e rebus leuiſsimis petendam exiſtimant; ſed illi etiam, qui ſapientiã admirantur, & in virtute omnia præſidia dignitatis ſita eſſe conſtituũt, omnibus gloriæ ornamentis ſpoliati iacent, & in ſummo dedecore verſantur. Quod quidẽ illis accidit, quia veræ virtutis viam penitus ignorãt. Non enim opem Diuinam implorando, ſed in ſe ipſis omnia ponẽdo, ſe compotes virtutum omnium fore credunt. Inanis igitur, & fluxa laudis imago illudit hominibus amentiſsimis, qui quaſi ſomnio beati, cum maxime ſibi gloria frui videntur, tum maxime omnibus infamiæ notis inuruntur. Quid enim turpius amentia? Quid autem amentius, quam rerum imaginibus illudi? An, qui graui, & periculoſa febri iactantur, inſanire putandi ſunt, quoties, quibuſdam viſis imaginibus excitati, ſe valentes, & integros eſſe putant? qui vero, malis omnibus oppreſsi, decepti tamen vmbris, & imaginibus efferuntur, inclamant, ſeſeq. florentes, atq. beatos eſſe prædicant, ſanos appellabimus? Hi quidem non inſani modo, ſed etiam furentes ſunt exiſtimandi. Si igitur illi etiam, qui omnes conatus ad honeſtatem comparabant, tantis flagitijs cooperti fuerunt; fieri non poterat, quin omnes mortales in ſempiternam ignominiam naſcerentur.

Comparatio a picturis.

Gloria inanis quibus illudat.

SED venit ille ſummus humani generis conditor, & conſeruator, vt nos e tætris tenebris in lucem, & claritatem vindicaret, atq. viam aperiret ad veræ laudis, & gloriæ claritatem. Aduentu igitur ſuo caliginem omnem repente diſpulit, genus humanum a contractis ſceleribus expiauit; omnimq. virtutum muneribus illuſtrauit; & in amiſſam dignitatem multis ornamentis amplificatam reſtituit. Nam, cum gloria ſit a vera virtute nata; qui veræ virtutis lumen rebus humanis attulit, is plane gloriam generis humani conſtituit. Et, quemadmodum, vt veram religionem inſtauraret, nefariam ſuperſtitionem, & errores impios exſtirpauit; ita, cum in veram nos gloriam deducere vellet, prius non diſciplina tantum, ſed vitæ etiam documentis, popularis laudis inanitatem compreſsit. Omnia igitur caduca, & mobilia, e quibus iactatio in populo, atq. leuitas exſiſtit, aſpernatus eſt, illaq. tantum ornamenta retinuit, & in hominum adſpectum, lucemq. protulit, a quibus immortalis laus, atq. dignitas effloreſcit. Ita igitur elationem, faſtidium, & arrogantiam confixit, vt interim ornamenta Diuina, quorũ immẽſa copia redundabat, hominibus explicaret, atq. propalam collocaret. Et primum quidem, vt homines a diuturnis tenebris emergentes, cum repente in Solem oculorum aciem intendunt, adſpectum amittunt; vbi vero paullatim aſſueſcunt lucem intueri, illius munere cum eximia iucunditate fruuntur; ita, cum tam inſolita lux hominum mentibus oblata eſſet, partim in cæcitatem conuerſæ ſunt, tantum ſplendorem minime ſuſtinentes; partim primum quidem ad illius adſpectum hebeſcentes, vbi magis atq. magis illam adſpicere potuerunt, Chriſto ſingulari ſtudio, & amore copulatæ ſunt. Nam, quid ego referam innumerabilem hominum multitudinem, illius videndi, & audiendi gratia vndique confluentem? Quid perſequar illas laudes ampliſsimas, quas cæleſtis Chriſti virtus, atq. benignitas excitabat? maxime cum cernerent omnes, illum

Adnexus Dei vitis, & effectus.

Modeſtia Dei ſumma.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Diuina potentia munitum, morbos insanabi
les curantem; mortuos in vitam reuocantem;
dæmones expellentem, atq. funditus euerten
tem? Quamuis igitur fuerit illius virtus per-
ditis hominibus inuisa; quamuis omnia inui-
diæ tela in illud sanctissimum corpus missa
sint; omnes tamen, quantauis immanitate sce-
leris efferati, de illo præclare, atq. magnifice
Dæmones virtuti diuinæ inuident. sentiebant. Dæmones etiam infestissimi Diui
næ virtutis, atq. sanctitatis testimonium, inui
ti, atq. recusantes, illi dare cogebantur. Quo
magis autem conscelerati homines, quasi fu-
riarum tædis ardentibus agitati, Christi glo-
riam deformare, inquinare, peruertere cogi-
tabant; eo magis illius claritas, & amplitudo
cernebatur. Fit. n. vt virtus exercita multo cla
rius eluceſcat. Omnibus igitur modis Chri-
stus exemplo suo nobis veræ laudis, & gloriæ
viã monstrauit, humanas opes, & populare le
uitatẽ contemnendo; virtutis admirandæ lu-
cem miseris, & afflictis porrigendo; magna vi
improborum petulantiam confutando; tem-
pestates hominum perditorum furoribus ex-
citatas subeundo; atq. postremo ignominiam
extremam accipiendo. Docuit enim, in huius
vitæ iactura vitam beatam, & immortalem
consistere; veramq gloriam inanis glorię con
temptione comparari. Quid vero, postquam
se pro generis humani salute salutarem ho-
stiam deuouit, atq. constituit? Nihil est enim
honestius, nihil ad laudem illustrius, quam
principem, & tutorem Reipublicæ pro suis ci
uibus vitam abijcere, vsq. adeo, vt, cum in men
tionem incidimus eorum, qui pro suis caput
in vitæ discrimen intulere, miro studio incen-
damur, & illi, voluntariam mortem, vt pa-
triæ consulerent, obiere, qui quidem sunt pau
cissimi, non rebus suis integris, sed in extre-
mum discrimen adductis, eam calamitatem,
quæ sibi, & vniuersæ Reipubl. impendebat, in-
teritu suo a Republica depulerunt. Deinde pa
Patriæ meri ta referẽda. triæ, cuius beneficijs obstricti erant, merita
reddiderunt. Postremo vnam tantum ciuita-
tem cum aliarum pernicie obitu suo tutati
sunt. At ille summus Rector, cuius numine, &
imperio omnia supera, infera, media cõtinen
tur; cuius nec vita malis tentari, nec decus im
minui potest, cum sit ipse immortalitatis, atq.
gloriæ largitor, vt ab hominibus impijs peste
debitã auerteret, in humana forma delituit:
omnes malorum impetus suo corpore excep-
it, indignissimas calamitates hausit, atq. tã
dem morte sua genus humanum a faucibus
mortis ipsius eripuit. Quod igitur erit tam di
uinum ingenium, vt possit cogitando conse-
qui tantæ gloriæ magnitudinem? Nam, si vera
dignitas e veræ virtutis opibus emanat, nul-
lumq. virtutis genus, aut specie pulchrius, aut
fructu salutarius, aut amplitudine magnificen
tius esse potest; quod tandem in omni natura
decus animo concipiemus, quod sit cum deco
re Christi regis, in crucem pro salute omniũ
sublati, aliqua ex parte conferendum? Nec so
lum in cruce immẽsæ bonitatis opes explica
uit; sed etiam vim Diuinam nobis conspicien
dam exhibuit. Humanum namq. scelus sacris
sanctissimis expiauit; inueteratam maculam
sanguine suo deleuit; tyrannidem illius peren
nis hostis exstinxit; atq. tandem effecit, vt in
ipsa cruce, quæ ad extremum supplicium, &
ignominiam defigi solebat, sint modo clarissi
ma trophæa ad sempiternam cælestis numinis
gloriam constituta. Cum ergo Crucem illam
insignem, & illustrem intuemur, clarissimæ vi
ctoriæ monumentum, amplissimum laudis or
namẽtum, cælestem, atq. Diuinum splendorẽ,
firmissima salutis, & dignitatis humanæ præ-
sidia conspicimus. Tantum vero, & tam excel-
lens decus, tanta dignitatis præstantia illi tan
tum conueniebat. Quod Paulus ad Hebræos
Exempla sa- cra citantur. scribens, Quem Deus, inquit, summus, nostræ
dignitatis, & gloriæ principem, auctorem, &
ducem constituit. Idem Paulus alibi, cum di-
ceret Christum vsq. eo Patri obedientem fuis
se, vt mortem eriam in cruce iusis illius pa-
rens exciperet, subiunxit, Propter quod Deus
illum extulit, & ita nomen illius amplificauit,
vt supra omne nomen & gloriam collocaret,
vt omnes tandẽ cælestes, terrestres, & inferi
vim illius, & maiestatem Diuinam sentiant, &
fateantur vniuersi, IESVM in omnium re-
rum dominatu, summiq. Patris gloria consti-
tutum. Hac Pauli sententia perspicitur, quan-
tum in illa Cruce fuerit gloriæ immortalis in Mors Chri- sti gloriæ in- strumentum. strumentum. Illa enim Christus id nomẽ ade-
ptus est, quod cælites admirentur, nationes vl
timæ vereantur, sedes inferæ pertimescant.
Quod si gloria tunc apparet, vt in principio
disputatum est, cum virtutis elegantiam, vti-
litatem & amplitudinem insignis amor, grata
voluntas, & ingens admiratio consequitur;
nihilq. potuit esse, aut illustrius, aut fructuo-
sius, aut magnificẽtius; satis perspicitur, Cru
cis gloriam, omnes res, quantumuis ampla di
gnitatis specie fulgentes, obscurauisse. Nulla
enim orationis facultate explicari potest ad-
mirabilis ille orbis terrarũ motus. Vbi enim
primum Christi fama, quæ quidem incredibi-
li celeritate omnes terræ fines peragrauit, ad
exteras nationes peruenit; incredibilis homi
num multitudo, ingenti admiratione percul-
sa, & amore tam Diuinæ virtutis incensa, reli
ctis inueteratis, atq. penitus insitis opinioni-
bus, pristinis institutis omnino repudiatis,
omnibusq. vitæ commodis neglectis, ita Chri
stum per omnes flammas secuta est, vt nullis
minis, nullis terroribus, nullis exquisitis sup-
plicijs ab illius coniunctione diuelli potuerit.
Factum est igitur, vt homines, quos neq. ra-
tio, neq. leges, neq. disciplinæ, nec postremo Impetus ho- minũ cæcus. vllum remedium humanę rationis opibus ex-
cogitatum, & inuentum, a flagitijs auocare po
terat;

terat; diuina Christi gloria incensi, illiusq. nu
mine concitati, mox ad veram virtutem in-
flammato studio raperentur. Ex quo facile
perspicitur, gloriam antea demersam Christi
ope e flagitiorum fluctibus emersisse, dignita-
tisq. lumen exstinctum reuixisse, hominumq.
genus dignitate spoliatum, dignitatem amis-
sam recuperasse. Neq. enim modo hominibus
gloriæ viam ostendit, sed etiam in illos omnia
diuinæ claritatis ornamenta congessit, & vni
uersas nationes in suæ gloriæ societatem con
uocauit. Ab illo igitur, tamquam a sanctissi-
mo quodam, atq. perenni fonte decoris, lau-
dis & dignitatis, hauriant, opus est, qui lucem,
qui nominis celebritatem, qui gloriam nullis
sæculis interituram ardenter expetunt. Nam
cum verum decus in illis tantum insit, qui ve-
ræ virtutis ornamentis exculti sunt; vera au-
tem virtus sine Christi præsentis ope obtine-
ri non possit; nemo certe aliquam veræ glorię
rationem sine Christi præsidio atq. numine
consequetur. Ille namq. solus nobis lucem ob-
tulit, maculas omnes abstersit, virtutis veræ
disciplinam tradidit, vires etiã confirmauit,
Laude perpe tua cumulati quibus illum sequi, sanctitatem colere, diuinis
opibus instrui, & ornari valeamus. Illi igitur
tantum omni laude erũt in perpetuum cumu-
lati, qui se Christo consecrauere; qui primum
quidem cum sint inanissimis ornamẽtis nu-
dati, plerumq. vulgo contemnuntur. At vero
paullo post explicata illa virtutum omnium
supellectile, ornatuq. diuino in oculis omniũ
constituto, Christe sancte, qui clamores homi
num, quæ studia consequuntur? Illic enim nõ
fucatus nitor, nõ ementitus cultus, nõ forma
medicamentis vllis infecta; sed insignis pul-
chritudo, cælestis claritas, diuina lux homi-
num mentibus obuersatur. Qui enim Chri-
stum intuentur, quotidie magis illius lumine
collucent. Vt enim speculum Solis splendore
percussum tantam lucem accipit, vt in eo So-
lem ipsum te intueri putes; ita mentes Chri-
sti radijs illustratæ tanta luce completæ sunt,
vt in illis Christi formam, atq. claritatem
agnoscas. Minime igitur mirandum est, homi
nes tantis opibus atq. præsidijs mirifice re-
dundantes, bellum contra omnium gentium
mores, & institutа suscepisse, & orbem vniuer
sum Christi imperio subiugasse. Si enim natu-
ra honestatis imagine commouemur, & ar-
denti studio vel obscuram similitudinem di-
gnitatis arripimus; quid tandem euenire pu-
Epilogus. tandum est, cum honestatem ipsam mentis
oculis vsurpamus? Ergo postquam hæc diuina
lux in terris effulsit, & veram honestatem ad-
speximus, vmbris minime delectamur, inanes
effigies non admiramur, antiquitatis facino-
ra contemnimus, eosq. solum mirifice lauda-
mus, & extollimus, qui pro vera religione,
pro iustitiæ, sanctitate extremum spiritum
ediderunt, aut in tam præclaro certamine in-
gentia pericula subierunt, aut omnibus curis
liberi, & soluti, totos se rerum diuinarum co-
gnitioni dicauerunt, atq. postremo fuerunt
in terris cælestium viram altitudine mentis,
& ardore pietatis imitati. Hæc igitur demum
est illa stabilis, & firma laus, hæc gloria con-
stans & æterna, quæ veræ virtutis splendore,
sanctissimo Christi numine, expressa diuinæ
claritatis effigie continetur. Hanc intueri,
hanc expetere, hanc omni impetu consectari
debent omnes, qui ad laudem, & dignita-
tem adspirant. Ex quibus facile concludi
potest, gloriam esse maxime cum Christia-
na pietate, atque cælestis virtutis studio
coniunctam.

HIC Augustinus; equidem, inquit, ita sum, Adstipulatio per laudatio nem. affectus gloriæ dulcedine, vt non libeat vlce-
rius orationi tuæ repugnare. Nam cum ab
ineunte ætate multa illius causa fecerim,
ægre ferebam, cum suspicarer eam tantis fla-
gitijs infectam esse, vt timerem, ne me ad se
rapiendo, tamquam aliquo Charybdis æstu,
temeritate insanæ cupiditatis absorberet.
Nunc libenter audio illam non modo care-
re omni crimine, verum etiam ad cælum
ducem esse. Quamuis igitur aliqua mihi in
mentem veniant, quæ adhuc contradici for-
tasse possent, animo tamen libenti conni-
neo, maloq. tibi cedendo gloriam amplec-
ti, quam diutius refragando ab illius stu-
dio retardari.

ME quidem, inquit Metellus, gloriæ
amor, quo quidem sum nimis incensus,
numquam impediet, quo minus tibi scru-
pulum, qui mihi adhuc restat, obijciam.
Sic enim accepimus fundamentum Chri
stianæ pietatis esse humilitatem. Humili- Humilitas quidsit. tas autem significat animi infractionem,
atque demissionem. Ergo cum gloriæ
studium non conueniat: nisi animis ma-
ximis, rerumque maximarum cupiditate flagrantibus, & omne Christianæ pietatis officium in humilitate cerna-
tur; relinquitur, nihil tam pugnare cum
Christianis institutis, quam gloriæ ap-
petitum.

IMMO, inquam, nihil est copulatum magis; eaq. sola est ad gloriam via, quæ in hu-
militate hac sanctissimis litteris exornata
consistit. Est enim gloria cæleste decus ani-
mi, atq. diuinum beneficium, apud homi-
nes propriam imbecillitatem agnoscentes,
atq. diuinam opem requirentes, diuina beni-
gnitate collocatum. Hi tantum igitur digni-
tate, & gloria florent; cum interim illi, quos
vel gentis nobilitas, vel abundantia pecu-
nię, vel corporis robur, vel formę pulchritudo
insolẽtes, & superbos efficit, ope Diuina desti-
tuti

Universidad de Deusto
Biblioteca

turi corruant, tanto maiorem infamiam in ruina subeuntes, quanto sibi maius decus opinionis errore proponebant. Tanta est autem huius ampli simæ virtutis, quam humilitatem appellamus, altitudo, vt in cælum etiam penetret. Nam continet omnium virtutum decus, & excellentiam. Primum enim singulari sapientiæ munere continetur. Cum enim fragilem hominum naturam, fluxam, & caducam vitæ condicionem, humanarumq. rerum varietatem, & inconstantiam animo reputantes, & hominum insigni fortuna florentium miserabiles exitus in memoriam reducentes, omnibus corporis, & fortunæ bonis omnino diffidimus, ita vt numquam secundis rebus, & ad voluntatem nostram fluentibus extollamur: tũ maxime prudẽtiæ munere fungimur. Numquam enim sapiens efferetur, nempe qui se natum hominem meminerit, atq. communi lege naturæ multis cladibus expositum. Deinde, cum seipsum agnouerit, numquam alienum decus appetet, aut honorem parum sibi conuenientem vsurpabit: quod ad iustitiæ officium pertinet. Hinc etiam temperantiæ, atq. moderationis ornatus orietur. Qui enim imbecillitatem naturæ considerauerit, quamuis omnes opibus, & potentia vincat, numquã insolescet, nec aliquid cum temeritate, & amentia geret, nec se cuiquam anteponet. Nunc vero, quo modo humilitati cum animi etiam magnitudine conueniat, videamus.

Humilitas est altitudo.

Reiectio.

Hoc est, inquit Metellus, quod intelligere cupio: difficile namq. videtur, res inter se nomine discrepantes, sententia conglutinare.

NIHIL, inquam, facilius. Cum enim virtutes ita copulatæ sint, vt, qui vnam habuerit, opus sit reliquas omnes habere; & constet, humilitatem tres illas virtutes esse complexam; consequẽs est, vt etiam cum alti, & inuicti animi magnitudine coniuncta sit. Quod vt clarius videamus, ipsius nominis sententiã explicemus. Est igitur humilitas, affectio animi, parua, & exigua de se ipso sentientis. Magnũ autem, & paruum sine comparatione intelligi non potest. Si enim collem editum, & excelsum cum humiliore conferas, rite magnum appellaueris: si cum Apennini cacumine, fortasse paruum. Sic etiam magnam lacertam appellamus, quæ in genere suo magnitudine excellit; & elephantum pusillum, qui ad alios collatus breuis est, quamuis sit aliorum animantiũ longe maximus. Hęc tu ex Aristotele, si κατηγορίας cognouisti, intelligere potuisti facillime. Cum igitur omnis ratio breuitatis, aut magnitudinis, e comparatione ducatur; & humilem eum appellemus, qui sua omnia parui pendit; relinquitur id ex eo euenire, quod se cum rebus multo maioribus, & altioribus conferat: ex quo sequitur, omnes humiles esse magnanimos. Nam, quæso, quis tibi maioris animi esse videtur? is ne, qui nimis alta suspicit, & sibi in omni genere exempla maxima proponit? an qui nescit oculos ex infimis rebus attollere.

Illustratio per similitudinẽ.

I s, inquit, qui altiora semper adspectat.

ERGO, inquam, cum humilis ideo se nõ magnificiat, quia maiora quædam intuetur: restat, vt intelligamus, illum esse magno animo præditum; superbum autem, & insolẽtem, minuto, & angusto. Satis enim constat, numquam a rebus exiguis ad amplas, & magnificas animi adspectum retulisse. Nam, si id feciss̃et, numquam tãti seipsum æstimaret. Veluti, si quis in pago, aut in paruo municipio principẽ locum tenens insolescat: is, vbi primum Romam, aut in aliam ciuitatem simili splendore florentem venerit, & in tantam hominũ celebritatem adspexerit; atq. ibi viderit, sese nec cum mediocri dignitate præditis esse conferendum; ingentes illos spiritus, quos arrogantia non ferẽda sumpserat, statim deponet. Quod quidem in omni genere cerni potest. Etenim, quis est Poeta paullo sanior, qui non se, cum in Homerum, aut Maronem respexerit, protinus abijciat? Quem Oratorem Demosthenis, aut Ciceronis vbertas, & amplitudo non modestum reddat? Cuius Imperatoris insolentiam res ab Alexandro, aut a Cæsare gestæ non frangant? Cum igitur hæc natura rerum sit, vt semper nos nostri pæniteat, quoties mentis aciem ad altiora conuertimus: quid tandem Christianis hominibus euenturum suspicamur? Est enim hominis Christiani munus, non modo mundi ornatum, & magnificentiam intueri, sed longe altius extolli, naturæq. totius architectum assidue contemplari. Sic igitur fit, cum animus in corpore mãs, e corpore tamẽ, studio, & agitatione mẽtis excedit, & quoad fas est, Diuinę virtutis lucem videt; vt se repente, suaq. omnia, & quidquid antea amplum, & illustre censebat, humile, & obscurum iudicet; nihilq. in vita pulchrũ & honestum existimet, quod non senserit esse claritate illa Diuini luminis illustratum. Omnes igitur humanas opes, siue illæ ad corporis cultum, siue ad ornatũ animi pertineant, paruifaciẽs, ita exardescit ad illius Diuinæ formę cupiditatẽ, vt nihil aliud cogitet, nihil amet, nihil cupiat; sed potius omnibus corporis, & animi viribus ad summum illud bonum fruendum incitetur. Hoc autem tam illustri spectaculo multo clarior indies, atq. altior fit. Cum enim amore Dei flagret, mentem ad illius adspectum ardenter excitat. Quo autem magis illo adspectu, quantum potest, in hac vita fruitur, eo vehementius inflammatur. Sic autem euenit, vt progressio in Diuinæ naturæ cognitione amorem augeat: amor autem auctus clariorem indies cognitionem efficiat: atq. ita tandem homines

Humilis, & superbus dif ferunt.

Humanæ opes despiciẽdæ.

Christiani hominis munus.

nes alta quadam mente præditos ad sui contemptionem quotidie magis inducat. Auget etiam interim vehementer vtilitatem, quod in illa cęlesti luce multa nostra vitia, quæ antea latebant, clare cernimus, ita, vt, quo magis immensam summi illius Rectoris bonitatem agnoscimus, eo facilius nostræ naturæ imbecillitatem, atq. corruptelam agnoscamus. Inde autem fit, vt eadem opera & Deum ardẽter amemus, & in nostri odium quodammodo veniamus. Accedit deinde, quod intelligimus, non posse nos viribus nostris virtutem colere, aut dignitatem vllam tueri, sed immanem libidinem, & insignem turpitudinem, vbi primum a Deo scelere nostro seiungimur, in animis nostris dominari. Tum illud quantum valet etiam ad infringendam hominum insolentiam, ingentes illas cælitum copias Diuino splendore lucentes animo cõtueri? Qui enim illorum siue præstantem naturam, siue pietatem excellentem, siue dignitatis amplitudinẽ considerauit, seipsum abijciet, animaduertẽs, nihil in rebus humanis esse cum illa tanta claritate comparãdum. Postremo videmus etiã innumerabilem hominum multitudinẽ Diuina quadam virtute, atq. gloria florentem, & in terris quodammodo cælitum dignitatem moribus, & institutis vitæ consecutam: ad quã respicientes, necesse est, vt nos ipsos pro nihilo reputemus. Quod si illa angelorum agmina Diuino splendore fulgentia, Dei comparatione pro nihilo sunt; & si vniuersum genus humanum, ad angelos collatum, abiectum natura, & humile iudicamus; quid tandem faciet is, qui viderit sese ne cum hominibus quidẽ summis esse conferendum? Quo modo enim is qui Deum sibi sequendum, & imitandum esse sentit, insolenter efferri poterit, cum intellexerit, sese a multis etiam hominibus in hac vita manentibus, dignitate victum, atq. superatum? Homo, cũ his excubans, atq. pernoctans curis, nullo modo turgebit vmquam, inani iactatione fureter elatus, & inflatus, vt ij faciũt, qui nihil amplum cogitant; sed potius omnes suas opes valde despiciet. Contemnet enim sese, contemnet homo excellenti ingenio, animoq. maximo præditus: qui si mentis oculos humi defixos haberet, idq. tantum magnum existimaret, quod esset fragile, & caducum, & istis bonis, quæ hominum vulgus inaniter admiratur, abundaret; quam sibi ipsi placeret? quam fastidiose tenuiores despiceret? quam intoleranda superbia, & amentia duceretur? Ergo, vt superbia nascitur ex animo abiecto, & in terram demerso, ita humilitas ortum habet ab animo magno, nihil, quod quidem non sit diuinis, & æternis opibus exaggeratum, magnum, & excelsum iudicante. Considerate igitur, quam excellenti animo sint ij, quos nostra loquendi consuetudine humiles appellamus. Nihil est enim in rebus humanis, quantumuis insigni specie dignitatis excultum, quod non facile contemnant, & infra se positũ esse ducãt; nullis opibus, nullis facultatib⁹, nullis ornamentis humana industria, & studio paratis cõtenti esse possunt; ipsam deniq. gloriã, a virtute vera profectam, quæ hominum commemoratione viget, non aspernantur illi quidem, cum se ad virtutem natos, & gloriam esse comitem virtutis intelligant, sed eam nescio quo modo, multo maiora sibi proponentes quotidie magis despiciunt. Nam omnia, quantumuis magna, & excelsa, exigua putanda sunt, cum est aliquid amplius, & magnificentius. Licet igitur ad omnes homines, qui vbiq. sunt, quacumq. in ora, atq. parte terrarum, eorum fama permanare possit; nihil tamen, quod quidem sit terræ spatijs inclusum, illis magnum esse potest, qui cæli etiam complexum angustissimum putant. Neq. possunt vllo modo omnibus huius vitæ bonis satiari, qui semper immẽsas opes, & infinitas desiderent. Nihil enim optant ardentius, quam humanis opibus spoliari, vt diuinis compleantur. Hæc illos cura sollicitat; hic ardor illorũ mentes inflammat; hoc illos desiderium in lacrymis, & fletu versari facit. Qui quidem fletus, non est imbecillitatis, sed Diuinæ virtutis argumentum. Cum enim diuinæ condicionis participes fieri concupiscant, molestissime ferunt, sese corpore diutius, quasi quodam ergastulo, detineri, & non protinus ex ijs terrarũ angustijs in illam cælestem regionem euolare. Illius autem gloriæ cupiditate incensi rapiuntur, quæ non peruulgato virtutis splendore, aut prædicatione hominum, continetur; sed quã Diuinæ lucis claritas afferet, quam cælestis dignitas excitabit, quæ vigebit memoria sæculorum omniũ, de cuius amplitudine numquam æternitas ipsa conticescet. Hanc igitur experentes, angelorum theatrum sibi proponunt, omnesq. cælestes, quos Sanctæ litteræ principes, & potestates, & Diuinæ maiestatis sedes, alijsq. nominibus ardorem, & sapientiã significantibus appellant, ante mentis oculos statuunt; his iudicibus seruiunt, his spectatoribus placere, horum testimonio comprobari cupiunt. Atq. postremo, quod est longe maximum, in illius summi Domini testimonio, & sententia omnem gloriæ magnitudinem sitã esse conspiciunt; & ad illam incredibili animi cursu, studioq. contendũt. Spe igitur illius claritatis erecti, gaudia maxima percipiũt, intelligentes in illius demum gloriæ studium esse omnibus viribus incumbendum, quæ Christi beneficio, numine, & laudatione continetur. Nam, si laudatoris amplitudo ad dignitatis amplificationem pertinet; quid esse potest Christi maiestate magnificentius? Si verum iudicium in certa gloriæ ratione requirimus; Deus solus intimos hominum sensus perspectos habet. Si laudantis constantiam attendimus, Diuina mens nullam in omni æternitate potest habere mutationem. Si lucem, & celebritatem

Gens diuina gloria excellens.

Superbia vnde nascatur.

Magna exigua sunt putanda.

Glorię cupiditate incẽsi.

Gloriæ magnitudo in quo sita.

Universidad de Deusto
Biblioteca

britatem consideres, tunc clarorũ hominum laudes coram omnibus Angelis, & hominibus illustrabuntur. Si ad diuturnitatem animaduertas, nullum finem sunt vllis vmquam sæculis habituræ. Quid igitur illa gloria diuinius, quam mentes castæ in illa cælesti regione consequentur? Est enim dignitate laudatoris immensa, spectatorum celebritate clarissima, diuturnitate temporis infinita.

VII. Cœlestis piorum gloria.

HAEC est cælestis illius ciuitatis conditio, in quam tandem omnes, qui veræ laudi seruiunt, accipiendi sunt, diuinis laudibus abundare, splendore diuinæ lucis illustrari, diuina gloria florere. Oſcedes illas beatissimas, diuinaq. domicilia, in quibus homines præstantes locati nec vitijs infici, nec deformitate maculari, nec tormentis inuidiæ conuelli poterũt; sed, expertes omnium malorum, æternisq. præsidijs, & ornamentis magnificentissime redundantes, gloria immortali circumfluent. Saluete, ciues cælestes, qui ab hac ærumnosa vita in illam æternam domum excessistis, in qua diuinis opibus exculti, summisq. bonis affluentes, æternis gaudijs triumphatis. Vos soli demum estis beatissimi iudicandi, quorum vita est omni bonorum copia cumulata, quorum laus emori non potest, quorum nomen nulla vmquam obscurabit oblivio. Vestrum decus omnes cælites intuentur; nomen vestrum summus ipse Deus, qui vos sibi adoptauit, amplectitur; a quo lucem accipientes, & in illius naturam quodammodo conuersi, diuinæ formæ pulchritudinem estis illius beneficentia consecuti. Quis, hanc gloriam animo prospiciens, non optet quam primum ab hac turba, & colluuione discedere, & in cælum continuo migrare? Quanta enim tandem voluptas erit, inter Angelos numerari, piorum animorum cœtibus interesse, laudibus diuinis extolli, atq. postremo, quod caput est, summo illi cœli dominatori, nutu omnia regenti, purasq. mentes immensa luce collustranti, & summis æterniſq. laudibus cumulanti, perpetuo copulari? Sed de gloria illa, atq. diuinis præmijs, pijs hominibus a Deo constitutis, ineptum erit fortasse plura disserere. Nec enim oculis cerni, nec auribus accipi, nec mente, & cogitatione comprehendi in hac vita possunt. Superat enim, atq. longissimo quidem interuallo superat eorum magnitudo omnem humanarum cogitationum intelligentiam, & facultatem. Hæc igitur verbis exprimere non possumus, at eorum cupiditate incendi, & incitari possumus. Quare, si nos excellens decus allicit, si pulchritudo laudis inflammat, si stimuli gloriæ cõcitant, veram virtutem, e qua sola verum, & æternum decus emanat, ardenti studio colamus, & Christum Optimum Maximum, totius honestatis, & gloriæ cælestis architectum, castissime veneremur; & ab illo supplicibus verbis contendamus, vt nos ad immortalem gloriam extollat, neq. solum cælestibus bonis afficiat, sed etiam Deos faciat. Hæc mihi in mentem venerunt, quæ de gloria disputarem; quæ quidem, vt videtis, ab initijs naturæ profecta, piorum hominum mentes in cælum tandem deducit. Tu igitur, Auguſtine, si perstas in sententia, vt gloriam vituperandam existimes, non quod te dignum est, facies. Animi enim tui indoles postulat, vt eam, quantum possis, ornes, & augeas, & interim ad summum immortaleq. decus adspires.

Vera gloria quomodo petenda.

TV quidem, inquit Augustinus, cum orationis longitudine, tum conclusionis elegantia, & grauitate, perfecisti, vt nec iam liceat, nec libeat sententiam tuam refutare. Nox enim nos, vt videtis, nec opinantes oppressit: & epilogus iste tantam mihi voluptatem attulit, vt omnem cogitationem contra differendi sustulerit. Reliquum igitur est, vt ad gloriam illam, quam in fine orationis attigisti, omnibus velis, & remis contendamus.

Querella.

QVAM vellem, inquit Merellus, vt Calcena noster, atq. Lupus adessent, vt aliquem etiam fructum ex hoc sermone perciperent.

HIERONYMI OSORII LVSITANI

Ad Sebastianum I. Portugalliæ Regem.

DE REGIS INSTITVTIONE, ET DISCIPLINA LIBER PRIMVS.

QVAM multa mala in res humanas inuexerit regnandi libido, Princeps inuictissime, Rerumpu. conuersiones, Imperiorumq. maximorum ruinæ, & summorum Regum clades funestissimæ declarant. Quæ enim gens rerum gestarum gloria præstans, non hoc morbo concidit? quod Regnum tantis opibus floruit, vt non hac tãdem cupiditate funditus euersum, & extinctũ sit? Plenæ historiæ sunt; ne scenæ quidem de hoc tanto malo silent; vita etiam communis, huius tam diræ pestis exẽpla prope quotidiana suppeditat; &, quod est magis admirandum, cum omnibus proposita sit vita secura, atque tranquilla; & omnes videant, quam multa pericula illis intendantur, qui multis imperant, & quantis curis impliciti sint omnes, qui in Regia sede locati sunt; ita tamen quidam per omnes flammas, regnandi cupiditate incensi, rapiuntur, vt nullus metus, nulla verecundia, nulla religio eos impediat, quo minus omnia tetra facinora machinentur. Primum enim leges, in quibus salus patriæ sita est, odio nimis acerbo persequuntur; omnes magistratus exstinctos, atque deletos cupiũt; principibus insidias parant; Remp. temeritate, & amentia perturbant, vt sic tandem, omnibus præsidijs publicæ libertatis per summũ scelus ereptis, ipsi soli in Rep. dominentur. Quin etiam multi vsque eo progressi sunt, vt non solum ciues, socios, cognatos, fratres, amicos, sed etiam liberos, atque parentes, immanissime trucidarent, & in res etiam sacrosanctas, omnique religione munitas, inuecti, sanctissimum Dei numen, præ sua effrenata cupiditate, contemnerent. Vnde colligitur, nihil esse tam sancto iure vallatum, aut tanta religione sæptum, quod non perrumpat, atq. disturbet ambitio. Accedit, quo magis id dolendum sit, quod ij plerumque, hoc oppressi morbo, in patriam præterrimi sunt, qui maxime benefici, atque salutares esse potuissent. Fit enim plerumque, vt illi potissimum, ambitione præcipites, ad omne facinus stimulentur, qui animo maximo sunt, & ea de causſa potuissent multo facilius patriæ salutem tueri, atque conseruare. Magnus enim animus, si modo, atque ratione vacat, ita turbatur, & ruit, vt, quocumque impetum dat, horrendas strages efficiat. Adiuuat autem eorũ, qui ad summos honores adspirant, insaniã, multitudinis error, atque dementia; quæ sæpenumero nullum scelus detestabile iudicat, quod regnandi causſa susceptum sit. Illa igitur Eteoclis sententia, quæ est apud Euripidẽ, qua scelus suum minime purgat, sed ex scelere laudẽ quærit, eo quod per illud sibi ad regnum viã munierit, in multorum sermone, atque prædicatione versatur. Quamuis igitur is, qui ad regnum iter affectat, parentibus, aut fratribus vitam eripiat, & in suorum sanguine, atq. cæde bacchetur, vt ea ratione facilius imperio potiatur; tamen, vt vir animi maximi, imperioque digniſsimi, a multis laudari solet. His autem sermonibus inflati quidam, nullã sibi iniquitatem, & iniuriam dedecori fore spicantur, ex qua possint ad aliquem gradum imperij, & amplissimi honoris, adscendere. Vnde concludi potest, nihil esse animo maximo, si non fuerit ratione temperatus, rebus humanis infestius. Vt autem illis, qui ita sunt affecti, omnia procedant, vt volunt, & imperia, quæ nimis sitienter appetunt, facile consequan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sequantur, quos tandem fructus ex imperio suo percipient? curas, solicitudines, angores vitam molestissimis negotijs implicatam, iniquissima postulata, districtum animum, & inter offensionis metũ, & rei familiaris, atq. publicæ diligentiam, miserabiliter hæsitantem. Si omnia latronibus suis largiũtur, opes suas profundi sentiunt; si eis aliquid denegant, hostes in se coneitant illos ipsos, quorum se fide communierant; si Regni administrationem familiaribus suis permittunt, omnia Regni præsidia dilabuntur; si per se omnia curare volũt, inanem curam, & sine vllo fructu percipiunt, horamq. nullam habent metu, & solicitudine liberam. sic autem fit, vt multi, qui Principes haberi volunt, nulla in re, neq. domi, neq. foris conquiescant; nullam vitæ suauitatem gustẽt; nulla voluptate animo libero, atq. soluto perfruantur. Adde nũc inuidiæ fraudes inexpiabiles: adde sceleratorum hominum proditiones; adde formidines, horrores, atque pericula; quibus amplissimus ille locus obsessus est; adde postremo diros casus, quibus magnorũ Principum vita sæpe concluditur. Quid nam igitur caussæ esse putem, cur, cum omnes videant, nihil esse magis expetendum, quã placidæ, quietæ, tranquillæ vitæ constantiam; sint tamen ita multi, qui nullo modo quietem pati possint, eamq. vitam modis omnibus expetant, quę est pacis, & tranquillitatis expers, & periculosis admodum tempestatibus, in diuersas partes iactata? Num eam pestem a natura datam hominibus, vt, hac cupiditate cæci, deficiant a mente, sponte, atq. voluntate sua præcipites, in miseriam sempiternã irruant? Nullo modo. nec enim est illius summi conditoris, & Domini, qui naturam vniuersam finxit, pestem hominibus machinari; hominum tamen inconsiderata temeritate fit, vt naturę principia, quæ ad salutem, & honestatem data sunt, ad perniciem, & ignominiam conferantur. Nec enim impetus animi, regnũm appetentis, vituperandus est; sed mentis cæcitas, quæ illo impetu vti nescit; &, dum Regnum sibi parare nititur, seruitutis miserrimæ vinculis alligatur. Est namque in animis nostris insitum quiddam generosum, excelsum, atque magnificum, dignitatis appetens, imperandi studio incensum; nullos labores, dummodo gloriosi sint, nulla vitæ pericula, honestatis gratia, recusans. Non enim ad otium, & ignauiam, nec ad futiles, & inanes voluptates; sed ad officium, & industriam, & animi contentionem; sed ad decus, & honestatem, quæ labore, & studio comparatur, nati, suscepti, ab ipsaque natura imbuti, & instituti sumus. Quo fit, vt, cum nemo, bene a natura informatus, otium, & securitatem honestis laboribus anteponat; tum illi, qui maiore animo sunt, otium, mortis instar esse putent, eaq. ratione imperare cupiant, vt virtutis, & industrię suæ fructũ percipiant, & ita gloria immortali circumfluant. Sed multi non intelligunt, quid sit illud, ad quod eos natura vocet, dũ regni cupiditatem inserit. Rex enim ille demum habendus est, qui longe, multumque reliquis hominibus honestatis opibus, & ornamentis antecellit. Nam tunc omnis splendor honestatis elucet in nobis, cũ mẽs, quę est potissima pars animi nostri, principatum obtinet; & regnum sibi a natura datũ sapienter administrat; quod facit, cum pro iure suo temeritatem coercet, & libidinem vinculis adstringit, & oẽs affectiones temperat, & moderatur, sibiq. obedientes esse compellit. Itaq. qui honestatem expetit, regnum expetit, duceq. natura in studium Regiæ maiestatis, & amplitudinis incitatur. Regia namq. maiestas ab honestate seiungi non potest; iccirco bruta animãtia, eo, quod decus & honestatem intueri nequeant, hominibus naturali iure subiecta sunt; & inter homines is est natura ad reliquos imperio continendos aptissimus, qui multum virtutis opibus excellit. Ergo, qui regnare pulcherrimum arbitratur, tacite iudicat, nihil esse cũ virtutis, & honestatis excellentia comparãdum. Postremo, cum homines ad Diuinam naturam expressi, & apti sint, & iccirco status Diuini cupiditate flagrent; status autem Diuini præstãtia in imperio, quo naturam vniuersam continet, maxime cernatur; mirum non est, esse quosdam homines, qui ad imperij cupiditatem, morte etiam proposita, rapiantur. Ergo, cũ, natura, laudis, & dignitatis appetentes simus; & cũ dignitatis excellentiam, omnibus rebus expetẽdis anteponendam esse iudicemus; & cum, natura, studio, & cupiditate Diuinitatis incendamur; & omnis laus, & Diuinæ naturæ præcellentia, in legitimo imperio constituta videatur; mirandum non est, fuisse multos mortales tanto regnãdi studio concitatos, vt multis se periculis exponerent, nullumq. supplicium formidarent; dum id, quod maxime clarum, & expetendum iudicabant, assequerentur. Cũ vero non ratione, & disciplina, sed impetu cæco naturæ, in Regni studium incumberẽt; euenisset necessario, vt rursus, errore decepti, numquam ad eum portum, quem petebant, appellerent; sed, multis tempestatibus agitati, pro dignitate ignominiam subirent, & perniciem non sibi tantum, sed omnibus vectoribus, eorum gubernationi commissis, stultitia sua molirentur. Vnde perspicitur, nihil esse Principe furioso, & amente funestius. Homines quidem, qui principem locum obtinere contendunt, præclara quidem cupiunt; sed, errore mentis, ab eo fine, quo intendunt, auersi, patrias suas euertunt, omniumque malorum auctores, & architecti sunt. non enim vident, regnandi scientiam, non tantum in imperando, sed etiam in obediendo consistere. Est enim obedientia, qua rationi, & imperio legitimo obtemperatur, moderationis, & ordinis, & obseruan-

Rex, quis sit habendus.

Principe furioso nihil funestius.

seruantiæ disciplina: quam qui non tenet, regnum rationis amittit, & fit libidinis effrenatæ mancipiũ. Vbi vero animus fuerit oppressus libidinis impurissimæ dominatu; luce continuo priuatur, & tætra caligine circumfundi tur. Qui autem modum non seruat, qua tandẽ ratione remp. vniuersam moderabitur? &, qui libidinum est seruus, quomodo suorum libertatem tueri poterit? & qui mentis cæcitate laborat, quo modo mala Reip. impendentia præcauebit? Reliquum igitur est, vt, quo maior illius potentia fuerit, eo maiores ruinas edat. Vnde concluditur, cum omnibus sapientia necessaria sit, tum vel maxime Reges illius moderatione contineri. Rex enim temerarius, & insanus, non Rex, sed tyrannus existimandus est; & iccirco nulla ratione potest a Rep. pestẽ depellere, cum ipse sit dira quædam pestis, patriam lue, atq. tabe conficiens. Quantum vero inter Regem, & Tyrannum intersit, satis exploratum est. Rex enim Diuinæ menti paret, rectam rationem sequitur, iuris æquabilitatẽ colit, fraudem, & malitiam coercet, modum, & ordinem in omni officio conseruat, Remp. vniuersam excellentibus meritis obstringit, nullum periculum adire pro salute patriæ recusat, ad gloriæ sempiternæ decus adspirat, & mortem deniq. contemnit, vt immortalitatem consequatur. Contra vero, Tyrannus Dei numen spernit, rationis imperium repudiat, libidini, & impuritati seruit, iura diuina, & humana violat, dolis, & fraudib. innititur, veram dignitatem abijcit, & falsam imaginem decoris, & dignitatis amplexatur; & tuc se viri fortis officio egregie functum putat, cum populum sibi commissum formidine perterret, & ex illius bonis prædatur, vt per vim, & fraudẽ fortunas suas amplificet. Ergo, cum rex Diuino præsidio cinctus sit, & verissimæ honestatis laudibus abundet, & hominum ad se voluntates vehementer alliciat; consequens est, vt sit in administrando regno sapiens, in repellẽdis hostibus acer, in constituenda Rep. moderatus, in iuris æquabilitate tuenda constans, in rerum successibus, & euentis felix; nec ipse solum beatus sit, sed patriam vniuersam felicem reddat, omnibusq. bonis affluentem. Tyrannus autem, contra, cum sit ope Diuina orbatus, & turpitudinum maculis inustus, & hominibus, propter malitiam, & fraudem, inuisus, & omnium mortalium fide, & beneuolentia destitutus; & ea de caussa omnia, quę gerit, partim rabide, atq. furenter, partim timide, atq. diffidenter administret; eueniat, necesse est, vt non solum ipse corruat, sed etiam omnes, qui sese ad illius ductum, & imperium adiunxerunt, in calamitatem conijciat. Vnde perspicitur, illa mala omnia, quæ sumus oratione persecuti, non in illum cadere, qui vere rex est; sed in eum, qui falso regis nomen vsurpat, & ita se in omni officio gerit, vt magis immanis Tyranni speciem referat, quam legitimi Regis naturã, atq. mores imitetur. Hæc cum mecum sæpe recogito, Lusitaniam beatã existimo, cum reges eos habuerit, quos nemo dubitare potest exstitisse hoc nomine tam sancto, & augusto, dignissimos. Nec enim vel in religionis sanctimonia, vel in iustitiæ cultu, vel in decoris honestate, vel in virtutis robore, vel in mansuetudinis lenitate, quidquam fuit ab illis prætermissum, quod ad optimi, atq. fortissimi regis officium pertineret. Ita vero factum est, vt eorum nomen memoriæ sempiternæ consecratum sit, & ipsi in cælo illis opibus, quæ sunt ijs Principibus, qui omnia vitæ consilia ad patriæ salutem contulere, Dei beneficio constitutæ potiantur. De te autem quid homines augurentur, libet dicere. Fore namq. suspicantur, vt illos sanctissimos Principes, quorum stirpe procreatus es, multum virtute superes. Vident enim multa signa, quibus admoniti, credunt, te Diuino consilio susceptum fuisse; vt omnes terras, quæ tua ditione, & imperio continentur, magnis iustitię opibus, & inuictæ virtutis ornamẽtis afficias. Cernunt præterea in te multos industriæ stimulos, qui animum tuũ torpere otio, & ignauia non sinant: cum vero singularis ingenij magnitudo, & animi excellentis altitudo, & regiæ virtutis indoles, & reliqua munera tibi diuinitus attributa, te de officio tuo commoneant; tum maiorum tuorum exempla eiusmodi sunt, quæ te facile possint studio immortalitatis inflammare. Accedit, vt magis id liceat nobis de tua præstanti natura, & bonitate, polliceri, quod omnes vno ore consentiũt, ortum tuũ, ad præcipuum, atq. singulare Dei beneficium referendum esse. Eo namq. tempore natus es, in quo, propter Regis Aui tui sanctissimi Principis orbitatem, timebatur, ne Regni patrimonium ad externum aliquem Principẽ, cum totius Lusitaniæ querimonia, peruenirет. Tu igitur, ortu tuo, patriæ, propter obitum patris tui, Principis omnibus caríssimi, mærore perditæ, & afflictæ, magnum solatium prębuisti. Tu tenebras, quibus omnes erant oppleti, diei tui natalis splendore, dissipuisti. Tu spem salutis, libertatis, & dignitatis omnibus tuis attulisti. Cum vero matris tuæ, Principis clarissimæ, partus appropinquaret, nescio quo diuinæ mentis appulsu commoti sunt homines, vt ante ad omnes ædes excurrerent, vt Deo de te in lucem edito gratias agerent, quam tu natus esses. Cum autem hominibus adhuc in rebus diuinis rite peragendis intentis repente verus nuntius allatus esset, matrem tuam, filium marem peperisse, tanta lætitia consecuta est, vt multi præ gaudio vim lacrymarum profunderent, & incredibiliter exsultarent, teque, non vt infantem feliciter exortum, faustis ominibus; sed, vt regem iam spectatum, lætis acclamationibus prosequerentur. Itaq. omnes tunc Diuinum beneficium agnouerunt, & spem magnam concepe-

Regis, & Tyranni differẽtia.

runt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

perunt,fore,vt,cum ad maturam ætatem peruenires, maiorum tuorum virtutes, & egregia facta,ingenio,industria,pietate, & animi magnitudine, & contentione superares. quæ opinio quotidie magis cõfirmatur ab eis, qui signa pudoris,& honestatis tuæ, cum altę mẽtis significatione coniuncta,perspiciunt. Accedit etiam regia disciplina,&magistri probitas,& pædagogi sapientia, & reliquorum hominum nobilium,quibus vteris,virtus.& integritas,quorum monitis,& exemplis,credo te mirandum in modum, studio immortalis nominis incitari.His argumentis inductus quilibet homo,qui non fuerit mentis expers,poterit conijcere futurum, vt nõ sis illis regibus annumerandus, quorum exitiales exitus exstitere:sed illis potius, qui Diuina virtute nixi,ad summã felicitatem peruenere.Hac equidem spe impulsus sum,vt opus magnum susciperem,quod tibi minime iniucundum fore arbitror. Cum enim tibi iam ista ætate propositum esse videam,vt in omni genere regię,atq. propemodum Diuinæ virtutis excellas;& omnia consilia, studia, curæ, & cogitationes tuæ ad sempiternam gloriã conferendæ sint; quid tibi gratius esse poterit eorum studio, & volũtate,qui tibi in re tanta operam, & studium nauare cupiunt? Venit igitur in mentem mihi,mandare litteris ea,quæ, nõ multis abhinc annis,cum hominibus amicissimis, de regis institutione, officio, & dignitate, disputata sunt. Nam, cum me in Bethlehemiticum templum,regis Emmanuelis omnis memoriæ facile Principis,proaui tui sumptibus ædificatum rei Diuinæ gratia contulissem;in hortos eiusdem templi discessi, vt, illorum amœnitate, animum a negotiorum contentione relaxarem.Erat enim id anni tempus, quo, propter odorum,qui e floribus afflabãtur,suauitatem; & propter auium concentus, & aquarum deriuationes,nihil amœnius esse poterat.Ibi vero incidi in Laurentium Petreium Tauoram, qui non ita pridem Roma venerat,& in Franciscum Salam Menesium,homines artibus, illa nobilitate dignis, in primis eruditos: qui quidem me satis amanter amplexi sunt,&ego item illos,vt mos est amicorum,salutaui.Post quam vero assedimus, Frãciscus Portugalensis interuenit; homo, qui claritatem generis multis artium maximarum disciplinis ornauit, quem post mutuam salutationem in medium recepimus.Is igitur,eo,quod multos iã dies in villa,sacris illis ædibus coniuncta, cõmoratus esset,& in regiam se minime contulisset,Menesium de tua valetudine,de lusibus, de studijs percunctatus est. Ibi cum Menesius ad omnia respondisset, quædam a te acutissime dicta narrauit,quę nobis non modo risum sed etiam admirationem commouere. In eũ deinde sermonem venimus, vt nihil ex illis signis,quæ paullo ante a me cõmemorata sunt, omissum fuerit; quæ tantam tui exspectationem concitarunt,vt videatur,illi respondere, difficillimum. Tunc ego eiusmodi sermonem institui,qui materiam longioris sermonis dedit,quam fore ab initio suspicabar; quem velim, Princeps amplissime, pro tua singulari humanitate, attente audias. multa enim cognosces,de Rerump. vulneribus,de remedijs, quibus vulnera curanda sunt, de malis, quæ prauam, & corruptam Principum educationem consequũtur,de felicitate,quæ recta Principum disciplina,& institutione comparatur, de imperij prudenter, & fortiter, & feliciter administrandi ratione, de Regno ornando,& amplificando,de gloria,& nominis immortalitate paranda, & de præsidijs & ornamentis, quibus summus ille Imperator, & Dominus, qui naturam vniuersam regit, eos Reges afficit,qui sese totos ad illius studium,& imitationem contulere. Sic igitur sum exorsus. Sunt quidem ista.ea namque signa antegressa,& cõsecuta sunt Sebastiani Regis ortum,vt omnes existimarent, illum esse nobis diuinitus oblatum,atque donatum, qui rem Lusitanam non conseruaret tantum,sed etiam augeret, imperiumque latissime propagaret. Auget autem hanc spem nostram & illius species, & animi alacritas,& acumen ingenij, & virtutis indoles; quæ, si fuerit exculta disciplinis, dubium non est, quin sit ad summam laudem, & gloriã peruentura; in qua tamen re, non mediocris diligentia adhibenda est. Si enim illius instituendi, & monendi studium fuerit aliqua ex parte remissum, isque minime ingenium ad artes preclaras adiunxerit;aureosque dare coperit perditis, & profligatis adolescentibus, & hominibus omni flagitio, & scelere contaminatis; quo est clarior illius indoles,eo maioribus vitijs inquinari poterit, & ita, (quod Christus prohibeat) grauiora detrimenta rebus communibus importabit. Vt enim ager neglectus,& incultus,quo fertilior est, eo magis spinis,& vepribus, & agrestium plãtarum asperitate vastatur; ita,cum animus minime colitur liberali disciplina,quo clarior est illius indoles,eo pluribus,& tætrioribus vitijs obruitur.Quo enim vis animi prestantior est,eo in quãcumque partem impellitur,se gerit vehementius.Sic autem fit, vt, quemadmodum, cum virtutem colit,inter omnes, qui non tantum ingenio, & industria valent, excellit,ita, cum se ad nequitiam applicat, omnes improbos flagitio, & improbitate superat. In reliquis quidem hominibus, non ita multum interest, qualibus quisque disciplinis imbutus sit, sibi enim tantum,& paucis præterea nocebit; qui male fuerit institutus. At rex,quem omnes intuentur; ad cuius exemplum se fingunt;cuius imperium sequuntur; si fuerit nequam, & improbus, totum Regnum exemplo nequitiæ corrumpet,omnesque opes Reipub. iniquitate, & intemperantia sua dissipabit. Nihil igitur tanto studio prouidendum est, quam

quam vt Regis animus ita adstrictus disciplina teneatur, vt numquam ad flagitium, & dedecus labi possit.Ergo, dum animus illius tener, dum regi potest, dum se docilem præbet; cauendum est, ne quidquam audiat, quod sit officio illius contrarium; operaq. danda, vt ludi etiam, quibus ætas illius ducitur, ad Regiam disciplinã conferantur. Sapienter enim faciunt ij,qui cupiunt filios suos aliquo artificio præcellere;cum eos ita a primis annis erudiũt,vt id ludibundi conentur.Sic autẽ ijs,qui pictores egregij futuri sunt, ludus in prima ætate laudabilis est, volucrem, aut quadrupedem pingere; similiter & fictorum filij, per ludum aliquid e cera fingunt, quod parentes laudant;& eadem ratione in reliquis artibus, eo ludo oblectandus est puer,qui non multum ab eo artificio, cui pater illum præficere valde cupit,abhorreat.Facile namq. cuiuis est,artis illius perfectionem assequi,quam puer per ludum assidue est imitari conatus. Nam,cum multum in quolibet artificio valeat ingeniũ, tum assiduus vsus,atq. disciplina tantam vim habet, vt nihil omnino sit tantis difficultatibus obstrusum,quod non is,qui ad eam natus, & aptus est,facillime studio,atq. meditatione consequatur.Si igitur in artibus, Principe parum dignis, tantum momẽtum habet illa puerilis institutio, atq. meditatio, vt absq. ea sit viris difficillimum, in aliqua commode versari; quid tandem est de illa, omnium maxima, atq. præstantissima,iudicandum? Quid enim maius est, quam continere imperio populos; deuincire multitudinem disciplina; coercere flagitiorum licentiam; excitare virtutis studia; & eum deniq. statum reip. collocare, qui præsidijs firmus sit,& opibus multis abundet? Omnibus igitur, quibus est hoc onus impositum, vt Regum filios erudiant, in eo vigilandum,& laborandum est, vt illi, non modo cum magistris operam dant, sed etiam cum ludũt, de officio suo commonefiant, eisq. ludis maxime teneantur, qui eos paullatim studio laudis,atq. Regiæ dignitatis incendant.Vt enim ædes amplæ non possunt esse firmæ,nisi fundamenta earum alta, atq. firma iaciantur; ita neq. Rex magnus esse poterit, qui non fuerit admodum diligenter Regia disciplina ab incunabilis institutus. Verum id quidem est,inquit Portugalensis. Sed velim scire,quæ nam disciplina Regi futuro conueniat, aut quibus artibus animum Sebastiani colendum existimes.Id quidem,inquam,intelligi poterit,si viderimus,quid sit omnib.Regibus,qui sunt hoc nomine digni,propositum; & quibus in rebus eorum officium versetur. Hoc enim constituto,haud difficile erit animaduertere, quo modo Rex alendus,& nutriendus sit;& quo disciplinæ genere ad Regiæ dignitatis, & decoris amplitudinem perducendus. Vt autem id breuissime dicam,Rex est perpetuus reip.rector, atq. moderator, vniuersum populum iuris æquabilitate deuinciens, virtutisq. præsidio conseruans. Regere autem, est, in rectum finem dirigere. Rector igitur,& moderator populi id agit, atq. molitur, vt populum in finẽ, in quem omnes intueri debent,modo,& ordine, atq. disciplina perducat. Est autem finis, florẽs,& beatus reip.status. Beatus vero reip. status malorum omnium depulsione,& bonorum complexione perficitur. Mala autem nõ ea solum numeranda sunt, quæ homines vulgo pertimescunt,nempe morbus, inopia, seruitus,dolor,calamitas, ignominia, & reliqua generis eiusdem;sed multo etiam magis flagitium,scelus,ignauia,effrenatæ libidines,& reliquæ animorum labes, quæ vitam miseram, & ærumnosam efficiunt. Similiter etiam bona,non tam in abundantia pecuniæ,aut in valetudinis firmitate, & integritate, & in rebus eiusmodi, quæ vel in corpore sitæ sunt, vel ad corporis cultum, & oblectationem conferuntur;quam in animi decore, atq. dignitate, & in virtutis constantia,& grauitate consistunt. Regis igitur officium est, non solum commodis patriæ,atq. saluti consulere,& hostium impetum a finibus Regni, magna belli contentione,reprimere;sed multo etiam magis resecare libidines, coercere petulantiam, iniquitatis, & iniuriæ fibras euellere, vniuersamq. Remp. honestatis ornamentis afficere,virtutumq. omnium præsidijs firmare. Aliter enim neq. Resp. beata esse, neq. Rex officio suo satisfacere vllo modo poterit.Hoc fundamento posito,non erit difficile considerare,quã multis difficultatibus implicatum sit Regis officium,& munus.Si enim cuilibet homini, bene a natura informato, & ingenuis disciplinis erudito,non facile negotium est,cupiditatem ratione comprimere,virtutisq. præsidia,& ornamenta comparare; quantum tandem munus erit illius, cui hoc commissum est, vt non se tantum ab omni cupiditate flagitiosa contineat,& virtutis amplitudine inter omnes excellat;sed vt omnem Remp. ab omni turpitudinis contagione tutam, & incolumem præstet, omnibus virtutibus honestam efficiat? Summa igitur sapientia, summa prudentia, summa totius animi alacritate,& vigilantia, inuictoq. virtutis, & constantiæ robore opus est,ad tantum munus feliciter obeundum. Sic igitur de pueri Regis institutione cogitate, quasi de illo,in cuius consilio,virtute,diligentia,probitate,postquam is ad maturam ætatẽ peruenerit,omnis Reipub.vita, salus,& dignitas, omnisq. beati status ratio collocanda sit: vt intelligatis, qualibus opinionibus sit iam a primis annis imbuendus, & qualibus deinde moribus,atq. disciplinis instituendus; vt possit tantum onus subire,atq. sustinere, Neq. solum animi, sed corporis etiam ratio habenda est.Corpus enim imbecillum, animi virtutem plerumq. debilitat, & a rebus acriter, & animose gerendis abducit. Vtrumque igitur curandum

Regis definitio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

randum est, vt & corpus sit valetudine firmũ, & animus recte moribus, & vita constitutus. sanitatem, atq. vires efficit in corpore victus moderatio, & exercitatio; virtutes autem excitant in animo philosophiæ studium; quo nihil vtilius ad Reges erudiendos, & cohonestandos cogitari facile potest. Est igitur cursu, palæstra, telorum iaculatione, & ludicra inter æquales armorum contentione diligẽter exercendus; vt non modo corpus illius robustum fiat, verum etiam animus alacrior, & ad res strenue gerendas promptior euadat. Vt enim corpus infirmum, animi industriam frangit; ita bene valens, atque robustum animum reddit alacrem, & in omni rerum discrimine confidentem. Ingenium vero est litteris admodũ diligenter excolendum, artiumq. maximarũ disciplinis acuẽdum; vt sapientiam, Regio muneri maxime necessariam, eo studio consequatur. Hæc enim studia pudorem, & modestiam ingenerant; animum cupiditate dignitatis incendunt; & ad Remp. salutaribus institutis tẽperandam erudiunt. Illud tamẽ in primis summo studio prouidendum est omnibus, qui Regis instituendi curam suscipiunt; vt animum illius a primis statim annis, summo studio religionis imbuant; sine qua nullum studiũ veræ dignitatis exstare potest. Omnes enim virtutes a Deo manant, illiusque beneficio, & numine continentur. numen autem illius, est pietate, atque religione placandum. Itaque tribus his studijs, quantum puerilis ætas ferre potest, Regem Sebastianum institui cupio, nempe palæstra, & litteris, & religione. Si enim corpus exercitatione firmauerit; & animum artibus præclaris excoluerit; omniaque vitæ consilia ad religionem direxerit; augurari poterimus, fore tandem, vt hostes illius congressum in armis exhorreant; ciues autẽ illum miro amore diligant; Deus vero (quod omnium bonorum caput est) eum præsidio suo fulciat, atque præsenti numine tueatur. Hæc quidem ego, non eo animo perstrinxi, vt longioris sermonis materiam præberem; immo, si suspicatus fuissem, id fore, quod euenit, fortasse tacuissem; neque tanto cum periculo sapientiæ famam mihi colligendam existimassem. Nam primum quidem Tauora, ridens, me amice monuit, vt inuidiam vitarem. Se namque vereri, si sermo hic meus in vulgus emanaret; ne in me impetus omnium fieret. Philosophiam nãque ab omnibus existimari nobilitate prorsus indignam; &, ne illius contagio Regibus aliqua ex parte noceret, in vltimas terras ablegandam. De corporis quidem exercitatione, atque de religionis studio, se mihi libenter assentiri; Regem sine illis non posse in officio suo satis commode versari. Nec enim, inquit, animus acer, atque vehemens esse potest corpori molli, & effeminato deuinctus; neque sine ope Diuina quisquam tantum pondus vlla ratione sustinebit. Quod vero ad Philosophiã attinet, valde metuo, ne in te multi satis petulanter inuehantur; quod velis hoc studio Principis animum a virtute, & industria, ad lãguorem, atque desidiam auocare. Exponam igitur tibi, non meam quidem sententiam; eanamque fortasse a tua non valde discrepat; sed multorum opinionem, qui non Philosophiam modo, sed ita omnes litteras oderunt, vt eas ab omni Rep. præcipue vero ab aula Regia, vt malum auspicium, detestentur. Non mediocrem enim ab illis pestem, atque pernicie, Regibus comparari censent. Dicam igitur, quæ multi dictitant, & quæ contra Philosophiã ab acutioribus etiam disputari possunt; vt, cũ ea infirmaueris, atque sustuleris, armis tandem instructus tuis, queam illis resistere, qui magno quodam odio, & impetu, in Philosophiam & in omnes præclaras artes, inuadunt. Primũ quidem igitur hoc negare non possumus, eos homines, qui sapientiæ student, lucem fugere; celebritatem vitare; otiũ modis omnibus amplexari; & sic tandem torpore, desidiaque languescere, vt neque prompti, nec experientes esse queant; sed sint semper ad omnia negotia, siue publica, siue domestica, prorsus inutiles. Otium enim illos corrumpit. Vt enim ferrum vsu, & exercitatione splendescit; diuturno autem situ squalet, & rubigine paullatim exeditur, atque conficitur; similiter humana mens officijs viro dignis acuitur; otio autem isto, quod homines Philosophiæ studiosi consectantur, hebescit, & quasi squalore obducto corrumpitur. Pugnant enim hæc inter se, nec in vno homine simul habitare possunt; otium videlicet, atque negotium. Et otium quidem animis neque maximis, neque maximarum rerum cupidis, videtur accommodatum; negotium vero animum acrem, & vigilantem, & studio dignitatis incensum requirit. Otium deinde homines etiam natura industrios, & vehementes, in dies mollit, & inertes, atque desidiosos efficit; negotium vero hominem natura desidiosum de somno suscitat, & ad res strenue gerendas impellit. Cum Rex igitur ad tanta negotia, singulis diebus transigenda, & ad tam multa pericula, quæ semper impendent, propulsanda natus sit; quid minus conuenit, quam pati mentem illius otio eneruari? at Philosophia sine summo otio constare non potest. Reliquum igitur est, vt ea a Regibus attingi non debeat. An non satis nos admonet quorundam Philosophorum stupor, & ignauia, quanta vitæ pestis futura sit, si studiũ hoc animũ Regis occupauerit? quoties enim domo pedem efferunt, ita propter insolẽtiam hominum, atque lucis ingrediuntur, vt ne vestigium quidem firme ponere, aut, quo tendũt satis explorare queant. Cum autem in multitudinem incidunt, adeo titubant, & hæsitant, & notos perinde, atque ignotos prætereunt; vt satis appareat, eos neque mores hominum neque vitæ consuetudinem, neque vrbis, in qua

qua sunt nati, & educati, regiones, neq. postremo viam, quæ fert in forum, nosse. Neq. facile est, aliam causſam huius stuporis assignare, nisi litteras, in quas se penitus abdiderunt: quo enim magis sese ad illas applicant, eo magis ab omni humanitatis sensu deseruntur. Thales, aut quis alius, (non enim recte memini, neque sane multum refert scire, quod illi nomẽ fuerit) is igitur, cum inambulans cælum suspiceret, in puteum incidit; tum seruula ridens, ait, Egregium hominis sapiẽtis acumen, dum cæli plagas intueri conatur, puteum ob oculos positum non videt? Lepide, atq. festiue dictum, & quod in omnes, istis artib. deditos, egregie quadrat. Dum enim res summo studio, ab humana cogitatione remotissimas, perquirunt; nec ea quidem, quæ versantur in cõmuni vita, cernunt; neq. pericula, quæ sunt intẽta reb. suis, adspiciũt. Quid igitur absurdius quam cum nobis opus sit rege acutissimo, acerrimisque sensibus instructissimo, regem artibus illis institui, quæ sensus omnes eripiũt cuius quidem rei nullũ testimoniũ grauius esse potest eo, quod a Philosophis ipsis perhibetur. Exponam enim vobis, quod ab hominibus Philosophiæ deditis accepi. Dicunt igitur homines, Philosophi vitam esse vitæ cõmuni valde contrariã. Nec. n. (vt aiunt) voluptates exquirit; neque dolores extimescit; nec honores ambit; neq. gloriam desiderat; nec odio, aut amore, aut alio deniq. eiusmodi sensu, commouetur. In eo. n. statuunt esse positum hominis sapientis officium; vt animum, quo ad fieri poterit, a corporis coniunctione diuellat, humanosq. sensus repudiet, vt ita tandem libere, & solute res cælestes, atq. Diuinas inspiciat. Quã diu. n. animus est nimis alligatus corpori, negãt fas esse verum cernere; sed rerũ tantũ vmbras, & inanes imagines consectari. Cum igitur sensus aspernentur, & eos, qui sensus consulunt, arbitrentur in summa veritatis ignoratione versari; omnis eorum sententia illi iudicio, quod oritur a sensibus, aduersatur. Inde fit, vt, quemadmodum nec opes, nec honores, neque vitæ cultum, neque bonam valetudinẽ, nec vllam denique voluptatem in veris bonis numerant; ita neque inopiam, nec obscuritatem, nec aduersam valetudinem, neque dolorem in malis. Hoc igitur ex eorum decretis efficitur, opus esse illi, qui sapiẽtiæ studet, vt omnibus sensibus orbetur, vt sic tandem ad sapiẽtiam sine cunctatione perueniat: sic autem fiet, vt, qui valde sensu communi, caret valde sapiens sit; & cuius vita proxime ad condicionem mortis accedit, is demum beatæ vitæ cõpos exsistat. Sit igitur ita sane; demus hoc illis esse stupore isto, ad sapientiam præclare munitam viam, & eum, qui nullam dulcedinem vitę sit expertus, vita beata frui. qualis tandẽ erit ista sapientia? aut quod adiumentum rebus cõmunibus importabit? num in scelus seuerevinciabit, qui nescit irasci? num hominis afflicti miseriam subleuabit, qui misericordia flecti nequit? num hostis ferociam armis, atque virtute comprimet, qui belli pericula pro nihilo habenda putat? quid enim illum excitabit, vt bellum animo acri, & vehementi suscipiat? Num laudis, atque dignitatis studium? at in eo valde se iactat, quod popularem famam, & nominis celebritatem, despiciat. An, ne opibus spolietur, acerrime decertabit? at omnes opes inanimi grauitate, & constantia sitas esse decernit; & eandem cõstantiam tum vel maxime se retenturum confidit, cum fuerit omnibus fortunis exspoliatus. Non, inquies, sua causſa laborabit, sed vt ab illis, qui in illius tutela sunt, pestem auertat. Quam pestem narras? eam ne, quam ille ne tantulum quidem curandam arbitratur; nempe inopiam, dedecus, & seruitutem, & patriæ totius interitum? Restat igitur, vt sapiens ille, quamuis omnes cæli regiones mente definiat, & siderum omnium cursus cognitione comprehendat; omne sq. naturæ obscuritates perscrutetur, & inspiciat; nulla tamen ratione possit lucem aliquam ciuibus suis afferre. Tantum vero abest, vt Philosophia regibus vtilitatem afferat; vt potius videatur omnes regni opes euersura, si Reges se se ad studium illius adiunxerint. nec enim solum inutilis est, sed nescio quo modo illius studiosos irretitos detinet, ne queãt vlla ratione rei suæ familiari consulere. Vt enim quisq. maxime proficit in litteris, & in Philosophiæ disciplinis; ita difficillime ab earum studio, & cõmentatione diuellitur. Sic igitur euenire necesse est, si reip. Princeps se litteris, & isti eruditioni dediderit; vt vel exiguum fructũ ex illis ferat, vel magnum detrimentũ ciuibus suis inferat. si enim parum temporis in illis posuerit, non magnum sane fructum ex illis colliget si vero multum temporis in eo studio consumpserit, Remp. curare non poterit. Sic. n. erit affixus libris, vt nec hominũ querimonias quotidianas exaudiat; neque potentium iniurijs obsistat, neque supplicibus opem ferat vllam; neque legum sanctiones obseruare cogat; neque iuuentutem in armis contineat; neq. hostium ferocitatem acri belli contentione retundat; neq. denique munus vllum boni regis & principis administret. Nam, cum omnes mortales officia vitæ, magna ex parte, voluptate metiantur, & in ea quisque studia maxime propensus sit, ex quibus maximam voluptatẽ capit; tum id in regibus multo magis apparet, nec enim quidquam mediocriter appetunt, & quidquid volunt, valde volunt. Si igitur litteris oblectari cœperint, quis eos ab illarũ studijs abducet? Quocirca statim a principio cauendum est, ne capiantur ea voluptate, quę illos abstrahat a cupiditate alterius voluptatis; quæ maxime regem decet. Quæ nam tandem ea est; inquis? ea videlicet, quæ ex laude, & fama percipitur. Quod si ex litteris etiã dignitatem petendam existimauerint, pericu

Homines officia vitæ voluptate metiuntur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſum eſt,ne in illis ita defigant animum,vt alio traduci non poſsint.Fieri enim nequit,vt mẽs humana multis ſimul muneribꝰ.intenta ſit. Cũ enim vis illius ſit exiguis terminis definita, fieri neceſſe eſt,vt, quo ſe vehementius ad ſtudiũvnius applicat,eo magis de ſtudio alterius remittat.Si igitur Rex animũ ad ſtudia litterarũ libenter,& ſtudioſe contulerit;valde metuendũ eſt, ne ſegnis ad imperãdũ ſit, & Rẽp. valde negligenter adminiſtret. Hoc quidem in primis optãdum eſt, ne Rex alia voluptate teneatur,niſi ea tantum,quæ tota eſt in fructu nominis immortalis,& veriſsimæ gloriæ conſtituta.Quod ſi aliquando(vt eſt hominum natura ad remiſsionem animi, & corporis ſuauitatem procliuis) alijs ſeſe voluptatibus dediderit; videte, quantum periculum ex litterarũ ſtudio Regibus impendere putent homines tolerabilius arbitrantur multi,vt in adoleſcẽtia Rex eas voluptates appetat,quæ ſatietate abijciuntur;& rationis iudicio contemnũtur; & gloriæ ſtudio repellũtur;quã eas, a quibus, propter neſcio quem ſplendorem, & honeſtũ oblectamentum,ſit abduci,& auerti difficillimum.Itaq. facilius ferendum exiſtimãt,Principem in ea ætate, quæ eſt naturæ blandimentis obnoxia,libidinis viſitata labe contaminari, quam litteris diligenter incumbere; illud enim flagitioſæ voluptatis dedecus,& admiſſe turpitudinis offenſio, facile poteſt claram indolem, ad odium turpitudinis ipſius adducere,& ad honeſtatem, & officium reuocare; at voluptas, quæ percipitur ex diſciplnis, neque faſtidio affinis eſt,nec ætate conteꝰnitur, neq. gloriæ ſtudio repudiatur; immo,ſpecie quadã gloriæ,quam oſtentat, homines magno ingenio præditos ſempiternis ſibi vinculis adſtringit,Euenit igitur,vt,qui his ſtudijs oblectatur nihil aliud agat,nihil velit,nihil amet,nihil cupiat;eoq.tantũ cogitationes ſuas conferat,vt ſummũ gradũ eruditionis obtineat. homines igitur fugiet; domi ſe quaſi carcere & tenebris incluſum continebit; omnẽ ætatẽ in otio conſumet;& languore,deſidiaq. paullatim intabeſcet. Si igitur Rex in ſtudia iſtarum incubuerit,habebit tunc miſera reſp. Principẽ philoſophorũ, hoc eſt, hominem torpore languidum;otio fractum,& debilitatum;fori,atq. lucis inſolentem;& quaſi quodam veterno vehementer oppreſſum. Vt autẽ in patris familias negligẽtis,atq. diſſoluti domo cernimus alios ſeruos ludere,alios ebrios iacere,alios tumultum commouere,& inter ſe rixari, & interim omnem rẽ familiarem diſsipari,& auerti,& inequitiã conſumi;ſic in toto regno, ſimulatq. Rex otium fuerit amplexus;neceſſe continuo erit alios in omni libidine impune voluptari; alios turbas,atque diſsidia concitare;innocẽtiũ fortunas diripi; opes regias paullatim cõſumi,atq. funditus exhauriri. Otij enim comites ſunt,languor.inertia,lentitudo,timiditas, ignauia;quæ vitia ſi in animo regis inſederint, nihil aliud reſtat, quã vt occupet animos omnium ſumma rerum deſperatio, & appropinquet communis ſalutis exitium.Cernitis iam animo,quantum malum, & quam dira calamitas vniuerſæ reip. ex nimio otio rectoris impendeat:at iſtius ſapientiæ ſtudium,ſine ſummo otio conſtare non poteſt.Accedet etiã ille ſtupor,aut immanitas,cuius fecimus ante mẽtionem. ſtudia enim iſta plerumq.ſenſibus hominem ſpoliant,& cogitationẽ a magnitudine cladis abducunt.Memorię proditum eſt,cũ M. Marcellus caperet Syracuſas, vnum fuiſſe ciuem, Archimedem nomine, ſummum Mathematicum,quem nec horriſonus armorum ſtrepitus, nec acrium militum furor, neq. fœda ſuorum ciuium cædes,neq. mulierum planctus,& eiulatus,nec omnium clamores in cælũ ſublati potuerint ad aliquem ſenſum publicæ calamitatis, & exitij perducere. Adeo namq. erat formis,quas forte tunc radio in terra deſcribebat,intentus;vt,priuſquam ciuitatẽ captam eſſe ſentiret, fuerit a milite, qui in illum inciderat,interfectus. Hinc ſatis apparet,quã vim habeãt iſtæ diſciplinæ ad ſenſus opprimẽdos,& mentem ſtupore defigẽdam.Fingamus igitur animo Regem,qui nõ ſolum mathematicus ſit,vt Archimedes;verum etiã phyſicus, &,ſi placet, etiam theologus. Si aliquis ergo rex eſſet his omnibus ſtudijs addictus;quis nõ videt, quanta ex ea tam multiplici doctrina reip.calamitas immineret?quãuis enim reſp. rueret, id certe neq. ſentiret, neque animaduerteret; nec ad ſe pertinere putaret: nec enim eſſet quidquã, quod illũ a tantarũ rerum ſuauiſsima conſideratione remouere poſſet. Si igitur, vt ſalui ſimus, opus eſt nobis ſumma Regis induſtria,celeritate,vigilantia,ſenſibus acutiſsimis,& in omnes regni partes intentis; quo modo non erit indignum,& abſurdum,Regem illis artibus infici, quæ deſidiam ingenerant,& ſenſibus omnino priuant? Deinde non venit vobis in mentem,quãta futura ſit,ſi hoc vſu aliquando venerit, vitæ communis offenſio?Sũt enim omnes, qui reliquos homines antecedũt ſapientia,vulgo ſuſpecti,& inuiſi. Exiſtimant enim plerique, ſeſe ab ijs, qui ſapientiæ opinione præcellunt,irrideri;ſimplicitatẽque ſuam illorum cauillationibus nimis obiectam eſſe,moleſtiſsime ferunt;neq. audent cũ illis contrahere, nempe a quibus inſidias ſibi fieri ſuſpicantur. Regis autem ſtatum eſſe oportet, ſuorum fide, & beneuolentia, non abſurdæ, & inuiſæ eruditionis oſtentatione munitum. Vt enim linguæ communio, vitæ conſenſio, morum ſimilitudo coniungit animos; ita ſermonis ignoti ſonus, diſpar vitæ cultus, moreſque diſsimiles omnem cõiunctionem animorum diſrimunt. Quare fieri non poteſt,vt ſit eis, qui ſibi ſapientiam arrogant, aliqua cum reliquis hominibus fidelis, atque firma conuentio. illi namque ſapientes genere orationis vtuntur, acuto illo quidem,

Otiũ quæ ęo mitantur.

dem, nobis tamen incognito, ad animos que noſtros minime permanante;nos vero vulgare,& vſitatum genus orationis ſequimur,& receptis opinionibus accõmodatum.Deinde illorum ſententia a communi hominum more, & conſuetudine vehemẽter ab horret: nos, contrà,ab illis,vt ſtulti,& inſani,conteꝰnimur, & perpetuo diſputationum conuicio laceramur.Illi vt plurimum vitam horridã, & incultam agunt, & cum illorũ ſupercilio mirifice congruentem;nos autem ſplendidæ vitæ cultu & elegantia delectamur. Cum igitur communis hominum vita cum illorum vita pugnet, & lingua linguæ diſsimilis ſit, & opiniones opinionibus aduerſentur;efficitur plane, nullã poſſe nos cum illis firmã ſocietatẽ inire,& ſtabilem amoris conſenſionem conſeruare. nos enim (vt nihil aliud dicam)homines ſumus; illi iam pridem homines eſſe deſierunt. Iccirco fit, vt nec illos aliquis noſtrorũ malorum ſenſus attingat; neque nos valde illorum ſapientiam amemus.Cum igitur iſta ſapiẽtia magis multitudinem offendat, quam voluntates alliciat;omneq.Regis ſtudium in ſuorum beneuolentia concilianda ponendum ſit; quid minus conuenit,quam Regis illius ſapientię diſcipliꝰnis inſtitui, quibus a ſe ſuorum voluntates abalienent,& ſuſpicioſas, atq. parum fideles efficiant?quid enim,queſo,populos in imperio alienigenæ Regis offendit? Quoties enim accidit,vt in aliqua regione,vel hereditario iure, vel matrimonio,vel quauis alia ratione, Princeps aliquis ex exteris gentibus ad regnãdũ vocetur; id populi ſibi pernicioſum fore ſuſpicantur.Quid igitur eos in eam opinionem adducit;vt exiſtiment ſecum peſsime agi,(quãuis id non ſemper eueniat)cum externi Principis imperium ſubire compelluntur?Diſsimilis cultus,diſſona vox,inuſitatę orationis ſtridor, horrorem quendam imperitis incutiẽs. Sic.n.natura fert,vt quilibet non modo vſitato patriæ cultu,& veſtitu,ſed etiam natiuo ſermone,aut ſaltem ſibi comperto,& cognito delectetur;externo autem,& aduenticio non mediocriter offendatur. Neſcio.n. quo modo ſonus ille ſermonis nobis ignoti, iniucundus ad aures noſtras accedit, & vocis illius genus vaſtum,(vt videtur)& abſonum,denſi cuiuſdam ſpiritus abſurditate,ſenſum audiẽdi vulnerat. Inde adeo fit,vt vix ſit vlla natio,quantumuis agreſtis,& barbara,quæ non ſibi, tam in veſtitu,quã in oratione, valde placeat, & reliquas nationes,vt barbaras,& incultas,aſpernetur. Quamuis igitur externus ille Princeps ſit in omni genere virtutis excellens,non facile poterit ſubditorum voluntates allicere;niſi corporis cultum, & ornatum mutet, & orationẽ etiam gentis illius,in quam eſt imperium aſſecutus,aſſueſcat imitari,ne ſemper alienus exiſtimetur.Si igitur tantum valet ad animos cõiungendos,idem cultus,& eadem loquendi cõſuetudo;quid tandem ſimiles mores,& inſtitu

Nationes omnes ſibi placent,alias aſpernantur.

ta perficient?&, ſi tantum momenti eſt, in leuiſsimarum rerũ diſsimilitudine, ad animos alienandos;quid erit de rerum earum,quæ vitam omnem continent,varietate, & diſsimilitudine iudicandum?At Philoſophi non modo lingua loquuntur aliena,nemo enim eos intelligit,niſi qui eſt eadem diſciplina penitus imbutus;neq. ſolum alieno, & obſoleto cultu veſtiuntur; ſed etiam ſenſu, ſententia, moribus, inſtitutis,totiusq. diſciplinæ decretis,vitæ cõmuni repugnant;& longe aliter de iure, & iniuria,de rebus honeſtis, & turpibus, de bonis deniq. & malis exiſtimant, quam reliqui hominesopinantur.Nihilq. verius eſſe ſtatuunt, quam id,quod eſt longiſsime a communi ſenſu diſiunctum.Ergo,ſi nihil eſt magis optandũ Principi,quam eſſe carum,atque iucundũ ſuis & beneuolentia vitæ ſimilitudine continetur, & diſpari viuendi ratione diſſoluitur;&,ſi conſtat nihil eſſe magis a populi totius moribus alienum,quam Philoſophorum vultum,inceſſum,non modo diſciplinam; nihil certe abſurdius eſſe videtur, quam tradi regem Philoſophis erudiendum.Deinde,quem fructum ex illis feret, quo tantum damnum compenſare queat?aut enim nimiam(vt diximus)operam in philoſophia ponet, aut eam leuiter attinget.Si nimiam operã in ea conſumpſerit,quãdo remp.adminiſtrabit? quo modo enim poterit in illo exiguo tempore,quod ei a ſtudio vacauerit,tantum munus mente,conſilio,virtute,induſtria ſuſtinere?fieri profecto nõ poteſt vt ſimul & ſtudio ſapientiæ vigilanter incumbat;& muneri,quod illi aſsignatum eſt, pro dignitate ſatisfaciat.Quod ſi tanto Philoſophię ſtudio tenetur, vt in illo ſibi ætatem conterendam ſtatuat;negligat opes; Regni reijciat honeſtatem;diſcedata dignitate;fateaturq.ſe nõ tantum animi, atq. mentis habere, vt intelligat, omnem iucunditatem, & artium liberalium cognitionem eſſe, præ Regij decoris amplitudine,cõtemnendam.Si vero Philoſophiã leuiter attingere vult,minimum certe ex illa fructum percipiet.nec enim fuit vmquam,qui mediocrem gradũ eruditionis eſſet ſine multo labore cõſecutus.Quid ergo amentius,quã Regem artibus illis imbui, quarũ ſi valde ſtudioſus fuerit, ſit ei Regis officium deſerendum;ſi vero negligenter eas coluerit,minimã ex illis vtilitatem percepturus ſit? Sed dices, det operam his ſtudijs ſaltem in adoleſcentia poſtquam vero ad rempubl.tractandam acceſſerit,ea,ſi placet,omittat. Stultum,& miſerũ, adoleſcentiæ florem in illis artibus conteri, quæ ſunt ſtatim obliuione prorſus oblitterandæ.Omnes enim iſtæ diſciplinæ, ſi non ſunt aſſidue cultæ,indefeſſoq.ſtudio retentæ, aut ſaltem ex interuallo reuocatæ, elabuntur, & excidunt. Non ita eſt, inquies: nec enim vmquam ſic elabuntur,vt non aliquæ reliquiæ ad vitam recte conſtituendam valde ſalutares, animis infixæ remaneãt. Id quidem credibile

Universidad de Deusto
Biblioteca

nō est,vt tenues istius eruditionis reliquię,nō tenuem,sed magnam vtilitatem constituant. Illud igitur sane doceri velim,quæ tanta ex artibus illis vtilitas comparari potest, vt illarū paruæ reliquiæ remp. conseruent? nam, si disciplinarum istarum leuiter impressura vestigium tantam vim habet,ad totius regni statū salutari,atque firmo præsidio muniendum;nec esse profecto est,vt earum principes sint opibus Diuinis egregie culti,summisque virtutibus ornatissimi. Illorum igitur opera facillime poterunt omnes resp.in quibus illi floruerint, rectissime constitui; & omnibus præsidijs,& ornamentis mirifice redundare. Cur igitur nō omnes ab illis,vt nobis propitij sint, supplici prece contendimus? cur illorum opē in rebus aduersis non imploramus? nam, si tā tum vtilitatis allatura est particula quædam istius sapiētiæ ad reges deriuata,vt sine illa sal ui esse nequeamus; quanta tandē erit ea vtilitas, quam ipsa doctorum hominum singularis,atque summa sapiētia,rebuspub. importabit? præstās sane,& eximia,multisq. modis admiranda. Quid,si nullam omnino opem rebus pub. attulere? quid,si vsu compertum est, eos publico luctu minime cōmoueri? quid, si etiā interdum ciuium suorum cladibus insultant? Tamen dicere licebit, istius etiam sapientiæ particulam reip.salute contineri? Vt ista sint, inquies, in virtute tamen, quam illi tradunt, omnis bene,beateq. viuendi ratio collocanda est. Age,periculū virtutis istius faciamus. Virtutis.n.est,opem afferre,pestē auertere, propulsare pericula,prodesse quā plurimis,aut salte esse de communi omnium salute, & totius ciuitatis incolumitate solicitā. At isti nec opē vllam afferunt;neq. pericula depellunt; nec vllam reip.curam pro sua virili parte suscipiūt; nec illius incōmoda ad se pertinere putāt. Magnum tamē(inquis)est,habere semper ante oculos exempla grauitatis,& cōtinētię,ad quorum imitationē mores effingas tuos. Quorsū? Vt similiter,atq. illi,simus. Omnes reip.inutiles? nec vlla illius nos, in magno aliquo discrimine cura solicitet? nec enim vlla virtus homini politico imitāda est, nisi quæ ad publicā vtilitatē cōferri potest. Quid, quod non semper philosophi ita bene morati sunt,vt illorum virtus,etiā si nullas vtilitates afferat,maghā nobis ad miratione commouere debeat? nec .n. semper illa tristis seueritas in vultu;illa frōtis contractio;ille neglectus cultus;illa moderationis,& cōtinentię signa verū loquūtur. Multæ nāq.sunt in animis tenebræ,multi recessus, quibus libidines inclusæ latent, quæ tandem erumpat foras necesse est, & in multo maius odium multitudinis incurrāt;quo sceleratius est,in magnis flagitijs cōtinentiæ laudem aucupari, quam in mediocribus vitijs simpliciter,& aperte suscepta flagitia confiteri. Nihil est enim magis odiosum,&inuisum,aut magis reip.pernicioſum, quam virtutis species assimulata. Cum vero constet,sapientes istos maxima ex parte virtutem ementiri,& ambitione interim,& auaritia,& alijs eiusmodi sceleribus,implicari;quamuis aliqui vere,& ex animo virtuti studeant,& sint in omni vita moderati; nō tanta tamē vtilitas ex bonorū exēplo percipitur,quātum ex improborū flagitio, & improbitate detrimentum. Nam, cum maiorem plerumq. vim habeat improbitas ad perniciem,quam bonitas ad salutem;tum illi, qui vitia virtutis simulatione contegunt,sunt innumerabiles;qui autem vere virtutem colūt, si cū eorum, qui simulant, multitudine conferantur,sunt pauciſsimi. Accedit,quod,cū eruditi hominis occultum, & intestinum scelus, sub virtutis ficta specie latēs,manifesto deprehenditur,similiter vocantur in suspicionē assimulatæ virtutis reliqui sapientes, qui virtutis studio flagrant. Sic autem fit,vt,ex bonorū exemplo,tenues admodum fructus excipiantur; ex malorum autem improbitate, damna quamplurima rebus communibus afferantur. Sed non laboro,quam vere,aut ficte sese in studio virtutis exerceant. sint omnes per me honestatis,& continentiæ laudes præstantes, dū modo id,quod nobis vtile futurum est,nempe virtutis exemplū publice cōstituant;quod vero nocere potest, aut saltem non est multū vtilitatis allaturum, illam videlicet admirādam naturę peruestigationem,homines a rebus gerendis auocantem, ab hominum cœtu remoueant. Nō dico,multis in locis religionem esse disputationibus eorum violatam,generosæ mentis indolem repressam,virtutis neruos incisos. id tamen dico,vt nullum sceleris, aut libidinis vestigium in illorū scriptis appareat; & multa, eaq. præclare de virtutis amplitudine,& grauitate disputent;non tamen tantum vtilitatis importabunt, virtutem summis laudibus exaggerando;quantum reip.nocebunt, Principes ab administratione reip. ea disciplinæ suauitate deducēdo. Præterea,quod ad virtutem attinet,ea,quæ docere possunt, in prōptu sunt omnibus;&, quamuis non tam subtiliter,& acute, non minus tamen commode a parentibus,& pædagogis, a viris prudētibus, qui cum Regibus assidui sunt, facillime tradi possunt. Nec enim indigemus Rege,qui virtutem acute definiat;sed qui virtutis officio strenue fungatur. Reliqua autem,quæ docti homines inculcant, multum quidem obscuritatis, & admirationis habent, vtilitatis autem parum. Vt enim nihil sit in omni rerum natura, tantis inuolutū difficultatibus,quod nō penitus videant;quid poterit ex illa naturæ cognitione ad vsum reip.transferri? num princeps quidquam ex eorum disciplina percipiet,quo vel Remp.commodius gubernet, vel hostibus acrius in bello resistat? Non profecto. Parum ne,inquis,hæc studia pulchra sunt? Sint sane, si velis etiam,pulcherrima, & iucundissima, dum modo constet, ea nullum adiumentum

Virtus specie assimulata nihil magis pernicio sum.

tum communibus rebus allatura. immo,quo magis iucunda sunt,eo magis metuēdū est,ne princeps,illorum iucūditate perfusus,sibi permissi muneris obliuiscatur. Quod si hæc vera sunt,quæ contra philosophos disseruntur, eos censeo procul amandemus,ne sese in gratiam nostri Regis insinuēt. Alibi igitur ludum aperiāt; alibi ingenij sui acumen ostentent; alibi doceant;&non vbi tantū periculum eorum opera cōflari perspicimus. Quod quidem illi, si non mentiuntur, non admodum indigne patientur. Id.n.præseferunt,& in eo maxime gloriantur,quod cum omnia humana despiciant, tum gratias Regum, atque Principum pro nihilo habendas arbitrentur. Si id igitur ita est, libēter ex aulicorum hominum turba, & colluuione semigrabunt, & Regis familiaritatē deserent;ne quidquam sit illis impedimento, quo minus omnia cæli spatia mentē peragrēt. Si vero mētiuntur,& simulant se illas opes cōtemnere,quarum insatiabili cupiditate incēsi sunt, non modo ne doctrina sua nocent, sed etiam vt impudētissimi mendacij pœnā luāt, in oras lōginquas exsilij caussa cōpellēdi sunt. Quoquo igitur modo,siue velint, siue nolint, a Regis familiaritate discēdāt. Quod si fecerint,&,ab hominū nobiliū turba segregati,vitā omnē in sapientię studio cōsumpserint, inopia,& egestate conflictabūtur. Nā,cum is,qui, vt sapientię vacare possit,omnia contemnat; nec agrum colat;neq.mercaturam faciat; neque negotium gerat vllum;neq;artem teneat vllam,qua sibi victum comparet;& id tantum vnum curet,vt simpliciter,& candide philosopheturquid aliud ei restat, quam vt extrema quadam inopia,&egestate prematur? quid igitur ineptius,quam,cū Regis officium sit, opibus suis multorū inopiam subleuare, & ea de caussa sit ei summa diligentia laborandum,vt opes ingētes habeat;eas illi artes tradere,quarum doctores inopes, & egentes sunt; an non tandē id eueniet,vt oēs opes suas imminui, & dissipari,sinat,& summa interdum inopia distringatur? Ex his,quę dicta sunt,colligi certe pōt,oēs,qui philosophiæ operā dant,aut inutiles esse,aut valde pernicioſos. Si.n.sine fuco,atque fallacijs genus illud vitæ colūt, & Philosophiæ penit° addicti sunt; quo modo laborabūt in rebus illis,aut parandis,aut augendis,atq. tuendis,quas minimi faciunt? si vero simulant se eas despicere,cum tamē earum infinita cupiditate teneātur;quid poterit illis perniciosius excogitari? cū enim ad summā improbitatē,ingenij acumen, & disciplina non vulgaris adiungitur;tāta vis mali est,vt sustineri nō posit. Quid enim excogitari potest malitia, præclaris artibus instructa,&armata valētius ad Remp.euertendam? Homo enim nequam, &improbus si fuerit disertus,& eruditus,Rēpdicendo conturbat,& ad quoduis flagitiū impellit; & maiore quodam artificio scelus occultat; & ita vulnus multo grauius imponit. manifestum enim scelus facile aditu prohibetur;at,quod improbitatis ficta specie latet,priusquam animaduerti posit, incautos interimit. Sic igitur fit,vt Philosophi simplices,& aperti,nemini prosint,& sibi noceant;malitiosi vero,atq. fraudulenti,reip.plurimum noceāt vt sibi tantum prosint. Qualis est igitur hęc sapientia,aut ad quem vsum comparanda, quæ quidē est vel in bonitate inutilis,vel in probitate pestifera? Si enim totius antiquitatis memoriam replicare voluerimus,reperiemus,ea mala,quib.maxima imperia corruerūt, fuisse magna ex parte per homines eruditos importata. Pericles.n. qui fuit auctor belli illius, qđ Athenięsiū imperiū afflixit, Anaxagoræ fuit auditor. Alcibiades patriæ pestis exstitit. Critias ciues suos tyrānide vehementer oppressit;& vterq. eorū operā dedit Socrati. Demosthenē similiter accusabāt inimici,quod caussam funesti belli ciuibus suis attulisset,qui qui dē Platonis(vt aiūt)discipulus fuit. Magnū argumentū est,non esse reip.salutare, Principes eruditos habere;quod videmus,quantam multis in locis cladē ciuibus suis attulerint Principes eruditi. Cum enim homo omni doctrina perpolitus,ad summos honores obrepit,alterutrum frequenter accidit; vt vel quæstus, & compendij gratia Remp. in fraudem conijciat;aut,sapientiæ opinione subnixus,temere de cōmunibus rebus statuat; & ita patriæ firmamēta cōuellat. Nihil.n.est magis summę temeritati finitimum,illa confidentia,quæ fere semper est cum summa eruditione cōiuncta. Quid,cum accedit eloquentia? quis tunc poterit magnitudinem tantæ calamitatis arcere, quanta rebusp.impendet? facillime namq. eloquentes homines,in quācumq. partem volūt, multitudinem imperitam vi, & impetu orationis impellunt,& in exitium,quoties illis lubet,furibunde præcipitāt. Quid illud? Nū leue argumentum est existimandum, ad eruditionem hanc a rep.repellendam,quod omnes ferme ciuitates,quæ rerum potitæ sunt, eo tempore cōciderint,quo liberalis eruditio, & philosophia, & eloquentia, & oīum artium eiusmodi disciplinæ, a paruis initijs excitatæ, ad summū peruenerāt? Reputate, quo tempore Athenięsium ciuitas imperij naufragiū fecit; quo Thebæ, Argi, Carthago, Rhodus alijque quā plurimi imperiosi populi funditus,euersi sunt;quo Roma libertatē amisit: Eo certe,quo philosophia maxime florebat, & summa eloquentia dominatum sibi in rep. comparabat. Non igitur immerito,cum Carneades,Critolaus,& Diogenes,summi Philosophi,& eloquētiæ laude præstantes, legati ab Athenięnsibus Romam missi fuissent, Cato eos statim dimittendos,& ablegandos censuit,ne nouo illo, & insolito doctrinæ politioris genere,& orationis vbertatę,& elegantia, indolem Romanæ virtutis infringerent. Metuebat enim vir prudentissimus, ne iuuētus omnē impetū animi

Malitia eloquens rempe uertit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ab armis ad eruditionẽ traduceret;&,quanto vehementius sese ad eloquentiæ studium adiũ geret,tantum de bellicæ gloriæ studio,& triũphorum cupiditate detraheret. Quod si accidisset,non dubitabat fore,vt imperium Romanum interiret. Sapienter enim iudicabat,id, quod armis, non litteris quæsitum fuerat, armis, non litteris esse retinendum. Vt autem externa linquamus; nostrorum annalium memoriam repetamus; vt videamus, quibus artibus olim Regnum Lusitaniæ creuerit. Num litteris? num philosophiæ decretis? num eloquentia? Non certe. Omnes enim tunc erant istarum artium rudes, & ignari. quinetiam multi viri nobiles,ne legere quidem sciebant. Attamen illa rudis, & inculta iuuentus,duces non eruditos, sed magnanimos, animo forti, & confidenti secuta, in omnibus bellorum tẽpestatibus inuicta permansit; victricia signa in Mauritaniam intulit; multas Solis orientis regiones armis peragrauit; immortaliaque multis in locis virtutis monumenta constituit. At his temporibus, quibus multi Lusitani sunt ita culti disciplinis,vt ad eorum laudem, qui magnum ex illis nomen, & gloriam consecuti sunt,adspirare non dubitent,vix ea quæ sunt maiorum virtute parta, retinemus. Vnde plane liquet, agrestem vitæ cultum, & infantiam,esse militaris affinem;& mũditiam & elaborati sermonis elegantiam,esse cũ ignauia,& timiditate coniunctam. Ergo,quemadmodum duris, incultis, horridis moribus imperia comparantur;ita vitæ molli cultu,& immodico litterarũ studio,imperij virtute parti opes euertuntur. Quare nescio quo modo possim eorum sententiæ repugnare, qui censent Principes litteris excolẽdos non esse,sed antiquitatis rudis,& impolitæ morib.imbuendos. Aliter.n.minime dubitãt, quin omnia ruitura sint. Est enim nobis opus impigro, & audaci Principe,laboris patiẽtissimo,ad pericula belli fortissimo, qui possit intestinum scelus ferro seueritatis exscindere,& hostium immanitatem armis,& virtute profligare. At litterarum studijs,aiunt, animos desides, & ignauos effici, multumq. de vitæ periculo cogitantes. Vt autem orationi nostræ iam finem imponã, dicã breui,quid mihi in Principe desiderandũ esse videatur. Primum quidem, opus est, vt sit acer,vehemẽs,&incitatus;ita,vt otiũ ferre nõ queat;tantoq. studio laudis incensus, vt mortem verissimæ gloriæ caussa vltro appetendã arbitretur. Deinde,illum clementia,& bonitate præditum esse conuenit; vt suorum sibi beneuolentiam conciliet,statumq. suum amore multorum,atq. fidelitate communiat. Deinde,is homo sit,qui odio, & amore acriter inciatur;vt & scelus vlciscatur, & virtutem prodignitate remuneret. Illum deniq. (ne latius, quam par est,vagetur oratio) Regẽ volumus, quem,cum opus ita fuerit,ira commoueat,cura solicitet,misericordia flectat;&a nimia interdũ seueritate ad lenitatẽ traducat;qui gazam minime compressam domi cõtineat, sed eam instrumẽtum benignitatis existimet;nec ad coaceruandam pecuniam hominum operis abutatur; sed vt hominũ saluti prospicere possit,pecuniam sibi quærendam putet; qui denique non sibi se,sed patrię natum censeat; omneq. imperij decus,& ornamentum,in virtutis amplitudine collocandum statuat. Hæ virtutes omnes,si litteris,atq. philosophia cõparantur,aut saltem adiuuantur,&augentur, nihil prius faciendum puto, quam vt regem Philosophis erudiendum tradamus,atq. committamus; illosq. e quorum videlicet disciplina tota salus Reip.pendet,patriæ parentes appellemus. Si vero (vt multi dicunt) philosophiæ studium animos otio corrumpit;si humanitatis sensu spoliat;si virtutem etiam debilitat;si vel ex arrogantia inuidiam colligit, vel ex immanitate in se odium concitat;si postremo,cũ vere ingenue colitur,inutilis est;cũ aũt ostẽtationis,&quęstus gratia suscipitur,pernicios;ita,vt merito vel cõtemptui sit,vel summi sceleris flagret infamia;nihil certe videtur esse a Regis institutione magis detestandũ. Vt igitur omnis legum, atque morum nouitas, merito semper inuisa fuit; vix enim vmquã sine pernicie reip.totius inducitur;ita hæc noua ratio Principis instituẽdi respuatur. Alijs igitur doctoribus illum Principẽ erudiẽdum tradamus;quem magnum,Regioq.nomine satis dignum videre cupimus; qui illum non argumentis obtũdant, sed clarorum hominum exemplis incendant,& ad fidem,ad iustitiam, ad liberalitatem,ad omnes lenitatis,& clemẽtiæ laudes erudiant;in eoq. neruos omnes intendant,vt Regem non modo fortem, & strenuum,sed in omni genere religionis,atq. pietatis excellentem nobis efficiant. Hæc autem doctrina magis ex Lusitaniæ monumẽtis,quã ex philosophorum scriptis,&institutis,petenda esse videtur. Nec enim Lusitani reges litteris,quibus se numquam dediderũt;sed armis, atque virtute,quã summo studio coluerunt,victorias innumerabiles adepti sunt; nec Philosophorum argutijs,sed optimis legibus, & institutis Remp. temperarunt; nec eloquentiæ ornamẽtis, sed factis egregijs illustrati sunt. Si igitur volumus,vt Sebastianus noster maiorũ suorũ similis euadat,operadãdaest,vt a primis annis equitare,venari,iaculari cõdiscat, & assidue se in armis exerceat; vt sit valetudine firmus,&exercitatione robustus,ad res animose gerẽdas alacer; ne vmquam laborem vllum honestum fugiat, aut vitæ discrimen adire,dignitatis gratia,reformidet. perficiendũ enim est,vt dedecus magis,quam mortem,& cruciatũ,exhorreat. Quod vero ad litteras attinet,legere,& scribere sciat, & aliqua ex parte Latinos poetas,&Romanã historiam attingat;ne omnino rerum earum,quæ sunt omnibus peruulgatę,rudis existimetur. Illam vero disci-

disciplinam summo studio colat, quæ iustitiã cõtinet, qua vna salus patriæ nititur. Teneat igitur patriæ leges,& instituta ciuilia,eaq. sibi perpetuo conseruanda putet; nullam Rẽp. consistere posse vllo modo statuat, in qua a legum diuinarum, & humanarum æquitate discedatur;auaritiam odio persequatur;sit acer vindex scelerum ; turpitudinem ignominia plectat;dignitatem, & honestatem debitis ornamentis afficiat. Illa tamen ei præcipua cura sit, vt Deum timeat, & tota mente in studium pietatis,& religionis incitetur. sit præterea maximus veritatis cultor, doli, atq. fraudis mimicus, & omnibus, qui mendacijs innituntur, infensus. Hæ sunt artes, quibus Dei numen placatur; & hominum beneuolentia conciliatur; hostes metu abijciuntur;vniuersaq. resp. firmissimo præsidio munitur,& florentem, atq. beatum statum consequitur. Hæc igitur omnia qui præstiterit,minime doctorum hominum scriptis indigebit. Hæc quidem mihi in præsentia occurrunt, quæ disputari a multis possunt,qui censent,philosophię studium non solum Principibus parum prodesse, sed multum etiam obesse. Si hæc igitur tu(me autem nominabat)dilueris,magno me beneficio obligabis : tuis enim argumentis instructus,ijs, quib. philosophia est odiosa, & inuisa,repugnabo. Hic Portugalensis,ridens, Quid hoc,inquit,est? Tanta vis eloquentiæ,& tãta copia latitabat inter nos, vt quasi ex insidijs homines imparatos opprimeret? Sed vnde,quæso,tam multa dicendi ornamẽta comparasti? scio quidem, te multum ingenio valere,& istis etiam studijs, quæ multi (vt inquis) vituperant, deditum esse: sed suspicari non poteram,vt tam diu,atq. tam ornate,disserores. Quod si legatio ista recens, qua Romæ perfunctus es ,te oratorem reddidit,legationem aliquam eiusmodi expugnare conabor, vt tecum aliquando certare possim. Vnum tamen in primis admirabar,quod eloquentiã parum ornasti ; cum ipse tantis illius opibus, vt ex ista oratione iudicare licet, instructus esses. Est verum,inquit Tauora ridens:nam & ego identidem, me ipsum intuẽs, admirabar, & maior quodammodo, & altior fiebam, & gaudio etiam efferebar, quod existimarem vos admiratione quadam defixos esse. Possum, ne, inquam , Tauora, abs te beneficium aliquod impetrare ? Poteris, inquit ille, omnia,quæ velis , quæ quidem præstare valeam. Peto igitur, ne ea, quæ a te contra Philosophiam disputata sunt, peruulgare velis . Si enim barbaros,& incultos homines sine litteris,sine mẽte,sine ratione, sine disciplina, qui non solum Philosophiam,sed omnes bonas artes,pessime oderunt,sustinere non possumus, quid facient, si hæc dicendi instrumenta ad eos detuleris ? si enim, cum nullo argumento vti possint , sola tamen procacitate, & petulantia satis molesti nobis sunt;quid eueniet,si argumentis istis tuis cõfidere cœperint? Certe nec ego, neq. quisquam alius, qui philosophiam laudauerit, consistere in loco poterit. Quid ais? inquit ille ridẽs: Ego ne vllam meæ dignitatis imminutionem fieri patiar? &, cũ vobis in dicendo admirabilis visus fuerim, me continebo, quin omnibus exponam orationem meam, vt sciant,quantus orator sim? quiduis aliud a me postulare, & exspectare potes, hoc vero nullo modo faciam. Nec mihi quidquam longius est, quam vt omnes amicos meos participes huius meæ laudis efficiam. Sed exspecto, quid ad hæc respondsurus sis. Hic, ego cum me ad respondendum pararem, Menesius anteuertit, inquiens: Non patiar vllo modo, Tauora, te solum eloquentiæ laudem aucupari. Certum est igitur mihi, experiri, quid efficere dicendo possim ; maxime vero,cum multa,quæ a te dicta sunt,minime mihi probaueris. Primum quidem, in eo tibi minime assentior, quod vniuersam Philosophiam vituperas: multa enim (vt te credo nosse) genera Philosophorum sunt. Antiquissimi enim toti erant in naturæ peruestigatione,& in inquirendis rerum principijs occupati;quibus successit Socrates, qui primus (vt aiunt) Philosophiam e cælo auocauit, & ad considerationem rationis, atq. mentis humanæ traduxit. Hic igitur de recta morum,& vitæ constitutione,de familiæ disciplina, de iustitiæ sanctitate, de reip. moderatione, recte, atq. sapienter administranda quæsiuit. Omnis igitur illius doctrina, minime ad ostentationem ingenij, sed ad beatæ vitæ rationem pertinebat. Ab illo autem fluxerunt multæ Philosophorum sectæ, inter se plurimum & verbis, & sententia dissidentes: quæ tamen, quod attinet ad vitæ disciplinam, bifariam distingui , atq. distribui possunt. Alteri namq. sensus eripiebant, & humanitatem hominibus detrahebant, qui non immerito a multis exposi, & eiecti sunt; alteri vero ad rectum vsum ipsarum affectionum, quæ sunt nobis a natura tributæ, discipulos suos instruebant; & illi quidem, vt opinor, Stoici; hi vero partim Academici,partim Peripatetici erãt appellati. Erat autem hæc Academicorum,& Peripateticorum disciplina sapiens,& verecunda,& multis ingenij opibus instructa, & satis ad humanam vitam accommodata. Nõ enim erant ij Philosophi, qui orbarent hominem sensibus;sed,quemadmodum sensibus vti conueniret, sapienter, & commode dissererent; non extrahebant radicitus opiniones naturainsitas; sed,in quem finem essent omnes affectiones animi referẽdæ,disputabant;nec erãt auctores stuporis,& immanitatis,sed clementiæ,& lenitatis, & moderationis, in qua vna omnem vitæ dignitatem & constantiam sitã esse statuebant; nec aliena (vt inquis) lingua vtebantur,sed vulgari, & vsitata; nec neglecto,& obsoleto cultu vestiebantur,sed eo,quo ciues

Philosophorum genera multa.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ciues suos ornatos esse videbant. Cumq. ingenio, & disciplina præcellerent, se tamen in ratione, & vestitu sui temporis moribus accommodabant; & ita se in eorum sensibus insinuabant, vt facile homines ad se amandos allicerent. Non pauci igitur ab ea disciplina principes exstiterunt, qui & bellicis artibus, & pacis ornamentis summam laudem, & gloriam consecuti sunt. Vt igitur fatear, eam philosophiam, quæ hominem humanitate spoliat, esse principibus indignam; ita censeo, illam, quæ est magistra pudoris, & honestatis, & ciuilis societatis, & bellicæ etiam virtutis, esse principibus instituendis aptissimam. Non enim lucem, & celebritatem fugit, nō famam negligit, non solitudinem, & tenebras sequitur; sed totum se dat ad erudiendos homines; & omnes ciues inter se legibus, & institutis, & fœdere societatis adstringit. Illud tamē Neoptolemi valde probo, Philosophari placet, sed paucis: nihil est enim in omni principum vita, moderatione præstantius. Te igitur, cū eas artes enumerares, quib. reges a pueritia sunt instituendi, valde admiratus sum; quod id omiseris, in quo tota boni Regis laus collocanda est. Quid illud est? inquies, Modus, & temperatio quædam, quæ si non fuerit adhibita, nullum studium, quamuis honestum, & laudabile natura sit, laudari iure poterit: omne id namque, quod modum transit, est in vitio ponendum. Recte quidem tu, atque sapienter, metuebas, ne Rex nimis studio litterarum deditus, ita earum voluptate teneretur, vt a libris auelli non posset. Quid, si aliquo alio studio nimis etiam teneatur? non idem omnino incommodum eueniet? immo multo grauius, quo magis multa ex illis studijs, quæ recensuisti, sunt ab humanitate disiuncta: hoc enim negare non possumus, studia litterarum homines etiam natura feros, & truces, ab agresti quadam immanitate traducere: vnde id euenire cernimus, vt, quo quisque magis se ad bonas litteras applicat, eo magis clemens, atque benignus euadat. Si igitur studium illud, quod ad omnem humanitatem excolit, cum immoderate suscipitur, vituperandum est; quid erit de illo existimandum, quod non ad humanitatem erudit, sed potius natura sua in animis feritatem quādam ingenerat? De palæstra quidem sileamus: nam tam indigna Regia maiestate est, vt verbis explicari non possit. Omne autem, quod maiestatis, & dignitatis non est, nullo modo censeo in Regum educatione permittendum: nisi ru fortasse pulchrum censes, Regem suorum manibus vexari, & corporis etiam totius nixu premi, & impelli, & contorqueri, atque postremo in terram proijci. Quod quidem non solum indignū est, sed etiam assuefacit quemuis hominem nobilem, Regem contemnere, quem prostrauit; vel saltem cum quo sine verecundia luctatus est. Vis præterea, vt Rex equitare, venari, iaculari condiscat, & se frequēter in armis exerceat. Quod corpus Regis his studijs exercendum putas, laudo; quod nullum illis modum præfinis, vitupero. Si enim Rex, vt primum de venatione loquar, siluas, atque nemora assidue peragrauerit, vt bestias vestigijs omnibus persequatur, summamq. laudem in illarum strage constituerit; eueniet tandem, vt Regem ferum, & agrestem habeamus, ad omnemq. Regiam disciplinam prorsus indocilem. Tales enim plerumque euadimus, quales sunt ij, cum quibus viuimus, vsque adeo, vt, si feras etiam multum sectati fuerimus, sit etiam necesse mores nostros paullatim efferari. Si Rex igitur assiduus in venatione fuerit, & multum de nemoribus, & lustris, & de ferarum latibulis, & de canibus, atq. venabulis cogitauerit; humanitatem tandem exsuet, & pro clementi, atque benigno Principe, ferum, & inhumanum se præbebit. Deinde, qui venationibus assuescunt, difficillime ab ea voluptate retrahuntur: cum vero Reges vt plurimū, sint magis voluptatibus suis obsequentes, quam reliqui homines; eueniet, si fuerint nimis dediti venationibus, vt nemo possit illos a siluis abstrahere, vt negotia transigant, & Regium munus administrent. Adde postremo falsam illam virtutis opinionem, qua sibi principes assentantur, cum fugientem bestiā persequuntur, eamq. venabulo coniecto trāsuerberant: nihil enim existimant esse sibi reliquum ad summam laudem; eamq. virtutis indolem, quæ erat studijs militaribus incitanda, in ingentis apri cæde, aut in magni cerui letali vulnere consumunt; &, quasi sit iam ab illis egregiæ virtutis signum datum, neque hostes, neque bella cogitant, nec vllum sibi trophæum proponunt, nec ad vllam laudem Imperatoriæ laudis adspirant. Quod etiam de ludicra armorum exercitatione dicendum est. Princeps enim, qui nimis diu in eo ludo versatur, præter modum durus, & agrestis efficitur; & præterea, laude gladiatoria contentus, optimi Regis laudem minime quærendā existimat. Id igitur in primis Regi præscribēdum est, ne nimis se vel in venatione, vel in armis exerceat; in omnibusq. rebus modum illum seruet, in quo tota virtutis, atque laudis præstantia cōsistit. Litterarum vero studium ita cum corporis exercitatione coniunctum esse cupio, vt neque nimium studium litterarum, sine corporis exercitatione, corpus ipsum frangat, atque debilitet; neque corporis exercitatio sine litteris animum omni humanitate spoliet. In eo vero, quod dixisti, omnem curam eorum, qui Reges instituunt, in eo collocandam esse, vt eos summo studio religionis imbuant, te reprehendere nō possum; constat enim, omnes virtutes religionis gremio, atque sinu, contineri. Sed vide, quid illis respondendum existimes, qui statuunt, esse quendam religionis etiam modum, sicut rerū aliarum; quem qui transgreditur, periculum est, (vt aiunt) ne omnia officia cōturbet. Vtar autem illorum rationibus. Qui enim nimiam operam in religione procuranda consumūt; & sic numen exhorrent, vt nihil agere, nihil moliri, nihil decernere audeant; quo modo poterunt remp. administrare? partim enim, quia nullum eis tempus a religionis cultu vacat; partim, quia, dies atque noctes attoniti, Dei metu distinentur, nullum neque publicū, neque domesticum munus obire possunt; nec vllam vitæ tranquillæ partem suscipere. nec enim acer in bello, nec in insidijs explorandis industrius, nec in agenda re familiari diligēs, nec in gerendo negotio callidus is esse potest, qui nimis est vinculis religionis impeditus: semper enim horret, & tremit, &, si pedem extra numerum mouerit, ne in grauem Dei offensionem incidat, extimescit. Quare nimiā istam religionem illis relinquendam esse dictitant, qui se totos ab hominum turba, & a negotiorum molestia, remouerunt: vt, omni cura soluti, liberius possent Deum pro omniū salute venerari. quorum quidem ego pietatem admiror, non tamen ita, vt ea Reges nostros implicari, pulchrum arbitrer. Nō enim omnes omnia decent. Quod enim vni generi hominum decus, & dignitatem adiungit; alteri insignem labē dedecoris adspergit. Si enim cantor publice clarissima, atque suauissima voce cecinerit; aut si gladiator in publico spectaculo strenue decertauerit; aut pictor penicillo, quam volet, formam expresserit; laudem certe quilibet eorum arti suæ consentaneam assequitur: at Rex, si simile quidquam designe volu erit, non mediocri ignominia deformabitur. nec enim fieri potest, vbi muneris alieni dignitatem consequi studet, vt suam retineat: ad hunc autem modum necesse est, vt, quod certum genus hominum religionis sanctissimæ sacris alligatum exornat, multum de Regis honestate deminuat. Videte autem, quo nomine laudemus eos, qui religionis gratia cœtus hominum reliquerūt: quod omnes opes, & voluptates aspernati sint, quod omnia humana contempserint, quod ad rerum cælestium cupiditatem exarserint, quod, in vita manentes, ex hac tamen vita quod amnio do excesserint, vt tota mente in cælo versarētur. Quid igitur? Feretis ne vos Regem, qui lucem hominum, atque celebritatem vitet? qui opes omnes aspernetur? qui sensus humanos repudiet? qui neque negotium vllum ita gerat, vt appareat eum animo præsentem esse, neque casus humanos ad se pertinere arbitretur? Nullo modo. Qui enim cunctas opes humanas despiciunt, quo tandem modo, atq. ratione, res humanas moderabuntur? Et, qui homines fugiunt, quo pacto hominibus imperabunt? Quapropter non modo erit hæc nimia religio parum decora Regibus, sed etiam periculosa, & infesta. Quoties enim ei religio oblata fuerit, quod fæpenumero illis euenire necesse est, qui valde superstitiosi sunt, hærebit, & titubabit, & implicabitur, nullumq. exitum inueniet, Si vero belli motus increpuerit, quo animo se ad bellum cōparabit is, qui omnia, propter quæ homines inter se bella gerunt, despicit, atque contemnit? Nec enim, vt gloriam quærat, quam valde negligit; nec vt vectigalia tueatur, quæ minimi pendit; nec vt iniuriam persequatur, in cuius oblitione pietatis summam ponit, bellū animose suscipiet; neque is erit postremo, qui, cum omnia agi, atque ferri viderit, id admodum moleste patiatur, cum nulla grauis cura animum illius perturbet, qui supera tantum, atque diuina spectat, neque est magnopere de commodis huius vitæ solicitus. In omni igitur negotio, siue ad iuris administrationem, siue ad belligerandi rationem pertineat, ita superstitione conflictatus hærebit, vt nihil expedire possit. sic autem, dum, iniectis animo scrupulis, nihil explicat; & recēs aliquod negotium, negotijs vetustis adiungitur; & aliæ res expediendæ, alijs vel neglectis, vel impeditis, accumulantur; tanta multitudine negotiorum obruitur, vt omnem curam reip. constituendæ, desperatione fractus, abijciat. Et re uera, quid quid pigritiam Regibus affert, in summis est malis numerandum. Id enim est, quod vires animi frangit; corporis valetudinem, atque robur debilitat; maiestatem Regis imminuit; veterem disciplinam corrumpit; iuuentutem luxuria, atque delicijs effeminat; hostes feroces, & infestos efficit; omniaque tandem firmamenta reip. labefactat. Cum vero nimia religio causſam huius inertiæ, atque pigritiæ afferre videatur; minime mirādum est, si homines, cum principes suos nimia religione teneri, & impediri perspiciunt, id molestissime ferunt, & de illorum superstitione assidue cōqueruntur. Quid igitur? inquies, tu Regium esse putas, religionem negligere? Minime vero. Christianus enim sum; nullumq. tā immane facinus esse puto, quod sit aliqua ex parte cum religionis negligentia comparandum. Illud tamen dico, quemadmodum rerū aliarum, ita & religionis esse modum: quem qui transgreditur, similiter est in vitio, atque si nimis timeret, aut nimis auderet, vel nimis amaret, vel odio nimis duceretur, vel ad rem nimis attentus esset, vel nimis in re familiari dissolutus, vel denique (ne omnia persequar) in aliqua re medium illud minime teneret, in quo est tota virtutis ratio constituta. Placet enim in primis Horatianum illud:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos vltra citraq. nequit consistere rectum.

Vt igitur facinus est infandum, religionem spernere; ita non leue flagitium principis esse multi iudicant, immodica religione distineri. Illi quidem, quibus hoc vnum munus assignatum est, qui, ne quid aliud facerent, sese ab hominum

Moderatione nihil præstantius.

Litterati, clemētes, atque benigni.

Reges, pigri non sint.

Sat. 1. lib. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

minum multitudine segregarunt; eo conatus omnes comparent, vt summo studio res diuinas peragant,totoq. animo in religionem incumbant; ita tamen, vt modum etiam,quem debent in genere suo conseruare, prudenter adhibeant. At Rex,cui tantum munus impositum est, vt infinita prope negotia in Regni procuratione sustineat, cum diei principium fuerit a modicis precibus auspicatus,re diuina per sacerdotem rite peracta, statim se ad res strenue gerendas accingat;intelligatque, vitium minime ferendum Principis esse,a negotijs publicis obtẽtu religionis auocari. Caueat deinde, ne, dum alienum officium exsequitur,& suum negligit,vtrumque peruertat. Omnis enim Reip.interitus,in munerum perturbatione cõsistit. Dum enim quilibet suum negotium non facit,sed alienum officium, atque munus vsurpat,nihil recte,nihil ordinate fieri potest;sed, omnia perturbari, & commisceri, necesse est,& ita tandem Remp. fractã, atque dilaceratam discordijs extingui. Vt enim sutor artem suã tueri minime poterit,si simul tonsor esse velit;neque rursus tonsor in arte sua commode versari, si simul calceos facere discat; & similiter in reliquis eiusmodi artificijs, qui, neglecto suo, alienis operam dat, omnes, quantum in se est, illas artes, in quibus sibi elaborandum esse putat, euertit: ita in publicis muneribus, qui plus vna fungi cupit, & plura onera subire non dubitat,oneribus ipsis cum magna Reip.pernicie succumbit. Itaque pessime agitur cum Repub. in qua miles officium mercatoris vsurpat,& imperator cum publicanis societatem coit, & scriba exercitum instruit;& denique,ne plura recenseam,tanta temeritas,& insolentia in Rep.dominatur,vt quilibet eorum,qui certo muneri præest, officio suo minime contentus, reliquos magistratibus suis pellere nititur, vt ipse solus omnes administret.Multa enim tũc incommoda reip. subeunda sunt: Primum enim natura humana non patitur,vt vnus homo ad multa simul natus,& aptus sit.Deinde, in eo tantum munere versari possumus, in quo multum operæ, & studij consumpsimus. Deinde, vt simus ad omnia nati, & in multis artibus diu atque vehementer exerciti,quod fieri non potest, vt id tamen fieri possit,negotiorum multitudine distentus animus, nullũ poterit feliciter expedire,cum in nullo queat tota mente versari. Multa igitur male gerat, opus est,qui multa simul gerenda suscipit.Ergo, cum aliquis multa simul onera sustinere vult,suum officium non facit,& aliena contur bat,officiorumq. omnium rationem,& ordinẽ peruertit. Graues deinde offensiones excitantur,cum honoribus digni, quorundam impudentia,qui sibi omnia sumũt,ab omni reip. administratione repelluntur: tum quod est necessario consequens,ciuiles discordiæ, atq. pestiferæ dissensiones oriuntur. Postremo chaos illud antiquum, a viris olim eruditis excogitatum, existet,cum omnia, quæ erant distincta locis, designata ratione, & modo, atque ordine distributa,quorundam hominũ auaritia,temeritate, & ambitione inuersa, perturbata,& confusa fuerint. Ergo,cum tantum malum officiorum confusio communibus rebus importet; quid fieri poterit amentius,quam, regem, quasi minimum sibi negotium datum sit,alienis negotijs,atq. muneribus implicari? Quod si negotium aliquod est, nimis ab officio Regis alienum; id videtur multis esse,quod ad religionum curam,atque moderationem pertinet. Si igitur Rex nimio studio religionis negotia tractare cœperit, Remp.pro dignitate tractare nõ poterit: religionis igitur negotia, religiosis hominibus administranda relinquat;ipseq. munus sibi commissum vigilanter administret;intelligatque, Regis religionem præcipue in hominibus benigne audiendis, in negotijs strenue conficiendis,in bellis fortiter administrãdis, in beneficijs large,atque munifice (si constiterint merita)conferendis,collocandam esse. Illa namque sanctissima religio habenda est, quæ in proprij cuiuslibet muneris, & officij perfunctione consistit. Rex igitur,qui officio suo egregie functus fuerit,non multum certe hominibus religioni consecratis de sanctitate concedet.Secus autem,si se nimium eorum rebus immiscuerit, & ad eorum instituta penitus cognoscenda mentem, & intelligẽtiam conuerterit; propriam Regis sanctitatẽ conseruare non poterit.Hæc quidem sunt, quæ a multis hominibus, prudentia, & auctoritate præstantibus, disputari solent,qui de inimodica principum nostrorum religione assidue conqueruntur. In eo vero,quod dixisti,ad Regis officium pertinere,leges, & instituta ciuilia nosse;velim intelligere,quæ sit tibi mẽs, & sententia. Num putas,Reip.Principem esse disciplina iuris ciuilis imbuendum;vt,quasi quidam leguleus veterator,& callidus, formulas actionum componat, & cum ijs, qui iuris prudentes haberi volunt, acute disceptet? Quid est autem,quæso, quod magis dignitatem illius deminuere,aut bonignitatem depraũare possit illa scientia? quam qui profitentur, in rerum minimarum studio versantur; & lites acri contentione persequuntur; & summam disciplinæ suæ laudem in malitia, & fraude constituunt. Is enim summus iurisconsultus habebitur, qui facillime potest acumine suo leges ad libidinem suam interpretari. Cum igitur abeant studia in mores, (vt inquit ille) si Rex fuerit eorum disciplinis eruditus, necesse erit,vt illorum argutijs,& subtilitate delectetur;vt studia belli, & ornamẽta pacis omittat; vt quo iure, quaue iniuria lites subditis suis intendat; vt ita in iudicijs prauissima ratione dominetur. Regem igitur habebimus animo minuto, & angusto, rem suã litibus, atque

Rex religiosa religiosis relinquat.

Studia in mores.

[illegible] m; omnem mentem [illegible] hil igitur mi[illegible] artibus infici, quæ vel Regium illius animum ab amplissimarum rerum cogitatione ad minimarum studium traducant; vel naturam illius simplicem, atque benignam, malitiosam, & sordibus auaritiæ contaminatam reddant. Quare,si fieri potest,istis Iureconsultis aditũ ad Regem præcludamus, ne illius bonitatem aliqua contagione insitæ prauitatis inficiant. Nec enim pertinet ad Regis officium ius dicere,sed eos iudices dare, qui vere,& incorrupte iudicent; nec ingenij acumen in explicatione dubij,& controuersi iuris ostentare;sed in eos,qui leges a vero sensu detorquent,animaduertere. quod quidem non tam iuris disciplina,quam recto mẽtis iudicio,& diligenti rerum examine confici potest. Quidquid enim simplex,& rectum est,& diuino,& humano iure sancitum,facile in mente cuiusuis hominis benigni,atque prudentis insidet: quod autem est callidum, & fraudulentum, natura respuitur, neque potest vllo modo stabilem sedem in sensu bonæ mentis habere. Quod si tamen existimatis non ita commode posse Regem in improbos vindicare,nisi fuerit aliquo modo, & ratione,disciplina iuris ciuilis institutus; non valde repugnabo: dum modo illa moderatio conseruetur,quam in omnibus studijs Regibus maxime retinendam censeo, in hac arte præsertim, in qua plerumq; cernimus, nimium illius studium esse pestiferum. Qui enim mediocriter eruditi sunt, non tantum habent artificij, vt legum simplicitatem varie flectant, & huc & illuc ad libidinem suã contorqueant. At,qui magnos in hac disciplina progressus habent, hoc sunt artificio summo consecuti,vt,quidquid velint,legibus omnibus decretum esse disputent,& in quamcũque partem se conferunt,pro se iura omnia facere defendãt. Vnde colligitur,nimium iuris ciuilis studium esse fallax, & litigiosum, & infestum, & ipsius iuris, & æquabilitatis inimicum. & reuera iuris, & æquitatis ratio sic est communibus sensibus infixa,vt nemo sit(dum modo aliquid valeat ingenio, & mentem cupiditate cæcatam non habeat) qui non, mediocri disciplina adiutus; facillime possit, quid iustum,& æquum sit,mentẽ, & cogitatione percipere. Qui igitur totam ætatem in iuris studio conterunt, non tantam operam in eo posuissent, si bonum, & æquum tantum in iuris ciuilis explicatione spectarent: quod quidem in promptu est, & facile cognitione comprehenditur; sed id agunt,& moliuntur, vt rebus clarissimis tenebras offundant, vt ipsi in maiore honore sint,si visi fuerint in arte difficillima versari,& facilius possint,ostentatione disciplinæ subnixi, hominib. imperitis illudere, & ad emolumentum, & quæstum omnia iura reuocare. Itaque ea,quæ posita,& firme constituta erant, cum lubet,reuellunt; quæ vero erant sublata,reponunt; quæ contexerant,retexunt; & vim rebus optime cogitatis,& sancitis intendunt,inuertunt, & immutant;fraudes,& insidias concinnãt; atque,nimia plerumque subtilitate,perficiũt, vt,quod iustum,& pium est, iniustum, & nefarium esse videatur; &,quod nefarium,& impium est,debitum,& pium officiũ existimetur. Vnde concludi potest, quidquid est in studio iuris ciuilis acutum,& subtile nimis, varijsq. difficultatibus implicitum,esse fraudulentum, & perniciosum, & ad hominum vitam peruertendã, improborum acumine comparatum; & ea de caussa a Regum disciplina, & institutione maxime detestandum. Illa autem mediocris iuris cognitio, quæ Regibus vtilis est, facile ex negotiorum incidentium multitudine, & ex doctorum hominum vsu,atque sermocinatione comparatur. Non est igitur opus, vt Rex disciplinam istam ex libris hauriat; sed eorũ mentem,qui in illa sunt cum laude versati,diligenter inquirat; eamque sententiam magis comprobet,quæ non tã subtilis est,quam æquitate nixa,& legi sempiternę,quam animis incisam gerimus,accommodata; nec enim Regis officiũ est, iudicijs præesse; sed iudicibus, qui leges venales habent,pœnas,quas merentur,imponere: quod quidem non magnam iuris cognitionem, sed magnum animum,& vigilantem,& studio publicæ vtilitatis incensũ requirit. Nec illud quidem prætereundum est se videtur,quod dixisti,Regem esse debere veritatis obseruantissimum. Fateor equidem,facinus esse, plerumq. mentiri,fidem datam fallere,& in condicione,atque pacto non manere; sed incidunt sæpe tempora, in quibus non possis stare promissis,sine magno Reip.detrimento: tunc igitur,Rex aut Reip. curam abijciat,opus est;aut multa subdole, atque versute moliatur. Scitum est enim illud Lysandri dictum, cum illi quidam exprobraret nimiam in gerenda Repub.calliditatem,diceretq. minime conuenire illis, qui essent Herculis satu procreati,mentiri: Immo sane, inquit ille ridens: nam Hercules ipse hoc primus excogitauit, vt,quoniam leonis pelle totum corpus tegere non poterat, vulpis pellem assueret. Hoc autem ille non modo dixit,sed etiam præstulit; neque quidquam genere suo indignũ existimauit,quod ad augendam Remp.pertineret.

Iuris ciuilis nimium,studium fallax.

[illegible] Patriæ caritas maxima.

Quamquam multi Reges id non tam patrię amore,quam suæ dominationis augendæ caussa faciunt: & tamen, mentiendo, non solum nullam infamiam suscipiunt; verum etiam, simul cum virtutis, & industriæ fama,ingenij,atque prudentiæ laudem

Universidad de Deusto
Biblioteca

dem consequuntur. Illi vero, qui, ne fidem fallant, imperium augere nolunt, vt stulti, & nimis simplices irridẽtur. Infinitum esset, si vellem recensere Principes, hominum eruditorũ monumentis celebratos; qui multo plures nationes dolis, & fraudibus, quam aperto Marte sub imperium subiunxerũt. Vt enim quisque eorum maxime ingenium ad malitiam acuebat; & sine vllo respectu ad fidem, id tantum, quod sibi vtile futurum esset, acutissime prouidebat; ita maximas opes sibi, cum amplitudine nominis, & gloriæ, cõparabat. Sed, quid est opus nimis antiqua referre? Repetat animo, qui volet, quot bella nostra memoria inter Christianos Principes mota sint; quoties indutiæ factæ, aut pacis fœdera sancita. At, quamdiu fœdera valuerunt? tantisper certe, dum fœderis religionem vtilitatis ratio confirmauit. at, vbi primum aliqua ratio vtilitatis, cui pax impedimento fuisset, obuersabatur, omnem repente coniunctionem species vtilitatis oblata dirimebat. Non loquor de fide Punica, non de Turcarum perfidia, non de Tyrannorum immanitate: quorum imperiũ est fundatum scelere, nixum mendacio, fraude, atque periurio stabilitum: de Principibus Christianis loquor, & de ijs Principibus, quorum nomen haud est aliqua impietatis infamia maculatum. Si enim videritis, quo iure multi ex illis in alienas vrbes inuaserint; qua mente fœdera violauerint; quo impetu contra interpositã fidem armis in alinas opes inuecti sint; intelligetis plane, Regem, omnem fidei religionem vna vtilitate metiri. & tamẽ in ore hominum sunt, & eorum nomẽ per omnes regiones cum omnium admiratione pernagatur: quod tamen minime probo, neque mens mea, cum multitudinis amentis opinione consentit. Illud tamen dico, eos Principes, qui, cum Reip. salus postulauerit, fidem datã neglexerint, summis esse laudibus efferẽdos. Si enim propriæ vtilitatis ratio facit, vt fides sine dedecore a Regibus violetur; quid eueniet, cum patriæ salus, atque dignitas eos ad fidem frangendam impulerit? Quamquam ij, qui ea gratia fidem non seruant, vt patriæ suę consulant, non fidem produnt, sed inuiolatam conseruant: magis enim fidem patriæ obligatam habent, quam illis ipsis, cũ quibus fœdera percusserunt. Is igitur, qui cum patriæ peste, atque pernicie fidem seruandam putat, multo maius in se perfidiæ crimen admittit, quam si fidem omnibus fœderibus obligatam violaret. Perfidus namque is maxime putandus est, qui Reip. [illegible] negligit; negligit porro salutem Reip. qui [illegible] tur, cum illam fidei con[illegible]

ciosam sore videt.

Quemadmodum igitur de religione diximus, ita censeo de veritatis, atque fidei studio dicendum; esse modum illum principibus in studio veritatis adhibendum, ne, dum fidei gloriam quærunt, nomen prudentiæ, atque sanitatis amittant. Illud igitur, (Nihil nimis) quod vitã omnem continet, est etiam in fidei conseruatione retinendum: ne videlicet, dum fidem alienis seruamus, fidem datam ijs, qui in nostra tutela, atque prędsidio latent, nefarie violemus. Vt autem omnia breui comprehẽdam, ita Regem venationibus oblectari volo, vt non ferus, & agrestis euadat; ita armorum studio teneri, vt non proxime ad naturam gladiatoris accedat; ita litteris operam dare, vt non otio, atque desidia languescat; ita religionem colere, vt superstitione minime conflictetur; ita iuris ciuilis cognitionem capere, vt a iuris consultorum fraudibus vehementer abhorreat, ita fidem conseruare, vt, id cum communis vtilitas flagitauerit, fidem violare non dubitet; & in omni denique vitæ officio, illam mediocritatem tenere, in qua quidem omnẽ Regni sapienter administrandi rationem collocandam arbitror. Itaque is, meo quidem iudicio, erit princeps omni laude cumulatus; qui in omnibus studijs, & cogitationibus suis, & in omnibus officijs, in omnibus deniq. reip. partibus administrandis, modum, & ordinẽ tuetur, nec vmquam a rationis moderatione recedit. Cum igitur multa Tauora noster de Regis institutione præclara dixerit, id sane sum admiratus illum omisisse, quo omnis Regia disciplina continetur. Hæc cum Menesius peroraſſet, sum sane conturbatus, quod erat mihi simul & Tauora refellendus, & Menesij etiam tam diligens, & tam accurata oratio disputatione refutanda. Sed, cum Solis ardor nos iã, vt inde abiremus, admoneret, & Georgius Bethlehemiticus, vir & litteris, & religione insigni præditus, & mecum amore non mediocri coniunctus, ad prandium vocaret; factum est, vt Tauora, atque Menesius, in villam Emmanuelis Portugalensis, cum Francisco Portugalensi discederent; ego vero in religiosorum triclinium cum Georgio me conferrem. ab illis tamen postulaui, vt post meridiem in eundem locum conueniremus, vt possem, refrigerato iam Solis ardore, liberius ad omnia, quibus in me fuerant inuecti, respondere.

Venatio, Arma, Litteræ, Religio, Ius ciuile Regi conueniunt.

HIERONYMI OSORII LVSITANI

DE REGIS INSTITVTIONE, ET DISCIPLINA

LIBER SECVNDVS.

EODEM igitur die post meridiem, vt fuerat inter nos constitutum, in eundem locũ venimus; atque, postquã consedimus, ego sic fermonem, ad quem iam paratus veniebam, institui. Non possum satis statuere, an maiorem ex orationis vestræ elegantia voluptatem acceperim, an ex necessitate, quæ mihi imposita est, respondendi, molestiam. Elegantia enim, & copia tanta fuit, quãtam in hominibus nostris inesse numquam suspicari potuissem; necessitas autem, quæ me premit, ea est, vt, nisi vestræ exspectationi satisfecero, sit mihi infantiæ dedecus subeundum; in tali præsertim causſa, in qua non sit mihi solum pro mea existimatione dimicandum; sed patrocinium etiam philosophiæ suscipiendum, ne vllo modo a Regis familiaritate repellatur, & a Regni finib. exterminetur. Et, quoniam non omnia, quæ dixistis, mihi refutãda puto; (multa namque sane prudenter attulistis, quæ multa Regiæ virtutis ornamenta continent) ijs tantum, quæ Regiæ amplitudini obstare videntur, repugnare contendam. Sed, vt id commodius fieri possit, principio altius repetito, sermonem exordiar. Primum igitur quærendũ est, sit ne aliqua disciplina, qua institui, & informari debeat is, ad quẽ omnis reip. moderandæ potestas deferẽda est; an nulla omnino sit. Si nullam esse dixeritis, vehementer admirabor. Quid enim magis absurdum est, quam, cũ ne faber quidem vllus esse possit, nisi prius multam operam det artifici, qui artificio illo præcellat; existimare, solum Regis officium, sine vlla ratione, atque disciplina constare? Num Regis munus est ludus quidam, ad quẽ sunt principes sine vlla doctrina perducendi? an illud potius, quo nullum aut grauius, aut amplius excogitari potest? quid, quod ne in ludo quidem poterit aliquis concinne, & eleganter sine aliqua disciplinæ ratione versari? nec enim pila ludere, neque choros ducere, neque personam agere, neque ludicrum aliquod munus exercere, quisquam venuste potest, nisi id multo ante didicerit, atque meditatus sit. Ita ne vero? ludos spectare non possumus, nisi fiant ab hominibus ludendi artificio peritissimis; Reip. vero totius tuendæ curam, homini totius artis ignaro, & imperito committemus? Et eum, qui sine Musicæ disciplina psallere studet, vt hominem insanum, explodendum, & eijciendum censemus; eum autem, qui sine aliqua doctrina id sibi sumit, vt populos imperio contineat, & remp. ab omni calamitate tutam conseruet, tolerandum existimabimus? Et, cum ne Regi quidem in aula Regia inter familia res, atque domesticos, diebus festis, vt fit, saltandi gratia, e solio surgere liceat, nisi ad illud saltationis genus multis ante diebus fuerit eruditus; imperium administrandum, & vniuersæ Reip. pondus sustinendum, illi sine vllo metu permittimus, qui non diu fuerit in hac tanta, atque tam difficili arte versatus? Quid tandem, quæso, periculi est, si Rex saltat parum decore? Risum certe faciet. Recte sane, id ne accidat, præcauetur. nihil est enim in Rege ferendum, ne in ludo quidem, quod non aptum, atque decorũ sit: at, si Remp. parum apte, atque decenter administrauerit, hostibus quidem risum mouebit; suis vero, vniuersæq. reip. perniciem, & interitum cum multis lacrymis importabit. Quid igitur minus conuenit, quam in re ludicra, quam certe ignorare minimo cum periculo licet, cauere diligentissime, ne Rex extra numerum pedẽ moueat: in re autem maxima, & amplissima, in qua sine totius Reip. periculo peccare non licet, non maximam diligentiam adhibere, ne quid Rex contra præscriptionem rectæ rationis efficiat? Cũ enim omnis stultitia periculosa sit, tũ Regis amentia non vni tantum homini, neque paucis, sed toti Regno periculum extremi dedecoris, & euersionis intendit. Et, quamuis nullum aliud periculum impenderet, nisi illud, quod est in imperij contemptu, atque negligentia constitutum; id tantum est, vt totam Remp. euertat. Nulla enim Resp. nulla multitudo, neque domus quidem vlla, sine imperio cõstare potest. Vbi igitur imperium negligitur, necesse profecto est, vt omnes opes Reip. dilabantur. At sic est in more positum, vt, quemadmodum in morbo medicis peritis libentissime paremus, imperitorum autem iussa contemnimus; sic in Rep. illius moderatoris imperio, quem, quid nobis expediat, acute perspicere iudicamus, libenter obtemperemus; Principis autem stulti præcepta negligamus. Nec enim quidquam minus ferendum arbitramur, quam eorum, qui rerum potiuntur, insaniam. metu igitur interdum coacti, non iudicio rationis impulsi imperata conficimus. nihil autem, quod mo-

Nihil sine imperio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tu,atque minis expressum est, poterit esse diuturnum. Cum igitur id euenerit, vt neque Rex, quid optimum factu sit, propter amentiam explicare possit; neque subditi id, quod ille decernit, Reip. expedire putet; consequēs est,vt imperiū illius contemnatur,& oīs Resp. perturbetur. nihil est. n. oībus Rebus p. magis infestum,quam Regis amentia. Numquam ne legistis apud Poetas, quantā inflāmatione ter ris attulerit Phaethon, Solis filius, cū a patre impetrauit, vt vice illius vno saltē die lucem terris diffunderet? nō igitur solā,vt perhibēt, oēs terras, & flumina,& fontes flāmis exussit, sed ipse tandē fulminis incēdio conflagrauit: Non aūt existimetis fuisse hāc fabulā ab hominibus sūmo ingenio,& eruditione præditis remere conficta: hoc enim significare voluerūt; rerum omnium interitum fore,cum potestas regendi, atque moderandi immoderatis hominibus; & huius tam præclaræ artis ignaris concessa fuerit. Qui enim se ipsum regere nescit,quo modo populum vniuersum reget? qui nullum modum in vita seruat,quo tādem modo multitudinem continebit? qui ius, atque leges ignorat,quo iure Remp. vniuersam deuincier? qui denique tenebris oppletus est, quo pacto lucem ciuibus suis afferet? Reliquum igitur est,vt,cum in Regiam sedem,tamquam in currum Solis ascenderit, vt Remp. vniuersam Regio lumine collustret; non solum tenebras minime dispellat, sed etiam sibi,& Reip. tenebras offundat, & pestem, & exitium machinetur. Et,quam nam aliam esse caussam putatis, cur in tam multis ætatibus, tam pauci Reges exstiterint Regis nomine digni, nisi quia difficillimum est, Regem sapientem inuenire? Cum id autem diuinitus alicui nationi concessum fuerit, vt Regem sapientem habeat;& ipse Rex amplissimum, ex moderatione sua,virtutis, & sapientiæ suæ fructum perci piet, & populus vniuersus omnibus bonis, illius opera,atque benignitate, circumfluet. Secus autem,cum Rex insipiens est,multa temere statuit; multa negligenter, atque dissolute gerit;multa furenter administrat;multis in locis vel Remp. sine caussa in extremum crimen salutis inducit; vel, immemor laudis, & dignitatis, dum nimis otio consulit, cum interitu dignitatis, & otium, & omnes opes amittit. Nec enim tenet vllam rationem vel pacis seruandæ,vel belli gerendi; sed, quocumque eum furor impellit, eo se confert; &, quorsum ea, quæ molitur, & efficit, euasura sunt, minime reformidat. Sed multa fortasse verba in hac parte confirmanda feci. nec enim negari potest, esse disciplinam aliquam, qua futuri Reges instrui debeant,antequam ad Remp. tractandam accedant. Restat igitur,vt videamus quæ nam tandem illa disciplina sit. Ea,ne,quæ in Regum filijs educandis increbuit? Si eā probatis,aliam non requiramus. Vultis igitur inspiciamus a capite,quo modo Regum filij nutriantur, aut quibus disciplinis informentur, vt tandem ad summam amplitudinem Regiæ maiestatis adspirent? Tuo id quidem arbitratu, inquit T. nec enim tibi præfinimus,quo minus oratio tua libere vagetur. Recte,inquam, facitis: hærebit enim oratio, si certis legibus fuerit adstricta: reputemus igitur animis,quo modo Principes educantur, vt ex ea educatione diligenter notata,& animaduersa,scientiā si possumus,institutionis Regię faciamus: sed, antequam in eam dīationem ingrediamur, pauca quædam de hominum natura, atque vita communi dicenda sunt. Omnis homo in vita instituenda aut rationem sequitur, aut cupiditatem. Ratio, est naturæ lex animis inscripta,a turpitudine,& exitio deterrens,& honesta, atque salutaria præscribens. Cupiditas, est appetitus vehemens, ratione vacuus, ad flagitium, atque perniciem furibunde solicitans. Hæc autem cum sit multiplex, & varia, & sibi dissimilis, & infinita, omnes tamen illius motus ad duo capita reuocari possunt; quorum vnum est Ira, alterum autem Libido. Ira quidē,est acris animi vis,specie ꝺ decoris, & contumeliæ vehemētius ad vindictā concitata. Libido vero, est cupiditas immoderata corporeæ voluptatis,& earum rerum, quæ ad eā voluptatem cōferuntur. In ira igitur nō solū vlciscendi libido,verum etiā,quod est cōsequens,immoderata laudis appetitio continetur. Qui. n. cōtumelia offenditur,necesse profecto est, vt cupiditate laudis teneatur. Libido aūt cōtinet in se fraudis,& auaritię principiū, flagitiorūq. oīum seminariū. Vtraque aūt vis, tā ea,quæ studio honoris, & dignitatis animū solicitat,q̄ quę cupiditate voluptatis inflāmat rationi subiecta est,secundū naturā;& tamen cōtra naturā in animo sæpe dominatur. Rōni. n. quæ natura principatū tenet, hoc munus assignatū est,vt irā,atque libidinē,& oēs motus qui ex illis oriūtur,in potestate cōtineat. Contra vero,cupiditates vehementius incitatæ se inferunt,& intrudūt,rōnemq. ad se oībus modis pellicere cōtendūt, illiq. tandē persuadēt, non posse eā officio suo fungi,beataq. vitæ statū adipisci,nisi illis fuerit obsecuta. Hinc colligi pōt,quod sit adulationis initiū,atque fundamentū. Dum. n. hinc honoris ambitio animū stimulat, & inde voluptatis effrenata libido eundē inflāmat,& vtraq. pars in eo pugnat,vt rōni aduletur,operāq. suā ostēdat;atq. pollicetur,se effecturā,vt animus affluat bonis oībus, quæ necessaria sūt ad vitā in summa iucūdita te traducēdā: fit tandē,vt rō,dū ancillis nequissimis auscultat,de statu suo cōcidat,& illarum dñatu turpiter opprimatur. sed de adulādirōne,& artificio postea disseremus: nūc vero in stitutū perseqnamur. Cum igitur ratio non refrenat cupiditatem,neque motus animi regit sed cupiditatis immoderationi succumbit; fit, vt omnes homines, in quibus cupiditas omni vinculo soluta dominatur, omni se flagitio contaminent; ita tamen, vt alij alijs vitijs magis affines sint. Quidam enim, qui clariori indole prædi ti sunt, honoris,& dignitatis ambitione vehementius efferuntur, illius gratia scelera infinita pferumque suscipiunt. Quidā vero, qui magis ad quadrupedum naturam accedunt, voluptatis, aut pecuniæ cupiditate furentius incitantur; & illius caussa similiter fraudes, & insidias, & innumerabilia flagitia moliuntur. Ex his,quæ dicta sunt, concludi potest, triplex genus hominum in vita reperiri: alij namque homines, qui quidem sunt paucissimi, omnia officia vitæ ad rectam rationē dirigunt; alij deinde, ambitione præcipites, ad inanis gloriæ studium rapiuntur; alij postremo in omni genere sordium impurissimè volutantur. Hæc cum ita sint, quæro a vobis, quem Regem habere velitis: eumne, qui totus sit in libidinis impurissimæ dominatu? qui die Solem non adspiciat? qui noctes in nequitia consumat? qui opes, & honores, virtuti,& industriæ debitos, ad libidinum ministros deferat? qui, vt omnia hominibus improbissimis condonare possit, subditos spoliet, domos exhauriat, prouincias nudas, & inanes relinquat? qui denique,Sardanapali vice,laudem, & gloriam contemnat, omnemq. beatæ vitæ rationem in luxuria immensa constituat? Deus, inquit Portugal. auertat. Quem nam igitur, inquam? Illum, qui infinita dominandi cupiditate flagrans insaniat? qui nullam fœderis religionem, quam suæ ambitioni obstare perspexerit, obseruandam putet? qui bella iniusta,& sibi, atque suis plerumque perniciosa, suscipiat? qui populos sibi subditos, partim intolerabilia tributa imperando, partim omnes immodicō labore fatigando, cōficiat? qui postremo, popularis gloriæ caussa, quoties illi in mentem venerit, Remp. vniuersam in extremum discrimen salutis adducat? Ne illum quidem, inquit M. Restat igitur (inquam) vt illum Regem optetis, qui non solum libidinem coerceat,& voluptates noxias aspernetur; verum etiam studium gloriæ ratione temperet,& iram singulari moderatione cohibeat; neque animum suum vllo motu de statu conuelli, aut mentem tenebris obscurari patiatur. Is enim solus est, qui non temeritatem, & amentiam, sed optimam viuendi rationem sequetur, & pacis, atque belli tempora moderabitur, & Remp. præclare constituet. Si suffragijs, inquit M. res agitur, dubiū non est, quin hunc potissimum Regem creaturi simus. Non igitur (inquam) eos, qui vel irā sine ratione commouentur, nec eos, qui libidini penitus addicuntur; sed illos, qui omnia ratione moderantur, dignos existimatis, qui reip. præsint. Nos vero, inquit T. Rursus, inquam, a vobis interrogo, in qua tandem re alia sapientia sitam arbitremini? Quod vt rectius statuatis, fingite nūc animis duos homines, quorum vnus oībus artium maximarū disciplinis institutissimus sit, & in dicendo admirabilis; isq. tamen nullum sani hominis officium sequatur, sed rem suam familiarem dissipari sinat, omnibusq. suis infestus sit, & manus etiam sibi afferat; alter vero, qui ne legere quidem sciat, &, si placet, sit etiam infantissimus, & tamen rem suam bene gerat, familiæq. suæ vigilanter prospiciat, neque quidquam in vita contra officium,& rationē faciat; vter istorum vobis videtur esse sapientior? Adhuc tu multorū caussam agis, inquit T. is certe, qui suum officium facit, quamuis nullas litteras attigerit. Esto sane, inquam. nec enim id nunc ago, vt ostendam, in litteris sapientiam consistere; sed, vt demonstrem, omnem sapientiæ vim esse in optima ratione collocandam. Itaque omnes, qui litteris student,& vitijs cooperti sunt, nō sapientes, sed insani sunt. Furiosi enim, & insani hominis est, sibi nocere quamplurimum; nemo autem sibi peius nocet, quam is, qui potissimam sui partem lædit,& vulnerat; sed omnes intemperantes,& flagitiosi mentem (quę est potissima hominis pars) maxime lædunt, grauissimūq. animis suis vulnus inurunt: omnes igitur intemperantes sunt amentes, & furiosi, quamuis sint omni doctrina perpoliti. Si igitur sine litteris, sine doctrina, sine aliquo eiusmodi adiumento potestis efficere, vt Rex secundū optimam rationem vitam instituat, nihil moror litteras: satis enim sapiens erit, qui optimæ rationi, hoc est legi naturæ, paruerit. Nec enim id laboro, vt is ingenium ostentet, & argumenta vibret, & arcana naturæ patefaciat, & dicendi etiam rationem summo studio consectetur; sed, vt prudens, atque bene moratus sit; rationemq. habeat nullis tenebris infuscatam; sed puram, acrem, & vigentem, omnibusq. virtutum opibus egregie cultam. Sic igitur se comparet, vt numquam cedat libidini, numquam amore flagitioso capiatur, numquam odio, aut inuidia, aut aliqua eiusmodi perturbatione ita concitetur, vt a recta ratione discedat, & omnes curas, & cogitationes in publicam salutem conferat: & fatebor illum litteris non indigere. In eo enim statu summi philosophi sapientiam sitam esse decernunt, in quo voluntas cum mente consentit, nec vllo pacto imperium,& ductum rationis aspernatur; ad illudq. tantum bonum parandum, atque fruendum enititur, quod mēs ipsa nullis tenebris impedita expetendum esse iudicat. Efficite igitur, si potestis, ne vmquam Regis animus a recta ratione (quæ lex diuina putanda est) vllo mō dissentiat: & ita facile concedā, illum, sine litterarū adminiculis & sine vllo adiumento doctrinæ, sapientiam consequi posse. sed non ita facile negotiū est, compressam tenere libidinē, voluptates aspernari, dolorem cōtemnere, auram popularem despicere; vt non multa ad animi statum faciendum præsidia requirenda sint. Tanta

Rationis, & Cupiditatis definitio.

Hominū genus triplex.

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim est cupiditatis violentia, tantisq. dolis, & machinis rationem oppugnat, vt paucissimi sint, qui immanitati, atque fraudibus illius obsistant. Multis igitur opibus fulciendus est animus, ne ruat; & ratio contra omnes cupiditatis impetus, firmis præsidijs munienda; &, quo magis homines florent opibus, magisq. legibus omnibus propter potentiam soluti sunt, eo plura, atque firmiora subsidia adhibenda sunt. Alios enim homines primum continet in officio rei familiaris angustia; deinde, parentũ diligentia, verberumq. formido; deinde, postquam sunt adulti, legum atque iudiciorum metus. Et tamen neque tam multis vinculis alligata cupiditas impediri potest, quo minus, illis perfractis, erumpat, & tætra facinora moliatur. si igitur tantas vires habet cupiditas, vt neque tantis vinculis impedita contineri valeat, quid existimatis futurum, cum nihil omnino illam constrinxerit? Sit igitur puer aliquis, claro loco natus, in magnis opibus educatus, in summis delicijs enutritus, adeo carus, atque periucundus parentibus, vt nullam ei molestiam exhiberi patiantur. fileant minæ, remoueantur virgæ, pellantur formidines, nihil denique audiat bellus ille, & affluens omni venustate puer, nisi festiuitates, atque blanditias. In quotidiano autem victu caueatur diligentissime, ne alatur illis cibis, quibus reliqui pueri, qui non sunt ita beati, nutriuntur; sed dapes illi exquisitissimæ, atque dulcissimæ comparentur; vestium autem nitor, & omnis corporis cultus ita excellat, vt efferat illius animum, & superbum, & arrogantem efficiat. sic autem sit institutus, vt neque corpus labore vllo firmetur, nec animus disciplina vlla colatur; sed in rebus omnibus pater illi indulgeat, mater blandiatur, familiares adulẽtur, & omnes denique, qui eum iure aliquo necessitudinis attigerint, sint adiutores insaniæ, inferantq. in illius animo falsas opiniones, veritati contrarias. In puero, qui ad hunc modum fuerit enutritus, fieri ne potest, vt vestigium aliquod bonæ indolis appareat? Credibile non est. Quid, cum ad pubertatem peruenerit; multosq. sibi æquales aggregauerit; & ad studium suum complures adulatores adiunxerit? quid, cum adultam illam cupiditatem, quæ satiari nulla ratione potest, explere, & satiare concupierit? quid, cum omnes patris opes in eum vsum domi reconditas existimauerit, vt eas ipse per summum flagitium effundat? Nullum enim tantum malum cogitari potest, quod non ab immoderata libidine illius oriatur: bonorum enim consilia respuet, monitoribus erit infestus, leges, & patria instituta contemnet, erit illi semper nomen virtutis inuisum, patrem denique exstinctum cupiet; vt multo liberius possit, postquam fuerit in patrimonij possessione constitutus, per omnia libidinum genera vagari. Quidquid enim cupiditatibus suis obstare perspiciet, acerbo odio prosequetur. Cernitis iam animo, quantis periculis vita florens exposita sit, si non fuerit rectis disciplinis adstricta? Difficillimum enim est, animum nobilitate tumentem, otio lasciuientem, iuuenta, & temeritate præcipitem, adulatorum sermonibus inflatum, & flagitiorum licentiam consecutum, ab insolentia ad modestiam reuocare, & a vitiorum colluuione ad virtutis studium traducere. Quo autem opes maiores sunt, eo maius periculum animis comparatur; & iccirco plura & firmiora præsidia contra libidinis immanitatẽ constituenda sunt. Quid igitur est de Regum filijs existimandum? Nec enim genus vllum clarius est; nec opes vllæ maiores sunt; nec alibi maior adulatorum copia reperitur, nec vsquam insidiæ capitaliores intenduntur, nec alij hominum generi maior flagitiorum licentia, & impunitas, omnium ferme consensu, tribuitur; nec ab aliquo alio cum maiore reip. pernicie peccatur. Multo igitur maioribus præsidijs fulciendi sunt, ne sibi, & suis pestem, & exitium cupiditatis intemperantia moliantur. quo enim locus, in quo versantur, est magis in altum propositus, eo erit eorum casus, & ruina calamitosior; multoq. plures erunt illis euersis oppressi. Multo igitur diligentius instituendi sunt, & multo clarioribus disciplinis erudiendi, firmioribusq. opibus fulciendi, ne de statu conuellantur. Opera etiam danda est, vt, cum lacte nutricis, si fieri potest, Regiæ virtutis disciplinam hauriant. In primis autem prouidendum est, vt corpus sanum; atque bene valens sit, & animo simul, & valetudine integer, & robore firmus exsistat. Sanitatem in corpore, vt iam ante dixi, efficit victus moderatio, & exercitatio; animi vero sanitas, & robur, virtutis institutione, & honestatis disciplina continetur. Illud etiam est animaduertendum, quod, quemadmodum temperantia in victu, & corporis exercitatio non solum sanitatem tuetur, atque vires auget; sed etiam pulchritudini conseruandæ vtilis est; (nec enim patitur corpus aut macie confici, aut crassitie deformari, aut desidia pallescere) ita virtutis disciplina non solum sanitate, atque robore confirmat animum; verum etiam illum splendido cultu decoris, atque dignitatis illustrat. Præterea, nemo prudens rerum æstimator dubitare potest, quin omnibus, qui viri magni futuri sunt, duæ virtutes sint a primis annis, quantum illa prima ætas ferre potest, summo studio comparandæ, ita, vt ludi etiam pueriles ad eas coferendi sint. Quæ nã, inquies, illæ sunt? Animi magnitudo, atque moderatio. Qui n. molli, & imbecillo animo est, nullũ vnquam in vita virum dignũ opus efficiet; qui rursus in oĩbus rebus immoderate se gerit, nullã sanitatis partẽ in vita retinebit. Et harũ quidem

Pueri exemplum.

Magnitudo animi sine modestia, est immanitas.

dem duarum virtutum eiusmodi ratio est; vt alterutra sine alterius ope imbecilla sit. Magnitudo enim animi sine modestia, immanitas quædã est potius, quam virtus appellãda; rursus modestia, si non fuerit cum animi quodam robore, & magnitudine consociata, ignauia potius, & segnities, quam temperantia, nominari debet. Deinde, cum hostes sint acri animo repellendi, ciues vero humanissime complectendi, atque conseruandi; & omnes belli, atque pacis artes eo conferantur, vt hostes metu se contineant, ciues vero inter se mutua beneuolentia deuincti sint; vtrumque necessarium est, vt ciues & acres, & moderati sint. Acres quidem, vt in bello hostes virtute comprimant; moderati vero, vt in pace humanitatem retineant; & animi turgentis elationem insito pudore coerceant. Ad has autem duas virtutes acquirendas, nihil est vtilius corporis exercitatione, & assidua optimarũ artium commentatione. Exercitatio enim non solum reddit corpus firmum, atque robustum; sed animum etiam impigrum, & audacem, & ad studium bellicæ gloriæ cõcitatum; bonarum vero artium disciplinæ pudorem ingenerant, & ad omnia officia modestiæ, & humanitatis erudiunt. Hoc autem impulit Solonem, vt cogeret legibus Athenienses, vt filios suos palæstra, & litteris, & Musica diligenter instituendos curarẽt. Vidit enim vir Græciæ sapientissimus, esse ciuibus suis & vires corporis, & animi comparandas, & humanitatem, atque moderationem conseruandam: aliter enim fieri non posse, vt libertatem, & reliquas opes diu tuerentur. Omnia siquidem bona, vel ignauia, & mollitia deseruntur; vel temeritate, & audacia peruertuntur. Vt igitur ciues suos fortes efficeret, palæstram instituit; vt autem ad humanitatem instrueret, literis, & Musica mitigandos existimauit. Hoc autem Lycurgus Lacedæmone, non admodũ dissimili ratione consecutus est. Nam, cum nusquam alibi maius studium in corporibus, & animis corroborandis exstiterit; tum in nulla vmquam Rep. magis laus mirifici cuiusdam pudoris enituit. Mira sunt, quæ Xenophon de Spartanæ iuuentutis modestia, & honestate commemorat. Sic enim ait, adolescentes institutos fuisse, vt nullus inambulans oculos attolleret, aut faciem verteret, vt huc & illuc intueretur, aut aliquod signum inconstantiæ præberet; sed ea tantum, quæ ante pedes erant posita, modeste conspiceret. Ne manus quidem, quas inducta veste contegebãt, apertas ostendere licebat. Omnibus autem senib. loco cedebant, & eos quasi parentes verebantur: nullum autem verbum petulans, & obscenum illis excidebat; nec in choreis, & cantib. aliquod lasciuum, & molle carmen vsurpabãt. Sic erant denique Lycurgi legib. instituti, vt insignem pudorem, & verecundiam cum insigni virtute coniungerent. Quid hic iuuentutis Romanæ pudorem, & modestiam oratione commemorem? Ex qua quidem colligi potest, non magis fuisse Romanos olim omnia vincendi cupiditate incensos, quã legibus, atque moribus in studium modestiæ, atque moderationis incitatos. Nec hi solum, sed omnes, qui sapienter Respub. condiderunt, ad has duas virtutes, tanquam ad firmissima Reip. fundamenta, leges, & instituta omnia conferebant. Intelligebant enim, nullam remp. saltem, & ornatam esse posse, sine animi magnitudine, & sine pudoris, & modestiæ concinnitate. Quod si hæ duæ virtutes ita necessariæ sunt omnibus ingenuis hominibus, vt sine illis nulla laus nobilitatis exstare possit; multo certe magis Regibus necessariæ sunt, quo status eorum est altior, & illustrior, & ad plures eorum calamitas (quæ tam ex animi imbecillitate, & ignauia, quam ex temeritate, & arrogantia redundat) necessario peruadit. Est igitur necesse, vt sic educentur regum filij, vt fortissimi simul, atque modestissimi disciplina fiant: aliter enim omnia corruent, atque funditus interibunt. Hæc cum ita sint, vt eo tandem longo interuallo reuertamur, vnde desiit oratio, consequens est, vt videamus, num ex ea disciplina, qua Regum filij aliquot in locis eruduntur, possint hæ duæ virtutes efflorescere. Ad eam igitur animum referamus, & tentemus, an ex ea possimus aliquid præclarum discere. Vos igitur hortor, & admoneo, vt me, de tantis rebus dicere instituentem, attente, atque benigne audiatis. Idem enim mihi censeo faciendum, quod magni olim oratores factitabant, cum in media oratione occurrebat aliquid consideratione dignissimum. Atque haud scio, an sit mihi, poetarum more, Musarum auxilium implorandum: institutio enim tam excellens, atque præclara, nõ potest vllo modo, sine afflatu quodam illarum, explicari. Hic postquam arrisere, sic institutum sermonem contexui. Vt igitur hinc ordiamur, cum in his virtutibus duabus, nempe fortitudine, atque modestia, totum dignitatis Regię fundamentum positum sit; multi ex ijs, qui Regum filios instituunt, primum quidem dant enixe operam, vt illorum corpora tenera, & imbecilla fiant, assiduisq. morbis obnoxia, & animi desidia languescant; deinde vero, vt maniter efferantur, omnemq. reip. moderandæ rationem temeritate, & amentia perturbent. Qnam ingenioseve vero id assequantur, est operæ pretium animaduertere. Corpus enim tradunt mulieribus effeminandum, animum vero adulatoribus corrumpendum. Primum igitur cauent, ne Regius ille puer Solem adspiciat, ne ue aura paullo vehementiore pulsetur; ne ue aliquo labore duretur; sed parietum vmbris oculatur, vt corporis illius teneri, & delicati mollitiem diutissime conseruent. in cibis autem, non in eo solum omnis earum industria cõsumitur, vt da-

Fortitudo, & Modestia, præcipue Regem decent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pes sint egregia quadam arte conditæ,verum etiam,vt nimia ciborum copia Princeps iam in illa tenera ætate saginetur, &,quasi pullus anserinus auiario inclusus,assidue comedêdo pingueſcat. mane igitur instãt,& vrgẽt;vt comedat,& singulis prope horis aliquid exquisitissimi cibi in os illius cõgerũt,&,quasi id tãtum muneris,& operis habeãt,vt Regem immodicis epulis fartum impediant, ne se loco commouere possit, ita conatum omnẽ in hoc vnum studium conferunt, vt , quoties minus aliquanto cibi sumit,quam ipsæ volunt, id indignissime patiantur. Adde nunc aromatum varietatem, odorum omnium suauitatem,vnguentorum fragrantiam, gemmarum splendorem,totius ornatus, & cultus mollitiem,& reliqua naturæ lenocinia,quibus robusti etiã animi,falsa illa dulcedine liquefacti,facillime possint eneruari, & a mentis statu cupiditatis impetu detorqueri. Modis igitur omnibus nõ solum mulieres,sed omnes,quibus nutriendi Regis munus assignatum est, id efficiunt,vt corpus illius torpore, & desidia frangatur, & morbis innumerabilibus expositũ sit, & vita illius breui temporis spatio terminetur. Nec enim corporis firmitas,neque bona valetudo ,neque vitæ longitudo potest in ciborum redundantia , & in mollissimo victu,& in omnium laborum fuga cõsistere. neque solum ea mala ex ea educatione oriuntur;sed somnus,inertia , lentitudo;quæ quidẽ tu,Tuaora,litterarum studijs, atque philosophiæ tribui disputabas:quod quam falsum sit, postea magis apparebit . Hæc enim vitia non artes præclaræ, sed corrupti pessima disciplina mores efficiunt. ad virtutis enim munus alacriter obeundum,agili, & expedito corpore opus est,non cibis onusto, non desidia languido,non delicijs emollito; quibus vitijs nõ solum corpus impeditur,sed acies etiam mentis hebescit, omnesq. nerui virtutis eliduntur. Videtis ne,quãtam industriam lautæ mulieres, & lepidi quidam homines, nõ multum a muliebri victu,& ratione distantes,in eo ponant , vt Regem nobis efficiant vmbratilem , & delicatum,& imbecillum,valetudine infirma præditum,& frequenter in morbos molestissimos incidentem ? &, cum nobis opus sit Rege sano , atque bene valente, qui possit facillime permissum sibi munus corporis,& animi viribus sustinere;isti in eo laborent,vt Regem non modo ægrum,& imbecillum reddãt, verum etiam timidum,& ignauum;omnia Regia munera fastidiose recusantem,& belli pericula fugientem. Sic autem parasitis,& scurris patet aditus ad illius adolescentiam , qui est bonis , & fortibus hominibus intercluſus. Nec enim vllius orationem ad aures admittere potest, qui ita nutritus fuit ; nisi tantum illius , qui auocet a laboribus,& risus captet, & ad futiles , & inanes voluptates impellat. Regum igitur corpora ad hunc modum curãtur . Nunc animorum cultum inspiciamus. Christe sancte , quæ monstra prospicio ? quæ portenta complector animo ? quæ pestis , & immanitas in communi vita versatur? Hic Tridens, Age, inquit. Musæ,quas inuocandas esse dicebas,aduentant: ita enim exsurgis,vt facile appareat , te illarum spiritu vehementer inflari: non enim vsitato more loqueris ; sed, tragice, atque admiratione quadam commotus,inclamas . Merito,inquam; nec enim Tygres,aut Pantheræ,aut Leones rabide concitati,tantum mihi terroris injcerent,quantũ hoc belluarum genus , quo nullum vmquam in terris exstitit immanius , atque truculentius . Numquam ne legistis apud Poetas belluam illam, quam Chimæram appellãt,ex leone, & capra , & serpente conflatam , flammas euomentem , & omnia circumquaque incendio vastantem , ad quam interimendam opus fuit Bellerophonte armis Diuinis armato ? Cogitate vel Chimæram, vel aliud quantumuis dirum , & infestum monstrum , venenum exhalans,& omnes,in quos adspectum iniecerit, tabifica lue conficiens , quod vel in terris aliquando visum, vel Poetarum ingenijs confictum fuerit . illa omnia monstra longe multumq. superat hæc belluarum immanitas , quam animo cogitans perhorresco . Vt autẽ ad illarum similitudinem propius accedam , fingite animis Harpyam , dapes alijs appositas ore fœdantem , & in oculos hominum furenter inuolantem, & aduncis vnguibus omnia rapientem. Sit deinde tam pestifero veneno armata,vt non solum dente necem afferat, sed afflatu etiam multos interimat . Habeat præterea hanc vim, vt , in quamcũque partẽ se tulerit,lucem solis impediat ; segetes lætas inficiat ; fruges & pabula corrũpat;& omnia, quæ vel tactu impuro, vel spiritu contaminato polluerit,immutet , & pro salutaribus noxia reddat . Sit præterea monstrum hoc non ratione vacuum; sed callidum,acutum,& malitiosum , ad fraudes & insidias sollertissime machinandas . Accedat etiam , ad malorum omnium perniciem, quod non solum virginis faciem habeat , quemadmodum poetæ Harpyias habuisse fingũt, verum etiam orationis lenitatem,& totius corporis habitum, pudorem virgineum fallaci specie referentem;neque vias tantum obsideat , quemadmodum Sphinx , quæ Thebas infestas habebat, sed intra muros versetur,ne sit aliquod propugnaculum interiectum, quod hãc tantam pestem a ciuibus auertere aliqua ratione possit . Si fuisset igitur aliquod eiusmodi prodigium, quod inter nos ita versaretur,vt multos partim occulto veneno tabescẽtes interimeret ; partim impetu furẽte trucidaret; quibus precibus , & sacrificijs sanctissimum Christi numen placandum existimaretis,ad tantum intestinum , & domesticum malum exstinguendum,atque delendum? Sanctissimis, inquit T.

Harpyę exẽplum.

& singu-

& singulari quadam religione procuratis . Sed non dices , quorsum hæc abs te conficta monstra pertineant? quæ,malum,sunt istæ beluæ? quæ Harpyiæ ? quæ Sphinges ? Illi, inquã, quibus sæpenumero Regum filij erudiendi , aut,vt rectius dicam,inficiendi,& cõtaminandi committuntur . Adulatores intelligo , quo mõstro nullum immanius excogitari potest. Nam primum tanta auaritia & rapacitate sunt,vt nihil videant,quod non rabide, atque furenter appetant. Vt autem infinitam cupiditatem expleant , in Regum fortunas inuolant, vt,quidquid arripere potuerint, immensa gula deuorent , reliqua vero proculcent, & sordidata relinquãt. Illorũ enim opera fit, vt Regis gaza nõ sit virtutis, sed libidinis instrumentum; & opes,quæ erant cum bonis viris, & de rep.bene meritis communicandæ,ad homines impuros deferantur. Quantas vero,tenebras rebus offundant,explicari non potest. Non enim lucem Solis eripiunt ; sed, quod est multo dirius, atque funestius, quantum in illis est , lumen veritatis exstinguunt , Regibusq. persuadent,vt,veris bonis contemptis, & abiectis, falsa, & inania consectentur . Neque solum sunt singulis hominibus infesti,sed vniuersam Remp.euertũt. Illorum enim opera fit,vt decus pudoris intereat,vt honestatis studium restinguatur,vt turpitudo victrix exsultet , vt innocentia misere vexetur, ut iniquitas alacris , & erecta volitet, &, quæ velit, impune diripiat;omnia postremo sic euertũt, vt, quæ erant ad salutem Reip.constituta , ad pernicié Reip.conferantur. Et,vt hæc facilius efficiant,non solum adhibent ingenium multiplex,& acutum ; sed etiam orationis lenitatem, atque virginis (vt ita dicam) speciem,& cultum,vt,cum se ea bonitatis, & verecundiæ simulatione Regibus insinuauerint , tum demum occultum virus euomant,ipsosq. Reges inficiant. Quo satis digno supplicio vindicandum putaretis eorum scelus , qui in fontem , vnde omnis ciuitas aquam ad bibendum hauriret , venenum spargeret ? at Rex est quasi quidam fons,vnde omnis vitæ disciplina haurienda est . Inde namque leges accipiendæ;iudicia postulanda , virtutis exempla petenda sunt : ab illo est auxilium contra perditos homines implorandum,& virtutis præmium flagitandum . In illo denique debet esse perfugium miseris, solatium afflictis, alleuamentũ oppressis , præsidium innocentibus contra improborum hominum fraudem,& potentiã firmissime constitutum . Qui igitur illum ita corruperit,vt ab æquitatis , & clementiæ studio,ad iniuriam,& immanitatem traducat;& pro salutari,atque benefico Principe , maleficum,& importunum Tyrannum reddat ; quibus tandem supplicijs dignus est? Sũmis profecto,atque sempiternis . Sed, vt illorum insidiæ præcaueri possint,non erit inutile eorum naturam depingere , non quidem omnium : sunt enim quidam minuti adulatores , quasi quidam Gnathones Terentiani,qui,quamuis in genere suo flagitiosi sint,& infames,non tamen tantum ingenio valent , aut tantis opibus instructi sunt , vt plurimum nocere possint. de illis igitur tantum loquamur, qui capitales habendi sunt. Primum igitur constat, eos esse immani auaritia : nullis enim opibus eorum cupiditas satiari potest. Ambitio deinde sic eos exagitat,vt cõsistere nõ sinat. Deinde opus est , vt sint miro ingenio , & acumine præditi,summaq. sollertia , & calliditate subnixi:aliter enim neque poterunt insidias tegere,neque mendacia concinnare,neque in varias facies verti , neque aliorum fraudes eludere. Postremo opus est, vt humilẽ, atque demissum animum gerant , minimeq. in principio de vlla decoris, atque dignitatis præstantia cogitãtem. necesse namque est,vt in principio sese ad potentium pedes abiciant, summaq. sedulitate omnes , quos esse Regi caros intelligunt,assectentur. Hæc igitur duo scelera,atque flagitia,nempe auaritiam,& ambitionem,cum alijs duobus flagitijs, malitia videlicet,& humilitate,succinxerint : nihil erit tam firmo præsidio vallatum,quod a se nõ expugnatum iri confidant . Nec enim laborem vllum fugiunt;nec vllam indignitatem subire reformidant;nec vllis difficultatibus impediri possunt , quo minus , quantum malitia valeant , & impudentia , periclitentur . Quod si tam felices sunt , vt sine vlla circuitione ad Regem aditũ habeant ; continuo copias suas instruunt,& in insidijs collocant, vt,simul atque occasionem nacti fuerint,Regis imbecillitatem occupent, & de improuiso in opes illius inuadant. Si vero eam facultatem consequi non facile possunt; tum occulte cuniculos agere instituunt,quibus tandem in arcem penetrent . Sollertissime enim perspiciunt,qui sint Regi valde familiares,& maximum apud illum locum obtineant: ad eos igitur se confestim applicant , artificijq. sui periculum faciunt:illorum enim ingenium laudant,virtutem efferunt, vrbanitatem extollunt . Quam humiles autem esse meditentur, explicari nõ potest: totum enim diem ad cubiculi fores assidunt ; adeundi difficultatem patientissime tolerant;familiaribus, atque domesticis assurgunt;seruos etiam blande,atque benigne alloquuntur ; eoq. tandem se demittunt , vt nihil contemptius esse possit. Sic igitur non muneribus tantum, sed assentatione, & officiorum omnium simulatione,quilibet eorum illi , quẽ patronum adoptauit , facile persuadet , se dignum esse qui Regi notus sit,& in domesticis illius numeretur. Sed occurrit illa cogitatio, Metuendum est, ne hic tantum sedulitate, atque vigilantia valeat , vt mihi molestus sit : quid igitur faciam ? denegabo hoc illi ? minime : est enim sane probus , & mihi valde amicus : & ideo periculum non est , ne mihi parũ

Adulatoribus nihil immanius.

gratus

Universidad de Deusto
Biblioteca

gratus sit. Præterea nec arrogans, nec ambitiosus est, sed modestus, & humilis: & ideo fieri nequit, vt se nimis extollat, & meis rationibus aduersetur. Hic igitur, quē semper in mea potestate fore credo, potius meo beneficio Regi operam det, quam alius, qui summis virtutibus ornatus sit: quem tamen mihi minime obnoxium fore confidam, stat sententia. Opera igitur illius, ad cuius se clientelam applicuit homo nefarius, ad Regem introducitur; atque in principio insignem modestiam vultu atque verbis ostendit, patronumque suum diligenter obseruat, & ita se illi submittit, vt existimes illum perpetuo in eadem fide permansurum. Post, vbi magis atque magis sese, artibus suis, in gratiam Regis insinuat, statumque suum valido præsidio sæpit, & opes suas confirmat; tum, Deus bone, quam tæter incedit? quam cito pristinæ fortunæ memoriam deponit? quanto fastidio homines multo se meliores despicit? quanta perfidia illum ipsum, per quem fuit ad Principem intromissus, oppugnat? Hoc denique clare videri potest, vt in principio nihil est humilius adulatore; ita, postquam opes suas firmissime constitutas opinatur, nihil esse superbius, & insolentius. Illud tamen est intelligendum, eum, qui sibi hoc sumit, vt principem quæstus sui gratia in omnem fraudem impellat, quamuis sit veterator & callidus, nullas tamen vires habere posse, ni si alterius adulatoris potentissimi gratia, & opibus innitatur. Quis ille, inquies, est? Amor ille cuique ingenitus, quo se quisque amat, sibi indulget, & assentatur. Quotus enim quisque est, qui non sibi valde placeat? qui non se temere multis anteponat? qui nō meritis suis ingentia præmia deberi arbitretur? In hoc igitur amore, quo se quisque amplectitur, est initium totius temeritatis, & insolentiæ constitutum, qui cū sit in quouis homine valde magnus, tum in Regibus tantus, atque tam vehemens est, vt illis sæpenumero totam mentem, atq. sensus eripiat. Animaduertunt enim, quoties per vrbem vehuntur, se maximo peditū & equitū cōcursu cōstipari; plebē vndique certatim confluere, vt illos venerabunda cōspiciat; oēm populum, religione quadam attonitum, illorum faciem contueri. Quid referam, quanta cærimonia dapes illis apponātur? quam solemni ritu pocula ministrentur? quam sæpe, & quam elaborata concinnitate ministri genua flectant? denique, ne minutias omnes persequar, ea superstitione coluntur, vt videant, sibi plane non humanos, sed Diuinos honores institutos. Quæ quidem omnia non vitupero; sed, quantum periculum ex illis impendeat, ostendo. Si enim opes ingentes, si honores immodici animos efferunt, & amori, quo se quisque amplexatur, faces admouent, & homines insanire cogūt; quid, quæso, in Regum animis, si sapientes non fuerint, euenturum suspicamini, cum viderint, se in tantis opibus, & imperio, non humano more coli, sed in cælitum numero collocari? Cum igitur plerumque sibi summe placeant, sibi assententur, sibique ipsis adulatores maximi sint, facile ad suam familiaritatem aduenticios adulatores admittūt. Hoc igitur is, qui sibi ex adulandi artificio opes ingentes pollicetur, acute prospiciens, fœdus cum adulatore illo primario, hoc est, cum Regis immensa cupiditate, percutit, totumq. se ad illius nutum fingit, & accommodat. Vt canis igitur venaticus, quam sagacissime potest, odoratur, quibus rebus, Rex, aut princeps ille, cui seruit, maxime delectetur; id autē vbi penitus exploratum habet, naturam suam ad tempus deserit, totūq. se immutat. in hoc autem maxime, huius artis præclarissimæ laus & perfectio summa consistit. Qui enim tantū ingenio, atque sollertia valet, vt naturam suā facile verset, & quam velit, personam induat, & quidquid illi libuerit, summa calliditate simulet, totumq. se ad libidinem principis, cuius gratiam aucupari conatur, effingat, vt illi simillimus appareat; hic omnia, quæ volet, de artificio suo facile cōsequetur. Si videt igitur, Regē venatoribus delectari, canes alit, equos ad siluas, atque nemora lustranda comparat, telorum vim maximam domum comportari facit; in eoque neruos omnes intendit; vt egregius venator habeatur. si leuitatibus amatorijs deditū cernit, se amore perditum esse profitetur, & querimonijs omnia complet. Ne autem omnia recenseam, quocumque modo Regem affectum, aut studio captum, aut morbo oppressum, aut flagitio corruptum cernit; vt in eodem studio versetur, & ijsdem vitijs sit affinis, vehementer elaborat. ita enim versipellis est, vt, in quācumque faciem velit, se facile conuertat. Suum igitur iudicium deserit, vt Regis sui libidinem sequatur; neque quidquam loqui audet, quamuis patriæ totius salus agatur, quod aurib. illius iniucundum accidat; sed in omnibus rebus se illi ministrum impurissimæ cupiditatis exhibet. Porro autē, quamuis multi Reges, partim vi insiti illius amoris impulsi, partim assiduis perditorum hominum sermonibus instincti, se flagitio omni contaminent; recte tamen iudicant, nec esse quidquam honestate præclarius, neq. Regis amplitudine magnificentius; itaque statuunt, virtutem, atque grauitatem esse Regibus summo studio retinendam. Hunc igitur naturæ sensum, quo Reges potuissent e flagitijs emergere, & ad studium honestatis, & grauitatis applicari, non exstinguunt quidē adulatores, nec enim possunt; sed illo ad multo maius flagitium; atque leuitatis dedecus abutuntur; id enim perficiunt, vt, quamuis Reges sint omnibus sceleribus adstricti, & propter animi leuitatem contempti, & abiecti, nihil tamen sibi deesse putent, nec ad honestatis elegātiam nec ad auctoritatis magnitudinem. Quātum enim ad honestitas opinionem attinet, flagitijs

Adulatores, placent Regibus.

Flagitijs virtutum nomina imposita.

quibus homines scelerati, Principes deditos esse vident, virtutum nomina imponunt. Temeritatem enim, appellant Fortitudinem; ignauiam, & timiditatem, Prudentiam nominant; &, si rex crudelis exstiterit, eam crudelitatem Seueritatem esse dicunt; si vero fuerit in animaduertendo dissolutus, eam negligentiam, & timiditatem, Clemētiā esse prædicāt immortali laude celebrandam; si Regni opes temere profundit, Magnificum; si pecuniam magno studio cōgerit, Sapientem vocant; sic etiam, si bibit liberalius, Hilarem, atque Festiuum; si ludit intemperantius, vrbanū; si se abijcit, Moderatū; si effertur insolētius, Magnanimum esse confirmāt. Hac igitur ratione, dum hæc, & alia flagitia virtutū nominibus ornāt, id assequuntur; vt, quāuis Reges sint omni flagitio corrupti, sibi tamē summā honestatem arrogent, & in magnitudine falsi decoris insolescant. In grauitate vero constituēda, quibus rationibus vtuntur? non illi certe sunt, qui grauitatē, & auctoritatē ex prudētiæ magnitudine, & ex virtutis constantia, & ex iustitiæ splendore; sed ex superbia, & inhumanitate petēdam existiment. Summo igitur studio cauent, ne Rex omnibus sui conueniendi potestatē faciat, ne benigne homines appellet, ne cū populo loquatur, neue quidquam popularе habeat; sed vultum sibi seuerum, grauem, & mutum denique fingat, seq. quasi signum dedicatum domi contineat, quōd certis tantum diebus sit in aperto, ac propatulo collocandum. Ad illam vero superstitionem, cum qua Reges adiri solent, cupiūt semper aliquid addi, quo Regis nomē diuinius esse videatur: vt, cum homines Regem adspexerint, non se populi moderatorē, atque patriæ parentem; sed numen cælo delapsum intueri putent, ad cuius adspectum commoueantur animo, & toto corpore contremiscant. Hac igitur superstitione plerique homines imbuti, non laborant, vt Reges debito amore, & pietate prosequantur; sed vt apte, & concinne sese ad illorum pedes abijciant; & illorum manus, quoties illi verbum solito benignius excidit, oscu lentur; &, vt sibi sint propitij, tam suppliciter, atque demisse postulent, vt non cum principibus, sed cum ipso Deo loqui videantur. Quæ quidem res eo prouexit multorum Regum amentiam, vt se deos existimarēt. Quid enim aliud impulit Alexandrum, vt, suæ virtutis, & humanitatis oblitus, Callisthenē, quia illum vt Deum venerari noluit, crudelissimo supplicio mactaret? Quid multos ex illius successoribus, vt Deorum nomina captarent? Quid Caligulam? Quid Domitianum? Quid multos præterea Romanos imperatores? Quid Tyrannos innumerabiles induxit, vt illis, a quibus non religiosissime colebantur, crudelissimam necem afferrent? Num obscurum est, hoc tam scelestum, & immane facinus, quo homines Dei gloriā ad se transferebant, & religionis, quibus homines, quasi nihil haberēt cū illis cōmune, cōremenebāt, atque pro nihilo putabāt, fuisse adulatorum opera constratū? Hac autem ratione Reges non graues tantum, sed etiam deos efferunt. Videtis, quam ingeniose fuerit ab hominibus acutissimis excogitatum, vt, quāuis Principes sint sceleribus infinitis alligati, se tamen interdū maximarum virtutum ornamētis excultos arbitrentur, &, quamuis leuissimi sint, se tamē cōstantes, & graues existimēt? Sed, vt melius huius disciplinæ vim, & rationē intueri queamus, velim redigatis in memoriā, quod ante diximus: nēpe, homines, qui sapientes non sunt, hoc est, qui nō rectā rationem, sed cupiditatem indomitā sequūtur, flagitijs coopertos esse; ita tamen, vt alij alijs flagitijs magis addicti sint; qui tamen in duo potissimum genera diuiduntur. Aut. n. sunt acres, & animosi, & ad rixā conciti, & bellicæ laudis appetētes; aut molles, & ignaui, & lasciui, & ad Venerē magis, quā ad arma, propēsi. Reges aūt, quāuis se Deos existimari velint, homines tamen sunt; ijsdemq. sæpenumero peccatis impediti: in hoc tamen differūt a reliquis hominibus, quod eo sunt in vtramque partem vehementiores, quo plures opes habent, maioremq. sunt vitiorum impunitatem adepti. Quid igitur faciendum est ijs, qui gratiam Regis inire student? Explorādum, & inspiciendum est homini, minime huius artis ignaro, in quā partem Rex magis natura, atque voluntate propendeat; non quidē, vt eam naturam regat, & moderetur; sed vt instiget potius, & inflammet, & furentius insanire cōpellat. Si Rex igitur fuerit vehemens, & acer in ferro, vbi id a summis artificibus fuerit exploratum, id suscipient, vt Regem, satis iā spōte sua ad arma cōcitatū, magis ferocē, & infestum efficiant: laudant. n. vires, animū extollunt, virtutē admirantur, vnumq. esse prædicant, quē opinentur homines ad summorum Imperatorum gloriā peruenturum. His sermonibus elatus, & inflatus, præceps amentia fertur; & ab omni ratione, & humanitate deducitur; nec aliud, quam arma, & classicū somniat; & in eā cogitationē totus incūbit, vt pacem turbet, & bellū, quāmuis nefariū, & iniustū, moliatur: ergo, simulatq. speciosa caussa fœderis rūpendi, belliq. gerendi nascitur, consiliarios accersit; sibiq. in animo esse dicit, aliquod præclarum specimen suæ virtutis exhibere, nec a maiorum gloria degenerare: commemorat deinde caussas, quas potest obtendere, ne bellum omnino contra ius inferri videatur; malleq. se vitam in summum discrimen inferre confirmat, quam iniuriā aliquā inultam, & impunitam relinquere. Hic dicat aliquis, non Regis officium esse, caussas belli quærere; sed, pacem iuris æquabilitate conseruare: bella non nisi necessario sumenda esse: nec enim pacem ad bellum conferendam; immo bellum, cum necesse fuerit, suscipiendum, vt

Hominū insipientium genera duo.

Reges, bellicosi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt pax,& otium cum dignitate pariatur,satis magnam gloriam consequi eos Reges,qui Regnum suum cum iustitia,atque dignitate tuẽtur,animoque patrio subditis suis,& Regia benignitate prospiciunt. Bello sæpe turbari disciplinam,violari religionẽ,frangi vires,opes consumi, innocentiam vexari improbitatem excitari omniaque rapinis, cædibus, stupris perturbari, atque commisceri. Addat deinde Martem belli communem, & ancipites præliorum euentus,& quam sæpe multi principes audaces,& impigri, opibusque summis instructissimi,ex eo bello,ex quo victoriam &decus sperabant,insignem cladem,& summum dedecus acceperint. Postremo illud adijciat, eas mouendi belli causſas,quas commemorat, minime sibi iustas videri: nihil autem esse tanta cura Regibus prouidendum,quam ne quid cõtra iuris Diuini,& humani præscripta molian tur. Si enim secus fecerint, fore, vt non solum a se homines alienent, sed etiam in grauem offensionem Diuini numinis incurrant. Fieri autem non posse,vt bellum illud,quod & Deum, & homines offendit, prosperos euentus consequatur. Hæc si dixerit aliquis in consilio, cui Rex acer,atque ferox,bellicæq. gloriæ cupiditate flagrãs præfuerit, quo animo putatis sententiam illius accipiendam? Pessimo, inquit, M. Nam & in Regis offensionem incidet,& ab alijs consiliarijs,tamquam homo nullius animi,contemnetur. Quid igitur,inquam, fiet? Cum fuerit animadversum, vt quisque acerrime sententiam dixerit, ita maximam a Rege gratiam initurum; omnes certatim elaborabunt,vt Regem sponte sua furentem,quasi spiculis coniectis,exagitent. Satis enim quamuis causſam belli gerendi iustam esse Regi gloriæ cupido disputabunt; nec enim eam esse tã exacte ponderandam, quam fieri solet in iudicijs: illic enim, inquient, legum subtilitate æquitatem elimari; in Regum vero controuersijs viribus,& armis rem totam decerni. Itaq. in Regum consilijs non tam habendam esse rationem iuris, & religionis,quam vtilitatis,& gloriæ,quæ quidem Martis vi,& impetu, non nimia officiorum omnium sanctitate comparatur. Si te igitur,inquiens,iuris nomen impedierit, ne bellum moueas, numquam aliquod virtutis egregiæ tibi nomen,& gloriam comparabis. Vix enim poterit aliquod esse bellũ, quod non iuris,& æquitatis ratio dirimat. Quamuis igitur omnia Regni munera iuste, atque vigilanter administres,in gloriis tamẽ ad extremam ætatem peruenies. Quare aut gloriæ studium omittas, opus est, aut nomma iuris, & æquitatis aspernere. Adstringat hæc iuris religio animos humiles,& abiectos, qui contumeliam pati possiunt, ad quorum subsidium leges inuentæ sunt. Regum namque ius, non est in legibus,& æquitate; sed in armis,& imperatoria virtute constitutum. Hoc enim iure vsi sunt omnes summi Principes,qui multas nationes suo imperio subdiderunt, & ea ratione immortalitatem nominis assecuti sunt, qui, si iuris rationrm nimis sanctam habuissent,numquã certe eas nationes,a quibus lesi fuerant,bello vastassent;& ita,inertia, & desidia corrupti,vel alijs prædę fuissent,vel certe in tenebris,& obscuritate latuissent. Quod si belli ancipites euentus animo reformidas,considera,viros illos excellentes, quorum nomen est immortalitati consecratum; numquam eo metu contineri potuisse, quin omnia facinora nõ modò præclara, sed etiam valde periculosa susciperent. sed cum secum statuissent,aut cum gloria viuendum esse, aut cum gloria moriendum; otium cum indignitate ferre minime potuerunt, & ita victorias innumerabiles adepti sunt. Raro enim summa virtus, atque vitæ contemptio felici successu caret; Fortes enim (vt est in prouerbio) fortuna iuuat. Cum igitur belli mouendi causſam, ad speciem satis honestam habeas; & summis opibus abundes; & maximis exercitibus constipatus sis; & exempla domestica tibi stimulos frequenter admoueant; quid minus dignũ ista tua virtutis indole fingi poterit,quam cõtemni ab hostibus,& aliquod dedecus,& ignominiam,iuris obtentu,atque fœderis nomine tolerare? Quare, Princeps clarissime,facinus iam aliquod dignum te,dignum virtute tua, dignum maioribus tuis,aggredere: metum,& horrorem, quacumq. armorum impetum tuleris,hostibus tuis incute: omnia viribus tuis obstantia ferro prosterne. Experiantur omnes cum quibus aperto Marte conflixeris, quantum viribus, atque virtute valeas: sic enim turpitudinem,& ignominiam depelles;imperiumq. tibi a maioribus tuis relictum,magnis accessionibus amplificabis; & ingentem gloriam,quam nulla vmquam obscurabit oblivio consequeris. Hac oratione qui Regi iuuenimisque bellandi studio concitato fuerit adulatus, potestis ne mente percipere, quantam perniciem sit communibus rebus allaturus? Necesse enim continuo erit, vt ille non quidẽ vt suos incolumes ab omni calamitate tueatur, sed vt immensæ ambitioni, quæ illum stimulat,aliena ratione satisfaciat, tantam ex ciuium bonis pecuniam cogat, quanta sat sit ad maximos exercitus alendos,& præfectorũ auaritiam exsaturandam. Immania igitur tributa imperabit; tenues homines omni victu spoliabit; ciuitates, & prouincias inanes reddet; militum licentiam ita soluet,vt nullo metu possint eorum effrenatæ libidines cohiberi; externis postremo auxilijs Remp. conculcandam permittet. Non solum igitur ijs,cum quibus bellum sine aliqua graui causſa gerit; erit infestus; sed suis etiam, pro quorum salute se ad mortem offerre debuisset,pestem,atq. perniciem importabit. Iã vero, vt victoriam obtineat, quam voluptatem, si non est totius religionis,& humanitatis expers,ex tam horrendo

Virtus summa, & vitæ contemptio, felici successu raro caret.

rendo spectaculo capiet,vt illius gratia sine vlla necessitate bellum suscipiat? Multa namque hominum innocentium millia trucidantur,stupra per vim multis virginibus,& ingenuis mulieribus inferuntur; fortunæ diripiuntur; sacra polluuntur; liberi homines in seruitutem abducuntur; omnia ferro,flamma,vastitate consumuntur. Si igitur,qui mortem innocẽtibus afferunt,aut pudorem castis eripiunt aut religionis sanctitatem violant,aut coniectis facibus ædes inflammant, aut cultũ agrũ vastant, sempiterno supplicio digni sunt; homines,qui causſam infinitis cædibus,flagitijs, latrocinijs,sacrilegijs,inflãmationibus,atque populationibus attulerint,quos satis digno supplicio poterunt debitas pœnas,vt æuo sempiterno acerbissime cruciãtur,exsoluere? Quid si ijsdẽ ciuibus suis atq. patriæ vniuersæ,ea oĩa mala,quæ sumus oratione cõplexi,suis consilijs temerarijs importauerint? Fit. n. sæpenumero,vt ij,qui se victores fore cõfidũt,vincantur; & ea mala,quæ hostibus suis inferre cogitabant,ipsi merito,atq. iure subeãt. Ipsius tũc cõmunis exitij,& publicæ euersionis,adulatores caussã oẽm sustinebunt. Cernitis iã animo quãtas strages edat adulatorũ immanitas, cũ Reges impigros,& audaces nacta est? quanto studio illos odio pacis incẽdat,& ad bellum te mere gerendũ solicitet? Atq. præter alia mala quibus isti homines nefarij,Reges ad inutilia, & pernicioſa bella concitando Remp. perdũt, & afflĩgunt;eam multis erroribus turbulentis inficiunt,& a veræ religionis cultu ad falsæ,& impuræ studiũ traducũt. Laxatis. n. pudoris,& verecũdię vinculis,& morũ sanctitate, & castimonia profligata,facillimũ est,in populo,propter assidua mala furiosę conturbato,pro vera religione falsam supponi,atq. substitui, maxime vero,cum ea, quæ inducitur, popularis exstiterit,qualis ea est, quæ his calamitosis tẽporibus, in illis præcipue partibus, in quibus eiusmodi bella versata sunt, nostris peccatis increbuit. Vnde cõcludi põt, adulatoré pestẽ Reip. morũ pernicię,patrię turbinẽ,atq. procellã esse,legũ sanctiones,pacis ornamẽta,religionis præsidia,oĩaq. pietatis studia peruertẽtẽ. Hactenus ea quidẽ mala persecutus aliqua ex parte sum,quę eorũ hominũ scelere patrãtur,qui sese ad Reges Marti dicatos adiũgũt. Nunc consequens est, vt videamus, quam vrbani,& festiui sint Veneris satellites,atq. ministri,qui operam dant illis Regibus,qui magis sunt in libidinẽ procliues,quam ad arma propensi. Referamus igitur animum ad illam industriam,quam elegantes,& lautę mulieres in eo consumunt: vt Principem nimis mollem,& delicatũ,& exquisitissimis cibis egregie saginatum,multisq. odoribus suauissime delibutũ reddant. Hunc igitur sic enutritum, vbi vafri homines, & acuti excipiunt, illiusq. naturam penitus explorant;spe ingentis prædæ erecti, se accingunt,vt mollitiem illius nitidi Principis,in suum compendium, & quęstum conuertant. Ergo,si quid naturalis pudoris in eo inerat,id totum verborum petulantia,& lenocinio tollendum curant, seq. illi diligentissimos intemperãtiæ ministros fore profitẽtur. partim igitur lasciuis sermonibus, atq. iocis petulantibus,eorum cupiditatem inflammãdo;partim ad consensum libidinis multas mulieres allicendo,sic Principis animum deprauant, vt nihil fingi possit intemperantius: si enim, vt ante diximus, oẽs homines ita sunt voluptatis appetentes,vt neq, paupertas,neque disciplina, neq. iudiciorum metus eorũ libidines coercere possit; &, quo maiores opes sunt,eo licentia maior,& cupiditas immanior exsistit; quid fiet de Regibus, quorum opes ingentes,& deliciæ summæ sunt, & cupiditates omni metu solutæ;cum ad ea domesticæ malæ perditorum hominum impuri sermones accesserint? Nec. n. solum eos ad nequitiã stimulãt; sed demonstrare nituntur,nullam dedecoris maculam ex flagitio sæ libidinis impuritate Regibus adolescentibus adspergi: intemperantiã. n. iuuenum,inquiunt, non esse vitio vertendam,sed in vrbanitatis,& elegantiæ laude ponendam. Decere illam ætatem lepores, & veneres,& amorum blanditias,& sales,atque iocos,ad libidinem acrius irritandam accommodatos. Regibus autem id magis conuenire, quo sunt ad omnes voluptates animo securo perfruendas magis instructi,atque parati. Stultum est,inquiũt,cum possis iucundissime viuere,tristitiam vitę consectari. Regibus deinde fas est,quodcumque illis libuerit. Eum. n. statũ assecuti sunt,vt omniũ subditorũ, opes, atq. labores sint ad eorũ voluptates, & cõmoda referẽdi; illorũq. libidines sint pro legibus reputãdæ. Quod si regibus voluptates respuẽdæ sunt, & blandimenta naturæ reijcienda;valeat regnum, imperij maiestas intereat, si nihil est aliud,quam curas, & sollicitudines allatura. Quare si sapis,fruere telisiitate tua,neq. adolescentiæ florẽ sine fructu summæ iucunditatis effluere sinas: volat. n. ætas, & facultas pfruẽdæ voluptatis elabitur;fruſtraq. tãdẽ occasionẽ eximiæ suauitatis amissam lamẽtabere. Fac igitur,vt quãtũ fieri possit, iucundissime viuas;intelligantq. oẽs mortales, nihil esse in terris Rege beatius. Regni vero procurationẽ hominibus spectatis cõmitte,vt illi,si quid opus fuerit, ad te interdum de Rep. referant; & interim ipsi pro te laborẽ subeãt,& tu,solutus omni cura, delicijs, atque voluptate circumfluas. Sententia placet,corpus enim tenerum laborem fugit,& animus delicijs eneruatus, negotij difficultatẽ anxie reformidat: nihil igitur libentius Princeps ille faciet, quã vt flagitiosas voluptates honestis laboribus anteponat; Regniq. gubernacula illis amicis, quos libidinis conscios habet, aut alijs eiusmodi, tractanda relinquat: noctem igitur inflagitijs,diem vero in somno,& in ludo parum

Reges effeminati.

libera-

Universidad de Deusto
Biblioteca

liberali consumit. Ne autem hominum querelas audiat, includit se domi, admodumque raro in publicum prodit, in quo quidem suorum familiarium sermonibus inductus, existimat se grauitati, atque dignitati consulere. Si te, inquient, ita vulgaueris, vt quiuis homo de plebe, quoties velit, ad te adire possit, præter illam molestiam, quam tibi homines ignobiles exhibebunt, maiestatem tuam imminues; paullatimque fiet, vt ob nimiam familiaritatem, contemnaris. Quo modo igitur Regia dignitas a te retineri poterit? si aditus ad te fuerit ita difficilis, vt paucis ad modũ pateat: reliqui vero ad nos postulata sua deferant, vt de illis cognoscamus, vel ea ad te, si visum fuerit, referamus. Dum igitur Rex, ab illis eiusmodi ratione persuasus, se ab officio suo remouet, illi interim eius somno, atque desidiæ, ad suam vtilitatem sane diligenter abutuntur. quod vt rectius faciant, fœdus inter se feriunt, & societatem sceleris ineunt: da mihi operam mutuã tu me laudabis apud Regem, ego vicissim industriam & vigilantiam tuam verbis extollã. Tu dicito me esse dignum hoc honore, quem ambio: ego rursum te dignum esse prædicabo, in quem hoc munus, quod expetis, cõferatur. Tu vrbanitatem meam laudato: ego cõtra ingenij tui acumen admirabor. Quid præterea? Demus operam, ne quis alius in Regis familiaritatem veniat, qui opes, quibus imminemus, intercipiat: cauendum enim est, ne, si aliquis, qui nobis antecellat ingenio, fuerit admissus, nos, vbi velit, excludat. Omnes igitur aditus præcludamus, regem obsessum teneamus, omniq. præsidio circũuallemus, ne quis ad illum nobis inuitis adspiret. Quod si aliquis inter illos tantum gratia, & opibus excellit, vt id reliqui non facile patiantur; fidem nefarie produnt, & de illius pernicie cõiurant. quod si alia ratione euertere illum nequeunt, cum primum negotium aliquod se offert apud alios Principes gerendum, aut munus aliquod in longinquis terris administrandum; hominis ingenium laudant, industriam in cælum tollunt; nec alium reperiri posse cõfirmant, qui maiore cum prudentia, & auctoritate negotium illud conficiat. Legatur igitur, aut, vt rectius dicam, sociorum perfidia relegatur; illi vero præclari laudatores, vbi per speciem honoris socium in externas regiones amandauerint, locum illius occupant, & vallo, atque munimento sæpiunt, firmoque præsidio vinciunt; ne, cum ille redierit, queat, vnde fuit deiectus, vllo modo restitui. Nec eo contenti, absentem primo clamculum mordent; apertius deinde rebus illius obtrectant, operamque dant, vt Rex quotidie magis hominem despiciat. Si res illi bene procedit, minime mirum esse dicunt, negotium esse facile, & expeditum, & eiusmodi, vt a quouis transigi possit; si vero aliquid secus accidit, quam oportebit, omnia confestim in miserum tela iaciuntur; illumque aut ignauiæ, & timiditatis insimulant, quod non acriter institerit, neq. se virum ostenderit; aut audaciæ, & temeritatis accusant, quod eos, cum quibus negotia magna tractabat, insolentia orationis offenderit. Hęc in sermone quotidiano inter se conferunt: hæc eadem cum Rege familarissime loquuntur; donec id, quod fuerat ab illis institutum, perficiant. eorum igitur opera ita se Rex illi misero infestum præbet, vt numquam eum rursus in familiaritatem recipiat. Et hac quidem fide amicitias inter se colunt, vt tantisper amico parcant, dum vel aliquid ab illo sperant, vel opes illius ita munitas esse putãt, vt non facile labefieri posse confidant. Vbi vero primum illius euertendi facultatem oblatam vident, eam minime prætermittunt. Sic autem fit, vt status reip. paullatim commutetur: nomen enim tantum Regni manet, re autem vera paucorum potestas instituitur; intolerabilis enim potentia ad pauciss imos homines defertur. Dum is igitur, qui Regis nomen obtinet, in voluptatibus ætatem conterit; dũ somno, desidiaque torpet, dum ita suam personam in negotijs interponit, vt semper suis familiaribus obsequatur: illi interim moderatores reip. ita se gerunt, vt omnia venalia proponant, & mercatum instituant omnium curationum, & munerum. Sic autem silent legẽs tolluntur iudicia, libertas eripitur, auaritia dominatur: neque solum viduæ, atque pupilli, & reliqui, qui, propter imbecillitatem, obnoxij sunt iniuriæ, sed potentiores etiam vexantur, & multa incommoda patiuntur. Cũ enim inciderint in offensionẽ eorũ, qui tenent oĩa, necesse est, vt oĩum fortunarũ periculũ adeãt oẽs igitur illis adulẽtur opus est, illis seruiãt, illos muneribus, atque donis afficiãt, ad illorumque libidines se totos accommodent; reliquis autem, qui apud illos in gratia non sunt, ne lamentari quidem libere calamitatem suã aut opem contra illorum potentiam implorare licet. Neque solum ex omnium subditorum bonis prædas agunt; sed Regis etiam opes, domum auertunt, illuisque gazam impune deripiunt; studia vero virtutis, & honestatis abijciuntur. Nec enim ibi frugalitas, & continentia locum habere potest, vbi luxuria immensa principatum tenet; nec animi magnitudo, vbi libertas oppressa est; nec iustitia, vbi omnia venalia sunt; neque prudentia, vbi cuncta temeritate & amentia perturbantur. Iam vero liberalitas, & beneficentia, & reliquiæ eiusmodi virtutes, quomodo splendere possunt, vbi omnia oppressa sunt crudelitatis, & auaritiæ dominatu? Armorum vero vsus penitus obsolescit: irridentur enim milites, homines fortes eijciuntur; duces & imperatores ab hominibus profligatis atque perditis, honoribus & emolumentis spoliantur: sic igitur, cum ad sceleratorum hominum libidinem res administrentur, cum nihil gratis ab illis auferatur, cum

cum magistratus, & præfecti, non dignitate, sed pretio fiant, cum legum auctoritas concidat, cum iudicia nulla sint, cum vbique minutę tyrannides exsistant, maiorum tyrannorum gratia confirmatæ: quæ reliqua spes erit populis, tanta importunitate perditis, & afflictis? Omnium pecunię in paucorum domibus includuntur; opes Regis ipsius comminuuntur; adulteria, & homicidia impune fiunt; vniuersa Resp. furtis, & latrocinijs infesta tumultuatur; tantisque dissensionibus laborat, vt diu stare non possit. Et hæ quidem sunt artes, quibus illi in pace gubernãt; si pax appellari potest interitus legũ, & totius Reip. fœda confusio. Nunc belligerandi rationem videamus. Imminet repente bellum, & hostium exercitus ad nos oppugnandos summa celeritate contendit. Euocentur, inquiunt, milites. Qui? Iŋe, quibus frequenter illusistis? quorum virtutem cõtempsistis? quos omni contumelia dignos existimastis? Conscribantur exercitus. Qui exercitus? scurrarum ne, atque lenonum, quos, fortibus viris exclusis, in sidem vestram recepistis? an potius mercatorũ atq. redemptorũ, quos auaritiæ ministros habuistis? Arripiantur arma; tela subito comparentur. Quæ arma? quæ tela commemoras? ea ne, quæ studio, atque vigilantia vestra situ, atque rubigine consumpta sunt? nec armorum vllum studium, nec arma video, neque vires deniq. quibus arma gestari possint. Omnes enim, in quibus inerat aliqua virtutis militaris indoles, cum cernerent, a vobis homines fortes irrideri, virtutemque ludibrio haberi, præmiaque virtuti debita, flagitiosis, & impuris hominibus condonari, abiectis armis, sese ad eas artes, quibus effeminantur animi, libenter, & studiose contulerunt, vt vestris vestigijs insisterent. Sociorum (inquis) auxilijs a nobis periculum propulsabimus. Miserum, copijs tuis omnino diffidere, externisq hominibus, qui fidem venalem habent, vitam tuam, atque libertatem tuẽdam credere. Sed esto: sit aliquod firmum præsidium ignauis hominibus, in externo, & conducto milite collocandum. Exprome igitur pecuniam, vt homines, quos non reip. caritas, neque insigne laudis studium, sed pecuniæ tãtum cupiditas, ad arma solicitat, pecuniæ magnitudine feroces efficias. Vnde igitur tantam pecuniam erogabitis? num ex Regis ærario, quod est partim illius intemperantia, partim auaritia vestra penitus exhaustum? num ex populis immanitate vestra perditis, qui quemadmodum vitam tenuissime sustentent, rationem inire non possunt? Nam illud certe non dicetis, vos, vt debitum Principi, qui vos tantis opibus auxit, officium persoluatis, velle pestem hanc a Republ. vestris sumptibus arcere. Quæ enim vestra sapientia est, credo vos malle communi patriæ incendio conflagrare, quam aliquid pecuniarum, quas summo studio coacerauistis, impendere. Sed demus fieri posse, vt, in tanto Principis somno, & negligentia; in tanta ministrorum auaritia; in tanta populorum calamitate, sit tamen ærarium refertum; quem fructũ poteris in bello ex ingenti pecunia, sine virtute percipere? diuitiæ namq. quas imbelles homines possident, non eorum propriæ, sed hostium potius existimandæ sunt: victorũ. n. manubiæ sunt, non imbecillitatis oppressæ subsidia. tantum. n. abest, vt grandis pecunia sine virtutis auxilio opem ferat vllã, vt maius etiã ruinæ periculum moliatur. Omnes enim illud bellum libentissime suscipiunt, ex quo, minimo cum periculo, maxima sibi belli præmia pollicentur. Quocirca minime probo eorum sententiam, qui pecuniam belli neruos esse dicunt. Bellum enim, non tam pecunia, quam virtute conficitur. & virtute pecunia comparatur, non virtus pecunia. Nec enim Darij gaza Alexandri Magni virtutem oppressit: Alexãdri porro virtus omni Darij gaza potita est: ex quo sequitur, nullum esse firmum præsidiũ, vbi virtus abest, in diuitiarum affluentia constitutum. Quid fiet igitur in bello de Rege ignauo & imbecillo, diuite tamen & opulento, cũ ab hoste acri, & strenuo fuerit oppugnatus? Profecto, nisi pacem ab hoste auaro, & insolẽte multo auro redemerit, cum omni Rep. sibi cõmissa funditus interibit. quod quidẽ dedecus non dico Principibus, quorum omne studium est in verissima gloria consumendum; sed omnib. ingenuis hominibus, qui dignitatem carã habent, debet esse morte ipsa calamitosius. Non est. n. pax fortibus hominibus auro, sed virtute paranda. Quid illud? quod in pace pecunia redempta, nullum est firmum amicitiæ fœdus sed perpetuum seruitutis autoramentum: necesse enim erit singulis ferme annis, eadẽ tributa pendi: aliter enim numquã deerũt causæ, quibus victor bellum intermissum redintegret; vt illum, quem semel perculit, & abiecit, omnibus rãdem bonis spoliet. Vbi igitur Rex fuerit mollis, & lãguidus, & Veneri deditus, & in Repub. gerenda dissolutus, & in potestate perditorum hominum constitutus; fieri non poterit, vt status Reipub. conseruetur: nam nec vllę opes esse possunt, vbi virtutis studium exstinctum est. Et, quamuis ingentes opes essent a Principe domi reconditæ, nullum esse posset, in illis firmum ad pericula depellenda subsidium, immo, quo plures opes sunt iniuria partæ, eo Princeps maiore suorum odio flagrat, & maiore aliorum inuidia premitur, & acrius cupiditatem hostium incendit, & irritat. Hæc quidem mala, & alia multa sunt, quæ adulatorum opera Rebusp. inferuntur, cũ Regem mollem, atq. desidem nacti fuerint. Vide te igitur, quam sint semper omni Reipubl. tætri, & infesti, & pernicios i; siue in pace, siue in bello, siue sese ad Regem, acrem, & impigrum, siue ad desidem, & ignauũ applicuerint. Non enim ij sunt, qui vnum modo, & ratione refre-

Belligerandi ratio.

In pace pecunia redẽpta, nullũ firmum amicitię fœdus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nent;alteri ſtimulos admoueant;immo cõtra qui animum vehementẽ,& incẽſum acrius inflamment, & ardentibus furoris, & amentiæ tædis exagitent;animum vero mollem, & languidum,& flagitio corruptum, multo magis mollem,& flagitioſum reddant, totiuſque laudis,& dignitatis immemorem. Vt autẽ in fidibus, cum nerui nimis intenduntur, aut nimis remittuntur, harmoniam diſſolui neceſſe eſt; ita,cum Rex aut nimis ad vim, ad facinus, ad belli furorem concitatur, aut nimis animo relaxatur,& nimis molliter, & delicate ſe gerit; neceſſe profecto eſt,omnẽ concentum,& ſymphoniam Reip.conturbari. Illud.n. Nimis,qđ tu,Meneſi,omnem vitæ rationem euertere dicebas,adulatorum eſt proprium:nimis.n.laudant,nimis vituperant,nimis eriguntanimos nimis abijciunt,nimis geſtiunt,nimis afflictãtur;& ita,cum ad Regem accedũt, in quãcũq. partem eum inclinatum vidẽt nimis eum impellunt,& paullulum etiam labantem præcipitant. Quid autem,cum Rex non vnam tãtum ſectam ſequitur;ſed in contrarias partes anciptiti ſtudio,&cura diſtrahitur?fit.n.interdũ,vt non ſolum acer,iracundus,elatus, ambitioſus inſolens,& infeſtus ſit;ſed etiã languidus,enervatus,& petulãs,& flagitioſus,& libidini,atq. nequitiẽ nimis turpiter addictus. Vt igitur in eodem ſimili verſer,quo paullo ante vſus ſum quemadmodum in cithara, cum aliæ chordæ nimis intentæ,aliæ nimis laxæ ſunt,& omnes inter ſe maxime diſcrepent,abſurdæ quædam & diſſonæ voces, cum maxima aurium offenſione,funduntur:ita Rex,in tanta vitę diſparitate,morborumq.repugnantium diſſimilitudine,a ſe ipſo diſsidens, ſecumq. diſcordans, omnium hominum aures,oculos,animos,graviter offendit;vniuerſamq.Remp. nimis confuſa & abſona ratione perturbat.Nec. n. eam tantum furore,& amentia,&inconſiderata temeritate cõuellit;ſed etiam dedecore afficit, flagitiorũq. omnium inquinatione corrumpit. In hac igirur tam perturbata vitæ ratione,tãtaq.flagitiorum diſſenſione,atq.pugna, operę pretium eſt animaduertere,quam operam nauent iſti boni Principibus; quam variæ ſuam verſent,& ad variam, atq. diſſimilem cupiditatem Regis accommodent: tantum enim valent ingenio, vt nullus ſit tam difficilis morb. quem non adulando, & aſſentando augeant; nullus ſit animus tantis commotionib. agitatus,quem non omni flagitio,& ægritudine cõtaminent:tam diligenter autemvincuiq.Principis flagitio ſeruiunt,vt ad illud tantum inuicundum natos eſſe dicas. Nunc.n.furorem Principis augent, & illum immenſa cupiditate dominationis inflammant; nunc omnibus blanditijs,& lenocinijs ad vitæ mollitiem,atq. flagitioſas voluptates alliciunt;& ita deniq. varie illum torquent, & flectunt, vt nihil Regib. qui ſe illis dediderunt, aut magis vehemens, & acre,aut magis languidum,& enervatũ poſſit excogitari. Quod ſi,vt ante iam dictum eſt, duæ virtutes cum omnibus ingenuis hominibus, tum vel maxime Regib. neceſſariæ ſunt, nempe fortitudo,&animi moderatio:omniſq. Principis inſtitutio eo in primis referẽda eſt, vt ſit illius natura ita temperata, vt cũ animi ve hementis impetu moderationis lenitatem coniungat; & rurſus lenitati,atq. manſuetudini (cum opus ita fuerit) vim quandam iræ paullo acrioris admiſceat: quam pœnam merentur ij, qui nullam in Principe inſtituendo moderationem adhibent; ſed illum aut elatũ, & iracundum,ſine vlla temperatione clementiæ;aut mollem, & delicatum, ſine vllo ſtudio virtutis efficiunt?Iam vero,cum vtrumq. præſtiterint,vt Reges in eorum diſciplinis enutriti,non ſolum ſuperbi, truculenti, & immanes fiant;ſed etiam deſides,& ignaui,multiſq. flagitijs infames ſint;nullo ſatis digno ſupplicio, tam ſceleſtũ,& immane facinus vindicari poteſt. Non tamen is vllo modo ſum, qui velim, inductus odio,laudes eorũ obterere,qui principum libidinibus obſequuntur:ſemper.n.tribui plurimum eloquẽtię,&eos,qui in illa principes exſtiterunt,admiratus ſum. at nemo poteſt negare,eos, quos multi Principes in delicijs habent,eſſe eloquentiæ laude præſtantiſsimos:tantum enim in dicendo valẽt,vt probẽt eſſe ingentem in ſumma imbecillitate potentiam,in miſerrima ſeruitute principatum, in ſumma miſeria florentiſsimæ,atq.beatiſsimæ vitæ rationem. Quo tandem,inquit Tauora, modo?Primum,inquam,ſtatuunt,illũ, qui omnia ad voluntatem ſuam adminiſtrat,& in omnibus rebus libidini ſuæ diligenter obſequitur non modo liberum,&potentẽ,ſed ſummi Principis nomine digniſsimum:ſi. n. princeps eſt, qui multum potentia præſtat;& potẽtia in eo poſita eſt,vt,quidquid libuerit,facias; is certe princeps potentiſsimus habendus eſt,qui perficit,vt omnia, quæ viderit,& concupierit, & cogitauerit,ad nutum illius præſto ſint, & cupiditati illius obtemperent.Cum autem principes nomine potentiæ maxime glorientur, & ab amicis perſuaſi maximam potentiam in libidinis infinitę licentia,atq.fructu cõſtituãt; fit tandem, vt nullum flagitium ſibi dedecori fore putent,dumniodo ex illo flagitio conſtet, eos tantum poſſe,quantum velint.quod ſi progredi longius cœperint,nullum erit tantũ facinus,quod illis minime gloriandum,atq.præferendum videatur. Ergo, ſiue per vim labẽ caſtis inferant,ſiue bonis vitam eripiant, ſiue demum potentium fortunas auertant, ſiue quidquã aliud contra iura oĩa deſignẽt, quo ſignificari poſsit,illos inſigni potentia, & robore præſtare:periculum eſt, ne ſibi ſummam laudem,& gloriam tribuendam putent, & reliquos principes, qui iure ſuo non ad eundem modum vtuntur,aut ſtultitiæ,aut timiditatis inſimulẽt. Sic autem opera eorum, cum quib. coniunctiſsime viuunt,fit,vt,cum imbecillitate,&

te,& inopia laborent,ſe tamen potentia, & opib. florentiſsimos arbitrentur. Quam imbecillitatem,inquit T.& quam inopiam narras? Vt enim fateamur,eos, qui omnia officia vitæ voluntate,& libidine metiuntur, flagitioſos', & infames eſſe;non tamen ex eo ſequi videtur vt inopes,& imbecilli ſint. Quid?inquam,eum ne qui nihil arbitratu ſuo decernit,ad alterius nutum viuit, qui nihil agere, nihil moliri audet,quod non ſibi fuerit ab eo,cuiusnutus omnes obſeruat, imperatum, aliquid poſſe ſuſpicaris?Minime,inquit. Quid,inquã, deinde? is ne,qui totus eſt poſitus ſub libidinis dominatu,aliquid arbitrio ſuo gerit?Non certe.Libido namq. eſt,quæ illi leges imponit,quæ faces admouet,quæ verbera intentat,quę ſuppliciũ cõminatur,quæ ſic illum accipit,vt nullo cruciatu contenta eſſe poſsit. Qui igitur illi paret,non ſolum princeps aut potens exiſtimandus non eſt:ſed ne liber quidem,immo mancipium viliſsimum, plagis inſuitis obnoxium. Deinde,ſi potens ille eſt,qui,quod vult, facit, & qui libidini paret,non vult,quod facit; nonne perſpicuum eſt, eum nihil omnino poſſe? Volumus enim non tam id,quod agimus,quã id,cuius gratia actionem aliquam ſuſcipimus veluti,cum pharmacum ſumimus, non pharmacum,ſed ſanitatemvolumus:ergo,ſi,multis pharmacis exhauſtis, morbum minime depulimus, minime, quod voluimus, effecimus; ſed, quam tenues eſſent naturæ noſtræ vires, oſtendimus:ſic etiam princeps,qui ſe flagitioſe gerit, flagitium illud non vult, niſi propter emolumentum,& fructum,quem ex flagitio ſe percepturũ credit: ergo, ſi id nõ adeptus fuerit,quod optabat,ſed,quo maiore ſtudio flagitia fuerit conſectatus, eo ſe magis omnibus illis commodis, quæ ſibi opinionis errore fingebat, priuatum ſenſerit; nonne perſpicuum eſt,cum nullam potentiam,nullas vires,nullas opes habuiſſe?Nec enim illum ſtatum aſſequi potuit,quem ardenter expetiuit:dominationem enim, & infinitum imperium quærebat, & libertatem amiſit;famam,& gloriam aucupabatur,&ſempiternam ignominiam ſubiuit; beatam vitam ſitienter appetebat,&omnibus ęrumnis,atq.miſerijs circumuentus eſt. Nullum enim malum abeſſe poteſt ab eis,qui,cum multis opib.abundent,temeritate,& amentia ducuntur. Omnia namq. ad peſtem, & pernicié conferunt, quæ ſibi fuerant ad ſalutem attributa. Ergo,quo magis iſti, qui principibus operam nauant,eloquentia florent, eo magis ſunt ab eorum familiaritate repellẽdi: eorum ſiquidem opera fit, vt multi principes exiſtiment,nihil eſſe magis Regium, quam voluntati propriæ ſatisfacere, & cupiditatibus obſequi, & in omnibus rebus adminiſtrandis non lege;more,& ratione,ſed appetitu,leuitate, libidine,inſtituto,& amentia gubernari; vſque adeo,vt illorum opinione,is Regio nomine ſit digniſsimus,qui maxime dedecori,flagitio,atque turpitudini ſeruit,totumq. ſe dat nefariæ voluptati conſtringendum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIERONYMI OSORII LVSITANI

DE REGIS INSTITVTIONE, ET DISCIPLINA

LIBER TERTIVS.

ALIA multa in hāc sententiā dici possent. sed hæc, quæ dicta sunt, satis superq. sunt ad hoc genus hominūm ab oīPrincipū aditu, & congressione repellendum. summam tamē in hac cautione difficultatē fore perspicio. Quam difficultatem, inquit M? eam, inquam, quæ tota est in amoris vi, & magnitudine constituta. Nihil enim est, quod magis animos amore conciliet, quam amoris indicium. inhumanum enim est, non amare eos, a quibus te non mediocriter amari perspicis. Recte inquit. At constat, inquā, hos homines, qui apud Regē in gratia sunt, amore mirū in modum cruciari: quod quidē multis signis intelligi potest. Nā primū ita sunt in illius vultu defixi, vt oculos auertere alio nequeant. Deinde, cū absunt, illius desideriū ferre nō possunt. Deinde nullū sermonē cū aliqua voluptate ad aures admittunt, nisi qui de Regis laudib. habeatur. Noctes deinde insomnes illius causſa traducunt; de illo perpetuo loquūtur, somniātes de illo cogitant; & illius speciē sibi in somnis intueri videntur. Tū vero illa q̄ expressa signa amoris sunt, quod totos se ad illius voluntatē, & studiū fingunt; & pro varietate affectionum, quibus illum cōmotum animaduertunt, varie cōmutantur; vt appareat, illorū animos non proprio sensu, atq. natura cōmoueri, sed oēs rationes ex, Regis animo suspensas habere. Si lætum esse vidēt, exsultant; si tristē, abijciuntur; si iratum, efferuntur animis; si cupiditate inflāmatum, vt libidini illius tota mente seruiāt, immoderata cupiditate rapiuntur; deniq. quocūq. motu illū cōmoueri, & agitari p̄spiciūt, eodē ēt mirifice concitātur. Iā vero, q̄ sint de illius valetudine, atq. vita soliciti, quis explicare dicēdo poterit? horrēt. n. & exalbescūt metu, & pauore cōcutiūtur, quoties Regē aliquo morbo oppressum, aut in aliquo periculo cōstitutū adspiciunt. Postremo quod est maximū amoris signum, alij alijs inuident, & æmulationis, & obtrectationis morbo grauiss. laborāt. Riualles igitur odio prosequuntur, & q̄uis se illos diligere simulent, tū exstinctos cupiunt. Possumus igitur, cū hęc eximij cuiusdā amoris signa videamus, insitiari eos esse sūmo amore Principis, cui seruiūt, inflammatos? Minimē, inquit T. si igitur, inquam, Regē nō mediocriter amāt, qua tandē ratione Regem impellemus, vt homines lepidos, & vrbanos, venustatibus affluentes, quib. se carissimū, & iucundissimū esse cōspicit, ablegari patiatur? Si igitur, inquit, id efficere dicēdo poteris, vt Prīceps eos, a quibus se perdite amari videt, a se segregari sinat, magnā eloquentiæ significationē dabis. Id quidē, inquā, experiri licebit. sed mihi velim credatis, peruersam loquendi consuetudinē maximā malorū oīum causſam reb. humanis attulisse. Dum. n. res turpes honestis nominib. appellamus, turpitudinē facillime, honestatis specie capti, suscipimus. In vita igitur, & officio delinquat, opus est, qui in verbis, & oratione delinquit: quod quidē manifeste in amoris nomine, & ratione perspicitur. Quid. n. est amore honestius? quid illa cupiditate, cui multi nomē Amoris imponūt, flagitiosius? Amor. n. est honestatis studiū, veræ pulchritudinis appetitio, decoris, & laudis immēsa cupiditas: Voluptatis autē appetitus in turpitudinē fertur; &, dum se expleat, de pulchritudinis, & honestatis interitu minime laborat. Amor igitur pulchritudinē admiratur, & honestatē, & decus omnib. vitæ cōmodis anteponit: libido aūt oēm eripit honestatē, & corporis etiā pulchritudinē dedecore, & fœditate cōmaculat. Præterea, amor, illi, quē amat, oīa bona ardentissime cupit; & illius gratia quēuis laborē excipere, aut periculū adire minime reformidat: at libido, dū sibi satisfaciat, qd afferat ei detrimenti, in quē furēter incitatur minimi faciendū putat. Postremo, amor id, qd amat, saluum, & ornatum vult, & illi etiā æternitatē exoptat: at voluptatis cupiditas, in ipsam pulchritudinē, q̄ habet carā, satis contumelioſe, & petulanter inuehitur; illiq. sempiternū dedecus inurere, & interitū afferre cōtendit. Quomodo igitur fieri pōt, vt, quod ego amo, euersum, & exstinctum velim? Ergo, cum amor pulchritudinē admiretur; libido pulchritudinē deformet, & in decus honestatis irruat & insultet, vt id totū eripiat; consequens est, vt libido nefaria, non amor, sed odium potius capitale nominanda sit: sed, quia voluptas eximia amorē cōsequitur, factū est, vt multi voluptatis flagitiosæ cupiditatē, satis imperite nomine Amoris appellarent. Nā reuera flagitiosi amatores, non amatores sed hostes immanes appellādi sunt: nisi fortasse credimus Coridonē. Virgilianum, Alexim illum, quē pdite se amare dicebat, amore vero fuisse prosecutum: ipse se ostendit, atque plane fatetur, qualiter sit animatus in Alexim. Inquit enim:

Amoris definitio.

Torua

Torua leæna lupū sequitur, lupus ipse capellā,
Florentem cytisum sequitur lasciua capella.
Te Coridon, o Alexi, trahit sua quēq. voluptas

At leæna lupū sequitur, vt eū dilaniet; lupus capellam, vt eam deuoret, capella cytisum, vt carpat, atq. conficiat: ergo Coridon insequebatur Alexim, vt eum perderet, & omni dedecore contaminaret. Amatores igitur ij, qui appellantur, cum amant id, quod habent earum non vt ornent, & opibus augeant, sed vt omni dignitate, & opibus spolient, insequuntur. Vt igitur in propositum redeamus, fateor quidē, hos homines, qui Regib. in delicijs sūt, esse Regum amatores maximos; & omnib. curis affligari, quib. amatores perpetuo cruciātur. Sic enim stupent, sic vigilāt, sic insidias cōparant, sic riualibus inuident, sic ingemiscunt, & interdum etiā lamentantur; vt facile appareat, eos esse animo ægros, amore sæuo saucios. Quemadmodum igitur amatores non aliud, quā suā tantum voluptatem, sibi proponunt; ita ij non dignitatem Regis amplificatam, sed suas opes cumulatas, & adauctas cernere cupiunt. Ergo vt is, qui virginem amat, non cupit virgini bonum aliquod; sed eam potius parentibus orbatam, ab opibus, & amicis inopem, omniū ope, & patrocinio destitutam; &, quod multo grauius est, omni prudentia, & grauitate, & pudore spoliatam videre cupit, vt eā facilius ad cōsensum libidinis, & impuritatis alliciat; ita isti boni viri sic Regem amant, vt illum oībus virtutis, & honestatis, & sapiētiæ opibus nudatū, & spoliatum vehementer exoptent; vt facilius eorum infinitis cupiditatibus obsequatur. Primum quidem igitur eum bonorum hominum ope nudant, & omnibus, qui prudentiæ, & modestiæ, & bonitatis laude præcellunt, aditū ad Regiam familiaritatem diligētissime præcludunt: sunt enim vehementer anxij, & de statu suo valde soliciti: sapienter enim vident, nihil esse magis aduersarium falsæ virtutis opinioni, quam veram virtutem, spectatam, & cognitam; nihilq. magis officio simulato contrariū, quam rectum officium, vere, & ex animo tam Regi, quam patriæ, persolutum. omnes namq. falsæ, & inanes laudes euanescunt, vbi primū in splendorem solidæ, & expressæ virtutis incurrunt. ne igitur aliquis vir, animo maximo, atque singulari virtute, & sapientia præditus, qui eorum nomini obscuritatem afferre possit, in Regis familiaritatem veniat, quanto artificio pugnant? quantum laborem suscipiūt? quantas fraudes, & insidias machinantur? Incidat sermo de viro aliquo, singulari laude probitatis ornato: bonus quidem (inquiunt) ille vir est, subrusticus tamen, minimeque dignus, qui in aula versetur; homo certe innocens est, minimeque malus, sed negotij gerendi prorsus imperitus. Quid, illi rem tuam committas, qui suam male gerit? hominis religionem, & integritatem laudo; animi vero stuporem, & tarditatem vitupero. Quod si aliquis id specimen virtutis, & industriæ iam præbuerit, vt non liceat vllo modo probitatis ingenuæ laudem, nomine segnitiæ, atque tarditatis obterere: alia via aggrediuntur, &, quantum in illis est, virtutis laudem temeritatis, vituperatione deformant. Summa Principis felicitate factum esse dicunt, ne omnia corruerent furore namque hominis illius rem fuisse in extremum discrimen adductam. Si quem viderint liberum, animoque maximo vitia, quibus Resp. laborat, aperiētem; hominem nimis elatum, & confidentem, & dignitati Regis infestum esse confirmant. Nihil autem maiestati Regiæ magis aduersari, quam nimiam in loquendo libertatem. argumentum enim esse, contemni Regem, cum aliquis eum in sermone lædere non veretur: esse igitur illam vim, & effrenatam ferociam acerrime comprimendam. Si sapis igitur, hoc genus hominum a familiaritate tua procul arcēdum existimabis. si enim solus regnare vis, & hominum cupiditates domitas, & compressas habere, ne quisquam audeat ad Regium aliquod decus adspirare; oēs istiqui sibi spiritus ingētes sumūt, ita frenādi sūt, vt nemo ex illis se liberūputet. His & alijs eiusmodi sermonib. Regi sunt impediměto: quo minus se bonorū p̄sidio sepiat; ista tūq. suū fidelib. amicitijs, & cōsilio salutari cōmuniat. ad hūc igitur modū, Principē bonorū auxilio nudāt, euq. noctes atq. dies circūuallāt ne possit vllo mō ad nomē suū bonos, atq. fortes viros adiūgere. Cauēt deinde, ne Princeps vlla sibi litterarū præsidia, & adiumēta requirat: litterarū. n. studijs (aiūt) corrūpi valetudinē, infringi vires, indolē Regiā a reb. fortiter gerēdis auocari. Præterea minime decere Prīcipē, tāquā aliquē de plebe hominē, q. velit ad honores obrepere, & cōmēdatione aliqua erudītionis a multitudinis fæce segregari, libris affigi, hominūq. doctorū ineptis oblectari. Nū tibi, inquiūt, victus litteris cōparādus est? nū honores tibi propter eruditionē deferēdi sūt? tātū certe abest, vt Principi dignitatē vllā afferat eruditio, vt illi dedecori potius, & ignominiæ sit. Si dignitas igit̄ tibi cara est, nō solū litterarū studia tibi cōtenēdasūt, sed etiā eorūho minū, quise totos litterarū studijs dediderūt sermo, atq. familiaritas vitāda est: neq. vmquā accersendi sunt nisi raro admodū; nēpe, cū aliquod negotiū inciderit, quod aliter expediri nō possit. Tātisper igitur illorū garrulitatem patere, dū res alio modo trāsigi nequit: vbi id trāsactum perspexeris, illos procul amāda, ne sermonib. molestissimis tuas aures obtundāt. Sic autē ea loquuntur, & eas machinas adhibent, & eam opinionē in animo Regis inserūt vt is tādem ad officium suum valde pertinere putet, oēs litteras odio persequi, arteſq. maximas exsecrari. Nec hoc scelere contēti, aliud multo immanius moliuntur: nec enim tātum Reges litterarū, & disciplinarum p̄sidio spoliare, sed etiā Diuina ope orbare contendunt.

Laudes falsæ & inanes euanescunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Persuadent enim Regibus,nõ esse illis religionem summo studio colendam; non,inquiunt, quod religio negligenda sit; esset enim scelestum,& immane facinus;sed quod in Regibus, cum immodica est, dignitatem nullã habeat. minime enim decere Principem,instar cuiusdam vetulæ, multam operam in precibus, & in votis, & in procuranda religione consume re.Deinde,si religione,inquiunt,te nimis implicueris,officium tuum non facies,sed potius multis in locis obiecta religione, a studio dignitatis abduceris. Abijcit enim animum, qui valde religiosus est, & decoris, atque dignitatis studium deponit: nec enim iniuriam vlcisci vult,sed omnes contumelias patientissime tolerat. quod non est animi fortis,& confidentis officium,sed imbecilli potius, & enervati, minimeq. de Regiæ dignitatis amplitudine cogitantis. Veniat igitur tibi in mentẽ, te non sacrificulum, sed Regem esse; eaq. sacrorum studia, quæ dignitatem tuam imminuere possunt, omitte. Hæc autem ita disserunt, vt paullatim omne pietatis studium restinguant: modum enim,quem religioni adhibendum censent,exiguis adeo finibus circumscribunt, vt pro parte sua paullatim omnem ex animis religionem tollant: itaque perficiunt,quãtum possunt,vt reges a Dei coniunctione direllant. En amoris vis incredibilis, qua isti boni viri sese ad summum studium Regis adiungunt.En,cur opibus augeri,& dignitate omni cumulari debeant. En, cur merito, bonis omnibus exclusis, & Principe multis molibus, atque machinis obsesso, ipsi soli in omni Rep. dominentur. tanto enim amore Regem amplectuntur,vt illum hominum bonorum vsu,& familiaritate prohibeant;vt fructu sapientiæ, qui monumentis doctissimorum hominum continetur, omnino priuent; vt Dei postremo numen,opem,& auxilium ab illo, quantum possunt, longissime repellant: vt sic tandem, riualium omnium timore liberati, summum fructum ex amore, quo sunt acriter inflammati, secure percipiant. Nec enim aliud est,quod illos cogat,omni Diuino, & humano præsidio nudare Principes; & eos summo scelere,perfidia,& immanitate obsessos tenere, ne possint vllo modo salutari ope, & auxilio liberari; nisi quod intelligunt, hæc omnia fore impedimenro, quo minus tyrannidem suam diu tueri, & simplicitate Principis abuti possint. Qui igitur ita Reges amãt, vt eos omni Diuino,& humano præsidio destitutos videre cupiant; vt ipsi liberius omnibus illorum opibus potiri queant; num Reges amant? an potius opes, & honores, quibus inhiant,& inanes pecunias, quas infinita auiditate liguriunt? Hæc si Rex sapienter animaduerterit,illos certe non vt amicos amplexabitur; sed vt proditores (ne quid aliud dicã) a se longissime segregabit: aliter enim cum suo magno malo sentiet,non se, sed pecuniam infinitam, & potentiam non ferendam, ad hominum perniciem comparatam, ab illis amari. Mala enim, quæ in Principem bonorum ope destitutum, artium maximarum præsidio nudatum, a Deiipsius præsenti auxilio derelictum,perditorum hominum scelere circumsessum,repente inuadunt, quis poterit enumerando recensere? Vt tamẽ aliqua summatim referamus, primum omnium malorũ summa temeritas,& amentia est.Quod vt rectius intelligi possit,statuendum est,non omnem inscitiam esse similiter exsecrandam: multum enim interest,qualis stultitia sit;deinde, in cuius animo insideat: stultitia enim quædam mediocris est,atque tolerabilis,quędam vero summa, atque summo opere detestãda.tolerabilis quidem eorum stultitia est, qui, cum sapientes minime sint, minime sibi sapientiam arrogant; intolerabilis, & exsecrãda est illorum inscitia,qui sibi eam sapientiam assumunt, cuius ignari sunt. Qui enim neque medicus est,neque se medicũ esse profitetur,vt ægrotum non sanet,nemini tamen vitam medicamentis eripiet; at,qui se medicũ esse credit,cum medicinæ imperitus sit,nemi nem quidem morbo leuare, multos autem vita priuare poterit.Præterea,cum hæc summa dementia in animum illius inuaserit, cui munus illud, cuius se scientiam tenere confidit, assignatum non est,non multum sane rebus illius arrogantia nocebit: at, cum oppresserit hominem,cui omnia,quæ cupit, munera deferuntur,omnia peruertet. Si enim homo nauigandi imperitus, se optimum gubernatorem esse iactauerit, non tamen illi quisquam gubernacula tractanda permiserit, non euertet stultitia sua nauem: at, si nauis illi commissa fuerit, tum demum sibi, atque vectoribus diram cladem inferet.quo autem amplius illud munus est, homini imperito commissum, eo erit amentia illius infestior. Cum vero nullũ munus sit in terris Regio munere maius, & amplius, nihil certe poterit esse illius amentia,& temeritate funestius, maxime cum sibi, in summa rerum imperitia,summam sapientiam arrogauerit.Nec enim paucos vectores sed vniuersam Remp.funditus perdet.Ex quo sequitur,nihil esse posse dirius Rege stulto, & insano. nec enim potentiæ fructus est in possessione,sed in recto illius vsu collocandus:rectus autem omnium rerum vsus, prudentiæ moderatione continetur: vbi igitur prudentia nõ exstiterit,ibi necesse est, vt,qui opibus affluit,non partis opibus ad salutem, & honestatem; sed ad perniciem, atque dedecus vtatur. Vt enim, cum musicæ ignarus citharam pulsat,ridiculum se ostendit; &, cum furiosus omni vinculo solutus ferrum stringit,quo vio lẽtior est,eo maiorem stragem edit; sic homo potens, cum propter stultitiam opibus suis vti nesciat,quo maiores opes habet, eo maiorem ignominiam subibit,funestioremq. pestẽ sibi,

sibi,atque Reip.comparabit.Reliquum igitur est, vt, quo Rex opulẽtior fuerit, imperiumq. illius latius propagatum exstiterit, si fuerit amentia vexatus,&(vt fit) sibi sapientiam attribuerit; eo tætrior sit, multoq. grauiorem plagam communibus rebus imponat. Huius autem tanti mali,quo nullum dirius,atque funestius excogitari potest,adulatores architecti sunt: Principis enim ingenium laudant, sapientiam in cælum ferunt,consilium admirantur,si quid autem est ab illo festiue dictum,id risu,& plausibus excipiũt; eoq. rem deducũt, vt is,qui iam opibus, & potentia inflatus insaniebat,omni iudicio spolietur;&,cũ sit amentissimus, statuat tamen se nullius consilio indigere,sed illis sapientiæ opibus affluere,quibus facillime possit orbem terrarum moderari. His igitur cogitationibus elatus exsultat, & præceps amentia fertur, & omnia furenter administrat, vsque eo, dũ in Remp. nefariam pestem, & dirum exitium machinetur. Prudentiæ autem lumine amoto,quo modo poterunt in animis reliquæ virtutes habitare? nũ animi magnitudo poterit in eo locum habere,qui magna,& excelsa contueri nequit?qui nihil altum,& generosum cogitat? qui non solum flagitio, & impuritati, sed flagitiorũ ministris seruiendum existimat? quis enim non videt, tantam esse Principum quorundam humilitatem, vt contra eorum voluntatem, qui se in illorum familiaritatem lenocinijs, & assentationibus immerserunt, loqui nõ audeãt? Præterea, si sunt acres,atque vehementes, cũ rationis imperium repudient, tantum abest, vt fortes, & magnanimi sint, vt ne homines quidem appellandi sint; sed immanes quædã belluæ libidinis impetu dimicantes. Fortitudo enim non est furor, & amentia libidini seruiens; sed animi excellentis altitudo pro iustitiæ sanctitate pugnans. Si vero molles, & eneruati fuerint,opus est,vt humiles,& abiecti sint; neque solũ belli fremitus exhorreãt, sed omnes etiam belli rumores, atque adeo vmbras extimescant. Quid de temperantia dicendum? illi ne poterunt esse moderati,quorum est effrenata, & immensa cupiditas? qui neque metu, neque pudore, neque disciplina coerceri possunt? metum enim summa potentia depulit; pudorem sermo impurus hominum perditorum sustulit; disciplinam autem temeritas,& insolentia contempsit. quo modo igitur honestatem, & constantiam vllam retinebunt, qui opes immensas non honestatis instrumenta, sed libidinis materiam putant, & tam multis cupiditatum fluctibus in diuersas partes agitantur? qui singulis horis huc & illuc, æstu temeritatis inconsideratissimæ,rapiuntur? qui vel superbia tument, & nimis insolenter efferuntur;vel se nimis demittunt,& omnem memoriam decoris, atque dignitatis abijciunt? Iam vero,iustitiæ munus, & officium ab illis administrari nullo modo

Fortitudo quidsit.

potest,qui sunt oppressi cupiditatis impurissimæ dominatu. Quo modo enim aliorum licentiam resecabit, qui sibi ipsi flagitiorũ omnium licentiam attribuit? qua ratione suos in officio continebit, qui animi sui partes non continet? quo pacto merita cuiusque certis ponderibus examinabit, qui omnem rationẽ dignitatis ignorat? quo modo denique reget alios,qui seipsum regere non potest? Vt autẽ in pauca conferam,nemo iustitiam colere potest, qui non fuerit & sapiens, & fortis,& moderatus. Sapientia enim, quod rectum, & verum, & simplex est, perscrutatur, & inspicit. Fortitudo animum ad vires tyrannidis elidẽdas, firmo præsidio confirmat. Temperantia cauet, ne status animi tumultu aliquo turbetur; &, quod est ratione moderandum, libidine peruertatur. Vbi igitur pro sapientia temeritas,pro fortitudine imbecillitas, pro tẽperantia libido remp.administrat,ibi ne vestigium quidem vllum iustitiæ, & æquitatis exstare potest.Cum igitur rex & insipiens,& impuris ministris obnoxius, & indomitæ libidini deditus fuerit, ne simulacrum quidem vllũ iustitiæ conseruabit:nam neque,quæ vis,& ratio sit iuris,intelligit,nec id,quod intelligit,facere audet; ne eos, quos in delicijs habet, & quorum etiam opes metuit, offendat; neque, si audeat, id tamen, quod iustitia præscribit, sibi per infinitam cupiditatem, cui est addictus,exsequi licebit. Adde,quod non solum,vt suæ ipsius cupiditati, quæ satiari, & expleri nequit, sed vt suorum etiam libidinibus obsequatur, necesse plerumque est, vt non modo humana, sed etiam Diuina iura violet. cum enim opes suas absumpserit, tum immodicis tributis remp.vexabit, & multos exspoliabit, vt alienis facultatibus suos locupletet;& innocentibus eripiat, quod maleficis hominibus largiatur; atque postremo manus rebus sacris afferet, & templa omnia, atque fana compilabit. Hic erit ornatus animi, quo Rex impuris hominibus deditus excellet. O egregios felicissimi Regis amatores, qui tam præclaris officijs eum Principem, cui se dicauerunt,tuendum,& ornandum suscipiunt. Qui fieri igitur potest, vt Princeps hominibus tãgratis,& pi s,tam omnia ad dignitatem illius referentibus,diu careat? necesse profecto est, vt,si sese ab illius conspectu remouerint,eorũ desiderio contabescat: magna enim illorum merita in Principem,& satis illustria constãt: illius enim menti tenebras attulerunt;animũ illius de omni statu deiecerunt;omnem illi dignitatem detraxerunt. Cernitis, quanta temeritas in communi vita versetur? homines prudentes,& honesti despiciuntur; illiq. summis honoribus afficiuntur, qui Principes a studio virtutis,& humanitatis auertunt,& tyrannidem alunt,& in Resp.immittũt.Id enim moliuntur, & efficiunt, vt Regem habeamus effrenata mente præditum, infinita libidine furentem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

furentem,nominibus perditis,atque profligatis obnoxium; fortibus, & moderatis infestum; & modo elatum, & inflatum; modo humilem, atque demissum; maleficum denique,& iniustum; &, in tantis flagitijs, virtutis, & honestatis nomen temere, & insolenter vsurpantem. Sed inquiet fortasse aliquis, id non semper euenire.multos enim exstitisse Principes, qui, cum non admodum dissimili ratione educati fuissent, magnum tamen,firmata iam ætate, virtutis specimen dederunt. Fateor equidem; & id in miraculi loco'ponendum existimo: Diuino siquidem beneficio fit, vt non semper ijdem euentus ex eisdem caussis exsistant: interdum enim tam præclara indoles elucet diuinitus in quibusdam Principibus, vt hominum sceleri fortissime resistant, & sint illis impedimento, quo minus possint omnia,quæ volunt,scelerare,& impie machinari.Sed nos hic, non quid aliquando Dei singulari beneficio euenit, ne omnia funditus intereant,cogitemus;sed,quid accidere necesse sit, nisi Deus nos præsentissima ope respiciat. Simul & illud animo reputemus, quam excellens illa virtus exstitisset,si fuisset bonis disciplinis exculta,& bonorum hominum sermonibus ad summum decus excitata. Quo modo etiam,cum est omni litterarum ope destituta,& ab hominibus nefarijs impedita,lucet tamen, benignitatisq. suæ aliquod lumen porrigit. Nam,si Princeps,fraudibus vndique circumuētus,opibus summis obsessus, nullis artibus adiutus, sceleris improbissimi conatibus impeditus,aliquam tamen virtutis Regiæ significationem dat;quid effecisset,si cum bonarum artium cultu,ad seipsum bonos, atque sapientes homines aggregasset?Diuinus certe ex illius virtute splendor eluxisset. Sed nos,vt paullo ante dixi, non de eo,quod raro contingit,& quod,cum accidit, in loco ponēti,atque prodigij numerandum sit; sed de malis, quæ prauam institutionem natura consequuntur,& de eo,quod plerumque accidit,disputamus. Vt igitur omnia vitia perstringamus,quæ ex hac educatione oriuntur,primū quidem Princeps, mollissimo cultu nutritus, & in summis delicijs educatus,mollis,& delicatus sit necesse est, otio languidus, laboris impatiens,ad libidinem procliuis,& valetudine infirma præditus:deinde,cum perditorum hominum impuri sermones accesserint, erit etiam arrogans,& elatus,& inhumanus,& sibi quodammodo diuinitatem tribuet; &,cum fuerit hominibus sceleratis, qui cum illo viuunt,obnoxius, reliquos ne homines quidem ducet.Præterea summo furore,& amentia vexabitur. Sic autem fiet, vt Princeps, in quo summa quædam sapientia flagitatur, vt officium suum tueri possit,cum & natura,& opibus,& imperio,& cogitationibus inanissimis & sermonibus impurissimis instlari cœperit, omni iudicio spolietur;&,ne quid sibi ad summam stultitiam desit, in maxima rerum ignoratione,& in miseranda mentis cæcitate,summam sibi sapientiam nimis insolenter assumat.Deinde,inuidiæ pœnis agitabitur: nihil est enim magis cum arrōgantia coniunctum, quam dolor ex adspectu alienæ virtutis inustus: verissimæ enim dignitatis splendore dignitatem suam obscurari, & exstingui, plane iudicat. Inde igitur acerbissimum odium in omnes bonos erumpit;inde etiam timor exoritur. Nec enim solum omnem excellentiam virtutis odit;sed illam suspectam habet, & ab omni mentis altitudine sibi perniciem imminere censet.Ex inuidia autem, & odio, & metu, & inani suspicione crudelitas eminet, & immanitas quædam humanæ societatis oblita, & ad hominum pestem, atque perniciem acerrime concitata. Agrestis autem libido, omnibus pudoris,atque iuris vinculis emissa & adulatorum lenocinijs acrius incitata, illū misserrime vexat,&,quocumque fert impetū, vehementissime contorquet.His quidem pestibus exagitatur, cum res illi secundæ sunt: in rebus autem aduersis, maxime cum bellū aliquod repente mouetur, qua tandem spe erigi potest ille, qui neque, vt corpus labore vllo duraret,nec vt animum virtute firmaret nec vt statum suum fortium hominum præsidio muniret,neque se Diuini numinis auxilio tueretur, vmquam elaborauit? illum igitur tunc animaduertere licebit, sibi, atque suis diffidentem; neque solum hostium vires, sed suorum insidias metuentem, & ancipiti formidine districtum, ad omnes rumores trepidantem; neque, quo modo in omni rerum discrimine honestatem retineat, sed quo modo vitam pretio redimat,turpissime cogitantē. adde nūc,si lubet,reliquas labes,quibus aspergi, & inquinari necesse est illum Principem, qui cum hominibus improbissimis coniunctissime viuit, neque solum bonorum hominum consilia reijcit, verum etiam disciplinæ cælestis opem repudiat. Est enim plerumque sui profusus,alieni appetens,in iracundia implacabilis,in odio cotumax,ferox,& infestus, imbecillis,potentibus, atque superbis obnoxius,leuis,inconstans,ineptus,amicorum ope destitutus,hominibus inuisus,& scelerum cōscientia frequenter exanimatus. Hic quidem est status eorum Regum, qui, repudiatis bonis hominibus, adulatoribus aures præbent. Statum vero Reipub. breuiter etiam, qualis tunc esse possit,inspiciamus. Vt autem hic nihil aliud dicam, communis omnium libertas eripitur. quod quidem minime mirandum est: fieri enim nequit, vt ibi species aliqua libertatis exstet, vbi ne ij quidem, in quorum potestate sunt omnia,liberi sunt: nisi fortasse liberum existimatis illum, qui ad alterius arbitrium viuit; qui,quod sentit, loqui non audet; qui hominis inconstantissimi nutus omnes obseruat; qui ex Principis inanissima cupiditatē

Vitia ex educatione prāua.

piditate pendet; qui ad libidinem illius vultum fingit, & accommodat. Adulatores igitur liberi non sunt, sed serui nequissimi. Princeps autem,qui illorum operis vtitur, non solum seruit dedecori,flagitio,turpitudini; sed ipsis etiam nequitiæ ministris ita subiectus est,vt nihil facere audeat, quod illis iniucundum possit accidere. Ita enim se paullatim abijcit,animumq. demittit, vt illis etiā, quos iacentes erexit, & in gradu, quo erant indignissimi, collocauit, addictus sit; multaque, ne eos offendat,seruilem in modum patiatur. Si igitur neque Princeps liber est, nec illius domestici liberi sunt; quo tandem modo populus, qui eorum dominatu premitur, vestigium vllum libertatis in vita retinebit? An non perspicuum est, omnem illorum curam eo conferri, vt omnem libertatem tollant? Quasi enim omnis illorum salus,atque dignitas agatur,summa ope contendunt, & enituntur,vt animos hominum frangant,& spiritus comprimant,ne quisquam audeat ad aliquod decus egregium,illis inuitis, adspirare. Omnibus igitur, in quorum animis est aliquid generosum, & magnificum, vehementer infesti sunt; & illis pestem, si possunt, omni ratione comparant; ea etiam de caussa molestissime ferunt aliquem alium abundare pecunijs, quia v erentur, ne, opibus elatus, aliquid sibi magnum proponat.Cum igitur Remp.immodicis tributis vexant,non id solum moliūtur, vt ipsi ex populi fortunis prædas agant; sed etiam ne sit quisquam, qui opulentus esse possit: tantum enim abest,vt hominum libertati prospiciant,vt ne vultum liberum,aut orationem cuiusquam ferre valeant. Oppressa vero libertate; & animi magnitudo, & ingenij vis omnis exstinguitur. Nec enim animus tyranide oppressus,aliquid magnum,& egregium moliri; neque ingenium assiduis plagis obtusum verum intueri potest. Restat igitur,vt omnes non solum ignaui,& imbecilli sint; sed etiam amentes,& stolidi.Sublata igitur virtute, ingenijq. lumine propemodum exstincto, quis pro patriæ salute decertabit? quis enim pro Rep. cuius particeps nō est,& ex qua nec fructum vllum, neque laudem, nec honorem exspectat,periculum adire volet?quis,in tanta rerum caligine,& tam cęcis tenebris,quod sibi in vita colendum officium sit,mente,& ratione perspiciet? quis in tantis nequitiæ exēplis, libidinem suam cohibebit, ne, cum primum poterit,indigna flagitia impure, atque tætre suscipiat? Iam vero,si in aliquo ciue fuerit aliquid roboris, id totum ad furorem, & amentiam conferet, & eo conatum omnem comparabit, vt omnia iuris vincula perrumpat. Summa autem hæc est, vt in huiusmodi Regno nulla virtus emineat, & omnia vitijs impudentissime cumulentur. nam,cum omnes subditi Principum mores imitentur,tum multo facilius est, scelus, atque flagitium sequi,quam virtutem,atque decus effingere. Si igitur Princeps flagitiosus exstiterit, erit profecto necesse Remp. vniuersam flagitijs innumerabilibus inquinari. Quo modo autē illam etiam inopia grauissima premi,& Principum iniquitate vexari necesse sit,iam expositum est. vbi enim omnium pecuniæ ad paucos deferuntur, consequens est, vt vniuersa Resp. extrema inopia conflictetur. Accedet deinde inuidia,odium,acerba,& grauis offensio,& indignatio,& eiusmodi perturbationes quæ Remp.tumultuari, mutuisq. cædibus efferari compellunt. Adde nunc lubricam fidē; adde dolos,fraudes,insidias; adde furta,& latrocinia, quæ egentes homines, rerum suarū desperatione,suscipiunt. Adde postremo nouarum rerum cupiditatem, ciuium inter ciues hostilem dissensionem, & sceleratissimā cum hoste de patria prodenda, & euertenda pactionem; & reliqua mala, quæ stulti,& immoderati Principis rectionem cōsequuntur. Nullum enim tantum scelus,atque flagitium cogitari potest,quod non multitudo, sapiente rectore orbata,cōcipiat.Cum igitur Resp. sapientiæ patrocinio destituta, virtutis præsidio nudata, sceleratorum hominum libidini vexanda, atque diripienda relinquitur; cum nullus ordo,nulla verecundia,nulla lex, nulla disciplina,cupiditatem frenet;cum virtus,intercluſa sit, innocentia respirare non queat, nequitia victrix exsultet; cum inopes potentibus inuideant,potentes autem fortunam afflictam despiciant,& in miserorum calamitatibus insultent; & alij in alios odio acerbo,& immani concitentur; qui fieri potest, vt non vniuersa Resp. vel per se seditionibus intestinis dilacerata concidat, vel hostium viribus expugnetur,omniaq. tandem extrema patiatur? Quam breuissime potui, statum illius Reip.complexus oratione sum, quæ perditorum hominum licentia, & stulti Principis immoderatione continetur: volo tamen vobis aperire,quid modo mihi in mentem venerit. quamquam me,insciti am meā fateri, pudet. Quam inquit T. insciti am narras? Eam inquam,quæ magna ex parte continet causſam euersionis omnium rerum publicarum, & quæ nos in hac disputatione multa peccare compulit.Quæ nam igitur ea est,inquit?Grāmaticæ, inquam, ignoratio est, vt mihi quidē videtur,malorum omnium principium. Multum, inquit ille ridens, tibi Grammatici debent,quando statuis,Remp. sine illorum ope, & auxilio stare non posse. necesse igitur est,vt Grammaticæ ludos vbique aperiri faciamus; & omnes Prisc ianos, & Diomedes,& Laurentios, quorum memoria est propemodum exstincta, ab inferis excitemus, vt Remp.nobis constituant. Recte, inquam, si illi perfectos se Grammaticos in vita præbuerunt: aliter enim non est,cur illis molesti simus,& non potius sepultos esse patiamur.Quæ nam tādem, inquit

Subditi, mores Principū imitantur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

inquit T. ista est Grammaticorum facultas, qua Remp. fulcire possunt? Non fateris, inquam, Grammaticam esse recti loquendi rationem? Qui peruerse igitur loquitur, contra Grammaticæ præscriptum facit. Recte, inquit ille. Sed, quid id ad Remp. attinet? Quia, inquam, vt iam ante dixi, loquendi imperitia, & orationis peruersitas, non mediocre malum existimandum est: magno enim malo fit, cum res turpes honestis nominibus occultantur: accidit enim sæpenumero, vt, qui se turpitudine deformauit, nominis splẽdore deceptus, minime suum dedecus animaduertat, & ita in rebus turpissimis, quasi in præclaro facinore, glorietur. Quare, mea quidem sententia, qui optime Remp. constituere velit, eam primum legem sanciet, ne quisquam flagitio nomen laudis imponat; ne videlicet, praua loquendi consuetudine, flagitium ornando, flagitij impudentiam confirmet. Cum enim aurus sordes suas, nomine frugalitatis exornat; prodigus autem temeritatem, & immoderationem suam, nomine liberalitatis occultat; & timidus se prudentem, & cautum nominari studet; & audax fortem, atque magnanimũ; & reliqui ad eundem modum, ne singula flagitia recenseam, vitia sua splendore nominum illustrant; non facile possunt eam vitiorum deformitatem, quibus inquinati sunt, animad uertere. Quã quidem si acute perspexissent; illam a se fortasse summo studio repulissent: nunc vero nominum splendor falsus, & inanis eos in eam fraudem impellit, vt interdũ præclare secum agi putent, cum in summa turpitudine, & indignitate versentur. Hocigitur loquendi peccatum etiam nos modo in disputando commisimus, vt splendidis nominibus res flagitiosas ornaremus. Quo tãdem modo, inquit T? Primum quidem, inquam, Remp. appellauimus, quæ publica certe non est: publica quidem esset, si ad populi vniuersi commoda pertineret; cum vero populi ratio non habetur, sed omnia ad vnius tantum, atque paucorum potentiam, & vtilitatem conferuntur, priuata potius appellãda est, quam publica. Deinde, si Respublica est, vt Arist. placet, ordo, modus, & ratio multorum hominũ, vrbem vnam incolentium; profecto, vbi nihil ordine, nihil modo, nil iure, & ratione fit; sed omnia perturbantur, atque temere committentur, nulla Reip. ratio constare vllo modo potest. Ne ciuitatem quidem nominare licet eam, quæ posita est in hominum indomita cupiditate furentium potestate. Est enim ciuitas, liberorum hominum multitudo, æquabili iure sociata. Vbi igitur nulla libertas est, nec ius ex æquo omnibus administratur, ibi certe ciuitas non est; sed seruorum infelix multitudo, paucorũ libidini penitus addicta. Deinde, Reip. moderatores eos interdum appellamus, qui nullum modum suæ cupiditati prę finiunt: tantum abest, vt modum Reip. vniuersæ statuere valeant. Postremo, pudet me tam sæpe fuisse nomine Regis abusum. Rex enim ille tantum nominãdus est, qui Remp. vniuersam regit: regit autem ille Remp. qui eam ab errore in viam reuocat, & ad vitæ beatæ rationem sua virtute, atque vigilantia perducit. Ergo ille, qui, quantum potest, elaborat, vt Remp. saluam & incolumem præstet, & bonis omnibus affluentem; qui populi salutem facile suis voluptatibus, & commodis antepo nit. Qui singulari mente, ratione, consilio, in studio totius populi moderandi, atque tuendi vigilat, merito Regis nomen obtinet. Qui autem iustitiam negligit, omnemq. disciplinam virtutis, & continentiæ repudiat, & ad suam commoditatem omnia cõsilia reuocat, vniuersamq. ciuiũ multitudinem, paucis hominibus nequissimis constrictam, tradit vexandam, atque diripiẽdam, nullo modo Rex, sed Tyrannus habendus est. Hoc enim discrimen ponunt viri doctissimi, inter Regem, & Tyrannum: Quod Rex præcipue in populi salutem respicit; secũdo vero loco, suam ipsius salutem, & vtilitatem curat: neque enim plerumque potest Remp. tueri, nisi saluti suæ prospiciat. Tyrannus vero omnia cunsilia ad suam vtilitatẽ, atque libidinem dirigit; deinde vero, quia non potest ille bonis omnibus abundare, nisi in populo non omnino perdito dominetur, secundo loco, populi totius incolumitati interdum prospicit. Si igitur Princeps ille, qui non præcipue infelicem Reip. statum modis omnibus intuetur, tyrannus habẽdus est, quamuis sæpenumero populum acri animo tueatur; quo nomine illum appellabimus, qui salutem Reip. præ sua libidine cõtemnit, illiq. amẽtia, & temeritate sua interitum afferre nititur? Sed, consuetudine victi, nominibus abuti compellimur: quod etiam faciendum necessario nobis est, ne sine fructu in potentium offensionem incidamus. Longius fortasse, quam instituta ratio postulabat, elatus sum in disciplina, qua Regum filij instrui plerumq. solent, describenda: sed partim odium, quo sum in hoc hominum genus incensus, qui principes omni scelere contaminant, partim benignitas vestra prouexit orationem meã. Vt igitur iam id, cuius gratia hæc a nobis allata sunt, ratione concludamus, reuocate in memoriam ea, quæ a nobis in principio dicta sunt: demonstrauimus enim, nullum munus egregium sine egregia disciplina administrari posse: nullumq. munus aut maius, & amplius, aut grauius, & difficilius, munere Regis esse; neque in quo maiore cum periculo, rerumq. omnium pernicie, & interitu, peccari soleat. Vnde sequitur, ad Regis officium summam sapientiam, atque summam virtutem requiri. Quam difficile autem sapientiæ, atque virtutis studium sit, in mollissimo vitæ cultu, in summis opibus, atque delicijs, in multis naturæ lenocinijs, atque blandimentis, etiam

Rex, quis.

Regis, & Tyranni discrimẽ

Ciuitas, quid sit.

Regis munus maximum.

Reip. moderatores, qui.

etiam, quantum fuit necesse, docuimus. Illud etiam, quod nostra oratione non indigebat, ostendimus, nullas opes, nullas facultates, nullas delicias, esse cum ijs vlla ex parte conferendas, in quibus Regum filij plerumque nutriuntur. Vnde sequitur, cum omnibus sapiẽtia necessaria sit, tum vel maxime ijs, qui Reges futuri sunt: alijs namque, vt se regant, atque moderentur; Regi, vt non se tantum, sed infinitam hominum multitudinem optima, atque singulari ratione gubernet, sapientia paranda est: & alij quidem homines non ita multis difficultatibus impediti sunt, quo minus sese ad studium sapientiæ applicent; at Regibus omnes insidiæ comparantur; neque solum insitis cupiditatibus, sed hominum sermonibus impurissimis, a studio virtutis, atque verissimæ dignitatis, abducuntur. Et alij quidem, si sese multis erratis irretierint, sibi, atque paucis nocebunt, & etiam iudiciorum seueritate cohiberi, & ad officium reuocari possunt: at Regũ flagitia interitum Reip. moliuntur, & sanari nullo iudiciorum metu possunt: legibus enim soluti sũt. Quo igitur opus illorum maius est, quo difficilius ad studium virtutis applicantur, quo illis insidiæ capitaliores intenduntur, quo grauius ruinæ periculum ex eorum peccatis, communibus rebus imminet; eo maioribus opibus fulciendi, & stabiliendi sunt, firmioribusq. præsidijs muniendi, ne concidant, & cum dira calamitate Reip. totius intereãt. quod si non solum disciplina omni caruerint, sed etiam in perditorũ hominum potestate relicti, atque illorum sermonibus ad omnem rationem turpitudinis inflammati fuerint; videte, quorsum illorum furor, & amentia tandem euasura sit. Ad hæc autem mala omnia præcauenda, Rex, qui tanti nominis dignitatem tueri, atque sustinere cupit, ingeniũ habeat opus est, natura sagax & acutum, maximarum artium studio, & disciplina limatum, vsu, & exercitatione perpolitum; & animo maximo sit; vt recta, & vera clare cernere, insidias in ficta specie sedulitatis, & officij latentes inspicere, &, quid saluti Reip. conuenire perspexerit, fortiter administrare queat. Ad vtramque autem rationem, hoc est, tam ad ingenij cultum, quam ad animi magnitudinem, mirum est, quantam vim habeant artium maximarum studia: non solum enim ingenium acuunt, & aciem mentis illustrant, sed etiam animos alacres, & confidentes efficiunt; nec enim hæc studia homines desides, & otiosos reddunt, vt quidam satis imperite suspicantur, sed acres, & vigilantes, & studio verissimæ laudis, atque dignitatis incensos. Sed fallit homines imperitos primum quidem hominum quorundam stupor, & ignauia, qui se ad studium philosophiæ contulerunt, quorum tam tardum, & hebes ingenium est, & tam abiectus, atque demissus animus, vt ne studijs quidem, vllis ad res gerendas excitari, & studio laudis incendi possint: præclara autem studia, non omnibus ornamẽto esse possunt, sed ijs tantum, qui præclaro ingenio, & egregia virtutis indole, præditi sunt. Vt enim pretiosæ vestes, gemmis, & auro fulgentes, & excellenti opere perfecta monilia, cum ad cultũ virginis alicuius pulcherrimæ conferuntur, eam luculenter exornant; cum vero ad ornatum mulieris deformis accommodantur, nullo modo deformitatem illius occultant, sed multo insigniorem reddũt; ita præclaræ disciplinæ clarum ingenium excolunt, & animum magnum virtutum omniũ opibus, & ornamentis afficiunt; at, cum ad mentis impuræ, & animi praui, atque pusilli cultum, & ornatum transferuntur, non ornãt quidem animum, sed insitam illius prauitatem, atque deformitatem clarius ostendunt. Deinde, illud errorem multis obijcit, quod disciplinarum genera minime distinguunt, &, quod vnius est proprium, alijs accommodãt. vt fuerit igitur aliquod genus disciplinæ, quod extorqueret sensus, & stupiditatem in animis efficeret, quod vitium a multis Stoicorum sectæ tribuitur; id tamẽ non in alias conuenit. Libenter igitur in sentẽtiam nostri M. discedo. Nec enim eam sapientiam probo, quæ omnes animi affectiones, vtiliter a natura datas, euellendas esse decernit; sed quæ illis vti docet, &, in quem finem insitæ nobis sint, singulari ratione præscribit, qualis est Academicorum veterum, atque Peripatetico rum disciplina: nihil est enim nobis ingenera tum, quod non magnam vtilitatem afferre possit; modo sapienter intelligamus, qua ratione cupiditates omnes continendæ, atque moderandæ. & in quem finem conferendæ sint. Hoc enim est inter sapientes, & insipientes discrimen: insipientes enim neque modũ seruant vllum, neque, quid in vita sequendũ sit, ratione percipiunt; & ita fit, vt rebus ad salutem datis ad perniciem abutantur: sapientes vero animis modum adhibent, & cupiditatem ratione temperant; &, ad quem finem omnia dirigenda sint, intelligunt; & ita fit, vt omnia illorum studia ad salutem, & dignitatem referantur. Vtrique tamen, vt sibi parẽt, quod optimum esse iudicant, excitari, atque non mediocri studio commoueri solent. in quo quidem sapientes eo vehementius sæpenumero commouentur, quo iudicium eorum est firmius, & constantius, & ab omni erroris suspicione securius. Præterea, in sapientis animo, & summa vis amoris, & odij non mediocris offensio viget. Si enim pulchritudo corporis excitat amorem, & deformitas animos ab amore auertit; multo certe magis pulchritudo dignitatis, & honestatis a sapientibus animaduersa conciliabit amorem; & flagitij dedecus, & turpitudo multo acerbius odium animis, qui illam intuentur, inuret. Cum autem sapientis sit, decus, & honestatem contempla

studia præclara, ornant ingenia præclara.

Sapientum, & insipientũ discrimen.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ri,&, quantum sit flagitij dedecus,acute perspicere;necessario sequitur,vt amore dignitatis eximio capiatur,& flagitij grauj offensione concitetur. Vbi vero magna vis amoris, aut odij grauis offensio viget, ibi neque somnus,neque lentitudo, nec inertia locum habere potest. Amor enim animum excitat,& stimulat, & cupiditate ipsius pulchritudinis, quam admiramur,inflammat;odium vero incendit, & armat eundem animum ad turpitudinem, quam detestatur, acerrime repellendam. Qui igitur sapiens fuerit,non mollis, & languidus, & eneruatus, aut stupore oppressus erit;sed acer, & vehemens, & impiger, & acutus, & ad omnia pericula dignitatis gratia subeunda paratus. Erit deinde animo forti,& constante præditus:nihil enim tam dirũ, & calamitosum interuenire potest, quam turpitudo. pro dignitatis igitur studio fortissime dimicabit;& libentissime quoduis periculum adibit potius,quam honestatem suam aliqua labe maculari sustineat. Deinde, cum sapienter intelligat, omnem dignitatis elegantiam animorum moderatione contineri,erit etiam in omni ratione moderatus, & vita, & moribus egregie constitutus. Præterea,cum nihil sit iustitia clarius,& elegãtius,nihil pulchrius,& amabilius, nihil denique, quod magis omnibus laudibus honestatis excellat; & omne sapientis officium ad honestatem referatur;fieri certe non potest, vt, qui sapiẽs est, aliquam iniuriam faciat alicui,aut,quantum in illo fuerit, ab alio fieri patiatur: sapienter enim intelligit, nullum dolorem, & cruciatũ esse vlla ex parte cum iniuriæ, & iniquitatis flagitio, & turpitudine comparãdum: vitam igitur amittet, & dolore intolerabili cruciabitur potius,quam fraudem vllam in vita suscipiat. Necesse igitur est,vt,qui vere sapientiam colit, omnibus virtutibus egregie cultus,& ornatus sit.Ne illud quidem prætermittendum est,nihil esse in vita boni, si sapientiæ moderationem remoueris. nec enim genus, neque vires,neque pulchritudo,nec opes,nec imperium,nec aliquid aliud ex ijs, quæ vulgo bona eximia numerãtur,salutem afferre possunt eis,qui illis temere, & insipienter vtuntur: immo, vt multis ante disseruimus, quo maiores opes sunt, eo status illius, qui summis opibus abundat,calamitosior,atque funestior est. Multo namque furentius insolescet, multoq. maiore leuitate iactabitur, multoq. minus considerate in pestem ruet. Vt igitur in fabulis Polyphemus, oculis orbatus, quo robustior,& immanior, & violentior erat;eo, cum se sine vllo iudicio concitabat, sæpius ad rupes allisus, sæpius in loca præcipitia delatus concidebat, grauioresq. plagas accipiebat,quam accepisset,si imbecillior fuisset;ita, qui magnas opes habent, si sapientia vacui sunt,quo magis opibus,& imperio florent,eo sese furentius incitant, & grauioribus ruinis opprimuntur. Vnde colligitur,vt sæpe iam dictum est, in Regibus, nempe quorum maxima potestas est, & summum imperium, summam sapientiam iure atque merito flagitari. aliter enim & ipsi erunt omnium hominũ miserrimi,& Resp.illorum temeritati permissa fœde peribit.Hæc cum ita sint, quis eorum amentiam ferre poterit, qui non modo nullã operam in eo ponendam existimant, vt Rex sapiens euadat; sed, contra, omnia faciunt, quibus is furiosior, & insolentior in dies sit, omnemq.Remp.& stultitiasua,& eorum,cum quibus viuit,improbitate peruertat? Hoc igitur sane constat, non mediocri sapiẽtia opus esse, ad Regium munus feliciter obeundum; quo modo autem sapientia parari ab illo facile possit, qui est nimis molliter educatus, & scurrarũ comitatu impurissimo circũsæptus, & adulatorum assentationibus,atque lenocinijs in pestiferam fraudem impulsus, non video.Itaque,cum alia multa præsidia, tum maximarum artium studia,ad parandam sapientiam, & statum illius fulciendum, maximo quidem opere requirebam.Vos,si meam sententiam non probatis, aliam disciplinam videte:hanc enim, quæ pessimis moribus recepta est,& inueterauit, e qua, tamquam e fonte, mortiferis venenis infecto, omnia mala multis in locis ad Reip.perniciem profluunt, acri animo repellendam censeo, ne Principis nostri præstantem naturam, & excellens ingenium dedecore,& probro contaminet.Recte,inquit Portugalensis,censes.Sed,priusquã de Regia disciplina diligentius inquiramus, abs te libenter audierim, num liberam Rẽp. Regno præferẽdam existimes. multa enim a multis in cõtrarias partes afferuntur.Quanuis autem semper in ea opinione fuerim, vt nullum Reip. statum Regio præferendum existimarem; cum tamen ea,quæ dicis, attendo, & flagitia,in quæ Principes ex ista praua institutione delabuntur,mente considero,rectissi me cum illis actum esse puto, qui in libera ciuitate nati sunt: nam primum nimia Principis vnius potẽtia,est communi libertati contraria; vbi autem libertas minime viget, ibi duæ virtutes,vt tu paullo ante dicebas,vix loco habere possunt;nempe, ingenij acumen, & animi magnitudo. Ingeniũ enim sub vnius dominatione positum,molestissimis curis hebescit; & animus,seruitutis oneribus oppressus,excelsa contueri non potest. in mentis igitur angustiæ tenebris,& pusillanimi demissione nullum studium honoris, & dignitatis exstare poterit: cum vero omnes virtutes studio honoris excitentur, consequens est, vt, spe magni honoris incisa,studium virtutis,& honestatis exstinguatur: at in Regno nemo facile ad honores summos euehitur. Deinde, omnes libenter pro ea Rep. cuius sunt aliqua ratione participes, omnem laborem perferunt,& pericula infinita subeũt: at in Regno, cum

Amor excitat animum.

Sapiens omnibus virtutibus cultus.

Resp.an Regno præferẽda.

cum pauci admodum in illius gubernandi societatem vocentur, & reliqui omnes non solum ab illius procuratione, sed etiam fructu excludantur; reliquum est, vt pauci etiam pro illius conseruatione pugnare velint. Nemo enim pro alienis opibus capitis certamen sibi ineundum putat. Præterea, in Rep. libera omnibus ex æquo, qui fortes, & splendidi, & in aliquo genere virtutis excellentes exstiterint, sunt amplissima dignitatis præmia constituta: in Regno autem, quo minus sibi homines animo magno præditi, magna præmia polliceri queant, est impedimento primum quidem summa Regis ipsius amplitudo, quæ non facile patitur quemuis alium præstantia dignitatis excellere;deinde,nobilitatis insolentia;deinde, adulatorum impudentia,& reliquæ eiusmodi labes,quæ sunt veræ virtuti contrariæ,& inimicæ. sic autem fit, vt,spe magnæ dignitatis abiecta, debilitetur virtus, atque languescat industria. Accedit etiam illud, quod Rex, si ignauus est, totam Remp. exemplo inertiæ corrumpit, hominumq. mores effeminat. si fortis, & gloriæ cupidus; inuidet ijs, qui virtute præcellunt; & ita fit,vt subditorum animi, vel torpescant ignauia, vel opprimãtur inuidia, vsque adeo, vt nemo possit ad summum gradum laudis eniti. Præterea, illa præmia, quæ in libera Rep.homines fortes, & industrij consequuntur, sunt dignitatis plenissima. nemo enim in illa supicari potest, eum, qui aliquem gradum honoris adipiscitur, esse aut scurram, aut adulatorem, aut alicui vitio affinem eorum,propter quæ multi cum Regibus in gratia sunt. at, cum ij, qui magnum locum apud Reges habent, sæpenumero malis artibus eum locum adipiscantur; euenit, vt ij etiam, qui merito a Regibus donis,& muneribus afficiuntur, in similis flagitij suspicionem veniant; ita, vt vix vlla magna potentia reperiatur in Regno,quæ non sit aliqua dedecoris labe contaminata. Illud etiam quantum est? in Rep. enim,cum sit omnibus hominibus ex æquo aditus apertus ad summam dignitatem,omnes inter se de dignitate contendunt, honestissimumq. virtutis certamen ineunt: ita vero fit,vt inueniantur multi consilio prudentes, & auctoritate graues,& moribus ornati, & in rebus gerendis industrij, & robore virtutis inuicti. At in Regno, cum nobilitas ea dignitate,in qua versatur, contenta sit, & splendore generis insolescat, non sane magnum studium in comparanda virtute sibi ponendum existimat. Homines autem ignobiles, cum animaduertunt esse sibi aditum ad nobilitatis honorem intercluſum, studium virtutis, atque dignitatis omittunt; sic autem fit,vt,cum nobiles,arrogantia, & insolentia,virtutem despiciant; ignobiles, desperatione fracti, virtutis studia deponant; nullumq. inter homines virtutis certamen excitetur,honestatis lumen intereat, & sordes,atque flagitia dominentur. Præterea, cum nemo recte possit alijs imperare, qui non aliquando paruerit:(nec enim modum alijs statuere potest, cui numquam fuit vllus modus adhibitus) qua ratione fieri potest, vt is recte gubernet, qui numquam obedire didicit? at Rex ita plerumque institutus est, vt nemini pareat vmquam, & omnes ab ipsis incunabulis imperio coercere meditetur. Præterea, in Rep. cum summa potestas sit penes leges, quæ neque gratia cuiusquam, neque muneribus inflectuntur,nec ira,aut inuidia,aut odio perturbantur, aut misericordia commouentur; plerumque euenit, vt recte ius administretur, & sei cuique dignitas sua tribuatur: at in Regno,cum leges etiam sint in vnius hominis libidine positæ, multa contra iuris æquitatem fiant,opus est,neque,quid fas,& ratio postulet,sed quid Regi gratum, atque iucundum sit, ab ijs, qui ius dicunt, pessima ratione ponderetur.Postremo,cum in libera ciuitate leges maximo studio conseruentur, legum autem munus sit, ius omnibus æquabile constituere; non facile potest esse tanta ciuis vnius potentia,vt legum sanctiones contemnat, & iuris vincula, quibus omnes adstricti sunt,perrumpere conetur. at in Regno, cum non solum Rex, sed multo etiam magis oẽs Regis familiares, atque domestici,legibus soluti videantur,nihil est interdum,quod potentiam eorum,& indomitam cupiditatem constringat. Si igitur in libera ciuitate publica libertas integrior ẽ,& ingenij cultus illustrior, & studium virtutis acrius,& spes honoris, & dignitatis amplior, & caritas patriæ vehementior, & auctoritas legum sanctior, maioraq. in illa præsidia contra tyrannidem constituta sunt; nihil certe magis optandum videtur homini, qui dignitati studet, & bene, beateq. viuendi cupiditate flagrat,quam in libera Rep.ætatem degere.Hæc quidem,quę in medium attuli, me interdum dubitare de hac quæstione cogunt: rem igitur mihi gratam, &, vt credo,Tauoræ,atque Menesio, feceris,si nobis sententiã tuam explicueris. quamquã enim in libris,quos de Nobilitate adolescens edidisti, Regnum omnibus rebus publicis ante tuleris,fieri poterit, vt sententiam ista ætate,rebus diligentius exploratis, fortasse mutaueris. In longum (inquam) sermonem me vocas,non tamen ab ea materia,quam in manibus habemus,alienum,sed mihi ad alia properanti contrarium. sed geram tibi morem, &, quam breuissime fieri poterit, ea, quæ requiris,expediam.Atque primũ quidẽ hoc statuẽdum est, eum omnia genera Rerump. quãuis labi, atque ruere videantur, sapientia tamen, atque virtute adhibita,facile emendari possint,& ad rectissimam in eo genere moderationem reuocari; nullo modo optandum esse homini probo vllã Reip.præsentis immu

Potestas summa in Rep. penes leges.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tationem, nẽpe quæ numquam sine maxima morum pernicie, hominumq. strage fieri possit; sed in eo summo studio laborãdum est, vt idẽ status. in quo versamur, omni vitio careat firmissimoq. præsidio muniatur. Vt igitur officium eorum, qui in libera ciuitate nati sunt, est, pro statu illo Reip. quoduis capitis discrimen adire; ita & nobis, qui Regibus parere assueti sumus, hoc officium impositum est, vt nõ modo pro rep. sed pro Regis ipsius salute, atque dignitate vitã ponamus. In idem namq. scelus incurrit, & qui in libera ciuitate cmnem potestatem ad vnum ciuem deferre conatur; & qui in Regno maiestatem regis oppugnat, ipsumq. Regem de statu deijcere contendit: vterq. enim concordiam dissoluit, & interitum patriæ machinatur. Deinde, multo difficilius est, quam homines suspicantur, illam reip. rationem institui, in qua sit ita exæquata libertas, vt nullus possit libertati communi multis modis officere: nisi enim fuerint omnes, qui in eadem ciuitate viuunt, egregie moderati, diuturnaq. disciplina ad legum custodiam admodum diligenter instituti, & a primis annis in ciuilibus institutis enutriti, neque libertas, neque salus, nec vlla denique reip. ratio conseruari poterit. Quod quidem rerump. intestinæ seditiones, & exitus calamitosi certe declarant: omnes enim tandem tyrannorum immani dominatu miserabiliter opprimuntur. Quod si concordia remp. maxime tuetur, nihil certe vtilius esse poterit, quam omnem reip. potestatem vni homini excellenti virtute prædito permitti: nihil enim poterit cogitari aptius, & conuenientius ad conglutinandam concordiã. Vt enim, dum multi de principatu contendunt, & quilibet omnem reip. potestatem ad se transferre conatur, tumultus oriuntur, & seditiones concitantur, & resp. miserandum in modum laceratur; ita, dum omnes vnius auctoritate, & imperio continentur, multo facilius vniuersi, vno vinculo fœderis adstringuntur. Quod si, vt Socrati placet, id spectare debent omnes, qui remp. modo, & ratione temperant, vt eã, quam maxime fieri possit, vnam efficiãt, hoc est, vna consensionis ratione, atque nexu artissime colligatam; quid vtilius fingi potest, ad animos omnium ciuium mutui amoris vinculo copulandos, quam vnius tantum summi Principis potestas, atque moderatio? Nec enim illum inuidia oppugnat, qui multum inter omnes excellit; nec illi, qui sub Rege viuunt, bellum intestinũ facile mouere possunt, cum Regis ipsius, quem ex æquo verentur, imperio, atque potestate, ab instituto facinore prohiberi queant. Quantum autem valeat ad ciuitatis concordiam firme constituendã Regis imperium; in hoc maxime cernitur; quod omnes imperiosæ resp. hoc firmissimum concordiæ vinculum retinuerunt, quod in auctoritate regia consistebat. Sic Athenis

Reip. potestas vni tradatur.

Princeps ille, a quo annus nomen accipiebat, cum reliquis principibus, qui singulis annis creabantur, Regiam quodammodo dignitatem obtinebat, e quibus vnus Rex appellabatur. Bœotarchæ vero Thebis singulis annis, Lacedæmone item perpetui Reges id similiter efficiebant; vt subditos auctoritate summa continerent, & vno, & æquabili iure deuincirent; ne multorum Principum intestina contentione distracti, atque dissipati corruerent. Quid Carthaginienses? numquid nõ duo singulis annis Sophetes (sic enim verbo a Phœnicia, & Hebræa lingua deducto, summũ ciuitatis imperium nominabant) Regiam dignitatem facile sustinebant? Quid Romani? num obscurum est, Consules ius plane Regiũ obtinuisse? Et, ne singulas Resp. quæ imperio floruerunt, oratione persequamur, hoc satis constat, nullam fuisse, in qua nõ vnus, aut pauci ita magnitudine dignitatis excellerent, vt non multum a Regum amplitudine, atque maiestate distarent; illas autem, quæ Regia auctoritate caruerunt, ad opes summas peruenire minime potuisse, sed intra breuissimũ tempus intestina seditione conuulsas, cum magna ciuium strage concidisse. Reputate cũ animis vestris, quot Resp. in Italia, postquam Romanum Imperium fuit ab influente barbaria conculcatum, institutæ sint, & quam paucæ statum suum tueri potuerint; & quam aliã causſam certiorẽ assignare possumus, quam pestiferas ciuium dissensiones; quas excitari necesse est, vbi nemo sic inter omnes excellit, vt omnes sine vlla recusatione imperium, & auctoritatem illius sequantur? Quare numquam satis laudare possum Venetorum ciuitatem, vnam omnium prudentissimam, quæ cum alia multa ad imperium propagandum, & conseruandum, admodum sapienter excogitauit; tum nihil eo consilio sapientius, quo sibi vnum summum Principem præpositum esse voluit, ob virtutem ad altissimum illum gradum dignitatis euectum, quem omnes intuerentur, & cuius auctoritate deuincti, facilius commune publici fœderis ius, & ciuilem societatem conseruarent. Is igitur cum non Regis nomen, sed auctoritatem Regis obtineat, auctoritate illa summa, quam habet, inuidiam comprimit, & ambitionem refrenat, & senatum concordia stabili, atque firma conglutinat, & ita populum vniuersum facillime æquabili iure constringit. Vnde concluditur, nihil esse ad Rempub. diutissime conseruandam vtilius legitimo vnius imperio, atque potestate. Nam neque quidquam est, ad stabilimentum Reip. concordia salutarius; neque quidquam ad concordiã firme constituendã aptius reperiri potest vnius Principis excellẽtis auctoritate, & iurisdictione. In quo vero discis vnius imperium esse cõmuni libertati contrariũ, tyranni scelus benignitati Regis attribuis. Cum enim tyranni proprium sit, non sua

Veneta Respu. nẽquã satis laudata.

virtute

virtute, sed suorum imbecillitate statum suũ stabilire, (intelligit enim superbiam, & immanitatem cunctis mortalibus, maxime autem illis, qui horum scelerum iniurias quotidie patiuntur, esse vehementer inuisam) & ideo, cum amari non possit, & timeri velit, & omnes, quibus terrori esse cupit, vt fieri necesse est, noctes atque dies extimescat; consequens est, vt eorum opes, quantum possit, extenuet, & animos eorum impotenti dominatu premat, ne se quisquam erigat, & aliquam lucem libertatis, ex diuturna caligine seruitutis, aliquando respiciat. Regis autem officium non est, libertatem eripere; sed pro suorum libertate tuenda, atque conseruanda vigilare, & laborare, &, cum opus fuerit, vitæ etiam discrimen adire; non vi, & iniuria ciuium opes imminuere; sed arcere vim, & profligare iniuriã, & ciuium opes iuris æquitate defendere; atque postremo non inuidere ingenijs, aut animos frangere; sed fauere ingenijs, &, propositis præmijs, ciuium animos ad studium virtutis, atque dignitatis extollere. Qua enim alia ratione Remp. florentem reddet, statumq. suũ firmo præsidio conseruabit? Cum enim officium Regis in eo positum sit, vt Remp. opibus locupletet, præsidijs firmet, moribus ornet, dignitate illustret, atque, vt vno verbo dicam, beatam efficiat; quod sine ciuium libertate, & animorum magnitudine, fieri nullo modo potest; quis non videt, omnem Regis curam, & studium in publica libertate tuenda consumi? aliter erit nomine Regis indignissimus. Sed dicis, neminem libenter arma sumere illius reip. causſa, cuius particeps non est. Verum id quidem est: sed Regis opes non illius propriæ, sed Reip. totius existimandæ sunt: omnes enim, qui Regis imperio continentur, in illius patrocinio latent, in illius præsidio acquiescunt, illius virtute muniuntur, iniuriam a se, & dedecus, & ignominiam illius æquitate propulsant; & bona etiã Reip. pars illius beneficentia sustentatur. Cum igitur arma sumunt, sane prudenter intelligũt, se non pro alienis, sed pro suis opibus dimicare. illius enim opes existimãdæ sunt, ad cuius salutem, & conseruationem singulari quodã studio conferuntur. Vnde colligitur, nihil esse magis Reip. proprium, quam optimi Regis opulentia. Præmia vero, quæ dicis, non alibi profecto neque maiora, neque ampliora, quã vbi Rex hoc nomine dignus omnia lege moderatur, proposita sunt omnibus, qui se excellentius in virtutis studio gerere studeant. Nec enim boni Principis est, honores, munera, congiaria, & præmia denique omnia, viris fortibus, & sapientibus debita, siue ad rei familiaris augmentum, siue ad dignitatis amplificationem pertineant, ad homines ignauos, & scurras, & adulatores sine vlla ratione transferre. Quod si aliquis tam sine mente est, vt ornet flagitia, & augeat opibus temeritatem,

Regis officium quod.

Reip. propriũ, optimi Regis opulẽtia.

& insaniam; virtutem vero, & grauitatem negligat, atque despiciat: eum certe Regem appellare fas non est; sed hominem amentem, & furiosum, omnia Reip. præsidia intemperantia sua dissipantem. Nos vero, non de temeritate, & insania; sed de Regis moderatione, & sapientia disputamus. Id ita non fieri semper dicis, sed plerumq. lõge secus, quam oportebat. Quid ad rem? Id enim demonstramus, quod fieri in Regno potest, & debet, & aliquã do etiam fit. Quod si in Regno male constituto, Regias opes dissipari, & hominibus indignissimis condonari, videmus; intelligamus, in Rep. male constituta non fieri minora flagitia, immo plerumq. grauiora, in qua videlicet est verecundia minor, & licentia maior, & quilibet facilius, quantum audet, tantum potest; & ita multo plures sæpenumero sunt, qui opes publicas domum auertant, & reip. vectigalibus tamquam proprijs ad obsequium impuræ libidinis abutantur; &, tamquam aliena, aliorum nequitia, & improbitate consumi, & exhauriri patiantur. Iniqua autem contentio est, cum bene moratam Remp. cum flagitioso Regno comparandam existimas: nã, qualecumque illud genus Reip. sit, si fuerit legibus fundatum, & moribus recte constitutũ, vincit, & superat dignitate omnia summa imperia, quæ non fuerint rectis institutis, & legibus, & virtutum maximarum præsidio stabilita. Regnum vero in perditorum hominum potestate positum, & libidine vnius Principis furenter administratum, nõ Regnum, sed exsecranda tyrãnis est. In Regno enim nec adulatione, neque scurrili dicacitate, neque turpitudine, & flagitio, neque fraude, & mendacio opes, & diuitiæ comparantur; sed omnia emolumenta, & commoda, omniaq. dignitatis ornamenta, & honoris insignia, ad homines prudentes, & fortes, & omnium virtutũ opibus excultos, recto iudicio deferuntur. Rex enim id summa cura, & studio suscipit, vt merita vniuscuiusque ponderet, & pro dignitate virtutem remuneret. Homines igitur, partim amore, quo Regem amplectuntur, (mirum est enim, quanta nominis Regij caritas insit in illis, qui sub Regia potestate sunt) partim spe donorum, & munerum, quæ omnibus, qui egregiam operam Reip. nauant, a Rege proponuntur, sese intrepide in summũ vitæ discrimen inijciunt; nec vllo periculo impediuntur, quo minus pulchrum aliquod facinus obeant, & dignitatis gratia labores immẽsos excipiãt. Dicis præterea, Regem ignauum Remp. exemplo nequitiæ corrumpere, fortẽ, & strenuũ fortibus hominib. inuidere. Si id ita euenerit, aliquid boni ex alterutra parte proueniet: nã neque Princeps ignauus hominibus fortibus inuidebit; neque fortis Rẽp. corrũpi sinet. Præterea, ignauiæ nomen minime in Regẽ conuenit: si. n. desidiosus, & ignauus fuerit, minime Rex appellandus est;

Universidad de Deusto
Biblioteca

Virtutis similitudo coniungit animos.

sed eorum, qui negligẽtia, & somno illius abutuntur, vile mancipium; si vero fortem, & vigilantem se præbuerit, homines fortes, & singulari industria præditos amabit, multisq. honoribus, & præmijs afficiet. Nihil est enim, quod magis coniungat amore animos, quam virtutis similitudo. Nec enim inuidia virtutis comes est, sed totius honestatis inimica. Sic igitur vel is, qui omnia tenet, ignauus, vel fortis est: si fuerit ignauus, Rex minime nominandus erit; si fortis, erit profecto ab omni inuidiæ suspicione prorsus alienus; maxime vero, cum tanta sit illius amplitudo, vt nemini eorum, qui sub imperio illius sunt, inuidere possit. Rex enim suorum animos regit, & virtutes excitat, & officiorum magister est, & totius honestatis architectus; omniũ virtutes, & actiones, & præclara studia ad Reip. salutẽ confert; ita, vt omnia aliorum facta, atque præclara facinora, ad gloriam illius maxima ex parte referantur. Vt igitur Imperator militum suorum virtuti non inuidet, immo in illorum decore gloriatur; ita Rex, quamuis sub se optimos imperatores habeat, & præstantibus in Rep. gubernanda viris vtatur, nulla tamen inuidia commoueri potest; cum iure possit omnes eorum laudes ad suam gloriam reuocare. Nam sæpenumero omnes ciuium virtutes ex virtute illius oriuntur, & rectissimus virtutis vsus, & ad Reip. salutem vtilissimus, illius sapienti moderatione continetur. Nec enim is est, qui virtutes oppugnet; sed qui eas excitet, animisq. stimulos frequẽter admoueat, quo sint alacriores ad communis salutis custodiam. Nec ingenijs officit, immo ea præmijs exsuscitat, &, otio constituto, liberiora facit, ad omnia, quæ in obscurita te naturæ latent, acute perueſtiganda. Minime igitur verum est, sub Regibus duas maximas virtutes tolli; nempe, cultum ingenij, & animi excellentis altitudinem; immo sub bono Rege cum maxima laude florebunt, atque sine vllo Reip. periculo, ad excellentem gradum honoris adspirabunt. In Rep. enim liberalij, qui excellenti ingenio, & maximo animo sunt, cum res illis ex animi sententia procedunt, & ampla dignitate cumulantur, Tyrannidem sæpe affectant, & Remp. euertunt; at in Regno ita viget studium virtutis, vt nõ facile immoderatione peruertatur, &, a bonis principijs excitata, in perniciem patriæ totius erumpat. Regiæ namque potestatis, atque dignitatis amplitudo, temeritatem facile coercet, animiq. magnitudinem ita temperat, vt eam in fraudem impelli minime patiatur. Nequetibi assentior in eo, quod ais, præmia, quæ donantur a Regibus, non habere dignitatem. Quid enim poterit esse ad honestatem præclarius, quam a sapiente Principe, qui numquam flagitiosam voluptatem virtuti prętulit, muneribus, atque donis augeri: donum enim illud virtutis testimonium continet, non labis illius indicium. In quo vero dicis, nõ esse in Regno aditum omnibus apertum ad eximiam dignitatem; pergis tu de temeritate, & amentia stulti Principis, non de Regis optimi, atque sapientis, moderatione differere. Si enim Rex vere hoc nomen vsurpauerit, non ignauam nobilitatem, non opes per iniuriam partas, non vllam denique falsi speciem virtutis opibus anteponet; sed omnes, in quibuscumque virtutis lumẽ eluxerit, quocumque hominum genere illi procreati sint, muneribus amplissimis honestabit. Sic autem exsistet illa præclara contentio, quam dicebas, quæ omnes imperiosas Resp. ex paruis magnas effecit. Nobilitas enim, ne dignitatem maiorum virtute partam amittat, aut ne a nouis hominibus superetur, enixe contendet; contra autem, homines ignobiles, vt e tenebris emergant, & virtute sua splendorem nobilitatis obscurent, omni ratione pugnabunt; Rex autem quasi quidam ludorum præfectus æquissimus, de viribus, & artificio, non de genere, aut diuitijs iudicabit; & præmia pro virtutis ratione distribuet. sic autem euenier, vt contemnatur ignauia, coerceatur insolentia, odio flagret iniuria, nullus honor habeatur auaritiæ, &, exstinctis flagitijs, virtutes omnes efflorescant. Ais tamen, neminem posse alijs imperare, qui non ante paruerit. Rectissime dictum puto: in quo vero Regem numquam parere didicisse ostendis, meo quidem iudicio falleris. Primum enim, si bene institutus est, adstringitur parẽtum disciplina; deinde, magistri sapientis eruditione; deinde, bonorum hominum monitis, & consilijs; tum etiam pudore, & verecundia coercetur; tum, etiam cupiditate laudis incenditur. non vni igitur tãtum rectori, sed multis obtemperat: seruit. n. pietati, seruit modestiæ, seruit pudori, seruit honestati, priusquã ad imperium administrãdum se conferat. Ne legibus quidem se solutum existimabit; immo multo artioribus legũ vinculis, quam ceteros, se alligatum reputabit; vt non solũ ipse suas cupiditates teneat, sed vt exemplo suo facilius suos in omni officio contineat. Hoc enim etiã non mediocre discrimen est, inter Regem, atque Tyrannum, quod Rex legibus se deuinctũ esse profitetur; Tyrannus vero in interitu legum omnem dignitatem suam collocãdam existimat. infinitum enim imperium concupiscit, quod leges minime patiuntur. Regis vero imperiũ legitimũ est, neque iura vllo mõ transgreditur, sed lege, atque rõne definitur. In legitimo aũt imperio, non regnat improbitas, non violentia, nõ libidinis impotentia, nõ iracundiæ furor, nõ preceps ambitio; sed leges & mores, & egregiæ disciplinæ, quibus Reip. salus, & dignitas continetur. Vt autem veniat Resp. in potestatem vnius Principis intemperantis, & perditi, potest, illo defuncto, (vt fit) per alium Principem iustum, atque beneficum recreari.

At

At Resp. quæ multorum potentia continetur, vbi publici mores ad perniciem labũtur, & ruunt; nullo modo sustinere potest, quin Princeps in exitium feratur. Sed dices fortasse, fieri non posse, vt vnus homo tantum ingenio, & industria valeat, vt omnia solus negotia, & sapiẽtia gubernet, & virtute sustineat, & æquitate moderetur. Quasi sit difficile Regibus, multos homines, Regia virtute præditos, in consilium adhibere, & in Regni quodammodo administrandi societatem conuocare, & ex omnium sententia, quid optimum factu sit, statuere. Illud vero quantũ est? quod in Rep. liberã nemo ferme est, quin in eo, quãtum potest, omnes animi neruos intendat, vt Remp. ope atque præsidio confirmet. Alium enim rei familiaris cura distinet; alium cupiditas propriæ vtilitatis, publicæ vtilitati aduersari compellit; non paucos autem stulta quædam opinio, de aliorum vigilantia, & industria a curatione Reip. & studio communis salutis auertit. Dum enim quilibet suas tantum res agit, neque defuturos existimat, qui pro omnium salute velit sumptus facere, & labores perferre, & pericula subire; fit tandem, vt opes Reip. ab omnibus negligantur, aut saltem non eo studio, labore, & vigilantia defendantur, qua singuli opes suas tuentur. At Rex hoc vnum agit, & cogitat, huic curæ incumbit vni, eo omniã illius studia conferuntur, vt Regnum tueatur, vniuersamq. Remp. tutam ab omni calamitate conseruet. Præterea, cum nemo possit in eo munere recte versari, in quo non multum operæ, & studij contulerit, publici commodi ratio postulat, vt vnus homo sit, qui nullum aliud munus in vita colat, nihil agat aliud, nullum studium, nullã curam ad se pertinere putet, quæ sit a communi vtilitate seiuncta; in Rep. autem libera alij alijs curis impliciti sunt, &, priuatis sæpenumero vtilitatibus impediti, a studio publicæ vtilitatis abducuntur: at Regis animus, si bene a natura informatus, & rectis disciplinis institutus est, in hoc tantum munere sese a primis annis exercuit, hanc vnam artem didicit, hoc vnum sibi onus impositum esse consideratum; vt, quamuis omnes dormiant, & quieti sint, ipse solus vigilet, & laboret, & cum vitæ etiã periculo, pericula omnia a patria, cuius curam suscepit, virtute propulset. Postremo, in libera ciuitate, non possunt esse semper omnes ita de Reip. salute consentientes, vt non sæpenumero alij alios impediant; &, quamuis quidam sint prompti, & alacres, aliorum timiditate, & negligentia retardentur; & sic rei bene gerendæ occasio elabitur; omnisq. facultas constituendæ salutis amittitur: at Rex, cũ supremam ipse habeat potestatem, illumq. omnes alacri mente, & studio sequantur, facile potest intendere animum in omnes rerum opportunitates; sedulo vrgere, & instare, per se multis in locis occurrere pecunia; fauore, gratia; spe laudis, & gloriæ suorum animos incendere; nullamq. occasionem aut hostis perterrendi, aut imperij sui ornandi, & amplificandi prætermittere. Cum igitur nec alibi sit concordia maior, neque ratio vitæ tranquillior, neque vberius virtutis præmiũ, neque, quod est consequens, acerbius flagitij supplicium, nec acrius reip. tuendæ studium, quam in Regno bene constituto; restat profecto, vt nullus Reip. status sit cum illo comparandus. Quocirca sapienter Homerus vnius principis imperium, multorum potentiæ longe anteponit. Nam, vt vnus tantum Sol lucet in mundo; ita consentaneum est, vt in vna Repu. vnius tantum Principis maxime sapiẽtia, atque virtus eluceat. Nihil est enim nec ad omnium vtilitates conglutinãdas efficacius, nec ad temporis diuturnitatem valẽtius, nec ad bonas artes colendas vtilius, nec ad animorum securitatem firmius, neque denique ad imitandum illius supremi Regis imperiũ accommodatius. Vnus est enim rector, vnus moderator, & Princeps, qui rerum vniuersitati præsidet, qui cælum, & omnia, quæ cæli ambitu continentur, æterno imperio gubernat. Sit modo Rex ingenio acutus, virtute magnanimus, bonis artibus eruditus, studio verissimæ laudis incensus, cupiditate publicæ salutis, & dignitatis inflammatus; &, quod caput est, religione castus, & cognitione Diuini iuris instructus; & sic fieri non potest, vt sit vlla Resp. ea, quam ille moderatur, omnibus bonis affluentior. Quamuis enim in libera ciuitate in vno ciue, aut in paucis, hæ laudes omnes inueniantur; non possunt tamen tantum fructum afferre rebus communibus, quantum afferunt, cum sunt in animum summi Principis in Regno congestæ. illius enim imperio continentur omnes, & illius imitandi cupiditate incenduntur, & facillime ad studium, quo illũ teneri vident, applicantur; ita, vt omnes ex illius moderatione maximum in omni genere fructum percipiant. Probas tu quidem mihi ista, inquit: Sed velim ex te audire, quid præstantius, aut vtilius esse iudices; Regem libero populi suffragio creari, an potius Regnum ad filium maiorem natu hereditate peruenire? illa namq. Regis eligendi potestas, quæ viget interdum in Sarmatia, & viguit in inferiore Pannonia, multas commoditates videtur habere. Primum enim summæ felicitatis esse videtur, talem Regem habere, qualem optare possumus: non enim semper filij parentũ vestigijs insistunt: ex Principe enim clemente, atque benigno, & artibus præclaris instituto, nascitur sæpe filius aut natura maleficus, aut consuetudine corruptus, aut institutione deprauatus: at numquam tam male cum genere humano agi potest, vt non liceat reperire hominem, natura, & moribus, & disciplina præstantem; qui facile rempub. moderatione sua conseruet, & ab omnibus malis, quæ illam

Rex, populi suffragio creatus, & natu maior qs melior.

Universidad de Deusto
Biblioteca

illam oppugnant, eripiat. Si igitur liberum fuerit populis, eligere, quem velint, multo sæpius hominis optimi, atque fortissimi virtute frui poterunt, quam nunc fruuntur: tunc enim eorum salus in eorum iudicio posita esset; nunc vero in casu, atque fortuna sita esse videtur. Præterea, contra naturam est, vt mali bonis imperent, timidi fortibus, temerarij sapientibus. At, cum reges non siunt, sed nascuntur, id sæpenumero accidere necesse est, vt homines, virtute, & sapientia præcellentes, Principis insani, & furiosi patiantur amentiam, & Resp. illius temeritate, & flagitio de statu suo conuellantur. Præterea contra ius est, vt populus iure suo priuetur: nec enim Rex appellari potest, qui inuitis imperat, sed Tyrannus potius. Rex enim liberorum hominum moderator est, non seruorum: liberi autem illi sunt, qui moderatorem sibi deligunt, non qui alicuius, velint, nolint, imperium sequi compelluntur. Adde, quod is, qui propter virtutem eligitur, multo benignius, & humanius populum tractare potest: partim enim, quod pristinæ vitæ recordatio illum admonet, eis benigne facere, cum quibus videt se fuisse æquabili iure coniunctum; partim, quod gratiam referendam existimat populo, per quem se videt in altissimo gradu locatum, vniuersi populi salutem sibi singulari studio, atque benignitate conseruandam proponit. at is, qui numquã humano more cultus fuit, neque inopiam, neque solicitudinem, neque labores, quibus reliqui homines afflictantur, expertus est; periculum est, ne se hominem esse obliuiscatur, & ea de causa nihil humanitatis reliquis hominibus impartiendum putet.

Miseria humana, incitat homines ad misericordiam. Aen. lib. 1.

Nihil est enim, quod magis inuitet homines ad misericordiam tribuendam, quam humanam miseriam experiri: vnde rectissime Dido apud Virgilium inquit:

Non ignara mali, miseris succurrere disco.

Præterea, si vere homines sapientes statuunt, neminem posse alijs imperare, qui non ante paruerit; certe constat, multo magis ad imperandum aptum, & habilem esse, qui Regi paruit, qui leges obseruauit, qui magistratibus obediuit, qui pudorem, & officium coluit, qui semper cum virtute, & industria imperata confecit; eo, cui a puero omnes, non solum obediendum, sed etiam tamquam Deo litandum existimarunt. Postremo, illa praua institutio, qua Regum filios corrumpi dicis, hominum priuatorum filijs adhiberi non solet: & ideo fieri necesse est, vt multo plures interdum inueniantur in illis omni virtute ornati, & sapientiæ laude præstantes, quam in Regum filijs. Persarum Reges olim Magni nominabantur, quod prouincias innumerabiles in ditione tenerent, & immanibus diuitijs affluerent: re tamen vera, vt ex te non semel audiui, hæc ex Platonis testimonio referente, duo tantum ex illis hoc nomen merito habuerũt: quorum vnus fuit Cyrus Cambysæ filius, qui Asiæ imperium in Persida constituit, alter autem Darius Histaspis filius: ratio autem, quam ais assignari ab eodem viro sapientissimo, ea est, quod, cum eorum neuter esset magni Regis filius, fuerint sub legibus, & disciplina (in qua reliqui pueri, qui honesto loco nati sunt, olim nutriebantur) diligenter instituti, & ita vterque eorum potuit ad summam amplitudinem dignitatis euadere: at illorum filij, & illi deinceps, qui Persarum imperium tenuerunt, mulierum delicijs effeminati, & adulatorũ assentationibus inflati, & ita flagitiorum sordibus infecti, quamuis Magni vocarentur, fuerunt omnes ferme pusillo, & angusto animo præditi, & ab omni studio Regiæ maiestatis, & amplitudinis abstracti. Tantam enim vim habet puerilis institutio, atque moderatio, vt sine illa nemo ad vllum decus eniti possit. Cum igitur plerumq. reliqui homines honestius educentur, & diligentius instituantur, quis non videt futurum, vt plerũque apud illos maiora virtutis, & moderationis studia vigeant? Adde, quod, si spes regnandi fuisset omnibus, qui virtute excellerent, ex æquo proposita, multo acrius, & diligentius omnes, in quibus esset maior animus, & clarior indoles, ad summam virtutis, & sapientiæ laudem adspirarent, & ita fuisset facilior futuri Regis electio. Quid enim facilius, aut felicius cogitari potuisset, quam, in magna bonorum copia, eligere, qui omnibus virtutũ maximarum opibus antecelleret? Cum autẽ naturæ ratio flagitet, vt, qui sapientior est, regat, & ducat illos, qui non eundem gradum sapientiæ assecuti sunt; contra naturam certe erit, vt sapiẽtes sese ad imperium, & ductũ hominis insani, atque plane furentis adiungant. Ergo, cum accidere possit, vt aliquis Rex temerarius, & insanus, Regis optimi, atque sapiẽtis satu procreetur; & vix possit fieri, vt non eodem tempore, quo ille, cum magna Reip. calamitate, Remp. capessit, multi homines sint in Rep. virtutis, & sapientiæ gloria præstantes; nihil profecto videtur vtilius optari posse, quam Regis electionem libero populi suffragio permitti. Aliter enim in Caligulas, & Heliogabalos, & Nerones, & in ipsa denique immanitatem, & truculentiam Tyrannidis incidemus. His quidem rationibus in eam sententiam adducor interdum, vt existimem, nihil esse præstabilius, quam ex omni populo virum eligere, ingenio sagacem, doctrina sapientem, animo fortem, virtute honestum, totoq. pectore ad laudem incumbentem; &, quod caput est, cupiditate communis salutis incensum, qui Remp. moderatione sua tueatur, atque conseruet, Regiumq. munus vigilanter administret. Quare nihil poterit esse nobis gratius, quam, quid de hac quæstione sentias, intelligere. Faciam, inquam, sed nõ tam multis verbis, quam a te proposita quæstio

Puerilis institutio maximam vim habet.

stio postulat: est enim anceps, & in cuius explicatione multa in contrariam sententiam disputari facillime possunt. Sed, vt tibi ad omnia respondeam, statuendum est, si volueris omnia mala, quæ vtrobique nasci possunt, recensere, nullam esse rationem, quam nõ asperneris; nullam sententiam, quam non cum aliqua ratione reijcias. Quid igitur faciendum? Id, quod sapientes homines præcipiunt; nempe, e duobus malis minus eligere. Videamus igitur, quid magis alioribus nostris, quid nostræ Reip. quid generi nostro, atque naturæ conueniat, &, quod minus malorum inuehat, id potissimum sequamur. hoc posito, videamus, num multo maiora mala his, quæ recensuisti, electio ista, quam prædicas, importare possit. Primum enim, populus non est ita sapiens, vt semper cum principem sibi adoptet, qui publicam vtilitatem suis commodis anteferat: caret enim plerumque consilio, caret gravitate, & constantia. sæpe igitur mentis errore, & amentia, nonnumquam spe, aut metu inductus, non raro autem leuitatis specie delenitus, aut odio, & inuidia concitatus, a recto iudicio deducitur, & pro vera virtute falsam imaginem virtutis amplexatur. Accedit, quod vera virtus non se venditat, neque se hominibus fraudulenter insinuat, neque populi rumorem aucuparur; sed, se ipsa contenta, popularem auram facillime contemnit: at is, qui populum captare, & ab vniuersa multitudine gratiam inire studet, quamuis sit superbus, & insolens, & iniustus, præ se tamen fert illustrem modestiæ, & moderationis, & æquitatis speciem; vt, simulatione virtutis, in hominum mentes irrepat, & de illorum stultitia omnia, quæ cupit, singulari artificio conse quatur. Intelligit quide populus principatũ virtuti deberi; sed, dum veram virtutem a falsa non internoscit, & vera virtus plerumque se ab illius adspectu remoueat, falsa autem se passim intrudat; facillime fit, vt populus, pro vera, falsam arripiat, quam summis opibus augeat, amplissimisq. honoris insignibus exornet. Quid autem scelestius, & perniciosius, virtutis simulatione? Nihil profecto. Hoc igitur ista electio libera, quam dicis, efficiet, vt ij, quorum scelere nihil est immanius, neque Reip. perniciosius, Remp. possint pro libidine sua perturbare, & omnibus bonis euertere. Euoluite, si lubet, omnem antiquitatis memoriam; & reperietis, omnes ferme Tyrannos hanc sibi viam ad Principatum muniisse: virtutem enim ementiendo, & populum fallaci specie mansuetudinis, & lenitatis ad se alliciendo, intolerandam potentiam in Rebusp. sibi parauerunt: qua quidem, ad ipsius populi perniciem, nimis intemperanter, & crudeliter abusi sunt. Qua enim alia ratione Cypsilus Corinthi, Pisistratus Athenis, Dionysius Syracusis, Phalaris Agrigenti, Alexãder Pheris, Nicocles Sycione, & alij denique innumerabiles Græci Tyranni patrias suas oppresserunt? Quo alio artificio Cæsares improuiso Romanis libertatem eripuerunt? Qua via multi homines perditi, atque profligati, in Romanum imperium inuaserunt, vt, in summo fastigio locati, orbem terrarum perderent? Numquid obscurum est, omnes ferme Tyrannos, qui olim summas sibi opes cum publicæ libertatis interitu comparauerunt, popular temeritate, & amentia nixos, ad summum imperium, atque potentiam peruenisse? Deinde, quis non videt, quam pestiferæ dissensiones ex hoc fonte popularis licentiæ, & immodicæ libertatis emanent? Nullum enim est fecũdius discordiæ seminarium, quam Regni cupiditas; maxime vero, cũ Regnum fuerit alicui opinione virtutis amplissimæ delatum: tum enim homines, amplissimæ dignitatis appetentes, non solum pro summis opibus, sed pro summa dignitate dimicabunt; & mortem oppetent potius, quam aliorum imperiũ, quibus ipsi nihil de virtute concedunt, aliquo modo tolerent. Inde igitur tumultus, inde cædes, insidiæ, inde hostiles ciuiũ inter ciues dissensiones, inde mutuã strages, inde postremo patriæ populatio, & inflammatio, & Reip. totius euersio & interitus exsistit. Quã cæca autem sit dominandi cupiditas, horrendi quorundam Principum exitus maxime declarant. filij namque parentibus necem afferebant; parentes filios crudelissima morte multabant; amici amicis insidias comparabant; neque vllum communis sanguinis, neque naturæ ius in animis insitum, neque fœderum vlla sanctitas erat impedimento, quo minus vel ferro, vel veneno alij alios, cum quibus erant coniunctissimi, de medio tollerent, vt ipsi soli regnarent. Hoc non solum rerum antiquarum monumenta, sed exempla quotidiana demonstrant; vbi regnandi contentio viget, ibi nulla naturæ necessitudine, aut religionis sanctitate vitam mmiri posse; neque solum ijs, qui regnare concupierunt, sed omnibus Rebus pub. quæ illorum imperium subire compelluntur, seditionibus intestinis, & mutuis cædibus exitium importari. Quod si nihil est in omni Rep. maiore diligentia præcauendum, quam ne tumultus aliquis excitetur; nihilq. maiorem vim habeat ad discordiam concitandam, quam effrenata regnandi cupiditas; si quilibet ea libertate populo concessa statuisset se regnare posse, quantas turbas commoueret? quantum bellorum incendium concitaret? quanto furore, & amentia vexaretur? In quo vero dicis, multos futuros virtutum omnium laude præcellentes, tantæ dignitatis præmio virtuti constituto; primum quidem in Regno satis magna præmia sunt, ad virtutis studium incitandum. deinde, virtus, quamuis initio præmium, & emolumentum respiciat, vbi magis atque magis progreditur, non humana, & caduca præmia,

Cupiditate Regni nu fecundius Discordiæ seminarium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mia, sed Diuina, & æterna considerat. Boni igitur, & vere, & ex animo virtutem colentes, sine vlla spe Regni, sed ipsius tantum virtutis illecebris inuitati, ad virtutis amplitudinē aspirabunt: mali vero, qui virtutem simulant, ea spe deiecti, non tanto studio, & artificio, neque cum tanta Reip. pernicie, virtutis imaginem, atque formam gerent, quam si Regnum sibi erroris opinione finxissent. Sed ais, populum iure suo priuari, cum inuitus imperium alicuius subire compellitur. Minimē quidem inuitus. Quod enim moribus receptum est, & temporis longissimi diuturnitate confirmatum, id populus libentissime cōprobat; maxime, cum ne in hac Regni legitima successione iure suo priuetur. nec enim Rex habetur ille, qui Regni hereditatem adit, antequam iuret, se Regnum iure, atque patrijs legibus administraturū; & sic tandem populi totius consensu recipitur: qui etiam fidem suam sanctissimo iureiurando adstringit, se illi dicto audientem fore. At inquis, humanius, atque clementius tractasset Princeps omnes eiues, si fuisset ab vniuersis electus: nam, & actæ vitæ ratio, & accepti beneficij memoria, ad populum omni studio conseruandū facilius impulisset. Id quidem verum fuisset, si populus in mandādis honoribus numquam errasset: si vero constat illum plerumque bonis improbos, gratis ingratos anteferre; quis dubitat, quin longe sæpius contrarium eueniat? Nam, & qui ab humilitate, & inopia, ad summam amplitudinem repēte traducitur, effertur, & insolescit; &, qui maximis est beneficijs obligatus, ne, quod debet, aliqua ratione dissoluat, beneficij memoriam abijcit; & illis ipsis, qui eum extulerunt, est vehementer infestus: superbia enim, & insolentia facit, vt nihil ægrius ferat, quam existimari sibi alterius ope, & gratia, fuisse summū imperium ab vniuersis delatum. Nam, quod de Cyro, & Dario dicis, rarum id exemplum fuit: quod quidem sæpius euenisset, si omnes, qui a priuata condicione ad summum imperium eferuntur, fuissent splendido ingenio, & animo maximo prediti: quales ij, quos commemoras exstiterunt. Cū vero multo secus eueniat plerumque, & virtutis assimulatæ scelus verā virtutem in honoris popularis contentione superet; dubium non est, quin populi temeritas, pro humanitate, & clementia, summam immanitatem, & crudelitatem capitibus suis imposuisset. An non Tyranni omnes, vt paullo ante diximus, clementiæ, & humanitatis opinione commendati, a populo summis honoribus affecti sunt, quem deinde multis, & grauissimis cladibus afflixerunt? an non, vt quisque maxima rerum omnium inopia cōflictatus in principio fuit, ita, postquā Principum gratia opes, & honores assequitur, maxime tæter incedit; ita, vt omnes etiam, cum quibus antea conuictissime viuebat, contemnat, atque despiciat? Quid ij facerent, si ad Regnum peruenirent, qui, mediocribus etiam opibus elati, ita se tumidos inferunt, vt ferri, & tolerari nō possint? Insanirent profecto, &, furiarum stimulis agitati, ciuium strages ederent. honor enim repentinus, vbi naturam nactus est parum solida virtute firmatam, quo est maior, & amplior, eo magis animum omni sanitate spoliat & à mente, cōsilioque deducit. Quod vero ais, Regum filios neque labore vllo firmari, neque disciplina vlla adstringi velle, & ita fieri, vt neque virtutis, neq. modestiæ signum aliquod dare queant; id quidem euenret, si talis fuerit eorum educatio, qualem oratione depinximus; si vero ea fuerit adhibita disciplina, quæ maxime futurum Regem deceat, nihil neq. fortius, & constantius, neq. moderatius, & clementius esse poterit. Nam multis se laboribus exercebit, & in venationibus, frigora, & æstum tolerabit, & famem etiam, atq. sitim ferre discet, & erit in omni vita moderatus, &, memor imbecillitatis humanæ, numquam se hominem natum obliuiscetur; & ita fiet, vt numquam animum illius efferant istæ cerimoniæ, quibus illi litari dicis. de illis enim multa detrahet, & in ijs, quæ reliquæ necessario fuerint, (habet. n. venerationem iustam amplissimum Regis nomen) haudquaquam insolescet. Ac inquis, fieri non posse, vt quisquam recte imperet, nisi prius aliorum imperio obtemperauerit. Recte sane: sed, vt iam dixi, Regū filij si recte fuerint instituti, multis rectoribus obedient, antequam Remp. attingant. Parentes enim debita pietate, & veneratione prosequentur; magistros, atq. pædagogos verebuntur; maiores etiam natu, in quibus summa grauitas fuerit, honore afficient; & eorum consilijs, & monitis obtemperabunt, & laudi, atq. pudori seruient; & ingenti gloriæ cupiditate flagrabunt: quæ quidem illos in ætate prima vehementius inflammari percupio. Maximum enim Regiæ indolis argumentum est, acerrimum laudis, & gloriæ studium. Cum igitur Regum filij tam multis rectoribus abundent, & tantis disciplinis instructi sint; si modo sunt, quemadmodū oportet, ad Regium munus, & officium eruditi, satis parere, & obedire discunt. Postremo, vt nullus artifex ad summam artificij sui perfectionem peruenire potest, nisi a puericia sese illi arti, cui studere vult, tota mente applicuerit; ita Regis ars, atq. disciplina ab illis tātum rectissime percipi potest, qui a pueris nihil aliud egerunt, quam vt tandem aliquando optimi Reges euaderent. Præclare enim Quinctilianus statuit, vt de eo oratore, quē format, & fingit, omnes, qui illum necessitudine attingūt, maximam spem a prima ætate cōcipiāt, & opinentur illum præstantissimum oratorē futurum: sic enim euenturum ait, vt omnis eorum institutio ad eum finem referatur, vt is, cuius curam gerunt, maximum in oratoribus nomen obtineat. Quod quidem eo diligētius in Regum institutione faciendum est, quo magis, &

ius, & amplius illorum munus est, & ad plures, si recte officio functi fuerint, illorum sapientia pertinet; &, quo maior pernicies, si in officio deliquerint, Reip. inferri potest: non enim adeo facilis hæc disciplina est, vt nō a futuri Regis infantia firmissima illius fundamenta iacienda sint. Vt igitur non is artifex nobis flagitandus est, qui tunc, cum opera illius indigemus, discere incipit; sed is, qui nihil aliud egit in vita, quam vt in illo genere artificij præcelleret; ita nec optandum nobis Regem illū censeo, qui numquam se Regem fore suspicatus est; sed illum, qui a primis annis fuit omnibus Regijs disciplinis, cum amplissima spe summæ virtutis, excultus. Si igitur neque semper populus in eligendo ius, & fas, & optimam rationem sequitur, sed sæpenumero cupiditate, & odio, & inuidia, & temeritate ducitur; si cōcordiæ ratio semper in primis habenda est, & hac ratione omnis discordiarum materia subtrahitur; si omnia pericula, quæ ex hoc more (qui apud multos inueterauit) interdum reb. communibus inferūtur, depelli facile possunt, institutione præclarissime constituta; colligi certe potest, multo ad pacem securius, & ad virtutem aptius, Regiam indolem, quæ in eis, qui sunt ex Regibus orti, plerumq. exstat, & eminet, disciplinis excolere; vt Princeps munus suum, & domesticis exemplis stimulatus, & studio laudis incēsus, diligēter administret; quā m imperium illi committere, qui fortasse multa vitia fronte, & supercilio tegit; neq. tanto robore animi præditus est, vt tam altum dignitatis gradum ferre, atque sustinere queat. Vir enim callidus, & malitiosus, emendari disciplina non potest: at pueri, (maxime autem illi, qui Regia stirpe orti sunt) cum miti, & clementi natura sint, facillime fingi possunt; &, in quamcumque partem illos ætatis teneræ rectores impulerint, institutione, atq. disciplina conuerti. Quod si aliter apud alias nationes fit, illæ suum morem retineant. nos nostrū summo studio conseruemus. Vtrumq. enim fieri recte potest. Receptæ autem consuetudinis immutatio, & inueterati moris inuersio, quē admodum de Reip. statu dicebam, numquam sine rerum, & morum pernicie fieri potest.

Apud nos vero nihil cōmodius esse puto hoc more, quo Reges nobis natura fiunt. nam, si nemo est, qui pati possit, quemuis alium sibi anteferri, & si de quibusuis commodis, & dignitatibus tanta sæpe contentio nobilitatis excitatur, vt vix Regis ipsius auctoritate, quæ apud nos grauissima, & sanctissima semper fuit, possit tumultus cōprimi, & sedari discordia; quid fieret, si quilibet, alijs inuitis, ad summum imperium se peruenire posse confideret? Habes, quid ipse de hac quæstione sentiam. Si possumus impetrare, vt Sebastianus noster ita nutriatur, & educetur, & illis disciplinis eruditatur, quibus illum eruditi conuenit; erit profecto omnis controuersia sublata. Cum enim natura præclarum, & singulare ingeniū habeat, sperandum est, si fuerit Regijs disciplinis institutus, vt tantus Rex sit, vt melior eligi a populo nō possit. Hæc vbi dixi, tum Portugalensis inquit, Quam vellem Ioannes Dux Aueriēsis huic nostro sermoni interesse potuisset. magnam sane ille voluptatem ex eo perciperet. At ego, inquam, facile illum abesse patior. si enim adfuisset, nos ingenio, quo valet plurimū perterrere potuisset, & impedimento etiam fuisset, quo minus libere oratio nostra vagaretur. Nec enim erat, & ætati, & auctoritati illius consentaneum, tam diu nostris sermonib. distineri. sed nos aliquid ex disputationibus nostris seligemus, cuius illum participem effīciamus, vt sine molestia eam, quam dicis, voluptatem percipiat. Hæc vbi dicta sunt, surreximus; &, aliquot spatijs factis, ex hortis discessimus; ita tamē, vt prius inuitatio fieret inter nos, vt postridie illius diei maturius in easdē sedes conueniremus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIERONYMI OSORII LVSITANI

DE REGIS INSTITVTIONE, ET DISCIPLINA

LIBER QVARTVS.

POSTRIDIE igitur rebus Diuinis mane procuratis, in hortos ad solitas sedes deuenimus. Tunc Portugalensis inquit: Hesterna quidem disputatione nihil aliud actũ est, quam vt vitiosam disciplinam, quæ multis rebusp. interitum potest afferre, videremus. Ex ea igitur nullum omnino fructum capiemus, nisi tu, (me autem nominabat) quemadmodum flagitiosam disciplinam oratione sustulisti, honestam oratione constituas. facillimum enim est, praua, atq. vitiosa criminari; difficillimum autem, quid rectum, & verum sit, & insignem vtilitatem afferat, inuenire: a te vero, non quod est promptũ, atque propositum omnibus, & quod in omniũ ore, atque sermone versatur, postulamus; sed, quod est arduum, atq. difficile, & a paucis præstari potest, exquirimus. Quasi, inquam, ego non sim vnus e multis, magis ad ea vituperanda, quæ reprehensione digna videtur, idoneus quam ad ea decernenda, quæ honesta, & laudabilia sunt, accommodatus; morbi tantum vim quo multi populi, atque nationes laborãt, percipio; quæ sit tantis malis adhibenda medicina, (vt verum fatear) ignoro. Nec enim, si quis periculosi morbi medicinam querit, continuo medicus est, sed tantũ admonet, opus esse medico sapiente, qui malum illud tantum optima curatione depellat. Meum officium fuit, morbi grauitatem indicare; vobis, si res digna videtur, in qua laboretis, aliunde remedium comparate. Nihil agis, inquit T. non enim alium medicum videbimus, antequam quid ipse ad Regni salutem afferre possis, intelligamus. noli igitur tergiuersari, aut te ista communi, & vsitata ignorationis excusatione defendere. Quid, inquam, si id, quod vultis, præstare non possum? Iniquum, inquit, esset, a te postulare quidquam, quod sit supra ingenium, & facultatem tuã; sed nos in præsentia eo, quod poteris, contenti erimus, dum nihil, quod ad rem facere possit, de industria prætermittas. Hac quidem condicione, inquam, libẽter, quid possim, experiar. quodvt commodius fiat, rursus nomen Regis explicemus. Est igitur, vt ante diximus, Rex, excellens, & vnicus, atque perpetuus populi vniuersi rector, atque moderator. Hinc iam cerni facile potest, non solum, quantus splendor, & dignitas sit in Regio munere; quanta sit etiam Regij nominis amplitudo; verum etiam, quanta sit illius, vt apparet, tuendi, atque sustinendi difficultas. Si enim non mediocris virtutis est, animum regere, cupiditati modum statuere, iracundiam cohibere, inconsideratos animorum motus ratione compescere; quantum tamdem erit, non vnũ tantum populum, sed multas ciuitates, & nationes, plurimum inter se moribus, legibus, institutis, atque natura dissidentes, sapientia regere, disciplina moderari, iure deuincire, virtute defendere? Quid enim aliud regere est, quam eos, quos in fidem recipis, eo quo tendunt, recta perducere? quid aliud est Moderari, quam immoderationem, quæ huic tanto muneri aduersatur, ratione comprimere? Cũ igitur omnes homines cupiditate vitæ florentis, atque beatæ flagrent Regisq. officium sit, illos regere, qui sub illius imperio sunt; restat, vt omnes illius conatus eo comparandi sint, vt vniuersam remp. quam patrocinio suo tuẽdam suscepit, præstet incolumem, & omnibus bonis, quibus vita beata perficitur, affluentẽ. Numquam igitur in commodum suum, sed in populi salutem, & incolumitatem, & vtilitatẽ, respiciet. Vt enim medico, ea ratione, qua medicus est, nihil est aliud propositum, nisi ægroti salus; ita nec reip. Princeps aliud intueri debet, quam beatum reip. statum, vsque adeo, vt quoties opus fuerit, opes suas contemnere, & vitam in quoduis discrimen inijcere debeat, dummodo ea ratione remp. seruet: non enim mercator est, vt pecuniæ coaceruandæ gratia labores infinitos excipiat; non luxuriosus nepos est, vt omnes opes, quas parare potest, eo recondat, vt in exquisitissimis cibis, & flagitiosis voluptatibus, intemperanter absumat; non denique tyrannus est, vt suorum operis ad suam tantum dominationem, atque voluptatem, abutatur: sed Rex tantum est, hoc est, tutor, & patronus, atque adeo pater patriæ; ita, vt omnes illius curæ, & cogitationes ad patriæ salutem dirigendæ sint: multa enim illum cogunt, omnem vtilitatem, & voluptatẽ reip. causa contemnere. Primum quidem, muneris amplitudo. Vt enim nullum est in vita amplius, & magnificentius; ita nullum est maiore cura, studio, vigilantia, solicitudine procurandum. Deinde, obligata fides, quam non potest, sine infando scelere, & flagitio, violare; fidem autem violat, quoties aliquid commodis publicis anteponit. Ea siquidem lege, & cõdicione fuit in tam excelso gradu locatus, vt sangui

sanguinem etiam suum, si res ita posceret, patriæ, quæ illum tantis honoribus auxit, non grauate largiretur. Postremo, nominis ipsius sanctitas, atque religio. Regis enim nomen, sãctum, atq. adeo Diuinum est, & ea de causa veneratione dignissimum. Rex enim munus Diuinum gerit in terris, illiusque summi, atque sempiterni Regis (qui omnia, quæ super, subterque sunt, imperio sempiterno moderatur) administer, & vicarius est. Vnde colligitur, neminem posse Regnum sapienter administrare, nisi in illum mundi rectorem tota mente respexerit, & ad illius se imitationem contulerit. Vt igitur Deus, nec in mundi designatione, nec in cæli conuersione, nec in rerum omnium, quas intuemur oculis, moderatione, cõmodum suum respicit; sed, immensitate benignitatis illectus, & inuitatus, omnia, quæ molitur, quę designat, quæ efficit, ad generis humani salutem confert; ita necesse illi est, qui Regis dignitatem tueri cupit, vt numquam in munere suo perfungendo commodum suum spectet, sed ad publicam vtilitatem omnia studia vitæ dirigat. Vnde concluditur, cum Regis nomine neque familiaris, neque domestici, nec amici, nec affinis, neque cognati, neque parentis deniq. nomen interdũ coniũgi posse. Si. n. casus interueniat, in quo Regi officiũ deferendũ sit, si ratio necessitudinis, aut propinquitatis habita fuerit; cõtenendæ sunt oẽs necessitudines, oẽsq. sanguinis coniunctiones aspernãdæ, naturæq. sensus repudiandi. aliter enim Regis nomen occiderit. Cogunt leges, & flagitat reip. salus, vt contra domesticos, & propinquos, aut filios aliquid statuas, atque adeo alicui eorum necem inferas; si familiaritatis, aut naturæ illecebris emollitus, de recta sententia depulsus es; ius humanum perfregisti, fidem, & officium prodidisti, societatem humanam diremisti, numen postremo Diuinum impie, atque nefarie violasti. Fuit enim apud te grauius amici, atque propinqui, quam Regis nomen, quod proxime ad dignitatem cælestis numinis accedit. Quod si tantum valet apud te familiaritatis, aut propinquitatis nomen, vt illius gratia Regis nomen despicias; cole istam amicitiam, amplexare propinquos & affines, indulge liberis, fatereque non esse in te tantũ mẽtis, aut roboris, vt, vel quid nomẽ Regis valeat, intelligas, vel ipsius dignitatẽ tueri possis; & regni procurationem relinque. Tolerabilius. n. multo est, spoliari fortunis omnibus, quã tã insigne perfidiæ turpitudinẽ, & infamiã subire. Quid? ideo ne te populus in tã ampla dignitate locauit, & in Dei propemodũ loco reposuit, vt salutẽ illius contra fidẽ datã proderes? vt statũ reip. labefactares? vt pernicĩ illis, qui te tãto honore prosequũtur, inferres? Perniciem enim infert reip. qui leges, atque iudicia, quibus reip. salus continetur, suorum gratia contemnit. Quæro deinde, num opes istas ingẽtes, honores istos amplissimos istam dignitatis excellentiam, homines isti, quorum gratia iura omnia conuellis, tibi detulerint? Non certe. populus enim est, qui a principio reges creauit, qui te laboribus suis alit, qui tibi Diuinos prope honores instituit, qui fidei tuæ salutem, atque vitam credidit, qui tibi supplex est, qui te fide, atque amore singulari complectitur. Quæ igitur causa est, cur illos euertas, a quibus omnia, quæ te magnum, & excelsum reddiderunt, accepisti; vt illis indulgeas, qui tanta labe, atq. macula tuũ nomen afficiunt? Iam illa nonnulla culpa tua est, quod eos in familiam tuam receperis, quibus existimatio tua cara non est; aut ita liberos institueris, vt esset, tibi illorum gratia, necesse, leges patrias, & instituta conuellere. Sed quia nõ semper ita felices sunt boni Principes, vt non interdum in delectu hominum fallantur; nec ita semper disciplina seuera esse potest, vt effrenatam libidinem contineat; illud certe officiũ illis necessario suscipiendũ est, vt nulla necessitudine impediantur, quo minus fraudem, & flagitium, & iniuriam pœnæ seueritate coerceant; vsque adeo, vt ne liberis quidem suis parcant: nihil enim quod iustitia vacet, debent sibi coniũctum arbitrari. tam diu igitur valeat apud illos vsus, & consuetudo, & communio sanguinis quamdiu leges, atque iura permiserint. Vbi vero primum a suis ius, quod omnes tenet, contemni perspexerint, in illis potissimum exempla seueritatis statuãt: vt planum fiat omnibus, nihil eis placere posse, quod sit iustitiæ, & æquitati contrarium: aliter autem & populum sibi commissum perdẽt, & illis ipsis, quibus indulgent, plurimum nocebunt: iniquitatis enim vulnus (quo nullum grauius esse potest) eorum animis inflictum minime sanabunt; & reliquos, impunitate proposita, ad facinus incitabũt; & ipsi ignominia sempiterna maculabuntur; & ipsum Dominum, cuius vicem in terris gerunt, grauiter offendent. Hoc autem in vniuersum, quod ius Diuinũ, & humanum, & vniuersa natura postulat, cõstantiss. retinendum est, vt semper cõmune bonum priuatis commodis præferatur; maxime vero, cum pub. fides interponitur. Vnde fit vt iudex, aut magistratus, qui cõmodi sui gratia, vel vt familiaribus, atque domesticis suis morem gerat, pub. vtilitatẽ in aliquo negotio minime curat, &, neglecta fide, quam dedit, &, contempta exsecratione, qua se deuinxit, iura transgreditur; non solum communis vtilitatis euersor, sed perfidiosus, & Dei contẽptor existimandus sit. Qui. n. publicam personam gerit, nullam priuatam necessitudinem, quæ illũ possit ab officio deducere, debet agnoscere: aliter enim non solum erit in homines iniustus, sed in ipsum Deum sceleratus. Quod si magistratus aliquis, cum aliquod aliud nomen in functione publici muneris agnoscit, præter illud, quod illi publice obligata fides imposuit, impius, & sceleratus est; quid de rege dicemus

Rex, neq. familiaritate, neq. propinquitate moueatur.

cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum fuerit illi nomen aliquod nomine Regis antiquius? nullum profecto scelus erit cum illius perfidia,& scelere comparandũ. Sed,quorsum hęc omnia a nobis afferuntur? vt intelligatis plane,quantũ sit Regis nomen;nempe, cuius magnitudine,claritate,& splẽdore,omnia nomina summæ etiam necessitudinis obscurẽtur, & euanescant;tantumq. inter omnes,qui publicum aliquod munus gerunt, excellat, vt omnia ad illius amplitudinem referantur. Reliquum igitur est,vt huius nominis ortũ a cælo repetamus,quando e terris,vt videtur,oriri non potest. Diuinum siquidem est,non inflecti gratia,non incendi cupiditate,non inflammari libidine,non labefactari amore, non deniq. vlla animi perturbatione a recta ratione, & a mentis statu detorqueri. Diuinæ etiam benignitatis est,propriæ vtilitatis obliuisci,& cõmuni consulere. Diuinę virtutis est,caput obijcere periculis, & Remp. conseruare, infinitosq. labores perpeti,& patriæ quieti,atq. trãquillitati prospicere. Vt autem vno verbo omnia complectar;non humanæ, sed Diuinæ virtutis est,Rẽp. vniuersam beatam efficere. Hoc enim Regi propositum est;huius tanti,atq. tã præclari operis artifex est;& in eum finẽ omnia illius officia,& studia conferuntur,vt Respub. omnibus bonis, quæ vel ad corporis victum,& cultum,vel animi statum,& ornamentum pertinent,egregie cumulata sit. Hoc autem qui sine Diuina quadam mente, & ratione fieri posse credit, mentis expers habendus est. Primum igitur opus est, vt is, cui tantum, atq. tam præclarum munus incumbit, Diuina sapientia præditus sit, sine qua nemo beatus esse potest. siue enim in sola virtute vita beata consistit,omnes virtutes complexu,& gremio sapientiæ continentur; siue ad beatæ vitæ cumulum aliorum etiam bonorum vsus requiritur, sapientia sola est, quæ rerum omnium rectum vsum,& moderationẽ præscribit. Quod si cuilibet homini sapiẽtia necessaria est,vt eo tandem, quo illum vis, & impetus naturæ vocat,adspiret; quali tandem sapientia cõuenit excoli,& ornari Regem,cui hoc tantũ munus assignatum est,vt non ipse solus ad beatã vitã perueniat,sed vt omnes,qui imperio illius cõtinentur, beatæ vitæ compotes efficiat? Non mediocri quidem,sed singulari,atq. prope Diuina. Neq. hoc satis est: parum enim iuuat,rectum,& verum intueri,nisi virtutis excellens, & inuictum robur insit in animo, vt id, quod mens honestum,& vtile esse statuit,diligenter & strenue peragatur. si enim homo,acutoingenio præditus,quidquid optimum factu sit,acute perspicit,id tamen,implicatus metu, exsequi non audet;tantum abest, vt ex ea sapiẽtia fructũ ferat,vt potius miseriam, in qua versatur,amplificet. Quid enim intelligẽtia calamitatis impendentis, quam non auertere audes acerbius? Accedit,ad maiorem miseriæ cumulum,quod timor omnia multo grauiora, & acerbiora fingit,quam sensus experiundo percipit. nihil enim est tam asperum, perpessuq. difficile, quod humana natura non perferat. Timor vero omnia intolerabilia suspicatur. sic enim sæpe fit, vt multo magis miseri sint, qui aduentans malum multo ante præsentientes extimescunt, quam qui illud idem patiuntur. Sensus enim præsentis acerbitatis,aliquid interdum laxamenti habet;at timor animum assidue vexat,& excruciat: & vsus,atq. patientia malum in dies leuius efficit; at timor quotidie omnia acerbiora proponit. Is igitur,qui beatus esse studet,animo sorti,& inuicto sit necesse est,vt nullo metu impediatur,quo minus id,quod vtile,& honestum fore perspicit, diligenter efficiat,& mente semper quieta, atque trãquilla fit. Quid enim miserius,& funestius, quam sine virtute animi omnia dura, & horribilia præsentire? Qui magno,& forti animo nõ sunt,quo magis abundant ingenio, & acutius futura mala prospiciunt,eo dirius,& acerbius torquentur: omnes enim rumores extimescũt & strepitus omnes exhorrent,& perpetuis curis afflictantur,& tremunt,& pallent, & horribili pauore concutiuntur. Quod si omnibus, qui ad beatam vitam enituntur, magnitudo animi comparanda est,multo certe magis Regibus, nempe qui hoc susceperunt, vt animo maximo intestinam fraudem resecarent, & hostium ferociã inuicta virtute reprimerent; vt non ipsi solum quieto,& securo animo sint; sed omnes,qui in præsidio illorum acquiescũt, sine vlla solicitudine,atq. metu vitam degant. Nec enim pauca, nec mediocria pericula Regibus intenduntur; sed multa, & grauia, partim scelere intestino ciuium conflata, partim ab externis hostibus iniecta; quæ omnia sunt intrepide subeunda. Opus igitur est,vt sit animo maximo, & inuicto præditus, & Diuino quodam robore munitus: aliter enim numquã animo consistet;tantum abest, vt a suorũ animis metũ,quo torquentur,abstergere aliquãdo possit. Quantũ vero decus honestatis,quãtum specimen moderationis,& ordinis, quantum dignitatis lumen eluceat opus est in eo, quẽ omnes ĩcueri, quẽ imitari,ad cuius se exemplum effingere debent, est explicatu difficillimum. Quo modo enim aliorũ libidines cõtinebit,qui suas primũ non continet? Pœna,inquies,& supplicio coercebit eos,qui flagitium aliquod in se contra leges admiserint. Sed primũ impudentis est,id in alio vindicare, quod ipse palam suscipis. Deinde,nũquam solus metus Reip. statum firmo præsidio stabiliuit. Postremo,officium,vi,atq. minis expressum, nõ potest esse diuturnum. Vt igitur sese quisquã ad aliquod tempus metu contineat,vbi primũ spes celandi,& occultandi oblata fuerit,inclusa, atq. vi compressa libido multo violentius erumpet,& omnia,quacumq. tulerit impetũ, immoderatione sua perturbabit. Princeps igitur,qui moribus ornare Remp. statuerit,opus est,vt

Calamitatis impendentis intelligentia nihil acerbius.

Princeps Rẽpub. moribus ornet suo exẽplo.

est, vt id non tam minis, atq. supplicijs a lege propositis,quam illustrissimis continentiæ,& moderationis exemplis efficiat. Quemadmodum enim corrupti Principum mores Remp. inficiunt,& flagitioso exemplo contaminant; ita Principum decus,& integritas facile Rẽp. a libidinis intemperantia (vnde omnia mala oriuntur) ad honestatis studium traducit. Videte igitur,quantus splendor decoris,& honestatis eluceat opus est in eo,qui nõ solum omnes animi sui partes continere debet,ne dissideant inter se, turbulentisq. motibus mentis elegantiam,& decus euertant; sed etiam id efficere,vt omnes,qui sub illius imperio sunt,illius dignitatem ament,& imitentur, & sint inter se sententia congruentes,& mutuo amore coniuncti. quod sine Diuina quadã Regis moderatione fieri nulla ratione potest. Nõ igitur intemperans, non iracundus, non leuis, & inconstans, non libidinosus Regis officium tueri poterit vllo modo; sed continens, mansuetus, & moderatus,& grauis,tantisq. honestatis ornamentis excultus,vt omnes admiratione sui commoueat,& ad imitationem tanti decoris, atq. dignitatis alliciat. Quid de iustitia dicendum? in cuius studium omnes Regis curæ,& cogitationes,omnes labores,atq. vigiliæ,omnia denique studia consumenda sunt. ea namque a principio Reges creauit, & ornauit, ad summamq. amplitudinem decoris,atq. dignitatis euexit: ea populorũ vulnera sanat;motus omnes comprimit;pacem,& otium cum dignitate constituit;vires Reip. firmat;opes,& imperium auget;Dei numen pie,atq. sanctẽ veneratur. Nullum est enim sacrificiũ Deo acceptius quam iustitiæ munus;nulla gens,nulla ciuitas nullus hominum cœtus, nulla postremo domus,sine iustitia potest salua consistere. Iustitia deniq. cælum terræ deuincit; ima summis amore coniungit; omnes mundi partes fœdere connectit. Iustitię igitur vi,& ratione fit,vt ex tam diuersis formis,vnica tamen lege,atq. vinculo colligatis,& inter se mirifice concinẽ tibus,hic tantus,& tam admirabilis mundi totius ornatus exsistat, ex quo tam multæ vtilitates oriuntur. Quid igitur esse poterit,vel ad fructum melius, vel ad decus, & gloriam magnificentius,quam in terris rationem, & ordinem,quo summus rerum omnium conditor, & moderator cælum regit,& temperat,imitari? Omnes igitur,qui cum iustitia vixerint,opus est,vt Deo egregie cari sint,opibusq. Diuinis augeantur: sunt enim Deo simillimi. contra vero,qui iustitiam violant, cum a Deo vlde dissideant, necesse est, vt sint illi odiosi, & inuisi, & ab eo acerbissimis scelerum pœnis agitati. Quod si omnibus,qui beati esse volũt, iustitia vnice colenda est; multo certe magis Regi,cui hoc munus præcipue impositum est, vt nõ solum ipse iustus sit; sed vniuersam Rẽp. iustitiæ ornamentis afficiat,&, tamquã Sol in mundo,æquitatis splendorem longe lateq. diffundat. Quid hic fidem,mansuetudinem, liberalitatem,& reliquas iustitiæ comites, oratio ne commemorem? num fieri potest,vt Rex ille habendus sit,qui fidem frangit? qui acerbus, & nimis iracundus est? qui auaritiæ studet, & pecuniam patriæ saluti,& ciuium omnium cõmodis anteponit? Nullo modo. Omnibus igitur his virtutibus Rex excellat opus est, vt sit omnibus in illo egregium quoddam fidei atq. probitatis exemplum ad imitandum propositum. Ijs omnibus virtutibus accedat opus est acre studium,celeritas, & diligentia: sine qua nihil recte fieri, nihil laudabiliter geri, & administrari potest. Nec enim bonus colonus erit vmquam, qui non fuerit nauus, & industrius, & rusticarum rerum studio vehementer incensus: sic etiam,qui pecuariam faciunt nisi fuerint in ea diligentes, & attenti, minimum certe fructũ ex ea curatione percipiẽt: opifices item,qui non de multa nocte vigilauerint,neq. tota mente operi, cuius, artificium tenẽt,incubuerint,quid possunt efficere,quod sit in eo genere aliquo pretio, & æstimatione dignum? quid mercator, ignauus, num magnum aliquod lucrum facere aliquando potẽrit? quid miles si piger,& segnis exstiterit,quã laudem fortis,& strenui viri cõsequetur? Iam vero tota laus imperatoris in mira celeritate vigilantia,& industria posita est. nisi enim vigilauerit,& laborauerit,& aciem mẽtis in omnes casus intenderit, & hostium cõsilijs occurrerit,& militaria etiam munera per se multis inlocis obierit;nũquam decus sibi magnum,& gloriam comparabit. Quiddicam de studijs artium maximarum? in quibus nemo vmquam progressus est,sine singulari studio, diligentia & alacritate. In diligentia igitur,omnium artium,& disciplinarum,& officiorum laus,& (vt ita dicam) vita consistit. Si enim diligentiam remoueris,iacebunt omnia, &, quasi veterno consopita,in tenebris,& caligine delitescent. Est enim otium,inertia,& lentitudo, tacitum quoddam venenum,quo paullatim omnes virtutes infectæ languent,& laudes intereunt, & artes omnes præclaræ in obliuionem adducuntur. Sed illud est animaduertendum, cum diligentia in omnibus artibus, ad vtilitatem communem inuentis, tam necessaria sit, quo clariores illæ sunt, eo acriorem diligentiam requiri. Recte igitur Demosthenes asserebat, se molestissime ferre, quoties opificum antelucana superabatur industria: illi namque victus quotidiani caussa laborabant; Demosthenes vero omnem laborem in sempiternæ gloriæ studio,& in Reip. salute consumebat. Cum ergo in multo maiore arte versaretur,& longe maiorem fructum sibi proponeret,sapienter iudicabat,multo carius esse sibi,quam fabris omnibus,vigilandũ. Si igitur constat,omnium artium vim diligẽtia contineri, &, quo ars præstantior est, eo acriore studio,diligentia colendam esse; nul-

Diligentia officia omnia continet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lãq.in rebus humanis esse cum artis Regiæ claritate,& amplitudine conferendã; constat certe,a nullo artifice, tam acre studium, tantãq. industriam,atq. diligentiam iure atq. merito postulari. Sapienter Homerus:

Fas non est Regi tanta sub nocte soporem
Carpere, cum tota curarũ mole prematur.

Præclare igitur Epaminondas.Cũ enim Thebani diem festum agerent,vinoq.soluti,sine vlla cura iacerent;Epaminõdas solus vigilabat, & armatus concursabat;Quam rem agis, (inquit quidam illi familiaris) tu solus publicę voluptatis expers eris?Ita sane, inquit ille: meũ namq. officiũ est, vigilare, vt ciues mei securi dormiãt;& a vino abstinere,vt illi fine vllo metu perpotare valeant.Præclara certe vox,&tãto Principe digna:intellexit enim vir ille summus, nihil esse magis Principis officio consentaneum, quã summam in munere suo perfungendo alacritatem,& vigilantiam;nihilq.magis omnem Principis dignitatem deformare posse,quam somnũ,atq.desidiam. Quid enim fœdius,& flagitiosius.quam,dumfabri,dum agricolæ, dum mercatores vigilant solum Regem dormire?quidenim?num in maiore,&clariore arte versantur? num grauius, & difficilius munus exsequuntur?num maiora illos pericula circũuallant? nũ cum maiore hominũ pernicie delinquunt? num postremo clarius, & amplius sibi laboris sui præmiũ proponũt? Non certe.Quid igitur indignius,quam,eo tẽpore, quo homines humiles, & obscuri, omni plerumq.metu liberi, pecuniæ tantum gratia somnum capere non possunt;Regem, cui tãtũ onus impositum est, & quem tam multa pericula circumstant;qui hoc in se recepit,vt Rẽp. ab omni calamitate tutam,& incolumem conseruaret,& omnibus opibus copiosam,& opulẽtam redderet,& cui sunt immortalia, si Rẽp. bene gesserit, præmia constituta, ad multam etiam diem somnum producere?Itaq. hoc positum sit, & quasi quoddam publ. decretum in mente defixum remaneat: Cum pigritia omnibus turpis sit, tum Regi maximam labẽ turpitudinis afferre, & flagitij sempiternam maculam,quæ numquam deleri possit, inurere.

Vt enim nihil aliud dicã,quid flagitiosius fingi potest, quam magis amari pecuniam ab auaro, quam a Rege Regnum? amor enim operibus indicari solet,Cum igitur auarus,vt pecuniam infinitam conciliet,quietẽ patinequeat;cum dies atq.noctes,vt cupiditatem nefariam expleat,elaboret;cum multis etiam se periculis exponat; quid esse potest indignius, quam Regẽ nonRegni tuendi cupiditate multo acrioribus stimulis incitari? satis enim demonstrabit, si piger exstiterit, se Regni opes negligere, & patriæ minime debitam voluntatem persoluere.Tria autẽ sunt,quæ Regis diligentiam excitare possunt, quibus si caruerit, erit Regis nomine prorsus indignus, nempe Fides,Patriæ caritas,& Religionis studium.

Amor indicatur operibus.

Fides, Patrię caritas, Religionis studium in Rege requiruntur.

Fides autem omnem vitam continet. Si enim nemo erit invita,cui vel pecuniam,vel salutẽ, vel dignitatem credamus, atque committamus;si nemo,cui arcana nostrę mentis aperiamus; si semper nobis insidias fieri suspicabimur;vitam odiosam,& infestam agemus,& assiduis curis,atque molestijs afflictabimur. Cũ igitur multa scelera, passim ab improbis hominibus suscipiantur,nullum tamen est perfidia magis tætrum, infestum, acerbioreq. supplicio vindicandum:communionem enim tollit e vita,officiorumq. vicissitudinem, & animorum securitatem:quibus sublatis, nihil relinquitur,quamobrem quis velit viuere:mori enim multo satius est, quam in metu perpetuo,& in assidua curarum acerbitate versari. Nihil igitur ijs est,qui dignitatem, & officium tueri volunt, & infamiam sceleris extimescunt, maiore studio, cura, & solicitudine colendum, quam fides. Quo autem res illa, quæ creditur, præstantior est, eo diligentius est fides præstanda. Nihil autem maius est,quam salus hominum,quamciuitatum status,quam nationum tutela,atq.patrociniũ a nemine igitur fides maiore studio &solicitudine colenda est,quam a Regibus,nempe quibus innumerabilium hominum salus credita, atq.commissa sit.Cum igitur Rex animocogitauerit, quantum negotium sibi delatum sit, quantam prouinciam susceperit,quantum onus sustineat,quo modo totius Reip.status vigilantia illius innitatur, dormire certe nõ poterit:si enim,qui pecuniam debet, & non omnem pudorem amisit, cum soluendo præstituta dies appropinquat,solicitus est, quo modo fidem suam liberet;ne,si ad diem non soluerit quidquam de existimatione deperdat; quid Regi faciendum existimamus,qui tantis debitis obstrictus est,ne,si id, quod debet, minime dissoluerit,infamiam sempiternam subeat?debet enim patriæ curam,solicitudinem,vigilãtiam;debet singulare, & eximium communis salutis studium; debet firmissimum vitæ præsidium, munitissimumq. ad pericula repellẽda propugnaculum.Si igitur fidem sibi sanctẽ colendam existimauerit, & perfidiæ ignominiã pertimuerit, ea cura satis illius diligentiam incitabit ad omnia munera pro patriæ salute alacriter exsequenda.Quid de Caritate dicã? Amor enim acuit ingeniũ,stimulos admouet, alacritatem incitat,rebus indormire non patitur;at boni ciuis,& sapientis hominis est,caritatẽ patriæ priuatis necessitudinibus anteferre.Patriæ enim institutis,& legibus in lucẽ editi,& humanitatis disciplinis exculti, & ad rationem officij eruditi sumus:illanobis parẽtes, illa cognatos, illa amicos donauit;illius beneficio non modo vitam,sed humanitatem retinemus;illa deniq.omnes rationes sanctissimæ necessitudinis,ambitu suo complectitur illa incolumi permanente, nostra bona omnia facillime tuemur;illa euersa,concidimus, & omnibus bonis euertimur.Merito igitur ab omnib. bonis sanctissima quædã mater habetur, pro qua vitam ponendam censent. Quod si quilibet homo priuatus, maiorem caritatẽ debet patriæ,quam propinquis,quam liberis, quam parentibus;ita, vt vitam pro illius salute profundere,in summa quadam,atq. sempiterna gloria ponatur; quid Regibus faciendũ est,cum sint ab illa summis honoribus ornati, & amplificati, & in cælestium numero quodãmodo repositi? Quamuis autem omnia studia in illam conferant, numquam tamen quidquã de caritatis studio remittent;quia intelliget, numquam se illi parem gratia relaturos.Præterea, quemadmodum artifices excellentes, operibus suis delectantur;ita Rex,in omni gẽnere virtutis excellens,quo magis Remp.conseruauerit,adiuuerit,auxerit,eo ardentius illam amabit.fieri igitur non poterit,vt non excubet,vigilet,laboret,pericula subeat,omnesque pro illa contentiones impigre suscipiat, & mortem etiam (si fuerit opus) libenter oppetat. Iam vero religio illum tantum munus negligenter obire minime sustinebit. Intelligit enim is,qui pure,&caste religionem colit, nihil esse Deo acceptius, quam pro omnium salute labores ingentes excipere; atq. cum id communis vtilitatis ratio fiagitauerit, propriam vitam patriæ largiri. Cernitis ne iam animo, quantum, & quam excelsum hoc munus sit?quam sanctum,& quam augustum Regis nomen?quam Diuinis virtutibus exaggeratum?nec enim cum mediocri virtute,res tãta suscipi potest.Diuina siquidẽ sapientia, admirabili quadam mentis altitudine,excellenti modestiæ concinnitatę,cælesti institię splendore,summa fide,summa caritate, incredibili vigilãtia,studio,& industria opus est,ad tãtũ, tam præclarum,tamq.Diuinũ munus obeundũ. Diuinum,mihi credite,munus est: iccirco nõ humana virtute,nec humanis opibus,sed Diuina virtute,atq.Diuinis opibus efficiendum. Est igitur Rex, si officio suo fuerit cum laudẽ perfunctus,quasi quidam Deus in terris,singulari cultu,& veneratione dignissimus. Appellat Homerus Reges pastores populorum;eosque Iouis satu procreatos esse dicit. Vtrumq. præclare.nec enim armentorum, aut pecudũ pastores tauri,aut arietes sunt, sed homines: quantum igitur homines brutis animantibus quorum curã gerunt,dignitate præstant,tantum consentaneum est,vt Reges ipsis hominibus,quos regendos,atq. pascendos suscipiunt antecellant.qui autem tantum inter reliquos homines excellunt, Diuini profecto habendi sunt. non igitur immerito, Homerus Regum genus ad Deum reuocabat.Vnde sequitur,nihil esse magis Regium,quam studium religionis,& sanctitatis: Regis enim virtus a Deo emanauit,& iccirco ad illius cultum, & gloriã est ardenti studio præcipue referenda. Sed de religione alio in loco disseremus. nunc vero,

Amor acuit ingenium.

quod instat,persequamur. Cum igitur Regibus omnes istæ virtutes,quas recensui,ita necessariæ sint,vt sine illis non possint vllo modo officio suo satisfacere; sequitur, vt omnis eorum institutio sit ad eas parandas accomodãda.quod quidem plerumq.non fit, immo,cõtra multi dant operã, vt ne mediocris quidẽ virtus in illis emineat: vmbratilis enim,& delicata vita nõ virtutem,sed ignauiã ingenerat; &,cũ regius luxus,& opes immodicæ.&amor insitus in natura,tantis lenocinijs,atq. blandimentis excitatus,multis errorem pestiferum obijciat, & indolem virtutis obruat,& exstinguat;ita,vt contra hanc temeritatem,& insaniam sint animi Principum præclara quadam institutione fulciendi, & firmissima rationis præsidia comparanda;longe tamen secus fieri solet.Accedit.n.impurus hominumperditorũ comitatus(vt diximus) qui per summũ scelus teneri Principis imbecillitatẽ occupat,omniaq.præsidio humano,atq.Diuino nudat,illũque multo magis temerarium,& insanũ, & arrogantem,& infestũ efficit, quam ipse sponte sua fieri potuisset. non solum igitur non errore vllo liberatur, sed in fraudem multo magis pestiferam corũ insidijs impellitur.Nunc igitur,inquit T.videre cupio, quod tandẽ remedium his malis adhibeas.Non quidem,inquã, aliquod nimis reconditum,& exquisitum; sed id,quod cuiuis in mentem venire possit. Eo, inquit Tauora,maiorem a nobis gratiam inibis,si remedium non salutare solum,sed facile & expeditum attuleris. Quam salutare id,inquam,sit, postea apparebit; quam facile vero, statim iudicabitis. Quæro enim a vobis,si ægrotus,qui se se medico parum sapienti sanandum tradiderit,morbo minime se leuari senserit,immo illis ipsis remedijs, quæ medicus imperitus adhibet, morbi vim augeri perceperit,quid faciendũ censeatis alteri medico, qui illi primo successerit?Ego quidem arbitror,curationem esse illi prorsus immutandam, contrarijsq.remedijs damnum,quod prima illare media fecerant,resarciẽdum: vobis si aliud videtur,aliam magis exquisitam rationem considerate.Non ita sumus,inquit T.in medicina versati,vtaliam vitam commodiorem excogitare possimus.sed,quorsum hæc pertineant,intelligere cupio.Iam,inquam,intelliges. Tenetis ne memoria,quam multa diximus de molli,& effeminato Principum cultu? de mulierũ delicijs, atq. blandimentis,quibus illos eneruant?de adulatorum malitia,& improbitate, qua Principes obsessos tenent, ne possit vmquam ad illos probitatis, atque virtutis lumẽ intrare.Tenemus,inquit omnia:quid deinde? Hanc quidem, inquam, instituendi Principis rationem minime probandam existimatis: sed,tamquam tætram, & odiosam, & pestilentem,reijciendam censetis.Nos vero,inquit ille.Reliquum igitur, inquam, est, vt contraria remedia huic tanto malo comparemus: vt sic

Universidad de Deusto
Biblioteca

tandem experiamur, an morbus, hic depelli, hac tam facili ratione, possit. Experire igitur inquit T. vt sic tandem, quid magis rectum, & salutare sit, iudicemus. Non longius, inquam, faciam. Hoc tamen in primis animaduertendū est, in omnibus artibus tradendis, esse diligenter naturam illius, quem erudire volumus, explorandam. vt enim quisq. in genere aliquo disciplinæ ad summam laudē peruenīat, tria necessaria sunt; Natura primum, deinde Ars, postremo Studiū, & Vsus assiduus. Plurimū enim refert, quali quisq. ingenio præditus sit. Ingenium vero, nisi certa quadam via, & ratione dirigatur, quo maius exstiterit, eo confidentius ruet, maioremq. significationem temeritatis, & insciliæ dabit. Ratio vero, & ars atq. disciplina, sine studio atq. meditatione est prorsus inutilis: hoc tamen intelligi oportet, vix inueniri tam hebes, & tardum ingenium, quod non arte institui, & vsu, atq. meditatione acui, & expoliri aliqua ratione possit. qui tamē ingenio maximo est, multo facilius discit, & multo citius ad perfectionē artis peruenit, & multo maiorem, & vberiorem fructum de arte, in qua sibi elaborandum putat, studio, & meditatione consequitur. Vt igitur de ingenio, atq. natura Principis, qualis optanda sit, in principio dissēramus; volo equidem, vt sit ingenio vehemens & acer, & curiosus, & memoriā firmā præditus qui multa querat, multa perueštiget, multa scire desideret, & omnia, quæ audierit, in animo infixa contineat. Sit deinde præter modū laudis appetens. non enim in puero virtutis perfectionē, sed virtutis materiā quærimus. Quo autem animus natura ardentius laudem expetit, eo, temperatione, quam recta ratio sancit, adhibita, maiores honestatis fructus pcipiet. Modus autem, qui seruari in gloriæ studio debet, est, animum vehementē multis in locis refrenare, & exstimulare languentem. Facilius autem est, animo vehemēti, & impigro, modū constitui, quam ex animi tarditate celeritatē incitari. malo igitur Principem, qui freno, quā qui stimulis indigeat. Sit deinde verecundus: in hac enim natura maxime viget honestatis, & laudis appetitus, & infamiæ metus, & turpitudinis acris offensio. Volo etiam illum interdum ira paullo vehementius commoueri: magnum enim languoris, & lentitudinis argumētum est, non acriter interdum irasci; vix autē fieri potest, vt, qui animo lento est, acer in scelere vindicādo sit; aut impigre, & animose bellū cōparet. Sit deinde lenis, atq. flexibilis, & ad morū disciplinā docilis, & ab omni suspicione peruicacię, & obstinationis alienus. nulla enim bona spes de illo principe concipi potest, qui nimium sui iuris est, & in opinione, quā semel recipit, animo ita obsirmato perseuerat, vt ab ea nulla ratione deduci possit. Postremo, optādum etiam est, vt sit natura clemens, atq. benignus, & magis ad lenitatem, & mansuetudinē, quam ad iracundiam, & acerbitatem propensus: clementia enim, & mansuetudo, & liberalitas, & reliquæ virtutes, quæ ex natura elemēte oriuntur, Regem maxime decent, & amorē summum conciliant, ipsumq. Principem Deo simillimum faciunt. In primis autē danda opera est, vt Regem habeamus ex egregia animi magnitudine, & singulari modestia laude temperatum: aliter enim nec illum hostes metuēt neq. ciues amabunt: magnitudo enim animi sine moderatione, furor immanis est; & odium acerbum concitat, moderatio vero sine animi magnitudine, negligentia quædam est, & dissolutio, & ideo non sine ratione contēnitur. Vt igitur neq. Rex odio haberi a suis possit; nec a perditis hominib. merito contemni; vtrumq. necesse est: vt modestus, atq. temperatus sine vlla suspicione timiditatis; & fortis, atq. magnanimus sine vlla temeritatis infamia sit. harum autem duarum virtutum indoles, atq. materia in laudis appetitu, & in ignominiæ metu posita est. Appetitus enim laudis animum maiorem & altiorem facit; metus autem ignominiæ pudorem, & verecundiam confirmat. Hinc autem omnis caussa rectissimæ voluptatis, atq. iustissimi doloris exoritur. Qui enim id assequitur, quod vehemēter optabat, in voluptate sit, necesse est, &, qui incidit in id, quod metuebat, dolore etiā necessario cruciatur. sic igitur fit, vt, qui natura magnanimus, atq. verecundus est, laudis incredibili voluptate capiatur, & ignominia, atq. dedecore mirū in modum crucietur: voluptatis autem cupiditas sic est in nostris animis insita, vt euelli nequeat: sic etiam doloris metus in nobis insidet, vt demi non possit: hoc tamen ratione, & disciplina fieri potest, vt futilis, & inanis voluptas, alterius voluptatis compensatione respuatur; & dolor etiam corporis, maioris doloris metu, constanti animo toleretur. Id igitur perficiendum est ijs, qui Principis institue di curam suscipiunt, vt nullam voluptatē corporis, laudis, & gloriæ illecebris anteponant; nullum dolorem corporis magis, quam ignominiam, & dedecus, extimescāt. Sic enim fiet, vt omnis illorum cura, & studium in honestate paranda, atq. fruenda consumatur, &, illius colendæ, atq. retinendæ gratia, mortem etiam, & omnem corporis cruciatum pro nihilo habendum putent. Sed, antequam de institutione animorum plura dicam, aliquid etiam est de corporum cōstitutione dicendū. Nec enim tutum est, virtutem corpori ęgro, & imbecillo cōmitti: multæ namq. atque præclaræ virtutis functiones, corporis ministerio sustinētur. Persæ quidem olim aliquid cæleste, atque Diuinum in Regibus ineśe statuebāt: & ideo eni xe operam dabant, ne quid in eorum forma, & specie, deforme, & indecorum appareret. si quid igitur in Regū filijs erat prauū, atq. distortū, dabatur ea cura certis mulierib. quę dū corpora erant tenera, & emēdari poterāt, ea quo dāmodo fingerēt, & ad rectitudinē sensim atq. leniter

Natura illius quem erudire volumus, exploranda.

Princeps, ingenio vehemens.

Laudis appetens.

Verecundus.

Iracundus.

Lenis.

Clemens.

Modestus.

Persæ.

leniter reuocarent. indignum enim cēsebant, Regis nomen, apud illos sanctissimum, aliqua corporis insigni prauitate deformari. Aethiopes olim, qui supra Aegyptum habitabant, eū Regē eligebāt, qui omnibus proceritate corporis anteiret. Ius enim esse statuebant, vt is tantum omnes dignitate vinceret, quem natura specie, & magnitudine præcellentem finxisset: cum autem animi magnitudinem intueri nō possent, ad corporis magnitudinem oculos referebant. Ne Spartani quidem ab hac Aethiopum opinione nimis abhorrebāt, cum enim Archidamus, illorum Rex, vxorem pusillam duxisset, eum grandi pecunia multarunt, quod illam mulierem sibi matrimonio copulasset, quam sperare poterat filios staturā pusillos esse pariturā: indignum enim Spartano imperio iudicabant, eum Regem habere, qui non corporis etiam magnitudine, & dignitate, nomen Regium tueretur. Quamuis aūt parum referat ad Regis officiū, quantū Rex vel corporis specie, vel magnitudine præstet; in hoc tamē laudandi erant, qui in Rege pulchritudinem, vel proceritatem requirebant, quod iudicabant in Rege nihil deforme, & indecorum, aut paruū, & angustum esse tolerandum. Si igitur illos id in Rege offendebat, sine quo Rex officium suum facile administrare potest; quanto vobis diligētius animaduertendum est, ne aliquid sit in Regis corpore, quod illum a munere suo fungendo remoueat? quamuis enim Rex sit statura pusillus, qualē Homerus Tydæum fuisse memorat; aut parum specie venustus, qualem multi Herculē fuisse fingunt; non ideo minus hominum exspectationi respōdebit. At, si fuerit imbecillus, & infirma valetudine præditus, nullo modo Regni pondus sustinere poterit. Præterea corpus pusillū nullius industria crescere, neque facies deformis fingi denuo pōt; at bona valetudo, & corporis etiā robur est plerūque in manu nostra positū. possumus enim facillime ab immodicis cibis abstinere, & corporis vires labore, & exercitatione cōfirmare. Si placet igitur, a lautissimis mulieribus, & ab hominibus vrbanissimis, summa opecōtendamus, ne Regē nobis mollissimo cultu debilitent. non enim ignoratis, quantum momenti sit, in omni rerum initio, atque fundamento ponendum. qualia namque sunt rerū principia, tales plerumque exitus consequuntur. Videamus igitur, an impetrare possimus ab illis, ne nobis Regem cibis inferciant; ne fragrantissimis odoribus, & vnguentis emoliant; ne immodicis delicijs, & blandimentis effeminent; & eum sole colorari, & labore etiā paullatim durari sinant. Non sum adeo inhumanus, vt velim Principes nasturcio illo vesci, quod erat olim (vt est apud Xenophōtem) Persarum filijs obsonium. nō tam exquisitam rationem roboris, atque sanitatis habeamus: demus aliquid moribus; indulgeamus aliquid tēpori; muliebri imbecillitati aliquid etiam condonemus; ea tamen lege, ne tantum operæ, & studij in Rege saginando consumant. non enim pullum anserinum, sed Reip. custodem nutriunt. Ciborum autem redundantia cruditatem efficit, vires debilitat, aciem mentis obtundit, langnorem animis affert, desidiam, ignauiam, stuporem, tarditatem ingenerat; atque postremo vitam breui temporis spatio consumit. si igitur nobis opus est custode sano, atque valente, & ad mala præcauenda sagaci, & ad pericula propulsanda magnanimo; quid minus conuenit, quam eam adhiberi educationē, quæ morbos innumerabiles corpori, & tarditatē animo inferat, &, quod longe miserius est, Principem insigni ignominia deformet. Nihil est enim fœdius, & flagitiosius Principe ructante, oscitāte, nauseante, somno, desidiaq. languente. Censuit Plato, nō potuisse virtutem tradi Siculis, & Italis, eo tē pore, quo ille eas oras peragrauit; propterea quod sebis in die exstructis epulis satiarent: & recte quidem censuit: corpus enim cibis expletum, saginaq. grauatum, non solum virtutis imperium sequi minime potest, verum etiā mentis altitudinem deprimit, indolemq. totius honestatis exstinguit. Accedit etiam illa deformitas, quæ in corpus ex nimio adipe, & aruina redundat: abdomē enim prodigiose distenditur, labra tument, malæ fluunt, oculi obruuntur, adspectus hebescit; eoq. tandem species humana redigitur, vt non hominem, sed monstrum hominis, te intueri putes. Adde ponderis grauitatem, quæ vix loco moueri potest. is enim, qui ex nimia luxuria saginam contrahit, mole sua grauissime laborat; neque mancus solum, aut claudus, sed membris omnib. captus. Quid dicā de misera serui tute? Illa namque seruitus sola misera, & detestabilis est, quæ abstrahit ab honestate, impotentiq. dominatu turpitudinē subire compellit: at ingluuies adeo morosa atque difficilis domina est, vt eo tempore, quo populi vniuersi salus agitur, quamuis occasio rei bene gerendæ instet, & vrgeat, hominem tamen a studio salutis communis auertat, vt ventrē expleat, & turpissimæ cupiditati satisfaciat. Ergo nec in bello, nec in pace, potest aliquod honestum munus exsequi is, qui gulæ seruit. in media namque muneris functione, insaturabilis abdominis imperio coactus, officium repente deseret, totumq. se ad studium impurissimæ illius cupiditatis applicabit. Cum igitur hoc vitium tantam malorum vim in res cōmunes inuehat, maxime autem cum Principes opprimit; & cum tantum momentum sit in omnibus principijs, vel ad honeste viuendum, vel ad turpiter agendum; caueamus diligentissime, ne mulieres istæ, vel homines, non multum ab illarum moribus abhorrentes, Regem nobis assuefaciant epulas semper intueri; hoc est, ne languidum, & infirmum, &

Aethiopes.

Spartani.

Principijs exitus respōdent.

Corpus ciliis expletum virtutis imperiū sequi non potest.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tardum, & hebetem, & ignauum, & deformẽ Regẽ, induſtria, & vigilantia ſua, conſtituant; intelligantq. tandem, omnem ſanitatis, atque firmitatis rationem eſſe in mediocri victu, & in corporis exercitatione ponendam. quæ quidem vitæ ratio non ſolum ad ſanitatem, atque vires, ſed etiam ad voluptatem neceſſaria eſt. nulla enim voluptas exſtare poteſt, niſi labor antecedat. nec enim cibus erit iucundus, niſi fames antegreſſa ſit; neque ex potu voluptas vlla capitur, antequam antecedat ſitis: exſtincta enim fame, atque ſiti, comeden di etiam, atque bibendi voluptas exſtinguitur. Quies vero, quam poteſt afferre voluptatem, niſi prius corpus vel ſaltu, vel curſu, vel palæſtra, vel ambulatione, vel quouis alio labore exerceatur? &, ne omnia perſequar, omne genus voluptatis deſiderio præcedẽte conficitur. Darium illum, quem Alexander Magnus bis acie ſuperauit, cum, ex fuga, defeſſus, aquam lutulentam, & cadauer ibus inquinatam, biberet, dixiſſe ferunt, ſe numquam in vita bibiſſe iucundius: numquam enim bibendo ſitim depulerat, quam videlicet numquam exſpectarat. Vnde colligitur, omnes, qui in ſumma rerum affluentia vixerint, ſi fuerint intemperantes, nullius voluptatis participes eſſe poſſe. Præterea, cum res humanæ non ſemper in eodẽ ſtatu maneant, euenietfortaſſe ali quando, vt Rex cogatur labores ingentes excipere: qui certe erunt intolerabiles ei, qui ita fuit a primis incunabulis inſtitutus, vt nullum laborem ſentiret, nullam iucunditatem perciperet, nulla, ne minima quidem, moleſtia afficeretur: omnes enim labores, conſuetudine leues, & faciles, & iucundi fiũt: at otioſis, & delicatis, aſperi ſunt, & perpeſſu difficiles, nec vllo modo tolerandi. ſi Rex igitur vn bratilis, & delicatus fuerit, non ſolum nullam voluptatem percipiet; ſed intolerabili etiam dolore interdum cruciab itur. Poſtremo, intelligendum eſt, beatam vitam non in ceſſatione, nec in otio iſto, quod homines quidam omni ſtudio perſequuntur; ſed in honeſtis laboribus eſſe collocandam. eſt enim humana natura quietis impatiens, vſque adeo, vt, ſi nobis omnia ad vitam ſuauiſsime degendam ſuppetant, ita tamen, vt non liceat nobis aliquid agere, id mortis inſtar eſſe putemus. quod quidem in pueris facillime apparet: motus enim ſemper liberos requirunt, & huc & illuc curſitant, & ludis laborioſis oblectantur; a quibus auocati, querellis, & ploratibus, oſtendunt, ſe non tantam ex ceſſatione, quantam ex labore voluptatem percipere. Vultis igitur experiri, num his argumentis mulieres elegantes, & homines etiam lautos in veſtram ſententiam traducatis; illisq. perſuadeatis, ne Regem nobis multis delicijs emolliant; ſed ad omnem laborem iucunde perferendum inſtituant? Quibus, inquit T? Illis inquam, quæ vel ad ſanitatem, & vires, vel ad ſpeciem, & pulchritudinem, vel ad perfruẽdam voluptatem pertinent. Illa enim, quæ de cura, vigilantia, ſolicitudine (quam Reges debent in communi ſalute tuenda ſuſcipere) dicta ſunt, ad illorum animos minime permanabunt. Oſtendi te igitur illis iſtam rationem, quam excogitant, Regis enutriendi, eſſe illorum rationibus valde contrariam. illa namque valetudinem Regis affligi, ſpeciem deformari, voluptatem corrumpi, materiamq. multis minime ferendis doloribus inconſideratiſsime præberi. Hæc quidem de corporis exercitatione dicenda prius arbitratus ſum. Nunc ad animi cultum redeamus. Hic, quanta ſit adhibenda cura, & diligentia, quanta vigilantia, quantis precibus Dei numen, & quanta religione placandum, nemo conſequi dicendo poterit. Vt enim agricolæ in teneris plantis omnem diligentiam conſumunt; poſtquam vero arbores exſurgunt, & grandiores fiunt, multum de ſtudio colendi remittunt, quia vidẽt, illas iam ſe ipſas facile trunci robore, & firmitate tueri; ita, qui hominum culturam ſuſcipit, quamdiu teneri animi ſunt, & faciles ad opiniones, quas in illorum mentibus inſerere velis, accipiendas; omni tunc ſtudio, & diligentia in illis colendis, & rectiſsimis opinionibus imbuendis, intentus eſſe debet; poſtquã vero virtus adulta fuerit, veriſsimæq. laudis ſuauitatem guſtauerit, tanta cultura non indiget: ipſa namque honeſtas per ſe, ſuis illecebris inuitata, creſcit, & fructum reip. ſaluta rem profert. & in reliquis quidem pueris inſtituendis, non ita multum refert, qualis illorum cultus, atque diſciplina ſit, & illorum cupiditates multo facilius tenentur; non enim tam multæ inſidiæ contra illos comparantur, & eorum libido non ita facile poteſt ad perniciem Reip. totius erumpere. at in Regis virtute, omnis reip. florens ſtatus, atque beatitudo conſiſtit; & multo difficilius eſt, illius animum regere, cum opibus ſummis efferatur, & adulatorum inſidijs oppreſſus ſæpenumero ſit, & illius libido, cum plerumq. immanis, & infinita ſit, remp. perturbet, atque labefactet. Nec enim Reges, cum delinquunt, mediocriter delinquunt. quo enim potentia maior, & licentia ſolutior eſt, eo cupiditas illorum vio lentius feruet, & maiorem bonorum omniũ ſtragem efficit. Si igitur, vt ante diximus, ad populum regendum, atque moderandum ſumma ſapientia, ſingularis continentia, admirabilis virtus, & ſumma laus æquitatis, & iuſtitiæ, cum induſtria ſumma requiritur; (nec enim mediocri virtute, neque mediocri diligentia tantum munus obiri, atque ſuſtineri poteſt) quid euenturum ſuſpicamur, cum ſumma temeritas, & iniuſtitia, cum ſumma decoris totius negligentia, & obliuione, in animũ Regis inuaſerint? Neceſſe profecto eſt, omnia tunc permiſceri, atque perturbari, & indigniſsima clade conſumi. Nihil eſt igitur in tanta

Agricolarum exemplum.

Reges cũ delinquunt, nõ mediocriter delinquunt.

Natura humana quietis impatiẽs.

tanta re negligenter, nihil diſſolute gerendũ: nullum enim mediocre erratum in primis Regiæ diſciplinæ rudimentis committi poteſt: multa enim in principio leuia, atque ludicra putantur, quæ tandem magnum malorum omnium pondus, cum multis lacrymis important. Nec enim cogitandum eſt, quam parum Reip. nocere poſsit Regis pueri negligenter educati flagitium; ſed quantam peſtem ſit illa Regis libido, poſtquam adoleuerit, allatura. Quo igitur munus eſt amplius, & inſidiæ plures, & periculum grauius; eo diligentius inſtituendus, fingendus, & informandus, & ab omni turpitudinis contagione cuſtodiendus eſt. In primis igitur ex omni Rep. homo grauis, & ſapiens, & omni virtute ornatus eligendus eſt, qui illius affectiones regat, atque moderetur. Is autem in eo induſtriam ſuam cõſumat, vt in Rege puero, quantum fieri poteſt, indoles virtutis, & moderationis emineat. Sæpe enim iam diximus, omnem, qui vir magnus futurus eſt, his duabus virtutibus, nempe Animi magnitudine, & Modeſtię laude, in primis ornandum eſſe. Cum autem omnis immoderata cupiditas tribus modis frenãda ſit, nempe timore, lege, atque diſciplina, & puerorum ætas tenera non poſsit legibus alligari; diſciplina vero robuſtiorem etiam animum, & ingenium cupiditate maximarum artium incenſum deſideret; reliquum eſt, vt pueri ſolum metu contineri debeant. Metus autem duplex eſt; vnus, dedecoris, & ignominiæ; alter, doloris, & acerbitatis. vterque autem metus eſt, cum opus ita fuerit, obiciendus: opera tamen danda eſt, quantum fieri poteſt, vt Regum filij non tam virgarum, quam ignominiæ, metu coerceantur. Doloris enim metus cum extra modum procedit, frangit, atque debilitat animum, & a ſtudio dignitatis abſtrahit; metus autem ignominiæ, continet indolis excellentis indicium. A principio igitur ſic Principes inſtitui cupio, vt raro virgarum formidine, ſæpiſsime autem infamiæ timore, a flagitio reuocentur: Cum vero ſimus omnes natura ad voluptatem propenſi, maxime autem pueri; omnis eorũ diſciplina, quantum illius ratio patitur, eſt voluptate condienda. ea autem ratione παιδιὰ a Græcis appellatur, a Latinis item Ludus, illa puerilis inſtitutio, quia per ludum quodammodo traditur, & inculcatur, vt facilius in eorum animis imprimi, & inſculpi poſsit. quod quidem eo diligentius in Principum inſtitutione faciendum eſt, quo eorum faſtidium eſt magis delicatum; ita, vt maiore quodam artificio ſint in officio continendi. Vt igitur doctores (inquit ille poeta ſummus) cruſtula blandi dant pueris, elementa velint vt diſcere prima: ita Regum filij, dulcedine laudis allicien di ſunt, vt velint facilius ad officium paullatim inſtitui. Ad hunc etiam modũ ſunt ignominiæ timore a flagitio deterrendi. is tamen modus ſeruandus eſt, ne vel nimia laude inaniter efferantur, vel nimia vituperatione frangantur, & ſpem dignitatis abijciãt. Nec enim arrogans, & inſolenter elatus, nec abiectus, atque demiſſus animus poterit vllo modo in Regia dignitate verſari. Omnis igitur inſtitutio ad Regiam dignitatem, & amplitudinem conferatur. Quemadmodum igitur (vt antẽ diximus) pueris, qui opifices futuri ſunt, vtile eſt, illis ludis oblectari, quibus ad artem illam percipiendam magis prompti, & expediti ſint; ſic etiam, qui Rex futurus eſt, in pueritia ludendo diſcat æquitatem, diſcat liberalitatem, diſcat modeſtiam, diſcat virtutem; & aliquod honeſtum certamen ineat, ex quo laudem aliquam ſibi vindicare conetur. Caueatur autem diligentiſsime, ne fabulas quidem audiat, quę ab hoc inſtituto nimis abhorreãt; ſed omnes ita compoſitæ ſint, vt ex illis etiam intelligat, iniuriam, & iniquitatem eſſe rem tætram, odioſam, & deteſtabilem, ſempiternoq. ſupplicio vindicandam: petulans, & obſcenum verbum ex ore illius non exeat; immo, cum alios obſcene loqui perſpexerit, id indigne patiatur. Ad quod quidem multum refert, quales ſint nutricis mores. Vellẽ equidem in omnibus naturæ inſtituta ſeruari, quæ non minus Reginis, quam reliquis mulieribus binas mammas attribuit, quibus filios, quos partu ediderunt, ſui lactis vbertate ſuſtentarent. ſed, quando tãtum deliciæ, atque perditi mores potuerunt, vt non Reginæ ſolum, ſed omnes ferme honeſtæ mulieres, illud dulciſsimum Matris nomen potius mallent cum alijs mulieribus communicare, quam laborem aliquem in nutriendo ſuſcipere; id ſaltem cauendum eſt, vt non ea nutrix ſit, quæ verbum petulans, & obſcenum efferre minime vereatur. Id enim, quod primum puer infans arripit, perpetuo in illius animo infixum permanet. Quod ſi, prauæ conſuetudine infectus, obſcene loqui didicerit, multa etiam cũ obſcenitate, & impudentia geret. Loquendi enim conſuetudinem, mores, & inſtituta vitę ſequuntur: leue namque, & tolerabile flagitium illud videtur, quod in ore frequenter habemus. Et, quamuis nullum aliud incommodum ex hac ſermonis obſcenitate proueniret, quam pudoris interitus; id tantum malũ eſt, quantum verbis explicari non poteſt. Amiſſo enim pudore, totum etiam ſtudium dignitatis, & honeſtatis exſtinguitur. Ad pudorem autem conſeruandum, illud eſt etiam vtiliſsimum; vt non ſolum parentes ſumma pietate colat, & eorum offenſionem valde vereatur; neque ſolum magiſtrum, & pędagogum metuat; verum etiam ſenes auctoritate, & prudentia graues in honore habeat; &, ne in illorum offenſionem incidat, ſe multis in locis a conceſsis etiam iocis abſtineat. Præclare enim illud, quod eſt apud Xenophontem. ita enim Cyrum Magnum, cum mors inſtaret,

Metus duplex.

Sat. 1. lib. 1.

Nutricis mores, ſint optimi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ret,loquentem cum filijs inducit, vt, cum eos multis verbis ad omnem virtutem erudiret, tum præcipue illis studium pudoris, & modestiæ commendaret. ait enim: Patrijs quidem institutis,& moribus sic institutus sum,vt sem per natu maioribus, non fratribus solum, sed omnibus ciuibus,cederem via,fede, atque ser mone.Similiter autem, o filij,sic vos a primis annis institui, vt ij, qui vobis antiquiores essent,vos etiam honore præcederent; ijsq. tantum vos præpositos esse putaretis, qui vobis iuniores essent. Non igitur nouum aliquid,& inusitatum vobis præscribo, sed antiquũ morem, & publice receptum atque legitimum.

Hæc quidem Cyrus ille, (qui,virtute sua,a paruis initijs ad tantam amplitudinem peruenit, vt imperium suum extremis Asiæ terminis definiret; & cui Sanctæ litteræ Diuinæ virtutis testimonium dant; & cuius nomen ab Isaia multis ante sæculis, quam nascere-tur, egregie celebratum fuit) moriens, filijs suis dixit,atque testificatus est. Nec enim Regiæ dignitatis interitum fore putauit, si senes se coram filijs suis non abijcerent; immo in ea sententia fuit,vt censeret, fieri non posse, vt filij sui Regio nomine digni aliquando essent, si in primæ ætate non senibus gratiate præditis assurgerent.Intelligebat enim vir sapientissimus,maximum Regie virtutis fundamentum,pudore,& verecundia puerili contineri. Pueris autem vtile esse,regi,non regere;vereri alios,non metum incutere;assurgere senibus, non senum assentationibus inflari. Hoc igitur præceptum siue Cyrus liberis suis dedit; siue Xenophon ad effigiem institutionis Regiæ,atque legitimæ datum fuisse finxit,ego diuinum puto. quod tamen quantum a nostris moribus abhorreat, vos ipsi considerate. Theodosius Magnus Arsenium (virum, eo tempore,eruditionis, & eloquentiæ nomine florenti ssimum) Roma accersiuit,vt filios suos Arcadium,& Honorium,imperij successores, omnibus optimis artibus, atque disciplinis erudiret. Cõstantinopolim igitur profectus Arsenius,prouinciam susceipit, & Principes docere incipit.Cum autem Theodosius quadam die vellet oculis cernere, qualiter filij sui erudirentur, ad illos ingressus est, eo tempore, quo Arsenius suum munus obibat. Offendit autem filios in solijs sedentes, stantem autem Arsenium. Id videns Theodosius, ira grauissime commotus est; filijsq. præcepit,vt surgerent;magistro autem, vt sederet, imperauit: deinde filijs, ne vmquam coram magistro sederent, magistro autem, vt,quoties ei videretur, eos verberibus cęderet, nec vmquam in eorum erratis vlla ratione conniueret.Hæc quidem vir ille fortissimus,& omni virtute ornatissimus,qui orbem terrarum imperio continebat, filijs, atque filiorum doctori præscripsit.in quo quidem si illi permansissent, patris certe vestigijs insistere potuissent, neque tantum naufragium Imperij factum fuisset.Sed,cum pater,bellis implicitus, necessario abesset, & illi in potestate mulierum, & hominum lautorum relinquerentur, euenit, vt magistrum a se minis expellerent, & delicijs effeminarentur; ita, vt nemo eorũ posset ad laudem parentis, optimi Principis, adspirare. Nos tñ eo,vnde desleximus,redeamus.Cum igitur in Principis institutione magna verecundiæ ratio habenda sit,ad eam verecundiam confirmandã valde interesse censeo,constipari Regem hominibus prudentia, & auctoritate grauibus, quos tamquam parentes vereatur; & magistri offensionem metuere;ne,si illum contemnere cœperit,frustra in illo instituendo omnis labor impendatur. Volo præterea scurris aditum intercludi: intempestiuis enim iocis verecundiam tollũt, & conuicijs multos homines honestos exagitant: quorum vtrumque est nimis a Regijs moribus, & institutisi alienum. Est enim boni Principis, vrbanitatem a scurrili loquacitate discernere; & ita delectari facetijs,vt semper impudentiam, atque petulãtiam exsecretur; ita laxare animum festiue dictis, vt conuicia plectat, & maledicendi licentiam vlciscatur. Maledictum igitur ipse neque conijciet vmquam in aliquem, nec ab alio conijci patietur.Præterea,mendacium odio maximo persequatur opus est is,qui est ad magnam nominis Regij laudem peruenturus.Est enim Veritas,bonum stabile, atque sempiternum, Deo gratissimum, ad amorem hominum allicien-dum aptissimum, ad præsidia comparanda firmissimum.Omnes enim se illi libentissime tradunt, quem sperant summum vitæ discrimẽ potius aditurum, quam aut datam fidem violet, aut mendacio quempiam circumueniat.Mendacium præterea,est,animi parui,& anguſti flagitium, omnia, quantumuis leuia, pericula metuentis. Omnes quidem,natura, veritatis appetentes sumus,eamq. summa diligentia perueſtigandam arbitramur;eoq.studio ducti, pro veris verisimilia interdum libenter arripimus. Magnum profecto signum est, nihil esse magis aptum humanæ naturæ, quam veritatem,quod illius etiam fallaci specie delectemur. Quam turpe autem mendacium, quam indignum hominis præstãtia sit, ex eo liquet;quod ij etiam,qui sæpe mentiuntur,maximum laborem, atque solicitudinem in mendacio concinnando, atque celando suscipiunt;manifestoq. deprehensi,vehementer erubescunt. numquam certe eos mendacij puderet, nisi, vt naturæ victi, iudicarent, fœdum,atque flagitiosum esse Mentiri. Si igitur omnes,natura, veritatẽ exquirimus,& mendaciũ turpitudini semper atfine iudicamus; quid est, quod tam multos homines mentiri cogat?nihil aliud profecto,nisi metus. Omnes enim,qui mentiuntur,aut pœnam,aut incommodum, aut offensionem, aut aliquid aliud ciusmodi,

Theodosius quo modo instituendos curarit Arcadium,& Honorium.

Scurræ vitandi.

Mendacium Regem non decet.

Mentiri, fœdum.

eiusmodi pertimescunt;& ea de caussa mendacij sibi perfugia comparant.Cum vero metus hominum,sit animi fracti,& abiecti,atque timiditer seruientis ægritudo; in animos liberos, & excelsos cadere non potest; sed in seruos furaces, atque fugitiuos, minas, & verbera metuentes. Rex autem hoc nomine dignus esse non poterit, nisi fuerit animo magno, & excelso, omnia horribilia, dignitatis gratia, contemnente; & ita colligitur, illum nulla condicione adduci debere,vt mentiatur. Præterea, mendacij totius origo est in animi tenebris, & amentia constituta. Animus enim, lumine mentis orbatus, ignorantiæq. tenebris, & caligine demersus, sibi ipsi mentitur, se ipsum fallit,& in capitalem fraudem impellit. Cum autem nihil sit amentia detestabilius; sequitur, omne mendacium esse detestabile. Quod enim a pestifero fonte profluit,pestiferum sit,necesse est. Sed inquiunt multi,vt M. noster asserebat,Reip. rationes interdum Postulare, vt Rex inuerecunde mentiatur. Quo nihil flagitiosius dici potest.Primũ enim nulla vtilitas est,cum turpitudine coniuncta: nec enim ea est vtilitas appellanda, quæ multo magis nocet,quam iuuat. Qui autem vtilitatis gratia mẽtitur,nulla vtilitate potest id, quod dãni facit,resarcire.Dignitatem.n.qua nihil in rebus humanis præstantius est,amisit, vt vel pecuniã augeret, vel imperij fines dolo atq. fraude propagaret. sic igitur fit,vt,quod lucratus est,nõ sit cum eo,quod amisit,vlla ex parte comparandum, Vt enim,qui,vt stãnum coaceruet, aurum, atque gemmas effundit, non est in re familiari diligens existimandus; ita,qui,vt aliquod lucrum faciat, dignitatem abijcit, non vtilitati seruire, sed omnes vtilitates euertere,putandus est. Qui autem mentitur, dignitatem suam abijcit. auari enim, atque perfidi, & iniusti famam colligit: nullo igitur modo mendacium vtilitatem constituit; sed magnum potius detrimentum sibi, atque rebus suis importat. Quid illud? quod etiam ea,quorum cupiditate is, qui nimis vtilitatem respicit,discessit a dignitate,fr equẽter amittit. Præclare Aristoteles ait, falsum bonum in principio,verum malum esse, temporis progressu conuinci. Quam falsum antẽ bonum sit id, quod mendacio comparatur, ipsius mendacij nomen aperte declarat. Præterea, nihil stabile potest esse,quod non est hominum fidelitate munitum. Qui autem fidem sancte non colit, non potest aliorum fide muniri. nemo enim illi credit.sic autem fit,vt omnes vtilitates,mendacio partæ,facillime dissipentur. Vt enim mercator, qui,specie præsentis vtilitatis illectus, aliquem fraudat, illud, quod fraudulenter auertit,animo securo non possidet, & omnes sibi vias pecuniæ maioris intercludit; (nemo enim cum illo commercium habere vult, quem semel fidem violasse constat) ita Princeps, qui,vt aliquam ad suas opes accessionem faciat,mendacij turpitudinem subire non metuit, nec illud,quod fraude paranit,firmo præsidio retinere poterit,& omnem sibi in posterum spem amplioris vtilitatis incidit.Sed inquis,multos mentiendi artificio fuisse nomen sapientiæ consecutos. Verum id quidem est. sed, quam falsa esset illa opinio,rerum exitus comprobauit. illæ namque opes, quæ erant nixæ mendacio, vastatæ sunt;illęq. solum stabiles,atque firmæ permansere,quæ veritate fuerant stabilitæ, quamdiu veritas ipsa inuiolata permansit. At Lysandri dictum de vulpis pelle,quam Hercules, vt dicebat,pelli leonis assuerat, vt argutum,atque festiuum ridetur. Verũ.Sed intra breue tempus illam dicti festiuitatem, & risum multæ ciuitatis illius,ctiius Lysander Princeps erat,lacrymæ consecutæ sunt. Postquam enim Lacedæmonij, priscæ virtutis, atque simplicitatis obliti, illam astuti ducis calliditatem secuti, multis iniurijs socios alienauerunt,a socijs relicti; Epaminondæq. virtute fracti ita conciderunt, vt numquam post Leuctricam pugnã pristinas opes,& Imperiũ recuperarint.Idem de reliquis omnibus, qui dolis, & fraudibus ad summas opes peruenere, iudicandum est. male enim parta (vt est in veteri prouerbio) male dilabuntur. Quem enim fructum (vt de reliquis sileamus) Principes illi, qui nostris temporibus mendacijs, & fraudibus vsi sunt, sibi,aut rebus publicis attulerunt? sibi quidẽ, perfidiæ, & calliditatis infamiam, hominum odium,& offensionem;Rebus autem publicis, inopiam, egestatem, vanitatis exemplum, & flagitiorum omnium, ex diuturna militum impunitate,licentiam.Ex quo sequitur,rationem imperij tuendi, & augendi totam esse in veritatis studio constitutam. omnes enim facile deserunt eos Principes,quorum fidem suspectam habent, & ad eorum nomen, quos fideles esse vident, se libenter adiungunt. Postremo, oĩs beatę vitę ratio,vna veritate cõtinetur.Cum enim omnes homines beatæ vitæ cupiditate teneantur,& ea in bonorum verorum copia constituta sit; sequitur,vt,qui beati esse volunt, verisima bona summo studio consectari debeant: falsum enim bonum,vt dictum est, verum malum esse constat. Omnes igitur,qui ex mendacio, & inanitate pendẽt, miseri sunt existimãdi: ex falsa enim voluptate,verus dolor exsistit;ex honore falso,verum dedecus exoritur,ex vtilitate falsa, vera pernicies erumpit. vana igitur & inanis species illudit hominibus amentissimis,eosq. ita omni sensu spoliat, vt, abiecta dignitate,vmbrã fallacissimæ vtilitatis sequantur: qui si splendorem,& magnificentiam,& vtilitatem,& stabilitatem verissimæ dignitatis, oculis adspexissent, numquam tam amentes fuissent, vt, vllis opibus, & imperijs illecti, honestatem contemnerent, nempe præ cuius studio vita etiam contemnenda sit. Merito igitur plerumq.

Nihil stabile, quod non est hominũ fidelitate munita.

Male parta, male dilabuntur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rumq. & honestate,quam despexerunt,& vtilitate,quam secuti sunt, spoliantur; & dignas amentię pœnas luunt. Vt igitur ad Regem nostrum redeamus; cum nemo possit Regis nomen, atque personam tueri, nisi sit & virtute magnanimus, & honestate splendidus, & fide firmus, & sapientia moderatus, & opibus veris opulentus; mendacium vero flagitium sit animi pusilli,& turpis, & malitiosi, & amentis,omnibusq. viris bonis euersi; constat certe, nihil esse magis Regis officio,& dignitati contrarium. Sic igitur assuescat opus est a teneris annis Princeps exsecrari mendacium, vt appareat, illum fore semper vanis hominibus,& perfidis,& fraudulentis infestum. quod si fecerit,adulatorum opes, quæ mendacio fulciuntur, labefactabit; & Deum, qui veritatis tutor,& parens est,sibi coniunget. Obsidione igitur perditorum hominum liberatus,Diuinoq. præsidio munitus, cum summa felicitate vitam deget,& Regnum feliciter administrabit. Maxima igitur institutionis Regiæ pars in eo posita esse debet, vt intelligat a primis annis Rex, totius calamitatis, & pestis initiũ esse in mendacio,& vanitate constitutum. In primis autem est Regis animus religione imbuendus, & ad cæli conspectum frequẽter excitandus; vt, si fieri possit, cum lacte nutricis disciplinam pietatis hauriat. nec enim impudens, neque pusillo animo præditus, nec iracundus, nec inhumanus, neque mendax, nec vlli denique flagitio affinis esse potest, qui religionem vnice colit. Omnium enim virtutum fons, & origo, & incrementum, & perfectio, denique & absolutio, vna Religione continetur. Illius igitur fundamentum est a primo statim ætatis initio ponendum, vt facilius omne genus virtutis exstrui, & exaggerari possit; præcipue autem Regibus, quo munus illorum altius,& difficilius est,& magis ad dignitatem Diuini muneris accedit; ita, vt, quemadmodum ostẽdimus, sine Diuina virtute obiri non queat. quo igitur magis Rex ætate progressus fuerit, eo magis intelligat, se Diuino beneficio susceptum fuisse, vt in terris vice illius sempiterni rectoris imperium gereret; cum igitur Diuinum munus administret, Diuinis opibus, atque præsidijs indigere. Nemi nem vmquam Principem magnũ, bellorumq. omnium victorem, sine Diuino auxilio fuisse; Deum namque solum esse, qui mentem dat, qui animum confirmat, qui opes elargitur, qui fraudes intestinas cõprimit, qui hostium impetum retundit, qui victoriam omnibus, qui pietatem, & iustitiam colunt, & Remp. virtute,& vigilantia tuentur, cum magna nominis gloria concedit. Multum autem iuuabit, ad religionis studium commendandum, eorum Principum, a quibus Rex originem ducit, res gestas, & illustres victorias exponere; quas intelligat, non tam hominum viribus, quam armis Diuinis partas fuisse; votis auté, & precibus, cum magno studio pietatis adhibitis, opẽ numinis impetrasse. Discat tamen interim, iniquitatem, & intemperantiam, & ignauiam, atque desidiam, & reliquas animorum labes, esse Deo vehementer inuisas; ea autem ratione fieri, vt neque improborum, nec incontinentium, neque timidorum, neque inertium preces exaudiat. Omnibus igitur Principibus, qui cum illo summo, atque sempiterno Principe amicitiam firmare velint, vtrumq. necessarium est, vt integra vita sint, & laude fortitudinis excellant: aliter enim sine vllo fructu in religione procuranda laborabunt. Quamuis igitur ædes sacras ædificẽt, & dona ingentia templis offerant, & Deum precibus assidue venerentur; si tamen scelus, quo sunt infecti, non detestati fuerint, & non omnem virtutem, & industriam ad Reip. defensionem contulerint, Dei numen placare non poterunt. Prauam enim opinionem de numine Diuino concipiunt ij, qui, cum in iniquitate perseuerant, illud tamen donis infecti, & a seueritate ad lenitatem traduci posse confidunt. Qui enim hoc credit, Deiiudicium pecunia corrumpi posse credit. quo nullum grauius in Deum scelus excogitari potest. Rursus autem, qui a Deo postulat, vt sibi dormienti, omnemq. laborem fugienti, opes, & dignitatem, & omnia ornamenta conferat, iniquitatem Deo attribuit. Poscit enim, vt præmia, industriæ, atque virtuti debita, ad ignauiam, & desidiam transferat. Vt igitur agricola, qui neque terram arat, & subigit, neque semen tempore spargit, neque denique diligentiam adhibet in agricultura, frustra frugum copiam, & vbertatem a Deo petit; ita Princeps, qui non summo studio in Remp. incumbit, neque, cum armis res gerenda est, diligentissime bellum comparat, sine vllo fructu opem a Deo postulabit. Deum enim grauiter offendit, qui putat, illum ignauiæ,& timiditati fore propitium. tantum enim abest, vt socordiam, & ignauiam caram habeat, vt sit etiam omnibus timidis, & negligentibus, & in Rep. gerenda dissolutis, vehementer infensus. Caput igitur religionis, est, vitæ castimonia, cũ fortis,& inuicti animi virtute coniuncta. Admonendi præterea sunt Principes, vt, cum res secundæ sunt, tunc diligentius dent operam religioni, atque pietati. vt enim, qui opem hominum nisi in rebus perditis requirunt, & non se fidelibus amicitijs multo ante communiunt, sæpenumero ab illis, quos sero sibi amicos parare contendunt, excluduntur; ita, qui secundis in rebus religionem negligunt, frustra sæpenumero in aduersis opem Diuinam implorabunt. Is enim, quem metus tantum religiosum facit, ficto plerumque animo ad placationem numinis accedit; &, cum primum tempestas, quæ illum terrebat, sedatur, religionis memoriam deponit, & ad pristina flagitia redit. Haç autem ratione fit, vt non

Rex, sit Religiosus.

Dei iudiciũ pecunia non corrumpitur.

non semper Deum exoret. Ne id igitur Regibus accidat, frequenter admonendi a pueritia sunt, vt tunc vel maxime, cum res ad voluntatem fluunt, Deum sancte venerentur; intelligantq. nihil esse Dei amicitia, nec ad nominis amplitudinem clarius, nec ad opes firmandas vtilius. Discant autem a rectoribus suis, multa quidem esse dona, atque munera, quibus Dei gratia conciliari possit; sed nullum esse iustitia,& humanitate præstantius. Principem enim, qui numquam ius,& fas vllo modo violauerit, omniaq. studia vitæ ad populi salutem contulerit, amicitiam profecto cum summo illo Domino,& optimo parente, fœdere sempiterno confirmaturum. Audiant etiã, Deum semper præsentem esse, & per omnia commeare, & ea etjam, quæ sunt densissimis occultata tenebris, intueri. Valet enim hoc multum ad pudorem, ad vitæ puritatem, & animi constantiam. Si enim, cum nos oculis hominum notari posse suspicamur, cupiditates omnes continemus; certe multo diligentius, cum cogitauerimus, nos Dei adspectum effugere non posse, nos ipsos ab omni flagitio & turpitudine reuocabimus. Religionis igitur studium continet verissimam iustitiæ, virtutis, humanitatis, pudoris, honestatis,& constantiæ disciplinam. Et iccirco nihil est Principibus tanto studio, cura,& assiduitate tradendum,& inculcandum. Perficiendum est etiam, vt paullatim intelligant, quantum religio a superstitione intersit, atque differat. Superstitio enim, est inanis metus numinis, cum animi quadam imbecillitate coniunctus; Religio vero, cultus Dei sanctissimus, illius Maiestati debitus, animum simul,& pio quodam timore deuinciens, & inuicto robore confirmans. Qui vero nimiam religionem vituperant, nõ intelligũt, se, quod est superstitionis propriũ, religioni tribuere. vera namque religio non est anilibus curis implicita; non inani formidine conturbata; non diffidentia quadam fracta, & impedita, quo minus opem Diuinam sibi in tempore affuturam confidat. Quod. n. rectum,& honestum est, acutius videt,& fortius suscipit,& constantius exsequitur,& felicius absoluit: nihil enim sine Diuino consilio, & ope,& gratia molitur,& efficit. Cum vero ad ætatem peruenerit, quæ iam est habilis ad pueriles saltem disciplinas capiendas, summo studio, & diligentia magister quærendus est, qui nec indoctus, nec infans, neque, quod caput est, immoderatus sit. Magistrorũ enim vitia, discipulos, quasi quadam lue, & pestifera contagione, contaminant. Quantus vir fuerit Philippus, Alexandri Magni pater, omnes norunt, qui Græcam historiam legerunt. Virtutes autem, quibus ornatus exstitit, eo tempore, quo obses traditus Thebanis fuit, a viro summo Pythagorico, cui simul cum Epaminonda operam dedit, & ex æmulatione Epaminondæ didicit. Pater enim Epaminondæ, cum esset Thebis summa auctoritate præditus, illum, communi suffragio totius ciuitatis, asseruabat. Quamuis igitur Philippus multis laudibus abundaret, nescio, an quidquam fuerit in illo maiore laude dignum studio illo, quod in Alexandro instituendo,& erudiendo posuit. Cum enim Alexander ortus esset, ad Aristotelem scripsit, se non tantas dijs gratias agere, quod filium ex vxore Olympia suscepisset, quam quod eo tempore suscepisset, quo posset ab illo clarissimis disciplinis institui. Nec solum id scripsit, sed re etiã præstitit. Ex Aristotelis igitur disciplina tãtus vir euasit Alexander, vt orbem terrarum imperio suo subiugaret; aut, vt rectius dicam, innumerabiles orbis terrarum nationes, a morum feritate ad humanitatis cultum, imperij sui mansuetudine, & lenitate traduceret. Optimorũ namque Principum victoriæ ipsis etiã victis salutem afferunt. Res enim illorum perditas recreant, & mores, atque disciplinas conseruant,& tyrannides vbique delent, & innocentiæ patrocinium suscipiunt. Quod cum Alexander præstitisset, eueniebat, vt carior interdum victis, quam ciuibus suis, esset. Victi enim illius clementiam amabãt, ciues autem virtuti illius inuidebãt. Quod numquam euenire potuisset, nisi doctissimus vir Aristoteles, Alexandri naturam acrem, atque vehementem, & studio omnia vincendi mirabiliter inflammatam, multarum rerum cognitione,& disciplinarum humanitate, moderatus fuisset. Sæpe enim iam diximus, animi vim, & acrimoniam, sine modestiæ temperamento, furorem esse, non virtutem nominandam. Si igitur Alexander Aristoteli operam non dedisset, tantas victorias obtinere minime potuisset; nec optimus imperator,& rex, sed fulgur,& fulmen, & Græciæ pestis, appellandus esset. Quod quidem, vbi primum a doctoris institutis, & placitis desciuit, facile declarauit. ea namque furoris, & amentiæ si gnadedit, vt, si in eo perseuerasset, omnia intemperantia sua peruertisset. Quamdiu vero doctoris instituta persecutus est, non plura virtutis, quam humanitatis, vbicumque vestigium impressit, monumenta constituit. Vellem igitur, vt aliquem Aristotelem, si fieri posset, eligeretis, qui Sebastianum optimis artibus, atque disciplinis instrueret; & ad omnia officia optimi principis, & moderatoris erudiret. Quia vero difficillimum est, magistrum Aristoteli parem inuenire; id saltem curate, vt magister, quemadmodũ ante dixi, & doctus, & disertus,& moribus recte constitutus sit. In omnibus autem pueris instituendis, non solum doctorum imperitia, sed etiam arrogantia summopere detestanda est. multi enim sunt, qui in Grammaticæ rudimentis ingenia puerorum Grammaticorum subtilitatibus obtundunt; &, ambitione quadam inflati, dum se ipsos ostentant, fastidio pueris sunt,& illorum

Superstitionis, & Religionis discrimen.

Philippus, Alexandri Magni pater ex institutione summus euasit; ideoq. filium institui ab Aristotele voluit.

Victoriæ Principũ optimorum, etiã victis salutem afferunt.

Magister Regis, sit doctus, disertus & moribus recte constitutus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

illorum odium in litteras accendunt. Fit igitur sæpenumero, vt, priusquam pueri aliqua litterarum suauitate allici queant, tantum in illas odium, & tam immane concipiant, vt nulla ratione possint ad illarum studium impelli. Principis igitur magistro maxime curandum est, vt illum, quoad fieri poterit, inutili labore leuet. Deinde, vt necessarium laborem, & laudis dulcedine, & non inutili sermonis vrbanitate iucundum efficiat. Deinde cauendum est, ne illi multos auctores interpretetur; sed paucissimos, eosq. selectissimos, e quibus nō solum emendate loqui, & scribere discat, sed etiam multa percipiat, ad Regiū munus obeundum vtilia. Habeat igitur rationem ætatis, habeat vtilitatis, & temporis, ne aut pluribus præceptis illum oneret, quam ætas illa ferre possit; aut aliquem auctorem explicandum suscipiat, qui Regi nullū fructum ferat, aut multum tempus in Grammatica consumat, quod aljs etiam artibus tribuēdum est. Si quæritis autem, quos illi auctores enarrandos censeam; ex historicis vel Cæsarem, vel Sallustium, vel Liuium deligendos existimo. Sunt enim in rerum gestarum explicatione prudentes, & Romani sermonis elegantiam, & puritatem, cum sententiarum grauitate coniungunt; & quilibet in suo genere summā eloquentiæ laudem consecutus est. Iam vero Cicero noster non solum eloquentissimus, sed etiam optimus Princeps exstitit: ita, vt non solum summus dicendi, sed summus etiam Reip. moderandæ magister habendus sit. Volo etiam, vt Virgilij summū ingenium, & orationis magnificentiam admirari discat, & Horatij etiam sententijs, & vrbanitate delectetur. Quid agis, inquit, Poetas etiam vis Regibus notos, & familiares esse? an non dicebas, non debere Principem vlla ratione eos, qui mentiuntur, in familiaritatem recipere? cur igitur nunc poetas admitti vis, cum summos mentiendi artifices esse constet? Immerito, inquam, hominibus eruditissimis, atque summo ingenio præditis male dicis. Non enim mendaces habendi sunt, qui solidam, & expressam veritatem, fabulis apte compositis, imitari conantur. Vt enim pictores, cum animantium imagines delineant, & illustrant, mendaces habendi non sunt; (nec enim id faciunt, vt illa, quæ exstant, & eminent in tabulis, vera animantia esse credamus, sed, vt, quā apte vera animantia referant, cogitatione iudicemus) ita, cum poetæ aliquid versibus, & oratione depingunt, cum non id agant, vt nobis id, quod scribunt, verum esse persuadeant, sed vt veritatis ipsius imaginem oculis pæne subijciant, minime vanitatis insimulādi sunt: id enim, quod receperunt, optima fide præstiterunt; id autem receperunt, vt hominum mores, bellorum tēpestates, instituta ciuilia, virturis amplitudinem, sceleris deformitatem, verbis luculenter exprimerent; &, quo magis id, quod animis infigere volebant, firmius, & constantius adhæresceret, portenta etiam finxerunt; vt non solum amplissimo, & dulcissimo, sed etiam admirando genere orationis vterentur. Ea namque maxime animis imprimuntur, quæ, simul cum iucunditate, admirationem incutiunt. Non est autem mendacium vel in imitatione, vel in imitationis amplificatione, sed in fraude, & in malitia constitutum. Is igitur tantum, qui fingit oratione aliquid, vt lædat, & errorem pernicioſum imperitis obijciat, mendax existimandus est; nō is, qui faciem, atque vultum rei alicuius exprimit, &, vt magis, & cum maiore vtilitate intuentes oblectet, id, quod vult, grandioribus verbis, & illustrioribus ornamentis exaggerat. Non sunt igitur omnes poetæ a Regis aditu repellendi; sed illi tantū, qui facile possunt Regis animum rerum turpissimarum imitatione deprauare. Sunt enim quidam petulantes, obsceni, molles, effeminati, lasciuis, & impuris carminibus animos a pudore, & industria, ad libidinem, & ignauiam turpiter auocantes; qui quidē, quo dulciores sunt, eo peius nocent, &, tamquam Sirenes quædam, omnibus, qui aures illis præbent, perniciem, & interitum moliuntur. In rebus enim turpibus illecapitalior est, qui maius ingenium adhibet: quod in poetis valde perspicitur. Vt enim durum, & incultum, & ineptum carmen, auribus, & animis aspernamur; ita concinnum, & elegans libenter legimus, & ediscimus. Facillime igitur lasciui carminis venenum in animos influit, &, elegantiæ suauitate conditum, prius interitum dignitati affert, quā aliquod remedium adhiberi possit. Quod si recte Philosophi statuerunt, omnes picturas, quæ possunt incitare, & inflammare libidinem, esse a iuuentutis adspectu remouendas; quid est de carminibus lasciuis, & obscenis statuendum? Est enim poema viua quædam pictura, multo magis animos in quamcunque partem se contulerit impellens, quam omnes excellentium pictorum tabulæ. Omnes igitur poetæ, qui nō honestatem, sed turpitudinem mollibus, & lasciuis carminibus exprimūt, non ab aula tantum Regia, sed a totius patriæ finibus exterminandi, & eijciendi sunt. Principibus autem illi tantum sunt enarrandi, quorum omne studium in Regia virtute, & honestate describenda consumitur. Nec enim satis laudari potest id, quod Philippo filium eius Alexandrum quidam dixisse commemorant, cum pater de illo quæreret, cur nullum alium poetam, nisi Homerum, in manus sumeret; Quia, inquit, solus Homerus mihi poeta Regius esse videtur: solus enim Regiam disciplinam tradit. Qua quidem sententia, haud facile dixerim, magis ne Homerum laudauerit, an firmissimam spē suæ virtutis, atque futuræ claritatis ostenderit. Iam enim ætate puerili sapienter admodum iudicabat, omnem otij iucunditatem, discipli-

Auctores, q Regius sint prælegendi.

Admirabilia maxime animis imprimuntur.

Poema, pictura vera.

Pictorū exēplum.

Homerus, solus Poeta Regius.

disciplinæq. liberalis oblectamentum esse ad Regiam virtutem, & gloriam conferendum. Sed, vt ad Regem nostrum reuertamur, necesse est, si nobis per M. licet, qui palæstræ nimis infensus est, vt legem etiam Solonis obseruemus. Quam legem, inquit T? Eam, inquam, quæ cum litterarum studio palæstram, atque Musicam coniungebat. Omnem enim (vt iam ante dictum est) liberalem eruditionem ad duas illas virtutes, nempe animi magnitudinem, & moderationem, referebat. Quamuis autem magnitudo animi, spe proposita magni nominis, excitetur, & clarorum hominū exemplis augeatur; mirum tamen est, quantam alacritatem ad res acriter, & animose gerendas sanitas, atque robur corporis adiungat. Vt enim corpus infirmum animi vires frangit, atque debilitat; ita robustum corpus, animum acriorem reddit, multoq. magis in omni labore, & periculo confidentem. Est igitur corpus Regis cursu, saltu, palæstra, armorum exercitatione, atque venatione firmandum: sunt illi nemorum lustra peragranda; siluarum exitus difficiles explorandi; frigus, æstus, sitis, inedia, lassitudo, multaq. alia incommoda eiusmodi perferenda; quæ quidem venandi studium paullatim facilia reddit. Hæc autem omnia quantam vim habeant ad bellicos vsus, atque militarem disciplinam, vix explicari potest. Qui enim venandi studio tenentur, de multa nocte vigilant, insidias moliuntur, saltus omnes obsident, alas scienter instruunt, cursu feras insequuntur, easq. telo confodiunt, multaq. alia facere coguntur, quę non multum a bellicis laboribus, & disciplinis abhorrent. Sed cauendum, quod sapienter M. dicebat, ne, dum nimis venationibus oblectatur, plus nimio duretur; & ex nimia siluarum consuetudine nimis agrestis & immanis euadat. Est igitur, vt ad illam alteram laudē, quæ modestia cōtinetur, simul erudiri possit, a siluis auocandus, & humanitatis artibus excolendus. Vt enim ex acuto, & graui sono, medijs interuallis aptissima ratione coniunctis, dulcis concentus elicitur; ita ex animi robore, & firmitate, & clementis naturæ lenitate, suauis quædam animorum symphonia, atque modi inter se mirifice concinentes oriuntur. non igitur incommode poetæ finxerunt, ex Marte, atque Venere harmoniam fuisse procreatam. Mars enim acris animi vim, atque robur; Venus autem animi clementiam, & suauitatem designat. Omnis autem virtutis elegantia, & naturæ concinnitas est in harum duarum virtutum modulatione constituta: vt, quasi quibusdam Musicę medijs, pro rata portione distinctis, Martis acutus sonus, cum Veneris graui (vt ita dicam) sono, & humanitatis suauitate consentiat. Aliter animi status non poterit vllo modo gratus esse Musis. Aut enim erit nimis acer, & infestus; aut nimis lenis, & dissolutus. Quod ne Regibus accidat, est illius vis, & acris industria, Musicę etiam suauitate temperanda. Quid? inquit M. Musicam etiam Regibus perdiscendam censes? Ego vero, inquam. Musicę namque odium est barbarę immanitatis argumentum. Nisi forte probaris illam Ateę, Scytharum regis, feritatem, qui, cum Ismeniam aulœdum, ad epulas canere iussum, omnes, qui aderant, cum voluptate audirēt; & magnis laudibus ornarēt, testatus est, sibi multo iucundiorem esse hinnitum equi omnibus Ismeniæ cantibus. In quo quidem declarauit, sibi nihilo plus humanitatis esse, quam in quouis immani quadrupede. Qui enim a Musica alienus est, humanitatis expers habendus est. Non igitur immerito omnes summi viri, qui Resp. condiderūt, ingenuam iuuentutem illa in primis institui voluerunt: vt, illius dulcedine molliti, atque mitigati, facilius ad omnem laudem moderationis, & humanitatis adspirarent. Lycurgi enim, atque Solonis legibus, erant omnes adolescentes Musicis eruditi: quod etiam in alijs Græciæ ciuitatibus, non mediocri studio fiebat. Aegyptios prætereo, & Hebræos, & alias nationes, apud quas hæc disciplina in summa laude floruit. Plato autem in Rep. quam finxit, ea iuuentutem ad humanitatem excoli præcepit, atque ad omnem rationem virtutis, & honestatis paullatim institui. Aristoteles præterea, & alij quam plurimi philosophi, multa de huius disciplinæ studio sanxerunt, quasi de illo, quod valde pertineret ad animorum cultum, & liberalem nobilitatis institutionem. Nam primum quidem Musica continet honestam voluptatem, quæ quidem cum valde necessaria sit cunctis ciuibus, (quod enim caret alterna requie, vt inquit Ouidius, durabile non est) tum in primis Regibus; quorum assidui labores sunt aliqua suauitate, atque iucunditate leniendi. Deinde animum paullatim sedat, & mitigat, & vim Regiam moderatur, & ab immanitate ad humanitatem reuocat; qua quidem nihil aptius ad amorem conciliandum cogitari potest. Postremo, quod multo maius est, in cantibus discere possumus, quanta vis sit in legibus; quanta in ordine vitæ commoditas; quanta denique in animi moderatione suauitas. Quo tandem modo? inquit T. Non vides, inquam, vocem sine modo profusam, esse dissonam, & absurdam, audiendiq. sensum vulnerare? Video, inquit; sed, quid id ad legis, & ordinis rationem facit? Multum sane, inquam. ex eo enim intelligimus, non esse suauitatem positam in vocibus, sed in lege, numero, atque modo, qui vocem moderatur. Ex quo facilius apparet, tum demum animum suauitate cōpleri posse, cum omnes suas partes habuerit modo, & ordine, atque lege deuinctas, & inter se aptissime congruentes. Immo tanto suauior erit animi concentus, quanto nobiliores sunt partes illæ, quæ Musicæ numeris vinciuntur. Si igitur

Harmonia, ex Marte, atque Venere.

Musicæ odiū barbarę immanitatis argumentum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tantum præstat vis animi vocibus corporis, quantum explicari non potest; ne explicari quidem poterit, quantum hæc animorum harmonia illam, quæ est in vocibus, suauitate superet; maxime vero, cum vocis concentus repente fluat, animorum vero harmonia constans, & fixa permaneat. Non igitur solum Regi colenda Musica est, vt animum a labore recreet, aut naturæ vehementiam leniat, atque temperet; sed etiam, vt ex musicæ legibus intelligat, florentem, atque beatum statum, in iuris, & ordinis moderatione consistere. Duo autem vitia in cantibus Regi vitanda sunt; primum quidem, ne, dum vocis harmoniam studiose persequitur, harmoniam animi temere dissoluat. Nec enim tantam gratiam a Musis inibit, leuiorem harmoniam componendo; quantam offensionem illis afferet, multo præstantiorem harmoniam dissipando. Non intelligo, quæ dicis, inquit, M. Iam intelliges, inquam. diximus, omne verbum petulans, & obscenum, esse præstantia Regis indignissimũ. Ea autem de caussa poetis lasciuis, & mollibus, & eneruatis aditum ad Regem omnino præclusimus. quo enim sententia poetarum numeris adstricta concinnior, & elegantior, & dulcior est; eo sunt lasciui poetę nocentiores ijs, qui, sine carminis vllius venustate, impuris sermonibus vtuntur. Quid, si vocis etiã suauis concentus accesserit? Tanta certe vis erit mali, vt sustineri non possit. Oratio enim contorta numeris, & Musicæ viribus emissa, quasi vibratum telum, in animo vehementius adhæresćit. Sic vero fit, vt, cum sermo impurus noceat, molle, atque lasciuum carmen animi statum labefactet; cantio flagitiosa animũ perturbet, omnesq. virtutis neruos incidat. Nihil est enim ad animum commouendum, & flectendum, cantu, atque numeris efficacius. Sapienter igitur Plato, cum videret mores immutari cum cantibus, seueras Musicæ leges sanxit; atque prohibuit, ne quis quo vellet genere cantionis vteretur. id igitur tantum genus Musicæ probat vir ille sapientissimus, quo vel Dei numen celebratur, vel virtus Diuinis laudibus ornatur, vel clarorum hominum fortia facta referuntur. Memoriæ traditum est, cum Alexander se Ilium contulisset, vt fortissimorum hominum, qui Troiam expugnarunt, monumenta cerneret, & quasi impressa vestigia notaret; fuisse illi oblatam citharam Paridis, quæ ab incolis summa religione seruabatur. Hoc ille donum reijciens, Achillis, inquit, citharam inuenire cupio, Paridis cithara non indigeo. Præclara certe vox, Alexandriq. virtute dignissima; qua significauit, nihil languidum, & molle, & effeminatum, ne in cãtu quidem, & fidibus, Regem decere. Quare hominis flagitiosi, & adulteri citharam, qua ille Veneris impuræ dona, atque munera canebat, aspernatus est; Achillis vero citharam, qua is, vt est apud Homerum, illustria fortium hominum facta celebrabat, se dignam existimauit. Ad hunc autem modum vellem, vt Reges omnem Musicam lasciuam, & flagitiosam non solum non admitterent, sed etiam ab omnibus patriæ finibus ablegarent. Vt igitur sermo impurus, ita lasciuum carmen, & molles etiam in cantu flexiones, & falsæ voculæ Regibus detestandæ sunt: illudq. solum genus Musicæ illis colendum est, quod optimis verbis, & præclaris sententijs, & certa, atque seuera cantus lege, & ratione conficitur. Aliter enim, si mollibus, & lasciuis cantibus aures præbuerint, animi ordinem, & conuenientiam peruertent, atque moderationis harmoniam dissoluent. Sic igitur, dulcedine Musæ fallacis irretiti, veram animi Musicam euertent, & exemplo nequitiæ totam Remp. in magnum discrimen injicient. Vt enim lentum venenum, suauibus cibis admixtum, prius vitam eripit, quam mortifera illius vis sentiri, atque reprimi possit; ita turpes, & effeminati cantus, prius Remp. vniuersam pestifera tabe inficiunt, quam malum, quod afferunt, ratione præcaueri queat. Hoc igitur vitium est Regi in Musica maxime fugiendum. Alterum vitium est, nimia opera in Musicæ studio consumpta: quod etiam vitare debet. Nec enim est illi tantum operæ in illa ponendum, quantum illis, qui nihil aliud agunt. In vniuersum autem omnes artes Rebusp. vtiles, & necessariæ, sunt in Principum tutela, & patrocinio constitutæ; ita tamen, vt quædam nullo modo sint ab illis tractandæ, quædam vero mediocriter attingendæ, aliæ postremo summo studio colendæ. Quæ enim in fabrili artificio versantur, indignæ sunt Principis amplitudine, & dignitate: quæ autem honestum aliquod oblectamentum, & cognitionem nobilitate dignam continent, dignæ quidem sunt Regibus, non ita tamen, vt in illas, tamquam in munus, & officium sibi præcipue delatum, omne studium, & industriam, & omnes curas, & cogitationes conferendas existiment. Aliæ postremo sunt, in quibus omne Regis studium consumi debet, nempe quæ ad Remp. tuendam, & conseruandam, omnibusq. bonis egregie cumulandam, diriguntur. Musica vero neque fabrilis, neque sordida est; sed in primis honesta, atque liberalis disciplina; non tamen ita splendida, vt in illius cognitione patriæ salus, atque dignitas collocanda sit. Est igitur ex illis artibus, & disciplinis, in quibus mediocre studium Regis erit, iure laudandum; nimium vero in summa vituperatione ponendum. Auertit enim animum a rebus gerendis, & efficit multo molliorem, quam salutaris seueritatis ratio postulat; & tempus, quod erat Reip. tribuendum, in voluptate illa immoderata consumit. Merito igitur cantor ille laudari solet, qui, cum Rex Philippus

Musica, Regi colenda.

Artes omnes Reip. vtiles, & necessariæ, in Principũ tutela.

lippus cum illo de sollertissimâ modorum ratione disputaret, Nũquam dij, inquit, o Rex, tibi tantum malifaciant, vt tu me canendi, atque psallendi artificio vincas. Acute enim Regis ineptam ambitionem, ad laudem, quæ Regis propria non erat, adspirantem fregit. Neque Regi tantum Musica modice colenda est, sed omni etiam nobilitati. Intra modũ enim reprimit animi impotentiam, & ad moderationem mirabiliter instituit; cum vero extra modum procedit, emollit paullatim animos, & nobilitatem a studio sui muneris abducit. Hoc enim nobilibus impositum munus est, vt Remp. armis, atque virtute tueantur, & artibus omnibus, quæ ad Regni custodiam necessariæ sunt, instructissimi sint. quod efficere certe non poterunt, si nimiam operam in canendi artificio, atque musicæ subtilitate posuerint, Hoc impulit Aristotelem, vt præciperet ciues institui eo genere Musicæ, quod nec nimium studium, nec operam flagitaret. Tam seuera autem fuit olim apud Lacedæmonios Musicæ disciplina, vt Timotheum Milesium, summum citharœdum, quem ad erudiendam iuuentutem adsciuerant, eo solum nomine in exsilium pellerent, quod vnam chordam septem chordis, quibus illi vtebantur, addidisset: indignum enim statuebant, cum Musicam omnem ad animorum modestiam cõferri vellent, id Musicæ genus institui, quo ciuium animi paullatim ad mollitiem laberentur. Idem secutus Plato, in legibus sanxit, vt genus Musicæ non esset multiplex, & effeminatum; sed simplex, & seuerum, & graue, ad institutionem moderationis, & virtutis accommodatum. Nos quidem, in omni genere disciplinæ volumus esse in Rep. artifices excellentes; quorum industria ij, qui mediocriter in ea versari volent, erudiantur. Nec enim facile mediocris in re aliqua eruditio, nisi ab ijs, qui sunt artifices summi, percipitur. Hoc tamen dicimus, summam canendi laudem Regibus minime conuenire, neque aliud quidquam, quod animos illorum possit a summo studio Regiæ dignitatis abstrahere: Musicæ tamen prorsus imperitos esse, minime ferendum arbitramur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIERONYMI OSORII LVSITANI

DE REGIS INSTITVTIONE, ET DISCIPLINA

LIBER QVINCTVS.

HAEC autem, quæ de Musica disputauimus, eo pertinẽt, vt dictum est, vt Regis animus possit honesta voluptate perfundi, & ad humanitatem paullatim institui, &, quanta sit vis in legibus, & moderatione, auribus iudicare. Sed illud est intelligendum, cum Musica illa, quæ animorum symphonia continetur, sit multo iucundior ea, quæ in vocum, & sonorum modulatione consistit; & ex ea, quæ modulatis vocibus constat, tam multæ vtilitates oriuntur; illam certe, quæ animorum cõcinnitate perficitur, multo plures vtilitates allaturam. Omnis igitur opera, & studium, omnis cura, & industria eo conferenda est, vt Rex moderationis, atq. temperantiæ laudibus excellat. Ad hanc autem modestiæ laudem facilius comparãdam, vix quidquam vtilius esse potest bonarum artium disciplinis. acuunt enim ingenium, mentemq. ad veritatis notitiam instruunt, & ad honestatis considerationem egregie viã muniunt. Cõtinent enim ordinis, & modi, & conuenientiæ rationem; totiusq. dignitatis, quæ tota posita est in certa numerorum dimensione, decus, & elegantiam. Qui igitur sine illarum præsidio modum, & ordinem in vita conseruat, opinione tantum cæca ducitur; & ita facillime potest perditorum hominum machinis in fraudem impelli. Id enim tantum in animo fixũ permanet, quod est perceptum, & cognitum, & constitutum, & firmã, atque stabili ratione confirmatum. Ergo, quemadmodum is, qui, sine recta morum constitutione, sapientiæ institutis viuere conatur, importuna vi libidinis ab eo conatu repellitur; ita, qui sine certa ratione moribus honestis imbutus est, facile potest a recto cursu dimoueri. Vtrumque igitur opus est ad vitæ constantiã: nempe, recta morum constitutio, & artium bonarum cognitio: alterutrum enim sine alterius ope imbecillum est. Homo enim inconstans, qui ad bonas artes ingenium applicat, intelligit quidem, artibus illis adiutus, nihil esse dignitate præstantius; illud tamen iudicium, vi libidinis victus, diu seruare nequit: qui vero sine certo iudicio continens est, facile poterit, fallaci quadam specie voluptatis, aut vtilitatis obiecta, a studio honestatis abduci. Vtroque igitur modo fit, vt animus, sit varius, & inconstans, sibiq. dissimilis, nec vnquam in vlla certa officij regione consistat. Pugnat enim fæpenumero voluptatis, aut vtilitatis species, cum honestate. tunc igitur animus illius, qui vel honestatem sine disciplina colit, vel sine studio honestatis sese ad præclaras disciplinas adiungit, quasi in biuio constitutus, hæret, & dubitat, & se interdum reuocat, & hac ratione sæpe a recto sensu deducitur. Quod certe non feciſſet, si simul & bonis moribus ornatus, & optimis disciplinis excultus fuisset. intellexisset enim tunc, nullam partem veræ, & liquidæ voluptatis, aut vtilitatis, attingere posse id, quod est ab honestate seiunctum. Quæ enim voluptas purior, & constantior esse potest ea, quam ex honestate hominis bene morati, & eruditi percipiunt? Cumulatur præterea gaudio animus illius, q fuerat ante moribus, & vita recte constitutus, cum, disciplinis eruditus, intelligit, id, quod antea consuetudine faciebat, esse id, quod est pulchrum, & honestum, & naturali lege, atque diuina sancitum. Si vero vtilitatem quærimus, omnis profecto ratio vtilitatis est in veritatis cognitione (vt iam diximus) collocanda: at istæ disciplinæ caliginem paullatim dispellũt; tenebrasq. discutiunt; aciemq. mentis illustrant; vt facile possit vera, atque simplicia bona cõtueri; falsa autem, & infidiosa modis omnibus aspernari. Cum igitur artes præclaræ tantum valeant ad honestatis constantiam, Regemq. conueniat summis honestatis opibus exornari, & dignitatem singulari constantia retinere; possumus ne quidquam elegantius, si per homines quosdam licuerit, excogitare, quam vt is artibus istis imbuatur, quibus facilius ad summum tandem Regiæ virtutis gradum perueniat? Nihil, inquit T. si tantam vim habent artes istæ ad honestatem retinendam, quantam tu illis attribuis. Id quidẽ, inquam, cerni iam poterit. Primum quidem igitur censeo, vt Rex Arithmeticam discat. Quid, inquit ille, tu pro Rege nobis mercatorem institues? Mercatorem, inquam, minime, sed Principem in Republica tuenda, & administranda vigilantem. Nec enim Regis officio dignus est, qui numerare nescit. quo modo enim, sine exacta numerandi ratione, exercitum in bello recensebit? quo ordine castra locabit? aut qua ratione pro numero militum aciem instruet, si numerandi fuerit imperitus? deinde, quo modo præmia pro virtutis ratione distribuet? æquitas enim in præmijs, atque

Morum constitutio, & artium bonarũ cognitio, necessaria, ad vitę constantiã.

Rex Arithmeticã discat.

que muneribus rata portione, & numero contineturita, vt sine Arithmetica iuris constantia conseruari non possit. Iam vero in pace, quo modo rationem vectigalium habebit is, qui numerandi artem prorsus ignorat? Vt enim paterfamilias domũ suam tueri, atque sustẽtare nequibit, nisi in re familiari diligẽs, & attentus fuerit; ita neque Rex poterit vllo modo Remp. saluam, & incolumẽ conseruare, nisi vectigalium rationẽ penitus exploratam habuerit. aliter enim neque bellum mouere, nec vrbes munire, neque dignitatem tueri; nec hostes repellere, neque pericula propulsare poterit. Vt enim aliquod clarum facinus moliri velit, copiæ tamen illum in medio apparatu deficient; & ita cum magna & imbecillitatis, & temeritatis infamia superabitur. Sunt igitur illi, ne quidquam temere moliatur, omnes pecuniarum, & sumptuum rationes exactissime putandæ: quod si non fecerit, omnia officia conturbabit. Multa enim donabit indignis; multa denegabit ijs, qui sunt præclare de Rep. meriti; multa cum magno Reip. detrimento largietur, quod non est mediocre flagitium existimandum. Nec enim par est, nec vllo modo ferendum, vt, quod est in Reip. custodiam impendendum, in potentium hominum priuatos vsus, & magnificẽtiam odiosam, & inuisam conferatur: nec vlla ratio patitur, vt vectigal, rebus serijs, atque necessarijs destinatũ, rebus ludicris seruiat; &, quod est populi fructibus ereptum, a d paucorum tyrannidem referatur; neque sit publicæ salutis, sed intemperantissimæ cupiditatis instrumentum. Ne autem tam indigna flagitia committantur, oportet Regem esse in vectigaliũ ratione, & in tuendo ærario vigilantem. quod quidem faciet, si intellexerit, illam pecuniam non esse suam, sed publicam, sibi tamen creditam, atque commissam, ad populi ipsius, qui eam arrogauit, custodiam. Secus autem necesse erit, omnes Regni opes ministrorum auaritia, & improbitate auerti, comminui, dissipari; multa perditis hominibus condonari; multa per luxuriam, & dedecus effundi; intolerabiliaq. tandem tributa populis imperari; & miseros homines infinitis incommodis affligi. Tres autem virtutes in Rege, qui numerare nescit, locum habere non possunt: prima quidem est prudentia, altera iustitia, tertia liberalitas. Quod enim ad prudentiam attinet, quid amentius esse potest, quam præsentem pecuniam sine vlla necessitate consumere, &, cum necessitas vrget, absentem frustra requirere? Quid magis temerarium est, quam, inopia gaza furenter absumpta, totum Regnum in summum discrimen salutis inijcere? Iustitia dein de intereat opus est. Rex enim, qui Arithmeticam ignorat, nõ tenet vllo modo rationem, qua pro virtutis magnitudine præmia diuidat, & vniuscuiusque meritum ea, qua debet, muneris æquabilitate compensẽt. Iam vero liberalitas nulla potest esse, vbi neque dantis facultas expenditur, nec accipientis dignitas æstimatur. qui enim dat, quod non potest, stultus, & amens est, non liberalis, existimandus: qui vero munus aliquod elargitur indigno, flagitium hominis impuri, temeraria largitione confirmat. Non erit igitur tunc vlla ratione liberalis æstimandus, sed amens, & flagitiosus iure, atque merito reputandus. nam, si liberalitas virtus est, ea certe temeritati, & flagitio affinis esse nõ potest. Is igitur tantũ liberalis est, qui & facultates suas respicit, & pretium rei illius, quam donat, expendit; eam tamen summa voluntate virtutum meritis elargitur, & frugalitati etiã studet, vt bene Rep. meritos queat debitis muneribus afficere. Neque hoc solũ præstat Arithmetica, vt Rex & prudentiæ, & iustitiæ, & liberalitatis officio perfungatur; sed ad maiora etiam paullatim viam aperit. Esse ne potest, inquit T. aliquid virtute amplius? Est quidem, inquam, Status Diuinus. diximus autem, (si meministis) hominum pastorem, non hominem tantum esse debere sensibus humanis præditum, sed etiam diuinis instructum, ad rerum cælestium considerationem. inde enim necesse est, vt similitudinem ducat, ad quam totam Reip. formam (quo ad fieri potest) effingat. Ad hanc autem similitudinem Diuinitatis arripiendam, necesse plerumque est animum a sensibus auocari, & a consuetudine corporis abduci, vt possit ordinem, & pulchritudinem earũ rerum, quæ nullam in omni æternitate mutationem subeunt, intueri. Ad hoc autem mirum est, quantum valeat Arithmetica. Abstrahit enim paullatim mentem ab ipsis rebus, quæ sub numerum cadunt; vt ipsos per se numeros, sine vllo respectu, ad res corporeas exacte consideret. Intelligit deinde, facilius omnem decoris, & dignitatis elegantiam, omnem mundi ornatum, omnem iustitiæ, atque virtutis splendorem, numerorum lege, atque ratione contineri. Quo tandem modo? inquit Tauora. An non vides, inquam, omne, quod numeris adstringitur, esse aptum, & venustum, & omnium ad se oculos, & voluntates allicere? quod vero est numerorum lege solutum, & esse fœdum, & flagitiosum, & ideo omnes illud & oculis, & animis aspernari? Quid est enim pulchritudo, nisi partium apta compositio, numerorum ratione deuincta? Quid est venustas in motu? Quid in voce dulcis concentus, & harmonia, nisi numerorum pro rata portione distinctio? Quid sanitas in corpore? nisi humorum certa numerorum lege, atque dimensione consensio? Quid est denique (ne plura singulatim persequar) animorum concordia, virtutis elegantia, mundiq. totius ornatus, nisi numerorum modus, quo non solum cohærent, & permanent vniuersa, verumetiam ita concinna sunt, vt nihil in suo genere possit elegantius excogitari? Hæc qui di-

Vectigalia, & Aerariũ, Regi curæ sunt.

Prudentia sine Arithmetica non est.

Iustitia sine Arithmetica non est.

Liberalitas sine Arithmetica non est.

Status Diuinus, Virtute maior.

ligenter

Universidad de Deusto
Biblioteca

ligenter animaduerterit, modum in vita conseruabit, & ita Rēp. reget, vt nihil in ea patiatur exsistere, quod non sit ad numerum reuocatum, atque certa moderatione definitum. Multi fuimus in Arithmetica laudanda: reliqua breuius perstringemus. Geometria sequitur, quæ eandem propemodum vim habet, & ad vsum vitæ, & ad vniuersæ naturæ cognitionem, & ad iuris constantiam: nec enim sine illius ope agri recte diuidi, castra locari, vrbes ædificari, arces muniri, iudicia constitui possunt. Si metiendi rationem sustuleris; & iustitiam, & ciuium concordiam, multasq. vtilitates e vita tolles. Deinde, quod de Arithmetica diximus, illa paullatim animum a cogitatione earum rerum, quas metimur, abducit, vt ipsam metiendi rationem, & modum, quo res singulæ terminantur, inspiciat: Assuefacit enim mentem, res cælestes, atque Diuinas intueri, & fœdus illud, quo omnia inter se connexa sunt, & quo cælum terris per media cum extremis aptissima ratione dimensis copulatur: admirari itaque sentit, cuiuslibet rei mensuram, & rationem, modo, atque ordine terminatam, & cum reliquis naturis mirifice congruentem, esse, quæ omnes mundi partes consensione deuincit, & amore conglutinat: ita, vt, ea sublata, necesse sit mundum ipsum funditus interire. Vnde percipitur, omnem Reip. concordiam, & stabilitatem iuris ordine, & æquabilitate contineri. Quid hic dicam de illa disciplina, quæ astra contemplatur? an patiemur Regem nostrum tam præclaram artem ignorare? magno certe illum afficiemus incommodo, si tanto fructu nostra culpa caruerit. Nec enim mediocris illa vtilitas habenda est, quam animis capit, cum cælum suspicit, magnitudine immensum, splendore clarissimum, ordinata varietate pulcherrimū, constantia, & stabilitate firmissimum. Itaque illius contemplatione fit animus altior, & moderatior, & in omni vitæ ratione constātior. Qui enim rerum cælestium amplitudinem, & immensitatem cogitatione peragrat, terrestrium regionum angustias admirari non potest; &, qui definitos siderum cursus, & ordinatas conuersiones ad numerum cadentes, quo cælestia mouentur, mente cernit, facile sibi, atque vitæ suæ modum constituit; &, qui cęli firmam, stabilemque naturam, in omni temporum varietate, considerat, nulla rerum varietate, aut vllo motu, de mentis statu deturbatur: assidua namque rei alicuius excellentis animaduersio, imitandi studium incendit: ita vero fit, vt, qui cælestia animis spectat, cęlestis etiam virtutis splendore colluceat. Accedit etiam admirabilis naturæ Diuinæ cognitio, quam ex cæli contemplatione percipimus. Illud enim nobis, quanta Dei potētia sit, quam singulari ornatu omnia distinxerit, quanta benignitate generi humano prospexerit, aperte demonstrat. Nostris enim vtilitatibus omnia, quæ in cælo perfecit, seruire videmus. Ex cælestium igitur rerum studio pietas exstitit: inde benignitas exorta est: inde reliquæ virtutes exstiterunt: cæli namque splendor, & ornatus, & vtilitas, virtutis Diuinæ imitandæ studium incitauit, & homines amore immortalitatis incendit. Aede nunc eximiam illam voluptatem, quam percipit animus, supera, atque cælestia contuendo: flagramus enim omnes scientiæ cupiditate, & ea, quæ latent obscuritate inuoluta naturæ, peruestigare nitimur; & ea de caussa, cum aliquid antea nobis ignotum cernimus, ingenti gaudio cumulamur; maxime vero cum ea, quæ euoluta perspicimus, magnitudine claritatis antecellūt. Non solum igitur cæli consideratio facit animos excelsos, & moderatos, & constantes, & pios, atque benignos; verum etiam homines summo ingenio præditos voluptate quadam eximia permulcet. Vnde perspicitur, hanc etiam disciplinam esse maxime cum Regis amplitudine, & dignitate congruentem. Illud tamen animaduertendum est, illum modum in his disciplinis Regi adhibendum esse, vt ex singulis ea tantum carpat, atque delibet, quæ magis necessaria sunt; vt, illis tamquam gradibus, ad omnem rationem Regiæ disciplinæ, & Diuinæ cuiusdam virtutis adscendat. Nolo, vt in singulis insistat, vt illi faciunt, quibus nihil aliud est in vita propositum: nolo rursus ea negligenter attingat: negligentia namque est tarditatis, aut diffidentiæ, atque timiditatis argumentum. Qui enim non videt, quam honesta hæc studia sint, hebes, & stupidus; qui vero illa pulchra, & eximia putat, eorum tamen cognitionem se assequi posse diffidit, ignauus, & animo pusillo præditus existimandus est. quorum vtrum minus Regem deceat, haud facile dixerim. Vt igitur minime probo, multum tempus a futuro Principe in harum artium studio consumi; ita negligentiam in tam honesta disciplina vitupero. Nihil est enim ab eo, qui vir magnus esse, & haberi velit, segniter, & pigre gerendum. Sed hic occurrit mihi illud argumentum, quo vti posse dicebas eos, qui minime patiuntur Principes artibus ingenuis, atque litteris inficī. Si non multum temporis (inquiunt) in earum studio cōtriuerint; aut eas minime percipiēt, aut ea, quæ perceperint, e memoria cōfestim elabentur. Quod non est ita: immo, si non omnia ex singulis disciplinis, sed necessaria tantum, & ad vsum magis accommodata, didicerit, omnes facillime cum fructu, & iucunditate percurrent; &, quæ ex singulis hauserint, multo facilius memoria cōtinebunt. Diligentiam igitur, & acrem attentionem in istis artibus a Principe flagito; diuturnum vero in singulis studium, valde alienum Principis officio puto. Sapienter enim admonent viri doctissimi, omnes, qui ad tractandam Remp. accessuri sunt, vt orbem istarum disciplinarum ita

Geometria Regē decet.

Astrologia Regē decet.

ita conficiant, vt intelligant, non esse præter modum in singulis immorandum. Perinde igitur, atque illi, qui, vt multos hominum mores, & instituta cognoscant, peregrinantur, tantum temporis in qualibet vrbe cōsumunt, quantum sat esse putant, ad prudentiam ex multarum nationum facili notitia comparandam; similiter Principi tantum est e qualibet istarum artium sumendum, quantum sat sit ad egregiæ virtutis vsum, & ad Regiæ sapientiæ disciplinam. Si enim omnes earum minutias, & subtilitates persequi voluerint, exitū nullum inuenient; si vero illarum modum vtilitate terminauerint, non mediocrem vtilitatem ex illis capient. Reliqui, quibus est maius otium, dent, si velint, operam, vt earum perfectionem consequantur: quod facit hic noster Franciscus Portugalensis. In Mathematicis enim (vt de reliquis artibus sileam) tantum progressus est, vt ad laudem Petri Nonij (cui parem, & æqualem in artibus istis non nouimus) adspiret. Sed nos non de illis, qui abundant otio, & qui non alio grauiore onere premuntur; sed de Regis disciplina, & officio disputamus. Regi igitur futuro has disciplinas tradendas, & hac ratione tradēdas existimo.

Dialecticam Rex discat.

Velim deinde in ea se arte exerceat, quæ rem definiendo explicat, & in partes exacte distribuit, & argumentum ratione cōcludit, & consequentia, & repugnantia videt, ambiguaq. distinguit, & in omni sermone, quid verum, quid falsum, quid verisimile, quid absurdum, minimeq. probabile sit, animaduertit. Quam rem agis, inquit T. ridens, Regem etiam in Dialectica exerceri vis? Ego vero, inquam, si id mihi per vos licuerit. Per me, inquit, minime licet. Nec enim decorum est, vt js, qui Principis personam induit, importunam loquacitatem Sophistarum imitetur, & clamet intempestiue, & aures hominum obtundat, & veritati impudentissime repugnet, vt ij faciunt, qui isti studio dediti sunt. Quo quidem fit, vt ego illam interdum non artem liberalem, homineq. ingenuo dignam; sed impudentiæ, atque fraudis disciplinam putem. Iam vero, quid minus nostris moribus conuenit? aut quid esse poterit Regiæ virtutis candori, atque simplicitati magis aduersarium? quo modo id igitur nobilitas vniuersa feret? aut quali animo id viri militares, natura, & voluntate litteris infensi, patientur? quare vide, ne, si fuerit aliquo rumore disseminatum, te huius sententiæ auctorem esse, vt leuissime tecum agatur, risum plerisque moueas, & omnium sibilis eijciare. Equidem, inquam, id metuens, Dialecticæ nomen reticebam, vimque illius tantum indicabam; & tamen neque sic offensionem, quam vitare cupiebam, quiui effugere. Quod si te, hominem litteris, & vtbanitate simatum, & bonis disciplinis deditum, hæc sententia offendit; quid ij facient, qui litteras omnes oderunt? Quid facient? inquit ille. Profecto vereor, nisi ab ea desiteris, ne te, tamquā publicæ salutis euersorem, exterminandum curent; vel saltem, vt rusticanum hominem, & vitæ communis ignarum, ludis, atque iocis exagitent. Quid, inquam, non mihi afferetis opem? ne illud saltem ab hominibus istis impetrabitis, ne me indicta caussa condemnent? Vereor, inquit, vt difficile sit: vellem tamen scire, quibus argumentis adductus, cēses Dialecticā artē dignā esse, in qua Principes elaborēt. Num obliti estis, inquā, id, quod est inter nos firme constitutum: oēm beatæ vitæ rationē in veritate consistere? Minime, inquit. Cū igitur, inquam, plane constet, beatam vitam veris bonis cōtineri, & huius vitæ beatæ Rex effector, & architectus sit; omnem artem, & disciplinam, quæ falsam speciem veritatis a veritate secernit, vtilem Regibus esse confirmo. At Dialecticæ hoc munus est, vt omnem sermonis fallaciam, atque fraudem aperiat, & sophistarum insidias exploret, & veritatem demonstret, eamq. validis argumētis sæpiat. Neque si multi eorum, qui hanc artem se tenere profitentur, imprudētes, & inepti sunt, eaq. ad corroborandam imprudentiam sane diligenter abutuntur, id continuo artis vitiū est; sed eorum, qui contra ipsius artis disciplinam faciunt. Artis enim huius munus est, lucem rebus obscuris afferre, confusa modo, & ordine collocare, mendacium, & vanitatē reprimere, argumentis firmissimis stabilire, rectamq. rationem, & sententiam valido præsidio confirmare. Ergo, cum Regis sit, odio acerbo mendacium persequi, & veritatem summo studio & contentione tueri; quid magis illius muneri, & officio consentaneum esse potest illa disciplina, quę obsistit fraudibus, & mendacijs, & veritatem diligenter inquirit? nec enim solum in studijs artium maximarum occurrere solent multa, quæ sunt impedimento, quo minus veritas explorari, & perspici queat, verum tam in familiari sermone, quam in consilio maximis de rebus inito, sæpe rationes afferuntur, specie quidem probabiles, re autem verasallacissimæ, quibus Reges impulsi, fraudes capitales in Rep. gerenda concipiunt; quas vitare potuissent, si Dialecticæ armis, atque præsidijs circūtecti fuissent. Præterea Dialectica est eloquentiæ fundamentum: recte enim dicendi finis est, fidē facere; fides aūt vi argumentorum, & copia exemplorum fit; Dialectica vero docet, vnde argumenta sumenda sint, qua ratione concludenda, quo etiam artificio exempla tractanda: vsque adeo, vt, sine Dialecticæ præsidio, omnis plerumque oratio inepta, ieiuna, elumbis, & eneruata sit. At Regem minime decet infantem esse; sed eloquentia non vulgari præditum. Ita ne censes, inquit T. Rhetoricam artem esse Regibus instituendis accommodatam? Ego vero, inquā, & id multis de caussis. Primum quidem, quod nihil ineptum, & stolidum,

Beatæ vitæ ratio in veritate cōsistit.

Rhetorica Regē decet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lidum,nihil niſi purum,& elegãs,& ornatum, in Regibus tolerandum arbitror. Vt enim nihil eſt in communi vita Regum amplitudine magnificentius;ita conuenit,vt nihil ſit illorũ cultu decentius, & elegantius, maxime vero in rebus illis,quæ vi,&vtilitate præſtant. Quid autem eſſe poteſt oratione, ſententijs grauib. & verbis ſplendidis ornata,& inſtructa, vehementius?quid ad alliciendas voluntates,&animos impellendos vtilius?quid ad Remp. multis in locis conſtituendam efficacius? Eſt enim Eloquentia dicendi prudentia. Rex autem, & prudentiſſimus ſit neceſſe eſt, & omnem prudentiam ad Reip. vſum conferat. Prudentiæ vero vſus eſt in verbis,& in operibus conſtitutus. Vtrumque igitur Regium eſt, & prudenter dicere,& officio prudenter incumbere. In vtroq. autem ſtudio,& bene dicendi, & recte agendi olim omnis Regia diſciplina conſiſtebat;vt auctor eſt Homerus, apud quẽ Phœnix ait,ſibi Achillem a patre Peleo traditum fuiſſe,vt illum, & verborum oratorem, & rerum actorem efficeret. Quod quidem fuit ab illis priſcis hominibus ſatis ſapienter excogitatũ. Multa enim ſunt, quæ Rex ſapienter, & fortiter, & vigilanter adminiſtrare per ſe debet; multo tamen plura,quæ alijs facienda præſcribit. quod quidem non eſt ſemper imperio, & nutu, ſed accurata ſæpe oratione faciendum. Non enim ſeruis imperat,ſed liberis;liberi autem non tam minis,atque metu cogendi, quã explicatione communis vtilitatis incitandi ſunt. Vt enim(quemadmodum ait Plato)non eodem modo, quo medici liberis medentur, ſeruos curant,liberis enim aſsidunt,&,morbi vi penitus explorata, curationem inſtituunt, cuius rationem ægrotis explanant;ſeruis autem ſtantes verbo tantum imperant, quid illis faciendum ita ſit: non ſimili ratione leges omnibus imponendæ ſunt: cum liberis enim populis dantur,ratio communis vtilitatis exponenda eſt;cum vero aliquid ijs,qui tyranni de oppreſsi ſunt,imperatur, id non eſt ita neceſſarium; ſed id tantum inculcandum, quod eſt a Iuuenale de mulierum tyrannide elegan ter ſcriptum:

Sic volo,ſic iubeo,ſit pro ratione voluntas.

Cum vero ea communis ſalutis explicatio, ſine eloquentia fieri commode non poſsit,concluditur,Eloquentiam Regis munus eſſe, valdeque ad illius amplitudinem,& officium pertinere. Eſt enim illi opus, vt animos ſuorum ad ſe alliciat,& amorem excitet, fidemque faciat,ea,quæ ſancit,atque decernit, ad Reip.ſalutem conducere,neq. ſibi quidquam eſſe ſtudio communis vtilitatis antiquius. Nec enim in bello tantum milites Regis oratione cohortandi ſunt;ſed ciues etiam multo ſæpius in pace, ſtudio iuris incendendi, & firmo vinculo concordiæ, & ciuilis ſocietatis alligãdi. Vtrũque enim Regium eſt,& hoſtis impetum virtute reprimere, & ſtatum Reip. æquitate tueri. quæ cũ ſine multorũ auxilio facere non queat, neceſſe profecto eſt,animos eorum,qui ſunt illi operam nauaturi,vi,& amplitudine oratio-
nis incendi, & incitari. multo enim alacrius homines id exſequuntur,quod voluntate ſuſcipiunt,quam id, quod imperio,& metu coacti faciunt. Cum autem magna vis ſit in oratione ad impellendas voluntates,tum vero, cum ab homine virtutibus ornato, & eo, qui multum auctoritate valet, habetur, mirum eſt, quantas vires habeat ad animos varie flectendos.Quid igitur fiet,cum Rex, hoc nomine dignus,ſuis,quibus eſt propter virtutem cariſsimus,& propter auctoritatem grauiſsimus,oratione ſapiente ſtimulos admouerit? quantã illis alacritatem afferet? quo ardore illorum mentes inflammabit? quantum, & honeſtum inter illos certamen inſtituet? Quilibet enim tunc ſumma cõtentione laborabit, ne ab alijs ſedulitate,atque diligentia ſuperetur. Veriſsime quidem dictum eſt,non dicentis orationẽ, ſed probitatem fidem facere. Nemo enim ſanus improbo credendum exiſtimat. Illud tamen eſt etiam veriſsimum, probitatem, eloquentiæ præſidio nudatam,inermem eſſe. Homines enim infantes,quãuis optime ſentiant, non poſſunt tamen, propter hæſitantiam linguæ,multa Reip.vulnera ſanare,multaq. pericula propulſare, quæ, ſi fuiſſent orationis armis inſtructi,facillime depulſiſſet. Vt igitur in bello turpe eſt,armorũ inopia vinci; ita in pace turpiſsimum,infantia iuſtitiæ,&æquitatis, cauſſam deſerere. Quod ſi hæc orationis inopia dedecus affert omnibus, a quibus aliquid opis,Reip.flagitari ſolet;quid fiet,cum is, cuius auctoritate ſumma totius Reip. ſalus innitur,fuerit infantiſsimus?Præterea,cum multo magis Regium ſit, (vt ante dictum eſt) alacritatem voluntarijs addere,quam inuitos cogere;illudq.eloquentia fiat,hoc minis,atq.ſupplicio;quis non videt,multo clariora munera eſſe Regi vi orationis,quam iure imperij,ſæpe numero ſuſtinenda? Poſtremo, (vt etiam ante diximus)quo pacto ferendũ eſt,vt Reges,quorum vita nihil clarius, & illuſtrius eſſe debet, hoc tam egregio cultu,& ornatu careãt?quid enim minus decet, quam nimiam operam in corporis veſtitu,& ornatu conſumi; ſummãq. diligentiã adhiberi,vt Regius cultus mirifice inter omnes excellat; quam ornate vero, aut inculte Rex loquatur,id pro nihilo putare?an aliquis purpuræ nitor, aut auri ſplendor, aut gemmarum pulchritudo eſt cum ſplendore eloquentiæ conferenda? aut quid mirabilius eſſe poteſt,quam ea re,qua homines brutis animantibus præſtãt,vnum hominem reliquis hominibus anteire?Ferendum ne igitur eſt, vt Rex hoc tam admirabili ornatu,&cultu nudatus incedat?Non profecto.Omnibus enim rebus ſplẽdeat opus eſt ille,qui eſt ſplendorẽ ijs, qui illius ditione,& imperio continentur,allaturus;itaque primum neceſſe eſt, vt animus illius ſit

Voluntate ſuſcepta, homines alacrius exſequũtur.

Probitas,eloquentiæ præſidio nudata, inẽ;mis eſt.

lius ſit cultus diſciplinis, & ornatus virtutibus. Deinde,vt ex illuſtri animi cultu, illuſtris etiam efflorescat oratio. Poſtremo, vt omnes illius actiones eodem nitore ſplendeant,vt ſic demum animi decus,cum orationis elegãtia; & actiones præclaræ, cum orationis claritate conſentiant. Non ſolum igitur in Regibus eloquentia ad vſum Reip. deſideranda eſt,ſed ad Regium decus, & elegantiam, eximiæque dignitatis amplitudinem. Illud tamen eſt animaduertendum, tam in Dialectica, quam in Rhetorica Principibus tradenda, ſummam doctoris prudentiam requiri. ſunt enim in Dialectica quædam nimis ſpinoſæ ſubtilitates omittendæ, verborum quorundam inſolentia fugienda,negligenda denique omnia,quæ magis ad ineptas Sophiſtarum concertationes, quam ad rectum diſſerendi vſum valent; illaque tantum inculcanda, quæ argumentorum copiam ſuppeditant, & rationis iudicium cõfirmant. Nec enim licet Principibus tantum otij, quantum reliquis hominibus, in hac diſciplina conſumere. Similiter de Rhetorica ſtatuendum eſt,non eſſe Principes multis præceptis nullum vſum habentibus obruendos. Quamuis enim nunc in foro, atque iudicijs,eloquentia dominaretur, vt olim; non tamen eſſet Regis officium, lites intendere, crimina obiecta diluere, iudicibus oratione blandiri, humiliter ſupplicare, lacrymis ſeueritatem ad miſericordiam inflectere. Nec illud quidem orationis genus Regibus aptum eſt, quod olim in laudandis primarijs hominibus illi, quos Græci Sophiſtas appellabant,ingenij oſtentandi gratia, ſequebantur; tam elaborata numerorum concinnitate perpolitum, & tam crebris verborum, & ſententiarum luminibus illuſtratum, vt omne illorum ſtudium eo conferri videretur, vt auditores ſine vllo fructu nimia voluptate perfunderent. Nec enim Regis amplitudini conuenit, lites perſequi, aut aliquid ſuppliciter, atque demiſſe rogare, aut adulari, & aſſentari, aut in orationis floſculis pueriliter colligendis exerceri. Illud igitur tantum eloquentiæ genus auctoritatis, & dignitatis pleniſsimum illi relinquitur, quod eſt in conſultando,& deliberando, & in ſententia ſapienter explicanda, & in ciuium animis a flagitio deterrendis, & ad officium incitandis, conſtitutum.Itaq. nihil ſubdolum, nihil veteratorium, nihil aſtutum, & fallax, nihil nimis depictum,& elaboratum, nihil multis verborum lenocinijs inſtructum in oratione Regis emineat. Hæc enim omnia ſunt ſimplicitatis inimica, Regiæ bonitati contraria,& magis ad hominum voluntates alienãdas, quam ad alliciendas appoſita.Genus igitur tantum dicendi colat,rectum,purum,elegãs,enucleatum, verbis grande, ſententijs graue, oratione preſſum, non redundans, & effluens, nec inuerecundis verborum feſtiuitatibus ex politum. Hoc iacentes excitet, afflictos recreet,languẽtes ſtimulet,vigilantes inflãmet, bonis præmia conſtituat,improbis periculum denuntiet, & omnes denicq. quantum poterit, efficiat legibus obſequentes. Materia enim, quam Regem præcipue tractare dicendo conuenit,eſt ea,quæ inſtitiæ ſtudio cõtinetur;quã nulla maior,& amplior,regiſq.officio dignior eſſe poteſt. Finis enim,quem intueri,& in quẽ ſtudia vitæ conferre debet,in eo cõſiſtit,vt omnes ciues iuſtos efficiat;hoc autem vel iudicio rum metu, vel honeſtatis amore fit:metus autem iudiciorum,eſt remedium neceſſarium illud quidem, minus tamen firmum, & ſtabile, multiſq.fraudibus,& dolis obnoxiũ. Amor autem honeſtatis, prudentia orationis incenditur.quæ quidem oratio tanto maiores vires habet,quanto ſtatus illius,qui loquitur, excelſior eſt,omniumq.virtutum opibus opulẽtior. Nihil igitur eſſe poterit,ad præſidium,& ornamentum Reip. ſplendida oratione optimi Regis accommodatius. Sed venit in mentem mihi,interdum admirari;cum in eloquentia tanta Regiæ dignitatis ornamenta, atq. præſidia ſint, cur illius ſtudium in pleriſq. Principibus ita refrixerit, vt pauciſsimi illam attingant? quod quidem olim non ita fiebat. Vt enim Homeri Reges omittamus,& de illis etiam ſileamus,qui propius a Troiani belli temporib.abfuerunt;certe conſtat,Philippum,Macedoniæ Regem,eloquentiæ operam dediſſe. quod exẽplũ ſtrenue etiam ſecutus eſt filius Alexander. Multi deinde illius ſucceſſores dicendi laude floruerunt.&, ne omnes antiquos Reges oratione commemorem, omnes ferme ſic inſtituti ſunt, vt non infirmum ſtatus ſui præſidium in dicendi facultate conſtitutũ arbitrarentur. Iam vero,in liberis populis ea ſemper floruit, atq. dominata eſt,vſq.adeo,vt nemo principẽ locũ in illis obtinere poſſet,niſi eloquẽtia princeps eſſet. Vt enim hic præteream Athenas, Spartam,Thebas,Carthaginem,&alias imperioſas nationes, quæ huic dicendi prudentiæ plurimum ſemper honoris,atq. dignitatis detulerunt;in ea profecto ciuitate,quæ orbis terrarũ finib.imperium terminauit, innumerabiles ciues ſummam auctoritatem, & potẽtiam dicendo conſecuti ſunt. Tantum enim Rome, poſtquam imperiũ latiſsime propagatum eſt, eloquentia valuit,vt nemo conſideret, quãuis & nobilitate, & reb. fortiter geſtis excelleret, facilẽ ſibi aditum ad ſummam potentiã datũ iri, niſi dicendi laudem cum militari virtute coniungeret. Inde illi Claudij,Lelij,Scipiones, & Galbę,Catones,multiq. alij in dicendo principes exſtitere;donec gradibus quibuſdam ad illud perfectum,& abſolutum eloquentiæ ſpecimen peruentum eſt,ad quod nemo deinceps adſpirauit. Sed nos hic non de Ciceronis eloquentia, ſed de mediocri diſſerimus, quam in Rege deſideramus. Iam vero, poſtquam reſp. in vnius poteſtatem peruenit, num fuit in

Eloquẽtia in dicendi prudentia.

Regis amplitudini quid cõueniat.

Princi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Principibus eloquentiæ ſtudium neglectum? Non certe. vt enim de Iulij Cæſaris elegantia, & vrbanitate nihil dicam; Octauianum certe conſtat, fuiſſe dicendi laude præſtãtem: ne Tiberius quidem, quamuis multis vitijs coopertus fuerit, hac dicendi laude caruit. Nec ſolum Principes humaniores hanc vnam artem ſummo ſtudio coluerunt; ſed etiam, quod eſt magis admirandum, immanes tyranni, qui non perſuadendo, ſed cogendo omnia ſibi conficienda putabant, multum operæ, & ſtudij in dicendi peritiam cõtulere. Nec enim Caligula, neque Nero, neque Domitianus, nec aliæ peſtes hominum, quas dirum Reipub. fatum in imperio collocauerat, ſeſe ab hoc ſtudio remouerunt. Quod etiam de Græcis tyrannis affirmari poteſt. Quod ſi tyranni, quorum imperium erat vi, atque metu, non æquitate, & humanitate fundatum, exiſtimabant tamen eſſe ſibi neceſſariam eloquẽtiam; quid regibus faciendum eſt, qui non vt ſeruile iugũ ſubditis imponant, ſed vt pro eorum libertate pugnent, ſunt in tam alto honoris, & imperij gradu locati? Quid igitur inquit T. cauſſæ cenſes, cur, ſi ars iſta tam vtilis, atque præclara eſt (vt dicis) qua multi perditi homines abuſi ſũt, apud bonos Reges obſoleuerit? vt enim cupio linguam hominibus ſceleratis abſcindi; ita erat optandum, vt boni dicendi gloria præſtarent, maxime vero reges, quorum oratio, vt probare contendis, innumerabiles vtilitates populis afferre potuiſſet. Primum quidem, inquam, vitæ mollitiem, & luxum, atque deſidiam in cauſſa fuiſſe puto. Eloquẽtiæ enim laus non ſine labore, & ſtudio paratur. Deinde ſuſpicor eorum animos, qui otium nimis in principio fuerant amplexi, diffidentia totum hoc ſtudium abieciſſe. otij namque, & languoris comes, extrema deſperatio eſt. Acceſſerunt adulatores, qui a populi totius rationibus principes abſtraxerũt, & in eam opinionẽ eos adduxerunt, vt arbitrarentur, id, ad quod imperio cogere poſſunt, non eſſe oratione flagitandum. Poſtremo diuturna temporis conſuetudo, tantas vires apud imperitos habet, vt, quod eſt in ſumma laude ponendum, vitio detur, & quod vitio vertendum, grauitatis, & amplitudinis laudi tribuatur. Sic autem factũ eſt, vt Regis infantia, ſumma quædam auctoritas exiſtimetur. Qui autem in hac ſententia ſunt, non mihi videntur Regem, ſed regis imaginem habere velle. quid enim inter infantẽ Principem, & mutam imaginem interſit, non video. Sed multi in huius diſciplinæ vtilitate explicanda fuimus. quare, ne diutius aures veſtras eloquentiæ minime neceſſarijs laudibus obtundam, ad reliqua veniamus. Hoc tamen in vniuerſum dicam de omnibus artibus, quas ſumus oratione perſecuti: multæ quidem ex illis vtilitates oriuntur. ſed ego in duas potiſſimum reſpicio: quarum vna eſt ingenij acumen; altera modeſtiæ concinnitas. vtrumq. autem armat animum contra perditorum hominum fraudes, & inſidias. qui enim ingenio valet, facilius verum videt, & mendacium acriori animi contentione repellit: qui vero moderationis laude floret, non facile perturbari, atque de conſtantia depelli poteſt. Quo modo autem artes iſtæ acuant ingenium, ſatis perſpectum, & cognitum eſt: quo modo vero ad humanitatem erudiant, non eſt exploratu difficillimum. Quidquid enim numerum, modum, atque rationem in omnium rerum perueſtigatione cõſiderat; quidquid naturæ conſtantiam, & pulchritudinem ſummo ſtudio contemplatur; quidquid verum a falſo diligenti examine ſecernit, quidquid ſe ad hominum mores, ciuilemq. ſocietatem accommodat; ne ceſſe profecto eſt, vt animi partes numero definiat, moderatione componat, amore conglutinet, & ad humanitatem inſtituat. non igitur is, qui artibus iſtis deditus eſt, facile in fraudem induci, aut temere inſolenter efferri poterit. Multi tamen illas inſectantur. Scio. ſed ego hoc potiſsimum argumento illas ſalutem, atque dignitatem regibus allaturas confirmare poſſum; quod tanto odio, & contentione ab hominibus profligatis, atque perditis oppugnentur. Vt enim, quod laudandum cenſent, eſt Reip. vniuerſæ peſtiferum; ita rationi conſentaneum eſt, vt intelligamus, id, quod ab illis vituperatur, eſſe Reip. ſaluberrimum. Redigite, quæſo, in memoriam, quod in principio dixi, mihi eam Principis inſtitutionem maxime probari, quæ fuerit maxime adulatorum inſtitutioni cõtraria. Quam quidem certe rationem in noſtra diſputatione ſecuti ſumus. Illi enim vitam vmbratilem, & delicatam Regibus dignam eſſe perhibent; nos ſolem, & puluerem, & laborum patientiam, Regem decere cenſemus. Illi ad effrenatam libidinem Reges inſtituunt; nos ad ſummum ſtudium honeſtatis, & laudis excitamus. Illi ad ſuperbiam, & odium hominum Principes inſtruunt; nos illos ad omnem rationem temperantiæ, & humanitatis excolimus. Illi poſtremo Principes ſenſibus, & iudicio ſpoliare conantur; nos vero illorum mentem acuere, & illuſtrare cõtendimus. Ea autem de cauſſa fit, vt, quemadmodum illi omnes bonas artes Regibus indignas eſſe confirmant; ita nos liberalem eruditionem digniſsimam eſſe Regis amplitudine iudicemus. Sed, vt illis ſpem omnem decipiendi Regis incidamus, cauendum eſt, ne illud adulationis initium, quo impuri homines innituntur, nimis excitari, & exſurgere patiamur. Iam enim, ſi meminiſtis, a nobis dictum eſt, non tã facile fieri poſſe, vt in hominum potentum ſenſus adulatores irreperent, niſi prius ſocietatem cum adulatore illo primario, qui intra pectus vniuſcuiuſq; latet, inirent. Hoc quidem, inquit, T. rectè memoria tenemus. Nec illud quidem, inquam, vos oblitos arbitror, adulatorem illum ſummum,

mum, qui in ſuam familiaritatem adulatores aduenticios admittit, eſſe amorem illum, quo ſe quiſque nimis inſane complectitur, qui tanto vehementior eſſe poteſt in Regibus, quanto ſtatus illorum eſt amplior, & opulentior, magiſque ad Diuinitatem quandam inter homines accedit. Recte, inquit: ſed, quorſum hæc modo repetantur, exſpecto. Periculum igitur, inquam, eſt, ne ſe tantum ament, vt omnem imbecillitatis humanæ memoriam deponant; &, quemadmodum poete fingunt, Narciſſum ex ſui ipſius amore contabuiſſe; ſic ipſi amore ſui pereant. Nam, cum omnis amor errorem imperitis obijciat; tum is, quo ſibi quiſq. blanditur, atque lenocinatur, animum omni ſanitate ſpoliat. Eo igitur magis Principum animos excæcabit, quo ſe illi amant acrius, atq. vehementius. Quare prius hoc inteſtinum malum ſanandum eſt, quam externa, & aduenticia repellamus. hoc autem multis rationibus fieri poterit. Eſt igitur ſtatim a primis annis opera danda, vt Principum arrogantia minuatur, itaque, dũ pueri ſunt, videamus, an poſsimus impetrare ab illis, qui Principi, in nutricis adhuc gremio cõſtituto, quaſi cæleſti numini, hoſtijs propemodum litant, vt aliquid de tã immodica ſuperſtitione detrahant. Deinde in ætatis progreſſu, velim delicias paullatim imminui, & ſeueriorem diſciplinam adhiberi; tũ etiam illorum cultum ita temperari, ne vel nimio veſtium nitore inaniter efferantur; vel ſordido, & obſoleto animum demittant.

Illud etiam admonendi ſunt omnes, qui Principes inſtituunt, ne minimi faciant ea, quæ, poſtquam ſunt adulta, & vſu vitæ confirmata, ſenſim ad perniciem publicæ ſalutis illabuntur. Quid autem eſt, quod maiorem aditum ad omne malum patefaciat, quam crebra legum, atque morum commutatio? quam Reip. varietas, & inconſtantia? quam frequentes rerum, ſine magna aliqua vtilitate, nouitates? Vt enim arbor crebius agitata, & ex loco in locum mota, altas radices agere nequit; ita Reſp. ſtirpe firmari non poterit, ſi fuerit ſæpe legum mutatione, & varietate conuulſa. Accedit, quod, cum leges ſæpe mutantur, facillime contemnuntur; legibus autem contemptis, vitæ perturbatio ſequitur, & fœda morum confuſio, Reipublicæque totius exitium. Quod ne eueniat, ſtatim a primis annis Rex admonendus eſt, vt patrię mores amet, & patriæ leges, & inſtituta, & patriæ etiam cultum, atque veſtitũ: hoc enim primum eſt Regiæ grauitatis, & conſtantiæ. Deinde continet amoris in patriam argumẽtum: deinde ſumptibus immodicis modum ſtatuit: omnes enim non in moribus tantum, atque vita, ſed etiam in veſtitu Reges ſuos imitari cupiũt. Si Rex igitur veſtitum ſæpe mutauerit, omnes idem certatim faciẽt; & ita opes, quæ erant in vitæ præſidium conferendæ, in leuitate conſument. Quis autem non videt, ex profuſis ſumptibus egeſtatem, ex egeſtate deſperationem, ex deſperatione facinora capitalia, quibus Reſp. in extremum diſcrimen inducitur, exoriri? Quid illud deinde, quantum mali eſt? diuites enim culti paullo elegantius inſoleſcunt; pauperes autem vel animos abijciunt, vel, vt poſſint ſimiliter veſtiri, furantur, & latrocinantur; aut, ne illam indignitatẽ ſubeant, patriæ interdum inſidias moliuntur. Poſtremo, hæc animorum mutabilitas, qua potẽtes homines, Principum veſtigijs ingreſſi, diebus prope ſingulis externis cultibus ornari geſtiunt, facit, vt moribus etiam externis obliniri gaudeant. inde igitur paullatim legum, & Reip. immutatio naſcitur. quod cum ſit, nemini dubium eſſe poteſt, quin patriæ fatalis exitus appropinquet. In omnibus autem rebus, qui maximum malum vitare cupit, opus eſt, vt malum exoriens exſtinguat. poſtquã enim fuerit vetuſtate corroboratum, fruſtra illud depellere conabitur. Cum igitur hæc veſtium crebra mutatio tantum in ſe malorum ſeminarium contineat; caueant omnes, qui Regũ filios moribus informant, ne illiveſtium externarum varietate gloriẽtur. Multa quidem remedia animi turgentis attulimus: ſed nullum eorum, meo quidem iudicio, adeo efficax eſt, vt omnem tumorem ſanare poſsit. Alia igitur remedia vehementiora nobis videnda ſunt: ſed valde timeo, ne mihi male procedat hæc medicina. Quo modo, inquit, T? Quia, inquã, hæc leuiora, quæ perſtrinximus, vix homines vrbani, atque lauti ferre poſſunt. quo igitur modo grauiora tolerabunt? Quid? inquit ille, offenſionis alicuius metu aliquid, quod ad cõmodum publicum pertineat, ſilentio præteribis? Nullo, inquam, modo: verumtamen ad ſententiam a moribus noſtris abhorrentem explicandam, cum timore ingredior. Vereor præterea, ne faſtidio vobis ſim, ſi tam ſæpe eãdem iterabo ſententiam. Sed fieri aliter non poteſt. Dictum eſt non ſemel, fieri non poſſe, vt aliquis imperare ſciat, niſi obedire multo ante didicerit. Nec enim bonus gubernator nauis exſtitit, qui non prius multis annis nauta fuerit; nec imperator egregius eſſe quiſquam potuit, qui non prius diu ſub aliquo bono Imperatore militauerit; nec architectus quidem, niſi multis annis operam alicui architecto præſtanti dederit. Et, ne ſingula recenſeam, nemo cum laude alicui artificio præeſſe vllo modo poterit, niſi prius diligentiſsime artis illius magiſtro paruerit. Quid igitur de Rege dicendum? non ne videtis, quam difficile ſit alios regere illum, qui nullius vnquam imperium paſſus eſt? quo igitur Regis munus eſt amplius, & difficilius; eo diligentius obtemperare debet, & alacrius imperata conficere, vt imperandi ſcientiam facilius conſequatur. Hoc enim obediendi ſtudium, & regendi ſcientiam efficit, & animo moderatur. quorum vtrumque tam neceſſarium

Princ. pes acrius ſe amãt quam a.ij ſa diuat.

Legum mutatio Reſp. enertit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rium est, vt aliter Regnum feliciter administrari nequeat. Nec enim Rex imperitus, nec immoderatus, ferri vllo modo potest. Est igitur necesse, vt non modo parentes sancte colat; sed etiam magistris obediat, pædagogum timeat, senes vereatur, monitoribus auscultet, & omnibus denique, qui illum bonis moribus informare possunt, morem gerat, obsequatur, obtemperet. Seruiat deinde (vt iam diximus) pudori, seruiat laudi, seruiat honestati. Cum vero ætate processerit, intelligat etiã, se multo magis esse legibus, quam omnes, qui illius imperio cõtinentur, alligatum. Omnes enim eum intuentur, & mores quisque suos, illius exemplo, & imitatione, conformat. Si viderint igitur, leges ab illo contemni, illas etiã perrumpere conabuntur; si vero eas sancte ab illo conseruari perspexerint, nemo illarum religionem violare audebit. Præterea, Regis officium est, omnia, quæ Remp. conseruant, summo studio, cura, vigilantia, sedulitate tueri. Nihil est autem, quod magis Remp. conseruet, quam leges. Est enim Lex, mẽs omni perturbatione vacua, a mente diuina hausta, atque delibata; honesta, atque salutaria præscribens, prohibensq. contraria. Rex igitur est legum custos, & vindex, publiciq. iuris administer. ergo, cum leges transgreditur, officium suum prodit, Remp. fidei illius commissam labefactat, Dei in se numen acriter incendit. Deinde, quid proderit ciuibus, legis metum inijcere, si eosdem ciues exemplo nequitiæ ad contemptionem publici iuris induxerit? nec enim metus diu in officio homines continere potest; maxime vero, cum ea opinio accepta fuerit, non esse dignitatis, legibus parere; at, vbi leges a populi rectore negliguntur, omnes, qui aliquid in Rep. opibus, & gratia valent, opinantur, ignominiosum esse, legibus adstringi. Itaque, vbi viderint violandi iuris facultatem oblatam, eam minime præteribunt. Rex igitur, qui leges contempserit, vniuersam Remp. exemplo sceleris, & iniuriæ dissipabit. Præterea, quę maior dementia potest esse, quam id dedecus existimare, quod decus, & dignitatem constituit? sunt enim leges Diuinæ benignitatis munera, sapientiæ decreta, humanæ societatis fœdera sacrosancta. Illæ iniquitatis violentiam coercent; insidijs, & fraudibus obsistunt; honestatis disciplinã continent; turpitudini, & flagitio repugnant; discordiarum materiam amputant; belli subsidia comparant; pacis, & otij dignitatem constituunt; totumq. Reip. statum firmo præsidio corroborant; multisq. opibus. & ornamentis afficiunt. Qui igitur se legibus addicit, seruit sapientię, seruit honestati, seruit immortalitati, seruit officio, & religioni, illustribusq. in Remp. meritis viam in cœlum præclare munit. Quid igitur, seruire flagitio, & impuritati, hoc dignitatem habebit? & Principes, qui suis effrenatis cupiditatibus fuerint obsecuti, digniſsimi habebuntur, quibus reliqui homines vitam, atque salutem suam permittãt? parere autem legibus, hoc est, honestatis, & officij sanctiſsimi disciplinæ, id Regem dignitate spoliabit? Græci quidem olim statum Reip. κόσμον, id est, ornatum appellabant. in quo quidem Homerum secuti sunt, qui Reges κοσμήτορας nominabat, quasi ornamentorum, quibus populi excoluntur, effectores. κόσμου autem nomine Græci mundum etiam significant, propter naturæ pulchritudinem, & concinnitatem. Eodem igitur nomine, quo naturæ vniuersæ ornatum, & conuenientiam nominabant, statuerunt hominum cœtum iure deuinctum appellari posse. nec enim dubium est, quin status Reip. legibus fundatus, moribus ornatus, in quo ciues omnes, inter se publico fœdere colligati, de publica salute vna mente, & voce consentiunt, ordine conuenientia, & pulchritudine, mundi ornatum, & constantiam imitetur. Neque male Lacedæmonij, qui rectores populorum ἀσμοστὰς appellabant, quasi harmoniæ, & publici concentus architectos, & concordiæ, mutuæq. ciuium inter ciues coniunctionis auctores. At hunc ornatum Reip. hanc pulchritudinem, & elegantiam, hunc admirabilem animorum concentum, & harmoniam leges efficiunt. Principes igitur, qui leges contemnunt; Rẽp. omni ornamento nudant, & de statu conuellunt, & omni crudelitate dilacerant. Non igitur inconsiderate quidam homines doctiſsimi hoc discrimen inter Regem, atque Tyrannum esse decreuerunt, quod Tyranni imperiũ legibus solutum, & infinitum sit; Regis vero imperium legibus, & æquitate definitum. Itaque præclare Theodosius, vt ostenderet, quam longe a tyranni immaniſsimis moribus abesset, se legibus alligatum esse professus est. Præterea, quæro, quis vnum hominem ad tantam dignitatem extulit, vt reliqui omnes illum venerabundi suſpicerent, colerent, obseruarent? illius imperium sine vlla recusatione sequerentur? quis illius statum omnium ciuium studio, caritate, atque fidelitate muniuit? quis autem, vt de reliquis sileamus, efficit, vt omnes nos Regem puerum, qui decem annos natus est, certatim amemus, obseruemus, veneremur, atque adeo pro illius salute, & dignitate mori cupiamus? Leges profecto, cum leges dico, non leges tantum, scripto quod volũt sancientes; sed etiam publice receptos mores, qui eãdem omnino vim habent, intelligo. Princeps igitur, qui legibus interitum affert, impius, atque parricida est. Leges enim, quæ eum in lucem ediderunt, aluerunt, & auxerunt, quantum in se est, de medio tollendas curat. Deinde furiosus, & amens est: status enim sui præsidia conuellit, potentiæq. suæ neruos elidit, cum leges, quibus illius salus, & dignitas, & imperium nititur, euertit. Possunt illæ quidem ferri, si nondum latæ sunt; aut emendari,

Legis definitio.

Regis & Tyranni discrimen.

dari, si ita tempus, & ratio flagitat; aut æqua interpretatione molliri, si duriores visæ fuerint; negligi vero, aut violari, aut contemni, sine summa Principis ignominia, sine dignitatis totius interitu, sine Reip. peste, atque pernicie non possunt. Sed occurrit alia adulatorum turba, prudentiæ nomine commendata, qui, vt se in gratiam Regum insinuent, illis persuadent, eos esse supra leges. Cambyses, Cyri filius, cum vellet sororem, quam perdite amabat, sibi matrimonio coniungere, de Magis quæsiuit, vtrum id legibus liceret. negant illi, matrimonium illud apud Persas esse communi iure concessum; esse tamen apud illos legem, quæ decerneret, Regibus licere quidquid liberet: ea igitur lege matrimonij illius licentiam Regi permitti, quæ erat alijs omnino præcisa. Anaxarchus, cum Alexander, ob Clyti necem, quem occiderat, in summo luctu versaretur, his verbis Regem a mœrore auocauit; Num ignoras, o Rex, Themim, atque Iustitiam, a sidere Ioui, vt, quidquid illi cordi fuerit, confestim sanciant? Quod quidem ille sic interpretabatur, vt omne, quod Regibus facere collibuisset, ius, & fas esset, quamuis id nefarium, & iniustum multis esse videretur. Thrasymachus Calcedonius, Principum vtilitate, & libidine ius omne definiebat: iustitiam enim in eo sitam esse dicebat, vt subditi Principum iussis obtemperarent; Principes autem omnia ad vtilitatem suam reuocarẽt; & ita fieri, vt nihil aliud esset ius, quam eorum, qui plurimum in Rep. possunt, vtilitas: vnde concludebat, Iustitiam esse bonum alienum, & malũ proprium. mihi enim, si iustitiam colerem, iustitiam nocere; illisq. tãtum prodesse, quorum vtilitati seruiebam. Sed, quorsum hæc in medium attulimus? vt planius intelligatur, numquam in Regnis, & ciuitatibus homines sceleratos defuisse, nec hodie deesse, nec vllo vmquam tempore defuturos, qui Principes erroribus turbulẽtis inficiant. Quibus quidem illi annumerandi sunt, qui, cum se iure consultos existimari velint, Regibus persuadent, illos omnino solutos esse legibus. At inquies, Cæsarem Octauianum olim senatus decreto fuisse legibus solutum. Quid mirum? Armis enim, & potentia Cæsaris afflicta Resp. nihil aliud poterat libere decernere, nisi se libertatem amisisse: cum igitur Cæsarem legibus soluebat, illum plane Tyrannum nominabat. fuit quidem ille natura clemens, atque benignus; qui tamen Tyrannum fuisse negauerit, mentis expers existimandus erit. si enim Tyrannus est, qui imperat inuitis, qui non populi vtilitatem præcipue, sed propriam dominationem, & emolumentum respicit; quo modo Tyranni nomine carebit is, qui oppressit armis Remp. qui omnia consilia ad amplificationem suæ potentiæ reuocauit? cuius imperium non fuit vllo iuris termino circumscriptum? Nos autem hoc in loco non de Tyranno, sed de Rege disseruimus. Regis autem officium esse disputamus, leges sanctas habere, earum mentem intueri, illarum sanctionibus obligari. si enim Lex est recta ratio, deterrens a flagitijs, & ad studium honestatis impellens; Regisq. officium sit, omnes flagitiorum labes a Rep. summa contentione repellere, & studia laudis, & dignitatis excitare; quid magis illius muneri consentaneum esse potest, quam se legibus adstrictum profiteri? sic enim magis exemplo, quam imperio, Remp. facillime gubernabit. Inquit tamen adulator, Imminuis tu quidem Principis maiestatem; immo tu auges amentiam. Parui, & angusti animi est, vereri leges. Immo profligati, atque perditi, eas despicere. Non est Regium, habere voluntatem alligatam. Immo nihil magis Regium est, quam vinculis arcere libidinem. Miserum est, non facere omnia, quæ velis. Miserius certe multo est, velle facere, quod non licet: id tamen longe miserrimum, posse facere, quod ita velis. Vt enim amẽs, & furiosus, quo se confidentius ferro succinxerit, eo facilius in se pestem machinabitur; ita tyrannus, quo maiores opes habuerit, eo grauiorem sibi calamitatem importabit: hoc autem statuendum est, fieri nulla ratione posse, vt nõ seruiamus. Aut enim legitimum rationis imperium sequimur; aut importunæ tyrannidi libidinis obtemperamus: si rationem sequimur, laudis, & diuinitatis serui efficimur; si vero libidinem, dedecoris, atque turpitudinis dominatu premimur. Plurimum vero inter vtramque seruitutem interest. seruitus enim, quæ honestati paremus, non est proprie seruitus, sed libertas appellanda. si enim libertas est facultas viuendi, vt velis; certe, cum naturamentis nostræ sit honestatis appetens, & a turpitudine vehementer abhorreat; sequitur, vt, cum seruit honestati, id faciat, quod vult; cum vero seruit libidini, id inuita moliatur, quod eam importuna vis cupiditatis facere compellit. Ego igitur, cum Regem legibus adstringo, illius libertatem, atque dignitatem tueor; tu vero, cum eum legibus soluis, eum efficis assentatione tua libidinis effrenatæ mancipium. Præclare Demaratus, cum apud Xerxẽ exsularet, eum admonebat, vt Lacedæmonios, qui Thermopylas infidebãt, congressum formidaret: non enim inquit, omnino liberi sunt, legibus enim seruiunt: ita, vt pro illarum sanctitate minime dubitent vitam profundere. Quod autem Demaratus prædixit, euentu comprobatum fuit. omnes enim pro libertate Græciæ, vt eos leges facere admonebant, fortiſsime dimicantes occubuerunt. vnde colligitur, leges non modo in pace Remp. florentem, omnibusq. bonis affluentem reddere; verum etiam in bello fortem, strenuam, & inuictam. Tollunt enim discordias, animosq. militum fœ-

Regis officium, quod.

Iustitia, bonum alienũ, & malũ proprium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dere firmo consociant, ignauiam plectunt, virtutem remunerant, signa sequi, ordines seruare cogunt. Vnde factum est, vt omnes Respublicæ, quæ fuerunt olim legibus optime constitutæ, imperium latissime propagarẽt, & tamdiu in eo permanerent, quamdiu leges apud eas plus rebus omnibus valuerunt. At, postquam leges hominum potentium libidine conuulsæ sunt, ne vestigium quidem pristinæ dignitatis, & imperij in aliqua illarum remansit. Cum igitur Reip. salus, dignitas, ornamentum; cum regis ipsius officium, maiestas, & amplitudo; cum pax, libertas, omniumq. bonorum affluentia; cum Regni securitas, imperium, & propugnaculum, in legibus constitutum sit; possumusne quidquam facere conuenientius, non solum ad tollendam inflatę elationem, verum etiam ad ipsius Regis statum valido, atque firmo præsidio muniendum, quam inculcare illius animo, vt neque se, neque quemquam alium plus in Rep. valere patiatur, quam leges? Hoc igitur remedium, quod in iure consistit, non opinor negabitis esse commodum, atque salutare. Sed aliud adhuc restat, ad arrogantiam sedandam (vt arbitror) efficacius. Quid? inquit, T. aliquidne potest esse ijs remedijs, quæ attulisti, ad arrogantiæ morbum sanandum vehementius? Potest quidem, inquam, meo iudicio. Quod illud tandem, inquit, est? Pulchritudinis, inquam, veræ cognitio: vos igitur admoneo, vt me nunc multo attentius audiatis: de pulchritudinis enim elegantia, & venusta te, de decoris excellentia, de amoris vi, atque ratione, de morbis, qui amorem sæpenumero consequuntur, ed isseram. Hic M. ridens, inquit, Quod ad pulchritudinem, & amorem attinet, auditores habes, minime ab ista materia, quam tractandam susscipis, alienos. nimis enim diu nos amor, atque vehementer afflixit. Nunc autem, partim, quia suspicor eam disputationem nobis non mediocri voluptati fore; partim vero, quia scire aueo, quid amor, aut pulchritudo valeat ad arrogantiam minuendam, multo libentius tibi operam dabo. Id quidem, inquam, ostendam, si potero. Dixi, si meministis, omnem tumorem animi, omnem insolentiam, atque fastidium ab illo amore nasci, quo se quisque plus omnibus rebus amat. Id quidem, inquit T. memoria tenemus. Id etiam (inquam) velim recordemini positum esse, amoris insani vi, mentem excæcari. id secuti quidam sunt, vt amorem cęcum fingerent. Cum vero hic amor, quo nos ipsi amamus, omnium vehementissimus plerumque sit; consequens est, vt nos omnino, nisi fuerimus in nostri custodia vigilantes, mentis oculis orbet, animisq. nostris maximas tenebras offundat. Qui quidem tanto plerumque maior est in Principibus, quam in reliquis hominibus; quanto plura illis suppetunt amoris huius lenocinia. Sic autem euenit interdum, vt is, quem sapientissimum esse oportet, summa amentia perturbetur. Possumus ne igitur quidquam elegantius facere, quam amori oculos restituere? nec enim ferendum, est, vt venustatis, & elegantiæ, & totius pulchritudinis ardens studium, exsecranda cæcitate laboret; ita, vt pro pulchris sępenumero deformia furenter amplexetur. Quod ne eueniat, vtilissimum arbitror, demonstrare, quæ sit vera pulchritudo. Amor enim, nisi specie pulchritudinis obiecta, excitari non potest. Est enim Amor (vt iam dictum est) pulchritudinis, & honestatis appetitus, cum ardenti cupiditate illius fruendæ coniunctus. Vt igitur omne, quod est turpe, ineptum, & indecorum, offendit oculos, alienat animos, & ab amore auertit; ita, quidquid est venustum, & elegans, oculis gratum, & iucundum est, & animos ad se amandum inuitat, & allicit. Qui igitur se nimis amat, se valde pulchrum opinatur: aliter enim se amare non posset. Numquam ne vidistis, deformem, & infulsam mulierem, amore sui ipsius insanire? hoc certe fieri non posset, nisi se pulcherrimam iudicaret: hac autem stultitia fit, vt iucunde interdum viuat; ita tamen, vt risum multis moueat. Ad hunc modũ statuite, hominem, qui sibi valde placet, hæc secum cogitare: Næ ego bellus sum, & mihi pulchre est: lepore enim, & venustate circumfluo: huius autem morbi remedium quod salutarius excogitari potest, quam veram pulchritudinem oculis intueri? fiet enim, vt, qui se fine ratione, atque sine riuali, (vt aiunt) amabat, multum de illo amore, aut potius insania remittat. Quod si Regi hoc persuaderi (vt confido) potest, totum negotium confectum existimabo. Vultis ne igitur, illi pulchritudinis rationem tradamus, ne vmquam sine ratione, vel se, vel quidquam aliud amet? Immo, inquit, T. percupimus. Meditabor, inquã, igitur, an illum possim in meam sententiam hac ratione traducere. sic igitur existimate me cum illo loqui. Sæpenumero, Princeps maxime, & potentissime, venit in mentem mihi, admirari, quid sit illud, quod impulerit hominũ multitudinẽ, ad tantum honorẽ vni homini deferendum; vt illũ omnes amẽt, illi obtẽperent, illi seruiant, ex illius vultu pẽdeant, illum denique in Dei loco venerentur. Quod quidem non temere, neque sine caussa fieri videtur. id enim, quod in omni loco ab omnibus tanta consensione fit, nec ad fortunæ temeritatem, nec ad hominum statuta, sed ad naturæ legẽ videtur esse referendũ. Quæ autẽ gens est, aut tãta humanitate culta, aut tã immanis, & barbara, apud quã Regis nomẽ non sanctissimum habeatur? in quanto autẽ amore Reges sint omnibus, vel ex hoc intelligi potest, quod, quoties pedẽ extra limen efferunt, pueri cursitant, viri festinant, senes quantum possunt accelerant: virgines etiam, & honestę mulieres pudore teneri non possunt, quo minus

Amoris insani vi, mẽs excæcatur.

nus exeant, vt illius adspectu fruantur. Quacumque autem vehitur, omnes illi omnia bona precari, manus in cælum tendere, & faustis acclamationibus studium suum apertissime profiteri. Hoc igitur cum non raro, sed plerumq. non ab vna gente, sed ab omnibus fieri videamus, tanti amoris caussa est nobis diligentius exploranda. Non enim aliquid humanum, sed Diuinum videtur esse id, quod tam ardens studium multitudinis incendit. Et re vera, cum imperandi munus Diuinum sit, consentaneum est, vt arbitremur, illud ipsum, quo Reges excellunt, non mortale, & caducum esse, sed cæleste, atque plane Diuinum. Illa igitur tam clara, & illustris Regum species, quæ tam admirabiles amores excitat, velim scire, vbi consistat; num in summis opibus, & imperio? Minime. non enim Regis dignitas ex imperio pendet; immo totius imperij decus est ex Regis amplitudine petendum: nec enim summum imperium principem flagitiosum exornat; Princeps autem honestate præcellens, plurimum toti Regno dignitatis, & honestatis adiungit. Et opes quidem per se, non conciliant amorem, sed inuidiam conflant: at nos in Rege quærimus id, quod homines illius amore incendit. Quod si imperium totius honestatis Regiæ caussam contineret; sordidissimus quisque posset, si aliquo Reip. peccato ad imperium peruenire, potentia, & opibus insitas sordes eluere. Quod longe secus est. si enim quoduis munus viro alicui permissum, qualis sit ille vir, ostendit; certe multo magis Regiũ munus, quis sit illo vel dignus, vel indignus, indicabit. Ibi enim maxime conuincitur amentia, vbi sapientia summa requiritur: ibi facilius deprehenditur ignauia, vbi virtus eximia flagitatur: ibi dedecus animos grauius offendit, vbi maius exemplum decoris, & honestatis expetitur. Iccirco factũ est, vt, quamuis immanes Tyranni ingentes opes habuerint, nullum ex imperio decus assequerentur, sed omnes sceleris infamia conflagrarẽt. Præterea aliud est ipsa dignitas, aliud id, quod dignitate comparatur. Ineptissimũ igitur est, cum inquirimus, quid illud sit, quod Reges imperio dignos efficiat, ipsi imperio causssam totius dignitatis adscribere. Præterea id, quod Regem honestum, & admirãdum facit, non est extra Regem, sed in ipso Rege collocandum. Aliter enim non Regi honorẽ, sed opibus illius haberemus. Quo igitur indignius est tua maiestate, te non propter te, sed propter opes tuas obseruari, eo pluris facere debes obsequium hominis, qui tam sedulo perueſtigat illud, quod nomen tuum luculenter exornat, vt omnes honores posthac non opibus tuis, sed tibi ipsi deferantur. Summa autem hæc est, cum de Regis pulchritudine disserimus, vt non pulchrum imperium, neque pulchrum aurum, neque pulchras vestes, neque pulchra monilia, sed pulchrum Regem exquiramus. Illa igitur pulchritudo tua, quæ tantum tibi amoris, & gratiæ conciliat, vbi sita est? num in corporis istius specie? fateor equidem, neque tibi formam Regiæ dignitati congruentem, neque oris decus, & elegantiam deesse; sed illud cogitare debes, si tantum esset corporis formæ tribuendum, cum multæ virgines sint, & non pauci forsitan adolescentes, qui te corporis venustate superent; sequi necessario, vt vniuersa ciuium multitudo, te relicto, eos, qui te pulchriores essent, admiratione quadam attonita sectaretur. Præterea quiuis morbus (quod omen Deus auertat) facile istum cãdorem inficere, & speciem deformare potest. Vt autem nihil aliud interueniat, ætas certe ingraueſcens faciem istam rugis exarabit, omnemq. florem venustatis exstinguet. quod si propter formam corporis amandus esses, cum formæ interitu, tuorum in te amor, & studium tui nominis interiret. Nos igitur in te, non virginis speciem, & venustatem, sed Regis excellentem dignitatem intueri cupimus; eamq. minime Regiam formam arbitramur, quam morbi vis contaminat, ætas deflexa corrumpit, vitæ pestis interimit, sed quæ semper eodem lumine splendet, & ne morte quidem exstingui, atque deleri potest. Restat igitur, vt hæc tam illustris species, quam non præsentes tantum, sed etiam absentes admirentur; quæ non paucos homines, sed innumerabiles ad sui amorem excitet; quæ non in vita tantum, sed multo etiam clarius post mortem omnium commemoratione vigeat; non in corpore, sed in animo collocanda sit. Opus est igitur, vt altitudinem tuæ mentis excites, & ingenium istud præclarum ad considerationem Regiæ formæ conuertas. Itaque operæ pretium erit, vt id fieri facilius possit, vim, & rationem pulchritudinis explicari. Est autem pulchritudo, forma conueniens, & apta, modo, & ratione dimensa, claritate coloris illuminata, omnes partes continens inter se mirifice concinentes: & ratio quidem pulchritudinis eadem propemodum est in rebus omnibus, quæ pulchræ sunt; ita tamen, vt, quo res natura præstantior est, eo pulchritudo illius admirabilior sit. Sint igitur pulchræ vestes, pulchri torques, pulchræ gemmæ: fulgentes etiam, & instratæ sellæ pulchræ sint: dum modo intelligatur, corporis speciem, & pulchritudinem, multum inter omnes res pulchras, quę oculis cernimus, excellere. Inde factum est, vt nemo vmquam amore, vestis pulchræ, vitam in discrimen intulerit; & multi pulchri, corporis amore, mortem sibi consciuerint. Non enim, vt est apud Plautum, vestem amatores mulieris amant, sed vestis fartum. Quod si tantas vires habet amor, insigni specie corporis excitatus, vt multos stupore mentis opprimat, & ad insaniam redigat; quantam tandem admirationem commouebit

Imperandi munus, Diuinum.

Pulchritudo quid.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bit animi pulchritudo, mentis, oculis vsurpata? an non est consequens, vt, quemadmodum nihil esse potest, in omni natura, mente, & ratione præstantius; ita nullum decus sit animi decore magnificentius? Accedit, quod nemo ex amore huius pulchritudinis insanit; sed potius miros sapientiæ fructus excipit. Vt autem melius possimus, quanta sit animi dignitas, intueri, commodum erit illius partes ora tione perstringere. Prima igitur pars est mens, & ratio, cum mente Diuina, & muneris similitudine, & cœlesti (vt ita dicam) agnatione coniuncta. Huic deinde pars illa subiecta est, in qua irarum ardor exsistit, contumeliã, & indignitatem acri contentione repellens. Tertia pars est voluptatis appetitio, ea, quæ videntur suauia, atque iucunda, vehementer arripiens. His autem singulis partibus aliæ subijciuntur, quas, ne longior sim, quam instituta ratio postulat, omitto. Cum vero hæ partes omnes numero, & modo continentur, & ratione coniunguntur, & mentis lumine collustrantur; tantus ex illis ornatus exoritur, vt Diuinam pulchritudinem, & dignitatem referant. Nec enim flagitiosa voluptas animo dedecus inurit; nec inanis dignitatis species mentem de statu conuellit; nec vllus tumultus excitatur, qui rationem perturbet. Honoris enim studium rationis imperium sequitur; voluptatis autem libido, honestatis moderatione comprimitur; mens autem, & ratio clarissimũ lumen præfert; atque pro iure suo moderatur obtinet. n. natura in animo principatum; partes languentes incitat, impotentius elatas coercet, & singulas sedib. proprijs continet, &, quousque illis progrediẽdum sit, lege præscribit. Itaque dissipata coniungit, dissoluta conglutinat, omniaq. lege, & ordine moderatur, & magnitudine Diuini cuiusdam splendoris, & claritatis illuminat. Sic autem fit, vt nihil impedire possit rationem, quo minus vitæ finem videat; &, quo sint omnia studia referenda, cognoscat: &, quid sit verum, & rectum, & simplex, sapienter exploret; & statui totius animi consilio salutari prospiciat. Illa vero pars, in qua summa decoris appetitio, & turpitudinis acris offensio viget, numquam temere ruet; illudq. tantum certamen inibit, quod rationis imperio fuerit institutum. Nec illa quidem pars, quæ voluptates exquirit, immoderate iactabitur; nec ita se proijciet, vt animo dedecus inurat, & pro voluptate grauem dolorem efficiat. Ergo, cum voluptas cum honoris appetitu consenserit; honoris autem, & laudis studium a rationis imperio minime desciuerit; exstabit, & eminebit illa summa dignitas, & pulchritudo, admirandaq. honestatis elegantia, qua nihil possit aptius, & conuenientius, & illustrius excogitari. Hinc autem colligitur, illos tantum esse pulchros, qui sunt sapientes, & fortes, & moderati. Quid enim esse potest amentia, & temeritate deformius? quid vel præcipiti ambitione turbulentius, vel timiditate, & ignauia turpius? quid libidinis immanitate flagitiosius? hæc enim mala animi totius statum euertunt; decus insigni flagitiorum omnium labe maculant; omnemq. pulchritudinis elegantiam fœde, atque flagitiose contaminant. Accedit ille angor, & cruciatus, quibus assidue torquentur illi, qui animum flagitijs deformatum gerunt. Vt enim animi pulchritudo est cum a*sijs omnibus, tum illi ipsi, in quo inest, amabilis, atque iucunda; sic deformitas, & turpitudo non alijs tantum, sed etiam illis ipsis, qui ea deprauati sunt, est odiosa, & inuisa, grauissimisq. in omni vita supplicijs obnoxia. Ex quo sequitur, omnes deformes esse miseros, & calamitosos; pulchros autem, florentes, atque felices, omniq. stabili, & firma voluptate, & singulari gaudio cumulatos. Cum igitur nemo diu amari possit, nisi pulcher sit; pulcher autem nemo sit, nisi qui & sapiens, & magnanimus, & in omni vita moderatus est; efficitur, si vere te omnes tui amant, vt his laudibus omnibus cum omnium admiratione circumfluas. Præterea, cum Pulchritudo nihil sit aliud, quam illarum partium, quas memorau, lumen, consensus, & conspiratio: Iustitia vero sit animorum concordia, partium conuenientia, stabile fœdus, atque firma conuentio, & prudens, & fortis, & apta moderatio; concluditur, omnem clarissimæ formæ dignitatẽ, splendore iustitiæ contineri. Primum igitur videamus, an sis iam sapientiam assecutus: labi enim, errare, decipi, cum omnibus flagitiosum, & turpe sit, tum illis, qui reliquos homines prudentia, & moderatione sua tuendos suscipiunt, longe turpissimum. Quod si nondum sapientiam es adeptus, nec alijs quidem laudibus ornari poteris. Nec enim fortis est is, qui non intelligit non esse cõtra animi dignitatem, sed pro dignitate dimicandum, & omnem viam verissimæ dignitatis ignorat; neque moderatus is, qui modum, & rationem, qua est coercenda libido, omnesq. partes animi in officio continendi, non tenet. Iustitiæ vero laus cum in illarum partium conuenientia, & moderatione consistat, qua tandem ratione exstare poterit in illo, cuius animus fuerit partium dissensione perturbatus, & immoderatione cupiditatis euersus? Ergo, vbi sapientiæ studium non viget, ibi nullus splẽdor honestatis eminebit. Sin autẽ iam tibi sapientiam parasti, qua non te solum, sed vniuersam Remp. feliciter regas, quæro rursus, vnde illã accepisti? Benignitate tua singulari fretus, o Princeps humanissime, hæc omnia scrutor, omnibusq. vestigijs indago; confidoq. futurum, vt, cũ intellexeris, quo animo hæc adeo curiose vestigẽ, mea sedulitas minime tibi molesta sit: non mediocrem enim, opinor, fructũ ex ea percipies. Hoc igitur scire sane velim, num tu ipse sine vllo magistro sapiẽtiam assecutus

Sapientia, honestatem omnẽ continẽs.

cutus sis; an illius magistrum habueris. Si per te nixus ad sapientiam peruenisti, vehementer admirabor. Si enim ne aleã quidem ludere quisquam potest, nisi sibi magistrum ludendi peritum adhibeat; quo tandem modo quisquam sapientiam, rem vnam omnium clarissimam, atque difficillimam, sine doctrina percipiet? Si vero sapientiæ Regiæ magistros habuisti, rursus quæro, an illi fuerint ostentatione tantum, & leuitate; an verissimo studio, & vitæ grauitate, & constantia sapientiæ disciplinam professi. Deinde, quo modo id constare tibi potuerit. Vt autem plane constiterit, cupio scire, quanta illis attentione aures præbueris; postremo, quãtum temporis in artem tam vtilem, & necessariam contuleris. Nec enim res tam præclara a quouis magistro tradi, aut quauis animaduersione percipi, aut breuissimo tempore perdisci potest. Ergo, cum vt alia omnia tibi fuerint ad sapientiam comparandam valde opportuna, tamen & ætatis puerilis impetu, & temporis angustis admodum spatijs exclusus, sapientiam assequi nequiueris; reliquum est, vt minime tibi sapientiam arrogare debeas. Quod si nondum sapiens es, (pace tua dixerim) ne pulcher quidem habendus es. Quid igitur est, quod in te tam vehementer amemus? ingenium mirabile, indolem ad virtutem plane Regiam, spem denique ipsam, quam de futura tua pulchritudine, & dignitate concipimus. Nec enim dubitamus, quin, si istius præstantis naturæ vim excitaueris, & te diligenter ad disciplinam honestatis applicueris, & homines ad tuam familiaritatem in omni genere virtutis excellẽtes adsciueris, fis ad illum sapiẽtiæ gradum peruenturus, in quo Diuinæ in te formæ splendor eluceat. Tibi igitur tunc dulcis, & amabilis, atque iucundus esse poteris, hominumq. admirationem commouebis, tuorumq. voluntates ad te amandum vehementer allicies: nec enim tunc te libidinis impuritas inquinabit; neque mortis metus a pulcherrimis factis auocabit; nec vlla dementia te opprimet: &, cum firme constitueris, aut honeste viuendum, aut honestatis retinendæ gratia moriendum, nullum periculum, quod ad augendam, & amplificandam dignitatem pertineat, effugies. Nulla igitur tunc labe commaculari poterit tam excellentis decoris amplitudo. Et, cum omnes turpitudinum notas summa contentione vitaueris, tum vel maxime illud insigne dedecus a te lõgissime propulsabis, quod superbia, & arrogantia continetur. Nihil est enim inani mentis elatione, & leuitate furiosius, atque detestabilius. Si igitur hæc tam dira pestis in animum tuum inuaserit, & tibi falsa specie grauitatis illuserit, omnes opes honestatis tibi detrahet, odiumq. in te omnium hominum acerrime concitabit. Vt enim voluntates humanitate, & modestia conciliantur; ita fastidio, & insolentia offenduntur.

Elatione mẽtis nihil detestabilius.

Præterea, si, perditorum hominum sermonibus inductus, existimaueris, nihil iam tibi ad summam gloriam deesse; languescet industria tua, studiumq. virtutis omnino restinguetur, nec ad eam laudis amplitudinem, ad quam te naturæ præstantia vocat, adspirabis; sed, fallaci honestatis imagine delusus, sempiternum dedecus, & ignominiam subibis. Quo enim indoles animi tui clarior est, eo turpius erit ignauiæ detestandæ flagitium. Nullam igitur opem afferunt tibi quidem homines perditissimi, qui ita omnia tibi tribuunt, quasi iam pridem sis dignitatem istam, de qua disserimus, assecutus: immo tibi pessime nocent: excellenti enim mentis istius altitudini impedimento sunt, quo minus decus immortale sibi comparet. Quo modo enim summa contentione pugnabis, vt ad amplitudinem dignitatis summæ peruenias, si, te iam eam plane consecutum esse, suspicatus fueris? at sine ardenti studio, sine summa industria, sine acri totius animi contentione, nemo vmquam poterit specie, & claritate Regiæ dignitatis excellere. Quare tam sceleratam hominum nationem, qui tibi dedecus æternum imprimere volunt, a te repelle; tuæq. naturæ bonitatem consule; &, quantum opibus excellis, tantum te submitte; omniumq. te commoditatibus, qui imperio tuo continentur, accommoda. nec enim in summis opibus inaniter extolli, sed in maxima potentia animum moderari, maximam dignitatem conciliat; neque plurimum sibi quemquam tribuere, sed ad altissimum dignitatis gradum eniti, excellentem gloriam parit. Quattuor autem vitijs illos contaminari necesse est, qui insolenter efferuntur; amentia nempe, & humilitate, & inhumanitate, & impietate. Quid enim amentius, quam minime videre, quam fluxa, & caduca sint omnia, quæ versantur in vita; quam breui res humanæ commutentur; & quam graues, & inopinati casus opes valde florentes euertant? quid humilius, & abiectius, quam humi defixam mentem habere, nec cœlestia, atque sempiterna, sed terrestria tantum, & mortalia contueri, opibusq. fluxis, & interituris extolli? quid inhumanius, quam homines reliquos contemnere, nec vllo sensu communis doloris ad misericordiam commoueri; sed vltro etiam in alienis calamitatibus insultare? quid scelestius, quam ita quemquam in opibus suis gloriari, quasi eas non a Deo accepisset, sed ipse viribus, & industria sua omnes illas sibi parauisset? Itaque homo superbus, & insolens, in odium hominum irruit; & odium grauissimum in se cœlestis numinis accendit. Non igitur poterit vllo modo vlla veræ pulchritudinis species esse cum superbia coniuncta. Is igitur tantum, qui est sine ostentatione sapiens, sine temeritate fortis, sine desidia moderatus, sine anaritiæ suspicione

Universidad de Deusto
Biblioteca

frugalis,sine leuitate magnificus; ita grauis, vt non insolescat; ita modestus, vt non contẽnatur;qui omnes opes suas in communem vtilitatem conferendas arbitretur;neque se sibi, sed patriæ natum existimet;& pulcher, & honestus,& clarus,& illustris est, & gratus, & amabilis,atque iucundus, summoq.imperio,& gloria immortali dignissimus. Hæc autem tã Diuina forma, facilius haberi, quam simulari potest. Vt enim mulieres, falsi candoris, atque ruboris medicamentis infectæ, acres etiam interdum amatores, immunditia mentiti coloris, offendunt, &, cum primum illitus fuco color eluitur, id vitium, quod illæ emendare conabantur,magis apparet;ita,qui sapientiã, & virtutem simulant,ipsius picturæ fallacis odio homines a se abalienant;&,cum breui omne,quod est simulationis artificio tinctum, ad naturam suam redeat,euenit, vt flagitia, quæ latere videbantur, in odium multo acerbius incurrant. Et mulierum quidem fraus multo leuior est: minus enim nocet, & damnum illud ad pauciores pertinet, & in eo sunt aliqua venia dignæ, quod eam pulchritudinem,quam vehementer expetunt,si deformes natura fuerint, studio adipisci nequeunt, ita, vt quodammodo faciem medicamentis illinere compellantur. At,qui honestatis personam induunt, cum sint flagitiosi,& impuri,capitales sunt, & pestem in Remp. vniuersam machinantur, & illius Regis simulationem sustinere contendunt, quam studio, & disciplina consequi potuissent. Formam enim corporis fingere non possumus; animi vero formam possumus. Cum igitur nihil amari constanter, atque dilĩgi possit, nisi pulchrum,& elegans, & decens sit, verissimæque dignitatis opibus illustratum; & cum dignitas, & pulchritudo non in amplitudine imperij, nec in magnitudine pecuniæ,nec in venustate corporis, sed in animi cultu sita sit, qui quidem in sapientiæ splendore, in virtutis robore, & constantia, & in modestiæ laude, & ornamento consistit; quid aliud in omni vita faciẽdum est ijs, qui amari, qui diligi, qui in omnium ore versari,qui gloria immortali frui cupiunt nisi, vt, rebus alijs neglectis,malis suasoribus repudiatis, & bonis, & sapientibus ad suum nomen adiunctis, arrogantiam, & fastidium exsecrentur,totoq. pectore in studium sapientiæ, virtutis,& moderationis incumbant? Ergo,si laude circumfluere, si omnium prædicatione celebrari,si ardenter ab omnibus amari pulchrum existimasti, si vmquam ad cupiditatem immortalitatis exarsisti; sapientiam inflammato studio consectare, virtutis inuictũ robur assume, toto animo elegantiam moderationis amplectere, easque laudes omnes ad Reip. tibi commissæ fructum accõmoda;& sic demum eam formam indues, quam omnes ament,admirẽtur,atq. suspiciant,immortaliq. laude celebrent. Habes summum ingeniũ:habes naturam ad res maximas strenue gerendas aptam,& habilem: habes animum gloriæ studio ardentissime concitatum: habes opes summas: fac igitur,vt,cum tantis & naturæ,& fortunæ opibus abundes, tibi ipsi ne desis; &, cum aliquod pulchrũ facinus obieris, aliquod præclarius, & excellẽtius esse cogita, ad quod sit tibi omnibus viribus enitendum. Parui nãque animi est, mediocri laude esse cõtentum, & non maiora semper, & altiora moliri. Euenit igitur, vt, si identidem ad tuas pristinas laudes aliquid addendum curaueris, in animo tuo nouus quotidie ornatus oriatur,& dignitatis tuæ species clarioribus in dies opibus illustretur. Quamuis autem ad excellentem dignitatem acri quodam studio,& summa contentione peruenias, illud tamen reputare debes, nihil esse tam excelsum, atq. magnificum, quo non sit illud,ad cuius exemplum effictum, & informatum fuit,multo altius,& magnificẽtius. Vt enim in reliquis rebus est quædam naturæ perfectio, cuius participatione,& similitudine res singulæ cohærent,& in natura consistunt;ita,in pulchritudinis ratione,est quædã species sempiterna,ad cuius similitudine omnia,quæ honestate excellunt, efficta sunt. Hęc est illa pulchritudo, quæ nulla labe maculari, nullo vitio contaminari,nulla ægritudine corrumpi,nulla vetustate deleri potest; cum summa, atq. sempiterna sit; sibiq. similis in omni æternitate permaneat; totiusq. honestatis in se fontem, & principium contineat; & omnibus rebus splendidis,& honestis claritatis, & honestatis causam afferat. Hanc igitur intueri, hãc amare, hanc imitari conuenit omnes, qui magni viri futuri sunt,&hominum immortali memoriæ consecrandi. Non solum igitur opus est, vt maiorum tuorum exempla tibi imitanda proponas, sed multo etiam magis in Diuina pulchritudine mentem tuam defigas, vt illius similitudine conformari, & opibus excitari possis ad summam decoris,&laudis excellentiam. Sic autem te præsentes intuebuntur,absentes tui desiderio flagrabunt, de te omnes loquentur, laudes tuas in cælum ferent,nomen tuum nulla vmquam inobscurabit obliuio. Hæc me Regi dixisse putate. vestrum autem est,admonere,quæ sint huic orationi detrahenda,vel adijciẽda: vt, si fuerit aliquando necesse illa vti, non prorsus ineptus existimer. Quamquam ineptiarum suspicionẽ vitare non potui, cum in ficta causa tam lõga oratione vsus fuerim. Sed soli sumus; & otio nunc abundamus;&,si quid ineptum nobis excideriit,secretum tenebimus. Oratio quidem, inquit,M. bene longa fuit; sed ea iucunditate conspersa, vt confidam fore, vt facile in animum Regis insuat. Id quidem,inquam,si fiet, non tam orationis iucunditate, quam Regis ipsius benignitate fiet. Sed velim intelligatis, quid actum sit. Tribus enim rebus(si meministis)diximus,virtutem tradendam esse; institutione,

tutione, legibus, & disciplina. Primum enim, est animus moribus honestis imbuendus;deinde, legibus instituendus; postremo, ratione, atque disciplina confirmandus. de morum constitutione non pauca diximus: de legum etiam sanctionibus multa disputauimus: non mediocrem vero sapientiæ disciplinam in honestatis ratione positam arbitramur: de qua a nobis hæc oratio habita est. Quod si hęc omnia ad Regis eruditionem conferantur, fieri certe poterit, vt nihil illo clarius exsistat. Cum enim ratio, & disciplina non pugnat cum legibus, & leges cum institutione puerili consentiunt; non potest animus tumultuari, & in contrarias partes distrahi; & ita fiet, vt, omni perturbatione vacuus, quid optimum factu sit,in vita,perspiciat. Quamuis igitur nihil aliud dicerem,hæc mihi satis esse viderentur. Sed hominum impudentium insidiæ,quas extimesco,faciunt, vt plura mihi dicenda putem. Quare,nisi vobis aliud videtur,reliquum est,vt statum Regis,moribus,& legibus,& ratione optime constituti, validis etiam præsidijs muniamus. Vt libet inquit, M. totum enim hunc diem tibi dicatum existima, vt institutam disputationem absoluas. Hic Portugalensis, Mea inquit sententia, sermo in pomeridianum tempus differendus est, vt commodius ad finem perduci possit. nunc enim commodum videtur, vt Solis ardorem vitemus, & valetudini consulamus. Tu vero, me autem nominabat, apud nos hodie manebis. Nescio, inquam, an id mihi per hospites liceat: & præterea erat mihi sermo de rebus magnis cum Michaele Valentino, homine religionis opinione præstantæ,statim post prandium habendus. Non poteris,inquit,vllo modo tergiuersari: nam, quod ad culpam attinet,ego pœnam,si qua tibi fuerit imposita,sustinebo; & sermo iste, quem dicis, poterit in aliud tempus commode reseruari. Non repugnabo,inquam, voluntati tuæ; maxime vero ob eam causam, vt, longioris temporis opportunitate, possimus intra hunc diem totam de Regis institutione disputationem concludere. Hæc vbi dicta fuere,in villam deducti ab illo sumus.

HIERO-

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIERONYMI OSORII LVSITANI

DE REGIS INSTITVTIONE, ET DISCIPLINA

LIBER SEXTVS.

POST prandium vero paullulum quieuimus, & varijs sermonibus animos ab illa disputandi contentione relaxauimus. inclinato deinde in pomeridianum tẽpus die, admonitus ab illis sum, vt impositum mihi munus exsequerer: quod quidem differre nolui. sic igitur interruptam orationem contexui. Iam & naturam Regis, & institutionẽ, & studium, & mores, & disciplinam oratione persecuti sumus: nunc vero restat, vt genera præsidiorum, quibus Regis status muniendus sit, oratione etiam complectamur. quod vt rectius videre possimus, referamus animos ad eos homines, quos pleriq. Reges in delicijs habent; & intelligamus, quæ sit eorum mens, qui sensus, quod studium, quid velint, quid nolint, quid sperent, quid metuant: vt tum demũ statuere possimus, quæ nobis præsidia comparanda sint. Hoc quidem, inquit T. scire cupio, quid faciat ad Regis præsidium, nosse mẽtem eorum, cũ quibus Reges iucundissime viuũt. Dixi, inquam, vobis, me non tantum ingenio valere, vt possim excogitare, quid Regis statum conseruet. cum tamen videam, omnes hominum istorum machinas ad Regis pernicie cõparari, opinor, quidquid fuerit illis aduersarium, salutem Regibus allaturum. Si enim constat, nihil esse tam infestũ Regibus, quam adulatores; consequens est, vt nihil magis Regium statum firmet, quam id, quod maxime est adulatorum menti, studio, cupiditati contrarium. Sunt enim Adulatores maximi amatores Regum, vt ante diximus. Amatoris autem est; multum de propria voluptate, parum autem de rei, quam amat, vtilitate, & existimatione cogitare. Quid enim, quæso, (vt illa similitudine vtar, qua iam superius vsus sum) cupit nefarius, & flagitiosus adolescens, qui virginem amat, nũ vt singulari pudicitia sit? vt bene, atque diligenter asseruetur? vt parentibus offensionem afferre non audeat? vt infamiam magis, quam mortem, horreat? vt denique religionem vnice colat? Non certe. Quid contra, parentes, fratres, cognati, & omnes, quibus illius vita, atque dignitas cara est? nihil aliud profecto, nisi id tantum, quod amatores exhorrent; nempe, vt bene morata, & singulari honestate prædita sit; vt numquam ad suam familiaritatem mulieres impuras admittat; vt honestarum feminarum familiaritatibus implicetur; vt exitus earum, quæ sunt amatorum libidinibus obsecutæ, reformidet; vt postremo sanctissimam religionem violare non audeat. Hoc idem igitur nobis faciendum est, quando aliam magis exquisitam rationem excogitare non possumus. Vt igitur, qui virginis famam tutam ab omni labe conseruare nituntur, id efficiunt, quod amatores molestissime ferunt; ita & nos, quibus Regis dignitas cara est, in ea pugnare debemus, vt Rex sit illis virtutib. ornatus, & illis præsidijs circumsæptus, quibus facillime possit amatorum effrenatas libidines, a suis opibus, atque dignitate cohibere. Est autem exploratum, adulatoribus, inutilem esse Regis pudorem, honestatem, vigilantiam, acumẽ, modestiam, atque sapientiam. Danda igitur opera est, vt his laudibus omnibus cumuletur; & sic in omnibus artibus, & studijs, id videdum, & faciendum est, quod valde sit ab adulatorum moribus, & institutis alienum. Cum vero nihil sit, quod eos magis excruciet, quam riualitas; fit, vt, perinde atque reliqui amatores nimis anxie reformidant, ne riualem habeãt pulchriorem, vel vrbaniorem, vel ditiorem, vel aliqua alia re præstantem; ita, qui gratiam Regis ambiunt, solliciti sunt, ne quisquam in Regis familiaritatem veniat, qui illos dignitate superet, & diligentissime cauent, ne Princeps vllo studio, & amore teneatur, qui illum ab eorum coniunctione diuellat. Non igitur solum omnes homines virtute præstantes oderunt, sed omnes etiam præclaras artes suspectas habent, & tamquam riuales molestissimos exsecrantur. Dant igitur (vt iam dictum est a nobis) obnixe operam, primum quidem, ne Rex se multorum hominum sapientia, atque virtute præstantium fidelitate, & beneuolentia sæpiat; deinde, ne statum suum litterarum cognitione, & maximarum artium disciplina communiat; postremo, ne Regnum, & imperium summo religionis studio, Diuiniq. numinis auxilio, & ope corroboret. hæc enim omnia illorum fraudibus aduersantur; & sunt eorum cupiditatibus vehementer infesta. Quid igitur aliud est nobis, qui omnia ad Regis dignitatem conferimus, faciendum, quam, vt hoc triplici præsidio, quod adulatores minime volunt, Regis statum muniamus? Hoc igitur saltem hominibus istis tam lepidis, & vrbanis, nos debere fatendum est, quod nobis Regis nostri non ornandi tantum, sed etiam tuendi

Adulatores, amatores Regum.

tuendi viam monstrant. Admonẽt enim, dum Regem euertere conantur, quid contra nobis ad illorum insidias præcauendas coparandum sit. Triplici igitur præsidio Regis opes muniendas statuo; bonorum hominũ coniunctione, artium maximarum cognitione, & religione, atque sanctitate. Vt autem de hominum auxilio primum dicam, hoc certe constat, nullum negotium, quod aliquam vtilitatem, vitæ contineat, sine multorum hominum auxilio confici posse. nec enim ex agro quisquam vberes fructus colligere; nec in re pecuaria cum magna vtilitate versari; neque mercatura rem augere poterit; nisi multorũ hominum opera, & industria fuerit adiutus. Magister autem nauis, nisi multorum nautarum operis vsus fuerit, quo modo cursum tenere, & nauem appellere ad portum optatum poterit? quid imperator, num sine multorum militum robore, & alacritate, & sine bonorum præfectorum opera, & consilio, bellum feliciter administrabit? Ne autem reliqua munera vitæ recenseam, (nec enim necesse est) hoc plane liquet, neminem posse in aliquo negotio, & munere cum laude versari, nisi multos muneris illius socios fideles adsciuerit. Hoc tamen animaduertendum est; temerarium esse, cum sint aliqui in muneris alicuius societatẽ conuocandi, non peritos, sed imperitos accersiri. Veluti, cum is, qui bellum aliquod difficile suscipit, non veteres duces, sed mercatores in consilium adhibet; aut cum mercator ad suas rationes decidendas, non alios mercatores, sed milites accersit; similiter, qui in agricultura, non agricolas, sed homines a rebus rusticis abhorrentes consulit, mentis expers habendus est. Hoc igitur manifestum est, in omni negotio, quod magnam vtilitatem contineat, multorum hominum, qui periti sint, opera esse summo studio flagitãdam: nec enim homo solus, nec imperitorum turba constipatus, poterit vllo modo quidquam vtiliter administrare. Quid igitur de maximo omnium, atque difficillimo munere, cuius administratione, & prouidentia reliqua omnia continentur, existimandum est? fieri ne potest, vt Rex aliquis tantam personam tueri, tam multa negotia conficere, tãtum statum incolumem conseruare queat; nisi fuerit multorum hominum prudentum consilio, virtute, fidelitate munitus? Nullo modo. Quo pacto enim vno tantum ingenio cuncta, quę sunt Regibus excogitanda, prouideri, aut vnis oculis omnia, quæ sunt in Rep. diligenter speculanda, cerni, aut vnis auribus omnium postulata, & querelæ audiri, aut vnis postremo manibus res innumerabiles effici, & ad exitum destinatum perduci possunt? hoc qui fieri posse credit, stultus; qui periclitatur, insanus, & furiosus; qui in eo perseuerat, miser, & infelix est. non solum enim illius amentia conuincetur, sed vniuersam Remp. funditus perdet. Rex igitur, qui munere suo cum laude perfungi cupit, multos Reges muneris socios habeat necesse est: aliter enim frustra studium, & industriam, atque adeo vitam in Regno tuendo consumet. Reges autem appello, qui virtute Regia ornati sunt, quamuis Regnum minime possideant. Vt enim citharœdum non citharæ faciunt, sed citharæ pulsandæ artificium; ita, non qui Regni opes possidet, sed qui Regnandi scientiã tenet, merito Rex appellandus est. Quis autẽ ille est? Is certe, qui (vt ante diximus) & sapiens, & magnanimus, & in omni vita moderatus est; quem nulla vexat amentia, nullus motus de statu deijcit; nulla cupiditas immoderata labefactat; qui nullas proprias opes publicis commodis, & æquitati iuris anteponit. homines igitur, quærendi, & vestigijs omnibus persequendi, e tenebris etiam extrahendi sunt; vt Regibus operam suam nauare possint. Nec ij tantum, qui in omni Regia virtute excellentes exstiterint; sed ij etiam, qui mediocribus officijs ornati fuerint, sunt ad familiaritatem, & obsequium Regis admittendi; vt omnium operis vti possit, & ex maiore bonorum numero seligere eos, qui virtute præstiterint, quorum consilio, & auctoritate facilius officio suo fungatur. Sed ij, quos Regi familiares, & domesticos esse volo, ex vno tantum ordine hominum deligendi sunt? an ex omnibus, si in illis specimen aliquod virtutis, atque probitatis eluxerit? Sed, vt de hac materia melius disseramus, statuendum est, tribus rationibus quempiam a plebis turba segregari; diuitijs nempe, aut nobilitate, aut virtute. &, quemadmodum refert Aristoteles, omnes ciuiles dissensiones, harum trium rerum contentione excitari plerumq. solent. Iustitia quidem ciuium animos deuincit; iniuria vero dissoluit, & ad intestinum bellum impellit. Iustitiæ vero munus est, vnicuique dignitatem suam tribuere. summa enim iniquitas est, non ponderari vniuscuiusque dignitatem, sed vel ijs, qui minus digni præmio sunt, maiora præmia cõdonari; vel saltẽ æqualia præmia, & munera dignitatibus inæqualibus statuere. Quantum enim quisque reliquos dignitate antecellit, tanto par est, eum maioribus præmijs, atque bonis honorari. Recte igitur Achilles apud Homerũ, de Agamemnonis iniquitate cõqueritur, quod eodem honore, & homines obscuros, & claros efficeret. Hac autem querella vtuntur omnes, qui se putant reliquis dignitate præstare, cum se præteritos animaduertũt; aut nihilo sibi plus, quã ceteris, quos ipsi dignitate vincunt, attribui. Inde igitur odia, inde disidia, inde clandestinia colloquia, inde fraudes in Rep. capitales, inde ciuiles tumultus erumpunt. Omnes enim illud bellum legitimum arbitrãtur, quod pro dignitate suscipitur: dignitatem autem suam violari, & imminui, putãt ij, qui plurimum possunt, cum se reliquis hominibus

Regis opes, triplici præsidio muniendæ.

Tribus rebus segregamur a plebe.

exæqua-

Universidad de Deusto
Biblioteca

exæquatos esse vident. Caussa tamẽ ciuilis discordiæ cõcitandæ,nõ eadem est apud omnes. aliæ nãque alibi maius momentũ habent. vbi enim multum valet pecunia, ibi, qui ditissimus est, minime ferendum arbitratur, homini egenti eundem honorem haberi,quo se affectum cernit. Vbi vero multum nobilitati tribuitur,quoties homo nouus e tenebris emergit, & honoribus illustratur, indignum facinus esse clamitant omnes nobiles, hominem e terra natum ad honores nobilitati debitos adspirare. Vbi tamen virtus in honore est,ibi, quamuis interdum virtute excellentes præteriti sint, & honoris repulsam iniuria patiantur, minime molesti sunt. Virtus enim seipsa contenta est; & honoris cupiditati facile modum constituit; neque valde gloriam a populari celebritate petendam arbitratur, cum severa,& stabili gloria florentem considerat. Illi igitur solum seditiones non excitant, qui soli, iure, de facta sibi iniuria queri poterant. Sed, quia non semper de virtute perfecta loquendum nobis est,sed est etiam ad virtutem popularem oratio nobis accommodanda;militaris etiam virtus, cum plerumq. sit intemperans, & nullam indignitatem pati possit, hac etiam ratione Remp. perturbare solet. Quoties enim vir militaris sibi antelatum aliquem cernit, quem se virtute superare cẽset, id mortis instar esse putat. Homines igitur etiam fortes, & magno animo præditi, sæpenumero hac specie indignitatis offensi, tetra disidia moliuntur, & patrias interdum suas euertunt. Nos vero,qui sub Rege viuimus,minus sumus his motibus expositi, propterea quod Rex est quasi quidam ludorum Gymnicorum præfectus,vt præmia diuidat,& omnes contentiones æquabilitate summa dirimat;& nos ita sumus illius placitis addicti, vt illius etiam in iudicãdo iniquitatem multo patientius tolerandam arbitremur. Quamquã & in Regno etiam soleant hac de caussa seditiones, atque disidia concitari, & coniurationes contra Regis statum, atque vitam fieri: quemadmodum sub Ioanne Rege hoc nomine Secundo(viro multis virtutibus ornatissimo) maiorum nostrorum memoria factum fuit. Ne tamen id sæpius eueniat, est impedimento & nominis Regij maiestas,& muneris amplitudo, & ciuium fides erga Reges sancte culta,& diri proditorum exitus, & sempiterna perfidiæ,& proditionis infamia,in qua posteri non mediocriter erubescunt. Quamuis tamen id raro accidat, vt in Regno, qui se læsos esse putant, disidia concitent, & interitũ vel Regi,vel Reip. moliantur; non tamen mediocre malum existimandum est, cum multi de Regis iniuria queri merito possunt. Vt enim nullum aliud incõmodu[illegible]sp. subeat, illud non leue reputandum est, quod multi homines fortes,& industrij,cum vident virtutis dignitatem minime perpendi, multum de virtutis ipsius alacritate remittunt. Fieri quidẽ non potest, vt Rex omnibus ex æquo satisfaciat;id tamen illi prouidendum est,quoad fieri poterit, ne quisquam iustis querellis vtatur. aliter enim neque suum officium faciet; & homines industrios, quorum opera plurimum iuuari potuisset, alienabit. In Lusitania vero,cum summum honoris præmium videatur esse in Regis familiaritate, & gratia constitutum; nec enim Lusitani dignitatem tam in opibus,& facultatibus,quam in Regis hilari vultu ponendam arbitrantur;videndum est maxime nostris Regibus, quales sint ij homines,quos ad suam familiaritatem admittant, quos rursus excludant. Videamus igitur,cum non placeat homines inæquali dignitatẽ præditos æqualibus præmijs, atque muneribus donari;&,in dignis intromissis, homines fortes excludi, quibus sit ponderibus vniuscuiusque dignitas examinanda. Omnes autem,qui se honore dignos existimãt, aut diuitijs abundant, aut nobilitate generis efferuntur, aut virtute præditi sunt. Quos igitur familiaritate digniores esse iudicatis? An id dubium est, inquit, T. eos esse præferendos, qui virtute præstant? Quod virtuti, inquam,summum premium honoris adiudicas, laudo; quod indicta caussa reliquos eijcis,non probo. Si placet igitur, ante quam feramus sententiam, eos audiamus. Recte mones, inquit. Par igitur, inquam,est,vt illos loquentes audiamus, vt faciius,quod æquum est,statuere possimus. experiamur igitur, an diues possit ad hũc modum caussam suam tueri. Ego, inquit, cũ essem in magnis opibus enutritus, fui admodum liberaliter educatus, & artibus homine ingenuo dignissimis institutus. Numquam enim egestate compulsus fui opus aliquod sordidum,& vile suscipere, quod me ab honestatis studio retardaret,vt ij faciunt,qui rei familiaris angustia laborant. Reliquis igitur vitę curis expeditus,honestatem vnice colui, illisq. me disciplinis dedidi, quibus instructus, facillime possem magnam Reip.opem in magnis rebus afferre. Multa igitur præclara didici;multum operæ,& studij in re militari consumpsi; multum patriam consilio, & armis adiuui;nec mihi in opibus meis materiam libidinis, sed instrumentum virtutis inesse constitui. multos namque milites alui; multos bello captos redemi; multos ære alieno liberaui; maximisq. sumptibus maxima, & difficillima munera diligenter obiui: opera mea Regi difficillimis temporibus semper prompta, atque parata fuit. Nec enim vmquam exercitum scribi,aut classem instrui necesse fuit, quin ego pecuniã meam in communem vtilitatem conferrem, & omnes meas facultates Regis obsequio destinarem. Quocirca rationi cõsentaneum est, vt illis omnibus,qui inopia coacti tãtas Reip. vtilitates afferre minime potuerunt, anteferar. Hæc si diues diceret, non ne tibi videretur

Virtus, seipsa cõtenta.

tur iure niti,atque merito caussæ suæ confidere? Videretur,inquit,si ea,quæ dixisset,factis probare posset. An vera, inquam,sint,quæ dicit, testibus confirmanda relinquamus: hoc tamen interim ex illius oratione colligamus, illum,qui ita loquitur, non in pecunia, sed in virtute omne suæ caussæ firmamentum collocare. nec enim quantos pecuniarum aceruos domi congestos habeat, sed quam liberaliter pecunijs vtatur, & quo modo omnes suas opes in Reip.studium cõtulerit,oratione commemorat. Omisso igitur virtutis studio, nescio quo modo probare diues possit, se dignũ esse, quem Rex in familiaritatem suam recipiat. Si enim ita loquatur: Ego multo lautius omnibus istis,qui mecum certare volunt,epulatus sum;multoq. mollius, & delicatius vixi; multo magnificentius conuiuium,quoties hospites excipiendi fuerunt,instruxi;multo plura scurris, & parasitis donaui; alea multis in locis ingentem pecuniæ iacturam feci, meretrices multas alui,solem vitaui,laborem fugi, vestibus pretiosissimis excultus, & fragrantissimis vnguentis delibutus incessi; idq. sedulo curaui,ne id, quod maiores mei tanto labore quæsierunt, in res laboriosas, & iniucundas impenderem,sed in omni voluptate perfruenda consumerem. Non igitur æquum est, vt ij, qui non ita splendide viuunt,sed vel multis in bello laboribus attriti, vel litterarum studio confecti sunt, & tenui victu,& cultu contenti esse possunt,mihi præferantur. Hæc si diceret, audiendum existimares? Non prorsus,inquit. Quid,inquam,si diceret, Nõ patiar equidem vllo modo ex opibus meis teruncium in honoris leuitates,aut in futiles voluptates insumi;sed pecuniam coaceruabo,nec vllum quæstum me indignum iudicabo, thesaurum circumplexus noctes & dies asseruabo;& diligentissime cauebo,ne quidquam de argenti structis aceruis imminuam;facilius autem patiar filios meos in seruitutem abduci, meq. morbo molestissimo conflictari, quam pecuniam, quam tanto labore paraui, insipienter absumi. Nec enim mihi affines, neque cognati,nec amici,neque filij honori,& emolumento sunt, immo omnes me oderunt, me exstinctum cupiunt, vt pecuniam meam diripiant, atque per summum flagitium effundant. Pecuniaigitur tantum mihi honorem,mihi delicias,mihi voluptatem afferre potest: in illa igitur habeo vitæ propugnaculum, miseriæ perfugiũ, senectutis oblectamentum, illam colo, illam veneror, cum illa me oblecto, in illa tantum omnia præsidia vitæ constituo. Cum igitur ita sapiens sim,vt,spretis voluptatibus, negle ctis honoribus, repudiatis amicis, omne studium vitæ in pecunia paranda consumpserim; quid caussæ est, cur non anteponar istis, qui, quoties aliqua specie honoris, & honestatis eorum oculis obuersatur, omne patrimonium repente profundunt? Si hæc diceret, aures illi præberes? an potius hominem sordidum, & inhumanum, atque adeo impium, & sceleratum, qui in Dei loco pecuniam colit, ex totius Regni finibus exterminandum putares? Exterminandum certe, inquit T. dum modo pecuniam secum minime asportaret. Nec enim æquum est,vt,cui supplicium meritò constitui debet,vlla sordidæ,& impuræ voluptatis materia tribuatur: & ratio flagitat, vt,qui pecunia vti nescit,nõ eam impune possideat. Minime,inquam,impune possidet: semper enim eget, & in mendicitate versatur: neque tam, quod iam compressum domi continet, quam quod nimis sitienter appetit, secum recogitat. Opes, quas habet, attingere non audet. earum,quas non habet,infinita cupiditate cruciatur; in quærenda pecunia, labore conficitur; in seruanda, cura & solicitudine contabescit;si quidquam emittit,intolerando dolore, & mæstitia laceratur. Nemini credit;omnes suspectos habet; familiares, & domesticos extimescit; filios fortunis suis inhiare verisime suspicatur;strepitu muris attonitus fores effringi, & fures in domum penetrare putat. Cum domi est,rei augendæ solicitudine victus, in forum excurrit; inde autem,ne quid, dum ille abest, familiares auertant,domum se proripit. Numquam igitur lætum diem videt; numquam ne in summo quidem animo conquiescit; sed semper tristis, semper attentus,semper vel spe, vel metu solicitus afflictatur. Dum igitur huic vni curæ incumbit,neque sibi,neque Reip. vtilis esse in vita potest; idq. tantum agit, vt heredes in morte illius exsultẽt. Ergo,cum omnis diues, si virtute caret,vel prodigus,vel auarus sit; & vtrumque vitium sit impedimento, quo minus opes illius aliquam Reip. vtilitatem afferant;consequens est, vt omnis, qui sine virtute diues est, a Regis familiaritate repellatur. Quod si secus euenerit, &, cõtempta virtute, diuites honorati fuerint; eueniet tandem, vt nemo virtutem colat, & omnes pecuniæ seruiendum existiment. In Regno enim omnes id tantum summo studio consectantur, quod a Principibus honorari vident. si igitur homines honorem virtuti debitum ad pecuniam transferri perspexerint,studium virtutis negligent, & in cogenda pecunia certatim elaborabunt; neque, quo modo Remp. pro parte sua iuuent,sed quo modo rem suam accessionibus infinitis amplificent, sibi curandum arbitrabuntur. Virtutis igitur industria langue scet;iniquitas, & fraus ad Reip. perniciẽ erũpet;totiusq. Regni status funditus interibit. Quid de nobilitate dicemus? poterimus ne illis aditum ad Regem claudere, quibus omnium consensu maxime semper apertus est? flagitium profecto fuisset,nullo modo tolerandum; maxime vero, cum eorum quilibet his verbis agere caussam suam possit. fingamus igitur aliquem nobilem hominem in hãc sententiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

tentiam loqui: Ego claro, & illustri loco natus
fum; &, si voluero genus meum a stirpe repete
re, multos fortes, & in omni genere virtutis
excellentes viros enumerare possum, qui cũ
Remp. plurimum opibus, & consilio, & virtu-
te iuuissent, a Regibus eam ob caussam sum-
mis honoribus, & ornamentis illustrati sunt.
His igitur domesticis exemplis stimulatus,
neque dormire, neque quietem pati possum.
eo namque studio flagro, ea cura solicitor, id
animo molior, vt meorum gentilium decori
ne desim; sed illorum etiam laudes labore, &
vigilantia mea superem. Nec enim, si labe ali-
qua adspersus fuero, vitia mea obscura esse
poterunt, cum in tam clari generis luce, & ce
lebritate, nomen meum versetur, vt mihi a
maioribus meis degenerare non liceat, sine
insignis infamiæ turpitudine. Non igitur o-
pes, non pecuniam specto, non flagitiosas vo-
luptates exquiro; sed omnes curas, & cogita-
tiones meas ad gloriam, & honestatem confe
ro; tantaq. verisimæ laudis cupiditate incen
dor, vt præclare mecum agi putem, si, dum ad
immortalitatem nominis adspiro, mortem
oppetam, & pro breui vita corporis, vitam
gloriæ sempiternam adipiscar. Si igitur gene
ris claritas, si maiorum exempla, si artes in-
genuæ, quas a pueritia colui, si signa, quæ iam
insitæ indolis, atque virtutis egregiæ dedi,
mihi hos stimulos admouent; nonne speran-
dum est, vt multo clariora facinora pro Reip.
salute, & pro Regis dignitate suscipiã, quam
ij, qui nullis exemplis domesticis ad amplitu-
dinem laudis, & dignitatis excitari possunt?
æquum igitur est, vt eundem locum apud Re-
gem obtineam, quem mei maiores tenuerũt;
neque mihi quisquam nouus homo, in hac
contentione dignitatis anteponatur. Hæc si
dicat homo nobilis, potestis ne tam honestæ
orationi repugnare? Minime, inquit, T. Et re
ctè quidem, inquã, censetis: hæc enim oratio
stirpe virtutis innititur; neque germanam
nobilitatem ab honestate seiungi posse sta-
tuit. Sed, si idem dicat, Ego, generis mea fidu
cia subnixus, ambulo, nulloq. metu nobilita-
tis amittendæ conturbor. Nec enim mihi
quisquam meam nobilitatem eripere vlla ra
tione potest. Ego lautus, & vrbanus sum, &
specie etiam venustus, & omni lepore circum
fluo; nemo me dexterius alea ludit, nemo con
uiua festiuior, nemo in omni nobilitate dica-
cior; nemo innuit oculis argutius; nemo cubi-
to tãgit eos, qui prope sunt, malitiosius. Iã ve-
ro amorum blanditias, & venustates, quis ma
iore studio consectatur: me virgines aulicæ li
benter adspiciunt; mecum iucunde sermoci-
nantur; quacumque autem incedo, omnia vn-
guentorum fragrantia redolent; & vbiq. sua-
uitatis meæ impressa vestigia relinquo, mul-
taq. alia voluptatis, & deliciarum caussa fa-
cio, quæ maxime nobilitatem decent. Occur-
rat hic aliquis, & dicat: Quid, si, dum tu ster-
tis, & torpore, desidiaq. langues, & vitam in
istarum deliciarum festiuitate consumis, ali-
quis homo nouus, industria singulari prædi-
tus, ad honestatem enitatur, tibiq. dignita-
tem præripiat? Mihi ne, homini vtraque stir-
pe nobilissimo, vt homo, sine gente, sine nomi
ne, in fœce infimæ plebis educatus, anteponа-
tur? Certe, si ius, & ratio vim habuerit, & ille,
dum tu dormis, sese vigilanter, & acriter ad
studium virtutis applicuerit. Colat ille virtu-
tem, quantum volet; ego tamen, qualis sim,
nobilis semper ero. Si igitur fieri nequit, vt
aut ille parentes mutet, aut ego insignia me
gentis amittam; quid erit indignius, quam il
lum mihi in aliqua dignitatis ratione præfer-
ri? bene profecto feres habebit, si nouus ho-
mo, rusticano patre natus, homini, natalium
splendore clarissimo, fuerit antelatus. Quid,
si fiat? Ira ne vero? id fieri aliqua ratione po-
terit, vt is mihi præferatur, quem ne in dome
sticis quidem meis numerandum existimo?
Sit facinus, quantum voles, indignum, id ta-
men aliquando fit. Quid igitur tunc facies, si
idem tibi euenerit? Non ego, inquit, solus mi-
hi conuicium fieri vociferabor; sed omnis no-
bilitas eam ad se contumeliam pertinere pu-
tabit, & fidem Regis implorabit; & aut suum
ius quæstibus obtinebit, aut iniuriam suam
constanti animo persequetur. Quo modo? aut
qua tandem ratione? A Rege semigrabimus,
inquit, & illum, perinde atque dignus est, ho-
minum ignobilium turba constipatum relin-
quemus. Quo quid Sol videre potest indi-
gnius? Principem clarissimum ignobilium
hominum turba circumfundi? eorumq. conta
gione pollui? infimorumq. ministerio Regis
maiestatem imminui? Illum ne Regem appel
labis, cui nouus homo poculum ministrat?
quem manibus suis vestit, & ornat? Non pro-
fecto dignus est nomine Regis is, qui tantam
indignitatem subire potest. Faciat igitur ille,
quod libuerit: nos vero iniuriam nobis illa-
tam, minime impunitam, & inultam relinque
mus. Eum namque plebis infimæ sordibus il-
lini, & contaminari patiemur; & tum demum
intelliget, quantum Regis flagitium sit, homi
nes genere illustres, & claros offendere. Hæc
si dicat homo nobilis, qua ratione poterimus
illius iracundiam reprimere? aut quo modo
Regem, si, nobilium hominũ pœnuria, coactus
fuerit poculum e manu hominis noui sume-
re, consolabimur? Fieri vix potest. Experia-
mur tamen, & primum quidem hominem am
plitudine generis elatum admoneamus, ne
sit virtuti, e qua omnis vera nobilitas ortum
habet, insensus. Nobilitatem enim ex virtute
natam esse, confirmabimus; atque tantisper
dignitatem iure, atque merito retenturam,
dum in illa splendor virtutis eluxerit. Virtu-
tem vero semper & specie illustrem, & ampli-
tudine admirabilem, & fructu salutarem exsti
tisse dignam, quæ summis honoribus, & titu-
lis

lis illustraretur. docebimus deinde, illum no-
bilitatis auctorem, & Principem, a quo hic,
cum quo nobis sermo est, genus ducit, homi-
nem a principio obscurum fuisse; virtute ta-
men imagines posteritatis mirifice consecu-
tum; nullam autem nobilitatem exstare, quæ
possit a primordio generis humani suæ clari-
tatis ortum repetere. Vt enim aliquis possit
seriem maiorum suorum, recensendo multos
homines claros, enumerare, ad opifices tan-
dem perueniet, & in ipsam fœcem plebis, quã
fastidiose contemnit, incurret. Quod si ea
mens Principum fuisset, eo tempore, quo ille
primus nobilitatis suæ propagator e tene-
bris emergere cœpit, vt nullo modo pate-
rentur, aliquem hominem obscuro loco na-
tum, quamuis magnitudine virtutis excel-
leret, in nobilitatis lucem vindicari; necessa-
rio accidisset, vt hic, & multi alij nobiles,
quos generis nouitas offendit, in perpetuis
tenebris, & obscuritate sempiterna laterent.
Illum deinde obnixe precabimur, ne nouo-
rum hominum virtuti inuideat; immo in ea
principium suæ nobilitatis, & claritatis a-
gnoscat: præclarum esse, cum virtute, virtutis
dignitate contendere, non virtutis inuidia
virtuti interitum machinari; propriam nobi
litatem tueri, non aliam nascentem irritis
conatibus impedire. Nullum enim inanita-
tis, & leuitatis impetum posse virtutem in-
fringere. Iubebo deinde illum, vt animaduer-
tat, quo modo illi nobilitas tuenda, & conser-
uanda sit. Vt enim illius initium, & fundamen
tum est in virtute positum; ita virtute conser
uari, & augeri, & flagitijs interire. Amice igi
tur illum admonebimus, ne nimis natalium
splendori confidat: sic enim natura comparа-
tum esse, vt, quod virtute splendet, obscuretur
flagitio, & quod industria partum est, amit-
tatur ignauia. Tum etiam ridiculum esse dice
mus, Regi nobilitatis discessione minitari.
Tantam enim potestatem in Regibus, tan-
tumq. (vt ita dicam) numen inesse, vt facile
possint, meritis excellentibus excitati, & ge
neris nouitatem nobilitare, & inertem nobi-
litatem contemnere. Quod si Rex non potest
vllo modo dignitatem suam sine presidio no-
bilium tueri, nihil ab illo fieri posse sapiẽtius;
quam omnes familias, in quibus aliquod lu-
men honestatis splendere viderit, nobilitatis
insignibus ornari, ne vmquam relinqui a no-
bilitate possit. Vt enim diligens agricola no-
uas arbores serit, quæ, dum aliæ vetustate con
sumuntur, exsurgant, atque fructum ferant;
ita Regi necessarium esse, vt assidue nobilita-
tis plantaria seminet, vt semper vetustæ nobi
litati succrescant nouæ nobilitatis propagi-
nes. Hortabimur etiam illum, vt recolat ani-
mo, quorum sit sanguine procreatus; & maio
rum suorum egregia facta memorabimus; &,
quantum dedecus illius futurum sit, si non il-
lorum vestigia fuerit persecutus, admonebi-
mus: obtestabimur denique, vt ineptias vitet,
& insolentiam fugiat, & virtutem colat, & ho
nestatem retineat, si vult clarus, & amplus es-
se; nec aliena dignitate, nec vanis nominibus
efferatur; sed omne amplissimi decoris orna-
mentum propria, atque vera dignitate consti
tuat. Ex his quidem locis argumenta sume-
mus, quibus, si fieri possit, illius, qui omnia di-
gnitatis ornamenta in nobilitate ponit, arro
gãtiam minuamus. Regem vero quibus præsi
dijs contra minas insulsæ nobilitatis armabi-
mus? aut quibus rationibus admonebimus, vt
neminem in suam familiaritatem recipiat,
nisi virtute, & industria præcellens exstiterit?
Date igitur hanc veniam mihi, vt illum rur-
sus alloquar. Vt lubet, inquit T. ridens, dum
modo ne te ista consuetudo sæpius cum Rege
disserendi, ab amicorum colloquio, & familia-
ritate disiungat: timeo enim, ne orationes
istæ cum Rege sæpius habitæ animos tibi esse
rant. Quid? inquã iam ne vos inuidia lacerat?
quid facietis, cum me penitus in familiarita-
tẽ Principis ipsius immersero? Hic postquã
arrisere, ego sic exorsus sum, quasi cum ipso
Rege loquerer: sic igitur orationem institui.
Nullam esse, Princeps inuictissime, arte maio
rem, aut difficiliorem, quam tractare Rempu
blicam, pro tua singulari prudentia iudicare
potes. Quamuis igitur ingenij acumine, & ani
mi magnitudine præcellas, multisq. opibus
instructus, & ornatus sis; difficillime tamen
imperium geres, nisi fueris multorum homi-
num consilio, fortitudine, atque fidelitate mu
nitus. Cum igitur constet, tantum munus ab
vno solo homine, sine multorum operis, & si-
ne sapientum hominum consilio, administra-
ri non posse; reliquum est, vt videamus, e quo
genere hominum seligendi sint ij, quos in fa-
miliaritatem admittere, & quorum operis
vti debeas. Tria namque sunt hominum gene
ra, quæ dignitate certant. alij namque diui-
tes sunt; alij nobiles; alij virtute præstantes.
Quæro igitur, num difficilis deliberatio sit,
qui potissimum a te diligendi sint? Non arbi-
tror. Nam, si diuites opes suas tibi, & Reip.
vsui futuras esse pollicentur, si bonis artibus
student, si pecuniam ad honestatis studium
conferunt; cum bonis certe nnmerandi sunt,
& ob eam caussam digni iudicandi, qui pluri-
mum tuæ humanitatis obtineãt. Si vero, seclu
sa virtute, & honestate, pecuniam ornamẽtis
affeceris, & homines diuites, quamuis omni
virtute vacui sint, ad tuam familiaritatem ag
gregaueris, auaritiam ornabis, insolentiam
confirmabis, ignauiam sustentabis, pessimũq.
in Remp. certamen induces. Nemo enim, vt
virtutis laude præcellat, elaborabit; sed, vt om
nes pecuniæ magnitudine superet, enixe con
tendet. Si igitur fraus, & iniuria dominabi-
tur, honestatis studium interibit; iniquitas, &
imprudentia Remp. peruertent; duæq. ma-
ximæ Reip. pestes eam mortifera tabe consi-

Nobilitas nulla potest a primordio generis humani suæ claritatis ortum repetere.

Homini generi tria, quæ dignitate certãt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cient. Quæ nam illæ sunt? inquies. Diuitiæ quorundam ingentes, aliorum vero mendicitas. Vix enim potest quisquam opes suas præter modum augere, quin multi ad inopiam redigantur: quod enim nimis accrescit vni, de multorum victu detrahitur. Sic igitur euenit, si auaritia fauore tuo confirmata fuerit, vt alij ditissimi sint, alij in mendicitate versentur. Diuitias vero immanes, luxus, ignauia, nequitia, fastidium, insolentia, alia præterea flagitia innumerabilia consequuntur. Extremæ vero inopiæ comes est desperatio; inde vero erumpit amentia, rixa, furtum, latrocinium, publici status odium, & reliqua mala, quibus Resp. in summum discrimen adducitur. Vt autem nullum aliud malum inde proueniret, illud certe non mediocre putandum est, quod in tenui admodum fortuna nemo liber esse potest. Egestas enim eripit mentem, & deprimit animum, atque seruire compellit. Postremo, ijs, qui sine virtute ditissimi sunt, inopes inuident; inopes vero a diuitibus contemnuntur; & ita necessario odium inter illos acerbissimum concitatur; & Resp. in contrarias partes distracta, atque contentionibus dilacerata concidit; aut certe facillime externorum hostium armis opprimitur. Si igitur tantam vim malorum inuehit in Remp. ingens hominum quorundam pecunia, cum, magna, & graui multitudinis clade coaceruata, quid minus Regis officio conuenit, quam auaritiæ fauere? auaritiæ autem is Princeps nimis fauebit, apud quem diuites, qui probi, & honesti non sunt, in gratia fuerint. Quod vero ad homines nobiles attinet, eorũ caussa honestior esse videtur. Nobilitas enim plerumque e fonte virtutis, & honestatis emanat. nõ nego, multas familias diuitijs, ad aliquam etiam nobilitatis rationem peruenisse: vera tamen, & germana nobilitas, non aliunde, quam ex virtutis fonte, profluxit. Illi namque primi, qui suæ nobilitatis fundamenta iecerunt, cum essent ignobiles, & obscuri, bonis tamen artibus, præstanteq. virtutis industria, hoc assecuti sunt, vt claram stirpem in multa sæcula propagarent. Habent igitur homines nobiles, quorum exemplis ad virtutem, & gloriã excitari possint. Si igitur maiorum suorum vestigijs insti-terint, & in studium verissimę laudis incubuerint; æquum est, vt illos in fidem, & amicitiam tuam recipias, multisq. opibus, & ornamẽtis augeas. Sic enim illorum virtutem debitis præmijs afficies, & eorum memoriam, a quibus generati sunt, grata voluntate prosequeris: si vero, maiorum gloria contenti, opes, quæ ad illos hereditate venerunt, in nequitia, & leuitate consumpserint, nec vllum virtutis genus in vita coluerint; duplici ratione non tantum a familiaritate tua, sed etiam a congressu prohibendi sunt. Nempe, quod & se turpitudine contaminauerint, & claritatem maiorum suorum dedecore maculauerint. Quautem clarius est eorum genus, eo maiore odio digni sunt, qui generis sui gloriam magnitudine libidinis, & impuritatis obscurant: quando ne domesticis quidem exemplis stimulati, sese in aliquod studium honestatis, & laudis incitauerint. Sunt igitur repellendi, & eijciendi, & contemptione leuitatis, & iactationis acerrime coercẽdi. Si enim illos, quam uis sint ignauissimi, tua gratia dignos, eo tantum, quod nobiles sunt, existimaueris; ales arrogantiam, corroborabis impudentiam, confirmabis ignauiam, atque desidiam; eoq. rem deduces, vt eorum superbiam, atque fastidium tolerare non possis. Deinde, quod est miserrimum, libertatem tuam hominibus leuibus, superbis, ingratis addixeris. Quid enim leuius esse potest eorum temeritate, & amentia, qui, nominibus tantum inanissimis, sine vlla ratione solidæ, & expressæ dignitatis, insolescunt? Quid superbius illis, qui tantum sibi arrogant, vt omnes, qui nobiles non sunt, ita præ se contemnant, vt homines esse non putent? Quid ingratius illis, qui, quamuis summis afficiantur muneribus, & beneficijs, semper tamen fremunt, multo sibi minora præmia delata fuisse, quam generi, atque nomini suo debeantur? Sic enim nobilitatis opinione tument, vt omnia præmia virtuti constituta, nomini tantum suo deberi contendant, &, cum multa fuerint adepti, multo plura quotidiano prope conuicio flagitent. euenit igitur, vt, cum præmia virtuti proposita ad inertem nobilitatem transtuleris, fortes, & spectatos homines abalienes, & nobilitatem minime tibi deuincias. Præterea, si, dum nobilium offensionem metuis, virtutem ignobilium non ornaueris, duas res valde salutares e Rep. tolles, nempe metum, & spem: metus enim honestatis amittendæ, nobilitatem stimulat, & in studio dignitatis vigilantem efficit; spes autem honestatis consequendæ, homines fortes, obscuro loco natos, mire solicitat, & studio virtutis incendit. Ergo, si metum hunc nobilibus ademeris; & si spem hanc ignobilibus concesseris; vtrosque desides, & ignauos efficies. dedecoris enim metu sublato, quis ex omni nobilitate volet, cum vitæ periculo, præclarum aliquod facinus obire? spe vero dignitatis erepta, quis erit ex omni plebe, qui pro Reip. salute vitam in summum discrimen injiciat? Principis autem officium est, ad virtutem omnes incendere; non studium virtutis exstinguere; indolem honestatis, in quocumque illa vigerit, excitari; non certi cuiusdam generis ignauiam noui hominis virtuti præponere; & insitam nouitatis indolem, vt satisfaciat arrogantiæ nobilitatis, opprimere. Nullo igitur modo Rẽp. virtutis præsidio firmare poteris, nisi nobilibus metum amittendæ nobilitatis incutias; & ignobilibus spem illius adipiscendæ proponas; & ita certamen illud præclarum

Diuitias, & Inopiã quæ consequãtur

rum instituas, quo bene constitutæ Resp. rerum potitæ sunt. Nihil enim præclarius esse potest ad imperium propagandum, quam illa plebis, & nobilitatis cõtentio, qua pars vtraque in eo pugnat, vt virtute præcellat. Illud præterea velim, Princeps, animaduertas, vt diligens paterfamilias esse nequit, qui suos otio torpere finit, ita neq. Rex officio suo strenue fungi potest, si otiosis, atque negligentibus se benignum præbuerit. Rex autem, qui ignauam nobilitatem, nouorum hominum industriæ præferendam arbitratur; industriam frangit, alacritatem debilitat, desidiam ornat, & confirmat ignauiam, & sic tandem omnia Reip. præsidia labefactat. Qui hostem feriet, dicebat Hannibal, is mihi Carthaginiensis erit. Sic dicat opus est Rex, in omni genere virtutis excellens. Qui hostem ferit, is mihi nobilis erit. Finge nunc animo, maximos hostium exercitus in Regni tui fines irrumpere, tantamq. vastitatem inferre, vt, nisi illos vi, atque virtute represseris, sint tibi omnes Regni opes amittendæ. Si esset igitur necesse tibi, signis collatis cum hostibus dimicare; quo præsidio libẽtius aciem tuam firmares? fortium ne hominum robore, quamuis essent ignobiles, & rusticani; an mollis, & delicatæ nobilitatis elegantia? Non dubium est, quin libentius, & confidentius homines robustos, & acres, quam nobiles, si essent parum fortes, educeres, Quid igitur magis absurdum est, quam eos, quorum virtuti, atque fidei vitam, salutem, atque dignitatem tuam in maximo periculo committeres, inferiores habere ijs, quorum ignauiæ, & imbecillitati diffidis? Quid enim aliud hostes tui optarent, quam vt hoc animo esses, vt fucatæ imaginis inanem splendorem, claritati, & splendori virtutis anteponeres; & hominem bellum, & venustum, qui principes in maioribus suis numerare posset, quamuis esset iners, & timidus, ita, vt hostis vultum adspicere non auderet, homini forti, & industrio præferres? intelligerent enim, ea ratione, profligari in Regno tuo virtutem, & ignauiam in dominatu constitui. Id ne igitur fieri vllo modo patieris, quo simul & Regni tui opes infringas, & hostibus lætitiæ causſam afferas; &, quoties signa contuleris, illis necessario victoriam cum insigni clade tua, & ignominia, concedas? Præterea, libenter ex te audirem, quid malles annales de te ad annos sexcentos prædicare? num, quod te semper præbueris hominibus nobilibus, quamuis essent ignaui, & flagitijs omnibus infames, obnoxium, & eorum cupiditatibus obsequentem? an, quod nullum inane nobilitatis nomen plus apud te valuerit, quam egregiæ virtutis ornamentum? Dubium certe non est, quin malles memoriæ tradi, te nihil vmquam in vita pluris, quam virtutem, æstimasse. Id igitur nunc fac, quod posteritati commendari, & hominum sempiternæ memoriæ consecrari ardentissime cupis. Illud deinde considera, neque iustitiæ æquitatem pati, nec vllam prudentiæ rationem ferre, vt, qui nullam omnino Reip. vtilitatem afferunt, opibus Reip. faginentur; &, quod erat fortibus, & spectatis hominibus tribuendum, ignauis, & otiosis sine vllo modo tribuatur. Immo, vt apes fucos arcent, eo quod fuci neque ceram conficiunt, neque cellas exstruunt, nec eas melle complent, sed ipsum mel, apium labore, cura, & sedulitate confectum, intemperanter absumunt; sic omnes homines desides, & ignaui, qui, tamquam fuci, cum nullam operam Reip. nauent, omnes tamen Reip. opes ligurriunt, atque deuorant, a Regni finibus expellendi, & eijciendi sunt. Si enim boni principis est, turpe otium, & desidiam non impunitam relinquere, summum certe flagitium erit, ipsam segnitiem muneribus industriæ debitis ornare; &, si ad officium boni Regis pertinet, virtutem remunerare, non mediocre scelus Regis erit, virtutem negligere, & beneficia, quibus virtus erat afficienda, ad ignauiæ, & dedecoris ornamentum transferre. Quibus autem, quæso, artibus, & disciplinis, vel Cyrum, vel Alexandrũ, vel Cæsarem, vel alios imperatores, qui regiones innumerabiles armis inuictis peragrarunt, tantum potuisse suspicaris, vt nihil esset vel tam natura, & arte munitum, vel tam firmo præsidio vallatum, quod non armis, atque virtute superarent? hac vna certe disciplina, qua virtutis institutio, & amplificatio continetur. Non enim diuites, qui malis artibus pecunias quærebant, & domi congestas habebant, non homines opinione nobilitatis inaniter inflatos, sed sapientes, & fortes ornabãt; nec vlli generi hominum, modo in illo vigeret virtus, & industria, aditum ad honores summos intercludebant. Quidquid autẽ erat virtutis ornamẽtis nudatum, quamuis auro, & gemmis splenderet, & titulis magnificis ornaretur, despiciebant, & contemnebãt, atque pro nihilo putabant. Satis diuitem esse putabant, quem virtute cumulatum esse viderent; & satis nobilem esse censebãt, qui factis egregijs notus esset. Cum igitur multi nobiles, ne nomen maiorum virtute partum aliquo dedecore macularent, multum operæ in virtutis studio ponerent; cum multi rursus ignobiles ad spem dignitatis amplissimæ raperentur, eaq. de causſa virtutis studio flagrarent; necessario euenisset, vt multi virtute excellentes exstarent. Minime igitur mirum erat, cum Principes illi se multum fortibus, & spectatis hominibus stiparent, eos orbem terrarum sub imperium, ditionemq. suam subiungere. Hac etiam ingressi via Hispaniæ Principes, quorum stirpe procreatus es, res memorabiles in rebus bellicis effecerunt; & Mauros ex Hispaniæ finibus expulerunt, multasq. Solis orientis, & occidentis oras armis ex-

Plebis, & Nobilitatis honesta contentio, in Rep. vtilis.

Diues, & Nobilis, qui.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pugnarunt. Sed, quid Hispaniæ Principes memoro? cum nemo vmquam vel apud Græcos, vel apud Latinos, vel apud barbaras, & incultas nationes vir magnus exstiterit, qui non virtutem omnibus opibus, & titulis, & generis ornamentis, siue in pace, siue in bello prætulerit. Principes enim, vsu rerum periti, virtutibus instructi, cupiditate laudis incensi, bonorum consilio firmati, fortium hominum comitatu circumsepti, quo tandem modo vinci, atque superari potuissent? Si igitur, Princeps clarissime, & honestissime, eo, quo te istius animi magnitudo vocat, intendis; si ad summum, & amplissimum decus eniteris; si vel pacis ornamentis in otio honesto redundare, vel firmissimis præsidijs in bello muniri cupis; si maiorum vestigijs ingredi, & optimi Regis officio perfungi desideras; non opes ingentes, si virtute nudatæ fuerint, magnificiendas existimes; non generis nobilitatem, si fuerit honestatis expers, ornandam arbitreris; virtutemq. tantum, qua nihil neque pulchrius, neque iucundius, neque salutarius esse potest, amplectere. Iure tuo vtere, libertatem retine, ne vllius inanem fremitum verearе, nullius hominis arrogantis offensionem pertimescas; fac tuæ excellentis indolis, atque virtutis indicium. Contemne igitur ignauiam, coerce temeritatem, reseca libidinem, comprime superbiam: nemo sit in toto Regno tam nobilitatis opinione tumidus, qui tibi leges imponat, tantumq. sibi sumat, vt te a studio ornandæ virtutis abducere conetur. In quocumque igitur hominum genere virtutem nitere perspexeris, illud honestandum suscipe. Si id fuerit ignotum, nobilita; si fuerit egens, locupleta; si fuerit humile, in altum gradum dignitatis extolle; factis ostende, nihil apud te plus valere, quam splendorem iustitiæ, quam animi excellentis altitudinem, quã admirabilem totius decoris, & honestatis elegantiam: sic tãdem fiet, vt hostibus timorem injicias, ciues ad amorem allicias, omnibus admirationem commoueas, fortium hominum firmo præsidio muniaris, Diuina semper ope, & auxilio confirmeris, gloriaq. immortali circumfluas, nullaq. posteritatis memoria de tua præstante virtute sileat. Hæc me Regi dixisse putate. Quod si illi persuasero, vt in hominum delectu nihil virtuti præferendum existimet, illum minime officio suo defuturum esse confido. Quantam auctoritatem sis apud illum habiturus, inquit M. si ad illum orationis istius vim, & ornatum contuleris, augurari non possum. Hoc plane scio, me tuis argumentis adduci, vt credam, omne status Regij tuendi, & conseruandi præsidium esse in bonorum studio, consuetudine, & familiaritate ponendum. Quod, inquam, magnum adiumentum bonorum hominum familiaritas Regi afferat, recte iudicas: quod vero omne Regis præsidium in ea colloces, falleris quidem, meo iudicio. Sunt enim alia multo maiora, & firmiora, vt statim videbimus. sed prius pauca quædam de fructu, quem Reges ex bonorum consuetudine percipiunt, dicenda sunt. Primum quidem ea Regibus plurimum dignitatis adiungit. vt enim vix quidquam est, quod maiorem labem, & maculam dedecoris inurat Regibus, quam improborum familiaritas; ita consequens est, vt bonorum conuictus, illis multum dignitatis afferat. Talem enim opinionem de Principum moribus, & vita recipiunt homines, quales sunt eorum mores, quorum familiaritate eos implicatos animaduertunt. Deinde prudentia, prudentium consuetudine non paratur solum, sed etiam augetur. Recte Theognis:

Recti recta monent: prauos si audieris, illi,
Quidquid habes mẽtis, fraudibus eripient.

Accedit animus magnus, atque rei bene gerendæ fiducia. Intelligit enim Princeps, qui bonos, atque sapientes viros ad suum nomen adiunxit, eos, quibus suam salutem, atque dignitatem credidit, neque temeritate labi, neque metu frangi, neque perfidia corrumpi vllo modo posse. Nec illud mediocre subsidium putandum est, quod ij Principes, qui bonis hominibus vtuntur, partim eorũ exemplo, partim etiam verecundia, facilius libidines suas tenent, & modestiæ, atque temperantiæ dulcedine capiuntur. Postremo Princeps ille, qui sibi bonos studio, atque beneuolentia deuincit, illa iucunditate perfruitur, quam plerique Principes sentire non possunt. Quid enim est in vita amico fideli dulcius? quid ad fructum melius? quid ad securitatem munitius? Hoc autem tanto bono carent omnes ferme Principes. Ita vero fit, vt ij, qui maxime fidelibus amicitijs firmandi, atque fulciendi sunt, nullum fidelem amicum habeant. Quod quidem duplici ratione contingit: vna est, quod amicitia, iuris quadam æquabilitate, & pari, atque simili ratione continetur; Regis autem Maiestas, & amplitudo sublimior est, quam vt quisquam ad illius æqualitatem, & similitudinem adspirare queat: altera, quod Reges non omnem curam, & solicitudinem ad bonos viros eligendos conferunt, sed eos tantum, qui se simulato officio inserunt, & intrudunt, in familiaritatem recipiunt. Primum impedimentum, modestia, & humanitate; secundum, prudentia, atque delectu tolli potest. Non quidem fas est, aliquem Regi dignitate exæquari; illud tamen præstat Regis humanitas, atque modestia, vt, in priuato saltem colloquio, & in secretorum communione, eos, quos videt esse sapientia, atque fide præstantes, secum exæquari patiatur; neque se illis anteponat, quos Regia virtute præditos animaduertit. Similiter etiam Principes sapientes non eos, qui se venditant, & ficta sedulitate, simulataq. virtute se Regibus insinuãt, sed eos, qui veræ virtutis

Amicis carent Principes.

tutis opibus florentes, & ab omni leuitate, & ostentatione remoti sunt, secum beneuolentia, & amore coniungunt. Quod qui faciunt, neque prodi, neque deseri, neque in fraudem induci possunt. Cum enim beneficia sua apud homines gratos memores, & fide, atque virtute præstantes habeant collocata, fieri non potest, vt non eorum fide, virtute, cura, studio, vigilantia sepiantur, & in omni graui casu, & in omni fortunæ iniuria, non eorum opes, atque adeo vitam pro suo statu in discrimen offerri perspiciant. Hac igitur ratione Princeps, qui statum suum hominum excellentium fidelitate communierit, in illorum virtute conquiescet; illorum opibus, cum opus ita fuerit, perinde vtetur, atque suis; consilia sua cum illis libentissime communicabit; in illis denique ponet laboris totius alleuamentum, honestissimum pacis ornamentum, firmissimum belli subsidium, summamin secunda fortuna iucunditatem, tutissimum in aduersa perfugium; ita, vt non solum Regis dignitas, sed animi etiam securitas, & oblectamentum, in amicorum sapientia, & virtute, & fide consistat. Ex quo sequitur, non esse Principis opes tam in auro, & argento, & in gemmis, & in vectigalibus immensis, & imperio latissime propagato, quam in hominum honestissimorum amicitia, collocãdas. Vt enim Dion, ad Dionysium scribens, ait, Non videmus in Tragœdijs Principes argenti inopia, sed amicorum penuria concidi. Nemo enim eorum conqueritur, quod, egestate compulsus, in coniuratorum manus inciderit: sed quid dicit?

Orbatus amicis, ah, miser, fœde interimor.

Apud Persas olim quidam Reges Oculi nominabantur, alij vero Aures, alij postremo Amici: quo quidem nomine illæ etiam oculorum, & aurium functiones facillime continentur. Sic autem fit, vt Rex, qui fidelibus amicis stipatus est, multis oculis omnia, quæ sunt illi speculanda, atque animaduertenda, prospiciat; multis item auribus omnia, quæ sunt audienda, cognoscat, ita, vt labi, & errare minime possit. Princeps igitur, qui hoc sapienter animaduerterit, multos homines virtute, & honestate claros secum sancto, & inuiolabili amicitiæ fœdere coniunget, in primis vero eos, qui sapientiæ student, ad suam familiaritatem aggregabit. Sapientum namque familiaritas Principes sapientes efficit. Cum sapientes nomino, viros etiam singulari studio, certe religioni adstrictos intelligo. Genus enim Philosophiæ colunt grauissimum, atque sanctissimum. Vt igitur olim Reges, dum res Iudæorum vigebant, sibi in consilium Prophetas adhibebant; sic Christiani Principes, quorum nomen est immortali memoriæ, propter egregia facinora, consecratum, viros huiusmodi, quos nomine sapientiæ, & religionis excellere sentiebant, in rebus difficillimis consulebant; maxime vero, cum Diuinũ auxilium erat ardentius implorandum; illorum autem monitis, & consilijs fuere in maximis periculis adiuti. Sed in omnium, qui student Philosophiæ, delectu, singularis sapientia flagitatur. Cauendum enim est, ne Princeps eos, qui falso sapientiæ nomine gloriantur, cum bonis inconsiderate coniungat. Improbi namque homines, quo magis disciplinis omnibus instructi fuerint, eo erunt in adulandi artificio callidiores, & maiorem Reip. perniciem importabunt. Si autem omnes, qui genere claro, & clara virtutis indole præditi sunt, sese studio sapientiæ dedidissent; multo certe melius pro parte sua Reip. consuluissent, quam nunc cõsulunt, cum otio, atque deliciis indolem suam corrumpi, animiq. vires elidi permittunt. Cum vero multi nõ eundem animum, & studium ad Philosophiam conferant, mirum non est, esse quamplurimos ex illis Reip. parum salutares. Sunt igitur illi, qui recto, & simplici animo Philosophiæ student, ab ijs, qui fraudulenter, & malitiose sapientiæ laudem aucupantur, diligentissime secernendi; & illud argumentum, quo tu, T. vtebaris, non tam verbis, quam re ipsa, diluendum. Quod nam? inquit ille. Illud, inquam, quo asserebas, omnes Philosophos aut rebus publicis inutiles, aut pestiferos exstitisse. Quod quidem tibi facile concedam. Cur igitur, inquit, Philosophiam laudas, cum Philosophos crimine, & culpa non liberes? Quia, inquam, Regis sapiẽtia perfici potest, vt neque boni inutiles sint, neque mali pestiferi. Hoc, inquit, ex te libenter audierim, qua ratione fieri possit. Audi igitur, inquam. Primum qui dem, boni, qui vere, & ingenue Philosophantur, pestiferi esse non possunt. Inutiles si sunt, non sua culpa inutiles sunt, sed illorum stultitia, qui eorum sapientia vti nesciunt. Vt enim non est hominis opulenti, mendicare; neque sapientis, ad Principum fores assidere; &, quemadmodum non est boni medici, se, cum non est vocatus, intrudere; sed ægroti prudentis, medicos sapientes accersere, qui sibi salutarem medicinam adhibeãt; ita neque sapientis hominis officium est, ostentare disciplinam, & multis allegationibus gratiam Principis expugnare; sed Principis prudentis officium est, hominem sapientem cogere, vt secum perpetuo sit, vt illius monitis, & exemplis ad Regis officium facilius instrui possit. Sapiens enim nullius eget, cum paruo contentus esse possit; neque summas diuitias in augendis opibus, sed in resecanda cupiditate constituit. Otio frui cupit, vt eximiam voluptatem ex naturæ contemplatione percipiat. Non igitur ingenium venditat, neque se multis negotijs implicitum videre cupit; nec omnes vitæ rationes eo confert, vt Regis gratiam acquirat. Cum igitur neque Princeps, neque quisquã eorum,

Philosophi, non possunt esse mali.

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui Principi familiares sunt, tam sapiens sit, vt illum, inuitum etiam,& recusantem,extrahac, atque in Principis domo versari cogat; caret tunc Resp. vtilitate, quam ex illius sapientia consequi facillime potuisset. Contra vero, qui scientiam ostentant, & scelera sua falso sapientiæ nomine contegunt, vbi primũ in gratiam Regis irrepserint, & auctoritatẽ suam apud illum constituerint, pestem, mihi credite,rebus communibus machinabuntur; tantoq. grauius malum, quam reliqui adulatores,Rebuspub. afferent, quãto pernicios̃ius est scelus instructum,& armatum,quam inerme,atque plane nudum. Liberalis enim eruditio,& humanitatis studia,sunt arma, & instrumenta quædam ad salutem data, quibus improbi homines ad pestem, atque perniciem abuntur. Vt igitur bene moratus homo, si fuerit liberalibus disciplinis instructus, multo facilius Remp.iuuare poterit,quam si omni doctrina caruisset;ita, qui flagitijs coopertus est, si fuerit eruditus, & singulari dicendi ratione limatus, multo maiorem perniciem afferet, quam si scelus omni eruditione nudatum in res communes inuexisset. Rectissime igitur Rebusp.consuler,qui persecerit,vt Philosophi,qui erant inutiles,magnas Reip. vtilitates afferant; qui autem reip. pestem comparant,ne reip.nocere possint.Quo modo,inquis, hoc assequemur? Facillima ratio est. si enim, qui multum in Republica possunt, hoc sophistarum genus, falsa sapientiæ opinione tumidum,& auaritia flagrans,a regis familiaritate repulerint;& homines,qui veræ sapientiæ dediti sunt, ad regis familiaritatem perduxerint; eueniet, vt sapientes salutem dare possint; sophistæ perniciem afferre non possint. Sed dicetis fortasse, quo modo tandem fallax sapientiæ nomen, a vera sapientia internoscere licebit? Nihil erit facilius: iactatio enim,& leuitas,& arrogantia; & pecuniæ studium,& animus abiectus, atque demissus, & reliqua deinde flagitia, quæ nullo modo diu celari, & occultari possunt, facile declarant, quam sit a veræ sapientiæ splendore remotus is,qui sapientiam inaniter, & insolenter assumit. Nihil enim tumidum,& inflatum, nihil sordidum, & abiectum, nihil flagitio, & scelere corruptum, cum vera sapientia simul habitare poterit. Multa quidem de bonorum hominum præsidio, quo regis status muniendus est, differuimus. nunc consequens est, vt de litterarum cognitione, atque de philosophiæ studio aliqua etiam dicamus. Si igitur hominum,qui nunc viuunt,sapientia,& consilio,regis status fulciendus est;multo certe magis eorum, qui vita iam functi sunt, consilio, & auctoritate, Principes omnes, qui munus suum tueri cum laude voluerunt, instruendi sunt. Primum quidem,quia illi,quorum scripta exstant, omnes ferme fuerunt summo ingenio,summa doctrina, summaq. eloquentia præditi. Vix enim fieri poterat,vt monumentum aliquod illius eruditissimæ antiquitatis ad nostra vsque tẽpora permaneret; nisi fuisset Diuino quodam ingenio excogitatum, summa, singulariq. industria elaboratum, & admirabili eloquẽtia perpolitum. Quæ enim tanto acumine,& vigilantia perfecta nõ sunt, cum in aliorum splendorem incurrunt,protinus euanescunt. Deinde,quod ea,quæ litteris mandarunt, non suo tantum ingenio peperẽrunt,sed,antiquissimorum hominum scriptis adiuti,& multis etiam rerum euentis edocti, & vsu longissimo vitæ confirmati;ea, quæ viderunt esse magnas vtilitates rebus humanis allatura,posteritati consecrarũt. Adde, quod illi homines,ingenio, atque doctrina præcellentes, non quidquid illis in mentem subito veniret; sed quod lente, & fastidiosè probarent, & diu comprimerent, & sæpe corrigerent,& summo studio limarent,in lucem edẽdum esse putauerunt. Tum,illi,qui iam ex hac vita excesserunt,inuidia, & obtrectatione, & odio,& cupiditate, & reliquis motibus animi carent; neque rem suam augere studẽt, neque Principum offensionem metuunt;ita,vt illorum decreta, & consilia suspecta esse nõ possint. Postremo, id,quod est antiquitate confirmatum,habet quãdam religionem, quam violare,a plerisque nefas existimatur. Si igitur illum, qui ingenij sui confidentia ita subnixus ambulat, vt nullius sapientis consilium accipiat,nullius monitis atque prescriptis obtemperet,temerarium, & insanum merito iudicamus;quo satis digno nomine temeritatem illius notabimus, qui illorum monita, institutaprescripta negligit, qui temporibus eruditissimis,& floretissimis,inter omnes,qui multum ingenio,& prudentia valebant, excellentes exstitere?optimoq. animo,& singulari diligentia, se ad scribendum contulere; neque quidquam litteris,& admirabili artificio persecuti sunt, nisi quod esset ad ingenij cultum aptissimum,& ad instituta vitæ clarissimum, & ad Reip. securitatem firmissimum.&,si reliqui, qui philosophiã colere possunt, illiusq. fructum,& vtilitatem contemnunt, mẽtis expertes habẽdi sunt; quid de Regibus statuendum est,quorũ opes sunt amplissimę, ad quas moderandas sapientia non mediocris,sed prestans,& eximia flagitatur;cum cõsilia sapientium,quæ monumentis elegantissimis continentur,aut ignauia impediti, aut amentia cæcati aspernantur,atque repudiant? Si enim sapientes nondum sunt, sapientia illis paranda est: aliter enim sibi commissum munus obire non poterunt:si iam sapientiam assecutisunt, ea certe non modo summo studio retinenda, sed etiam augenda,& cumulanda est. Si enim in rebus omnibus, ea, quæ bona esse iudicamus,non solum nobis parari,sed indies augeri,& amplificari vehementer expetimus; cur modum vllum rei omnium pulcherrimæ, atque

que maxime salutari statuemus? Quid enim sapientia clarius, quid iucundius,quid salutarius, quid Regis officio conuenientius fingi,& excogitari potest? Qui enim naturæ rationes,& rerum initia, & causas perscrutatus inspexerit, & cæli constantiam, & pulchritudinem, & siderũ fulgorem, & orbium cælestium conuersiones, & totius mundi conuenientiam, & vtilitatem notauerit;&,quãta sollertia omnia designata,& constituta sint, & quam arcte inter se fœderis naturalis vinculo colligata permaneant, contemplatus fuerit; non solum summam voluptatem ex tantarum rerum cognitione percipiet, verum etiam omni Regia virtute cumulari poterit. Facile namque ea,quæ libenter adspicimus, imitamur; & ad illorum nos similitudinem studio, & voluntate conferimus. Qui igitur mundi magnitudinem intuetur, & infinitas cæli, atque terrarum regiones animo peragrat, & æui etiam æternitatẽ mente considerat, pusillo animo esse non potest,aut rebus, exiguo adeo temporis spatio definitis,misere conturbari. Qui vero mundi ordinem, modum, & pulchritudinẽ,totiusq. naturæ concinnitatem perspicit, nullo modo quidquam perturbatum,confusum,fœdũ,turpe, & flagitiosum aut agere, aut pati poterit, omnemq. turpissimæ cupiditatis immoderationem acerrime profligabit. Qui postremo legem,atque rationem considerat,qua singulæ naturæ partes suis in locis continentur, & quo modo omnes inter se consentiunt, & firmo, & stabili amoris fœdere coniunguntur; ita, vt nulla in alienam sedem, & locum violenter inuadat, aut alienum munus insolẽter vsurpet; immo aliæ alijs stabilitatem dent, & aliarum vicissim opibus enixe fulciantur; nõ alienis opibus manus afferet, nec vim vllam ciuibus intentabit, neque Remp. vlla iniquitate,& iniuria perturbabit; sed iustitiam sanctissime colet, omneq. vitæ studium ad Reip. salutem conferendum existimabit. Iustitiæ namque munus est, ciuium multitudinem in ordinem conuenienter, & apte redigere; singulos homines in officio continere; nemini permittere,vt,neglecto suo munere, alienum appetat,aut vim inferat, aut fraudem machinetur; & omnes denique ciues inter se mutua caritate, & officio deuincire, vt alij opibus aliorum sustententur, &, coniunctis viribus, aduersus hostilem impetum muniantur. Naturæ igitur cognitio, & tam admirabilis fabricæ contemplatio, non solum sapientiam continet; sed etiam ad animi grauitatem, & constantiam,ad honestatis, & modestiæ rationem,ad iustitiæ moderationem,& æquitatem mirabiliter erudit. Illam vero philosophiæ partem, quæ humani animi naturam explanat, quæ partes illius sollertissime perspicit, quæ de virtutibus, & vitijs acutissime disserit, quæ mores, & instituta vitæ persequitur, quæ beatæ vitæ rationem,bonumq. illud summum, quo sunt omnia vitæ consilia referenda, describit, quis non videt ad Regis officiũ maxime pertinere? Quid de Rerum publicarum rectione dicendum est? num ea, quæ doctissimi, atque prudentissimi homines scripta reliquere, de Rerum publicarum generibus? de populi totius regendi, atque moderandi sapientia;de artibus,& disciplinis, quibus imperia ab initio pariuntur, deinde conseruantur,& amplificantur; de vitijs, quibus paullatim labuntur, & concidunt, atque tandem intereunt;de remedijs,quibus impẽdentes vniuersæ Reip. calamitates auerti, atque propulsari possunt? Hæc,inquam, omnia, quæ homines Diuino ingenio prædíti litteris mãdauerunt, de Reip. administrandæ scientia, num bainlis & operarijs tradenda sunt?an potius illis,quibus totius Reip.temperandæ,atque conseruandæ officium, & munus incumbit? Quid illud? num tantum onus sine admirabili quadam prudentia sustineri poterit? magna vero prudẽtia sine magno rerum vsu, & multorum negotiorum assidua tractatione,minime comparatur;vsus vero in tam breuis vitæ curriculo magnus esse non potest. ita vero fit,vt,quamuis homo multis negotijs interfit,ad summamq. senectutem perueniat, si nihil aliud nouit, nisi quod ipse vidit, atque transegit,semper adolescẽs, atque pene puer habendus sit. Hoc igitur, quod vitæ breuitas negat, litteræ cumulate largiuntur. Historia namque, quam Cicero testem temporum, lucem veritatis,vitam memoriæ, magistram vitæ, nuntiam vetustatis appellat, prudentiam non vniusætatis vsu, sed multorum sæculorum experientia comparatam tradit;& ea rerum cognitione legentes instruit, quam nemo sine lectione potuisset, quamuis ad Nestoris annos peruenisset, adipisci. Totius enim antiquitatis memoriam replicat, infinita rerum memorabilium exempla oculis pene subijcit,casus varios,euentus ancipites,& multas Rerump. conuersiones exponit; prudentum consilia, & fortium hominum præclara facta commemorat; temeritatis, & amentiæ exitus diros,& exitiales enarrat;atque plane demonstrat,quibus artibus imperia, a paruis initijs excitata,ad summum fastigium perueneriut;quibus institutis,& legibus diu permãserint;quib. deinde vitijs paullatim lapsa sint, atque tandem funditus euersa corruerint. Quæ igitur disciplina vtilior esse potest?quod studiũ salutarius, aut magis Regibus accommodatũ? Princeps igitur, qui rerum olim gestarũ monumenta legendo contriuerit, in similitudinem earum rerum,quas quotidie accidere videmus,incurret;ita,vt facile cũ præteritis præsentia coniungat, & coniectura ex antegressis caussis euẽtura prouideat. Historijs igitur eruditus multa Reip. pernicios̃a vitabit;multa rursus salutaria constituet;neque solum,

Iustitiæ munus.

Litterę, vitæ breuitatẽ iuuant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

folum,vt,quamdiu vixerit,Remp. incolumen præstet;sed,vt in multa sæcula propagari possit,sapientissime videbit.Si igitur litteræ,& philosophiæ studia tam multa adiumenta Regibus afferunt; quo modo possunt sine maximo Reip. detrimento ab illis contemni? An non plane liquet, philosophiamveris simæ sapientiæ præcepta continere?an obscurum est, maximum munus, sine maxima sapientia administrari non posse? an dubium est, nullum munus in terris esse Regio munere maius? Cum igitur in Rege maxima sapietia requiratur, quo modo poterit illud studium contemnere, quo sapientia continetur? Quod autem maxima sapientia illis valde necessaria sit, ex hoc facillime concludi potest; quod tria sunt,quæ in Rege flagitantur, quæ sine summa sapientia obtineri non possunt,nempe Honestas, & Auctoritas, atque Felicitas. Vt enim subditi imperium illius,qui tenet omnia,libenter, at que fidenter,& diligenter accipiant, tria illis necessaria sunt, Amor, & Fides, & Alacritas. Nec enim eorum,quos amamus,voluntatem negligere;neque consilium eorum,quos multum in posteru prouidere suspicamur, aspernari;neque, quæ feliciter euentura putamus, negligenter obire possumus:honestas autem, amorem conciliat;auctoritas,fidem facit;opinio felicitatis, alacritatem incitat. Cum igitur in ordine recto salus Reip.consistat; ordo vero nullus esse possit, vbi non omnes ciues imperium rectoris libenter accipiunt; &, vt omnes libenter imperata cõficiant, hæc tria, quæ diximus,flagitentur;quis non videt,omne Regis studium eo cõferendum esse,vt multum honestate præcellat, & plurimum auctoritate valeat,& vt ab omnibus felix existimetur?De honestate, iam diximus,eam complexu, & gremio sapientiæ contineri. Qui enim sapiés est,idem fortis,& moderatus, & iustus est;idem etiam laudibus humanitatis, & lenitatis excellit;quæ quantum ad amorem excitandum valeant, est explicatu difficillimum. De auctoritate, sine qua imperium constare non potest, etiam disputauimus : imperium enim multo magis Principis auctoritate,quã potentia,stabilitur.Cum enim subditi, aut vi, aut sponte pareant; & potentia quidem, vim inferat;auctoritas autem, voluntatem ad parendũ alliciat,& impellat;& qui vi cogitur,in officio diu permanere nõ possit; relinquitur, vt magis necessaria sit Principis auctoritas summa, quam summa potentia. Omnis vero auctoritas est in opinione sapientiæ constituta : cuncti enim libenter se ad ductum, & imperium illius applicant,quem existimant acute perspicere,quid illis ipsis,qui eius consilio, & voluntari parent, vtile futurum sit. Vt igitur ægroti sapienti medico, vt vectores sapiẽti nauclero, vt milites sapienti imperatori; sic omnes subditi sapienti Regi obediunt; &, quidquid ille præscripserit, diligenter exsequuntur. At,inquies, hominum multitudinẽ, in sapientiæ opinione, plerumque falli, sæpenumero sapientiæ laudem illis tribuere, qui sunt amentissimi. Verum id quidem est.id tamen intelligendum est, sapientiæ auctoritatem mendacio nixam, non esse posse diuturnam:facillime namque temeritas,falsa sapietiæ opinione commendata,rebus ipsis redarguta conuincitur;& desipiens arrogantia manifesto deprehenditur.Quod cum in omnibus artibus manifestum sit, tum in illa omnium clarissima clare perspicitur: frustra namque Rex temerarius,& insanus, sapientiæ nomen obtinere conabitur : quotidie enim cogetur, cum magno Reip. detrimento, stultitiam, & amentiam suam operibus indicare. Qui igitur sapientiæ famam vehementer expetit, sapientiam comparet opus est: secus enim stultitiam suam omnibus deridẽdam exhibebit. Dum igitur in auctoritate Regũ tantum momenti sit, vt sine illa nemo cõmode possit imperium gerere;auctoritas vero tota in sapientia collocãda sit; atque sapientia maxime ex sapientissimorum hominum scriptis, & monumentis egregiis comparetur; quis est tam auersus a ratione, vt hæc præclara studia Regibus parum vtilitatis, & dignitatis afferre dicat? Vt autem aliquid etiam de felicitate dicamus,intelligendum est, Felicem esse illum, quem Græci appellãt εὐτυχῆ. Is autem ille est, qui id assequitur, quo animus illius intendit; qui a proposito minime aberrat; qui raro admodum a cursu,quem tenet,abducitur. Quis autem ille est? Is profecto,qui scientiam rei illius tenet, quam tractat, & in qua commode versari desiderat. Quis enim sagittarius felix est, nisi qui scienter collineat, & eum locum, quem vult, telo configit ? Quis medicus felix est, nisi qui scienter remedia morbis accommodat, nec ab artis suæ instituto, & præscriptione recedit? Quis imperator felix est, nisi is, qui tenet disciplinam, qua vires hostium frangat,& suos milites alacres,& confidentes efficiat,& aciem prudenter instruat;& omnes boni Imperatoris artes diligenter, & studiose persequitur? Quis ita felix gubernator est, vt nauem sibi commissam in magnis tempestatibus tueatur, & saluam, & incolumem in portu constituat, nisi qui est nauigandi peritissimus?Denique,ne in singulis rebus insistã, omnis felicitas in quouis genere rerum, in arte, & cognitione consistit. Summi enim artifices, euentum felicem vt plurimum consequuntur. Sapientiæ igitur, non fortunæ, est omnis felicitas adscribenda. Recte igitur ille inquit :

Nullum numen abest,si sit Prudentia: sed te
Nos facimus,Fortuna,deam,cæloq. locamus.

Ea enim,quæ fortunæ tribuuntur, neque consilio prouidentur, neque frequenter eueniũt; sed raro,& inopinato contingunt.Nos autem Felices eos appellamus, quibus ea, quæ sunt optime

Tria in Rege flagitantur.

Tria subditis necessaria.

Sapientię falsa auctoritas nõ potest esse diuturna.

Sapientiæ felicitas adscribenda.

Iuuenalis. Sat 10.

optime cogitata, prospere cadunt, raroque admodum coniectura falluntur. Cum igitur felicitas a sapientia distrahi, atque diuelli nõ possit, & omnes pro Regis felicitate vota faciamus;consequens est,vt nihil magis optare debeamus,quam Regem, omnibus sapientiæ opibus affluentem.Summa namque sapientia opus illi est, qui velit summa felicitate potiri. Quod si Regi Diuino consilio acciderit,vt singularem sapientiam consequatur, facillime modestia profligabit incontinentiam;benignitas coercebit improbitatem; iustitia resecabit malitiam;vis, & fraus omnis compressa silebit;odium,temeritas,& imprudentia,& reliquæ animorum pestes in exsilium pellentur; ius,& fas,& ciuium inter ciues consensio, pacem, & otium cum dignitate constituet; & virtus vniuersam Rempu. contra omnes hostium conatus armis diuinis armabit; neque solum Rex ipse felix erit, sed omnes,qui imperio illius cõtinentur,erunt beatæ vitę partices. Omnes enim,qui sub Rege sapiente sunt, sapientiæ compotes habendi sunt : nec enim insipientes appellari possunt,qui sponte,& voluntate sua sapientium iussis obtemperant: vniuersa igitur Resp. bonis omnibus redundabit. Nec enim solum erit honestatis opib. floretissima; sed etiam reliquis bonis affluet, quæ ad virtutis,& honestatis vsum conferuntur.Iam enim demonstratum est, diuitias, & facultates non esse in possessione,sed in recto vsu collocandas.Ea enim,quæ possidentur ab hominibus furiosis,& insanis, non salutis, atque dignitatis præsidia sunt,sed calamitatis, atque dedecoris instrumenta. Illis igitur tantum bona sunt, qui intelligunt, qui modum seruant, qui,quo modo rebus omnibus vtendum sit, ratione percipiunt. Cum igitur omnis felicitatis ratio in sapientia cõstituta sit; Regi autem hoc propositum esse debeat, vt non ipse solum felix sit,sed vniuersam Remp. felicẽ præstet;restat plane, vt nullo modo suũ officium tueri valeat,nisi sapietia summa præditus fuerit. Si igitur Regi summa sapientia necessaria est;efficitur,vt omnes artes,quibus sapientia continetur, summo studio percipere debeat: sic enim & præstanti dignitate, & eximia auctoritate, & magna quadam felicitate præcellet, totumque Regnum facile moderabitur.Sed dices,maximam temporis partem esse in litterar um studio consumendam illis,qui ad summum gradum sapientiæ peruenire contendunt.Non ita est:non enim (vt iã diximus, cum de liberalibus disciplinis disputaremus) oportet, Principem diu in illis immorari, sed tantum ex singulis haurire, atq. delibare,quãtum sat sit, & ad ingenii cultum, & ad Regiæ disciplinæ facultatem. Si enim doctor sapiens(nec enim is, qui non fuerit magna eruditione,& sapientia præditus,eum delectum habere poterit) ea selegerit ex vnaquaque disciplina, quæ sunt vtilissima, & ea, quæ selegerit,via, atque ratione tradiderit; neque inutiles Regi quæstiones inculcauerit; neque incerta pro certis affirmare voluerit ; & omnem instituendi rationem ad Regiam disciplinam,& facultatem contulerit;& Princeps,ingenio acri præditus,& intelligendi studio flagrans,exstiterit ; & diligenter ea, quæ audierit,memoriæ mandauerit; dubium non est, quin intra breue tempus sit ex omni liberali disciplina fructũ eximium percepturus. Viginti annos erat natus Alexander,cum regnare cœpit;at iam eo tempore orbem disciplinarum(quem Græci ἐγκυκλοπαιδείαν appellant) studio summo confecerat; & ex Aristotele non ea tantum,quæ ad mores,& ad Reip. regendæ scientiam, sed ea etiam,quæ ad naturæ cognitionem pertinebant, studio flagrante didicerat: at assidue in armis exercebatur; & vires corporis saltu, & cursu, & palestra, & venationibus, & vitæ duritia confirmabat; & sub patre etiam interdum militabat; & in pugna Cheronæa,qua nulla fuit tem poribus illis acrior, & periculosior, non mediocre signum virtutis suæ dederat.Ex quo intelligi oportet,magis animum, & ingenium, & diligentiam,& attentionem ad disciplinas percipiendas requiri, quam multum temporis spatium flagitari. Quanti autem philosophiam faceret, illæ litteræ declarant, quibus expostulat cum Aristotele,quod ea,quæ illi de naturæ principiis tradiderat, in lucem edidisset.Qua nam,inquit,re alia, reliquis hominibus præstabo,si disciplina ista fuerit cum omnibus communicata?malo enim,me rerum altissimarum cognitione, quam opibus, atque potentia reliquis anteire.Hæc Alexander negare certe non potest,inuidi animi esse; indigne pati,sapientiæ studia perulgari. In hoc tamen egregie laudandus erat,quod iudicabat, nihil esse magis Regium,quam sapere.In mediis itaque bellis sæpe legebat, & intermissa philophiæ studia recolebat; & Homeri lectione animum a laboribus recreabat; & philosophis vtebatur;& tempus, quod alii Principes in aleam, cum magno desidiæ, & immoderationis exemplo,conferunt,ille in Philosophia cõsumebat; & hanc vnam voluptatem animo plane Regio maxime dignam existimabat, quod certe declarat,animo maximo, & ingenio acutissimo bene, atque sapienter instituto, nihil esse difficile. Nec hoc in Alexandro tãtum,sed in patre illius Philippo,in Pericle, in Epaminonda, & in quam plurimis Græciæ Principibus,perspici potuit, qui sapietiæ studia cum imperatoria, atque ciuili disciplina coniunxerunt. Quod etiam a Romanis Principibus, postquam philosophia Romam commigrauit,fuit cum magna gloria, & Reip. salute factitatum : nisi parum vtilem Reip. fuisse Lelium credimus,aut Africanum,aut Catonem,aut Principes alios innumerabiles,simul & sapientia,& rerum gestarum gloria florentissimos.

Animus magis, quam tẽpus ad disciplinas requiritur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tissimos. Sed inquies, omnes, quos nominare possum, mediocriter eruditos fuisse, me autē in Rege non mediocrem sapiētiam. sed summam requirere. Verum id quidem est, sed ego summam sapientiam non tā in litteris, quam in litterarum fructu ponēdam existimo: omnia namque Principum studia ad vsum conferenda sunt. Is igitur sapientior multo est, qui pauciora quidem legit, & ea tamen omnia, quæ legit, ad officium refert, & vsu rectissimo vitæ confirmat; quam is, qui totam vitam in legendo sine vtilitate consumit. Cum igitur summa Regis sapientia non ostentatione disciplinæ, sed officiorum diligentissima ratione, & publica vtilitate desimenda sit; reliquū est, vt Rex mediocriter eruditus, qui ad patriæ salutem eruditionē suam dirigit, sit multo sapientior illo, qui a libris auelli nō potest, eo tempore, quo patria opera illius indiget. Vt enim medicus sapiens non est, qui ætatem in studio medicinæ sine vtilitate conterit; sed qui salutarem medicinam facit, multosque in sanitatem restituit; ita sapiens Rex non erit ille, qui sapientiæ disciplinam, sine sapientiæ fructu, consectatur; sed qui omnia Reip. vulnera sanat, & ea, quæ didicit, in publicam vtilitatem confert. Cum igitur Regem mediocriter eruditum, non tamen mediocri sapientia præditum esse volo, non repugnantia dico, sed id, quod facillime fieri potest. In quo quidem numquam satis laudare potero multos Lusitaniæ Principes, qui, temporibus illis incultis, in quibus omnia præclara studia sepulta esse videbantur, multum tamen legebant: quod eorum cōciones, quas in Annales translatas legimus, plenæ Philosophorum sententiis, facile declarāt. In litteris autem sacris summo studio versabantur; ita, vt, si quid ab illis Latine scribendū esset, eodem plane stylo scriberēt. Veluti Rex Alphonsus, primus, Regni huius conditor, cuius diuina virtus cum admirabili sapientia coniuncta, merito est in omni æternitate celebranda. Is igitur, cum Scalabim vrbem, & situ, & arte munitissimam, & militum multitudine, & vigilum diligentia, & præfectorum vigilantia defensam, centum & viginti tantū hominibus fortissimis stipatus, nocte vna cepisset; & vrbis situm, & regionis fertilitatem, & expugnationem illam non incommode litteris Latinis complexus est; ita tamen, vt appareat, illum ex sanctis litteris non viuendi tantum disciplinam, sed dicendi etiam stylū, & rationem percepisse. Post illius autem mortem vsque, ad Dionysij Regis tempora, viguit Latinarum litterarum studium, quantum illa ætas rudis, & impolita, & cōtinuis bellis exercita ferre potuit; ita, vt nullum monumentū illius temporis exstet, quod non pure, & dilucide, &, vt nihil aliud dicam, Latine scriptū sit. Inuasit deinde barbaries, quæ pristinam linguæ Latinę puritatem fœde cōtaminauit; nō ita tamen, vt studium illius in Principibus exstingueret. Nam Odoardus Rex, Ioannis hoc nomine primi filius, non solū litteris valde deditus fuit, sed librum etiā de Regni moderatione scriptum reliquit. Fratrem autem illius Petrum constat eruditum fuisse; & Henricum etiam illum, qui primus ignotas insulas exploranit, viamq. aperuit, qua nostræ classes in Indiam, & in omnes solis orientis regiones penetrare possent. Ij omnes, cum essent in armis enutriti, non tamen artes ingenuas, & maximas disciplinas neglexerūt, sed multum operæ, & studij in illis posuerunt. Non enim tunc alea, non libido, non ignauia, non desidia, non mollities, non desperatio illorum animos impediebat, quo minus ingenium excolerent. quantum igitur temporis illis à Regni procuratione vacabat, tantum in studiis artium maximarum consumebant. Intelligebant enim, omnem hominis liberalis, & ingenui cultum, virtutibus, & scientia contineri. mens enim, quæ in animo dominatur, disciplinis instruenda est; reliquæ partes animi virtutibus ornandæ sunt, vt possimus officio, atque munere nostro perfungi. Omnes enim & ad intelligendum, & ad agendū nati sumus. Ita, vt nihil sit magis humanæ naturæ consentaneum, quam rerum multarum scientie, & virtutum omnium disciplina, qua simul & alta suspicere, & ea, quæ pulchra esse videmus, laudabiliter exsequi possimus. Hoc intelligētes illi nostri Principes, quos memoraui, & multi, quos causſa breuitatis omisi, cum essent militaris virtutis gloria præstantissimi, non mediocre tamen studium in disciplinas artium maximarum contulerunt; & operam etiam dederunt, vt nobilitatem artibus præclaris instituerent. Vbi sunt igitur ij, qui dicunt, maiores nostros nullum omnino litterarum cultum habuisse? nec enim, si quidam nobiles, nomine nobilitatis inflati, & tarditate, aut stupiditate potius mentis oppressi, nullas litteras attigerunt, id vitium cōtinuo ad reliquos transferri debet: cum bona eorū pars fuerit studio bonarum disciplinarum acriter incensa. Sed, vt iam huic parti finem imponamus; cum constet, in Principe summam sapientiam requiri, hæc autem sapientia plurimum litteris adiuuetur; nemini dubium esse potest, quin Princeps ille, qui velit amplissimi nominis gloria florere, & ad summorum hominum, qui immortalitati, egregiis monumentis, consecrati sunt, laudes adspirare, sit & litteris, & Philosophia, & omnibus summis artibus ornandus, & instruendus. Nunc ad illud tertium præsidium, omnium firmissimum, atque munitissimum, quod in religionis cultu positū est, tandem veniamus. Vt igitur hinc initium sumamus, omnibus nationibus (quantumuis feræ, & immanes illæ sint, & a Christianæ religionis sacris abhorrentes) insitum est, esse quoddam sempiternum

Nationes omnes Deum esse fatentur.

num numen, immensa sapientia, atque potestate præditum, cuius vi, consilio, voluntate, omnia, quæ super subterque sunt, moueantur, atque gubernentur. Id igitur, quod antiquissimi poetæ prædicant, est omnibus valde persuasum, imperia ope diuina fundari, & augeri, & ea, quæ iam sunt opibus summis amplificata, deleri; vt appareat, eiusdem rectoris, atque moderatoris esse, virtutis industriam imperii ornamentis afficere; & superbiam potētia, & imperio sublatam de omni statu deturbare. Cum igitur sibi, & naturæ operibus admoniti, & patrijs disciplinis instituti, persuaderent, res humanas diuina mēte gubernari; consequens erat, vt crederent, illius numen esse bonis propitium, improbis autem, & sceleratis infensum; idcirco homines, ingenio præcellentes, qui primi dispersam, atque dissipatam in siluis multitudinem in vnum locū cōpulerunt, vt eā a vitæ feritate ad humanitatis cultum traducerent, cum leges, atque iura describerent, omne iuris fundamentum in religione collocarunt. Inepta quidem illa fuit plerisque in locis, & male constituta religio. Quis negat? In hoc tamē laudandi sunt, quod tolerabilius esse crediderunt, quamuis speciē religionis adsciscere, quam omnem religionem aspernari. Qui enim religionem aliquā habet, quamuis ea minime sapienter instituta sit, credit saltem, omnia esse Diuino sensu, & mente completa; & res humanas a Deo animaduerti; illiusque munere, & beneficētia hominum vitam sustentari: hoc autem qui secū habet animo constitutum, Dei metu fidem colit, iusiurandum seruat, ius humanæ societatis violare non audet, a flagitio, & scelere sæpenumero reuocatur; ita, vt facillime publico iure deuinciri, & imperio legitimo contineri possit. At, qui nullam religionem colit, & omnes sanctitates irridet, neque fidem seruat, nec humanitatem retinet, nec vllo iure coerceri potest; sed, quantum in illo est, omnem societatem humanam dirimit, & statum Reip. intemperantia sua peruertit. Frustra enim leges sanciuntur, vbi numen cæleste contemnitur. Vbi enim primum spes celandi, & occultādi sceleris homini impio proposita fuerit, quod fieri sæpe contingit, nullum erit tam immane facinus, quod non aggrediatur. Iure igitur primi vrbium conditores Reip. fundamētū in religione ponebant; & eos, quos religione minime adstrictos animaduertebant, aut morte, aut exsilio multabant. Nec enim Rēp. felicem fore statuebant, in qua homines impij, & scelerati, & communibus rebus infesti, impune possent pestilenti contagione ciues inficere; & iram numinis metuebant, si religionis hosti parcerent. Cum vero religio in omnium animis insideret, tum Reges nihil tam Regium esse putabant, quam religionis sanctimoniam. Primum enim existimabant, regendi munus esse Diuinum, neque sine sempiterni Regis auxilio, & numine administrari posse. Deinde, plurimum ad auctoritatem suam constituendam pertinere credebant, intelligi ab hominibus, se Dei amicos esse, neq. sine illius mente imperium gubernare. Postremo, ad hostium metum nihil vtilius esse censebant illa opinione, qua crederetur ab hominibus, se Diuino præsidio custodiri. Id autem effecit, vt priscis temporibus, qui Reges erāt, simul & Sacerdotes esset. Arbitrabātur enim, eiusdem muneris esse, numen Diuinum hominibus placare, & homines cum Deo iustitiæ, & pietatis studio coniungere. Vt enim hic nihil de Melchisedecho, de Iobo, & de viris alijs sanctissimis dicam, quos constat & Reges & Sacerdotes simul exstitisse, apud Aegyptios, & alias nationes quam plurimas, diuturna consuetudine receptum fuit, vt Reges sacris præessent, summoq. sacerdotio fungerentur. Reges vero Hebræorum, quamuis Diuinæ legis instituto, fuisset illis cum Sacerdotibus officium dispertitum; (nec enim fieri poterat, vt idem homo vtrique officio satisfaceret) multa tamen religionis munera tuebantur; ita, vt viderentur quodammodo in sacerdotij societatem conuocari. Reges etiam Græci, qui nullam cognitionem Diuinæ legis habebant, sacra procurabant, & religiones expiabant, sacerdotum officium, & munus obibant. Cum vero, progressu temporis, vt Reip. ratio flagitabat, plures sacerdotes crearentur, multa tamen sacra Regibus reseruata sunt, quæ nefas erat ab alio confici. Itaq. Reges Lacedæmonij, Messenij, Argini, Athenienses, & alij præterea multi, quamuis alios sacerdotes haberent, ipsi tamen certas hostias per se, patrijs institutis, & legibus, immolabant. Vnde factum est Athenis, post Codri mortē, cum Athenienses, propter recentem memoriam optimi Principis, alium Regem habere nollent, & vim, & potentiam Regis de Rep. tollerent, Regis tamen nomen religionis gratia retinerent. Ex illis enim nouem Principibus, qui singulis annis creabantur, vnus Rex appellabatur, qui, præter alia religionis munera, quibus erat præpositus, in eos, qui religionem violabant, inquirebat, & impietatem in Deos patrios seuerissime vindicabat. Romæ vero, similiter, expulsis Regibus, cum essent certa sacrificia, quę nō licebat per alios, quā per Reges, fieri, ne religio aliqua ex parte labaret, fuit sacerdotium quoddam institutum, cui is, qui præerat, Rex sacrorum appellabatur. Consules autem, qui potestatem Regiam obtinebant, & Prætores etiam, qui ijsdem auspiciis creabantur, quanta erant obstricti religione? quantum in sacris rite peragendis occupati? quæ templa, quæ munera, quos ludos vouebant? quam sæpe manus in cęlum tendebant, & cæleste numen in belli periculis implorabant? quanta cęrimonia sacras ædes, & quam sollemni ritu dedicabant? Non

Reges, & Sacerdotes ijdem.

Rex sacrorū quando institutus.

loquor

Universidad de Deusto
Biblioteca

loquor hic de Camilli, de Scipionis, de Marcelli, de quorundam aliorum singulari religione, qua ciuium animos in sui admirationem conuertebant: non Deciorum pietatem, qua se pro patriæ salute manibus deuouerunt, oratione commemoro: de communi religione, qua omnes ciues erant obligati, disputo, quæ quidem tanta fuit, vt constet multos sponte sua sese imperio abdicasse, propterea quod auspicato creati consules minime fuissent. Inepta, inquis, & inanis superstitio Romanos homines implicabat. Verum. sed ea superstitio, qua auguriis parebant, exta inspiciebant, & de cælo seruabant, ab ea opinione profecta erat, qua existimabant, res humanas Deo curæ esse, hominesque religiosos diuina mente premoneri. Ne igitur plura dicam, hoc sane liquet, Romanos Principes tãto studio religionem coluisse, vt in mediis bellis magis videretur esse sacrificiis, quam bellis gerendis intẽti: belli namq. victoriam, magis ad opem Diuinam, quam ad industriam humanam referebant. In quo quidem Numæ Pompilij institutum sequebantur; qui, vt proditum memoriæ est, cum ei quidam dixisset, Hostes, o Numa, bellum contra te comparant. At ego (inquit ille ridens) sacrifico. In quo quidem significabat, hostium vires magis esse propitio Dei numine, quam exercitus robore frangendas. Nõ quidẽ, quod virtus negligenda sit: Deus enim virtuti fauet, & est timidis, & ignauis infensus. Sed tam victoria, quam virtus, qua victoria comparatur, in Diuinis beneficiis numeranda est. Hoc igitur Romani Principes considerantes, tanto studio religionem procurabãt, vt magis sacerdotes, quam imperatores, interdum viderentur. Hoc autem quidam Græci T. Quinctio, viro clarissimo, obiectabant, quod magis sacrificuli cuiusdam personã tueretur, quam imperatoris strenui dignitatem. Non videbant enim homines sacrilegi illum, qui tanto studio religionem colebat, in uictũ semper exstitisse; & ipsos, qui religionẽ optimi Principis irridebant, illius dominatũ pati. Sed, quorsum hæc tam multa? Vt facilius intelligi possit, in illa etiam rerũ caligine, & in illis ignorantiæ tenebrrs, insitũ fuisse illis, qui multum reliquis & ingenio, & industria, & præclaris factis antecellebãt, nihil esse magis decorum Principibus, quam religionem, atq. pietatem. Videbant enim, Regiã Maiestatem non solum esse Dei prouidentia constitutam, sed singulari etiam illius ope, & beneficio conseruatam. Quod vt significarent, tam Hesiodus, quam Homerus, aiũt, Reges esse Iouis satu procreatos; & sapienter quidem: Diuinum namq. munus, nisi a Diuinis viris administrari non potest. Regium vero munus qui diuinũ esse negat, mentis compos habendus non est. Non intelligit enim, continere ditione populos; multitudinis inconsideratos impetus ratione comprimere; tam multas hominum, & tam inter se repugnantes naturas alligare, & fœderis artissimo vinculo deuincire; tantum que vnum inter omnes excellere, vt omnes illi supplicandum existiment; maius esse, quam vt humana tantum ratione, & industria præstari possit. Qui igitur tantum munus facile tuentur, & sustinent, Diuinis certe virtutibus instructi, & ornati sunt; qui vero Diuinis ornamentis excultus est, is plane Diuinus est. Merito igitur est illius genus ad Deum auctorẽ, & principem referẽdum. Ergo, si merito Rex Deum parentem agnoscit, de nulla re alia attentius, quam de illius honore, cogitare debet. Præterea sanctum, & augustum Regis nomen obtinere non debet, qui iustitiæ gloria non præstiterit. Iustitiæ vero potissima pars illa est, qua Deum honoribus debitis, quantũ humana imbecillitas præstare potest, afficimus; illiusq. beneficia gratissimo animo tuemur, & sempiterna memoria conseruamus. Cùm vero Reges reliquis hominibus antelati sint, & multo amplioribus beneficijs obstricti; reliquum est, vt omne illorum studium sit ad religionem conferendum. Quid enim magis conuenit homini magno, & excelso, atque plane diuino, quam ardens ipsius Diuinitatis studium? quid autem aliud continet Religio, quã optimi illius parentis amorem? quam fidem, atque voluntatem, meritis excellentibus, atque diuinis obligatam? quam animum cum Deo coniunctum, & cupiditate Diuinitatis inflammatum? Si hæc parua, & minuta sunt, minimeq. Principe digna; summa ope contendite, ne se Rex religione adstringat vlla; ne fidem, & officium summo omnium rerum dominatori persoluat; ne cælum vmquam, & astra suspiciat; sed, Dei immemor, & verissimæ dignitatis oblitus, se in quadrupedis naturã conuertat; vt tum demum vir magnus, atque sane fortis habeatur. sed tum certe minime Homerum, & antiquos poetas audiemus, neque Regium genus ad Deum auctorem, sed ad belluarum stirpem, & immanitatem reuocabimus. Quo quid dici, aut animo fingi potest absurdius? Quid ergo; id, quod homines antiqui multis tenebris oppleti, viderunt, nos tantis radijs Diuinæ lucis illustrati, non videbimus? illi, natura tantum admoniti, perspexerunt, nihil esse, quod magis Principis nomen illustraret, quam religionem; nos, per vnicum Dei filium cælestibus disciplinis eruditi, contra disputabimus? maiorem vim habebit apud nationes Christianæ religionis expertes obscurus naturæ sensus, quã apud nos clarissimæ Euangelij disciplina? Quod scelus tantum fingi potest, quod sit cum hoc tam immani facinore comparandũ? Qui enim Christianæ religionis studio, dignitatem imminui censent; tacite iudicant, esse Christianæ pietati aliquid dedecoris, & indignitatis admixtum. Conuicium igitur facit Deo, & Christo Optimo Maximo impurissime maledicit. Videte

Religio, & Pietas, Principes maxime decent.

dete, quantum inter istos, qui Christiani nominantur, & illos, qui densissimis erant immersi tenebris, interfit. illi, cum veræ religionis rationem ignorarent, summã tamen inesse dignitatem in religione iudicabant; isti, cõtra, qui in verissima, & sanctissima religione nutriti sunt, parum inesse dignitatis in religione constituunt. Numquam enim C. Fabius, cum, Roma capta, Capitolium a Gallis obsideretur, e Capitolio sacra manibus gerens descendisset, atque per medias stationes hostium in Quirinalem collem, vt sacra rite perageret, euasisset, nisi iudicasset, nihil esse ad dignitatem, & gloriam religione præclarius. Numquam certe P. Decius in prælio contra Latinos inito, se ipsum conceptis verbis, & capite velato pro Rep. deuouisset, si nõ existimasset, ea religione sibi viam ad immortalitatem gloriæ muniri. Numquam illius filius, in pugna contra Gallos, atque Samnites, acerrime vtrimque pugnata, patris religionem, & fatum expleuisset, nisi gloriæ dulcedine mortis dolorem mitigasset. Innumerabilia antiquitatis exempla prætereo; quibus confirmari potest, nihil fuisse apud illos homines clarius, quam religionis cultum, atque cerimoniarum sanctitatem. Ita ne vero? Illis Principibus honestum, & gloriosum erat, superstitione conflictari, falsisque numinibus honores Diuinos habere; nostris Principibus, verum Deum colere, & venerari, summoque Domino, qui cælum, & terram infinita potestate complectitur, amore coniũgi, nõ erit honestum? Sed inquiunt, non religionem in Rege damnari; esset enim id scelus infandũ, sempiternis cruciatibus eluendum; sed modum religioni constitui. Cur igitur non eundem modum diuitiarum cupiditati, non honorum ambitioni, non reliquis bonis, quæ pulchra putant, atque vehementer expetenda, præfiniunt? Quid hoc est? Ea, quæ, nisi modum illis adhibeas, bona esse non possunt, instrumenta namque tantum virtutis sunt; non ipsum summum bonum, ad quod sunt, omnia vitæ cõsilia referenda, sine modo parabimus; nulliq. finibus eorum cupiditatem arcebimus; illius vero summi boni cupiditatem modo aliquo, & humana ratione terminabimus? quæ enim tanta peruersitas est, vt ea, quæ modice appetenda sunt, infinite appetas; ijs vero quorũ infinita cupiditate flagrare debemus, certos fines, terminosq. constituas? ea namque, quæ ad certum finem diriguntur, certis finibus circumscribenda sunt; ipsum vero finẽ, in quem omnia vitæ studia, & officia conferenda sunt, fine alio terminare non licet. Modus igitur, quem in appetendo summo bono seruare debemus, est, nullo modo contineri, sed immensa cupiditate illius inflammari. Isti vero contra faciunt: cum enim nullum in rerum humanarum cupiditate modum teneant, in Dei sanctissimo cultu modum præscribunt: vt facile appareat, illos pecuniam, & opes humanas, vt vltimum vitæ finem, spectare, Dei vero opera ad illas tantum parandas abuti. Quod quid aliud est, quam Dei cultum ad terrenas opes transferre? Vt autem melius iudicari possit, non modo quam impia, & scelerata, sed etiam quam difficilis, & absurda sit hæc religionis temperantia, quam isti tradunt; par erit, vt videamus, quantum sit in illa Regis ornamentum, quantumque præsidium. Primum enim, si sapientia Regibus necessaria est, vera sapientia purissimæ religionis studio continetur. Mens enim hominis sancti, atque religiosi Deum in hac vita, quo ad fas est, intuetur; in illaque sempiterna luce defixa, lumen in se clarissimum recipit, quo non solum omnia, quæ possunt humana intelligentia comprehendi, sed alia multa, quæ sunt ab humana cognitione remotissima, clare, & acute perspiciat. Ex rerum igitur cælestium, atque Diuinarum contemplatione incredibilem voluptatem percipit; &, cum se rursus ad humanarum curam, caritatis, & humanitatis necessario studio, dimittit, multo certius de illis iudicat, quam si numquã ab eis oculos auertisset. Nec enim tam in eas, quam in rationes, & consilia, quibus cohærent, & permanent, aciem mentis intendit; & omnia ad caussas, & principia reuocat; & ita multo facilius omnium rerum naturas explorat. Quemadmodum enim de vmbrarum dimensionibus multo melius differit is, qui eas ad rationem corporum, quorum obiectu vmbræ fiunt, reducit, quam qui eas sine vllo respectu ad corporum soliditatem metiri conatur; ita de rebus humanis multo rectius statuit is, qui Diuinas rationes, ex quibus humana pendent, mente, & ratione complectitur, eo, qui tantum in ipsis rebus humanis insistit. Quamuis enim in principio, propter earum insolentiam, perturbari, & hæsitare videatur; vbi primum se colligit, multo certius, & clarius de omnibus rebus, quæ in communi vita versantur, iudicium facit, quã si illarum perpetuis curis implicitus exstitisset. Vt enim, quæ nocte videntur, non explorate cognoscuntur, multa enim in tenebris oculos fallunt, multæ rerum inanes species occurrũt, quæ, simul atque lux Solis appropinquat, euanescunt; ita homines, Diuinæ lucis expertes, in vita multis rerum imaginibus illusi, in capitales fraudes impelluntur; &, quo magis ingenio valent, eo maiorem sibi pestem, & exitiũ machinantur. Omnis enim vita, quæ luce Diuina nõ fruitur, tetra nox, & caligo putãda est. Vt ergo in obscura nocte arborum trunci, & vmbræ nemorũ, & eminentes petræ, & alia eiusmodi, quę inanem speciẽ rei alicuius metuendæ referant, terrorẽ imperitis iniiciunt, qui interim fortasse minime latronũ insidias prope locatas animaduertũt; sic in vita cõmuni res inanes, quasi quædam nocturnæ formi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dines, hominibus splendore Diuinę lucis orbatis obijciuntur; quas dum summo studio declinant, veram, atque sempiternam pestem, in quam furenter irruunt, minime contuentur. Vnde colligitur, humanam prudentiam Diuino consilio destitutam, summam esse temeritatem, & amentiam reputandam. summa namque dementia est, (vt iam sæpe diximus) stultitia, falsa sapientiæ opinione subnixa: quod quidem in humanum ingenium, & calliditatē a Diuina luce seiunctam mirifice conuenit. Cum enim maxime a via salutis aberrat, tum vel maxime se rectam viam tenere confidit; &, cum firmissime statum suum tueri putat, tum multo furentius eundem statum deturbat, atque dissipat. Mortuo Solomone Hebræorum Rege, magnum regni dissidium factum est, temeritate Roboami Solomonis filij, ad quem regnum hereditate peruenerat: ex duodecim namque tribubus, duæ tantum Roboamum secutæ sunt, decem vero Regem creauerunt Ieroboamum, nouum quidem hominem, sed ingenio, & industria præstantem. Is, cum rebus suis diffideret, & intelligeret statum Reip. esse cum religionis institutione coniunctum; timuit, ne, si religio antiqua maneret, Regni sui nouitas firmari non posset: verebatur enim, ne, si faceret suis potestatem eundi ter singulis annis in templum, quod erat Hierosolymis, in Roboami Regno, sanctissimum, vt lex Diuina sanciebat; sui, captis templi sanctitate, paullatim animos ad Roboami opes inclinarent; & fortasse etiam indigne patiebatur, aurum, & argentum, vt offerretur in templum, ex regno suo asportari. Quid igitur facit? Nouam religionem in Regno suo cōstituit, ne necesse suis esset, religionis gratia alienas terras cum labore, & molestia peragrare. Pro vno deinde templo duo fana diuersis in locis exstruxit, vt esset religiosis hominibus via numinis placandi facilior. In vtroque autem fano vitulum aureum dedicauit, vt illa forma salutarem vim numinis in omnium oculis, & adspectu proponeret. figura namque animantis illius, cuius opera terra profcisa, & arata fruges ex se fundit, existimabant Aegyptij, vnde hoc institutum Ieroboamus acceperat, benignitatem numinis, qua alimur, & sustentamur, apte significari. Sic igitur gratiam a suis inibat; & Regni opes firmabat; & omnes subditos, domi, cum opibus, & pecunia continebat. Nihil igitur ab illo, nisi callide, & acute, excogitatū fuit. Illa tamen calliditate quid assecutus est? pestem, & cruciatum, dirumque regni totius exitium. Reges enim, qui illi successerunt, illius prudentiam imitati, in eandem calamitatem inciderunt; vsque eo, dum, sceleris pertinacia, Regno interitum molirētur: nec enim cernebat, nullas opes Regni cum numinis offensione confirmari, & constitui posse. Postquam Israelis regnum deletū ab Assyrijs fuit, Iudæę regnum simili scelere Deum offendit. Fuit igitur ab ope illius derelictum, multisq. bellis, & incommodis vexatum. Quid Principes consilij publici moliuntur? Ab Aegyptijs auxilium petunt; in Aethiopiam legatos mittunt; amicitiam cum vicinis Principibus firmant; externosq. milites magna mercede cō ducunt. Dicit interim Isaias, frustra contra Deum iratum auxilia humana conquiri; malum, quod erat impietate inuectum, pietate depellendū esse. Vt enim nullis humanis opibus potest ira læsi numinis auerti; ita nullis opibus humanis posse eorum statum, quibus Deus propitius est, labefactari. Reip. igitur in uictum præsidium, integra vitæ conuersione, & firma fide contineri. Ante quam id fiat, frustra opem hominum flagitari; clamat, orat, obsecrat, implorat, & cum lacrymis obtestatur, ne se prius humanis opibus, quam auxilio Diuino, communiant. Quid illi interim ad hæc? Irridentur hominis optimi simplicitatē, qui id, quod erat armis, & cōsilio gerendum, religionis purissimæ studio confici posse confideret. In instituto igitur perseuerāt, & statum Reip. non pietate, sed humana ratione sæpiunt; neque cum Deo, sed cum hominibus fœdus percutiunt. Sed, quem fructum tam illi, quam posteri illorum, ex hac prudentia cōsecuti sunt? Horribilem cladem, ignominiam, seruitutem, atque tandem patriæ totius occasum. Postquam Iudæi, euersa Babylone, in libertatem vindicati, & in patrias sedes restituti sunt; prius domos suas, quam templum Dei, ædificare cœperunt. Eam autem rationem afferebant, quod nondum tempus instaurandi templi Diuino oraculo prædictum aduenerat. Annonæ etiam difficultas eos afflictabat; ita, vt ædificationem templi melioribus annis reseruandam existimarent. non intelligebant enim illi, terræ sterilitatem, & annonæ caritatem, & argenti inopiam, esse pœnam a Deo religionis negligentiæ constitutam: quēadmodum Aggæus, Diuinus vir, maxima voce testabatur; quod quidem fuit exitu felicissimo comprobatum. Cum primum enim Iudæi templi fundamentum iecere, terra lætissimas fruges extulit: vineæ, oliueta, & reliquæ arbores, floribus onustæ, maximam spem vbertatis attulerunt; illudque religionis studium, non solum annonæ summa vilitas, sed magna etiam copia auri, & argenti consecuta est. Multa eiusmodi exempla commemorare possum; quibus planum fiat, humanam prudentiam, & rationem, cum est Diuina luce orbata, esse summam dementiam. Clamant Diuini viri; neq. bellum, neque famem, neque pestilentiam, nec inopiam, neque vastitatem, nec vllum eiusmodi malum esse, quod non Diuino iudicio in Resp. inuectū, & importatum sit. Vnde concluditur, omnem mali depellendi rationem, in numinis placatione consistere;

Mala omnia ex Diuino iudicio.

sistere; quæ potissimum vitæ cōuersione, & inflammato pietatis, & humanitatis studio continetur. Qui igitur, hoc vno remedio neglecto, alia comparant, frustra malū a se propulsare contendunt; &, cū rebus suis publicis consulere studeant, eas euertunt. Sed, quid exemplis opus est, cū id sæpe accidere videamus? Sit aliquis Christianus Princeps oppressus ære alieno, & magnis ea de caussa difficultatibus implicatus; si illi venerit in mentem se peccatis suis in eas difficultates incidisse, dabit operam sedulo, ne se eisdem erratis deinceps irretiat: si vero nihil einsmodi cogitanerit, immania tributa imperabit, homines tenues vestitu etiam spoliabit, nec a sacris rebus manus abstinebit. Quæ igitur maior esse potest amētia, quam, cum Principum inopia, iniquitatis, & iniuriæ pœna sit, existimare quempiā, se iniquitate, & sacrilegio locupletari posse? Princeps quidē ille ad breue aliquod tempus abūdabit pecunia; & fallaci gaudio triumphabit; sed ita, vt deinde grauioribus malis obruatur, maioreq. rerum omnium pœnuria crucietur. Imminet aliquod periculosum bellum. qui secum reputauerit, id nō absque Diuino iudicio moueri, priusquam ad resistendum se paret, Dei sibi numen, & precibus, & pietatis studio placare conabitur: qui vero id tantum videt, quod est obiectum sensibus, nec vllum respectum ad verissimam belli caussam habet, fusce pta flagitia, & scelera alio scelere immaniore cumulabit, & Remp. iniurijs onerabit, & Christiani nominis hostes secū fœdere coniunget. ita vero fiet, vt malum, quod sanare studet, augeat; & inflictum vulnus exulceret: quod quidem qui volet recordari, quam male quibusdam id, quod magis astute, quam pie cogitabāt, sæpe processerit, verum esse perspiciet. Sapienter igitur Dauid inquit, cōsilia Principū irrita fieri, cogitationes populorū inanes esse; soliusq. Domini consilium ratum, & fixum in omni sęculorum eternitate permanere. Vt enim alibi sanctæ litteræ testantur, Deus omnes homines, sapientiæ opinione tumentes, amentiæ conuincit; & euentibus illorum sententiæ valde contrarijs frequenter illudit; ita vt iisdem conatibus, quos ad salutem comparant, sibi pestem, & exitiū maturent. Quis igitur est inter homines, qui recte sentiat, cernat, intelligat? qui vitam optima ratione moderetur? qui denique sapiens appellari possit? Ille profecto, qui sanctissimum Dei numen pure, & caste colit; qui Dei legem sempiternam consulit; qui mentem illius, qui nunquam fallī potest, inquirit; qui Diuinis monitis, & consiliis instruitur; qui sibi commissam Remp. ad similitudinem illius, quæ eadem semper est, sibiq. in omni æternitate similis, transferre conatur; neque res Diuinas humanis similes esse fingit; sed potius humanas ad Diuinarum exemplum, quantum potest, accōmodat. Hic igitur, cui Deus lumen suum porrigit, & cum quo consilia sua benigne communicat, est, qui vera, & stabili sapientia non modo suum statū tueri, sed etiam vniuersam Remp. sapientissime moderari poterit, ad beatamq. vitam perducere. Vnde colligitur, verissimam sapientiam studio religionis sanctissime contineri. Multa quidem de sapientia diximus: multo plura tamen omisimus. sed, ne nimis in singulis immoremur, ea, quæ restant, celerius percurramus. Vt igitur in primis de animi magnitudine disseramus, quis fortis, & magnanimus, & inuictus esse potest? is ne, qui rebus fluxis, & interituris affixus est? an qui sē per animo, atque spe de sempiterna vita, & immortali gloria cogitat? is, qui lucis huius vsuram nimis iucundam esse putat? an qui facile mortē, & cruciatum præ verissimæ gloriæ studio cōtemnit? is, qui nullis firmis opibus se munitū esse videt? an qui se Diuino præsidio confirmatum animaduertit? Nec enim vmquam is, qui se cultui sanctissimæ religionis addixit, fuit ab ope Diuina derelictus. Cum igitur in cælo mente, & cogitatione versetur, & Deum præsentem videat; quamuis omnia bellis ardeāt, & terra ingenti motu concutiatur, & cælum fragore, & fulminibus, & incendio extremum exitium terris minitetur, numquam animo concidet, neq. de statu demigrabit, sed in totius orbis confusione, diuini constantiā retinebit. Quocirca Princeps, qui vir magno, & elato animo esse cupit, & ad summam nominis claritatem, sempiternumq. decus adspirat, omne studium in Religionem conferat opus est; Diuinamq. virtutem ab illo summo totius decoris Principe, & architecto fideliter efflagitet. Ille namque est, qui animū dat, qui mentem virtute corroborat, qui eam Diuino præsidio sæpit, & studio immortalitatis inflammat. Iam vero modestiæ laus, & honestatis elegantia, in quo tandem splendere potest, nisi in eo, qui est studio religionis incensus? si enim metus hominū multis in locis temeritatem reprimit, & libinem refrenat, multo certe magis metus Diuini numinis omnē intemperantiam, & libidinem resecabit. Et, si formido dedecoris, in oculis hominum constituti, homines sæpenumero flagitiosos, & impuros a flagitio deterret; multo certe vehementius pudor, & verecundia homines religiosos, ne in Dei offensionem veniant, quem præsentem semper intuentur, ab omni incontinentia prohibebit. Adde, quod ii, qui religioni sanctissimæ dediti sunt, cum in illam sempiternam pulchritudinem mentem defixam habeant, illius studio incenduntur, illius amore inflammantur, & ex illius adspectu voluptatem incredibilem capiunt; totosque se ad illius imitationem effingunt, vsque adeo, vt in omnibus, qui sancte religionem colunt, Diuinæ cuiusdam pulchritudinis speciem, & admirabilem venustatem, & elegantiā cernere liceat. Quid de iustitiæ claritate dicam?

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicam? fieri ne potest, vt in illius animo locum habeat, qui non mentis Diuinæ lucem assidue contemplatur? Est enim Deus, sempiternæ legis vis, æquitatis fons, & origo, mens, & ratio iuris, officiorum omnium regula, modus, & tẽperatio rerum, qua omnes naturæ reguntur, & firmissimo inter se fœdere colligantur. Nihil igitur simplex, nihil rectum, nihil æquitatis ratione moderatum esse potest, quod non ab illo inexhausto, atque perenni iustitiæ fonte profluxerit. Nemo igitur, vllo modo iustus esse poterit, nisi qui se totum ad studium Diuinæ legis applicuerit; qui illius mentem, & rationem diligenter inspexerit; qui illius imperium, numen, & voluntatem, & moderationẽ fuerit tota mente, & cogitatione complexus. Quod quoniam religionis est proprium, sequitur, vt omnis iustitiæ vis, & ratio in purissima religione cõsistat. Quod si iustitiæ munus est, ius suum rei vnicuique tribuere; ille certe maxime iustitiam colit, qui Deum pure, atq. sancte, mente, studio, ratione veneratur; illique, qui nos tantis beneficiis ornauit, pro humana imbecillitate, meritam gratiam animo inflãmato persoluit. Benignitas deinde, clementia, mansuetudo, patriæ caritas, & reliquæ virtutes eiusmodi, quæ iustitiæ comites sunt, vnde ad nos, nisi ab eodem bonorum omnium fonte, emanare potuerũt? Diximus præterea, tria in Rege postulari, vt omnes ei libentissime pareant: nempe honestatem, & auctoritatem, & felicitatẽ. De honestate nihil est, quod amplius dici possit; cum plane constet, omnẽ dignitatis, & honestatis splendorem esse ad Dei benignitatem, vnde omnes verissimæ laudes ortum habent, iure, atque merito referendum. Beneficia vero Diuina religione consequimur. Vnde efficitur, vt omne lumen honestatis, quod admirationem commouet, & amorem conciliat, in religione collocandum sit. Quod vero ad auctoritatem attinet, quid est, quod maiorem habere possit, quam religio? si enim humanæ sapientiæ opinio auctoritatem constituit, multo certe maiorem auctoritatem Diuinæ sapientiæ fama cõstituet. Existimant enim homines, eum principẽ, qui Deo egregie carus est, illius consiliis instrui, & ea de caussa illum minime labi, & errare posse suspicantur; Diuina igitur auctoritate compulsi, numquam illius imperium detrectant. Ea res impulit Numam, vt cum Dea Aegeria nocturnos congressus simularet, vt crederetur, ea, quæ sanciebat, de Aegeriæ mẽte sancire. Lycurgus item, vt leges, quas ferebat, aliqua religione consecraret, finxit illarum auctorem Apollinem fuisse. Zaleucus itẽ, qui leges Locris dedit, finxit; se eas a Minerua accepisse. Fama etiam multo antiquior (vt auctor est Homerus) asseruit, Minoa, qui leges Cretensibus dedit, nouem continuos annos se Ioui in disciplinam tradidisse. Multi præterea alij Rerump. conditores aliquid eiusmodi fingebant, vt imperij sui auctoritatem sacrosanctam redderent. Quid igitur dicendum? Si fictæ, & cõmenticiæ religionis opinio, multis auctoritatem apud quã plurimas nationes attulit, quid tandem verum studium sanctissimæ religionis efficiet? &, si homines rudes, & imperiti, ijs, quos diis esse caros opinabantur, sine vlla recusatione parebant; quomodo non multo magis homines Christiani, legibus Diuinis instituti, ijs, quos vero Deo vident esse carissimos, obtẽperabunt? Felicitas vero, quæ alia potest esse, præter eam, quæ benignitate Diuina continetur? Nec enim est vlla fatorum vis, nec vllum imperium fortunæ, nec vlla Parcarum violentia, neque casus, & temeritas in rerum natura, sed Diuina vis, & ratio dominatur. Deus enim est, qui summa imperia delet; qui populos obscuros ad summum fastigium amplitudinis, & dignitatis extollit; qui Reges de solio detrudit, &, quos vult, in Regia dignitate constituit; qui, vt de sceleratis hominibus debitum supplicium sumat, vnam Remp. euertit; alteram vero contra illius superbiam, & arrogantiam opibus summis instruit. Is igitur est, qui vulnus infligit; qui inflicta vulnera sanat; qui mortem immittit; qui in vitam restituit; qui perdit, & affligit; qui perdita reficit, & instaurat; omnia denique singulari illius consilio (plerumque nobis tamen incognito) gubernantur; ita, vt illius sententia, numine, & voluntate quibusdã omnia feliciter procedant; quidam vero diram, atque funestam cladem accipiant. Quid igitur magis perspicuum est, quam, omnem felicitatem esse in Dei propitio numine constitutam? Is igitur solus felix est, qui Deum pure colit, illiusque præsenti numine confirmatur: solus enim est vera sapientia præditus, quam diximus esse semper cum felicitate coniunctam. Legite sacram historiam; & animaduertite, quo modo, dum Iudæorum Regnum vigebat, eorum res singulorum Regum ætatibus immutabantur. Cum enim aliquis Rex pius regnabat, Regnum florebat opibus, & multis victorijs augebatur; &, cum rerum omnium abundantia, erat laude, atque gloria cumulatum. Cum vero ad impium Regem veniebat, flagitia perrumpebant, impietas eminebat, Resp. fame, & pestilentia laborabat; regio ab hostibus impune vastabatur; neque consilium in bello consistebat; nec vllum vestigium antiquæ virtutis exstabat; simulatque hostem adspexerant, terga repente dabant, & passim concidebantur. Qui vero Christianorum Principum annales diligenter euoluerit, intelliget profecto, tantum etiam fuisse vnicuique Principũ felicitatis diuinitus attributũ, quantum in illo studiũ pietatis, atq. religionis exstit isset. Quod quidẽ vel in Cõstantino, vel in Theodosio, vel in Carolo Magno, vel in multis alijs Galliæ, & Germaniæ, & Britanniæ Principib. perspici certe potuit.

potuit. Quid de Hispania dicam, in qua, post illius euersionem, & vastitatem, a Mauris, propter crimen impietatis, illatã, (erat enim Hispania, cum Mauri in illam inuaserunt, non solum luxu, & deliciis effeminata, verum etiam impiis erroribus infecta) nullum vmquã prælium, postquam Hispani ad officium rediere, contra Mauros prospere pugnatum fuit, in quo nõ appareret nostros magis pietate, & religione, quam armis victoriam fuisse consecutos. Illa namque plaga Hispaniæ superbiam compressit, & homines Hispanos ad fidem, & pietatem eruditi; ita, vt, quidquid in Hispania, religionis negligentia, & contemptu, corruerat, facile religionis, & pietatis studiũ resarciret. Quæ bella deinde a Principibus Christianis gesta sunt? quanta Regum optimorum sapientia, & quanto militum robore suscepta? quæ facinora in prœlijs edita? quam illustres victoriæ partę? fieri enim non potest, vt, qui sub pio Rege militant, non eiusdem pietatis imitatores exsistant, &, religionis conscientia freti, non multo confidentius, & alacrius in hostes inuadant. Mirum igitur nõ est, fuisse tam sæpe præsentiam cælestis numinis, in multis prœlijs in Hispania contra Mauros initis, apertissime declaratam. Si igitur, vt hanc de religione quæstionem concludamus, sapientia, fortitudo, modestia, iustitia, fides, benignitas, & reliquæ virtutes, fine quibus nemo regnum administrare potest, religionis studio continentur; si religio sapiẽtiam, auctoritatem, felicitatem Principibus affert, & Remp. in pace constituit; in bello autem cælesti, atque diuino præsidio confirmat; si denique Reges Diuinis virtutibus ornat, atque adeo in cælitum numero reponit; quid est, quod magis Regem deceat, illiusque nomen magnificentius illustret? Istam igitur mediocritatem in religionis cultu non probo: sed summum, & ardentissimum religionis studium, a Rege, qui hoc nomine dignus esse studet, assidue flagitabo. Quid igitur, dicet aliquis, vis, Regem noctes, atque dies religioni operam dare? Volo certe: Religionem enim semper colit, non qui deserit officium, sed qui illud ad Dei gloriam dirigit; qui Deum semper intuetur; qui vel in pace, vel in bello omnia, quæcumque facit, ad voluntatem illius ad ministrat; qui in omnibus actionibus illius legem sequitur, nec vmquam voluntatem suam illius placitis anteponit; qui, vt illum semper mente, & cogitatione complecti possit, sæpenumero opem illius implorat; & sic Deũ precetur, vel hominibus consulat, vel, quidquid aliud agat, atque moliatur, numquam studium religionis intermittit. Sic autem imitabimur Regem illum clarissimum, & sanctissimum, quem nullus vmquam hostis in bello contempsit, cuius officium nullus vmquam ciuis in pace desiderauit; nec enim vmquã prœlium sine Dei præsidio commisit; nec sine Diuinæ legis studio negotium publicum gessit; nec vllis vmquam laboribus, & curis ita distẽtus fuit, vt Dei immemor esse posset. Qui etiam, vt ipse in carminibus suis scriptum reliquit, omnes labes lacrymis eluebat, & singulis noctibus lectum suum largis fletibus irrigabat. Numquid vel Dauid ipse, quem refero, vel Reges illi sanctissimi, qui illius vestigijs ingressi sunt, propter religionem aliquã dignitatis imminutionem passi sunt? an non omnis illorum dignitas, & gloria ad religionem referenda est? illa namque perficit, vt victorias innumerabiles obtinerent, & nomen eorum in omnium sermone versaretur, & gloria Diuina circumfluerẽt. Videte, quanto rectius hoc Homerus iudicabat, qui Ἥφαιστον, quos immortali gloria afficere cupiebat, certis dijs carissimos esse fingebat: in quo quidem statuebat, nihil esse ad nominis immortalitatem religione præstantius. Hoc igitur Homerus falsæ religioni tribuebat, quod nos Christiani veræ denegabimus? quid igitur cogitari potest amentius? ne dicam sceleratius? Non certe, vt alios Reges sanctitate præstantes omittam, ea mens erat Alfonsi, primi, Lusitaniæ Regis, cuius animus semper fuit studio religionis inflammatus. Qui, Christum cruci affixum sereno in cælo contemplatus, prœlium illud memoria immortali dignissimum aggressus est, in quo quinque Reges maximis exercitibus constipatos profligauit; qui, cum Scallabim expugnaret, cum iam ciuitatis fores effractas, & repagula conuulsa cerneret, in medio portæ genibus flexis, antequam ferrum stringeret, tam incenso studio Deum veneratus est, vt in cælo versari sibi videretur. Qui, cum maximo animo præditus esset, &, in bellis enutritus, multos impiorum exercitus fortissimos, atque maximos funderet, fugaretque, numquam sibi victoriã adscripsit vllam, sed omnes ad Dei clementiam, & opem illius præsentissimam referebat; qui numquam aliquod opus præclarum aggressus est, quin prius in cælum tota mente respiceret, & opem Diuinam assiduis precibus, castissimis votis, inflammato studio flagitaret. Sed, ne in re minime (vt opinor) dubia, nimium immoremur, hoc certe probatum puto, Religionem esse Regibus, non mediocri, sed, quantum fieri potest, acerrimo, & ardentissimo studio colendam; ita tamen, vt superstitionem repudient, & intelligant, quantũ vera, & pura religio, ab inepta superstitione differat. Est enim Religio excellens animi cultus, ex debita erga Deum pietate in dies efflorescens, cum ardente studio sempiternæ pulchritudinis imitãdæ. Superstitio autem est inanis quædam formido, non graues Dei offensiones, sed offensionum vmbras extimescens. Continet n. vera religio scientiã earum rerũ, quæ sunt Deo gratissimæ; & ea de caussa quid a Deo flagitandum, quid numini illius

Religio, & Superstitio, quid.

Universidad de Deusto
Biblioteca

offerendum sit,exploratum habet:at superstitio,cum sit sapientiæ præsidio destituta, aluci natur,& hæsitat,neque satis,quid sit metuendum,aut negligendum, explicare potest. Inde adeo fit,vt, qui veram religionem colunt, sint animo alto,& excelso præditi, maximaq. plerumque facinora inuicta virtute moliantur: superstitiosi vero, cum plerumque animos demissos gerant, ad immortalem gloriã adspirare nequeant. Vnde concluditur, nihil esse tam Regium, quam summum, ardens, & incitatum sanctissimæ religionis studium;neque minus quidquam Principis Christiani præstantia dignum, quam inepte superstitionis angorem, inanes formidines opponentem, & Principes a rebus gerendis insipienter auocantem. Hæc sunt illa tria præsidia, quibus Regis statum fulciendum esse dixi;(si meministis)nempe,familiaritas,& consuetudo bonorum;bonarum artium disciplinæ; &, quod est omnium firmissimum,religionis,atque pietatis studium. hoc enim postremum poterit sine aliorum ope Regium munus susti nere:at illa sine religione non poterunt.

HIERONYMI OSORII LVSITANI

DE REGIS INSTITVTIONE, ET DISCIPLINA

LIBER SEPTIMVS.

VIDIMVS, quibus præsidijs instructum, & ornatum esse conuenit eum, cui est tantum, & tam difficile munus impositum. nunc vero consequens est, vt videamus, quod sit Regis opus, quod officium,& munus, ad quod potissimum hæc omnia naturæ, ingenij, disciplinæ, & institutionis adiumenta, & bonorum hominum, & artium maximarum, & religionis sanctissimæ præsidia (quę sumus oratione persecuti) conferenda sint.

Quamquam enim de Regis officio multa iam dicta sint; hic tamen locus postulat, vt de eo nunc diligentius disseramus; vt intelligatur, non sine caussa tam multa in Rege præsidia, & ornamenta requiri. Vt igitur in reliquis disciplinis, sic in hac vna omnium præstantissima certum opus assignari debet, in quo perficiendo, & absoluendo omnis Regis cura,labor,& studium consumatur. Vt autem id melius dijudicari possit, operæ pretium erit animaduertere, quę fuerit prima Regis institutio,quæ deinde progressio,quæ postremo perfectio; vt intelligamus, quod potissimum opus sit Regi natura propositum. Qualis enim quæque res est, postquam effectum operis absolute consequitur, talis illius natura putanda est. Omnes enim res,via quadam, & insita naturæ cupiditate, ad perfectiones suas feruntur,& in illis,vt in naturali, & optato fine,conquiescunt. Vt igitur hinc exordiũ capiamus; antequam essent aliqui cœtus hominum iure sociati, homines fusi per agros vagabantur; &, pro arbitratu suo,vel certas sedes deligebant,vel a loco in locum,quocumque illos ferebat voluntas, facile commigrabant. Nec erat tunc alia potestas,præter eam, qua quilibet paterfamilias domum suam regebat. Dispersi igitur in pagis habitabant; & ex re pecuaria victum comparabant; & is ditissimus habebatur, qui plurimos greges, & armenta possidebat. Atque in principio pudor ingenitus,& vitę simplicitas,& maiorum auctoritas facile homines in officio continebat. Crescente deinde multitudine, disciplina paullatim labi cœpit. Pietatis enim studio remisso, cupiditas omni vinculo soluta in rusticanos illos mores inuasit. partim igitur immanis,& fera libido;partim infinita plura possidendi cupiditas homines ad hominum dedecus,& perniciem stimulabat;&,qui plus poterant,reliquos multis damnis, & incommodis afficiebant. Erant igitur homines tenues, & imbecilli, contumelijs, & rapinis, & cædibus, & quamplurimis iniurijs expositi, summum tunc decus erat in iniustitia positum:ille namque,qui omnia vi,& manibus rapiebat, & per vulnera,atque cædes opes suas augebat,se viri fortis officio functum esse putabat; illi autem,qui vexatus, & spoliatus erat, præter incommodi illius acerbitatem, erat etiam insignis infamia imbecillitatis, & ignauiæ subeunda. Honestas enim erat,nocere quamplurimis; flagitium vero,& dedecus, potentium iniurijs,& contumelijs exagitari. Ergo, cum neque lex,neque potestas esset vlla,quæ petulantiam,& libidinem coerceret; cum furta,& latrocinia infamiam nullam haberent;cum illi etiam,qui roboris opinione turgebant,aliorum similiter furentium impetu sternerentur;cum omnia essent stupris,& adulterijs, & mutuis cædibus infesta;factum tandem est, vt homines humanitatem exsuerent,& in bellua rum immanium naturam verterentur. Inde igitur illa monstra celebrata poetarum carminibus exstiterunt, quæ fortium quorundã hominum virtute, atque robore strata sunt. Nec enim Chymæræ, neque Geryones, neque Centauri, neque reliqua eiusmodi monstra heroum viribus interempta aliud designant,quam tyrannidis feritatem, vi Regiæ, atque Diuinæ virtutis exstinctam. Cum igitur poetæ aut Bellerophontem, aut Herculẽ, aut Thesęum, aut aliquem eiusmodi heroa diuino semine procreatum, monstra domuisse, aut exstinxisse perhibent; hoc plane dicunt; Tyrannidis immanitatem fuisse, magnitudine virtutis Regiæ profligatam. Exstitit enim illis etiam temporibus animi alicuius excellentis altitudo, qui odio scelus,& improbitatem persequeretur, & iniustitiæ monstra deleret,& homines miseros,& afflictos a tyrannidis crudelitate liberaret. Homines igitur, qui nullo loco præ formidine consistebant, cum viderent, nullam spem aliam sibi salutis esse, præter eam, quæ in illius virtute, cuius ope sibi auram afflari sentiebant, tota consisteret; illam gratissima voluntate prosecuti sunt;totosq. se ad illius studium contulerunt. Non solum igitur illos Reges creabant, sed honoribus etiam Diuinis afficiebant. Refert Herodotus, Medos, olim, cum essent, multis

Universidad de Deusto
Biblioteca

iniurijs vltro citroque habitis, vehementer oppressi, nec vllum in tantis malis exitum inuenirent, ad hominem quendam, nomine Deiocem, quem virtutis, & æquitatis opinione præstantem cognouerant, omnem inter eos iudicandi potestatem delegasse. Malis enim edocti, perspexerunt, iniuriæ feritatem iustitiæ tantum virtute placari; hominumq. salutem iniquitate perditam, æquitate solum posse constitui. Hominem igitur, quem æquitate, & constantia inter omnes excellere putabant, delegere; qui obuiam iret sceleri, iniquitatem resecaret, ius & æquum vnicuique tribueret, & omnes lites tanta æqualitate dirimeret, vt nihil neque potentiæ cuiusquam, neque tenuitati concederet. Lux igitur oblata videbatur omnibus, iniquitate per illum depulsa. Cum vero Deioces non diu munus illud obire vellet; dicebat enim, rem suam, dum ipse publicæ consulebat, dissipari; summumq. sibi periculum ex potentium offensione proponi; Medi, ne, illius ope nudati, in eadem mala rursus inciderent, eum opibus auxerunt, & præsidio munierunt, vt, omni alia cura solutus, libere posset ius inter omnes dicere, vniuersamq. Rempublicam æquitate moderari. Hoc autem, quod in Media accidit, credibile est multis ante sæculis in alijs orbis terrarum regionibus accidisse; vt homines, iniurijs afflicti, in illius tantum virtute, quem excellenti æquitate præditum animaduertissent, omnẽ spem salutis suæ collocarent. Hoc igitur fuit a principio Regnorum omnium fundamentum. illi namque, quos tunc homines propter æquitatis opinionem deligebant, qui finem tantis malis imponerent, Reges nominabantur; & hæc fuit prima omnium legitima potestas in terris. Potissimum autem eorum munus erat, iudicare: itaque iudiciorum seueritate scelus acerrime coercebant, & vnicuique, quod suum erat, tribuebant. Vt autem id commodius fieret, homines, qui erãt in agris dispersi, Regum auctoritate, & consilio vnum in locum compulsi sunt; vt facilius opem a Regibus contra iniuriam flagitarent, & mutua ope conseruari, & inter se naturæ conciliatione deuinciri possent. Deinde, cum hæc partim naturæ admonitu, partim necessitate vbique fierent, & vrbes ædificarentur, & Reges in omni loco crearentur; necesse continuo fuit, inter vicinas vrbes bella frequenter excitari: aut enim de agrorum finibus certabant; aut alij ex aliorum terminis prædas agebant; aut dominandi libido Reges stimulabat; &, cum ambitioni causas honestas obtenderent, de dominatione sua latius amplificãda cũ ciuiũ periculo dimicabant. Erat igitur ei necesse, cui bellum inferebatur, vt armis, atque virtute resisteret. Vt autem commodius homines se contra hostium vim munirent; vrbes muris cingere, & mœnia ædificare cœperunt. Bella vero ab initio viribus tantum gerebantur.

Accessit deinde ars, atque disciplina, multorum bellorum usu comparata, quæ magnos Imperatores effecit. Itaque is, cui uniuersi populi salus commissa fuerat, minime officio suo satisfaciebat, nisi cum iudicandi ratione, belli etiam administrandi disciplinam coniungeret. Sic igitur olim reges, non iudices tãtum, sed etiam Imperatores exstiterunt. Deinde, cum Rex aliquis, uirtute præstans, Regni fines propagasset, & ciuitatem locupletasset; eueniebat, ut ciues, qui potentiores erant, usuris, & fraudibus tenuiores opprimerent, paullatimq. possessionibus antiquis pellerẽt; & plebs, tantis malis afflicta, quæstibus omnia repleret, & militaris insolentia fremeret, indignumq. facinus esse clamitaret, id, quod armis quæsitum fuerat, non potissimum ad eos, quorum virtute partum fuerat, peruenire; seditiones populares excitabantur, extremumq. periculum rebus communibus imminebat. Hoc autem tantum malum non iudicij seueritate, nec armorum contentione exstingui poterat; oratione autem poterat. Nõ autem cuiusuis oratio eam tempestatem facile sedabat, sed illius tantum, qui plurimum auctoritate reliquis anteibat, & cuius virtute, & æquitate homines se multis in locis defensos esse meminerant. Is igitur populares motus oratione comprimebat; & alios quidem castigabat; aliorum vero dolorem leniebat; & omnes rursus fœdere coniungebat; vsuq. tandem compertum fuit, nihil esse ad populum moderandum optimi Principis oratione vehementius. Sic autem ad reliquas artes Regias adiuncta fuit dicendi etiam facultas, rudis illa quidem, vt fit in principio; vsu deinde, atque ratione perpolita. Hac igitur dicendi prudentia Reges instructi, non modo seditiones compescebant; sed ciuium languentes animos stimulabant; ferocius exsultantes refrenabant; ad arma, cum opus erat, excitabãt; cum rursus ita Reip. ratio postulabat, a bello deterrebant, & ita populum moderabantur, vt facile perspici posset, omnes populi motus Regis sapientis oratione cõuerti. Postremo, cum neque multis artibus adiuti Reges populos tenere, & pericula omnia propulsare possent; multo clarius perspectum fuit, id, quod iam antea communibus sensibus erat infixũ, non posse vllo modo tam difficilem prouinciam absque Diuina mente, & consilio gubernari. Quod quidẽ effecit, vt nihil tam Regium esse videretur, quam Diuinam mentem consulere, numen hostijs placare, pacem a Deo exposcere, & homines Diuina ope, & auxilio communire. Hac autem ratione factum est, vt Reges cum maiestate Regia sacerdotij dignitatem coniungerent. Hoc enim simul & ad Dei iram facilius auertendam; & ad populum maiore auctoritate cõtinendum; & ad Regis ipsius nomen religione consecrandum aptissimum esse videbatur. Reges igitur prisci, & iudices,

Principis optimi ratio, vehemens ad populum moderandum.

Reges, iudices.

iudices, & imperatores, & Oratores, & sacerdotes erant. quod apud Homerum, optimum antiquitatis auctorem, perspicimus. Quo modo enim ius dicerent, multis ex locis explorate cognoscimus. Ideo autem sceptra gestabãt, quod erat insigne iuris, & æquitatis, nihil neque gratiæ, nec offensioni tribuentis, sed omnia obliqua, & inflexa ad certam normam, & regulam dirigentis. In bello autem summum imperium habebant. Quam multis autem in locis eloquentia vterentur, declarant illæ conciones, quibus vel populum ad officium hortabantur; vel in consilio sententiam suam luculentissimis verbis explicabant. Quod autem essent sacrorũ antistites, ex hostijs, quas sollemni ritu immolabant, & ex fœderibus (quæ summa cerimonia feriebant) intelligi potest. Quæ deinde post illam memoriam Regũ genera recepta sint, quam variæ imperandi, populiq. moderandi rationes institutæ, dicerem; nisi nimiam longitudinem orationis extimescerem: alibi enim Regium imperium erat infinitum: alibi legibus, & certo modo, atque ratione temperatum; & in illis locis, in quibus Regia potestas erat lege circumscripta, non erat vnum in omni loco temperamenti genus adhibitum. Cum enim, summam potestatem penes leges esse debere, multi populi iudicarent, alibi quidem plura, alibi vero pauciora, Regiæ potestati permittebant. Hæc tamen omnia munera, quæ dixi, ab omnibus ferme antiquis Regibus administrabantur. Cum igitur apud illos priscos homines Regis officium, & munus quadrifariam diuisum esset, quæro a vobis, vtrum id probetis? Difficile, inquit T. est, tam cito iudicare: refragari enim antiquitati sine diligentissima consideratione, temerarium est: rebus autem a consuetudine nostra remotis assentiri, periculosum arbitror. Recte, inquam, censes; sed, vt te ea difficultate liberem, sic statuo, & olim non temere illa munera omnia Regibus permissa fuisse; & post illa tempora eos, qui vellent Reges illis omnibus muneribus simul implicari, Remp. funditus euersuros. Tunc enim singulis ciuitatibus singuli homines imperabant; & ipsæ ciuitates erant exiguo ciuium numero definitæ. Postea vero Reges nationes vniuersas sub imperium subiunxerunt; deinde ij, qui propius aberant a generis humani primordio, multo simpliciores erant, multoq. facilius ea de caussa regum sanctionibus obsequentes, postea vero vafri, & malitiosi plerique facti sunt, &, cupiditate magis incensi, minus ad imperium accipiendum parati; & iccirco maiore animaduersione, acrioreq. vigilantia coercendi, quod præstari non poterit ab vno homine, qui se tam multis simul muneribus implicuerit. Primum igitur necesse fuit regi, officiũ sacerdotis omittere: vtrumque enim officium vnius summi viri totam mentem, & integrum studium, & vigilantiam requirit.

Reges, imperatores.

Reges, oratores.

Reges, sacerdotes.

Non est enim commodum, intermitti religionem reip. caussa; neque rursus, religionis obtentu, Reip. curam dimitti. Vt igitur esset semper aliquis omni alia cura solutus, qui rebus diuinis operam daret; & aliquis rursus, qui omnem curam, & solicitudinem in reputenda consumeret; opus fuit sacerdotis officium a regis officio distingui; ita tamen, vt alterum alterius ope firmaretur. Regnũ enim, sacerdotij religione, & sanctitate stabilitur; Sacerdotium vero, regni præsidio tutum, rite suum munus exsequitur. Præterea multa sæpe occurrunt, quæ nec a sacerdote pure fieri possunt; nec a rege sine flagitio præteriri. Hostiam cruentis (vt ita dicam) manibus immolare, Sacerdoti fas non est; capitale scelus impunitum relinquere, regis summum flagitiũ est. Vt igitur neque sacerdos cogeretur sese hominis facinorosi supplicio cruentare; neque Rex sceleſtum aliquod facinus inultum omittere; commodissime facta fuit hæc amplissimorum munerum distributio. Postremo cum Regius splendor animos afferat, periculum esset, ne, si ad Regiam dignitatem sacerdotij etiam dignitas accederet, (quod olim Imperatores Romani facitabant, simul enim Pontifices Max. creabantur) cresceret fastus, & arrogantia, minimeq. toleranda superbia, quæ Reges omni humanitate spoliaret, & pro benignis principibus eos tyrannos immanes, & truculentos efficeret. Vt igitur frenari posset Regis insolentia, congruum fuit, vt esset aliquis Sacrorum antistes, pietate, & religione præcellens, cuius auctoritatem Princeps sequeretur, & cuius monitis, & consilijs posset institui, & a temeritate, & insania, ad modestiam, & sanitatem reuocari. His igitur de caussis egregie consultum fuit Regnis, cum fuit interdictum lege, atque religione regibus, ne se sacris peragendis admiscerent. Ozias, Iudææ Rex, in eam templi partem, in quam nemini, qui Sacerdos non esset, ingredi licebat, non solum ingredi, sed sacris etiam suffimentis Dei numen placare conatus est. Cum clamaret Pontifex Max. & eum ab intolerabili audacia reuocare niteretur, cum omnes sacerdotes illum magnis vocibus obtestarentur, ne religionem tam audaci facinore violaret, omnium monita, & preces contempsit, atque pro nihilo duxit. Quid deinde euenit? Antequam ad aram accederet, lepra subito deformatus est. Cum igitur videret, corpus suum Dei iudicio percussum, se repente domum proripuit, & in intimis ædibus inclusit; neque se post illum diem in conspectum populi dare, aut Regnum administrare potuit. Hoc igitur, & alijs eiusmodi iudicijs, Diuina seueritate constitutis, perterriti Principes, qui pietatem vnice coluerunt, non modo, ne Deum offenderent, sese ab sacerdotum officio, & curatione remouerunt; sed ita illos venerati sunt,

vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt eorum etiam sanctiones,interdicta,decreta, summa quadam religione obseruanda censerent. Nec enim mediocrem religionem in ea moderatione, qua se illis submittebant, sitam esse statuebant.Ea ratione Constantinus Magnus iudicium de sacerdotibus facere noluit;sed illorum semper iussis,in ijs rebus,quę ad religionem pertinebant, obtemperauit. Eadem ratione permotus etiam Theodosius Magnus, Ambrosij sententiæ paruit, qua illum ab ingressu templi,& sacrorum communione prohibuit. Neque vir sanctissimus Innocentius idem exemplum sequi dubitauit, cum Arcadio ingressu templi, & sacris omnibus interdixit. Multa possem exempla eiusmodi commemorare, quibus intelligeremus, multis in locis Pontificum auctoritate Regum licētiam immodicam fuisse compressam. quod fieri minime potuisset, si illis, cum rerum humanarum administratione, Diuinarum etiā curationem vsurpare licuisset.Cum vero summa potentia, ne omnia insolenter, & temere peruertat, freno quodam moderationis coercenda sit, nihil certe salutarius poterit excogitari ea religione, qua Principes Pontificibus obsequuntur. aliter enim necesse erit sacra profanis commisceri, Diuina & humana iura perturbari,inexpiabiles religiones inducj,numinis offensionem cum peste,atque pernicie Reip.concitari: quod vtinam tam multis nostræ memoriæ exemplis non fuisset valde comprobatum.Vidimus enim, in ijs locis, vbi Principes,vel auaritia stimulati,vel ambitione cæci, Pontificum iura neglexerunt, neque dubitauerunt sacra omnia ad suum compendium,& quæstum reuocare, Diuinaq. iura potestate sua complecti, graues pœnas esse seditionibus, & cædibus, & insidijs, & imperij contemptu, & quorundam etiam Principum interitu, & rerum omnium perturbatione, eorum temeritati, & amentiæ persolutas. Quamuis autem id etiam Sacerdotum peccatis acciderit, ij tamen, qui sacerdotij statum affligunt,nefario crimine liberari nō possunt. Nec enim tam in cuiuslibet vitam,atque mores, quam in totius ordinis sanctitatem respicere debuissent. Accedit,quod illi,non tam sacerdotum flagitijs offensi, quam spe prædæ ingentis excitati,sacra omnia profana reddiderunt. Quamuis igitur summus ille iudex, eorum operis, qui sunt infesti sacerdotibus, ad sacerdotum pœnam vtatur; illi tamen,qui eos vexant, pœnas sacrilegio debitas vitare non possunt, quas iam aliqua ex parte in hac vita inopia, & egestate pendere incipiunt. Quo enim plura diripiunt, eo maiore rerum inopia torquentur. Diuino autem iudicio fit, vt non solum sontes puniantur, sed tortores etiam acerbissime crucientur.Timēdum igitur illis est,qui se tam nefaria præda contaminant, ne tanto grauiora supplicia luāt, quam sacerdotes ipsi;quanto grauius est, sacra,& diuina contemnere, quam hominum offensionem humano aliquo flagitio concitari. sed nos ea vulnera, quæ sanare non possumus, refricare desinamus. Vt autem ad propositum reuertamur, id sane constat, nec amplitudinem imperij, nec Reip. gerendæ rationem, nec periculi, quod ex Regis immoderatione nasci potest,magnitudinem,neque legis Diuinæ sanctitatem pati, atque tolerare posse, vt Rex sacerdotij munus vsurpet. Vbi autem id acciderit,valde metuendum est, ne exitium, atque vastitas rebus communibus inferatur. Regis igitur religio sit, sacerdotis auctoritatem, & sententiam in ijs, quæ ad religionem pertinent, reuereri, non per se res Diuinas administrare. Quid deinde? Regis officium esse dicemus,bene,ornate, & apposite ad persuadendum dicere? si ita est, non patiar vllo modo esse aliquem in Rep. qui illum dicendi artificio superet. Volo enim,vt Rex sit sui muneris gerendi gloria præstantissimus. Opus igitur est, vt in vita nihil aliud agat; sed omnem curam,& industriam in dicendi meditatione consumat.Quo modo igitur Reip.negotia,quæ sunt innumerabilia,sustinebit? quando tam multa, quæ sunt illi diligenter administranda, conficiet? qua tādem ratione armis, atque virtute periculum a Rep. propulsabit? Præterea illius vox, & oratio ad omnium ciuium aures peruenire non potest: at regis prouidentia ad longinquas etiam nationes, quæ illius imperio continentur, conferenda est. Augebit quidem Regis dignitatem oratio,si verbis pressa, & sententijs grauis exstiterit, & multum a sophistarum lenocinijs, & intempestiua verborum festiuitate remota:si vero redundans fuerit, & puerili quodam studio nimis elaborata,maiestatem illius imminuet. Non est enim Regi ex vocis claritate, sed ex vitæ splendore dignitas, & gloria quærenda.Scite quidem Demosthenes. cum enim simul cum Aeschine, & Philocrate,ad Philippum legatus fuisset, & illi Philippum egregie laudarent,quod multum dicendi artificio valeret, quod forma, & specie decorus esset, & quod esset festiuus conuiuator, & plurimum vini sane iucunde biberet: Prima(inquit Demosthenes)laus,Sophistarum;secunda,mulierum;tertia,in spongiam quadrat. nullam igitur in laudibus, quæ propria sit Regis, agnosco.Hac quidem Demosthenis sententia constat, Regis officium non esse in summa orationis copia, & vbertate, & nimis elaborata dicendi concinnitate, & artificio constitutum. Præterea oratoris proprium est, apte ad persuadendum dicere; Regis vero, ea, quæ sunt oratione persuadenda,sapienter animaduertere. Non est igitur Regis officium, ornate,& ample disserere; sed, quod est longe præstantius, oratori leges imponere. Dicendi namque facultas, si non fuerit lege definita, non mediocrem perniciem Reip. importare potest.

rit. Regis autem officium est,modum præscribere, quo nulla ars perniciem afferre possit; sed omnes salutares sint; &, quo ars est amplior, & clarior, eo diligentius illam moderari,ne communibus rebus officiat. Opus est igitur,vt oratori legem præscribat,modum constituat, & materiam definiat; ne quidquam tractare audeat, quod non ad vtilitatem publicam conferatur. Nihil est enim dicendi licentia,& impunitate funestius. non est igitur dicendi facultas regia disciplina, sed regis moderationi subiecta.Quid igitur?Imperatoris officium illi,vt proprium munus,assignabimus? Ne id quidem. Imperator enim belli administrandi tātum disciplinam tenet: perscribere autem,quo iure,aut quādo, aut cum quibus bellū gerendū sit,ad Regis officiū spectat. Nec.n.semper vtile, & honestū est, bellū mouere: sunt enim multa bella inutilia,multa nefaria,& iniusta, quæ tamen militares homines ardentes gloriæ cupiditate nimis inconsiderate suscipiunt. Sunt igitur isti Regio imperio,& disciplina coercendi, ne Remp. sine caussa sollicitent, in extremumq. discrimē salutis inducant. Bellum enim ad pacem referendum est; non honesta pax diri, & exitiosi belli cupiditate perturbanda. Nec enim Regi propositum est, vt gloriæ popularis caussa Remp. in summum discrimen injiciat, sed vt eam tranquillam reddat,bonisq. omnibus affluentem. Non igitur belli caussas quærit; sed, quantum honestatis ratio patitur, elaborat, vt bellorum omnium incendia restinguat. Rex igitur non imperator est, sed imperatorum rector,atque moderator; illorum opera, cum id expedire Reip.cernit,diligenter vtēs; & rursus bella pernicioſa fore prospicit, omnem impetum militarem sapientissime coercens. Nec iudex quidem in caussis debet esse; sed iudicia dare,& leges, cum opus fuerit, atque iura describere. Cum enim infinitis prope hominibus imperet, nulla ratione potest omnium controuersias, & caussas cognoscere. Quod si eas saltem caussas, quas poterit, dijudicare voluerit,dum paucas lites diremerit, maiorum litium caussam dabit. Remp. enim, quæ multo maiora interim ab illo, & magis necessaria officia requirit, ope sua nudabit;& ita,dum minutis rebus intentus est,a grauioribus abducetur; & negligentia sua quorundam improbitatem, & malitiam augebit.Præterea Reip. valde conducit, vt Rex ab omnibus mirifice diligatur; at, qui iudicat, eorum animos,contra quos statuit,alienat,& illorum odium in se nimis acre sæpe concitat. Non igitur sapientis Regis erit,aut infinito labore sine magno fructu cōfici;aut summo odio sine vlla necessitate flagrare. Rex igitur iudicare nō debet;sed homines sapientes,& constantes, & integros, & incorruptos deligere,quibus iudicandi munus assignet;& eos,qui recte munere suo functi fuerint, beneficijs augere,& ornamentis afficere; illos autem,qui, vel pecunia corrupti, vel cuiusquam gratia permoti, contra ius & fas caussas improbis litigatoribus adiudicauerint,grauissimis pœnis, & extrema ignominia plectere. Rex igitur non iudex est, sed iudicum princeps, iuris vindex, legum custos,iudiciorūq. omnium conseruator. Cernitis iam animo, quantum sit Regium munus? quam grauem, & excellentem personam rex ipse sustineat? quo modo omnia officia, quæ sunt specie admiranda, claritate splendida, fructu salutaria, longe multumq. superet regis officium? Quid enim admirabilius, quam hominum voluntates dicendo tenere; & eo, vnde velis,deducere;&, quocumque velis,impellere; & studio communis vtilitatis, & amplissimæ dignitatis incendere? Quid clarius, & illustrius, quam impetum hostis ferocis, & infesti reprimere? bellum maximum profligare? &, cum propriæ vitæ periculo,patriam a summi periculi peste defendere? Quid melius, & salutarius,quam lites omnes æquitate summa dirimere? discordiarum semina tollere,& iniustiæ stirpes amputare? Cum hæc magna, & ampla sint,videte,quantum id erit, quod est multo maius, & amplius. Quanto maius autem sit regis officium, ex eo colligitur, quod hæc omnia regis imperio, virtute, & moderatione continentur.Sed inquies: Quid ergo?num quam ne rex ius dicet? numquam ne exercitum contra hostes educet? numquam populum oratione ad officium cohortabitur? Immo sæpe hæc omnia per se vigilanter administrabit. Summa namque imperandi ratio in eo posita est,vt magis exemplo, quam verbis, eos,quibus imperas, adhorteris. Id enim admirationem virtutis efficit; amorem summū conciliat; alacritatem incredibilem addit; ita, vt nemo velit imperium principis illius, qui se laboris socium præbet,vllo modo recusare. Vt enim nemo, qui labore premitur,libenter obtemperat ijs, qui otio, vitæq. mollitia deliquescunt;ita laborum societas, & periculorum communio rectoribus subditos amore deuincit, & ad obediendum acriter impellit. Quam delectat Teleutias, Lacedæmoniorum dux? vt enim est apud Xenophontem, in summa rerum inopia hac oratione milites fa cile cōtinuit. Ego,(inquit ille) milites,sine pecunia ad vos aduenio; Deo tamen adiuuante, si vos comites meæ diligentiæ, & alacritatis habuero,perficiam, vt omni genere commeatus abundetis. Hoc velim sciatis,quamdiuvobis impero, non minus esse me de vestra omnium salute, quam de mea,sollicitum. Mirum fortasse videbitur, si dixero, malle me vobis omnia ad victum necessaria, quam mihi,supperere. Deos tamen omnes obtestans, affirmo, multo me malle duos dies sine vllo cibo traducere,quam vt vos vnius diei inediam toleretis. Ostium meum semper apertum est,

nec

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec ante hoc tempus, neque modo fuit cuiquam ad me aditus interclusus. Poteritis igitur explorate cognoscere, me tum demum largius cibis vsurum, cum vos similiter expleti fueritis: si vero me videtis frigora, & æstus, & vigilias tolerare, intelligite, esse vobis similiter hæc omnia incommoda subeunda. Nec enim ideo vos ad hæc perferenda cohortor, vt mæstitia conflictemini; sed vt ex his laboribus lætum fructum capiatis. Ciuitas quidē nostra, militibus omnium opinione florens, atque beata est. Imperium vero, & gloriam, quam sibi peperit, non domi per ignauiam defendo, sed prompto, & alacri animo laborando, &, quoties necesse fuit, pericula subeundo, consecuta est. Et, vos quidem ante hac fortes, & strenuos fuisse, scio. Date igitur operā, vt nunc multo clarius documentum virtutis vestræ præbeatis, vt omnes nos simul cum iucunditate labores excipiamus; & cum iucunditate parta felicitate perfruamur. Hæc quidem Teleutias. quæ oratio declarat, quantus ille vir fuerit: nemo enim ex omnibus illius temporis ducibus milites magis sibi amore coniunctos habuit, aut magis imperio illius obsequentes. Hoc igitur faciendum est omnibus regibus, qui suos in officio continere voluerint: Princeps enim piger, & ignauus, frustra aliorum industriam requirit; &, qui timidus est, frustra fortium hominum opem, & auxilium implorat. Adulari enim, & assentari timidis, & delicatis Principibus, peruulgatum est: pericula vero contemnere, & labores exicipere gratia illorum, qui nullū virtutis, & industriæ signum dedere, rarissimum. Vt igitur vigilum præfectus in omnes partes sibi commissas excurrit, vt excubias excitet, & industria sua magis acres, & vigilantes efficiat; ita conuenit Principi, in regia vigilia constituto, animo semper excubare, vt custodes a se diuersis in locis positos, exemplo vigilātiæ suæ, de somno frequenter excusitet. Atque, vt imperator, quamuis non miles, sed militum præfectus sit, multa tamen sibi militiæ munera, vt milites stimulet, obeunda putat; ita Rex, quamquam supra omnes honores illius amplitudo collocata sit, opus tamen est, vt multis rebus occurrat, & per se multa diligenter obeat, vt exemplo suo multos ad officium adhortetur, & omnes admoneat, nullā Reip. partem esse sua prouidentia, & auxilio destitutam. Iudex quidem non est; sed iudicum rector, atque moderator: quod officium tueri non potest, nisi aliquando iudicauerit: partim, vt iudices exemplo suæ æquitatis incendat; partim, vt iudicibus præsit, & de illorum vel integritate, vel improbitate cognoscat. Nullus enim ordo est in Rep. in quem acrius animaduertendum sit, si in officio deliquerit: sunt enim iudices administri iuris publici, & legum custodes, & vindices; ita, vt maxima ex parte tota Reip. salus in eorum fide consistat.

Comparatio a vigilū præfecto.

Intelligant igitur illi potissimum, nec eorum æquitati præmium defuturum, neque iniquitati supplicium. Sapienter enim Solon, pœna, & præmio salutem Reip. contineri, censuit. Mali namque, metu pœnæ, tardiores ad suscipiendum flagitium fiūt; boni vero, multo confidentius, & alacrius, præmio constituto, in studium officij, & æquitatis incumbunt. At neque supplicium irrogari, neque præmium vllo modo constitui potest, vbi non fuerit animaduersum, quid quisque mereatur. Non solum igitur, vt exemplo suo iudices ad officiū adhortetur; sed vt diligentius animaduertat, sint ne iudices digni, per quos tantum munus administrari debeat; vtile est, interdum Regem iudicijs interesse. Non possum igitur nō laudare Lusitanorum Regum morem, qui septimo quoque die se in conuentum Iudicum conferebant, & in maximis, & difficillimis caussis auctoritatem suam interponebant, vt iudices in officio suo constantiores efficerēt. Hac igitur ratione, quamuis potissimum Regis officium non sit, causas cognoscere, & iudicare; opus tamen est, interdum iudicijs præesse; & sæpe summo studio, quam recte, aut flagitiose iudicia fiant, diligenter explorare. Ad hunc autem modum, quamuis rex imperator non sit, necesse tamen est interdum, vt imperatoris officium suscipiat. Mirū enim est, quantum momenti afferat ad victoriam adspectus, atque præsentia Regis. Duces enim multo vigilantius sibi commissum munus efficiunt; milites multo confidentius in hostem inuadunt; & quoduis periculum audacius aggrediūtur coram eo Principe, quem laboris, & periculi socium animaduertunt, & a quo virtutis laudem, & præmium exspectant. Tum etiam illud mirum, quantum valet ad Regij muneris perfunctionem, quod in militari labore experiundo cognoscunt, quātum debeatur ijs, qui laborem militiæ Reip. caussa perferunt, & vitam periculis infinitis obijciunt. Non patietur enim Rex, qui arma sumpsit, & acie cum hoste conflixit, milites ludibrio haberi, eorumq. postulata contemni, & agrestem, & incultam fortium hominum simplicitatem, lautorum hominum dictis exagitari. Quo quidē malo quid iniquius, & periculosius esse potest? Vt enim, qui canum custodia gregem nudat, gregem lupis dissipandum, atque laniandum tradit; ita, qui milites iniurijs expellit, & eijcit, Remp. hostibus prodit, & omni crudelitate dilacerat. Sic etiam, quamuis Rex non omne studium ad bene dicendum conferat, mirum tamen est, quantæ Reip. tempestates sedari, & quanto studio ciuium animi ad patriæ defensionem excitari Regis oratione valeant. Homines præterea, qui sub Rege viuūt, molestissime ferunt, sibi per inter nuntios, cum ille præsens est, voluntatem illius aperiri. Putant enim, aditum sibi ad Regis gratiā minime patere, improbitate eorum, qui laboribus

ribus alienis ad opes suas amplificādas abutuntur. Cōuenit autem Regibus, qui se caros vniuersis esse studeant, faciles aditus habere, multa signa benignitatis ostendere, homines nominatim appellare, dare signa lætitiæ, cum eos in felicitate versari uident; præse ferre mę stitiam, cum incōmodis uexatos animaduertunt; sibi potissimum beneficiorum gratiam reseruare, hoc autem assequentur, si non existimauerint esse Regium, omnes a suo aditu & congressu arcere, qui non fuerint nobilissimi, aut illis gratia, & familiaritate coniunctissimi; & si non infantia Regiam grauitatē contineri putauerint. Facilitas enim ad amorem allicit, & inuitat; & eloquentia maxima Regis munera cum illius amplissima dignitate sustinentur. Siue enim ad bellum cohortandi ciues sunt, siue ad pacem reducendi, siue ad ciuilem societatem inuitandi, siue a seditione deterrendi; quid Regis oratione vehementius, aut ad illius dignitatem aptius excogitari potest? Sacerdos quidem Rex non est, sed operam dare potest, vt ij sacerdotes fiant, qui doctrina, & moribus, & grauitate, & vitæ castimonia, & religionis exemplo facillime tantam personam, atque dignitatem sustineant. Quod si sacerdotis est, pietatem vnice colere, religionis puritatem omnibus vitæ commodis anteferre, Diuinam mentem consulere, & omnia ad Dei voluntatem administrare; Rex quodammodo sacerdos appellari potest. In hoc tamen pietas, & sanctimonia Regis maxime perspicitur, quod in religionis institutione sacerdotibus subditur, illorumq. sententiam veretur, nec ab illorum placitis, qui summo sacerdotio funguntur, vmquam discedit. Reliquis autem officijs, & artibus, quamuis Regis officium præcipuum minime contineri dicamus; hoc tamen dicimus, illorum omnium moderationem, & vim salutarem, ad illius officium pertinere. Quælibet enim ars ad vtilitatem Reip. vtiliter inuenta noxia esse poterit, si non fuerit Regis moderatione gubernata. Vt enim architectus omnium fabrorum operis, quæ ad ædificium necessariæ sunt, sapienter vtitur; aliter enim erit architecti nomine indignus; ita Rex, cui totius Reip. fabrica commissa est, omnium artificum operas ad ipsam Remp. bene, atque sapienter ædificandam confert; in eoq. neruos omnes intendit, vt eam sartam tectā summo studio conseruet. Est enim Rex, vrbiū conditor, ciuium moderator, legum custos, & publicæ salutis, & incolumitatis architectus. Hoc igitur illius munus est, vt omnes artes, siue illustres, & claræ sint, quas ipse per se sine dignitatis imminutione tractare potest; siue humiles, & sordidæ, dum modo ex illis Resp. aliquod emolumentum capiat, sapienter, & apte moderetur, & in Reip. salutem dirigat. Nulla est igitur ars, nulla disciplina, nullum opus, quod in illius tutela non sit. id enim, quod ab illius moderatione relictum, aut pestiferum, aut saltem inutile poterat esse; illius moderatione deiunctum, salutare est, & magnam aliquam vtilitatem continet. Est igitur Rex, (vt eodem verbo sæpius vtar) publicę felicitatis, atque beatitudinis architectus. Publica autem felicitas, & beatus Reip. status, omnium bonorum ratione, & multitudine continetur. Bona autem Academici, & Peripatetici trifariam diuidunt. alia namque sunt in animo, qualia sunt ingenij acumen, sollertia, sagacitas disciplinæ, virtutes vel illæ, quibus ingenium excolitur, vel quibus animus ipse Diuinis opibus, & ornamentis afficitur: alia vero sunt in corpore, quæ vel ad bonam valetudinem, & firmitatem, vel ad corporis speciem, & dignitatem pertinent: alia postremo extra corpus, quibus vel vita alitur, & sustentatur, vel vitæ cultus, & elegantia, & salutis, atque dignitatis subsidium continetur. Hoc igitur propositum esse debet, vt Resp. sit opibus florens, & viribus firma, & virtute honesta, & sapientiæ institutis egregie constituta. Vt igitur a minimis ordiamur, opera illi danda est, vt Resp. locuples, & opulēta sit. Cum autem multæ rationes rei augēdæ sint, nulla tamen est honestior, nulla vberior, nulla communibus rebus vtilior ea, quæ in agri cultura consistit. Reliquæ enim fraudibus, & iniurijs affines plerumque sunt; hæc autem, cum iustitia, & æquitate coniuncta. illæ ad pauciores pertinent; fructibus aūt, qui ex terra funduntur, omnium vita sustētatur; & opibus, quæ vel vsura, vel mercatura, vel alia quauis eiusmodi sedulitate, & industria comparantur, animi effeminari solent, & insolenter extolli: at agricultura & corpus exercet, & modestiæ altrix, & cōseruatrix est. Iam vero, cum bellum motū fuerit, qui vobis fore videtur ad resistendū magis parati; ij ne, qui vitæ vmbratili, & delicatæ se dediderunt? an qui solibus perusti, & laborib. assiduis durati sunt? ij, quorū ois res est in nummis, qui facile a loco in locū asportari possunt? an, qui nō alias opes possidēt, pter eas, quas ex agris qui loco moueri nō possunt, manu quærūt? ij, qui neq. qua hostē aggrediātur, aut qua se in tutū recipiant, plane vidēt? an, qui oēs regiones agrorū, viarū amfractus, semitarū cōpendia, lucorū exitus notos habēt? Ad studiū igitur cōmunis periculi propulsandi, tantūinter bonū colonum, & mercatorē intereſt, quantū inter indigenam, & peregrinū: colonus enim terram, quæ illi omnia ad vitā necessaria large suppeditat, vt parentē colit; &, ne ex illius gremio pellatur, quæuis pericula audacius ineunda putat: at mercator, cū varias terras peragret, in nulla tamquā in patria, atque naturali sede cōsistit. Cur igitur, inquies, hodie non ex agris homines ad militiā educuntur? Quia similiter alia multa, olim salubriter īstituta, cōmutata sunt. Præterea plerisq. in locis

Bona, trifaria diuiduntur.

Comparatio ab architecto.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ita seruiendi consuetudo rusticorum animos afflixit,vt non possint aliquid de laudis, & dignitatis studio cogitare. Postremo, cum bellum est terris situ disiunctissimis inferēdum, nec illi libenter ab agris auellunturnec est vtile Rebusp.terras aratorum penuria vastari. cum tamen Roma non virtute tantū, sed etiam frugalitatis laude florebat, non solum milites, sed etiam consules, & dictatores ab agris accersebantur. Sed, quoniam ita more receptum est, illis longinquæ saltē militiæ vacationem concedamus,dummodo fateamur, vix vllum genus hominum esse,cui magis obligati simus. Illi fruges exarant,quibus alimur; illi pecora nutriunt, quæ non solum cibum nobis,sed vestitum etiam præbent;ex agris bene cultis oleum,& vinū,& varios fructus, qui nō modo ad necessarium victum,sed etiam ad naturæ delicias referuntur,excipimus. Quid autem de voluptate, quæ percipitur ex re rustica, dicendum est? quid enim nitidis collibus, frondosis vallibus, cultissimis agris,dēsis nemoribus, vel ad adspectum venustius, vel ad curarum requiem, & molestiarum omnium obliuionem salutarius?quid hortis,pomarijs, vinetis,& oliuetis, vel ad fructum melius, vel ad speciem præclarius, vel ad vsum vitæ iucundius? Quod si mores hominum non fuissent ad mollitiem lapsi, neque tanta pecuniæ cupiditas in animos inuasisset;idem certe honor,qui olim habebatur,huic rusticæ,& attentæ vitæ ab omnibus haberetur. Refert Herodotus, Milesios, olim,cum intestina seditione laborarent, & nullum in grauissimis malis exitum inuenirent, per legatos petijsse a Parijs,apud quos Resp.erat bene constituta, vt mitterent ad se aliquot ciues prudentia graues,quorum auctoritate, & consilio posset Mileti aliquis status Reip.collocari.Parij igitur ciues,communi suffragio delecti, Miletū profecti sunt;& in Milesiorum concilio dixerunt, se nihil prius acturos esse, quam totam illam regionem oculis perlustrarent. Cum igitur Milesium agrum peragrarent, si quem fundū viderent bene cultum, & nitidum, interrogabāt,cuius ille fundus esset; nomen autem coloni illius litteris cōsignabant. Vbi igitur in vrbem rediere, conuentum Milesiorum ciuiū habuerunt; ibi vero dixerunt fieri non posse, vt, qui rem suam male gerit, publicam bene administret. si igitur salui esse vellent ij, qui erant in agrorum cultu negligentes,sub eorū moderatione viuerent, qui agros bene consitos habebant; sperandum enim esse, vt,qui in re sua curanda diligens esset, eandem etiā in curatione Reip.diligentiam adhiberet. Agricolas igitur diligentes,negligentibus,& ignauis præficiunt,& ita finem eorum malis imponunt. Videte,quantum fuerit olim agricultu-
Agricolarum quantum tributum
ræ tributū: homines ex optime morata Rep. delecti, qui ciuitatem motibus intestinis perturbatam,& pestifera seditione cōuulsam,bene, atque sapienter constituerent; non aliud remedium præsentius inuenire potuerūt eo, quod in eorum moderatione consistebat, qui rebus rusticis diligenter operam dabant: eā enim vitam nō simplicitatis,& pudoris,& innocentiæ; sed moderationis,& ordinis,atque diligentiæ magistram esse statuebant. Sed,vt tam multa agriculturæ minime tribuamus, id saltem negari non potest,oēs naturæ opes, quibus communis omnium vita sustentatur, telluris diligentissimo cultu contineri. Hæc enim frugum,& leguminum,& plantarum semina, quæ in se recipit, multiplicato cum fenore reddit: hæc germina passim fundit,& cunctis animātibus pabula subministrat:hæc montes siluis vestit;& valles herbis, & nemoribus implet; & arbores partim fructiferas, partim siluestres, ad ædificia, & ad reliquos vsus vitæ necessarios affert. Nihil denique est ad vitam necessarium,quod non tellus,sollerti cultura hominis diligentis adhibita, non admodū large,atque munifice largiatur.Sed, quorsum hæc tam multa de agricultura dicta sunt? Vt intelligatur,cum Regis officium sit, locupletare Remp. & nullæ opes humanæ sint cum opibus, quas terra ex se fundit, comparandæ,ad Regis officium pertinere, dare diligenter operam,ne terra cultoribus destituta vastetur;ne arationes deserantur; ne telluris pars vlla sine fructu relinquatur. quod quidē facillime partim Principis benignitate, qua multos ad rei rusticæ studium inuitabit; partim seueritate, qua ignauos coercebit, fieri potest. Non enim video,cur Persarum mos,& consuetudo in nostram vitam, atque mores transferri non possit. vt enim refert Socrates apud Xenophontē, nemini licebat olim apud Persas fundos, & possessiones suas negligere. Illis enim,qui rebus rusticis diligenter operā dabant,erat certum laudis, & dignitatis præmium a Rege propositum;ei vero,qui per desidiam, & incuriam agrum suum squalere sinebat,erat etiam pœna pro magnitudine negligentiæ constituta. Rex autem,quoties regionem lustrabat, in omnes partes oculos conijciebat;vt videret,qui agri culti essent,& nitidi;qui neglecti,& inculti;vt eorum dominos vel honoribus,& donis,vel ignominia,atque pœnis afficeret. Regionibus vero, quas ipse per se obire non poterat, nauos, & industrios homines præficiebat;hi autem agricolas omnes stimulabant, experientes aratores honorabant, ignauos acerrime coercebant;diligentiaq. sua faciebant, vt loca deserta frequentarentur, vt agri ante relicti lætas fruges efferrent, vt vineæ, vt oliueta, vt horti, atque pomaria vberes fructus effunderēt; vt siluæ,atque nemora,summa diligentia consita,multarum rerum copiam suppeditarent. Rerum autem rusticarum prefecti, qui hoc sibi commissum munus strenue peragebant,a Rege donis,& muneribus augebātur:is vero, cuius

cuius negligentia tellus inculta parum lætos fructus efferebat, ignominiam,& pœnam debitam sustinebat,& honore illo priuabatur;& alius in locum illius succedebat, cuius vigilantia possent omnes illius terræ cultores opibus naturæ locupletari. Quo quidem more, & instituto, nihil poterat ad rerum omnium copiam parandam aptius excogitari. Nihil est enim tellure bene culta ditius, & affluentius.Princeps igitur,qui in eo mentem defixerit, vt, genere terrarum notato, vbi primum quid quæq. tellus ferre posit,animaduersum fuerit;cogat pœnis,aut præmijs inuitet agrorum dominos, & omnes agricolas,vt omnem regionem diligenti cultura fructuosam reddant, optime profecto Regno suo prospiciet. Illud enim efficiet omnibus naturæ opibus, atque diuitijs opulentum: neque solum ad inopiam propulsandam, sed etiam ad libertatem tuendam dici vix potest, quātum valeat agri colendi studium. Qui enim frumenti inopia laborant,illis semper obnoxij sunt, quorū frugibus aluntur. Muitum quidem afferunt etiam vtilitatis omnibus Rebusp. nauicularij,atque mercatores: ea namque, quibus regio redundat,exportāt,& ea,quibus indiget, important;multasq. vias dant, quibus hominum aliorum mores, & iustituta cognoscamus; sed illi non omnibus vtiles esse possunt: at agricolarum labore, & industria omnium vita continetur; & illi multa conuehunt, (vt dictum est)quæ homines effeminant: at agricultura vires corporis, & animi confirmat. Deinde commercium cum externis hominibus ciuium animos externis moribus oblinit: at agri colendi studium antiqui moris simplicitatem incorruptam, & integram perpetuo conseruat. Vt autem nihil aliud dicam,agricultura vitam omnem continet, mercatura vero eā vitæ lautitiam,quæ, vtrum plus damni,an vtilitatis inuexit, haud facile dixerim. Non igitur immerito finxerunt poetæ, cum inter Mineruam, atque Neptunum orta esset contentio,vter eorum nomen Athenis imponeret,fuisse deorum iudicio caussam Mineruę adiudicatam: illa namque terræ colendæ rationem, Neptunus nauigandi maris artificium tradebat;& illa frumentum,& oleum,& alios fructus; Neptunus vero varias,& peregrinas merces ostentabat. Non tantum tamen agriculturæ studium in Regibus requiro,quantum in Cyro iuniore exstitit, qui gloriabatur, agrum se sua manu conseuisse, cum Lysander arborum pulchritudinem, & ordinem vehementer esset admiratus, quibus illum agrum consitum adspiciebat. Illud saltē velim omnes Principes secum recogitent,sibi hoc onus incumbere,vt ciues suos locupletes efficiant,nullasq. diuitias esse cum illis conferendas, quæ ex terræ visceribus eliciuntur. Hoc igitur firmissime constituto, clare videbunt,sibi obnixe laborandum esse, ne pars vlla terræ negligatur. Nullum est enim tam marum solum, quod non cultura fructuosum fiat,si aptissima illi semina commissa fuerint. Hic enim segetes(vt Virgilius ait)illic veniūt felicius vuæ. Georg. lib. 2

Arborei fetus alibi, atque iniussa virescūt
Gramina.Cum igitur multis in rebus antiqui Lusitaniæ Reges multum reliquis Principibus sapientia præstitisse videantur; tum in eo summopere laudandos esse iudico, quod tantum studium in terræ diligentissimo cultu posuerint. quod declarant eorum statuta, quibus aratoribus, & agricolis cauent, & beneficijs, & immunitatibus multos mortales ad studium rerum rusticarum inuitant. Vnde quidam illorum, propter propensam in agricolas voluntatem, Agricolæ cognominati sunt.Multi fuimus in agriculturæ commendatione; partim quod nullam artem Reip.locupletandæ honestiorem, & vtiliorem esse iudicemus; partim quod huius studij negligentiā indignissime ferendam esse censeamus. Admonendi sunt igitur Principes, vt fauoribus, & immunitatibus multos mortales ad agros colendos alliciant,& negligentibus agricolis graues pœnas imponant. Non tamen ita res rusticas complecti cura sua debent, vt reliquas artes Reip. locupletandæ despiciant. Sunt enim mercatores etiam valde fouendi: illorum namque fide, & industria,non mediocria Reip. munera sustinentur; neque vulgaris prudentia ab illis ex hominum externorum commercio, & familiaritate comparatur; multæ res patriæ vtiles in patriam eorum periculo conuehuntur;multa etiam, qui bus Resp. redundat, in alias regiones ab illis cum vtilitate publica deferuntur. Multi etiā repentini casus incidunt,in quibus opibus illorum sæpenumero non leuia pericula propulsantur. Sed, quid mercatores commemoro,qui quidem, cum sine fraude pecuniam faciunt, ingentes Reip. vtilitates afferre possunt? cum etiam caupones Plato valde Reip. necessarios esse confirmet. Similiter omnes artifices in Rep. Principis ope in artificio suo continendi sunt; neque baiuli quidem, & operarij sunt eadem benignitate priuandi. Vt enim omnium curæ,studia, cogitationes, opera, Regis ipsius ordine, & moderatione, in publicam vtilitatem conferuntur; ita illius tutela,& patrocinio omnium salus,& vita continetur. Omnibus enim consulit, in eoq. vigilat,atque laborat, vt vniuersa Resp. opibus ad vitam necessarijs abundet; ne vlla pars illius aliqua inopia, & indigentia conflictetur.Quæ igitur patria tellus minime producit,aliunde cōuehenda curet;vt vsus ipsius Reip.opera mercatorum suppleri possit. Sed non satis est Remp.esse copiosam,& opulentā nisi fuerit armis egregie defensa,& cōtra oēs hostium insidias firmissimo præsidio munita. Nō enim opes ipsę per se pericula propulsāt;

Universidad de Deusto
Biblioteca

immo,quo maiores,& ampliores sunt,eo maiores illis insidiæ comparantur.Diuitię namque,quas imbelles homines posident,cupiditatem aliorum vehementius irritant;& spem multo acrius excitant;& sic bellorum omniũ materiam præbent.Causſæ vero speciosæ belli inferendi numquam hostibus bellicosis,& cupidis defuerunt. Resp. igitur florens opibus, si fuerit virtutis militaris præsidio nuda ta, quo maiores opes habuerit, eo facilius euertetur. Regnum igitur,aut opuléta Resp. quæ tãtum opibus suis fidit,vt pacem, & otiũ existimet esse sibi firmisime constitutum,plane delirat. Latent enim semper insidiæ;fraudes in specie fictæ societatis occuluntur;vndiq. circumstant pericula;& tunc multo funestius exitium communibus rebus imminet, cum Resp.in maiore securitate versatur.Nec enim iunctæ cum Regibus amicitiæ, neque fœdera cum gentibus finitimis icta, sed animi virtus, & armorum potentia Reip. statũ tutum, & incolumem præstare possunt. Qui enim vel nimis cupiunt, vel nimis inuident, tam diu fœdus sancte percussum religiose cõseruant, quam diu nihil nec aperto Marte, nec ex insidijs se nocere posse confidunt. Vbi vero primum sibi rei per scelus augendæ occasionem oblatam vident, nulla religione impediuntur,quo minus eam confestim arripiant, & stultitia eorum, qui in fœderibus acquiescunt,ad suam prædam abutantur.Merito igitur Iphicrates, Athenienſium dux, laudatus est.Cum enim Lacedæmonij,se paratos esse,dare fidem, quam is vellet, dixissent, vna tantum ratione sibi fidem fieri posse, dixit; si demonstrarent,se non posse, quamuis id valde cuperent, fidem datam violare. Intelligebat enim vir acutissimus, diu fidem apud illos,qui omnia cupiditate infinita metiuntur, sacrosanctam fore,quamdiu vires non habuerint. Princeps igitur bonus, & sapiens, qui numquam fidem violauit, non existimare debet,ea fide reliquos etiam,quos videt cupiditate, & inuidia flagrare,contineri posse. Itaque tantisper,dum ad omnes belli casus egregie paratus est,confidat alios in societate, & fœdere permansuros.Vbi vero primum,aliorum fide nixus, sui ipsius studium remiserit, ipse sibi pestem, atque perniciem per socordiam,& ignauiam comparabit.Non igitur in eo tantum pugnare debet, vt magnis opibus affluat;sed vt omnes opes Regni sui armis, atque virtute tueri possit. Secus enim, quo maior, & amplior status illius fuerit, eo erit casus, & ruina calamitosior. Sapientis igitur est, in summa pace de bello cogitare, & in bello omnem belli gerendi rationem ad pacem dirigere. Quamuis igitur diuturna pax belli metum imperitis depulerit, est tamen iuuentus in armis continenda,& diligenter exercenda,vt,quoties opus fuerit, præsto ad omnes casus sit, ad omniaq. pericula depellenda vigilanter accurrat.Vt autem,cum necessitas instat,& vrget,omnes, quorũ ætas armis accommodata est,euocandi sint,& tabernæ etiam, vt olim Romæ fiebat, claudendæ, & iustitium indicendum; vtilissimum tamen est,in pace esse quoddam genus hominũ, qui, reliquis curis expediti, arma præcipue tractent, & reliquos, cum nomina tempore belli dederint,exerceant,& ordines sequi doceant, militiæq. non rudes magistri sint. Est igitur necesse, vt in omnibus vrbibus (in illis vero maxime, quæ sunt cum vicinis nationibus continentes) disposita semper sint armatorum præsidia; & duces, præfecti,quæ,ad repentinos belli motus intrepide sustinendos prompti,& expediti sint.Hi vero benignitate Regis alendi, atque sustentandi sunt; &, qui virtute præcellunt, præfecturis,& honoribus augendi, vt & ipsi merito virtutis præmio fruantur, & alij eadem honoris spe similiter in eiusdem virtutis studium incitentur.Quali autem ratione hæc præsidia disponi debeant, minime laboro; dũ modo hoc summo studio curent Principes, ne vnquam (quamuis pax diuturna sit) armorum studium vlla ratione deseratur. Otio namque, & securitate franguntur vires, languescit industria, hebescit ingenium,vitia crescunt,scelera prorumpũt, animi status opprimitur, flagitiorum omniũ bellum inexpiabile concitatur, vsque adeo, vt quoduis bellum,quamuis durum,& periculosum,huic insidioso pacis nomini longe præferendum sit. Nec enim pax illa dicenda est, quæ frugalitatem,& continentiam, & omnes denique virtutes pestiferis armis euertit; vniuersamq. tandem Rempub.constrictam hostibus tradit. Nomen itaque pacis inane hominibus imperitis illudit, vt eos improuiso fortunis omnibus,atque libertate spoliet.Vt igitur vigilantissimus pastor ita semper excubat, vt numquam procul lupos esse putet; ita Regis vigilantis est, numquam procul hostiũ insidias positas,arbitrari.Quamuis autẽ nullus eiusmodi metus esset, vtile tamen esset hunc metum ciuibus injici: libidinis enim immanitatem continet, & industriam exacuit, & ad virtutem solicitat. Sed minime necesse est hunc metum simulari: adsit modo prudentia,cuius officium est,omnia, quæ possunt rebus humanis accidere, multo ante præcauere. Numquã enim is, qui rerum humanarum imbecillitatẽ,& felicitatis in constantiam,& inuidiæ feritatem,& cupiditatis impotentiã, & perfidiæ magnitudinẽ,& reliqua mala omnia,quæ versantur in vita, quibus frequenter status florens exscinditur, cogitatione percepit,timere desinet;sed se ad omnia,quæ possunt incidere,comparabit. Ita vero fiet, vt is maxime securus sit, qui status sui cõuersionẽ timet; & is in summo periculo versetur, qui rebus suis nimium cõfidit,&,quasi sibi exploratum sit fortunam suam nullam mutationẽ habitu-

Otij mala.

habituram,nullo se præsidio firmat. Quæ quidem detestabilis amentia ad Diuinam pœnam referenda est. Quoties enim rectissimus ille Iudex aliquam Remp. euertere cogitat, primum eam armis nudat, & iuuentutem effeminat, ne saltem possit honestam mortem in armis pro patriæ defensione susceptis oppetere. Legite historias: videbitis, omnes propemodum nationes,quę ad summas opes, & imperium peruenere,postquam intolerandа superbia, & iniquitas in illarum mores inuasit, præter alias pœnas, quibus a Deo multatæ sunt,hanc etiam dedisse,quod omnes artes militares abiecerint, & se luxu, atque delicijs corrumpi,& effeminari permiserint.Vt enim alias omittam, Hispania certe nostra, priusquam Arabes, qui Mauritaniam incolebant, illam vastarent, iam erat armorum desuetudine, & disciplinæ militaris obliuione a Deo punita. Cum igitur Arabes in Hispaniã traiecere,vix erat quisquam,qui illorum vultum adspiceret;sed omnes, cum summa turpitudine,& ignominia, terga vertebant. Vnde colligitur, armorum contemptum, & negligentiam, esse pœnam, atque supplicium, a Deo nationibus, propter immania scelera, constitutum.Princeps igitur prudẽs, & pius, qui hæc omnia mente perceperit, quo tandẽ modo fieri poterit, vt armorum studiũ omittat? Videbit præterea, hanc exercitationem summis Regibus ingentem gloriam peperisse,eorumq. nomen laudibus sempiternis illustrasse,eaq. non mediocrem virtutis, & honestatis partem contineri. Magnum est enim, præ verissimæ gloriæ studio voluptates asperuari,labores immensos excipere, mortem,& dolorem contemnere, & cum vitæ periculo pericula omnia a Rep. propulsare, &, studio publicæ pestis auertendæ,in pestem, cum fuerit opus,irruere. Hæc igitur qui præstiterint, non modo summi Principes, sed Diuini quidam homines existimandi sunt.Quod si Princeps hoc animo fuerit, id, quod consequens est, cum magna Reip.vtilitate perficiet. Omnes enim viros fortes ad se aggregabit, multumq. illis suæ benignitatis impertiet. Intelliget enim, quanto honore digni sint illi, qui, dum publicam salutem,atque libertatẽ tuentur, facile vitam in summum discrimen inferunt, &, dignitatis gratia, nullum periculum adire reformidant. Si enim nihil est ignauia, & timiditate deformius,quid poterit cogitari industria,& virtute præclarius? &, si is,qui, morte etiam proposita, ciuem, aut amicum tueri non dubitat, nõ mediocri laude dignus est,quibus tandem laudibus ornandus est ille, qui pro templis, atque sanctitatibus, pro patrijs legibus,& institutis, pro Reip.libertate, pro ciuium salute sanguinem, atque adeo vitam libentissime profundit?Quid enim honestius est,quam multo magis dedecus,& turpitudinem,quam vulnera, & mortem horrere? Quid admirabilius, quam patriæ caritatem proprię anteponere?Quid denique Diuinius, quam multum de illa immortali vita, parum autem de hac exigua cogitare? Merito igitur semper in omnibus Regnis, & imperiosis populis,summa laus fortibus hominibus attributa est,maximaq. præmia persoluta sunt: illorum namque virtus continet patriæ firmamentum, Reip. vniuersæ propugnaculum, ciuium libertatem, tutissimumq. in omni rerũ discrimine,& calamitate perfugium. Omnes enim ciuium opes in illius tutela sunt. Omnes artes in præsidio illius acquiescunt: quo quidem vbi primum fuerint nudatæ, concident, & Resp. omnibus bonis euertetur. Qui igitur acres homines contemnit,& lautorum hominum delicias horridis, & incultis militum moribus anteponit, est Reip. proditor, publicæq. salutis euersor existimandus.Quantum enim in illo est, patriam salutari præsidio spoliat, nudamq. & inermem hostibus diripiendam tradit. Illis igitur, qui Remp.saluam volunt,est laudibus, atque præmijs, studium virtutis militaris incitandum,non contemptu,& auaritia restinguendum. Præclare quidem Plato,in Rep. quam finxit,censuit,vt ij beati existimarentur ab omnibus ciuibus, qui in prœlio, pro patria inito,fortiter dimicantes occumberent; illorumq. genus aureũ esse crederetur, quale Hesiodus fuisse fingit eorum, qui olim proxime ad Diuinam naturam accederent,quos post mortem Diuinitate quadam ob virtutem donatos afferit. Hos igitur Plato censet pro heroibus habendos, eorumq. memoriam religione consecrãdam. Videte, quantum vir ille sapientissimus huic virtuti tribueret,vt illam Diuinitate dignissimam iudicaret.Et reuera Diuinę virtutis est, propria morte vitam omnium conseruare; propriæq. salutis immemorem, patriæ salutem tueri. Athenis erat lege sancitum,vt ijs, qui pro patriæ salute in bello caderent,publice funus fieret, eorumq. laudes aliquis orator excellens oratione luculentissima celebraret; & illorum filij in Prytaneo publicis sumptibus alerentur,& omnibus ingenuis artibus erudirentur,donec ad eam ætatem peruenirent,qua possent rem suam gerere. Tunc vero armati domum mittebantur, admoniti prius a magistratibus, vt, patriæ virtutis memores,intelligerent,illis ipsis armis,quæ a patria, parente sanctissima, acceperant, esse sibi pro ipsius patriæ salute, quoties opus fuisset,acerrime depugnandum. Sapienter enim videbant, interituram virtutis indolem, vbi ciues non fuerint hominum fortium virtutem,qui pro omnium vita mortem oppetunt, voluntate gratissima persecuti. Quid hic Spartam memorem? Quid Carthaginem? Quid Romam? Quid alias ciuitates,opibus,& imperio florẽtes,oratione cõplectar? Fuit ne vnquam magnum aliquod imperium, in quo

Universidad de Deusto
Biblioteca

non multum fuisset huic virtuti tributũ? Non certe. Nec enim magnum imperium parari, vel diu conseruari poterit, vbi quidquam plus valet, quam virtutis ornamentum. Vbi igitur præmia virtuti debita, vel ad opes malis plerumque artibus comparatas, vel ad ignauæ gentis arrogantiam deferuntur, ibi imperiũ diu stare non potest. Est igitur optimi Principis, ignauiam contemnere, timiditatem exsecrari, militiæ desertores acri supplicio punire; homines vero fortes omni honore dignos censere; nec in vanis nominibus, sed in virtute militum Regni præsidium constituere; omnesq. viros virtute excellentes, non solum nobiles, sed sibi etiam coniunctissimos arbitrari; molles autẽ, & delicatos, & timidos, quamuis Reges in maioribus suis numerent, tamquam homines viles, & obscuros, a suo cõgressu, & familiaritate, procul arcere. Hoc certe si fecerit, inuicto præsidio stabilietur; res immortalitate dignas geret; laudibus sempiternis illustrabitur; atque perficiet denique, vt Resp. non solum opulenta, sed etiam fortis, & inuicta sit. Sed venit ne vobis in mentẽ, quantum sit communibus rebus a militari virtute periculum? Quo modo? inquit T. Virtutis enim est, salutem dare, non afferre perniciem. Recte inquam, si perfecta virtus esset; sed illa virtutis militaris species, qua plerumque milites efferuntur, & insolescunt, non est vera virtus; sed virtutis inane simulacrum, in iactatione, & leuitate constitutum. Sunt enim plerumque milites impotentes, iracundi, contumelioſi, feroces, infesti, nihil iure & æquitate metientes; sed omnia ad vim, ad ferrum, ad cædem reuocantes: nihil enim viro forti indignius esse putant, quam submitti legibus, & in contentione aliqua publico, atque legitimo iure superari. Omnia igitur sibi armis vindicare conantur. Videte, qualiter Horatius virum acrem in ferro, atque plane militarem oratione describat:

Arte Poet. Impiger, iracundus, inexorabilis, acer
Iura neget sibi nata, nihil nõ arroget armeis.

Armis namque omnia deberi putant, & nihil, quod non sit cum militiæ decore, atque castrensi laude coniunctum, in laude ponunt. Cum igitur aliquem hominem honoribus auctum cernunt, quem numquam in acie stetisse sciunt, honores illos fortibus viris ereptos esse fremunt. Si igitur tam insolentes sunt, cũ non valde honorantur, quid futurum existimatis, cum fuerint multis præmijs, & honoribus affectiꝰ an non eo tandem eorum prorumpet insania, vt ad suum arbitrium imperij gubernacula reuocare conentur? Primum enim leges contemnunt, in quibus salus Reip. consistit. Si igitur ad hanc temeritatem, & amentiam robur accesserit, qua tandem ratione vitari poterit Reip. totius exitium? nullo modo. Nihil est enim temeritate armata funestius. Euenit igitur tandem, vt, qui Reip. custodes esse debebant, euersores Reip. fiant, multoq. maiorem sæpe cladem patriæ afferant, quam hostes victores attulissent. Vt enim, si ouium custodia lupis commissa fuisset, ouium interitus necessario sequeretur; ita, cum hominibus audacibus, insanis, armatis, Reip. custodia permittitur, necesse est, Remp. vniuersam eorum violentia, & immanitate lacerari. Perdiccam sui milites, vt Ptolemæi gratiam inirent, contrucidarunt; Argyraspides Eumenem virum fortissimum, sub quo stipendia faciebant, Antigono vinctum tradiderunt; Demetrij milites, Demetrio deserto, sese ad Pyrrhum contulerunt. Similiter alij, Antigono deserto, Ptolemæi castra secuti sunt. Hamilcar, Carthaginiensium dux, cum oppressas obsidione teneret Syracusas, nec vlla vi impediri posse videretur, ne eas expugnaret, seditione militum a Syracusanis captus, & occisus est. Celtiberi, in Hispania, P. & Cn. Scipiones imperatores clarissimos, sub quibus militabant, Carthaginiensibus prodiderunt. Militũ insolentia, & auaritia, Romanum imperium laceratum, comminutum, & dissipatum fuit; eoq. deuentum est, vt milites imperium pecunia, quibus vellent, addicerent; & ijs, quibus imperium vendiderant, vitam, cum vellent, eriperent; & insignia summæ potestatis ad homines flagitioſos, & infames, pecuniæ magnitudine victi, transferrent. Cum vero eodem tempore plures simul imperatores diuersis in locis militum libidine, & auaritia crearentur, factum est, vt orbis terrarum seditionibus, atque pestiferis bellis arderet, atque tandem illud florentissimum imperium, quod vltimos terrarum fines potestate continebat, militari licentia conflagraret. Ne autem antiqua tantum referam, milites Ludouicum Sfortiam, neglecta fide, deseruerũt, nec illum tantum, sed alios etiam duces, eadem propemodum ratione, perdiderunt. Dies me deficeret, si vellem commemorare, quot cædibus, atque rapinis multi milites patrias suas afflixerint, quantas seditiones excitare soliti sint, quãtam molestiam ducibus suis exhibuerint, quam sæpe illos nefarie prodiderint, & necẽ per summum scelus attulerint, quod quidem me mouet, vt augurer, hanc eandem fore imperij Turcici ruinam. Cum enim audiam, quanta sit Prætorianorum militum, quos ipse Turcæ Genizzaros appellant, audacia, & quã impunita licentia; non dubito, quin aliquãdo sint manus imperatoribus suis allaturi. Quãuis enim nunc aliquo pudore teneantur, ne imperium deferant ad aliquem, qui nõ sit stirpe Othomani progenitus; ad illos tamẽ Principes, quos volunt, modo eadem stirpe procreati sint, sæpe pecunia, & præmijs illecti cõferunt, reliquos produnt, & eijciunt, & interimunt, vsque adeo, vt omne imperij illius firmamentum videatur in militum Prætorianorum gratia, & fauore consistere. Vnde conijci potest,

Temeritate armata nihil funestius.

Turcici imperij quæ ruina futura.

potest, postquam illorum audacia, atque temeritas ad summum peruenerit, futurũ, vt Turcarum imperium eorundem militum scelere deleatur. Non igitur, vt videtis, omnia sunt in armis posita; immo, nisi remedium aliquod fuerit adhibitum, multo miserius interibit Resp. armis instructa, & confidentia virtutis elata, quam ea, quæ nullam eiusmodi sibi laudem, & gloriam arrogauerit. Ea enim, quæ nõ tam armis, quam ciuilibus institutis, innititur, tributa sine recusatione pensitabit, atque ita tolerabilem dominatum patietur; ea vero, quæ armis ferox est, cum furore, & amentia omnia perturbauerit, miserrime cõcidet; atque tandem impotẽtem dominatum, cum rerum omnium euersione, & extremo dedecore, & ignominia, subire cogetur. Quid igitur faciemus? Arma militibus detrahemus, & a bellicarum rerum studio iuuenes gloriæ cupiditate flagrantes auocabimus? Minime gentium. Quid igitur? Insolentiam militarem moderationis studio refrenabimus; & cupiditatem indomitam morum honestate continebimus; & sic demum fiet, vt numquam arma perniciem patriæ inferre possint. Non igitur satis est, fortem esse Remp. nisi fuerit etiam egregie moderata. Alit enim insaniam, auget furorem, confirmat amentiam, turbat statum ciuitatis, euertit publicam salutem, qui militum ferociam minime comprimit, nec in eo vehementer elaborat, vt eorum feritati plurimum humanitatis admisceat. Furor enim est, & immanitas, non fortitudo, vis acris animi, omnem modestiæ, & humanitatis consortium repellens. Vt igitur, qui equum ad belli labores perferendos alit, non modo operam dat, vt ille acer, & robustus sit, sed illum etiam man suefacit, vt frenum sine detrectatione recipiat, & facile flecti, atque torqueri possit, quocumque illum dominus incitare voluerit; ita milites domandi, atque frenandi sunt, vt non quocumque illos impetus impulerit, sed in eam tantum partem, in quam rectoris imperium illos immiserit, deferantur. Est igitur Regis officium, non tantum exercere milites, verum etiam moderari, ad omnesq. partes manſuetudinis, & lenitatis instruere. Modestiæ vero studium, pudore, atque verecundia maxime cõtinetur. Est enim Verecundia, metus ignominiæ, turpitudinis offensio, & dolor ex dedecore, & flagitio susceptus. Opus autem est, eum, qui vir fortis esse studet, non mortis metu, sed dedecoris, & infamiæ formidine perterreri; & secum statuere, nullum esse tantum malum, quod sit cum ignominia conferendum. Sic autem honestatem appetet, & turpitudinem fugiet, & mortem ignominiæ semper anteponet. Non igitur deseret aciem, neque turpi fuga saluti suæ consulet, neque fidem duci datam prodet, nec aliquid vnquam efficiet, in quo, cum id sibi fuerit obiectum, vehementer erubescat. Nec enim fortis est, qui nihil omnino timet, sed qui multo magis turpitudinem, quã mortem, & cruciatum timet. Qui autem timet turpitudinem, nec intemperans, nec iracundus, nec immoderatus esse poterit. Quid enim libidinis intemperantia flagitiosius? Quid iracundiæ feritate deformius? Quid denique omni affectionis immoderatione turpius? Præterea intelligendum est, alia natura esse turpia; alia, vitioso more, turpia ab hominibus imperitis existimari. Olim, iniuriam persequi iudicio, honestum erat, apud homines etiam militari gloria præstantes; qui vero maleficium a ciue commissum manu vindicabat, turpis habebatur: nunc vero, contra, honestum existimatur, non crimen intendere, sed crimen alio crimine vlcisci, & turpitudinem alia plerumque non minore turpitudine vindicare. Homo egestate compulsus furatur, atque latrocinatur: si quæras ab illo, cur sine causſa tam grauem iniuriam inferat hominibus, a quibus nullum incommodum accepit; respondet, se honesto loco natum esse, & ideo laborare non posse; non esse autem hominis ingenui, opificio, aut corporis labore victum quærere. Furari igitur, honestum putat; laborare, flagitiosum. Tantum valet vitiosus mos, atque corrupta disciplina, vt sæpenumero vitia, opinione falsi decoris, & assimulatæ dignitatis, occultentur. sed ea opinio, quæ mendacio nititur, facillime ratione depellitur; quæ vero natura mentibus infixa est, numquam omnino potest euelli, quamuis interdum illam praua consuetudo labefactet. Hoc cum ita sit, cauendum est, ne vmquam ea publice recipiatur opinio, quæ dignitatem ponat in ea re, quæ natura flagitiosa est. Quidquid enim animi decus inquinat, quidquid mentis speciem deformat, quidquid statum illius euertit, fœdum, & turpe, & flagitiosum est; nihil autem, quod vitio, & culpa caret, potest vllum dedecus diuturnum afferre. Hoc igitur lege, more, Principis auctoritate, & sententia ratum, & fixum sit, & salutari etiam disciplina confirmatum: nihil esse turpe, & indignum viro, præter vitiorum deformitatem; nihil honestum, nisi quod sit cum virtute, cum modestia, & humanitate, cum iustitia, & patriæ caritate coniunctum. Milites igitur, qui in hac disciplina fuerint enutriti, numquam erunt insolentes, & immoderati: sic autem in primis erudiendi sunt, vt existiment, omnem honestatem esse in legum moderatione collocandam; nec arma contra leges, sed pro legum sanctitate sumenda. Qui enim pro legibus pugnat, ordinem Reip. moderationem vitæ, ornatum animi, publicam omnium salutem tuendam suscipit; &, morte proposita, decus immortale consequitur: qui vero contra leges arma sumit, decus, & honestatem oppugnat, Reip. statum euertit, patriæ perni-

Verecundia, quid.

Universidad de Deusto
Biblioteca

perniciem infert,& , gigantum more,contra cæleste numen impium bellum comparat, atque ita merito turpitudine sempiterna deformatur. Tum etiã illud infixum esse debet omnibus,qui armis exercentur, sibi commissam esse Reip.salutem,legum sanctitatem, religionis castitatem, & vniuersi denique populi dignitatem: quæ omnia tueri nullo pacto possunt,sine singulari fide,& caritate.Miles enim qui fidem sancte colit, vitam potius amittit, quam Reip. propugnationem suæ virtuti cõmissam deserat;&, qui patriam valde diligit, pro salute illius libentissime quoduis magnũ salutis periculum adibit. Itaque non satis esse poterit acer, & vehemens in hostes is, qui nõ fide, & humanitate singulari in ciues suos exstiterit.Fides enim cogit, & caritas incendit animos, vt pro salute patriæ in micantes gladios, & igneos globos irruant. Postremo, belli periculũ eos admonet religionis, & omnes tum vel maxime cælum suspiciunt, cum sunt cum hoste congressuri. Nemo enim tunc tam expers religionis est,qui non cogitet,victoriam Diuino munere,& beneficio contineri; & qui non sit de illa vita immortali sollicitus. Ergo, vt miles tunc fortius, & confidentius certamen ineat, opus est, vt multo antea sit studio pietatis, atque religionis imbutus. Religio autem animos moderatur,omnemq. insolentiam facile coercet,& comprimit.Miles igitur,quem pudor a flagitio deterret,quẽ studium honestatis incendit,quem legum auctoritas commouet, quem fides, & officium adstringit,quem caritas patriæ sollicitat, quẽ cura sanctissimæ religionis alligatum tenet, immoderatus esse non potest. Exercitus autẽ moderati vis,& impetus sustineri nequit. Cũ enim in bello multum valeat fortitudo, tum multo plus etiam ordo,modus, ratio,disciplina:facile namque acies instructa, prudentisq. ducis moderatione gubernata, inconditam hominum robustorum multitudinem fundit, fugatque. nec enim ij sunt, qui fugientes tantum insequantur, ne cũ ijs hostibus pugnẽt, qui se ad resistendum parant.Neque ij,qui, an tequam victoria omnino parta sit, ordines deserant,vt se ad prædam conuertant, quorum vtrumque magnas sæpe clades affert, & victoriam de manibus extorquet,victosq. victores temporis momento constituit.Nec enim vllo metu,aut cupiditate, ducis imperium negligent, aut ordines insolenter, & temere perturbabunt. Quæ autem alia ratio potest assignari, cur pauciſsimi innumerabiles sæpenumero vincant;nisi quod ij, qui multitudine superant, viribus, atque numero feroces modũ seruare nequeunt; paucis vero pudor ingenitus,ignominiæ metus, atque periculi magnitudo facile moderatur? Nec enim quisquam fortis audet in magno belli discrimine disciplinam militiæ contemnere,ducisq. sui imperium detrectare;obediẽtia vero militum maxima ex parte belli victoria continetur. Videte, quemadmodum Homerus describat ordinem, & silentium, quo Græci in hostes ibant, Græci fidentes animis audacibus ibant, Ductorũ quamuis premerẽt formidine voce, Duobus versibus totam militiæ disciplinam cõplectitur, quæ est in fortitudine,& moderatione constituta. Dum enim eos fidentes animis audacibus in hostes ire dicit; eorum virtutem luculentis sane verbis exaggerat:dum rursus eos ait ducum imperium vereri; eorũ modestiam laudibus summis exornat.Decem millia Athenienſium,duce Miltiade,tercentũ millia Persarum vno pœlio fuderunt, eo tempore,quo Persæ rerum gestarum gloria florebant, & infinitis prope nationibus imperabant. Quid igitur fuit in causſa,cur Athenienses tam pauci numero contra tantam hostiũ ferocium multitudinem domum victoriam cum tam insigni gloria reportarent? ea ratione contenti sumus,quam Plato assignat in legibus. Persas enim confidentia superbos, & immoderatos efficiebat; Atheniẽses vero metus,& pudor, & religio continebat, ne quidquam immoderate gererent. Lacedæmonij, vt auctor est Thucydides, quoties illis erat cum hoste confligendum, ad tibicinum concentum gressum modulabantur, vt illum nimium virtutis ardorem illo genere Musicæ temperarent,ne in pugna tumultuarentur, & aliquid molirentur, quod certum modum, & ordinem transiliret.Romani vero,non tam fortitudine,quam moderatione, atque disciplina, imperium orbis terrarum finibus terminarunt. Tam diu igitur rerum potiti sunt, quam diu modum in Rep. & in bellorum administratione tenuerunt. Postquam vero immoderatio cupiditatis omnem pacis, & belli rationem,& ordinem,& disciplinam euertit, imperium exstinctum,atque deletum fuit. Vnde concluditur,omnia modo,& ordine conseruari,& augeri; immoderatione vero comminui,atque dissipari. Ad Regis igitur officium pertinet, moribus, & legibus, honestatis studio, & religionis cultu, & præmijs modestiæ propositis, & pœnis insolentiæ constitutis, & publicis laudibus, & vituperationibus, & , quod caput est,modestię,atq.religionis exemplo,militum temeritatem, & ferociam comprimere; omnesque viros magno animo præditos in moderationis studiũ incitare. Quod vt commodius fieri possit,opus est,vt multos præfectos illis ordine, atque gradatim præficiat. Nihil est enim ad animos moderandos obediendi, atque parendi studio accommodatius. Qui enim obedire nouit, insolenter extolli,& furenter ruere non facile potest. Prima igitur militię laus est in obediendi studio, & alacritate ponenda.Merito igitur Romani non eos milites probabãt,qui,sine graui causſa, in pericula furenter irruebant; sed qui locum sibi assignatum constanti animo retinebant.

Obediẽdi studium quam necessarium.

bant.Neque eos,qui laudis inanis studio ordinem turbabant;sed qui, ne summæ belli nocerent,aut ne quidquam contra iussum imperatoris efficerent,manus,cum signum receptui dabatur, ab hoste etiam perculso, & abiecto continebant.Qui igitur imperatoris iussu dimicabant,temeritatem illam extremo supplicio luebant, vsque adeo, vt Manlius Torquatus,vir fortissimus,& imperator optimus,militaris disciplinæ sanciendæ gratia,filium singulari virtute præditum securi feriri iusserit, quia,parentis iniussu,hostem, a quo fuerat ad pugnandum prouocatus, occiderat. Is igitur illis optimus miles habebatur, qui optime parere didicerat.Obediendo igitur, assequebatur,vt alijs imperaret. Itaq. ordinatim alias atque alias præfecturas obtinebat,quibus indigni prorsus habebantur, qui præfectorum imperium non eadẽ alacritate conficiebant. Sic autem multi ad summum tandem imperium,quamuis essent infimo loco nati, perueniebant. Hac igitur obediendi consuetudine milites omnes erant ad modestiam satis eruditi.His studijs accedebat iudiciorum seueritas, quæ tanta erat in bello, vt in leuissimis etiam peccatis milites pœna grauissima plecterentur.Quid dicam de religione? Nemini enim licebat militare, nisi apud Imperatorẽ sacramentum diceret. Tanta autem erat illius iurisiurãdi religio,vt, quãuis milites Imperatoribus suis essent grauiter infensi,sub illorũ tamen signis acerrime dimicarent.Sæpe igitur(vt memorię proditum est)cum plebs a patribus odio acerbissimo dissideret,quoties tamen Cons. eos, qui in verba illius iurauerant,contra hostes educere vellet, illum etiã inuiti sequebantur;&,coacti religione, sub illo,quem exstinctum cupiebant,admodũ strenue decertabant. Tanta erat disciplinæ illius religio,vt nullum odium posset plebem a modestia, & officio remouere. Quod si in libera Rep. in summa plebis cum Principibus dissensione,in religione ineptissimis rationibus instituta,tantum tamen valuit mos, disciplina, religio,vt homines acres,& bellandi studio feroces,modestos,& Principum iussis obsequẽtes efficeret; quid in Regno Princeps vniuersis carissimus,apud homines in moribus optimis, & sanctissimæ religionis institutis enutritos,lege,disciplina,ratione,modestiæ,& religionis exemplo perficiet?nemini dubium esse potest, quin, si velit, omnes modestissimos reddat;& sic demum fiet,vt nec in Rep.tumultuari,nec ab externis hostibus vinci,atque superari possint. Sed, cum non milites tantum, sed omnis Resp.sit ad modestiam erudienda, animaduertendum est, omnem modestiæ, & humanitatis rationem in legum disciplina, & in iudiciorum seueritate consistere. Illis enim iustitia continetur: qua quidem nihil potest excogitari nec ad populum continendum vehementius, nec ad pestem auertendã salutarius, nec ad statum Reip. conseruandũ securius,nec ad nominis immortalitatem diuinius.Coercet enim intemperantiam;ornat frugalitatem;obsistit iniquitati; tuetur innocentiam; it obuiam sceleri; virtutem amplificat; delet tyrannidem; constituit libertatẽ; non habet rationem potentiæ; non despicit humilitatem; tollit omnem discordiam;ciuiũ voluntates inter se consensione summa conglutinat. Qui igitur hoc tantum munus suscipit,vt numquam neque cuiusquam gratiæ,neque potentiæ cedat,nec misericordia,nec inuidia,nec amore, neque odio commoueatur; sed vere semper,& incorrupte iudicet; &, cũ leges obseruauerit, præcipue tamen in iudicando Diuinam, atque sempiternam legem consulat; is certe vir Diuinus habendus est. Munere namque Diuino fungitur, & vniuersam Remp. quod proprium cælestis numinis est, incolumẽ ab omni calamitate cõseruat. Nec enim tam armatorum præsidia Remp. tuentur,quam leges,atque iudicia, & constãs inuiolati iuris studium.Multæ namque ciuitates, legitimo iure deiunctæ,sine armorũ præsidio,ius,& libertatem suam tenuerunt: at illæ, in quibus nihil leges, neque iura valent, quamuis armis defensæ sint, funditus tamen euertuntur. Cum enim ius abest, quo plures in ciuitate armis,atque virtute militari præcellunt,eo plures seditiones excitãtur,& vniuersa Resp. grauioribus ruinis opprimitur. Sunt igitur ad hoc tantum munus obeundum a Rege deligendi viri summa grauitate,& auctoritate,& constantia, qui id facile virtute, pietate,& industria sustineant. Qualibus autem virtutibus ornati debeant esse iudices, Mosis socer exponit. Cum enim generum reprehenderet, quod ipse solus vellet omnium cõtrouersias cognoscere; & admoneret, vt iudices ex vniuerso populo seligeret ad iudicandum,ait: Delige ex omni populo viros potentes,qui Deum timeant,& fidem colãt, & auaritiam odio persequantur. Potentes, inquit, ne timore,& imbecillitate præditi,causſas cõtra ius,& fas hominibus, qui multum in Rep. possunt,adiudicent. Qui Deum timeant,ait, propterea quod Dei timore resecantur libidines,quæ menti tenebras offundunt,ne veritatem cernere possint. Id vero qui negligit, quo modo tandem poterit officium tantis difficultatibus implicitum, constanti animo cõseruare? Adiungit postremo, qui odio prosequantur auaritiam:qui enim pecuniæ studẽt, nihil verum,nihil rectum, nihil simplex intueri queunt.Vt enim alibi Deus apud ipsum Mosem dicit; munera mentem hominis sapientis excæcant,& iustorũ animos facile ab æquitate ad iniuriam traducunt. Numquam igitur satis admirari potero Platonem, qui, cũ multa alia a Diuina lege hausisse videatur, tum hoc,quod est ab illo in libro vndecimo de Legibus scriptum de iudicum auaritia,plane constat

Iustitiæ bona.

Universidad de Deusto
Biblioteca

constat a Dei legibus sumpsisse. Non patitur enim eam inferi ciuibus suis opinionem;nefarium esse iuris corrumpẽdi gratia donum ali quod accipere;at, vt æquabile ius administres, & opus aliquod honestum exsequaris, fas esse, quod tibi offertur ab ijs,quibus ius dicis,minime repudiate. Lubricũ enim inquit, & periculosum est, hoc statuere. facile namq. mens hominis donis, & muneribus illecta a vero penitus abducitur;& ius esse statuit, id, quod cum Diuina lege pugnat; & ita,dum in caussa honesta pecuniam accipit, facile ad id etiã facinus delabetur, vt in turpi etiam ius venale proponat.Quocirca capite sanciendũ existimat,si aliquis iudex quacumque de caussa pecuniam, aut aliquod munus acceperit. Sed,vt ad consilium hominis sapientissimi reuertamur, illud etiam considerandũ est; Mosis socrum inter alias virtutes, quibus instructos iudices esse vult, non numerasse nimium in interpretatione iuris acumen. Nec enim, dicit,sint iudices subtiles,acuti,veteratores, & callidi,vt facile leges ad suam libidinem flectant, a vero sensu detorqueant, & fallacias machinentur,quibus iudicia huc, & illuc facile versent; vt sine infamia, & inuidia secundũ eos lites dare possint,qui non iure, sed intoleranda potentia nituntur. Nihil horum dicit. Nec enim tunc tantus honor malitiæ habebatur, vt ij iuris cõsultissimi existimarentur, qui nimio acumine subnixi, varie leges interpretarentur, & simplicitatem iuris eluderẽt. Nihil enim magis sapientiæ repugnat, quam nimia subtilitas,quæ,cum sit in omni disciplinæ ratione veritati valde contraria, tum in legum scientia est nimis pestifera. Omnem enim rationem iuris,& æquitatis euertit.Leges autem nec ita multas esse conuenit, vt se ipsas impediant; nec ita difficiles, vt non ab omnibus mediocri ingenio præditis intelligãtur. Improbitas tamen hominum contra publicam vtilitatem leges multiplicauit, easq. difficiles effecit,vsque adeo,vt ij,qui hoc suscipiunt,vt eas interpretentur, sibi summã quãdam sapientiam arrogent,& in illarum obscuritate intemperantius efferantur. Principis autem officium non est, fraudibus indulgere, sed malitiã resecare. Neque legibus obscuritatem afferre, sed illarũ mentẽ explanare, & veritatẽ tueri. Ne igitur legis mens,& sententia possit aliqua ratione peruerti, & veritas occultari;suadet vir ille sapientissimus, vt ij deligãtur iudices,inquorũ animis nihil insit, quod eos a consideratione veritatis abducat. Veritas.n.aut virib. extorquetur,aut oblinione deletur, aut præstigiis eluditur, aut tenebris obscuratur.Incussus.n.metus,veritatẽ extorquet;religionis obliuio, eã ex animis paulatim delet;falsa voluptatis imago, sensum verę voluptatis exstinguit; pecuniæ cupiditas, & immanis auaritia,mentem tenebris,& caligine circunfundit, ne veritatem adspiciat.

Nihil autem horum poterit illis accidere,qui potentes (hoc est) animo magno, & excelso præditi sunt, & religionem sanctissime colũt, & fidem,& officium omnibus vitæ commodis anteponunt; & auaritiam pessime oderunt; & munera ad iudicandum data vehementer exsecrantur. Cum tamen omnia illa, quæ Iethro complectitur,in iudice requirantur,præcipuum tamẽ locum obtinet religio;immo reliquæ omnes virtutes vna religione continẽtur.Qui enim Deum timet,nec homines metuit,neque fidem deserit, neque pecunia corrumpitur, nec vllum denique locum temeritati,& amentiæ relinquit:numquam igitur in iudicando ab æquitate deduci poterit. Dũ Iosaphat, Rex sanctissimus,iram Dei placare vellet,non aliam rationem placandi numinis excogitare commodiorem potuit ea,quę in iudiciorum instauratione consistebat.Iudices igitur pietatis laude præstantes elegit, qui ius in omnibus vrbibus Iudææ dicerent; quos omnes hac tantum ratione ad officium hortabatur,nempe, vt cogitarent, illud iudicium,quod exercebant,Domini iudicium esse.Quæ quidem admonitio ex lege sumpta satis magnam vim habebat, ad pios iudices in officio continendos.Qui enim hoc in iudicando cogitat,nec homines veretur, cum se Dei vicarium esse sapienter intelligat; neque labe vlla se contaminari permittit,cũ Dei præsentis testimonium reformidet;neque munus cuiusquam accipit, cum sempiternum illud suppliciũ omnibus,qui muneribus se deleniri patiuntur,Diuino iudicio cõstitutum exhorreat. Iure igitur concludi potest,pio numinis metu omnem iudiciorum integritatem contineri.Cum igitur tam splendidus, & tam vtilis,& salutaris hic ordo Iudicum sit;quid pernicio sius esse poterit,quam iudicandi munus hominibus,aut flagitiosis,aut obscuris,& infimis assignari? Cum enim iudices, aut, propter libidinem,& impuritatem, verum iudicare nolunt; aut, propter humilitatem, non audent, & scelera impunita relinquunt; omnes,qui boni rerum æstimatores exstiterint, facile coniicient,Remp.illam, in qua peruersa iudicia fiunt,diu stare non posse. Qui enim Princeps,aut Iudex scelus impunitum dimittit,ius esse statuit,vt boni ab improbis impie, atque nefarie vexentur,& ita ius humanum, atque Diuinum violetur. Quod cum sit,publicam salutem euerti necesse est. Scedasus, vt memoriæ proditum est,fuit in Leuctris homo tenuis, commodus tamen,& hospitalis: huic erant duæ filiæ virgines, forma eximia: cum autem duo Spartani adolescentes ad illum diuerterent, fuere satis humaniter accepti: ij virginibus oculos adiecere,atque,ne vim statim inferrent, fuere hospitis humanitate prohibiti; a Bœotia vero redeuntes, ad eundem hospitem diuersati sunt.is autem aberat:virgines autem,patrijs institutis,ad omnem rationem

Religio præcipue Iudices decet.

tionem humanitatis eruditæ, illos sane hospitaliter excipiunt; illi virginibus per vim vitium inferunt,& iniuriam grauissime lamentantes interimunt, & corpora in puteum abijciunt.Redijt Scedasus;filias non offendit:dũ hæret,& dubitat,catella,sæpe vestis laciniam apprehendens, sæpe in puteum cursitans, & oblatrans,atque gementi,& queribundæ similis,dominum id non temere fieri suspicantem ad puteum perducit. Ibi demum calamitatis suæ magnitudinem oculis adspexit; filiarum corpora e puteo extraxit; cum vero e vicinis accepisset,eos adolescentes eo diuertisse, neque postridie illius diei, quo se domum illius receperant, illos, aut virgines comparuisse; intellexit plane, scelus illud ab adolescẽtibus fuisse conflatum.Recta igitur Lacedæmonem pergit, vt eorum nomina apud Ephoros desecrat. In Argolica vero regione, cum audiret, senem quendam Orcitam, diras clades Lacedæmonijs imprecantem,de alio quæsiuit; quã nam iniuriã a Lacedæmonijs accepisset. Narrat illi senex,quo pacto filius illius probus, & honestus adolescẽs fuisset ab Aristodemo Lacedæmonio,qui ius apud illos dicebat,crudelissime iugulatus, eo quod stuprum ab illo,pati nullo modo voluisset; & deinde, quo modo is Lacedæmonem profectus sit, vt hominem deterrimum apud Ephoros accusaret; Ephori vero nullam rationem tãti sceleris habuerint. Id cum Scedasus audiret, extimuit, ne ipse etiam frustra de hominibus improbissimis, qui tam nefando scelere ius hospiiij violarant,quereretur. Nihilominus Lacedæmonem contendit, ibi primum Ephoros, deinde Reges,postremo omnes, qui multum in ciuitate poterant,conuenit;apud omnes cũ multis lacrymis de iniuria sibi illata cõqueritur; fidem implorat;numen obtestatur;vindictam flagitat; nemo tamen illius querimonias ad aures admittit.Senex igitur,tam atroci iniuria stimulatus, minime mentis compos, per mediam vrbem discurrebat; manus in solem tendebat;modo terram percutiebat;modo furias scelerum vltrices inuocabat;vsque eo,dũ mortem sibi consciscret. Breui tamen vniuersa Resp. sceleris, atque flagitij illius pœnas exsoluit.Epaminondæ enim virtute in pugna Leuctrica ita concisa fuit, vt numquam postea posset in amissas opes restitui. Memoriæ proditum est, ante illam pugnam Scedasum secundum quietem visum esse in somnijs dicere Pelopidæ, qui simul cum Epaminonda bello præerat,Lacedæmonios affuturos, vt in eo loco, in quo tantũ scelus a suis ciuibus impune commissum fuerat, pœnas illi, atque viginibus,quæ violatæ,& occisæ fuerant,vniuersi penderẽt:Sed,quorsum hęc a nobis adducta sunt? Vt intelligatis, quoties aliquod scelestũ facinus impunitum relinquitur, toties hærere in Rep.religionem; quæ si non fuerit expiata, numinis irã concitari, & de vniuersa illa ciuitate supplicium sumi. Scelere enim se alligat,qui in scelere susceptо conuiuet. Nec est vlla potior illius expiandi ratio ea, quæ legitima illius vltione continetur. Ea autem de caussa Deus,cum legem daret, tam sæpe in scelus vindicare præcipit; ne videlicet populus vniuersus se sceleris consensione contaminaret; & ita publice lueret id, quod fuerat ab vno,aut a paucis commissum: Auferes,inquit malum de medio tui;hoc est,violatam religionem expiabis, & te sceleris contagione liberabis,quo teneris adstrictus, quamdiu nõ fuerit in scelus publice vindicatum. Dauid autem, dum in Dei gloriam suas ipsius laudes commemorat, ait: se de multa nocte vigilare solitũ,vt tolleret de ciuitate Domini.sic enim inquit:Omnes, qui operabãtur iniquitatem. Nullum enim sacrificium acceptius Deo fieri posse credebat, hominum sceleratorum supplicio.Resp.enim sceleris contagione liberatur;improbitas,exemplo edito,coercetur;integritas,& innocentia libere respirat;expiata religio homines cum Deo, a quo erant diuulsi,coniungit.Mirum est,quanta seueritate eadẽ ipsa de caussa antiqui Græci scelus persequebantur. illi enim ciuitati, in qua scelus aliquod immane susceptum fuerat, nisi id supplicio illius,qui scelus conflarat,expiaret,bellum a reliquis ciuitatibus indici solebat: existimabant enim hęrere religionem,non in ea tantum ciuitate, quæ se crimine nefario deuinxerat, sed in omnibus alijs, quæ illud non vltæ fuissent.Sapienter autem iudicabant,sceleris consensu Deum irritari;legitima autem vindicta, placari, & a seueritate ad gratiam inflecti. Qui autem historias diligenter euoluerit,id certissimum esse comperiet.Vt enim de Scedaso legimus, ita in omni ciuitate, in qua non erat in aliquod nefarium crimen publice animaduersum,pestis,& fames, & bellũ, & vastitas illam affligebat,atque tandẽ euertebat: vt facile appareret, illud exitium non tam humanis viribus, quam numine Diuino illatum fuisse. Neque solum priscis temporibus,sed nostra etiam memoria, circumspicite animis omnes prouincias,quę fuerunt multis incommodis afflictæ,atque ferro, & flamma vastatæ;& intelligetis, in illis omnibus,antequam fuissent euersæ, fuisse impunitam licẽtiam omnibus facinorosis hominibus attributam. Vnde colligitur,omnes ciuitates,quæ ab hoste captæ sunt,magis ipsius ciuitatis iniquitate, & iniuria, quam hostium virtute,captas esse.Illud enim sane constat,omnes Resp. quæ se legibus adstrinxerunt, & a quibus ius æquabile cultum fuit, non pace tantum summas opes adeptas fuisse,sed etiam bello latissime imperium propagasse; atque tantisper opibus,& imperio floruisse,dum leges, atque iudicia sancte conseruata sunt. Vbi vero primum leges conculcari,iura perfringi,iudicia rescindi, magistratus contemni cœperunt, impe-

Religione spreta, imperia euertun tur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

imperium labi cœpit, atque tandem exstinctum,& deletum fuit.Sic Athenæ imperij naufragium fecerunt. sic Lacedæmon non Scedasto tantum, sed multis alijs iniquitate similiter oppressis,pœnas dedit. sic Carthago sceleris, & perfidiæ pœnas exsoluit. sic Roma, propter innumerabiles iniurias,quas in orbẽ terrarum intulerat,ex ea maiestate,& amplitudine, ad quam nulla vnquam Resp. peruenit, exturbata est. sic omnes denique ciuitates,regna,imperia,nationes,cum primum illas capit Diuini,& humani iuris obliuio,labũtur, & ruunt, & obliuione sempiterna delentur. An non hoc palam Sanctæ litteræ testificantur:Propter iniquitates,& iniurias impunitas imperia summa deleri? an id obscurum est,oraculis Diuinis esse denuntiatum dirum exitium omnibus gentibus,apud quas neque ius vllum colitur;neque leges obseruantur;neque iudicia rata sunt; sed omnium conatus, qui aliquid in Rep.possunt,ad legum, & iudiciorum interitum,impune conferuntur.Cum igitur hoc & antiquitatis monumentis, & vitæ communis exemplis, & legis Diuinæ sanctionibus exploratum sit,illud Regnum,& Imperium diu permanere non posse; in quo leges,iura,iudicia, sacrosancta, & inuiolata nõ sint:si non potest ius publicum violari, & scelus inultum relinqui, quin simul status Reip. perturbetur,& pestis tandẽ, atque pernicies rebus communibus afferatur: si constat,iuris negligentia,& contemptu,non modo generis humani societatem violari;sed numen etiam Diuinum grauiter offendi: quis non videt,legum optimarum disciplina, iuris sanctissimo cultu,iudiciorum integritate, & constantia, Reip.salutem,dignitatem,imperium, amplitudinem,præsidium, & stabilimentum contineri? Atqui harum omnium rerum tam sacrarum Iudices,custodes,atque ministri sunt; vt merito (quemadmodum ait Iureconsultus ille) sacerdotes quidam sanctissimi appellari possint. in Sacris autem litteris, Iudices Dij appellantur. Quemadmodum enim munus Diuinum gerunt; ita voluit summus ille iudex,vt Diuinum nomen obtinerent; vt omnibus modis admoneri possint, cum iudicant, Diuinam ab illis æquitatem, & constantiam iure,atque merito flagitari.Hęc cum ita sint; & cum in Iudicum delectu publicam salutem, & incolumitatem agi constet; male profecto consulit Reip. Rex ille, qui quosuis homines in tam alto gradu locat;ordinem enim,quem grauissimum esse constituit,leuiorum, & obscurorum hominum conditione dedecorat, & ius venale constituit,& Remp.perturbat;& perficit,vt leges, & iudicia propter Iudicum sordes, atque flagitia contemnantur; & omne denique Regnum funditus euertit. Sunt igitur ad iudicandum eligendi viri disciplina sapientes,auctoritate graues,moribus incorrupti, virtute constantes; qui facillime, scientia,& animi magnitudine, atque pietate, tantam personam tueantur, atque sustineant.Mi autem sunt opibus augendi, & honoribus illustrandi, &, pro uirtutis merito, præmijs cumulandi; ne vmquam propter inopiam,vel humilitatẽ contemni possint.Quod si aliquando Rex in eligendo lapsus opinione fuerit,& pro bono, & integro Iudice, improbum, & sordidum cooptauerit; vbi id intellexerit,nullam moram interponat, quin illum magistratu priuet; idque exemplum seueritatis in illius scelus edat, quo reliqui diligẽtius in officio, atque fide permaneant. Hæc quidem de legibus, atque iudicijs dicta satis esse puto, ad Regis instituendi, atque admonendi disciplinam. Illud tamen minime prætereundum est,quod ad iustitiam attinet,non leges tantum ferendas esse,quę malitiam,& improbitatem supplicio resecent; sed etiam, quæ multo ante præcaueant, ne maleficia cõmittantur. Vt enim illa medicina magis probanda est, quæ bonam valetudinem conseruat, quam ea, quæ valetudinem afflictam in sanitatem restituit;ita leges illæ magis laudãdæ sunt,quæ mores continent, ne facile queat ad mollitiem,atque flagitia delabi, quam illæ,quæ mores corruptos ad sanitatem supplicio reuocare contendunt.Quo modo,inquis, id prouideri poterit ? Si parentibus licitum non fuerit vllo modo filiorum institutionem negligere.Sit igitur omnibus, qui liberis suis id,quod non decet,indulserint,grauis ignominiæ pœna constituta. Si enim quilibet domi suæ filios recte educauerit, & honesta disciplina deuinxerit;multo minus negotij Reip.moderatores in ciuibus vniuersis regendis,& cõtinendis habebunt.Vt enim in reliquis rebus ita in prima puerorum institutione existimãdum est omnia esse posita. qualia namque rerum initia sunt,tales exitus exspectandi sunt. Quid?inquies, non erit liberum vnicuique ad arbitrium suum liberos enutrire?Non certe, si publica salus omni studio curanda est.At libertas est modis omnibus retinenda.Verum. Sed ego pestiferam flagitiorum licentiam minime Libertatem appellandam iudico: nisi furiosi hominis libertatem existimas, cum sibi manus affert, aut se in ignem, vel aquam præcipitem dat.Si igitur homo,quamuis potens sit, cum a mente deseritur, ne sibi, aut suis perniciem afferat, est artissime constringendus; quo modo non multo magis est legibus alligandus is,qui furenter velit pestem, atque perniciem filijs suis pessima institutione machinari? An Agaue, cum filium Pentheum,quasi is aper esset,interimebat,magis insana erat,quam ij,qui filiorũ animos morti feris morbis inficiunt;neque corporibus,sed, quod est longe tætrius,& detestabilius, mentibus ipsis fœdissimum vulnus imponunt?Si igitur ij, qui suis multo leuius nocent, vinculis impediendi sunt; cur ij legum vinculis laxandi sunt,

Filii a parentibus retinẽdi & instituendi.

di sunt, qui mala educatione filijs suis mentẽ, atque sensus eripiunt?Præterea, nemo sui iuris omnino esse potest: sumus enim omnes, partes,atque membra Reip.Vt igitur in corpore,nõ quod vni membro iucundum est, sed quod totius corporis incolumitati conducit, præcipue spectari conuenit; ita in Rep. non quod vnicuique libeat, sed quid vniuersis expediat, considerandum est. Lex enim naturæ sancit, vt commune bonum singulari vniuscuiusque iucunditati præferatur. Ideo autem a principio vnum in locum partim necessitate impulsi, partim natura inuitati conuenerunt homines,vt ope mutua fulcirẽtur, & quilibet pro parte sua Remp. conseruaret. Cum autẽ nullum sit in vita cõmuni officium magis debitum,nullumque æs alienum,ad quod persoluendum magis omni fœdere, & pactione adstricti teneamur,quam fides Reip. debita;omnes certe ciues magis debent in filiorum educatione de Reip.commodis,quam de sua vtilitate cogitare,maxime vero,cum vniuscuiusque vtilitas a publica seiungi nõ possit. Cum igitur omnes nostræ rationes ad Reip. salutem conferendæ sint; neque secus de illis statuere possimus, quam communis vtilitatis ratio flagitat; quo modo ferendum est, vt id vniuscuiusque potestati, atque libidini permittatur, in quo est vniuersæ Reip. salus, vel pernicies constituta. An id obscurum est, si filios suos quilibet pessime instituerit, futurũ, vt illi omni se scelere, & flagitio cõtaminent? An parum constat,si maxima ciuium pars flagitiosa fuerit, Remp. funditus interituram? Qui igitur filios suos male instituit, Remp. funditus euertit.Nec id potest dici,leges, constitutis supplicijs,indomitam cupiditatem facile compressuras. adulta enim cupiditas nullo metu coerceri potest.quin, vbi aliqua spes impunitatis oblata fuerit, (quæ plerumque est cum effrenata mente coniuncta) ad perniciem publicæ salutis, & dignitatis erumpat. Omne vero malum nascens,facile exstinguitur;adultum vero, atque robustum, difficillime coercetur. Si igitur ad Regis officiũ pertinet,malum adultum,& corroboratũ supplicio resecare;cur non magis pertinebit, malũ ipsum,antequam vires colligat,sapienter exstinguere? &,si Rex nullam Reip.partẽ negligere potest,quo modo tandem illi id sine insigni flagitio negligere licebit, quod omnem Reip.salutem cõtinet?Agrum(vt dictum est) si Resp.fuerit bene constituta, nemini licebit negligere: flagitium est enim minime ferendum,negligentia tua fieri,vt fundus tuus non valde tibi, atque Reip. fructuosus sit. quod si negligens esse perseueres,æquũ est, vt Principis seueritate cogaris illũ colendum diligentissimis colonis assignare,qui tantum ex illo frumenti,quantũ potest exarari,colligãt.Ita ne vero?non licebit tibi, si cõmunis vtilitatis ratio habita fuerit,agrum tuũ incultum relinquere; licebit autẽ tibi filiorum tuorũ mores, instituta,salutem, atque adeo vitam negligere?vepres, & spinæ in agro tuo succrescentes ignauiã tuam coarguunt,& dignum non mediocri pœna constituunt;labes,flagitia, dedecora filiorum tuorum,in dies pullulantia, nõ multo magis te grauissimis pœnis obnoxium declarabunt? Quod si Patria eiusmodi verbis tecũ expostulet,quid illi respondebis?Homo, cur,quantum est in te,mihi moliris exitium ? cur in me pestem nefarie machinaris?cur parẽtem,quam omni pietate cõplecti debebas, iugulandã suscipis?meis enim legibus, & institutis in lucẽ editus,& enutritus fuisti; per me non solum a feris,sed etiam a morum feritate reuocatus,& omni humanitate cultus exstiti sti;meo præsidio vitam non solum clementer, atque benigne, verum etiam secure traduxisti.Si enim in solitudine, & vastitate vitã agesti, nõ modo belluarũ laniatus extimescerес, sed nihil inter te, & belluas immanes interesset:mea igitur ope factum est, vt in periculis auxiliũ,in morbis remedium,in erumnis solatium,in perturbatione disciplinã,in curis alleuamentum inuenires.Cum vita tua tã multis simul rebus indigeat, oẽs ille fuerũt a me tibi large,atque munifice suppeditate.Quod si ita nõ esse putas,a me secede;lucem meam atque celebritatẽ fuge;& te in solitudinẽ abde; & vi deamus, quo tandẽ modo possis absque meo præsidio vitam sustẽtare. Quod igitur opibus abundas,quod humanitatem retines,quod se cure vitam degis,quod lucis iucunditate fruëris,id totum mihi est in acceptis referendum. Magis igitur sum mater tua, quam illa, quæ te peperit,existimanda.Si igitur mihi necem attuleris,non modo te improbum hominem, sed impium, & sceleratum parricidam fateare necesse est.Sed dices fortasse, te numquam de meo interitu cogitasse. An non intelligis, vitam,atque salutem meã, ciuium moribus, & honestate contineri?adeo sine mente es, vt non videas,si illi,cum ad ætatem maturã peruenerint, flagitijs efferati fuerint, esse mihi eorum scelere miserum,funestumq. fatum necessario subeundum?Nec illud quidem recogitas,te non tam tibi,quam mihi, filios genuisse?cur igitur illos flagitijs obrui finis?cur illorum peccatis indulges ? cur illorum inconsideratam cupiditatem alis? cur eorum pudorem exstingui pateris?cur denique illos honestatis studiũ negligere,& libidini seruire permittis ? Quod enim est aliud Rerum publicarum exitium,& funus, nisi id, quod corrupta, & vitiosa ciuium institutione comparatur ? Ciues igitur, qui male filios suos instituunt, me perdunt,mihi pestem parant,mihi interitum,& exitium moliuntur.Hæc si Resp. dicat hominibus in filiorum educatione dissolutis, venit ne vobis in mentẽ, quo modo homines, in tãta re negligẽtes,a maximi, & immanissimi criminis suspicione liberetis? Non, inquit

Universidad de Deusto
Biblioteca

M.Si igitur,inquã,hoc crimen diluere nõ potestis,confitendum est,illud non mediocre crimen esse,sed crudele,atq. valde nefariũ,quod quidem non solum liberis vitam eripit,sed patriam ipsam sanctissimam parentem necat. Quod si legibus nemini cõcessum est, vt rebus suis male vtatur; quo modo permittendũ est parentibus, vt filios suos cum calamitate patriæ totius euertant? Cum vero Regis officiũ sit,seruare Remp.officium certe illius est,omnia crimina,quæ Reip. exitiũ afferre possunt, seueriſsime coercere.Sed, quemadmodũ multo magis laudandus est imperator,qui aduentãtis hostis consilia præripit,&,antequam vastitatẽ inferat, conatibus illius obsistit,quam is,qui post vastitatem rebus suis illatam hostẽ bello frangit; ita multo ampliore laude dignus est Rex, qui diligentissime cauet,ne vllum scelus admittatur, quam is, qui conflatum scelus vlciscitur. Quo modo id perficiet? inquies.Facillime quidem,si lege,atq. proposita pœna sanxerit, ne patres ad arbitrium suum filios instituant. Lycurgi legibus cautum erat, ne quisquam liberos suos moribus, quibus vellet, imbueret. omnes igitur ciuium liberi, cum ad septennium peruenissent, in turmas diuisi,moderatoribus assignabantur, qui eos ad omnem rationem virtutis,& honestatis erudirent. Omnis autem illius ciuitatis disciplina eo pertinebat,vt ciues ad victus frugalitatem,ad laborum patientiam, ad pudorem,& verecundiam, ad decoris, & dignitatis studium excitaret. In primis autem ea summa laus erat, senes vereri, & obseruare, & iis,qui præerant, obedire, nec vllum legitimum imperium recusare, quamuis id, quod erat imperatum, nimis arduum, atque difficile videretur. De Persarum autem institutione mira sunt, quæ Xenophon in vita Cyri commemorat:ait enim, pueros, vt alibi Grãmaticam, ita apud Persas iustitiam a magistris discere solitos. Iudicia autem inter pueros fuisse constituta, furti, rapinæ, violentiæ, conuicij, & aliorum flagitiorum huiusmodi. Conuictos autem,apud illorum moderatores pœnas dare;& similiter, qui aliquem falso insimulabant, calumniæ pœnam sustinere. In crimen autem maxime vocari solitos,qui bene de se meritis gratiam minime referebant: ingratos enim neque pietatẽ in Deum,nec in parentes colere, neque debitum officium aut patriæ, aut amicis præstare posse credebant. Præterea, ex ingrati animi crimine impudentiam oriri statuebant, ex qua omnis turpitudo, atque vitæ dedecus erumpit.Ait præterea, pueros, ad modestiam, ad frugalitatẽ, ad continentiam,ad labor em, ad obedientiã, ad omnem denique decoris, & honestatis rationem fuisse admodum diligenter institutos.Hæc quidem fuse persequitur vir ille summus. quæ facile demonstrant, non sine causſa Persarum imperium ex paruis admodum initiis ad summam amplitudinem peruenisse.Vt enim,labente disciplina,imperia magna corruunt;ita,cum morum disciplina egregie cõstituta est,tenuissimam quamque Rẽp. maximã,& florentissimã fieri,necesse est.De Athenienſibus,iam diximus,quo modo,Solonis legibus,incũbebat id onus parentibus, vt litteris, & palæstra, & musica liberos suos erudirent. Filij vero cogebantur parentes in senectute alere. Quod si ciuis aliquis fuisset in filiorũ disciplina negligens, nec eos illis tribus artibus instituisset;pœna erat, soluere lege illa filios,ne cogerentur vllo modo patribus in extrema ætate constitutis alimenta præbere. Indigni enim parentũ nomine habebantur, qui filios non & moribus bonis, & artibus ingenuis instruxissent. Fuit autẽ Athenis templum vni ex filiabus Cecropis Regis dedicatum;ea autem appellabatur Aglauros. Cum enim,vt traditũ memoriæ est, Eumolpus bellum Athenis intulisset, & fuisset oraculo editum,Athenas victrices fore, si quisquã se neci pro salute patriæ deuoueret,Aglauros sese,vt patriã periculo liberaret, ex muro præcipitauit.Habuit autem hoc antiquitas,vt nihil virtute Diuinius existimaret;& ideo facile iis,in quibus clarũ aliquod virtutis lumen eluxisse perspexerat, Diuinitatem tribuebat.Nullam autem virtutem clariorẽ existimabat ea,qua se quisquam pro patriæ salute ad mortem libẽter offerebat. Cum igitur Aglauros id virtutis signum dedisset, quo nullum mirabilius esse poterat,fuit illi templum exstructũ, & nomen illius religione patria consecratũ. Omnes autem ciues,cum ad ætatem adolescentię peruenissent,armati omnibus armis,in tẽplũ illud deducebantur,&, conceptis verbis,iurabant, se nullo modo patriam deserturos. Iurisiurandi autem formula hæc erat:Non affliciam dedecore arma sacra;neque ducẽ,quem fuero secutus,deserã.Pugnabo pro sacris,pro sanctitatibus,siue solus,siue cum multis. Enitar,ne patriam meam tradam posteris deteriorẽ,quam accepi,sed multo magis florentẽ. Illis,qui cõsiderate iudicauerint, libenter obtemperabo; legibus iam latis parebo, & illis etiam,quas populus communi consensu tulerit.Si quis autem leges oppugnauerit, aut illis parere noluerit,id nulla ratione patiar; & vel solus, vel cum multis illi obuiam ibo. Patriam religionem conseruabo.Harum autem rerum Deos testes inuoco.His quidem verbis ea se religione deuinciebant, vt esset illis necesse mortem pro templorum sanctitate, & sacrorum religione, pro legibus,& institutis ciuilibus,pro patriæ salute, & dignitate (vbi id casus aliquis postularet) occumbere. Non solum igitur proditoribus,atque sceleratis ciuibus, sed etiam timidis,& ignauis Dei grauissimum metum incutiebant; vt intelligerent omnes, se non posse vlla formidine patriã deserere,quin se periurio, & crimine sceleris,

Lycurgi leges de puerorum institutione.

Persarum institutio.

Ingrati,pessimi.

Virtute nihil Diuinius

Iurisiurandi formula.

leris,& impietatis alligarent. Quid de Romanis dicam? potuissent ne illi orbem terrarum imperio continere, nisi fuisset apud illos admirabilis iuuentutis pudor,atque disciplina? quamquam illi non adolescentes tantum,sed omnes etiã cines disciplinæ seueritate coercebant. Erant enim censores præfecti moribus; tanta autem diligentia suum munus gerebant, vt nihil in Rep. fieri permitterent, quod esset Romano pudori, fidei, & honestati,exemplo contrarium. Grauissimis autem ignauiæ pœnis facile Remp. continebant, ne se turpitudine vlla contaminaret. Ne autem plura Rerump. genera persequar; hoc sane constat, primum quidem id non esse difficile, quod iam fuit a summis Regibus, & imperiosis populis sapientissime factitatum. Deinde, non solum ad pacis ornamentum, & iustitiæ disciplinam multum interesse,qualis sit puerorum institutio, & adolescentium disciplina,sed etiam ad belli præsidium, & imperij decus, & amplitudinem. Omnes enim Resp. quæ latissime imperium propagarunt, his artibus, & institutis sibi summas opes, & imperium pepererunt. Non est igitur vllo modo hæc Reip.ratio a Principe negligenda, sed in primis summo studio procuranda; atque vigilantissime prouidendum, ne quisquam in Rep. pro saltari ciue belluam immanem alat; aut saltem hominem ignauum, & imbellem enutriat. Si Rex igitur Remp. saluam esse vult, morum præfectos in ea constituat, qui parentes in filiorum institutione negligentes seuere puniant; nullumque genus hominum patiantur in Rep. versari, qui non artem aliquam Reip. salutarem teneant. Monstri igitur,atque prodigij simile fit, aliquem in Rep.sine publico fructu versari. Quare non video, cur illa Aegyptiorum lex non magnopere a nobis approbanda fit, qua singuli cogebantur, nomina,& artes suas apud moderatores Reip. profiteri, vt operis deinde sui rationem reddere cogerentur. Athenis vero fuit a Dracone lata lex, quæ otium capite multabat. Seuera nimis, inquies, & immanis lex illa fuit. Esto: dum modo fateamur,illa nimia legis seueritate Reip. statum maxime conseruari. Otium enim continet flagitiorum omnium seminarium. Mentem enim hebetat, animum corrumpit, hominis|præstantiam labefactat, &, ne quid aliud dicam, rationem de statu deijcit, & libidinem in animi dominatu constituit. Adde, quod, qui res suas non agit, aliena negotia curat, (vt Horatius ait) vnde maleuolentia, obtrectatio, inuidia, iniquitas, & iniuria, magnaq. rerum perturbatio, & confusio vitæ consequitur. Adde, quod otium homines ad inopiam, & egestatem redigit;egestas desperationem efficit; ex desperatione exsistit audacia; audacia vero Remp.perturbat, & de omni statu conuellit. Cum igitur hęc mala omnia ex otio,atque segnitie oriantur, quæ lex vtilior excogitari potuit ea, quæ turpe otium coercet, & comprimit? Hic locus admonet, vt aliquid de nobilitatis officio disseramus.Non placet enim aliquẽ in Rep. versari, cuius opus aliquod vtile Reip. non exstet. Aratorum autem, & mercatorum, cauponum, fabrorum, & opificum, atque adeo baiulorum officia, & opera, quæ sint, & quam vtilitatem Rebusp. afferant, plane video. Ratio autem postulat, vt, quo status hominum clarior est, eo clarius eorum officium sit, & diligentius ab illis, operis, & muneris rationem reposcamus. Quod nam igitur nobilium opus est? num deliciis affluere, & dicta iacere, & de amore conqueri, & vulnus sibi Cupidinis sagittis infictum assidue lamentari? Negabitis, opinor: nullum enim ex eorum vrbanitate, & elegantia, nec ex amoribus quidem leuissimis Resp. fructum capit.Num noctes atque dies in aleę ludo consumere? non profecto. Est enim hic ludus altor otij, magister ignauiæ,instrumentum auaritiæ, fraudis officina, rei familiaris euersio, rixæ materia, morum pernicies, dignitatis labes,& insignis ignominia.est preterea angor animi,& cruciatus assiduus.Qui enim perdit, afflictatur; qui lucrum facit, quamuis intemperanter exsultet, ne tamen id,quod lucratus est,amittat,animo anxio,atque solicito reformidat. Adde nunc impuræ consuetudinis,& familiaritatis dedecora,quibus afficiuntur ij,qui cum aleatoribus viuũt. Adde pœnæ illius diuturnitatem,qua damnati sunt omnes, qui eiusmodi ludis affixi sunt. Vt enim Prometheus, ad Caucasum affixus, (vt poetæ perhibent) inuitus aquilæ viscera laceranda,atque deuorãda præbebat;sic alea tores ita nequitiæ vinculis adstricti sunt, vt, quamuis viscera sua consumi cum magno cruciatu videant, non tamen inde auelli possint. Anni vero interim labuntur; ætas flagitiose conteritur;res familiaris absumitur;studium dignitatis abijcitur;omnisq. ratio industriæ, & humanitatis;& pietatis exstinguitur. Nec enim is,qui hoc ludo tenetur,& ducitur, rem suã familiarem curat;nec suis liberis, aut seruis,aut amicis consulit;neque pietatis,& religionis memoriã vllam conseruat: sic enim occupat illius animũ hoc flagitiosum,& infame ludendi studium,vt nullũ honestę cogitationi locum relinquat. Vt autẽ nullum aliud malũ inde proueniat,præter otiũ illud, cuius vitia persecuti sumus,id certe tantum est, vt sit nobilitati, tamquam totius dignitatis exitium, summa totius animi contentione fugiendũ. Præterea, nos non de ludo,& ioco quærimus; sed de officio, & opere. non enim ludus opus est, sed ab opere est animus interdum lado reficiendus,vt facilius possit nobilitate dignum opus efficere.Quod nam igitur hominum nobilium opus est? Armis tutari Remp.& consi-

Nobilitatis officium.

Ludi mala.

Otium, malum, & quæ ex eo mala.

Ser. lib. 11. sat. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lio,cum ætate progressi fuerint, eam stabilire;omnesq. opes suas ad patriæ salutē, atque ad dignitatem suam cōferre.Sed quero: Num hæc tā præclara munera indigent aliquo vsu, ratione,disciplina; an eiusmodi sunt, quæ sine vllo vsu,& meditatione confici valeant? Si dixeritis,non esse opus vsu, neque disciplina, mirabor. Si enim neque sutor, neque sartor neque tōsor, neque deniq. fabrilis alicuius artificij peritus esse potest, qui nō multis prius, annis illi artificio operam dederit; quo modo poterit homo nobilis in artificio, quod Remp.omnē continet,sine disciplina, & exercitatione versari? Rex igitur, qui officio satisfacere cupit,opus est, vt, cum operam dederit,ne quisquā in Rep.sit,qui non possit muneris,& operis sui rationem reddere;tum vel maxime caueat,ne vllus nobilis homo segnitie corrumpatur,& delicijs effeminetur, & sine vlla virtutis disciplina locum illum, quo est prorsus indignus,obtineat.Nihil est enim, quod facilius Remp. possit euertere, nobilitatis ignauia. Illam igitur in armis contineat,& optimas artes colere,atque in illis assidue exerceri compellat. Cum vero multæ aliæ pœnæ possint hominibus nobilibus irrogari,vix vlla poterit esse grauior,& atrocior, quam nobilitatis,& honestatis amissio. Multum etiam iuuabit, homines ignobiles honoribus augere, si fuerint virtute,& industria præstantes. Princeps enim non solum iustitiæ munus,& officium tuebitur,cum virtutem, in quocumque homine illam splendere viderit, digno præmio remunerauerit; verum etiam nobilitati languenti stimulos admouebit,& illam æmulatione ad honestatis studium acerrime concitabit. Vellem etiam,vt,cum homines ob virtutem summis opibus afficiuntur, ne opes illæ ad illorum filios peruenirent; nisi ad illos tantum, qui se maioribus suis dignos virtutis imitatione præbuerint.Duplici enim ratione peccant Reges,cum sine modo de Regio patrimonio largiuntur. Primum enim fontem ipsius benignitatis exhauriunt; ita, vt nequeant ij, qui in Regno succedunt, virtutem debitis præmijs ornare. Deinde,quod ignauiæ, atque desidiæ, & effrenatæ libidini adiumenta plurima subministrant. Non vult enim homo in summis opibus, atque delicijs enutritus, laborem vllum suscipere; neque solum mollis,& delicatus,& intemperans, & flagitiosus; sed etiam superbus, & arrogans,& infestus efficitur. Sapienter enim, qui Resp. condidere, quo ad eius fieri potuit, conati sunt, ciuium possessiones, & facultates modo quodam æquabili terminare, ne quisquam, vel opibus elatus, nimium lasciuiret; vel egestate impeditus, studium virtutis omitteret; aut, quod est multo grauius, odio publici status, de interitu Reip. coniuraret. Vt enim sutor, vel quiuis alius faber, artem deserit, vel cum tanta premitur inopia, vt artis instrumenta parare non queat; vel cum tantis opibus abundat, vt sine artificio illo laute, atque iucunde viuere possit; ita ciues artem suam, quæ honestatis studio continetur, omittunt, vel cum egestate laborant, vel cum propter opum affluentiam nimis efferuntur. Accedit, quod Regis imperium contemni, tumultus excitari, intestina bella moueri plerumque solent, cum sunt in Regno multi Principes illo loco indigni;nempe, cum opibus summis præditi sunt, & ab omni studio virtutis abhorrentes. Ne autem alia exempla, quæ sunt innumerabilia, persequamur, certe constat, Græciam hoc vno malo corruisse. Imperatores enim, Principum bellis fatigati, Turcas adsciuerunt, vt, illorum ope firmati, Principes imperio frenarent; Turcæ vero, in Græciam intromissi, non vt Imperatores adiuuarent, sed vt Græciam dominatu suo premerent, consilium inierunt. Paullatim igitur eos, a quibus vocati fuerant, expulerunt, donec tandem Constantinum, vltimum Græciæ Imperatorē,Constantinopoli diu obsessum, imperio, & vita spoliarent. Cuius tantæ calamitatis se Græciæ Principes otiosos spectatores præbuere: quasi exploratum illis esset, fieri non posse, vt omnes illo communi incendio conflagrarent. Omnes igitur tam Imperatores, quam Principes,illorum imperio subiecti, peccatis excæcati sunt; ne viderent, ipsos sibi pestem, & interitum machinari. Hoc igitur ne vmquam possit accidere, duo sunt Regibus in distributione donorum, & munerum prouidenda. Primum, ne omnia certis hominibus largiantur;&, dum liberales haberi volunt, omnem materiam liberalitatis amittant. alterum, si bonorum filijs metum iniecerint Regij muneris amittendi, quoties illi minime parentum vestigiis insiterint,& non debitam fidem, & officium, aut Regi,aut patriæ persoluerint. His igitur pœnis poterunt coercere Reges hominum nobilium temeritatem, qui filios suos flagitiis corrumpi sinunt;neque in eo elaborant,vt liberi opibus digni sint; sed vt opes immanes habeant, quas in nequitia, & flagitio consumant. Nec enim intelligunt homines amentissimi,quo magis illi filiorum opes adaugēt, & cumulant, eo magis eorum miseriam amplificari. Opibus enim domi congestis, cum virtus abest,languescit industria; superbia in dies augetur;libido furibunde concitatur; vitia crescunt;& indomitæ cupiditates in ratione nō inuadunt; quæ animum exedunt, & vitā amarissimam efficiunt. Neque solum pœnis sunt homines nobiles ab ignauia, & flagitio deterrendi;sed laudibus,& honoribus, & muneribus in studium honestatis incitandi. In quo quidem oportet intelligi ab omnibus, a Rege neque pecuniam sine virtute,neque nobilitatem sine honestate;sed virtutem,& industriam,

Nobilitatis ignauia Rēp. euertit.

Donorum, & munerum distributio.

striam,& frugalitatem, & patriæ caritatem, honorari. Cum enim nobilitas omni virtute ornanda sit, tum nullam debet pluris facere, quam patriæ caritatem,in qua omnia amplissimæ dignitatis ornamenta collocanda sunt. Hanc igitur virtutem magnificentissime laudare; hanc muneribus amplissimis honestare; huius studio, & cupiditate vehementissime omnes(in quibus aliquem amorem honestatis adspexerint)inflammare debēt Reges, qui cupiunt efficere Remp. in omni genere laudis,& honestatis florentissimam. Sic autē fiet,vt multi viri ab auaritiæ studio ad cupiditatem verissimæ gloriæ traducantur; neque existiment, virtutis industriam mercaturam esse; neque vitā spe fortunæ amplioris in discrimen inferant; neque,cum aliquod pulchrū facinus aggrediuntur, pecuniæ mercedem nimis importune flagitent;sed omnia ad salutē patriæ, & gloriam sempiternam præcipue referāt. Facillime igitur fiet,postquam hic mos receptus publice fuerit, vt omnes adolescentes (nobiles autem maxime) Deum timere, parentes venerari,senes obseruare, magistratibus obedire discant; & omnem corporis, & animi conatum ad patriæ salutem, & dignitatem cōparare. Nihil est enim ad laudem amplius, nihil ad immortalitatem nominis illustrius, nihil ad Diuinam gloriam comparandam efficacius, quam, præ studio communis salutis,propriæ vtilitatis obliuisci; &, amore patriæ,vitam,cum fuerit opus,in summum discrimen adducere.Hæc sunt enim, quæ incredibilem amorem excitant;ingentem admirationem commouent; immortali memoria cōsecrantur; præmijs Diuinis, atque sempiternis afficiuntur. Non est autem hominis nobilis,atque virtute præstantis officium, sine vllo modo, & ratione patrimonium amplius, quam Resp. ferre possit,posteris suis relinquere,sed illam hereditatem satis amplam,& copiosam arbitrari,quæ est in clarissimo virtutis exemplo, posteris ad imitandum proposito,constituta.Illa namque hereditas, iniuria plerumque,& iniquitate,& hominum odio,& offensione, & inuidia comparatur;hæc autē, iustissimis officijs,& meritis excellentibus,& virtute Diuina conficitur. Illa, filios plerumque desides,& ignauos,& odiosos reddit;hæc, strenuos,& industrios, & publicæ salutis, atque dignitatis amantes. Illa, postremo,est fluxa,caduca,& instabilis,& casibus infinitis obnoxia;hæc vero,constans, firma, stabilis, atque sempiterna.Cum vero in omni Rep.bene constituta virtutis,& gloriæ studium apud nobilitatem vigere facile queat,tum in Regno facillime. Mirum enim est, quantum studium ponant homines in Regum moribus imitandis.Sic autem fieri necesse est, vt virtutis Regiæ similitudo ad omnes perueniat; eos autē maxime,qui clariore indole prædити sunt,honestatis splendore nobilitet.Itaque Regis fortitudo,Remp.fortem efficit;modestia, continentia iustitia,legibus,& magistratibus obsequentem; sapientia, consideratam; Religio, sanctam;honestatis gloriæ inflammatum studium,gloriæ sempiternæ studio similiter incēsam. Facillimum igitur erit Principi Regiis virtutibus ornatissimo, & legibus, & suorum vigilantia,& virtutis exemplo,pueros,& adolescentes statim a primis annis optimis moribus,atque disciplinis,ad officium, & honestatem erudire.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIERONYMI OSORII LVSITANI

DE REGIS INSTITVTIONE, ET DISCIPLINA

LIBER OCTAVVS.

HIC autem M. Si hęc ita sunt, inquit, non sane video, cur Regnum valde expetendū sit. Animus enim tantis curis implicitus numquam a labore conquiesceret, aut respirare vllo modo poterit. Sit, ne, inquam, valde expetendum, an velis, quod aiunt, atque remis fugiendum, postea vidébimus. Nūc vero, quod instat, exsequamur. Cum igitur liqueat, hæc omnia, quę diximus, ad Regis officium pertinere, consequens est, vt illum multorum operis, & auxilio fulciamus. Qui enim tam multis muneribus præest, multis certe ministris indiget; neque poterit vlla ratione tam multiplici officio, sine multorum operis, satisfacere. Vidimus, Regi operam dandam esse, vt Resp. copiosa, locuples, & opulenta sit; & hanc copiam ex re nauicularia, ex mercatura, ex agricultura comparandam esse. Multi igitur, & varij ministri ad eam rem deligendi sunt, qui vel ignauiam, atque desidiam leuere puniant; vel iniquitate, & iniuriam supplicio plectant; ne quisquam vel, propter segnitiem, prematur inopia; vel, propter improbitatem, & scelus, opes alienas auertat. Non satis est, Remp. locupletem esse, nisi fortis, & armis egregie defensa sit. Aliis igitur ministris opus est, qui iuuentutē armis exerceant, neque patiantur ignauiam & timiditatem in illorum animis versari, quibus Reip. custodia cōmissa est. Summa opus est moderatione ad militarem ferociam cohibendam. Sunt igitur ij militum præfecti deligendi, qui non solum fortes, & impigros milites, sed etiam verecundos, & moderatos, & legibus obsequentes efficiant. Omne Reip. firmamentum in iuris æquabilitate, & in iudiciorum integritate consistit. Multis igitur huius tam præclari muneris, & officii ministris opus est, quos neque gratia, neque metus impediat, neque pecunia corrumpat, nec vlla denique perturbatio ab æquitate dimoueat. Ne autem sit necesse pœnas grauissimas sine vllo fructu sceleribus infinitis irrogari, statim a primis annis sunt omnes ciues moribus optimis imbuendi, & artibus præclaris excolendis, ne quidquam pluris, quam pudorem, & honestatem, faciant. Sunt ergo creandi morum præceptores, qui lasciuiam, & impudentiā, & corruptos, & effeminatos mores ignominia, & quauis alia pœna, constanter, & seuere coerceant. Vt autem hæc omnia commodius administrentur, multum iuuabit, ciuitatem in tribus, aut curias diuidi. nec enim laboro, quali nomine pars quælibet Reip. nominetur: dū modo tota Resp. sit commode diuisa, vt singulis partibus præfecti singuli præficiantur. Neque parum vtile est, in quolibet horum officio, & munere, ordinem, & rationem constitui, qua præfecti quidam alijs præfectis subiecti sint, ne sit necesse ei, qui Remp. capessit, summis statim, & difficillimis muneribus implicari, sed ab aliquo rudimento Reip. gerendæ ad maiora ordinatim peruenire, & in minimis rebus ostendere, an dignus sit, cui maiora committantur. Hoc enim & ad mi uendū laborem eorum, qui rebus maioribus præpositi sunt; & ad disciplinam, & moderationem illorum, qui Remp. administrare incipiunt, valde conducit. Cauendum enim est, ne & is, qui rebus grauioribus intentus esse debet, minoribus negotiis implicitus teneatur; & is, qui tum primum Remp. attingit, magnis repente honoribus auctus, intemperātius se gerat, & insolentia præceps a mente deficiat. Honor enim maximus, & repentinus, mentem, atque sensum tripit omnibus, qui firma stirpe virtutis innixi minime sunt. Itaque vtilissimum est adolescentibus, qui honores ambiunt, intelligere, sibi multos esse præpositos, quibus officij sui rationem reddere cogantur. Hoc enim eorum insolentiam frenat, & animos ad res acrius, atque vigilantius gerendas exacuit. Omnes autem munerum, & curationum ministri certis legibus adstricti sint; & intelligant, secundum eas leges esse singulis annis rationem sibi reddendam illis, quibus ea prouincia delegata fuerit. Ij autem, qui munere suo fuerint egregie perfuncti, honoribus augeantur; qui vero in officio sibi commisso deliquerint, & honore priuentur, & grauem pœnam peccati luant, nisi sit eiusmodi peccatū, quod mediocri pœna corrigi, & emēdari possit. Inhumanum enim est, spem de illo, qui leue aliquod flagitium admisit, abijcere. Quis enim est, qui posit vitæ cursum sine aliquo lapsu conficere? magni tamē refert, qualis ipse lapsus exstiterit. Qui enim, pecunia corruptus, aut malitia, & improbitate cęcatus, male suum officium gerit, acerrime plectendus est. Malum enim, quo premitur, vix sanari potest. Is autem, qui per rei alicuius imperitiā, aut incuriam, errauit, facile potest ad officiū reuocari. Mediocres autem animorum morbi, facili, & tolerabili medicina sanantur; graues autem, & periculosi, non nisi curationibus acerbissimis expelluntur. Reip. autē princeps appellari non debet is, qui non eam medicinam tenet, qua sanabiles Reip. morbos pellat, & partes insanabili morbo laborantes exsecet, ne ad vniuersam Remp. illarum contagio, atque lues emanet. Nihil enim est hominum perditorum audacia, & immanitate periculosius, neque magistratuum impunitate, & scueritate funestius. Vbi igitur neque vitæ ratio ab ijs, qui multum in Rep. possunt, exigitur, neque maleficia seuere puniuntur, ibi publica salus diu conseruari nequit. Hoc igitur ne possit accidere, est Regibus summa cura, studio, sollicitudine, vigilantia, industria prouidendum. Vt autem hæc omnia onera, quæ sumus oratione complexi, a Rege ferri, atque sustineri queant; opus est, vt multos in tanti operis, atque muneris societatem conuocet, qui Regia virtute præcellant. Horum igitur consilio, & auctoritate nixus, onus sibi impositum leuius feret, atque tolerabit. De illorum autem moribus, & institutis, qui a Rege in consilium adhibendi sunt, latius disserem, nisi id iam effectum arbitrarer. Ea enim, quæ de Regia disciplina diximus, Regis etiā consiliarijs accommodanda sunt. Regia nāq. virtute præstet opus est, qui est Regem consilio adiuturus. Aliqua tamen, commodum est, vt afferamus. In primis igitur necesse est, vt Regis consiliarij sint maximo ingenio præditi, bonis artibus exculti, longo rerum vsu periti, in historijs diligentissime versati; neque præsentia tantum sagaciter odorantes, sed longe in posterum, quid vtile futurum Reip. sit, coniectura prouidentes. Neque solum ingenio, & disciplina, atque prudentia valeant necesse est; sed sint opus est singulari fide, & integritate, & patriam amore, atque pietate debita prosequātur. Parum enim iuuat, quid vtile futurum sit, acute perspicere, si amor impurus, aut odium acerbum, aut cupiditas nefaria tibi fuerit impedimento, quo minus id, quod sentis, eloquare. Erat olim apud Athenienses lege sancitum, vt, quoties, aduocata concione, populus de Rep. consultabat, præco maxima voce diram cladem, & exitium illi, & posteritati illius imprecaretur, qui Reip. inutile consilium daret, ne ipse incommodū aliquod subiret. Erant autem exsecrationes illæ, quæ caput ciuis perfidi, & malitiosi deuouebant, tam horrendis verbis scriptæ, vt maximum metum omnibus, qui illas audiebant, incuterent. Sapienter enim intellexit, qui legem illam tulit, nihil esse acuto ingenio sine fide, & patrię caritate pniciosius. Quo enim ingenium maius exstiterit, eo sagacius, & malitiosius perniciem Reip. commodi sui gratia comparabit. Hoc igitur Principes intelligere debent, non satis esse in consilio adhiberi sollertiam, & ingenium, nisi fides etiam illius, qui consilium dat, atque patriæ caritas, sit rebus perspecta, atque plane cognita. Refert Aristoteles, fuisse in more positum, in quibusdam Græciæ ciuitatibus, quæ paucorum potestate regebantur, vt ij, qui Principes erant, neminem in societatē admitterent, nisi prius iuraret, se fore perpetuo plebis commodis vehementer infestum. Quanto (vt inquit ille eodem in loco) fuisset honestius, & Principum officio conuenientius, sanctissimo inreiurando fidem obligare, sibi nullum priuatum commodum impedimento futurum, quo minus publicæ saluti consuleret; & infimam plebem, quæ in Principum tutela, atque patrocinio latet, ab omni fraude, & iniuria tueretur. Nec enim est Principis status multitudinis imbecillitate, & inopia, sed totius populi caritate, & beneuolentia muniendus. Illi igitur, qui studio, & voluntate, & insita quadam tyrannidis immanitate, commodis plebis aduersantur, sunt longissime non modo ab optimi Regis consilio repellendi, sed ex hominum natura (si fieri potest) exterminandi. Est autem in consilijs præcipuum fidei munus, quidquid secreto statutum fuerit, silentio, & taciturnitate comprimere. Si enim, qui amici consilium aperit, est odio omnium valde dignus: totius enim coniunctionis rationem tollit e vita, qui amici consilia prodit: quo tandem scelere illum alligari iudicabimus, qui Regis consilium de Reip. salute, de propria dignitate, de publico officio, & religione, contra datam fidem, cum homine, vel necessario, vel alieno, qui non sit particeps eiusdem consilij, communicat? ea namque perfidia Regis maiestatem minuit, illiusq. salutem prodit; ordinem Reip. perturbat; ciuium animos frangit; hostium vires, & audaciam confirmat. Qui igitur consilia Regis enuntiat, est Regis proditor, & patriæ euersor existimandus. Sed non sufficit, & sapientia, & fide præditum esse, qui Regis consiliarius est: est enim præterea necesse, vt sit animo magno præditus, ne in consilio dando Regis, aut Principum offensionē pertimescat: & ita magis, quod est auribus gratum, & iucūdum, quam vtile, & honestum, suadere conetur. Præter hoc incommodum, tria vitia animum pusillum, atque demissum necessario consequuntur; quæ si fuerint in consilium admissa, Regis opes, & publicam salutem euertent. Qui enim paruo animo est, semper timet; qui vero timet, aut laborem fugit, aut vitæ pericula formidat, aut pecuniæ sumptus extimescit. His autem flagitijs omnibus fit, vt in ea mala frequenter incurramus, quæ maxime vitare cupimus. Quid enim labore fuga facere admonet? rem de die in diem differre, atque procrastinare; nihil transigere; nihil expedire; summam felicitatem in munerum vacatione positam arbitrari; rebus maximis indormire; hominibus perditis, atque profli-

Ciuitatis diuisio vtilis.

Consiliarij Regis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

profligatis omnia administranda relinquere. Quid autem hac tanta socordia Princeps delicatus assequitur? Vt negotia negotijs accumulentur, infinitisq. laboribus opprimatur. Inde autem summa muneris gerendi difficultas, & desperatio nascitur, quæ cum animum occupauerit, eũ de omni statu deijciet, & irretitum tenebit, ne quidquam agere, aut moliri audeat. Iã vero, periculorum omnium formido quanta pericula conflare soleat, satis exploratum est. Virtute enim nostra franguntur hostium vires; neque de pernicie nobis inferenda, sed de salute sua tuenda cogitare compelluntur. At, dum nimis belli pericula formidamus, & præ metu studium armorum abijcimus; hostium vires, & audaciam confirmamus; & furentem impetum minime sustinemus. Quid hortari plerumque solet auaritia? Vt arces præsidijs nudentur; vt milites ad tutelam patriæ necessarij dimittantur; vt vrbes, & munitiones, quibus hostium furor, & violentia cohibetur, si non fuerint opibus augendis vtiles, omnino deserantur; vt sic demum, sumptibus imminutis, ingens pecunia coaceruari possit. Quem autem fructum ex hoc consilio sapientiæ pleno percipimus? Hostes metu soluti, multoq. ferociores effecti, atque adeo ab ijs, qui nimis pecuniæ parcunt, in eorum fines immissi, omnia, quacumque impetum fecerunt, latissime populantur, aut saltem non nisi sumptibus maximis, omniumq. pecuniarum dispendio, repelluntur. dum igitur sapientes homines tolerabiles sumptus facere recusant, omnes opes Regias, totiusq. Regni facultates effundunt. Cernitis profecto, quo modo pigritia labores innumerabiles efficiat, ignauia pericula maxima salutis inferat, & auaritia omnes Regias opes euertat? Quid igitur minus ferendum est, quam homines aut pigros, aut timidos, aut auaros ad consilium Regis accersiri? At hæc omnia vitia (vt diximus) non nisi ex animo paruo, & angusto oriuntur. Vnde colligitur, neminem esse ad Regis consilium admittendum, qui non sit animo maximo, & excelso præditus, omnia præ honestatis studio contemnente. Quod si Regum consilia ad vtilitatem publicam conferenda esse videntur; hoc certe concludi potest, nihil esse vtilius honestate. honestas enim continet veras opes, quibus animi florent; & reliquæ opes humanæ ex illis aptæ, atque ita nexæ sunt, vt seiungi non possint. Omnes enim Resp. in quibus maior honestatis ratio, quam vtilitatis habita fuit, non rerum gestarum tantum gloria, sed opibus etiam, atque potentia floruerunt. At, vbi sese, studio honestatis omisso, ad vtilitatem cõtulere, cum honestatis interitu oẽs etiam illorum opes euersæ sunt. Est igitur illa præclara populi Atheniẽsis indoles maximis laudibus efferenda. Nam, cum Themistocles in concione diceret, habere se cõsilium Reip. salutare, quod tamen nõ expediret cum vniuerso populo communicari; fuissetq. illi datus Aristides, cui consiliũ illud aperiret; primum quidem Aristides consilium repudiauit. erat enim cõsilium, vt classem Lacedæmoniorum, quæ ad Cytheum subducta erat, incenderent. Quod facinus erat infamia sempiterna perfidiæ notandum. In concione igitur dixit; vtile quidem consilium Themistoclis esse, minime tamen honestum. quod cum Athenienses accepissent, id, quod nõ erat honestum, tamquã inutile reiecerunt. Quod autem Aristides, vir in omni genere virtutis excellens, vtilitatem cum turpitudine coniunctam aspernatus sit, mirum videri non debet. Quod vero populus vniuersus tanta consensione honestatem vtilitati prætulerit, id vehementer admiror. Quam diu igitur populus ille nihil antiquius habuit honestate, summas opes, & amplissimum imperium sibi comparauit: at, vbi primum, dignitatis oblitus, ad vtilitatis studiũ tota mente conuersus est, & dignitatem, & imperium, & opes amisit. Quod quidem in omnibus summis imperijs euenisse reperietis. tam diu enim quælibet Resp. floruit opibus, quamdiu summo studio coluit honestatem; honestatis autem studio neglecto, opibus etiam euersa repente fuit. Humana namque ex Diuinis colligata pendent. si igitur Diuina potissimum intueberis, humana etiã necessario consequentur; si ad humana tantum sine vllo respectu ad res Diuinas attenderis, inanissima spe delusus, non Diuinis tantum opibus, sed etiam humanis, quas maxime expetendas esse iudicas, spoliabere. Honestas autem in Diuinis opibus numeranda est. Ad animi enim immortalis, atque quodammodo Diuini statum refertur, & splendor illius nec humanis sordibus oblini, nec vllis tenebris obscurari potest. Omnes igitur Regũ consiliarij tam appetentes honestatis sint, vt existiment, quamuis turpitudinem esse, cum vitæ etiam periculo, & commodorum omniũ interitu, repellendam. Vtilitatem enim constituit, qui vtilitati decus anteponit; decus autem non est in leuitate, nec ambitione, nec in minime ferenda potentia, neque denique in vllo flagitio fallacissima specie dignitatis illustrato, sed in virtute, fide, & humanitate, patriæ caritate, & in celebri fama, meritis maximis excitata constitutum. Sapientia igitur opus est, vt a falsa dignitate verum decus internosci; & animi excelsi robore & constantia, vt verum decus parari, & firmissime retineri possit. In primis autem necesse est, vt cõsiliarij Regis, Dei numen cultu sanctissimo, atque pietatis plenissimo venerentur. Nec enim consilium de rebus maximis inire possunt, nisi mentem habeant castam, & puram, splendore Diuino collucentem, & studio immortalitatis incensam, & robore, & constantia Diuina confirmatam: quod totum est in sanctissi-

sanctissima religione positum. Omnes enim, qui Diuina luce carent, quo acriore ingenio sunt, eo vehementius temeritate, & amentia rapiuntur, funestiusq. exitium patriæ machinantur. Qui diligenter ea, quæ in Regnis, & imperijs ciuitatibus viri sapientiæ, & eloquentiæ opinione præstantes de Rep. disserebant, attenderit, & acumen, & prudentiam, & vim orationis admirabitur; & intelliget, nihil nec acutius excogitari, neque copiosius disputari, neque luculentius exornari humano artificio potuisse. Hoc tamen sæpe euenire perspiciet, vt, quo magis Remp. à peste summi periculi eripere nitebantur, eo magis ipsam Remp. in omnem miseriam præcipitem darent; & patrias suas (pro quibus interdũ mori cupiebant) euerterẽt. Ex quo intelligi oportet, (quod non semel dictum est) humanam prudentiam Diuino consilio destitutam, non esse prudentiam, sed temeritatem appellandam. In Regum igitur consiliis primus locus esse debet religionis, & sanctimoniæ; secundus autem, dignitatis; tertius, vtilitatis. Vt enim nullo modo potest vtilitas ab honestate seiungi, ita nec honestas à pura religione diuelli. Fons enim bonorum omnium Deus est. Qui igitur Deum præcipue respiciunt, omniaq. vitæ studia ad illius cultum conferenda putant, omnium bonorum compotes fiunt. Opus est præterea, vt non infantes sint ij, qui ad hoc tantum munus deliguntur. sæpe namq. fit, vt melior sententia, infantia illius, qui optimè sentit, id tamen, quod sentit, commode explicare, & rationibus confirmare nequit; ab alio, qui male, & perniciose rebus consulit, & tamẽ disertus est, cum magno Reip. malo superetur. Hoc igitur ne eueniat, commodissimum arbitror, omnibus bonis, qui ad Regis consilium adhibendi sunt, in dicendi studio versari. Quale vero genus eloquentiæ illis sequendum sit, iam dixi, cum de Regis eloquentia disserem. Omnes enim Regis artes (vt diximus) illis colendæ sunt, qui sunt in consilium Regis admittendi. Si igitur Reges fuerint horum hominum comitatu circumsæpti, qui sapientia, fide, virtute, religione, optimaq. dicendi ratione præstent, errare certe non poterunt. Præterea plurimum valet hæc hominum prudentium auctoritas ad illud temperamentum imperij, quod homines sapientissimi in omni Reip. moderatione requirunt. Quod nam, inquit T? Non probant, inquam, simplex Reip. genus, sed ex omni genere commistum. Quid igitur? inquit T. num monstrũ aliquod conantur effingere? mihi enim, quidquid vnum, & simplex est, rectissimum esse videtur, non quod est e diuersis naturis multiplici ratione conflatum. Quid igitur? inquam. ne in musicis quidem probas distinctos certis interuallis sonos, variasq. voces, ad vnum tamen concentum, & symphoniam reductas? nũ monstrum appellabis corpus humanum ex suis membris aptissima ratione cõpositum? an potius illud monstrum habendum esset, si corpus vno tantum membro constaret, aut certe si membrum vnum haberet, ad speciem venustum, & ad vsum aptum, & habile, reliqua autem vitiosa, atq. prorsus inutilia? Recte, inquit. sed, quid id ad rem? Valde quidem, inquã, opinor. Vt enim in corpore humano tunc pulchritudo, atq. venustas eminet, & vtilitas magna comparatur, cum omnes partes inter se lepore consentiunt, & opera mutua fulciũtur; non cum vnum membrum rectum, atq. valens est, reliqua vero deformitate, atq; imbecillitate laborant; ita in Reip. corpore, non vnius tantum membri elegantiam, & valetudinem firmam requirimus, sed totius Reip. conuenientiam, & firmitatem flagitamus. Vt autẽ hoc melius intelligi possit, hoc animaduertẽdum est, tria, vt scitis, esse Rerum publicarum genera. Aut enim vnius tantum imperio res administrantur; aut paucorum potestate, & arbitrio cõtinentur; aut libero populi totius suffragio, atq. sententia decernuntur. Sed, cũ genus hominum ad vitia propliue sit, & ad inferendam iniuriam natura propensum, facile quoduis horum genus ad iniquitatem delabitur. Rex enim paullatim tyrannus efficitur; pauci principes potentia minime ferenda ad amplificandas opes abutuntur; populus, dum immodicam libertatem expetit, omnia furibũde peruertit. Sic igitur fit, vt, cum vel vnus, vel pauci dominantur; vel cum plebs furit, & insanit, & omnia perturbat; Resp. illa nominari non possit. Aut enim tyrannus, aut pauci diuites, aut populares homines omnia sibi vindicant. Tunc igitur vnum tantum genus hominum clarum, & amplum reputatur, reliqua vero contemnuntur. Non possunt enim aliquid ingenij, aut roboris in communem vtilitatem conferre. Seruiunt enim: in seruitute autem virtus exstare, & eminere non potest, Quamuis igitur sit aliqua Reip. pars, quæ immanibus diuitiis, atq. opibus antecellat, reliquæ tamen omnes minutæ, & imbecillæ sunt, morbisq. omnibus oppressæ & impeditę. Vt igitur in corpore, cum vnum membrum supra modum augetur, reliqua vero minuuntur, prodigium esse videtur; ita in Rep. cum vna tantum pars vltra modum, & rationem crescit, reliquæ autem neque vires vllas habent, neq. vigent, neq. pro rata portione simili liter augescunt, monstrum habendum est summa quadam religione procurandum. Nec enim salus, & dignitas Reip. est ex vno tantũ membro, sed ex toto corpore iudicanda. Qui igitur Resp. commiscẽri præcipiunt, non mõstra fingunt, sed, ne monstrum aliquod, atq. portentum dirissimum ad Reip. perniciem gigni possit, sapienter elaborant. Nec id faciunt, vt omnes Reip. partes eodem ornatu, & cultu informentur, sed vt cuilibet parti, atque membro, suus cultus, atq. dignitas, & forma

Universidad de Deusto
Biblioteca

ma tribuatur. Nolunt enim, vt vnius imperium ita solutum omnibus legibus, & institutis sit, vt populi libertas opprimatur; nolunt, Principes tantis opibus augeri, & amplificari, vt reges contemnant, & plebem iniurijs violenter illatis spolient; nolunt postremo, tantum populari licentiæ permitti, vt Principum dignitatem affligere, omnemq. Reip. statum perturbare possit. In quo quidem omnium partium saluti, atque diuturnitati consulunt. Reip. namque salus moderatione continetur; pernicies autem illius immoderatione comparatur. Qui enim cupit aliquid immoderate, ita, vt nullis finibus cupiditas illius arceri possit, totum id, quod vehementer appetebat, admittit. Quid enim cupit multitudo? Libertatem, & licentiam impunitam. At constat, quamplurimas ciuitates libertate immodica cõcidisse; que, si mediocri, atque legitima libertate contentæ fuissent, eã diutissime conseruassent. Quid autem ij, qui in Rep. Principes esse volunt, vehementer exquirunt? Opes immanes, diuitias ingentes, potentiam infinitis accessionibus amplificatã. At ea omnia possidendi cupiditas, & infinita dominandi libido, multis hominibus valde potentibus exitiõ fuit. Quid magis est Regibus plerisq. propositum, quam infinitum imperium, omni lege solutum, nullis rationibus alligatum, nullis difficultatibus impeditum? quod cum valde cupiunt, se plane tyrannos esse cupiunt. Quid enim aliud est imperium, omnibus legibus, atque ratione solutum, quã inuisæ, & infestæ tyrannidis impotentia? Qui igitur omnino legibus solui vult, sibi ipsi pestem, & exitium machinatur. Nec enim tyrãnidis opes, apud populos libertatis appetentes possunt esse diuturnæ. Nihil igitur esse potest omni Reip. moderatione salutarius. Bona namque omnia tuetur, & firmissimo præsidio confirmat. Merito igitur illud Theopompi dictum laudatur. Nam, cum Lacedæmone Ephoros instituisset, quorum auctoritate Regium imperium imminutum videbatur animum vxoris grauiter offendit. Cum igitur domum se reciperet, inquit illa: Egregiã sane operam posuisti, vt regium patrimoniũ posteris tuis amplificatum relinqueres. Amplificatum certe, inquit ille: stabile namque illud, atque diuturnum relinquo. Vidit enim Rex sapiens, illa moderatione imperij, quam Ephori Regibus adhibebant, (eorum enim ni miam potentiam refrenabant) Regni firmitatem contineri. Quod rerum euentu facile cõprobatum fuit. Messeniam enim, & Argiuum Regnum, quia carebant eo temperamento, intra breue tempus deleta sunt, solumq. in Peloponneso Lacedæmonium Regnum diutissime cũ magna rerum gestarũ gloria permansit. Vt igitur eo redeamus, vnde sumus digressi; illa Resp. summopere laudatur, vbi omnes illius gerendæ, & administrãdæ rationes aptissime commiscentur. Est enim necesse primũ quidem, vt alicui omnes pareant, ne Respublica multorum imperio distracta dilaceretur. Deinde, non solum vt bonorum auxilio muniatur, sed etiam, ne legitima illius potestas paullatim dilabi, atque in tyrannidem conuerti possit, est necessaria publici consilij grauitas, & optimi consensus auctoritas, qui Regem teneat, & sine quo nihil Rex vmquam de rerum summa decernat, ne inconsiderate ruat, & aliquid furenter, & temere moliatur. Ne vero Rex, aut optimates nostri, facile possint plebem iniurijs opprimere, eiusq. tenues opes impune deripere; est etiam plebi danda facultas, & auctoritas, qua possit potentium indomitæ cupiditati resistere; & magistratus aliquis non mediocri auctoritate, & summa religione præditus instituendus, qui populi causſam agat, vt possint homines tenues ius suum contra Principes obtinere. Itaque oportet, vt sit Regnum ex optimorum hominum potestate, & multitudinis libertate temperatum; vt neque ij, qui plurimum auctoritate valent, tenues homines sibi vexandos, eorumq. fortunas diripiendas arbitrentur; neque rursus homines obscuri, & infimi, potentibus inuideant, illorumq. imperium detrectent, sed statuant, omnem salutem suam in illorum tutela, atque patrocinio collocandam. Sic autẽ fiet, vt alij aliorum ope, & auxilio firmentur, omnesq. inter se vinculo societatis indissolubili constringantur. ad quam mutui amoris coniunctionem, mirum est, quantum valeat summa eorum, qui in consilium Regis adhibentur, auctoritas. Sed nescio quo modo eo res deducta est, vt Regno ad hunc modum (quem oratione depinximus) instituto, nihil ad summam felicitatem deesse videatur. Summa enim felicitas, atque vita beata, bonorũ omnium multitudine, & complexione continetur. Bona autem (vt iam diximus) trifariã diuiduntur. alia enim sunt in corpore, alia extra corpus, alia in animo ponenda. In corpore sunt vires, sanitas, pulchritudo, & reliqua eiusdem generis. In nostro autem Regno hæc omnia reperiuntur. Vires enim, & sanitatem, & celeritatem efficit membrorum exercitatio, & victus moderatio: quæ quantum etiam valeant ad formæ dignitatem, vix explicari potest. Corpus enim exercitatum, & sagina minime grauatũ, nec macie extenuatur, nec adipe, & aruina deformatur; & bonitate coloris, & ornamentis minime fucatis excolitur. Bonis vero, quæ sunt extra corpus, quæ ad vitæ præsidium, & cultum conferũtur, etiam Resp. redundabit. Nec enim tellus erit neglecta, & inculta, neque mercatores erunt parum in rebus exportandis, & importandis, & in Rep. pro parte sua locupletanda solliciti; nec opifices erunt in operibus suis perficiendis ignaui; otium, desidia, luxuria, & reliqua vitia, quibus egestas, & inopia contrahi

Moderatio, Reip. salutaris.

Bona trifariã diuiduntur.

trahi solet, exsulabũt. Rex autem opes Reip. nec in leuitate, nec in rebus ludicris, nec in hominibus ignauis temere saginãdis, neque denique in explẽda libidine consumet. Semper igitur illi copiæ suppetent, quibus sine suorum vexatione bellum sustineat, & homines fortes benigne remuneret. Facillime nãque Rex sumptus necessarios faciet, qui mini me necessarijs sumptibus modum constituet. Erit igitur ad hunc modum Resp. sine iniuria diues, sine sordibus abundans, sine luxuria lauta, sine egentium querimonijs opulenta. Quod vero ad animi opes attinet, nulla etiã virtus illi deesse potest, est & militum robore fortis, & præclara institutione moderata, & iudicum integritate iusta, & consilij prudentis auctoritate sapiens, & Principis amplitudine, & benignitate liberalis, & officiorum vicissitudine inter se deuincta, & amoris conspiratione consentiens. In bello autem quis illius vim, & impetum sustinebit? Vbi enim corporis, & animi vis, & militaris industria viget, & omnia sunt ordine, consilio, disciplina egregie moderata, & amor ciuium inter ciues eorum voluntates coniungit; & quilibet pro Principis dignitate, & Reip. salute quoduis periculum libenter aggreditur; nemoq. est, qui mortem magis horreat, quam dedecus, & turpitudinem; & omnes in moderatione fortis, & sapientis Principis acquiescunt, quem confidunt nihil in bello gerendo temere, nihil parum caute, nihil nisi prudenter, & vigilanter, administraturum; & vbi denique (id, quod caput est) Diuini præsidij fiducia, immortalisq. gloriæ spes animos erectos, excelsos, inuictos efficit; nulla certe in bello calamitas accedere potest. Nec enim Princeps castus, & sanctus vllum bellum nefarium mouebit; sed iustum, & pium, & necessarium; in quo certe confidat cæleste præsidium sibi minime defuturum. numquam igitur vllum belli periculum metuet. Quid enim metuat is, quem neque conscientia sceleris exterret, nec vlla dementia vexat, neque auxilium cæleste deseruit? immo vero is est, si talis est, qualem informauimus, qui, dum fidem, & officium sequatur, mortem facillime contemnat; qui sibi Christum cælestis exercitus Imperatorẽ auxilio affuturum non dubitet; qui pro patriæ salute, & pro Religionis sanctitate, & pro gloria illa sempiterna, quam sibi proponit, mortem expetat, & libentissime vitam hanc exiguam, & ærumnosam abijciat, vt illam immortalem, atque beatissimam consequatur. Homines igitur exercitati, & instructi, & consentientes, & se mutua ope, & auxilio munientes, & honestam mortem turpi vitæ præferentes, & patriam non mediocriter amantes, & studio etiam religionis incensi, qui sub forti, & sapiente, & pio Rege militauerint, minime pauere, & exanimari metu possunt. Semper igitur victores erunt; nec aliquis casus illis victoriam de manibus extorquebit. Nec enim hosti pugnanti cedent, vt fugientem ferociter insequãtur; neque, parta victoria, hostem fugientem persequi recusabunt, vt prædam cum sociorum iniuria, qui suo interim officio funguntur, imprudẽter, & auare diripiãt: quibus quidem flagitijs sæpenumero victores a victis conciduntur, & dignas temeritatis, & auaritiæ pœnas luunt. Sic enim erit noster miles institutus, vt malit hosti pugnanti resistere, quam fugientem ferociter insectari; multoq. malit sine lucro vincere, quam decus suũ aliqua auaritiæ macula deformari. Nec enim vanus, & insolens est, vt gloriam, quam ignauissimus quisq. exsequi potest, assumat; neque mercenarius est, vt pecuniam officio anteponat. Pro salute enim communi pugnat priusque vitam amittat, quam aliquid parum decore gerat. facile nãque milites Principis sui mores, & instituta sequuntur. Ergo, cum neque Princeps officio suo deest, neque milites illi parere recusant, quem vident esse Diuinis virtutibus instructissimum; quo modo fieri potest, vt is non omnium bellorum victor exsistat? Quid hic memorem, quam facile sit, alias nationes, hostili inter se odio plerumque dissidentes, & ea de causſa fragiles, & imbecillas, armis opprimere? Quid referã optimi Regis lenitatem, mãsuetudinem, continentiam, disciplinam, fidem, bonitatem, quibus laudibus imperiũ multo latius, quam armis, & virtute dilatatur? omnes enim illius imperium libentissime sequuntur, quem sciunt & humanis erratis ignoscere, & deditis benigne consulere, & hosti fidem seruare, & ijs, qui sub illius imperio sunt, patrio animo, singulariq. benignitate prospicere. Principis enim fides, atque benignitas, cum animi magnitudine, & singulari virtute coniuncta, mirabiles sui amores excitare solet: lenitas enim sine fortitudine, timiditas, & ignauia merito nominatur, & ideo non sine causſa contemnitur. At, qui multum opibus, & virtute valet, nec tamen vt hostibus vastitatem inferat, sed vt omnes conseruet, elaborat; Diuinus quidam vir, & orbis terrarum imperio dignissimus existimatur. Confirmatur autem huius tam Diuinæ virtutis opinio, cum cernunt homines, Principem non libenter bellũ inferre; sed, coactum officio, pietate, religione, hominibus, qui ius, & religionem violant, debitam pœnam statuere, cum vident, illum, quacumque exercitum ducit, neque vastitatem agris cultis inferre, neque arbores, nisi cum vel ad vsum vitæ, vel ad belli machinas fuerit opus, exscindere; cum neque tenues homines spoliari, neque contumelias innocentibus imponi perspiciunt; cum denique virginum pudorem, matronarum castitatem tutam ab omni labe conseruari sentiunt. Tantam certe admirationem cunctis mortalibus incutit huius virtutis species, & amplitudo,

vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt omnes, qui sana mente sunt, iudicent, multo vtilius esse, vinci a Principe tantis virtutibus ornato, quam victoriam obtinere. Qui enim vincunt, si non æquabili, & moderata disciplina fuerint instituti, efferabũtur animis, & deteriores indies fient; & ira grauioribus multo malis, quam ipsi victis intulerant, obruentur. At, qui ab hominibus virtute excellentibus vincuntur, non solum eorum misericordia conseruantur, verum etiam ad modestiam, & iustitiam, & animi cultum, bonis legibus, salutaribus institutis, & optimis exemplis erudiuntur. Quantas enim vtilitates attulerint Asiæ Cyri victoriæ; quantum fructũ ex Alexãdri virtute nationes ab illo subactæ perceperint; nemo poterit stylo, & oratione consequi. Similiter Romani, cum apud illos studium virtutis, & industriæ vigebat, eas nationes, quas armis subigebant, plane seruabant. Earum enim pestiferis dissensionibus finem imponebant; & ab insolentia, & immanitate, ad modestiam, & humanitatis cultum disciplina traducebant; & ab illis deinde omnes iniurias, atque pericula propulsabant. Omnes igitur, qui non erant mentis expertes, illorum imperium, non impetium, sed tutelam, atque patrocinium putabant. Si tantũ igitur genus quoddam virtutis, & officij mediocre, quod in illis hominibus eminebat, valere potuit ad victoriam parandam, & imperium amplificandum; quantas tandem vires vera, & absoluta Christiani Principis virtus, & humanitas habebit, ad ferociam immanis hostis acerrime profligandam, & imperium propagandum, atque valido, & firmo præsidio muniendum? Hostes enim illum metuent, ciues amabunt, exteræ nationes admirabuntur; nomen illius per omnes regiones cum singulari prædicatione vagabitur; intelligentq. tandem, illum diuinis armis tegi, Diuino præsidio cingi, Diuinoq. munimento vallari. Nũquam igitur hosti succumbet, aut vlium in se dedecus admittet; sed semper victoriam domum ingenti cum gloria reportabit. Hæc quidem condicione bellum geret. In pace vero, in qua quidem multo difficilius est statum tueri videndum est, quo modo statum suum, atque dignitatem retineat. Quid, inquit M. tu difficilius putas in pace, quam in bello imperium conseruare? Non ego, inquam, solus; sed tu etiam, & omnes, qui id diligenter animaduerterint, ita plane iudicabunt. Quid enim certius esse potest, quam id, quod exitus omnium Rerum publicarum, quæ in gloria vixere, confirmauit? An parum liquet, omnia Regna florentissima, & omnes imperiosas nationes, a paruis initijs excitatas, assiduisq. bellis exercitas, maximas opes fuisse consecutas; pace deinde, & otio constituto, de statu concidisse, tantisq. ruinis oppressas fuisse vt ne vestigium quidem in plerisq. illarum antiqui splẽdoris, & gloriæ remaneret? quod quidem valde admirandum videtur. Quid enim esse potest in causa, cur Resp. bellis cruentis, & periculosis, quæ ad illius perniciem, & exitium comparantur, crescat, & opibus summis augeatur; bellis vero perfuncta, labefiat, & post diuturnam pacem vires, & opes amittat, omnibusq. bonis spolietur? Persarũ enim Imperium armis partum, longa pax, & otium deleuit: Græcorum opes ingentes eadem diuturnitas pacis afflixit: Romanum Imperium, quo nullum vmquam in terris maius exstitit, otium similiter, atque nimia securitas euertit: &, ne longius abeamus, Regnum Hispaniæ florentissimum, otium olim comminuit, atque dissipauit. Non est autem, cur plura exempla, & testimonia conquiramus. Hoc enim in antiquarum rerum annales diligenter inquirenti plane constabit, magna imperia armis quæsita, pace, & otio concidisse. Quid igitur? Pacem exsecrabimur, & bellum, quantumuis graue, & periculosum, molietur? Sed facinus inhumanum est, hominum stragem optare, humanamq. salutem, quæ pace continetur, exsecrari. Quid enim pace dulcius, aut salutarius dici, aut cogitari potest? Quid ergo caussæ dicemus esse, cur ex re tam iucunda pernicies enascatur? id quidem pacis vitium non est, sed eorum, qui pace vti nesciunt. Hæc igitur temeritas facit, vt nomen tãtum pacis salutare sit, res vero ipsa pestifera. Vt enim facilius est, res aduersas fortiter ferre, quam secundas moderate; ita etiã maior sapientia ad conseruanda pacis commoda, quam ad belli pericula sustinenda flagitatur. Metus enim belli continet cupiditatẽ, reirenat libidinem, coercet intemperãtiam, excitat pudorem, conseruat disciplinam, ducibus obedire docet; spe laudis, & dulcedine victoriæ, omnem laborem, & dolorem, tolerabilem, atque iucũdum reddit; & periculorum consuetudine mortem contemnere assuefacit. At, vbi primum omnis strepitus belli conticescit, animus metu solutus pudoris, & honestatis studium remittit, & liberius, atque licentius voluptatem, & omnia naturæ blandimenta, atque lenocinia consectatur. Amori igitur nefario seruit, & sub Veneris regno vapulat, vt ille apud Plautum flagitiosus adolescens ait. Laudis igitur oblitus, totum se libidini constringendum dat. Vt sit igitur, vnde sumptus ingentes facere possit, pecuniæ studet, & malis artibus se totum applicat; & fraudibus opes alienas in rem suam auertere conatur; & furto etiam, atque latrocinio libidinis materiam vndiq. conuehit, vt seipsum expleat. In quo quidem tamen frustra contendit. Pudoris enim vinculo laxato, cupiditas infinita, & insatiabilis est, nec vllis potest voluptatibus, & oblectamentis expleri. immo, quo plures voluptates vndiq. hausit, eo magis sitienter eas appetit, atque ad illas fruendas furentius incitatur. Studium vero pecuniæ

niæ nimium etiã in terram deprimit, omneq. studium honestatis, & gloriæ restinguit. Sic igitur luxuria, & auaritia, & malitia in dies crescente, omnis paullatim indoles virtutis obruitur; & fides omnino concidit; & societas ciuilis fraude, & iniuria dissipatur; &, quẽadmodum in bello commune periculum omnes coniungit, atque consociat; ita in pace securitas omnem coniunctionem dirimit; & quilibet, non quid Resp. commodum, & salutare sit, sed quo modo rem suam augeat, sibi cogitandum existimat. Qui vero principes haberi volunt, mollius, & iucundius viuunt, maioreq. studio ad rem augẽdam incumbunt, nullumq. terminum pecuniæ cupiditati præfiniunt. Sũmum vero pecuniæ studium immanes opes sæpenumero consequuntur: ex opibus fastidiũ, & superbia nascitur; superbia vero omnia humanitatis iura violat. Nullam igitur rationẽ publici iuris, aut communis salutis habent; de plebis infimæ bonis prædas agunt, vt, quacumque ratione possint, opes accumulent. Sũmis igitur opibus affluentes, delicias, atque voluptates inflãmato studio persequũtur; omnemq. beatæ vitæ rationem in libidinis infinitæ fructu cõstituunt. Quo autem magis virtute vacui sunt, eo se magis tumidos inferunt, & multo insolentius efferuntur. Nescio. n. quo modo fit, vt virtutis interitũ insolentia consequatur; &, qui nihil neque virtute, neque industria valent, sibi tamen plurimũ arrogent, & assumant. Pudor igitur, & verecũdia pellitur; studiũ Diuini, & humani iuris omittitur; libido, & audacia, & fraus, & iniuria dominatur; tennes potentiũ tyrãnide vexãtur; potẽtes in odium multitudinis incurrũt; inuidia pestifera contra eos, qui tenẽt omnia, cõcitatur; corpora, & animi nobilium delicijs effeminãtur. Principes aũt, quorum maiores opes sunt, licentius opibus suis ad suũ dedecus abutũtur. Secundis aũt rebus elati, adulatorũ turba circumfæpti, tanto sibi delicatius viuendum existimãt, quanto magis reliquis omnibus dignitate, & opibus antecellunt. Illis igitur, qui libidines frangere, & petulantiam coercere, & iniquitatẽ supplicijs afficere debuissent, enuatis, atque de omni dignitate deiectis; quæ spes erit in populis reliqua, aut quo modo poterunt salutem incolumem, vel ab intestinæ discordiæ tẽpestate, vel ab externi belli incendio conseruare? Vt aũt in summa omnia dicam, animus secundis rebus inflatus, atque lasciuiens obedientiã abijcit, conculcat leges, perstringit iura, recusat imperium, impudentiam corroborat, & cõfirmat audaciam. Cum igitur virtutis lumẽ exstinctum sit, impudentia alacris, & erecta volitet, nemoq. cum reliquis de salute cõmuni cõsentiat, sed oẽs, quãtum possunt, publica cõmoda dissipẽt, vt rem suã augeant, & inter se nefarie dissideãt; qua tandẽ ratione declinari poterit Reip. totius exitium? Accedit postremo ad hæc omnia magna numinis Diuini vindicta, quæ legũ interitũ, & religionis negligentiã, & intolerandũ fastidium, & contumeliam, imbecillitate, & amentia, & seditionibus, & bellis vlciscitur. Frãgit enim Deus, pacis sceleribus offensus, Reip. vires, Principi mentem eripit, animumq. illius abijcit, & spem debilitat, & nobilitatẽ formidine perterret, & plebis animos metu impẽdentis calamitatis excruciat. Omitto morbos pestiferos, terræ sterilitatem, annonæ caritatẽ, & famẽ, & reliqua mala, quibus Deus nationis insolentis arrogantiã comprimit, & opes reip. diuitijs innixæ consumit, statumq. labefactat, vsque eo, dũ eũ perdat, & affligat. Cum igitur hostis aduẽtat, nemo vultũ illius adspicere audet; sed oẽs salutẽ in ignominiosa fuga cõstituunt. Quid. n. illos ad fortiter resistendum incitare potest? virtus enim nulla est, patriæ caritas cum amore dignitatis euanuit; armorũ studium obsoleuit; vires enerutæ sunt; mentes tenebris obruũtur; temeritas, & amentia indies amplificatur; desperatio summa tenet animos omnium; & Dei numen interim quotidie magis offenditur; & hostis potentia, atque robur augetur; & furor illius ad omnia ferro, atque flãma populãda acrius incitatur. Hoc enim est Diuino consilio decretum, vt, cũ gens aliqua, otio corrupta, ad summam iniustitiam, & impietatẽ peruenit, alterius gentis opibus, & potentia deleatur. Hæc quidem vitia sunt, quæ pacem diuturnã cum diuitiarum affluentia consequuntur, quibus maxima imperia funditus tandem intereũt. Nã genus humanum in magna rerũ copia spiritus ingẽtes assumit, neque legibus vllis frenari potest. & ij, quorum grauitate, & cõstantia regi, atque frenari debuissent, propterea quod maiores opes habẽt, sunt multo magis, quã reliqui homines, qui sub eorum imperio sunt, impotẽtes, & immoderati. His malis omnibus vnum tantum remedium est, nẽpe summa regis sapientia, cũ summa moderatione, atque singulari virtute coniuncta. Primum enim, ne in summa quidẽ pace bellum procul abesse putabit: videbit enim, quã fluxa sit hominum fides, quãta sit vis inuidiæ, quãtæ fraudes in vita communi versentur, quam varia, & cõmutabilis, & quantis casibus obiecta sit felicitatis humanæ condicio. Beatum esse prædicat Salomõ illum, qui semper timet, hoc est, qui cautus, & prouidẽs est; & ad omnia mala, quæ possunt in illum incursare, depellenda paratissimus. In pace igitur de bello cogitabit; & iuuentutẽ armis exercebit, &, quasi hostes aduentent, in Reip. semper specula manebit; nec arma vmquam relinqui, adque deseri patietur. Cum vero ita se ad omnes belli casus intrepide sustinendos egregie firmauerit; Tũ maxime bellum contra auaritiam, nequitiã, intemperantiam, fastidium, & arrogantiam, cõtumeliam, contra flagitia denique omnia, & scelera comparabit. Hi namque sunt hostes

Universidad de Deusto
Biblioteca

stes Reip. sempiterni. Hæc sunt mala, quib. imperia maxima concidũt. Hęc bella, quibus omnes opes humanæ funditus euertuntur. Mollis igitur, & delicatæ vitæ luxũ coercebit; ingentes sumptus in res leues, & ludicras fieri minime sustinebit; in otium, & desidiã, & ignauiam seuerissime vindicabit; oẽs artes vtiles Reip. fauore, & benignitate, & propositis præmijs excitabit; leges, & institutа, quibus vitia conuellat, & virtutes eliciat, in Rep. conseret; neque solum dabit operam, vt iudiciorum seueritate licentiam cõprimat, sed multo etiã magis moribus, & exemplo libidinem ciuium resecabit. Intelliget enim, tũc esse diligentius in Reip. custodia vigilandum, cum est maior ad facinus audacia, & minor ad flagitium verecundia; &, quidquid fuerit admissum, fore videtur impunius. Nec enim tam metuendi sunt hostes externi, quam ij, qui nobiscum viuunt. Illorum namque vim, & insidias facile murus interiectus auertit; hi vero citius opprimũt, quam intendi nobis insidias suspicari possimus; & illorum impetus vna tãtum virtute sæpe reprimitur, nempe fortitudine. At ciues malefici, & fraudulenti, non fortitudine tantum, sed sapiẽtia, & modestia, & æquitate, virtutumq. omnium comitatu instructa totius dignitatis acie repellendi sunt. Præterea nulla vmquam potens, & imperiosa ciuitas prius armis externis excisa fuit, quã intestina peste, atque pernicie cõuulsa fuisset. Vn de colligitur, quanto maius sit, difficilius, & pernicios ius hoc bellum, quod post lõgam pacem, & otium contra Reip. statum mouetur, illo, quod ab hoste externo comparatur. Illud enim nũquam perniciem poterit afferre, nisi prius illa ciuitas, quam oppugnat, fuerit impudentia, & auaritia, & luxuria, & arrogãtia, & reliquis flagitiorum pestibus infecta, & seditionibus intestinis exagitata. Qui igitur putat, difficilius, & præclarius esse, hostes in bello fundere, quam domi flagitia profligare; demẽs profecto est, & regiæ virtutis ignarus. Est quidem igitur optanda pax, sed non illa, quæ insidioso pacis nomine bellum pestiferũ moribus, atque rectæ disciplinæ molitur: est otium expetendum; sed otium cum honestate coniunctum; non illud, ex quo flagitium, & dedecus ad perniciem totius honestatis illabitur: sunt pro libertate vota perpetuo faciẽda; sed pro illa libertate, quæ mentis altitudine, & virtutis immunitate continetur; nõ pro illa, quæ animum omni pudoris vinculo laxatum nefarijs flagitijs addicit. Opes parandæ sunt; sed opes illæ, quæ sint instrumenta virtutis; non quæ materiam effrenatæ libidini præbeant, omnesq. virtutis neruos elidãt. Ne autem singula persequamur, hoc satis sit admonere, esse in pace diligentissime prouidendũ, ne falsis bonis illusi, in verissima mala furenter incidamus; &, dũ, vt beati simus enitimur, miseriã sempiternam nobis ipsi cõparemus.

Intestina peste ciuitates facile corruunt.

Ergo, cum in pace multo graniora mala sint, quæ possunt nos opprimere, nisi sapienter illa multo ante declinauerimus; & cum secundis rebus elatus, & inflatus animus regi difficillime possit; quis non videt, quãto sit maius, atque difficilius, Rẽp. opibus florentem, & otio lasciuientem frenare, & tamquam rationis gyrum ducere, quam eam, quæ est bellis vexata, & in periculis constituta? Hic igitur Princeps noster, quem summa sapiẽtia præditum, omnibusq. simul virtutibus ornatũ, & excultum esse volumus, efficere poterit, vt nullum omnino malum ex bono pacis oriatur; sed, quod est multo magis naturæ cõsentaneum, ex pace fructus omni genere salubres, atque iucundi capiantur. Numquam enim committet, vt gubernacula negligenter tractet, cum tranquillitatem a bellis externis esse perspexerit; sed tunc multo etiam diligentius laborabit, & vigilabit, ne alia grauior tempestas Reip. nauem iactet, & ad cæcos scopulos allidat. Nõ igitur Remp. curis omnino vacuam, & omni metu solutam esse patietur; sed eam armis instruet, & munitionibus firmabit, & ornamentis pacis excolet, & bonis artibus erudiet; in eoq. omnem industriam cõsumet, vt eam virtutibus ornet, & reliquis bonis ita locupletet, vt numquam illis ad dedecus, aut perniciem abuti queat. Cum vero cõstet, omne decus, atque salutem in sapientia consistere; ea namque est, quæ mẽtem veris opibus illustrat, & reliquis bonis scienter vti docet; operam certe dabit, vt Resp. sit etiam studio Philosophiæ florentissima. Philosophia namque, si bene constituta fuerit, non erit vmquã comes ignauiæ, sed vigilantiæ magistra. Non homines a studio publicæ salutis abducet; sed cupiditate publicæ salutis incendet. Nõ superbiam, & insolentiam gignet; sed ad modestiã, & verissimũ decus incitabit. Nec enim hic de sophistarum garrulitate, & ostentatione, neque de quorundam præstigijs, qui falso nomine sapientiæ scelera infinita contegunt, orationem habemus. Fatemur enim, quo res clariores, & ampliores sunt, eo, cum ad improbos deferuntur, maiorem pestem, atque perniciem communibus rebus inferre. Quocirca mirum non est, si multi homines eruditi pestem Rebus suis publicis attulerint. Improbus enim homo, quo fuerit disciplinis instructior, eo callidius, & (vt sibi quidẽ videbitur) impunius in ciuiũ peste versabitur. Sed, quẽadmodum non ideo sunt arma bonis detrahenda, quod improbi illis male vtuntur; immo ideo boni diligentius armandi sunt, cum mali furentius arma tractant, vt furor armatus armata etiam virtute repellatur; sic etiam, ne possint improbi homines, disciplinæ armis, & eloquentiæ vi, & magnitudine subnixi, exitium, & vastitatem rebus præclaris inferre, sunt boni præclaris artibus, & eloquentia corroborandi; vt facilius possint

impetum

impetum hominum perditissimorum reprimere. Atque haud scio, an ob eam caussam vti le rebus humanis fuisset, legem ferri, qua non omni, qui vellet, liceret præclaris disciplinis operam dare; sed illis tantum, qui essent acri ingenio, & animo magno, præclaraq. virtutis indole præditi. Vbi namque in prima illa puerili institutione factum fuerit naturæ vniuscuiusq. periculum, vellem neque tardum ingenium diutissime in Philosophiæ studio detineri, ne operam perdat; nec acutum, si fuerit ad vitia propensum, artibus præclaris institui, ne studijs honestissimis ad flagitiũ, atque scelus abutatur. Quod si hoc non facile præcaueri poterit; aut si etiam ij, quos ingeniosos, & magnanimos, & bene a natura informatos esse putabamus, fuerint ad flagitia delapsi; nõ patietur sapiens Rex eos vllo modo Remp. capessere. Immo, quo fuerint magis eruditi, eo diligentius, & acrius eos a Reip. gubernaculis reijciet; &, si opus etiam fuerit, a Regni finibus exterminabit; & sic tandem fiet, (vt tã diximus) vt neque philosophi probi sint inutiles, neque flagitiosi pestiferi. Probos enim secum coniunget, illorumq. sapientia perfruetur; improbos autem, ne nocere aliquo pacto possint, expellet, & eijciet. Sed interim venit mihi in mentem, vnum restare argumentum ex his, quibus noster T. dicebat, a plerisque Philosophi am exagitari, quod nondum est dissolutum. Quod nam, inquit M? Hoc nempe, quod dicunt, eo tempore, quo Lusitani litteras ignorabant, magna facinora in rebus bellicis effecisse; hoc autem tempore, quo sunt apud nos permulti adeo litteris, & omni genere doctrinæ perpoliti, vt cum doctissimis nostræ ætatis hominibus comparentur, vix ea, quæ sunt maiorum virtute parta, retineri. Vnde concludebat, summam eruditionem esse cum Rerump. labe coniunctam. Primũ quidem id falsum est. quantum enim ex nostris annalibus conijcere licet, antiqui Lusitaniæ Reges, & Principes in illis temporibus parũ cultis se cum litteris oblectabant, & historias & sapientium hominum scripta legebant, & sacris etiam litteris multum vtebãtur: cuius quidem rei testis esse potest & eorum vita, & mores, & sententiæ, quibus eorum conciones refertæ sunt. Deinde non sunt hoc tẽpore nostræ res ita deploratæ, vt non insideat in multorum animis spes, eas multo florentiores, atque meliores futuras. Præterea, vt id verũ sit, non tamẽ ex eo efficitur, optimas disciplinas esse a Principe Reip. cõtemnendas. In multis quidem Rebusp. hoc accidisse constat, vt tunc summa eruditio vigeret, cum illarum exitiũ appropinquabat: sed non propterea statuendum est, eruditionem summam, caussam Rebusp. calamitatis attulisse. Immo, si aliquod remedium ad auertendam calamitatem excogitari poterat, id totum erat in sapientiæ studio constitutum. Longa enim pax, & summum otium, quemadmodũ omnia mala fert, quæ diximus; ita etiam tempus, & materiam præbet, & instrumenta subministrat, quibus homines excellenti ingenio præditi summã sapientiam adipiscantur. Reliquis enim curis expediti, & otio abundantes, omne illud tempus, quod reliqui homines in libidine, flagitio, & scelere ponunt, in animorum cultu, & in naturæ perquisitigatione, & in rerum Diuinarum consideratione consumunt. Cum vero ij, qui otium, ad perniciem Reip. conferunt, sint innumerabiles; & illi potissimum, qui plurimum in Rep. possunt, intemperantia, & flagitio suo Reip. pestem, & exitium machinentur; qui vero sapientiæ student, pauciss imi, & ij non maximis opibus affluentes; euenit, vt simul cũ sceleris amplificatione, quod Reip. interitum affert, paucorum hominum sapientia (quæ quidem natura sua salutaris est) amplificetur. Quod si idem sapientiæ studium, quod in quibusdã hominibus insidet, in Principibus, in Rep. viguisset; facile omnes Reip. morbi pellerentur, & vulnera omnia sanarentur; & otium, quod solet esse pestiferum, salutare omnibus exsisteret. Nulla enim medicina adhiberi potest ad vitiosas Reip. partes sanandas efficacior. Principis enim optimi sapientia, facillime homines opibus, & potẽtia florentes, ab ignauia, & turpitudine, ad virtutem, & honestatem traduceret; vniuersamq. Remp. illecebris ipsius honestatis, in studium industriæ, & frugalitatis incitaret. Vestigia namque, & auctoritatem, & imperium optimi, & sapientissimi Principis omnes libẽter, & studiose sectarentur. Cum autem raro admodum accidere soleat, vt Princeps, timore bellorum vacuus, & opibus summis abundãs, otium, & studium sapientiæ conferat; sed potius tota mente omnes voluptates nefarias exquirat; contra fit, vt omnes sese tũc ad nequitiam applicẽt. Quamuis enim omnes plerumq. Principum imitatores exsistant, multo tamẽ facilius eorum flagitia, quam virtutes, imitantur. Cum vero id sæpe euenire videamus, vt, qui maximis vitijs affines sunt, aut Principes, aut Principum asseclæ sint; tenues enim homines non ita facile possunt propter inopiam magna moliri; sed ij, qui plurimum opibus, & potentia valent: euenit, vt isti potentes homines aspernentur, atque respuant totum illud, quod est eorum libidini, & impunitati cõtrarium. Nihil autem est tam aduersarium eorum libidini, quam veræ sapientiæ disciplina. Qui enim vere, & ex animo sapientiam colunt, nec adulari, neque mentiri, neque potentium libidini seruire possunt. Ea autem de caussa fit, vt neque potẽtes, neque vulgus hominum, qui potentibus adulantur, aut eorum auctoritatem imperite sequuntur, ea studia, quib. sapiẽtia paratur, probare queãt; sed ea vituperent, & calũnientur; vsque adeo, vt malum, quod est vitijs attribuendũ, sapien

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiæ disciplinis attribuant. Hoc enim perinde est, atque si, cum ciuitas periculosis morbis esset infecta, homines illorum morborũ caussam, neque summis vitæ delicijs, neque immodicæ ciborum copiæ, neque libidinis intemperantiæ, neque vitijs infinitis adscriberent, sed medicinam tantum accusarent, tamquã per eam illa tanta morborum vis fuisset inuecta. Quo quid fieri posset amentius? Est autem studium sapientiæ, animi verissima medicina; quæ cum semper valde necessaria sit, tum vel maxime, cum Resp. opibus, & luxu circumfluit, & illis ipsis vitæ commodis, & oblectamentis, in quibus omnem felicitatem ponit, obruitur. Sed, quemadmodum, cum corpus ita pestiferis morbis oppressum est, vt nulla pars illius aliquid roboris, & sanitatis retineat, nulla medicina potest in sanitatem restitui; ita, cum vniuersa Resp. peste laborat, & mortiferis morbis impedita est, nullo modo paucorum sapientia poterit in pristinam valetudinem reuocari. Quod si a principio Philosophia fuisset a Rege, & a Principibus egregie culta, numquam Resp. in tam pestiferos morbos incidisset; nec otium, ad quod parandum, atque fruendum omnia negotia conferuntur, tantas calamitates attulisset. Non est igitur in his studijs calamitatis caussa; sed calamitatis vnicum remedium collocandum. Si enim Rex, Diuino quodam beneficio his studijs deditus, non solum vitæ præceptis sanctissimis abundauerit, ad Remp. sapiẽtius, atque felicius administrandam, sed etiam multos maximo ingenio præditos acriter inflamauerit, quorum præsidio sæptus multo facilius Remp. moderetur; tum demum explorate cognosci poterit, bonarum artium disciplinis minime labefactari Remp. sed firmari potius, & valido præsidio communiri. Rex igitur hic noster (vt in propositum redeamus) non patietur vllo modo in pace Remp. desidia corrumpi, diuturnoq. otio intabescere; neque committet, vt pax, & tranquillitas maius malum afferat hominibus, quam illud ipsum, cuius auertendi gratia belli tempore supplices ad omnia altaria preces cum lachrmis adhibebant. Ergo, quemadmodum nec agricolæ, neque mercatores, neque fabri, nec opifices, neque operarij munera sua tempore pacis omittũt; ita neque milites, neque duces, neque imperatores arma deponent; neque Reip. custodes, atque moderatores munus, & officium suum deserent; nec illi quidem, qui artes eas colunt, quæ voluptatis honestæ gratia vtiliter inuentæ sunt, (est enim corpori necessarium laboris alleuamentum, ita tamen, vt sit semper cum honestate coniunctum) sese ab artibus suis remouebunt. Pictores igitur, & cantores, atque poetæ, qui non artificio suo effigiem turpitudinis, & impuritatis expresserint; sed omnia suarum artium oblectamenta ad honestatem cõtulerint; (hi namque soli voluptatum artifices in Rep. retinendi sunt, qui ad honestatem alliciunt) artes suas, fauore, & benignitate Principis inuitati, conseruabũt; reliqui omnes similiter sub bono Principe se in illis artibus exercebunt, ad quas præcipue nati sunt, & in quas plurimum operæ, & studij contulerunt, & ex quibus fructus aliquis vel vtilitatis iustissimæ, vel voluptatis honestissimæ percipi potest. Nullus deniq. erit in Rep. cuius aliquod opus non exstet, quod in communem fructum conferatur. nihil enim erit apud illos otio, & ignauia turpius; nihil magis ab omni Rep. detestandum. Vt enim Virgilij versibus luculentissimis vtar:

Sapientiæ, studium.

Acu. lib. 1.

Qualis apes æstate noua per florea rura
Exercet sub sole labor; cum gentis adultos
Educunt fetus; aut cum liquentia mella
Stipant, & dulci distendũt nectare cellas;
Aut onera accipiunt venientum; aut, agmine facto,

Ignauum fucos pecus a præsepibus arcẽt.

Sic omnes ciues certatim elaborare debent, vt quisque pro parte sua Remp. iuuet, & tam vim externam, quam fraudem intestinam repellat, ne quidquam sit impedimento, quo minus Resp. felix, atque florens sit. Sequitur deinde:

Feruet opus, redolentq. thymo fragrantia mella.

Iuuat carminibus Poetę maximi, atque vlde politici, & sapientis, vti, quibus, apum simillitudine, ponit nobis ante oculos, illam seduli tatẽ, & industriam ciuium, qua quisque, quantum natura, & artificio poterat, tantum in illam vrbem conferebat. Sic igitur in Regno nec esse est, vt totius patriæ opulentia, atque felicitas omnium ciuium operibus, & studijs, & artibus & officijs expleatur; & quilibet aliquid in cõmunem vtilitatẽ cõferat; vt sic tandem pellatur ignauia, & exsulet iniquitas, & iniuria; nulla vis, nulla fraus honestũ otiũ perturbet; inopia, quæ desidiã consequi solet, exterminetur; & omnes ciues sint inter se æquabili iure deuincti, fœdere firmo consociati, & mutuis opibus vltro citroq. benigne collatis in omni rerum varietate muniti, & ciuili caritate, & beneuolentia coniuncti. Hac igitur ratione, & vigilantia Rex sapiens in pace Remp. conseruabit, ita, vt non possit otio corrumpi, & de statu dignitatis amplissimo detorqueri. Huius aũt ciuilis societatis, & sũmæ felicitatis, & otij nõ inertis, sed honestissimi, maximeq. expetendi, Rex artifex, & moderator, & dux, & architectus ẽ. Hoc est. n. illi opus propositum; hoc illi onus incumbit; hoc illius officiũ, & munus est; hoc intueri, hoc moliri, & efficere debet, vt Resp. sit voluntate consentiens, ordine constans, viribus firma, opibus abundãs, moribus ornata, gloria præcellẽs, in bello semp inuicta, in pace, & otio moderata. Hoc aũt vt præstare possit, summa alacritate, studio, vigilantia, industria opus est: neque enim

enim tãtum munus potest sine perfidiæ scelere, non dico negligi omnino, sed parum strenue, aut parum diligenter obiri. Si enim iudices pecunia corrupti ius, & fas omne violauerint; si milites exercitum deseruerint; si duces in administrãdo bello timiditatis, aut desidiæ significationem dederint; si consiliarij, vt rei suæ familiari consulant, Remp. consilio scelerato prodiderint; si religio denique a sacerdotibus parũ caste, atque sancte culta fuerit; si denique propter publicum aliquod scelus, Resp. vel fame, vel pestilentia laborauerit; vel afflicta pestiferis bellis exstiterit; omniũ horum malorum culpa Regi necessario sustinenda est. Officium enim illius est, præcauere, ne quisquam in officio suo delinquat; & ita rebus animum intendere, ne seclus vllũ confletur, vel saltem ne impunitum remaneat, aut virtus honoris repulsam patiatur. Considerate igitur, quam non solum constans, & fortis, & sapiens, sed etiam vigilans, & attentus, & industrius Rex sit oporteat, qui hoc in se recepit, vt Remp. suæ fidei, & diligentiæ commissam, incolumem ab omni clade cõseruet; & opulentam, & fortem, & honestam, & omnibus corporis, & animi bonis affluentem efficiat. Fieri igitur non poterit, quin, si Resp. malum aliquod graue subierit, Rex ipse perfidiæ infamiam sempiternam subeat. Hic M. Recte, inquit: sed vereor, ne difficile sit Regi persuadere, vt vitam curis anxiam, & laboribus exercitam, & ærumnis afflictam agat: vt reliqui omnes, curis vacui, & sollicitudine liberi, in tranquillitate versentur, hoc est, vt ipse solus miser sit, vt omnes, qui sub illius imperio sunt, beati esse possint. Quid? inquam, tu miserum putas Regem esse, qui suum officiũ facit? Miserum certe, inquit, illum multi putabunt, si tam multis curis fuerit distentus. Quo modo enim poterit tam multa negotia, quã multa ad illum oratione tua detulisti, quãuis sit admirabili industria, sustinere? difficile profecto est. Sit, inquam, quantum velis difficile. Cum enim nihil sit præclarum, & amplũ, quod arduum, & laboribus plenum non sit; Regisq. splendore, & magnificentia nihil sit in vita clarius, & amplius; consequens est, vt munus, & officium Regis sit maximis laboribus, atque difficultatibus implicatum. Qui tamen amplitudinem tãtæ dignitatis intuetur, omnem laborẽ tolerabilem iudicabit. Quod si aliquis Princeps tam pusillo animo est, vt laborem extimescat, Regni procurationẽ, qua quidem est indignus, abijciat. Tantum enim munus nõ nisi maximis, & acerrimis animis, & cupiditate immortalitatis incensis committi recte potest, qui, præ verissimæ dignitatis studio, vltro etiam labores appetãt, & omnia pericula vitæ contemnant. Præterea, non est tanta gerendi huius muneris difficultas, quanta specie prima videtur: ordine enim Reip. constituto, singulis muneribus commode distributis, & ea moderatione, quam Reip. ratio poscit, adhibita, etiam quæ difficillima fore videntur, non difficillime transiguntur. Vt enim in horis, postquam illa rotarum connexio, & implicatio, & ponderum inæqualiũ pro rata portione contentio, & omnis denique illa machinatio fuerit follertissime constituta, facillimum erit, totum illud horologium moderari; &, quoties ab instituta ratione discrepare videbitur, ad numerũ, & æqualitatem reducere: sic, postquam Reip. ratio sapienter instituta est, & temperamentum recti ordinis, & moderationis adhibitum, & munera sapientissime distributa: non tam difficile est, quam multi fortasse suspicantur, totã Reip. machinam eodem semper ordine conuerti, &, cum aliqua ex parte ab instituta moderatione defecerit, prudentis rectoris vigilantia ad numerum reuocari. Atque, vt maximi cuiusdam exercitus imperator milites facile moderari poterit, si exercitum in cohortes, & manipulos, & in certa vexilla diuiserit, & singulis ordinibus præfectos singulos militiæ peritos assignauerit, vt facile imperium illius per maiores duces ad minores, atque ad singulos tandem milites ordine percurrat; sic in Rep. diuersis in ordinibus, & generibus hominum ad certas curias, aut tribus reuocatis, & rectoribus militum delectis, & iudicum etiam ordinibus diligentissime constitutis, & legibus etiam, quas singuli muneribus suis obeundis sequantur, impositis, non erit ita difficile vniuersam Remp. in officio continere. Præterea, illud etiam considerandum est, esse nõ paucos homines virtute, & sapientia præstantes, in tanti operis, atque muneris societatem conuocandos, vt facilius perfici possit, & cum amplitudine dignitatis, & communis vtilitatis expediri. Est etiam animaduertendum, difficile non esse, quod cum voluptate fit; Regis autem officium esse cum summa voluptate coniunctum, intelligi recte poterit, si voluptatis constantis, & firmę ratio fuerit explicata. Primum igitur voluptas non est in otio posita. Si enim ita esset, nihil esset in vita cessatione iucũdius. Itaque omnes, natura duce, sine vlla ratione hoc vnũ maxime expetendum iudicarent; nempe, nihil agere, nihil moliri, numquam a loco in locum moueri; sed, instar æneę cuiusdam statuę, in eadẽ semper sede immobilem permanere. Quod nõ ita est: immo cõstat, nihil esse in vita molestius, quã nihil agere omnino. Itaq. bruta animantia motus liberos requirũt, &, si alligata fuerint, vincula, si possunt, perrumpũt, vt libere cursitent. Pueri teneri non possunt, quin cursu, & saltu, & motibus assiduis defatigentur. Adolescentes etiam ludis admodũ laboriosis, & certaminibus oblectantur. Homines ẽt ætate grandiores, atque adeo senes, qui se vix loco mouere possunt, aliquid tamen semper agere student, vt otij fastidiũ, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

Naturæ iucunditas, in labore.

iucunditatem vitent, intolerandamq. cessationis molestiam a se dimoueant. Vnde concluditur, naturæ iucunditatē non esse in otio, sed in labore collocandam. Tunc enim voluptas exsistit, cum antegressa est cupiditas: voluptate enim afficimur, quoties id, quod valde expetimus, assequimur. Non autem otiū, atque somnum sempiternum; sed sempiternam actionis, & agitationis iucunditatem expetimus. Vnde concluditur, voluptatem in actione consistere. Est enim Voluptas, perfecta vis, & efficientia sensus, id, quod est ad naturam illius accommodatum, absolute conse cuti. Hoc ita posito, considerandum est; cum animo constemus, & corpore, duplicem voluptatem in nobis esse; vnam, quam sensibus corporis vsurpamus; alteram, quam mentis & rationis sensu percipimus. Videndum est igitur nunc, quæ nam voluptas nobis magis expetēda sit, vt vitam iucundissime traducamus. Eane, quæ corpus titillat, atque iucunditate perfundit? an potius ea, quæ mentem gaudio complet? Primum quidem voluptas corporis pura, & liquida esse non potest. Est enim semper cum aliqua molestia, & acerbitate coniūcta: tam diu enim in bibendo voluptatem sentimus, quamdiu nos sitis vexat: exstincta vero siti, bibendi etiam voluptas exstinguitur. Sic etiam de epularum suauitate, & de reliquis eiusmodi voluptatibus dici potest; eas omnes desiderij breuis, & minime constantis, expletione contineri; ita, vt magis molestiarum depulsiones, quam voluptates appellandæ sint. Iccirco fit, vt voluptas corporis sit fluxa, & instabilis, & momento temporis euanescat; deinde, cū effluxerit, eam satietas, atque fastidium consequatur. Quo autem maiores voluptates sunt, eo maiora illa fastidia consequuntur. Sic autem fit, vt futilem, & inanem uoluptatem, molestia sæpe grauis, atque diuturna contaminet. Præterea voluptates istæ mentem, & rationem eripiunt, & animi totius statum labefactant; &, quod est cōsequēs, insigne dedecus inurunt: ex quo fit, vt, cū euanuerint, grauissimam pœnitendi causſam relinquant. cum enim simus natura maxime honestatis appetentes, necesse profecto est, vt recordatione turpitudinis, atque dedecoris afflictemur. Quæ igitur hæc voluptas est, quæ numquam est a molestia seiuncta? quæ, prius quam dulcedo illius sentiri posset, euanuit? quæ graues molestias, atque diuturnas inuehit? quæ hominis præstantiam dedecore omni contaminat? de immoderata voluptate loquor, non de illa, quam modus, & ratio, & leges, & iura præfiniunt. Itaque hoc sane constat, homines, qui corpori nimis addicti sunt, fallacissima voluptate delusos, pœnis assiduis excruciari. Quid illud, quantum mali est? quod flagitiosæ voluptatis consuetudo homines brutis animātibus simillimos reddit, & ferinis moribus turpiter obsequentes. Quod sine graui animi angore, & cruciatu fieri nequit. mens enim, de statu detrusa, & cupiditatis vinculis impedita, cum natura ad decus, & laudem adspiret, &, contra naturam, dedecori, & ignominiæ seruiat, fieri profecto nō potest, quin acerbissime torqueatur. Quo autem magis est cupiditatibus impurissimis addicta, eo grauiores pœnas amentiæ persoluit. Quod vt facilius intelligi possit, fingamus animis Principem maximum præstigiis illusum, & sponte sua de solio deiectum, vt hominibus nequissimis obsequatur. Illi vero adulatores intemperantissimi tam impudentes sint, vt mediocri, atque tolerabili Principis amentissimi seruitute contenti esse nō queāt; eoque tandem rem deducant, vt illi, quem iā impotenti dominatu oppressum tenent, plagas etiam imponere, si illis ad nutum præsto non fuerit, minime vereantur. Sint autem morosi, atque difficiles, & inter se sensu, atque sententia discrepantes. Vnus autem ex illis sit amore leuissimo perditus; alius auaritia immani flagret; alius populari vento, atque tempestate iactetur; alius denique aliis cupiditatibus nefariis stimulatus sit. Cuiuslibet autem cupiditas sit immensa, & infinita; ita, vt satiari non possit. Ille igitur miser, olim Princeps, modo seruus, sub improbissimorū mancipiorum insolentia, & libidine constitutus; quo tandem modo omnibus seruire poterit, cum ne vnius quidem libidinem explere aliquo pacto queat? Fac igitur, vt eodem simul tempore alius aliud imperet, & quilibet eorum illum minis exterreat, & plagas eidē etiam infligat: si vni domino paret, alterum lædit; si vnius iram placat, alium offendit. Qui offensus est, repente sine vlla misericordia membra illius miseri contundit, atque fuste debilitat. Sic autem, dum alius aliud obiectat, & illum acerbissime criminatur, necesse est, illum in contrarias partes distrahi, atque dilacerari. Hanc porro similitudinem ad animum transferamus, in quo quidem ratio principatum obtinet. Illa tamen liquefacta blanditiis, & adulatione cupiditatis impulsa, & vehemētia libidinis incitata, eo paullatim redigitur, vt seruiat auaritiæ, libidini, atque leuitati, omnemq. beatæ vitæ rationē in harū pestium dominatu constituat. Quælibet autē harum cupiditas est immoderata, nec vllis terminis circumscribi potest. Vbi enim primum ratio de statu suo demigrat, nihil relinquitur in animo, quod temeritatē coerceat. Sic autem fit, vt, cum multo plura semper appetat libido, quam adipisci queat, multis partibus superet ille cruciatus animi lætitiā illam, qua interdum intemperantes homines efferuntur. Cum enim (verbi gratia) pecuniam infinite concupiscant, quamuis multis pecuniis abundent, magis tamē illos cruciat argentum, quod non habent, quam delectet id, quod habent; & ita necessario fit, vt gaudium

Voluptas, quid.

dium sit exiguum, idque cum sollicitudine, & afflictatione coniunctum; cruciatus autem sit assiduus, & immensus. Sic etiā de libidinis intemperantia, de immoderata honorū ambitione dicendum; fieri non posse, vt tantam lætitiam afferat animis rei furentius appetitæ præsentia, quantam mœstitiam inuehit maiorum commodorum, (vt videntur) atque voluptatum, quæ nimis sitienter appetūtur, absentia. Inde vero grauis offensio, odiū, anxietas, & iracundia, & aliæ eiusmodi perturbationes oriuntur, quæ animum in diuersas partes trahunt, eumq. omni crudelitate dilacerant. Aliud enim cogit libido, alio impellit auaritia, aliud hortatur ambitio, aliud iracundia facere admonet. si libidini, & luxuriæ seruit, sumptus ingentes facit, & eorum deinde recordatione torquetur; si obsequitur auaritiæ, Veneris etiam immanitate, & impatientia cruciatur; si popularem aurā captat, ambitione districtus, omnes rumusculos extimescit, atque ad aliorum dominorum impotentiam, feritatem etiam plebis adiungit, & adulari populo, atque assentari cōdiscit. Hac igitur ratione animus de statu deiectus, & auaritiæ, atque multiplicis cupiditatis imperio coactus, ancipiti cura, & sollicitudine distinetur; & tabe pestifera, & intolerabili cruciatu conficitur. Quamuis autem non alius doloris sensus animum pungeret, atque vulneraret; turpitudinis certe conscientia illum ita vehementer affligeret, vt esset illi necesse in perpetua acerbitate versari. Cum enim in sita naturæ cupiditate in studium honestatis incitemur, & ad verissimum decus, & laudem nati simus; necessario fit, quoties in nos flagitium admittimus, aut falsa imagine dignitatis illudimur, vt nos impuritatis, & amentiæ pœniteat, & graues erroris nostri pœnas exsoluamus. Cum igitur animus corporis voluptatem sequitur, quamuis interdum cupiditate cæcus exsultet, immoderataque lætitia desipiat, multo tamen maiore ex parte dolore, atque mœstitia conflictatur. Breuissimam enim illam voluptatem tristes curæ, atque sollicitudines antecedūt; &, cum adesse videtur, non sine molestiæ cuiusdam admistione percipitur; &, cum effluxerit, non mediocrem dolorem propter admissum dedecus inurit. Hæc est hominum vita, qui non rationem, sed cupiditatem indomitam sequuntur; qui tamen, quamdiu rei familiaris angustia laborant, & legibus alligantur, atque iudiciorum metu continentur, morbis quidem illi mediocribus vexantur, & curis grauissimis afficiūtur, quæ vitam satis acerbam, & ærumnosam efficiūt; eorum tamen ægritudines mediocres, atque tolerabiles esse videbuntur, si cum alijs multo grauioribus collatæ fuerint. Vbi enim primū augentur opes, diuitiæ redundant, & spes maioris licentię, & impunitatis offertur; animus ipse, dominatu cupiditatis oppressus, ad spem felicioris cōdicionis erigitur. Existimat enim se posse facillime cupiditatem satiare, & ita maxima quadam voluptate, & perpetua suauitate cōpleri. Quod longe secus euenit. Opibus enim summis, & spe impunitæ libertatis, & licentiæ proposita, multo vehementius irritatur ipsa cupiditas, maioresq. turbas commouet, & multo violentius statum mentis inuadit, maioreq. siti, & indigentia cruciatur. Tunc igitur, cum nullis voluptatibus, aut opibus infinita illius sitis exstingui possit, crudelius rationem accipit, & longe acerbioribus curis illam vexat. Quid vero, cum cupiditas ipsa ad hominum contumeliam erumpit, multosque mortales iniuriis innumerabilibus afficit? Quid, cum iura omnia perrumpit, ciuilemque societatem violat? Quid, cum in legū contemptu, & intolerabili superbia, & insolentia, summam vitæ dignitatē constituit? Quid, cum omnibus hominibus fortibus, atque moderatis interitum machinatur? Omnia enim hæc mala cupiditatis effrenatæ licentiam cōsequuntur. Excæcat enim rationem, ita, vt in superbia grauitatem, in luxuria magnificentiam, in fastidio, & contemptu dignitatē summam inesse iudicet. Inuidia deinde, & odium animum illū miris modis exagitat. Ijs enim, quos videt verissima dignitate præditos, inuidet; eos autem, quos suis nefarijs cupiditatibus aduersarios fore suspicatur, odio acerbo, & immani persequitur. Quemadmodum igitur leges, & instituta conuellit; ita omnes, quos legum vindices, & custodes esse credit, de medio tollere contendit. Omnem virtutis excellentiam suspectam habet, & inuisam; &, quidquid illorum intemperantiæ resistere potest, exsecratur. Cum primum igitur potest, alios interimit, alios exsilio multat, alios opibus, & fortunis spoliat; ne quisquam illi obuiam ire possit. Nullum ingenium excellens, nullum animum magnum, nullam singularē industriam, nullius denique insignem potentiam pati, atque tolerare potest. Alijs enim inuidet, alios vero timet; status vero sui firmitatem non in suæ virtutis constantia, sed in suorum ciuium imbecillitate ponendam arbitratur. Omne igitur illius studium in ciuium opibus extenuandis, & animis abijciendis, & in virtute profligandā, & exstinguenda consumitur. Iniurijs igitur, & contumelijs, & cædibus, odium hominum in se grauissimum accendit. Inde vero metus ingens exoritur. qui multos enim læsit, multos metuat necesse est; &, quo plures sunt, quos iniurijs affecit, eo grauior illum metus excruciet. Hæc est autem tyranni vita: qua nihil nec acerbius, neque magis anxium, atque sollicitum mente fingi, atque cogitatione potest. Omnis autem, qui natura maleficus, & iniustus est, quales sunt omnes, qui tota mente cupiditatibns nefarijs obsequuntur, tyranni quidem natura sunt: sed id minus apparet, quamdiu non valde nocere possunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

possunt. Postquam vero summas opes adipiscuntur, tum demum tyranni appellantur; qui tũc eo miseriores sunt, quo maiores opes habent. Grauiora namque facinora moliuntur; & quo pluribus imperant, eo pluribus hostibus circumsæpti sunt. Omnes enim natura tyrannidem oderunt. Accedit ad maiorem animi sollicitudinem, & cruciatum, numinis Diuini metus. Quamuis enim tyranni religionem contemnant, non possunt tamen omnino illum religionis sensum, quo sunt a natura penitus imbuti, diuturna consuetudine sceleris, & impietatis opprimere. Semper igitur residebit in illorum animis aliqua religionis opinio, quæ illos agitet, exterreat, examinet, respirare nõ sinat. Ergo, quocumque se tyrannus mente, & cogitatione contulerit, omnia sibi dira, exitiosa, & infesta esse perspiciet. Si enim mentem suam inspicit, animi sui statum videt seditione turbulenta conuulsum, pestiferis morbis oppressum, tristissimis curis afflictum, acerbissimis doloribus intercluſum; si ad homines oculos conuertit, alijs inuidet, alios odit, nemini fidem habet, & omnes etiã familiares, atque domesticos extimescit; si cælum suspicit, & tempestatem excitari videt; horret, & pallet, & tremit, & eximio pauore concutitur. Diuinitatem sibi tribuebat Caligula; sed deus ille, minimo etiam fulgure, & tonitru conturbatus, se confestim obuoluto capite sub lectum occultabat. Tanta erat hominis stultissimæ arrogantiæ imbecillitas. Et reuera nihil est magis cum arrogantia cõiunctum, quam metus, & sollicitudo, & animi fœda, atque deformis abiectio. Qui igitur status sui odio torquetur; qui maleficiorũ conscientia assidue cruciatur; qui omnes mortales exhorret, & a suis etiã intimis, atq. domesticis insidias vitæ suę fieri suspicatur; qui, quoties cælum nubibus obductum cernit, totis artubus contremiscit; qui denique neque domi, neque foris, nec in otio, nec in negotio, neque cum suis, neque cum alienis trãquillo animo esse potest; quo modo nõ omnium mortalium miserrimus iudicãdus est? ne somnus quidem, qui curarũ omnium videtur esse perfugium, illi curarum aliquod alleuamentum concedit: species enim illi horribiles in somnis obiiciuntur, quæ illum frequenter exturbant. Hæc sunt illæ furiæ scelerum vltrices, quæ tyrãnos agitant, & infectantur, quæ quasi tædis ardentibus illos, quocumque se vertunt, insequuntur; illosq. & scelerum recordatione perterrent, & iudiciorum Diuinorum metu conficiunt. Non exspecto diros tyrannorum exitus; non interitum calamitosum commemoro; non ea, quæ, etiam cum in tragœdijs aguntur, spectatoribus horrorem incutiunt, oratione complector. Hæc omnia imperitos mouent; qui id tantum, quod sensibus expositum est, adspiciunt, tabem autem, & angorem, & cruciatum, quo tyrannorum animi torquentur, intueri non possunt. Sit igitur aliquis tyrannus, qui vitam ad summam senectutẽ perducat, (vt superior Dionysius) nec vlla humana calamitate peruertatur; is tamẽ furijs agitatur, & cruciatibus infinitis afficitur, & a mẽte, consilioq. deducitur, & tristissimis curis in tabescit; ita, vt nihil miserius, & calamitosius in vita fingi cogitatione possit. Vt igitur tyrannus interdũ inani aliqua voluptate fruatur, aut, vt rectius dicã, inani voluptatis specie ludificetur, maxima tamen ex parte vita illius est acerba, luctuosa, grauissimis curis anxia, & terroribus obiectis frequenter exercita; ita, vt numquam vllo in loco consistere, aut libere respirare queat. Recte, inquit T. Sed, quorsum pertinet ista disputatio de tyrãni cruciatu ad Regij muneris facilitatem, & oblectamentum? An vos, inquam, putatis, me alia ratione facilius demonstrare posse, quam facilis, & iucunda sit Regis vita, quam tyranni supplicio vobis explicato, & ob oculos constituto. Nihil est enim, quod Regi magis oppositum sit, quam tyrannus. Ergo, vt tyranni vita est difficilis, & ærumnosa, omnibusq. malis miserrime circũuenta; ita Regis vita dulcis, & iucunda sit necesse est, omnibusq. bonis referta, & egregie cumulata. Primum igitur, si voluptas, vt dicebamus, non est in cessatione posita, ad agendum enim nati sumus, ita, vt nihil esse possit otio, atque cessatione molestius; consequens est, vt voluptatem in actione collocemus. Est ergo voluptas, (vt ante dictum est) perfectus motus, & actio sensus cuiuslibet, qua sensus ipse id, quod est naturæ cõgruens, & aptum, repente consequitur. Hoc autem posito, quis dubitare potest, quin voluptas vna tantis partibus aliam voluptatem superet, quantis vnus sensus est alio sensu natura præstantior, & iudicio acrior, & stabilita te constantior? sensus autẽ hic omnes sentiendi, & intelligendi facultates appellamus; ita, vt alij sint sensus in corpore, alij sint sensus in corpore, alij in animo constituendi. Rationi igitur consentaneum est, vt, quantum animus præstat corpori, tantum voluptas, quæ animi sensu, & agitatione percipitur, vincat illam, quæ corporis sensu, & iudicio cõtinetur. Dein de corpus non per se, quid dulce, quid acerbũ, quid iucundum, quid asperum sit, iudicat: animus enim est, qui sentit, qui iudicat, qui aliud quidem, vt iucundum, & naturę consentaneũ, adsciscit; aliud, vt acerbum, & naturæ contrarium, repellit. Corpus enim exanimum, aut somno graui consopitum, aut stupore penitus oppressum sentire non potest. Sed alius est animi sensus, cum iudicat ipse per se; alius, cũ in iudicando opera, & functione corporis vtitur. Est enim animus ipse natura vigens, & vehemens, & acer, & ad veritatem indagandã, & percipiendam paratissimus. Hebescit tamen, & obtunditur, cum corpori nimis affixus est. Hinc autem fit, vt, quod ipse per se, sine sun-

Rex, & tyrãnus oppositi.

ne functione vlla corporis, suaue iudicat, suaue putandum sit, non illud, quod, interdũ corporis imaginibus illusus, suaue, atque iucundum opinatur. Præterea constat, vbi sensus morbo aliquo tenetur, quid dulce, aut amarũ sit, iudicare nõ posse. Videmus enim, eos, qui in morbo sunt, cibos sæpe dulcissimos, tamquam amaros, aspernari, atque reijcere. Animus autem corpori nimis indulgẽs, æger est, & ex ipsius corporis natura mortalis, & imbecilli contagione morbum contrahit; quo quidem oppressus, veræ suauitatis gustum non habet. Inde adeo fit, vt pro iucundissimis ea frequenter arripiat, quę sunt acerbissima. Inde sequitur, id tantum dulce, & iucundum, & omni suauitate refertum esse, quod animus sanus, & integer, & purus iucundum esse statuit; nõ id, quod corpori immersus, & morbis molestissimis impeditus, iucundum arbitratur. Quid de voluptatis stabilitate, & constãtia dicendum? Omnes quidem sumus ad veritatem nati, & mendacium, atque vanitatẽ natura repudiamus, atque reijcimus. Cũ igitur, opinionis errore, in fraudẽ impellimur; experiundoq. sentimus, quam falsa erant illa bona, quæ tamquam vera sectabamur; grauio rem multo dolorem ex nostri erroris offensione percipimus, quã erat illa falsa voluptas, qua gestiebamus. Itaque breuem, & exiguam voluptatem ingens molestia, & mœstitia diuturna consequitur. Nihil est enim stabile ad permanendum, nisi quod radice veritatis innititur. Cum igitur constet, eam solum esse veram voluptatem, quam animus purus, & integer, & firma valetudine præditus, voluptatem esse iudicat; sequitur, vt ea sola voluptas stabilis, & fixa sit. At omnes, qui hoc animo sunt, sentiunt, & decernunt, nihil esse virtute dulcius; vnde concluditur omnem verissimæ, & constantissimæ voluptatis rationem esse in virtute ponendam. Ergo, cum voluptas illa, quæ non corpore, sed animo percipitur, sit vel propter naturæ præstantiam clarior; vel propter acerrimum mentis sanæ iudicium verior; vel propter sententiæ firmitatem constantior; quis non videt, nihil esse virtute iucundius? ea enim est, quæ animũ pura, & liquida, & stabili, atque sempiterna voluptate complet. Deinde, liquet, omnẽ voluptatem ex amore ortum habere. Tunc enim voluptate summa afficimur, cum ea re, quæ nobis erat egregie cara, perfruimur. Omnis autem amor opinione pulchritudinis, & honestatis excitatur. Vera autem honestas, & pulchritudo in virtute consistit. Vnde sequitur, vt, quẽadmodum nihil est virtute pulchrius, atque amabilius; ita nihil posit in vita cogitari suauius. Concludi potest igitur, illius tantum vitam esse dulcem, & iucundam, & omni voluptate cumulatam, qui virtutis compos est: verissimam enim honestatem arcte complectitur. Quid enim rerum Diuinarum consideratione præstantius? quid humanarum curatione, & prouidẽtia ad laudem præclarius? quid animi alti, & excelsi robore magnificentius? quid moderatione, frugalitate, temperantia concinnius? quid iustitia, liberalitate, hominum caritate, & beneuolẽtia pulchrius? quid harum omnium virtutum consensione venustius, & elegãtius? Est ne aliquid in vita, quod maiorem admirationem commoueat, aut vehementius ad sui amorem omnium mortaliũ animos alliciat? Si igitur nihil esse potest amabile, quod iucundum non sit, & virtute nihil est amabilius; sequitur, vt nihil esse possit in vita iucundius. Is igitur, qui omni virtute ornatus est, iucundissime viuit, & in summa quadam voluptate versatur. Nihil est enim in illius animo, quod pacẽ turbet, & tumultus excitet, & statum labefactet. Ratio enim imperium pro dignitate gerit; motus animorum comprimit; cupiditates moderatur, omnesq. partes animi sibi parere, & obedire compellit. Regnum igitur animi sapienter, atque feliciter administrat; & pacem, & tranquillitatẽ, & otium cum dignitate constituit. Ex illa igitur pace, summorum bonorum affluentia, & sempiternæ opes exsistent; quibus exhilaratus animus gaudio perpetuo triũphabit. Homo igitur, tãtis opibus, & ornamentis, atque præsidijs in omni genere redundans, Rex quidam valde sapiens existimandus est: cum tam sapienter, & commode omnes suas affectiones regat, ita, vt numquam seruiat libidini, & impuritati, sed semper omnes incõsideratos motus, & libidinis impetus summa quadam ratione coerceat. Cum vero omnes opes animi ad vsum communis vitæ contulerit; meritisq. suis multos mortales obligauerit; admirabilẽ sui amorem concitabit, statumq. suum multorum hominum beneuolentia, & felicitate communiet. Neque tamen is erit vmquã, qui omnia vitæ præsidia in se, aut in hominũ fide ponat; sed omnes opes, & facultates suas ad fontem omnium bonorum assidue reuocabit. Deum igitur alta mente suspiciet; illius maiestatem, & numen, & potentiam reuerebitur; illius sapientiam, & moderationem, & iudicium admirabitur; illius bonitatem, & beneficentiam, & amorem in humanum genus amabit; illiusq. beneficijs ornatus, Diuinarũque deliciarum vbertate completus, exsultabit, & incredibili lætitia perfruetur. Necesse nãque est, vt qui Diuinis, atque sempiternis bonis afficitur, Diuino etiam, atque sempiterno gaudio cumuletur; & si voluptas est perfecta naturæ sentientis vis, & efficientia, id, quod est sibi accommodatum, assecutę. Et, cũ nihil sit in nobis mentis natura præstantius, (est enim ad mentem Diuinam apta, & cum ipso Deo agnatione, vt ita dicam, coniuncta) nulla certe voluptas erit cum ea comparanda, quam humana mens percipit, cum similitudinem Diuinæ mentis assequitur, & virtutis imi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tis imitatione Diuinum ſtatum adipiſcitur: Nihil enim eſt in rebus humanis clementia, & benignitate, & hominũ caritate Diuinius. Qui igitur, quantum poteſt, hominibus opibus,& ſtudio, & gratia conſulit; eſt iam quodammodo Diuinitatẽ aſſecutus. Animus igitur humanus,cum ad Dei ſimilitudinem, quã natura vehementer expetit,Dei ipſius munere,& beneficio peruenerit, quanta ſuauitate complebitur? quantis gaudijs efferetur? quã incredibilem lætitiam ex tantorum bonorũ recordatione percipiet?eam certe,quam nemo vel vbertate orationis explicare,vel ingenio,& oratione complecti valeat. Quo autem plures homines ſunt Diuini numinis cõſilio, atque benignitate ſeruati,eo maiorem voluptatem capiet: magis enim ad Dei ſimilitudinem accedet. Vt igitur iam ad Regem noſtrũ veniamus, ſi hoc nomine dignus eſt, neceſſe profecto eſt,vt ſit ſapiens,& fortis, & moderatus,& iuſtus, & clemens, & benignus, & ſanctus,& in omni denique virtutis genere floréti ſimus. In magna igitur voluptate verſaretur, quamuis materiam nullã haberet ipſius virtutis,& honeſtatis,qua fruitur, in hominũ vtilitatem conferendæ. Nunc vero,cum ſummas opes habeat, & complures etiam nationes imperio cõtineat,ad quas omnes virtus, atque benignitas illius emanare poteſt; ſi fuerit officio ſuo functus, cui dubium eſſe poterit,quin vita illius ſummis gaudijs, & incredibili lætitia cumulanda ſit? Deinde,quod natura,& arte,& ſtudio perficitur,cum facilitate perficitur. Ergo, ſi Rex fuerit natura magnanimus, & Regijs diſciplinis eruditus, & ſtudio decoris,& immortalitatis incenſus;neceſſe profecto eſt,vt Regnum admodum vigilanter adminiſtret, & omnia munera Regia (quamuis difficillima videantur) admodum feliciter expediat. nullum enim tãtum, atque tam difficile munus eſt,quod animo maximo, & ſapienti,& acri,& cupiditate maximarum rerum vehementius inflammato, non facile, & expeditum ſit. Quod autem ita ſit, id cum ſumma voluptate fit. Præterea, hoc ſatis compertum eſt,omnes artifices, cum opus, quod in manibus habebant,abſolutum vident,non mediocri voluptate perfundi. Architectus enim, ædificio perfecto, mirifice delectatur; pictor,cum imaginem a ſe luculenter expreſſam, & coloribus decenter illuſtratam videt, miro etiã gaudio afficitur. Quid Poetas memorem? Quoties enim poema a ſe perfectum, & omnibus numeris abſolutum, animaduertunt,toties lætitia efferuntur,& geſtiunt. Ne autem plura recenſeam,hoc ſane conſtat,omnes artifices operibus ſuis ſummopere delectari. Acquieſcũt enim, & animis relaxantur. cum opus,in quod multum operæ,& ſtudij cõtulerant, ex animi ſententia perfectum animaduertunt;& illud,quaſi ingenij ſui partum minime pœnitendũ incredibiliter amant. Eſt autem rationi conſentaneum,vt,quo ars præſtantior eſt,& opus illuſtrius, eo plenior voluptas operis illius perfectionem conſequatur. Ars vero in vita nulla Regis arte præſtantior eſt;opus nullum eſt,vel ad ſpeciem,& pulchritudinem elegantius,vel ad vſum totius humanæ vitæ ſalutarius. ex quo efficitur,nullam eſſe voluptatem cum ea, quam Reges optimi ex operis ſui cõſideratione percipiũt, vlla ratione cõferendam. Quid enim poteſt eſſe præſtantius,quam vnius hominis arte, atque ſapiẽtia,& moderatione Remp. vniuerſam opibus affluere,virtute firmari,moribus ornari, iure deuinciri,beneuolentia coniungi, atque fieri denique florentis,atque beatæ vitæ participem? Sic igitur fit, vt quemadmodum nihil eſt tyrãno miſerius; ſic nihil ſit in vita Rege beatius. Illum enim aſsidue inſectantur,& exagitant Furię;hunc honeſtatis iucunditas, & recte factorum conſcientia omni ſollicitudine liberat. Illum omnes mortales oderunt, & exſecrantur,& nomẽ illius ex omni memoria euulſum cupiunt; huius omnes virtutem admirantur,bonitatem diligunt,memoriam perpetuo voluntate gratiſsima proſequũtur. Ille,cum Deum iratum habeat, nuſquam poteſt ſine ſollicitudine,& metu,& trepidatione conſiſtere;at hic noſter,in ſummo etiam rerũ diſcrimine, atque orbis terrarum perturbatione,Diuino præſidio firmatus, virtutem, & conſtantiam retinet. Confidit enim,ſibi cæleſte auxilium minime defuturum. Vt igitur tyrannus in epulis etiam,atque delicijs, & voluptatibus, angore conſcientiæ, & maleficiorũ pœna conficitur;ita Rex, in omniũ etiam rerum deflagratione, bonitatis ſuæ recordatione, Diuinoq. præſidio nixus, ad firmiſsimam ſpem ſalutis,& dignitatis erigitur. Atque, vt tyrannus eſt ſui ipſius hoſtis acerbus, de ſceleribus ſuis,cura, ſollicitudine, metu, trepidatione,cruciatu,aſsiduas pœnas repetens; ita Rex ſe,ſtatumq. animi ſui opibus ſummis auget,omnibus præſidijs,& ornamentis amplificat. Quod ſi quiſquam eſt, qui putet, negotia infinita,quibus Rex ipſe diſtinetur, animum illius ab omni incunditate retrahere, & magnitudine moleſtiarum,& curarũ vi, & acerbitate,conficere;is primum ignorat,voluptatem (vt dictum eſt) non in otio,ſed in actione conſiſtere. deinde, ne illud quidem cogitat, quo ſtudium, & labor aliquis magis honeſtatem attingit, eo iucundiorem vitam efficere. Hoc vt ſignificet Homerus,narrat, Achillem eo tempore, quo, propter Agamemnonis offenſionẽ,pugnare nolebat, & afflictatum fuiſſe animo,& cupiditate certaminis propemodum intabuiſſe. Quamuis enim canẽdi,& pulſandi peritus eſſet, & Veneris delicijs affluęret, harum rerum omnium faſtidio grauiter offenſus,armorum fremitum,& cædes,& vulnera, & terram ſanguine imbutam cernere, hoſtiumq. ſtragem edere cupiebat. Maiorem

namque

namque voluptatem in laboribus, & periculis,& in totius corporis defatigatione, quam in iocis,atque blanditijs,& Veneris feſtiuitate collocabat. Veneris enim voluptates flagitio finitimas eſſe ſtatuebat; belli vero labores,atque pericula,honeſtatem,& decus afferre; quo nihil dulcius eſſe iudicabat. Omnia namque,ſi Homero credimus,ad honeſtatem & ad nominis immortalitatem referebat. Vt autem fabulas omittamus,Philippus, Macedoniæ Rex,Alexandri Magni pater,quamuis oculum effoſſum,humerum confractum, corpus vulneribus conciſum haberet; nihil tamẽ de bellandi ſtudio remittebat;immo,quo magis erat laboribus attritus, eo ardentius omnia ſuperandi cupiditate flagrabat. Quid de filio eius dicam? qui nullis laboribus, aut vulneribus, aut periculis impediri potuit, quo minus orbem terrarum inuictis armis peragraret;&,ab vltima Græcia, quæ eſt ad occaſum ſita,profectus, Orientis imperium Gange fluuio definiret. Non labores immenſos, quos Pyrrhus,quos Hãnibal,quos innumerabiles Imperatores,vel Romani,vel Græci,vel barbari,nõ patienter tantum, ſed vltro etiã, atque libenter exceperunt, oratione complector. Milites ipſi bellicos labores inuicto animo perferũt,in gladios irruunt,&,morte poſita, quoduis magnum facinus aggrediuntur. Vidimus ipſi nuper, non duces tantũ noſtros,ſed milites etiam Mazagano redeũtes, Maurorum ambuſtos incendio. Vt enim Mauritaniæ Regẽ potentiſsimum, qui Mazaganũ obſidebat, ab vrbis noſtræ mœnibus virtute repellerent; neque flãmis, neque vulneribus, nec hoſtium impetu,& multitudine, qui acie inſtructa in muris ipſis,ad quos iã eua ſerant, acerrime dimicabãt,ab vrbis propugnatione deterreri potuerũt. Immo cum magna hoſtiũ ſtrage,& inſigni tyranni ipſius ignominia, vrbem tutati ſunt. Vt autem de illis,qui ibi ſtrenue dimicantes occubuerunt,ſileamus, alios videmus,fractis cruribus,vix baculis innixos ingredi;alios manibus captos eſſe;aliorũ aduerſas cicatrices adſpicimus; plurimos incẽdio deformatos intuemur. Quid igitur? nũ fieri poteſt, vt quiſquã naturę ſenſum repudiet? voluptatem aſpernetur? dolorem cõtemnat? mortem,& cruciatum oppetat? nullo modo: ſed laudis dulcedo tantam vim habet,vt cupiditatẽ corporeæ voluptatis exſtinguat; & laborem,atque dolorem,quo corpus ipſum cruciatur, facillime ipſius honeſtatis ſuauitate compenſet. Non igitur voluptas contemnitur; ſed vnum genus leuioris voluptatis pondere, & magnitudine alterius præſtantioris voluptatis obruitur. Id vero in magnis,& ſplẽdidis animis apparet facillime. Qui enim nihil altũ,& generoſum ſapit,omniaq. vitæ ſtudia, inſtar pecudis, ad corporis oblectamentum reſert,cum ſit mentis oculis orbatus,neque naturam ſuam reſpiciat; mirandum non eſt,ſi non dulcedine dignitatis, ad labores libentiſsime ſuſtinendos,allicitur. Eſt enim in brutorum animantium loco numerãdus. At, qui vere homo eſt, ſeq. ad dignitatem eſſe natum intelligit, nihilq. honeſtate præclarius eſſe videt; non ſolum labores honeſtos appetit,& corporis etiam voluptatem contemnit; ſed vitam,cum opus eſt,libentiſsime,dignitatis gratia,profundit. Et tamen iſti omnes ferme,ſiue duces,ſiue milites, ſapientes minime ſunt. Indignitatis igitur iudicio plerumque labuntur;neque veram honeſtatem, ſed imaginem honeſtatis amplexantur; tantoq. ſtudio illam arripiunt, vt ab illius coniunctione diuelli non poſsint. Si igitur adumbrata dignitas tantum valet ad animos magnos amore, & cupiditate ſui acriter inflammandos; quid tandem veriſsimæ dignitatis forma,atque Diuinus quidam ſplendor efficiet? &, ſi laudis imago tantam voluptatem efficit, vt animos illius ſuauitate delenitos ab omni ſẽ ſu doloris auertat;quanta tandem voluptate perfuſos fore putabimus,qui veriſsimũ ipſius honeſtatis decus fuerint amplexati? Omnes igitur labores nõ modo leues, & tolerabiles, ſed ſuaues, atque iucundos eſſe iudicabunt; negotia infinita dignitatis gratia libentiſsime ſuſtinebunt; dolores etiam ingentes cũ iucunditate perferent;mortem etiam facillime conrẽnent,dũ modo ea ratione immortalitatẽ conſequantur. Præclare quidẽ Ariſtoteles beatam vitam nõ in otio,ſed in perpetua virtutis perfectæ functione,& actione conſtituit. Is enim,qui, veræ dignitatis amore, labores ingentes ſuſcipit, is eſt, qui omnibus veriſsimis bonis affluit. Vnde ſequitur,Regem,ſi fuerit ſapiens,& dignitatem veram clare perſpexerit,omniaq. vitæ officia in illam cõtulerit, fore beatiſsimum, veriſimiſq. voluptatibus in omni genere circumfluentẽ: non enim vm quam in ſe flagitium,& dedecus admittet; neque pro vera dignitate falſam imaginem dignitatis amplectetur. Sic autem, quo maiores in vita labores ſuſceperit, eo iucundius viuet, & maiore quodam gaudio cumulabitur. Sed ratio huius tanti muneris cum facilitate,atque ſuauitate gerendi,tota eſt in veriſimæ ſapientiæ ſtudio conſtituta. Ea namque, quæ ſit honeſtas veriſsima, clariſsime videt; & vltimum bonum,quo ſunt omnia vitæ conſilia referenda,perſpicit.; facillimeq. omnia ad illud fruendũ dirigit,atque moderatur. Princeps igitur Reip. qui ſapiens fuerit,Remp. facile temperabit,atque ad optatum finem perducet. Sic enim Rex ſapientiſsimus Solomon ipſam ſapientiam loquentem inducit: Meum eſt conſilium,& diſciplina;mea eſt prudentia, & fortitudo;per me Reges regnant; & legum conditores decernunt iuſtitiam; per me Principes imperant;& omnes, qui ius in terra dicunt,Remp. moderantur. Ex hoc Solomonis loco,& ex alijs quã plurimis,quos omitto,cõcludi

Universidad de Deusto
Biblioteca

eludi poteſt,omnem Reip.gerendę rationem, & facilitatem,in ſapientia ſumma conſiſtere. Sed,quo modo ſapientia paranda ſit, nõdum ſatis explicatum arbitror. Multa quidem ſuperius de artibus, & diſciplinis, quibus tamquam gradibus ad ſapientiã peruenitur, diſſeruimus;non tamen exacte,in quo ſapientia ipſa conſiſtit,explanauimus. Multi nãque mirabili ingenio,ſummaq. doctrina præditi ſue re;quos tamen ſapientes appellare non licet, eo,quod ſe flagitio,& ſcelere contaminarint. Nec enim ſapiẽs eſt, qui ſibi plurimum nocet; nocet autem ſibi plurimum,qui flagitijs coopertus eſt. Atque, vt iſti ſapientes habendi non ſunt; ita nec inſipientes appellandi, qui ſummis virtutibus ornati ſunt; & optimam viuendi rationem penitus exploratam habent; quamuis non ſint illis artibus, quas diximus,eruditi. Igitur, in quo fructus ſapientiæ conſiſtit, animaduertendum eſt. Hoc autem ſatis conſtat, omnia veriſsimæ ſapientiæ decreta ad beatum animi ſtatum conferri. Is igitur ſapiens eſt, cui animus eſt præclariſsime conſtitutus. recta porro animi conſtitutio, mentis, atque voluntatis conſenſione continetur. Eſt enim mens humana, Diuinæ mentis imago, in qua eſt Diuina lex, manu Dei ipſius inſcripta. Hæc autem lex, quam naturæ legem,quam ſempiternam,quam Diuinam appellamus,ab omni flagitio,turpitudine,temeritate deterret; & ad omne genus decoris,& honeſtatis, & optimam viuendi diſciplinam erudit; vſque adeo, vt in flagitioſis etiam hominibus, cum impuritatem ſuſcipiunt,vis ipſius inſitæ legis appareat. Reclamitat enim lex; & fœdum, atque flagitioſum eſſe teſtatur;& perniciem,quam turpitudo afferre ſolet,ſæpenumero portendit;&, poſt ſcelus admiſſum, ſceleris ipſius conſcientia animum exterret. Semper igitur mens, natura ſua,flagitij odio tenetur; ſed,libidinis immanitate victa, cupiditati flagitioſæ ſuccumbit. Videte, quid apud Plautum dicat adoleſcens flagitioſus,& perditus:Sciebam,vt eſſe me deceret: facere non quibam, miſer. Ita, vi Veneris victus, otio captus, in fraudem incidi. Oſtendit adoleſcens ille Plautinus, non eſſe ſe penitus orbatum mente, ſed non eſſe tantam vim in illius animo,vt poſsit a ſe peſtem auertere. Animum enim, vi libidinis excæcatum,in peſtem ante oculos poſitam ſponte ſua ruere. Quod ſi is,qui ſibi plurimũ voluntate ſua nocet,ſtultiſsimus eſt; illius certe ſumma ſtultitia eſt, qui contra mentis ſuæ iudicium,inſtigante libidine,peſtem ſibi,& exitiũ ſempiternum nefarie,atque flagitioſe machinatur. Si enim, qui corpora ſua morſibus ſuis lacerant, atque ferro vulnerant, furioſi exiſtimandi ſunt, quo modo ſanos appellabimus illos, qui animis ſuis (quod eſt multo grauius,atque deteſtabilius)mortiferum vulnus imponũt?Ergo,cum omnes,quorum effrenata voluntas a mentis iudicio diſcrepat,furioſi,& inſani ſint;illi certe, quorum voluntas cum mentis,& rationis iudicio conſentit, ſapientes exiſtimandi ſunt. Qui enim rectæ rationi paret,legi Diuinæ paret; & ita in errorem induci non poteſt. Eſt enim recta ratio, lex Diuina, in animis impreſſa, & inſculpta. Id igitur, quod refert Socrates apud Xenophontem de agricolis,& imperatoribus, etiã reliquis vitæ communis officijs accommodari poteſt. Dicit enim,nec agriculturæ ſtudiũ, nec artis imperatoriæ diſciplinam eſſe difficilem. totam enim vtriuſque officij laudem in eo poſitam eſſe,vt ſumma diligentia,& alacritate quiſque faciat id, quod facile cuinis in mentem venire poſſet.Quis enim agricola non intelligit, eſſe terram diligenter arandam,& iterandam,& ſubigendam; & ſemen, cum primum ſeminandi tempus aduenat, ſpargendum;& inutiles herbas, quæ frugibus officiunt, euellendas; & reliqua omnia, quibus ſegetes lætiores,& vberiores fiant,opportune conficienda? Nemo certe. Quid eſt igitur, quo bonus colonus malo præſtet? Induſtria profecto, atque diligentia. Bonus enim ea omnia diligenter exſequitur,quæ agriculturæ diſciplina præſcribit;malus autem,ignauia, atque deſidia corruptus, differt, atque procraſtinat,& interim tẽpus elabitur. Quid de imperatore dicendum?num obſcurum eſt, quanto ſit rectius ita rem gerere, quaſi hoſtes ſemper in conſpectu ſint, quam nihil aduerſum timere? hoſtium conſilia explorare, quam inſidijs opprimi? ordinem perpetuo conſeruare,quam ordinem,& diſciplinam negligere? Quid igitur inter bonum, & malum imperatorẽ intereſt? hoc certe,quod bonus, & ſapiens imperator,id,quod optimum factu eſſe nouit, ſumma diligentia perficit, neque rei bene gerendæ occaſionem effluere ſinit; malus autem, id, quod gerendum eſſe videt, vel,ignauia impeditus,in aliud tempus reſeruat,vel timore fractus,efficere non audet: ſic etiam in communi vita,quilibet,qui nõ prorſus mentis expers eſt,intelligit, quantum ſat eſt,quod ſit officium ſuum; officium tamẽ aut ignauia deſerit,aut ſcelere prodit,aut,aliqua nefaria cupiditate impeditus, omittit. Vnde colligitur,ſummam ſapientię in hoc poſitam eſſe; vt numquam voluntas rationis imperiũ recuſet, ſed, cum primum mens aliquid rectum, & honeſtum eſſe ſtatuerit, id protinus exſequatur. Vt enim temeritas eſt in mentis,atque voluntatis diſſidio conſtituta; ita conſequens eſt, vt ſapientia in harum duarum partium conſenſu, & fœdere conſtat; vt videlicet numquam voluntas velit, niſi quod mens expetendum eſſe iudicauerit; neque in conſilium libidinem, ſed rationem adhibeat. Cum igitur Regem volumus eſſe ſingulari, atque prope Diuina ſapientia preditum;hoc plane volumus, vt numquam illius voluntas

Ratio recta quid.

a recta ratione diſſideat.Nec enim ab eo Regnum ſapienter adminiſtrari poterit,qui Regnum animi ſui non habuerit ſapientiſsime conſtitutũ.Si enim ratio(cui eſt in animo Regnum attributum) non omnes animi partes ſibi dicto ſemper audientes habuerit; ſi non omnes labes,quæ illius ſtatum corrumpunt, oppreſſerit; ſi non immoderatam cupiditatẽ imperio conſtrinxerit; ſi denique ſe libidini in ſeruitutem addixerit; quo modo tandem imperium pro dignitate geret? Qui enim tur piter ſeruit, imperium cum dignitate tueri non poteſt. Nunc igitur, cum planum ſit, ſapientiam in conſenſu mentis, & voluntatis debere conſtitui, reſtat, vt videamus, quo modo id fieri poſsit. Non enim tam facile eſt, quam olim quidam homines acuti,& eruditi diſputabant,qui omnia in poteſtate hominis ponebant. Si enim ita eſſet,doctiſsimus quiſque fuiſſet omni virtute ornatiſsimus. ſed nõ ita eſt; immo conſtat, multos præclariſsimis artibus eruditos, fuiſſe multis flagitijs infames. Quin etiam illi, qui ſecum ſtatuunt,nihil eſſe virtute præclarius, & toto animo cupiunt in ſtudium ipſius honeſtatis incumbere,ab hoc tam præclaro conatu, ſæpenumero, indomitæ cupiditatis impetu, repelluntur. Quod quidem ſatis oſtendit, rectum ſtatum animi non hominis ſtudio,ſed Diuino beneficio, & munere contineri. Duo namque ſunt hominis munera: Vnum eſt, intelligere; alterum,agere. Alterutrum autem qui ſine ope Diuina fieri poſſe credit, ſtulte arrogans eſt, & Chriſtianæ pietatis ignarus. Primum enim,vt oculi, quamuis natura ſint vigentes,& acres,obſcura tamen nocte,aut dẽſa caligine circumfuſi,nõ poſſunt clare, quod eſt ante oculos, intueri; ita mens humana, Diuina luce deſtituta, quamuis aliquid quaſi per caliginem adſpiciat, non tamen ita clare cernit,vt non ſæpe offendat,& concidat,& erroribus infinitis implicetur. Tętra enim nox, & miſeranda caligo eſt Diuinæ lucis abſceſſus. Soli igitur illi acutiſsime vident,quorum acies Diuinæ mentis lumine ſplendent, Soliſque illius ſempiterni radijs illuſtrantur. Deinde,quamuis nihil adſpectum mentis impediret,tanta eſt imbecillitas in nobis, vt id, quod rectum,& honeſtum eſſe cernimus, tueri,& conſeruare diu minime queamus. Ratio namque infirma eſt;cupiditas autem,fera, & immanis.Itaque multis facibus,tamquam Furia quædã ſuccincta,& armata, vim intentat, & rationem machinis oppugnat, & inuitam etiam,atque repugnantem,de omni ſtatu cõuellit. Diuinis igitur armis,Diuinoq. præſidio,tanta vis mali propulſanda eſt,quãdo humanis viribus arceri nequit. Vtrũque igitur præſens Dei numen, & gratia facit; primum quidem, vt humanam mentem ſua luce compleat,qua multa, quæ erant antea craſsis occultata tenebris,clare perſpiciat; deinde, vt animum Diuino robore fulciat, atque confirmet; quo facillime cupiditatem profligare,& rationi obedire, poſsit. Tunc igitur demum eminebit ſuauiſsimus ille conſenſus,& conſpiratio mentis, atque rationis, quo nihil beatius in vita poteſt excogitari;eũ in nobis Diuinæ mentis ſplendor,& numen eluxerit.Nã, quid iuuat obedire rationi, cum ratio tenebris obſcuratur? quam vtilitatem affert rectum rationis imperium, cum voluntas illud, propter imbecillitatem, & cupiditatis impotentiam, ſequi non poteſt? Solus igitur Deus eſt huius veriſsimæ ſapientiæ magiſter,huius Diuini ſtatus conditor, atque moderator, & huius tantæ felicitatis effector.Vnde concluditur, omnem ſummæ ſapientiæ rationem in Dei cognitione,in ardentiſsimo pietatis ſtudio,in amore illo denique,quo mens pura, & caſta cum Diuina mente artiſsimo vinculo conſtringitur, collocandam eſſe. Cum igitur Regi hoc propoſitum ſit, vt non ſolum ipſe beatus ſit, ſed vniuerſam Remp. beatam efficiat, omniſq. beatæ vitæ ratio in vera ſapientia conſiſtat,quæ Dei clariſsima notitia, inflammatoq. pietatis ſtudio continetur; cõſequens profecto eſt, vt omnes Regis curæ, & cogitationes,& ſtudia in cultum religionis, atque ſanctitatis conferantur.Cælum igitur tota mente ſuſpiciat; opera Diuina contempletur; Diuinam mentem conſulat; Dei præſidium imploret; ſumma fide, & pietate numen illius veneretur; & intelligat, ſe non poſſe vllo modo Regnum ſapienter, & apte moderari, niſi ſe totum ad imitationem Regis illius ſummi, atque ſempiterni cõtulerit. Imitari vero illum non poterit, niſi ſæpenumero mentem in benignitatem illius intenderit; & ordinem, quo cuncta gubernat, inſpexerit; & de illius amplitudine, & æquitate aſsidue cogitauerit; neque ſolum precibus, & votis,ſed iuſtitiæ,atque pietatis ſtudio gratiam illius adeptus fuerit. Quamuis igitur ſit negotijs innumerabilibus oppreſſus, & curis diſtrictus; neceſſe tamen eſt, vt aliquod tempus ex ſummis occupationibus eripiat,quod, hominum turba liberatus, & in intimo ſacrario incluſus, in Dei iucundiſsimo colloquio, atque familiaritate conſumat. Immo tunc vel maxime,cum illum negotia vndique premunt, & infinita pericula circumuallant, conſilium, & opem a Deo flagitet. Si enim ſuperbum,& temerarium eſt,ſapientis hominis conſilium aſpernari; quid ſuperbius,& amentius eſſe poteſt, quam ſapientiſsimi illius parentis conſilium negligere? Et,ſi in rebus aduerſis Reges aliorum Regum auxiliũ implorãt;cur non multo magis ſummi illius, atque potentiſsimi Regis ope ſumma cõtentione,& ſtudio flagitabunt?Quid enim amentius, quã conſiliũ, & auxiliũ petere ab hominibus,quorum plerumque mẽtes tenebris oppletę ſunt, & qui fidem parum ſancte colunt, & quorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

opes sũt fragiles,& inanes,& interituræ;illius vero summi Domini,cuius sapientia,& fides, & potestas non modo stabilis,atque sempiterna est,sed etiam immensa,& infinita,consiliũ, & opem contemnere? Contemnit porro consilium,& opem illius,qui maiorem operam impetendo ab hominibus consilio, & in humano præsidio comparando, quã in Diuina mente consulenda, & in ope illius imploranda,ponendam arbitratur. Cum igitur humana ex Diuinis nexa sunt,iudicio Diuino plerumque fit, vt, qui Diuinam potissimum opem expetit,vtraque tandem ope muniatur;&; qui Diuina ope neglecta, prius auxilium humanum conquirit,vtroque nudetur,& infamiam sempiternam subeat.Hic igitur Rex noster, si nihil habuerit studio religionis, atque pietatis antiquius,numquam erit Diuina ope, & auxilio destitutus; & a Deo disciplinam hauriet, qua munus sibi assignatum sapienter obeat, & omnia negotia Regni cum summa felicitate conficiet.Primum enim mentẽ habebit puram, & nitidam, Diuinæq. lucis radijs incensam, & splendore Diuinæ sapientiæ mirabiliter illustratam; deinde animum magnum, & excelsum geret,inuicto robore,& Diuina constantia,& cælesti præsidio confirmatum; tum mentem in Diuina luce, atque moderatione defixam habebit; vt animo concipiat speciẽ, & exemplum,ad quod omnia consilia, & omnes actiones Regis dirigendæ sunt. Nam humanæ vitæ condicio est fluxa,& instabilis,varijsque mutationibus obiecta. Ideo igitur se vnius arbitrio committit,vt illius moderatione possit ex perturbatione in ordinem reduci;& a iactatione, & tempestate in quietũ, & tranquillum statum reuocari: quod fieri non potest,nisi,quo ad licet,& fas est, ad imaginẽ earum rerum,quę nullã mutationem habent, vnius rectoris consilio, & actione referantur. Vt igitur fieri possit, oportet Regem semper in res Diuinas, atque sempiternas inspicere, earumq. similitudinem rebus fidei suæ cõmissis accõmodare;&,quantum eniti studio poterit,efficere,vt in rebus humanis ordo Diuinæ moderationis eluceat. Aliter enim nũquam beatum statũ in regno suo cõstituet. Vt enim pictor egregius non potest formam aliquam ad similitudinem pulchritudinis excellentis exprimere;nisi species illa, quam imitari penicillo studet,penitus in mẽte illius insederit; ita neque Rex, qui volet in Regno suo formã cælestis decoris,atque dignitatis effingere,id præstare poterit, nisi prius fuerit speciem illius summi Domini,& ordinem, quo cælestia moderatur, mente, atque ratione cõplexus. Deinde incidunt sæpenumero res obscurę, & ancipites, quæ nullo modo possunt ingenijs humanis explicari, nisi fuerint Diuinis legibus, & institutis, erudita, & cælestis luminis splendore collustrata. Ea autem de causa præcipiebat in lege Dominus Regibus, vt legem describerent, vt in illorum memoria firmius inhæreret,atque eam perpetuo mente recolerent;vt ita, numinis metu, se ab omni flagitio continerent, & ita facilius luce Diuina fruerentur. IESV vero Mosis successori ait: Ne recedat volumen legis huius ab ore tuo; sed meditaberis in eo diebus, atque noctibus, vt custodias, & facias omnia, quæ scripta sunt in eo. Hæc quidem in eo loco præscribit Dominus, non illi tantum sanctissimo Principi, sed omnibus, qui rite officio fungi, & populum sapienter gubernare volunt, vt perpetuo in legis Diuinæ studium incumbant.Lex enim Domini (vt inquit Dauid) illustrat mentis aciem, & tenebras omnes discutit, & facit denique ne possit animus errore aliquo turbulento compleri, & a studio veritatis auocari. Qui igitur in assiduo studio legis Diuinæ versatur,& in Dei beneficentiam respicit;illius consilijs instruitur; &,quid in rebus difficillimis agendum sit, facillime videt.Si igitur Rex, repentino aliquo metu conturbatus, ab hominibus non minore formidine perculsis, & abiectis consilium petit,qui consilium dare non possunt;quo modo non multo magis a lege Diuina, atque adeo ab illa summa sapientia, quæ falli, & errare non potest, neque suorum preces, & vota repudiat, consilium postulabit? Præterea, vt iam sæpe diximus, regendi, & imperandi munus est Diuinum. Quis enim non videt Diuinum munus esse, profligare bellum, constituere pacem, dare salutem, excitare iacentes, sublenare afflictos, coercere improbitatem, tueri innocentiam, atque postremo lumen vniuersæ patriæ, iustitiæ, virtutis, probitatis ostendere? Si autem hæc omnia munera Diuina sunt,Diuina profecto sapientia ad ea administranda requiritur;Diuinam autem sapientiam nemo potest adipisci, nisi se totum Deo in disciplinam tradiderit, & se penitus in familiaritatem illius immerserit: inde fit, vt nemo eam sapientiam sibi parare possit, nisi fuerit vita purissimus, & sanctissimæ religioni deditissimus. Vt enim corpus tersum, & expolitum,cum radijs Solis opponitur, lucem Solis accipit, & ita micat, & vibrat, vt in illo Solem te intueri putes; sic animus castus, & integer, ad splendorem Diuinæ lucis adiunctus, lucem in se Diuinam recipit; & ita collucet,vt similitudinem splendoris Diuini in omnium oculis, & adspectu cõstituat.Cum igitur luce Diuina splendeat, clarissime, quid rectum, & simplex, quid elegans, atque decorum, quid commodum, & salutare sit, perspicit; & ita facillime omnia, quæ ad publicam salutem pertinent,absoluit; & vniuersam Remp. cũ summa felicitate moderatur:nec enim solũ videt, quo modo Respi regenda,& temperanda sit; verum etiam vires Diuinas adipiscitur, quibus omnia, quæ vtilissima fore, prospicit,exsequatur.Similitudo enim

do enim amorem conciliat,amor voluntates fœdere copulat, & rerum omnium communione, & societate conglutinat: ita vero fit, vt, qui Dei similitudinem vitæ puritate, & sapientiæ claritate refert,illi amore sanctissimo coniungatur, & ab illo virtute,atque robore Diuino firmetur; quo facillime omnia, quæ velit, quamuis sint nimis ardua, atque difficilia, cum facilitate perficiat. Quid igitur esse potest Principe casto, sancto, atque religioso beatius? hic enim est ille sapiens, quem Plato Reip. præfici cupiebat, sub quo Remp. fore beatissimam prædicabat. Cum enim Princeps, virtutibus Diuinis ornatus, opibus Diuinis instructus,studioq. Diuinitatis,& immortalitatis incensus, ad Remp. gubernandam accesserit, non homo, sed Deus ipse Remp.illam gubernabit. Deus enim, in pectore sancti Principis inclusus, eum mouebit,& incitabit, & de rebus gerendis erudiet, & linguam illius,& manum,& oculos,& mentem,numine suo moderabitur,& facile in studium publicæ salutis impellet. Præclare Salomõ:Sicut diuisiones, inquit,aquarum, ita cor Regis in manu Domini,quocumque voluerit, impellet illud. Nõ de tyranno loquitur,cuius mens a Deo semper auersa est; sed de Rege, qui se totum ad studium cælestis Regis adiungit.Vt igitur doceat,quam facile is, qui vere nomen Regis obtinet, munus suum obire possit,ostendit,illum in omnibus, quæ agit,numine Diuino moueri, & incitari. Vt enim, qui hortum propter aquarum fluenta colit, facillime aquam elicit, & sarculo deducit ad omnium olerum,& plantarum,& arborum radices irrigãdas; sic Deus cor optimi Principis, qui se numini illius cõsecrauit,mouet,agitat, & impellit,vt facillime virtus illius ad munera,quæ sunt illi obeũda,deriuetur; omnibusq. rebus,quę illius moderatione continentur,accurrat,atque prouideat;& totum Regnum vigilanter,atq. feliciter administret.Siue enim bellum parat,siue pacem constituit, siue malos exterminat, siue bonos amplectitur, siue improbitatem exstinguit,siue ad studium virtutis ciues incitat, siue leges, atque iura describit, siue legum transgressores punit, siue quidquam aliud gerat, semper Deum præsentem habebit;& ita omnia facillime,numine illius subnixus,expediet. Præterea, bonos studio sui mirabiliter inflãmabit, vt iussis illius sponte,& alacriter obediant:pigris autem, & ignauis,exemplo virtutis suæ,stimulos admouebit;homines autem profligatos, atque perditos, qui tam præclarum opus impedire conantur,de medio tollet. Vt enim diligẽs agricola,ne segetes intereant,herbas noxias frugibus euellit; sic Rex sanctus, & pius scelera radicitus extrahit, ne virtutis frugibus officiant. Nec enim ibi multum potest iustitiæ seges exsurgere,vbi iniquitatis, & iniuriæ silua dominatur.Non solum igitur Diuino auxilio corroboratus,verum etiam bonorumciuium præsidio munitus,facillime munus,quod tam difficile videtur,efficiet. Multi enim illum adiuuabunt; &,qui impedire voluerint,vel interimentur,vel saltẽ metu coercebuntur.Amor præterea ciues incitabit,vt, cum summa etiã voluptate,quidquid ille iusserit,exsequantur. Si enim virtus,in quocũque illa perspecta fuerit,amorem conciliat;multo certe magis, cũ in Rege fuerit animaduersa,hominum voluntates commouebit;studioq. illius multo vehementius inflammabit. Si enim mediocris in Rege virtus hominum ad se studia, atque voluntates mirabiliter allicit;quid tandem summa illius virtus,& excellens in patriam caritas efficiet.Erit enim hic noster Rex, iucundus bonis,infestus improbis,perfugium miseris,alleuamentum oppressis, inuictum præsidium hominibus omnium ope destitutis.Nec enim solum est legum custos,publici iuris vindex,communis salutis auctor:sed etiam pupillorum tutor,viduarum patronus, & omnium denique,qui,propter inopiam,potentium in iurijs nimis obiecti sunt,acerrimus defensor, atque conseruator.Semper enim tuetur innocentiam,retundit improbitatem,subsidio occurrit imbecillitati, & prædam e tyrannorũ faucibus extorquet. Opes,quas congerit, nõ sibi, sed patriæ congerit, eaque libentissime cũ fortibus, & spectatis hominibus, qui Rẽp. virtute,& industria tuentur, munifice, atque large communicat. Quod vt rectius facere queat, erit in priuato sumptu continens, in publico liberalis, domi frugalitatis laudem quæret; in laborum vero ornamentis, in publicis mœnibus, in ciuitatum propugnaculis, in Regni denique totius patrocinio virtutis, & magnificentiæ nomen immortale consequetur. Ita demum vitam instituet, vt non se sibi, sed patriæ natum existimet. Numquam enim in Regno administrando de commodis suis, semper autem de patriæ salute cogitat; vsque adeo,vt, dum patria tranquilla pace, & honesto otio frui valeat, ipse labores ingentes libentissime toleret; &, vt salutem Reip. tueatur, sponte vitam in summum discrimen salutis inducat. Qui potest igitur fieri,vt, si Rex tam Diuinis virtutibus ornatus fuerit,& si illius tanta merita, & beneficia in Remp. vniuersam constiterint, non ab omnibus eximie diligatur, & non vniuersi ciues pro illius dignitate vitam in summum discrimen inijciant; & sint in obsequio illius summa fide, & alacritate consentientes? Quod igitur Tyranni neque viribus, neque potentia, neque minis, neque supplicijs obtinere possunt,id Reges virtute,& pietate,& lenitate, & beneficentia facillime consequuntur. Quod si vera voluptas est comes honestatis, si summæ sapientiæ partus, si opera summo, & excellenti opere perfecta consequitur; quæ tandem voluptas erit Regis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum se viderit tantis in omni genere virtutis ornamentis excultum,& tam Diuinis opibus a Deo summo,quē vita,& imperio, & præclarissimis institutis imitatur, egregie cumulatum?& cum opus,quod suscepit, Diuino quodam artificio perfectum,& absolutum adspexerit,in quanta tandem lætitia, & voluptate versabitur?quanta,& quam incredibili iucunditate perfruetur?quantum denique fructum ex virtute,& sapiētia sua percipiet. Hinc plane liquet,quam falsum sit id, quod antiqui Sophistæ disputabant: Iustitiam nempe esse bonum alienum,malum verò proprium;eo quod iusti bona sua potius interire sinant, quam fidem violent,aut aliorum bona suæ fidei commissa dilabi, atque dissipari patiantur. Non intelligebant homines amentes, & perditi, quæ sit verorum bonorum, atque malorum ratio; & iccirco in tam falsas, & inanes sententias incidebant. Vt enim nemo potest alicui iniuriam facere, quin longe sibi peius no ceat, quam illi,cui iniuriam intulit; alterius enim corpus lædit; aut fortunas imminuit; animi autem sui statum conuellit, fœdissimumque suæ menti vulnus infligit; ita nemo potest alteri opē afferre,quin sibi ipsi maius emolumentum,& vtilitatem paret,quam illi,quem iuuit,attulerat. Opibus tuis aliorū inopiam sustentas; opes ipse tibi stabiles, atque sempiternas in animo recondis. Auxilio, & consilio, & gratia aliquem bonum virum iuuas; ipse Diuina ope, & auxilio firmaris, Vitam aliorum tuendam suscipis; & ea ratione vitam immortalem consequeris. Aliorum famæ,& honestati consulis;& ipse tibi eo officio laudem,& honestatem summam cōcilias. Denique,quidquid est illud, quod ad aliorum vtilitatem confers,id cum multiplicato fenore recipis; & virtutis ipsius fructu cum gaudio ingenti cumularis. Quo autem virtus amplior est,& illius vtilitas ad plures emanat,eo sunt animi opes ampliores, & lætitia maior, & status ipsius animi clarior, & magnificentior. Cum vero nulla humana virtus virtute Regia clarior sit,nec quę ad plures pertineat; reliquum est, vt nemo sit in Rep. bene constituta,atque beata,ipso Rege,qui Remp.beatā efficit,felicior, atque beatior. Insumit quidē ille in publicam vtilitatem aurum, & argentum,& opibus interim Diuinis augetur;vigilat,vt subditi secure dormire possint;ex ea autem vigilantia fructum eximiæ securitatis,atque summæ voluptatis assequitur;multos quidem labores excipit, sed animi interim summa quiete, & tranquillitate perfruitur; multis se periculis exponit, sed ita, vt clarior, & amplior,& amabilior ea virtute fiat; vitā breuem,& exiguā pro patriæ salute in discrimen adducit, sed ea ratione nominis immortalitatem,& vitam sempiternam adipiscitur;ætatem in Rep. summa animi contentione, & studio tuenda consumit, sed ætatis, & sapientiæ fuę fructum amplissimum percipit,cum Rēp. a se opulentam, fortem, & liberam, & moderatam, atque omnibus opibus amplificatam cōsiderat. Nec enim dicet idem quod Cæsar olim Octauianus de Romana dicebat, Inueni latericiam, relinquo marmoream. Sed, quid dicet? Inueni Remp. exhaustam; relinquo opibus affluentem; inueni fragilem, & imbecillam, relinquo virtute munitam; inueni flagitijs infamem, relinquo moribus egregie constitutam; inueni dissidentem,relinquo mutua ciuium inter cives caritate de uinctam; inueni temerariam, & insanam, relinquo sapientiæ disciplinis excultam; inueni denique, vt vno verbo dicam, miseram, & relinquo beatam. Quid, cum viderit,hoc tantum, atque tam præclarum opus esse operi illi simillimum, quod a summo cæli rectore perfectum,omnibusq. suis numeris, & partibus absolutum mente complectitur? Vt enim ille cælum, terras, maria, omnesq. naturas forma dissimiles,vi repugnantes, motu contrarias,vna eademq. perpetua lege moderatur,atque cōnectit; ita,vt ex omnibus partibus,aptissima ratione,& numero colligatis, vnum mundum specie pulcherrimum, & stabilitate firmissimum, quem a principio finxit,eodem imperio,& ratione conseruet; ita Rex e diuersis hominum naturis,& studijs dissimilibus,atque cōtrarijs, singulari modo, & ratione ad vnum finem reductis, & inter se fœdere,& societate deuinctis,vnā Remp. efficit, gloria, & honestate clarissimam, & viribus,atque virtute munitissimam. Et,quemadmodum Rex ille summus, atque Pater optimus,nō sibi;nec enim opibus vllis indigebat, illa natura præcellens,atque beatissima, sed nobis mundū ædificauit,eundemq. ad nostros vsus rerum omnium copia,& vbertate cōpleuit;ita Rex hic noster non suis commodis seruiet,sed omnes opes suas ad Reip. vtilitatem conferet,&, propriæ vtilitatis oblitus, operā dabit,vt Resp.omnibus bonis, quæ vel ad corporis victum,& cultū, vel ad animi præsidiū, & ornatum fuerint necessaria, redundet. Postremo, quemadmodum rerum omnium parens,& conditor in operibus a se perfectis acquieuit,& illis, quemadmodum Sanctæ litterę loquuntur,oblectatus est;ita Rex hic,Rep. a se egregie moderata, atque constituta,animo conquiescit, & eximia quadam iucunditate perfunditur. Nec enim hic noster Reip. conditor vllis viribus impediri poterit, quominus institutum sapienter opus feliciter absoluat. Cū enim sit sapientia prouidens,æquitate rectus,virtute inuictus, frugalitate moderatus,religione sanctus,atque ita(ne plura dicā) ipsi Deo similitudine vitæ cōiunctus,vt nec ab illius cōiūctione distrahi,nec illiusopedestitui possit;omnia profecto, quæ ad Reip. salutem pertinebunt,facile,atque felicitēr exsequetur; & ita ingenti gaudio cumulabitur.

Non

Non igitur negotium est tantis difficultatibus obstrusum,quātis multi suspicantur:adsit modo virtus, institutio, disciplina, quam sumus oratione complexi; pietas in patriā,& fides,& religionis studium, & reliqua amplissima dignitatis ornamenta, atque præsidia Regis animum exornent, atque robore Diuino communiant; nihil erit tam arduum, atque difficile,quod non(vt sępe iam dixi)facillime, & felicissime transigatur. Quid hic dicā,quāta voluptas illa sit, quam assidue percipit ex Dei familiaritate,& consuetudine?quam suaui colloquio spiritus Diuini perfruatur?quantis Diuinæ mentis viribus ad studium Diuinitatis incitetur?quanta spe nixus,ad hereditatem Regni sempiterni, atque cælestis adspiret? Quam magna (inquit Rex ille sanctissimus)multitudo dulcedinis tuæ,Domine, quā reseruasti diligentibus te?Alibi vero ait: Omnes,qui ad Deum accedunt, torrente sempiternæ lætitiæ compleri, & gaudijs sempiternis inebriari. Et,ne plurib.verbis in explicatione rei illius vtamur,quæ nullius verbis explicari potest;hoc sane constat,nihil esse, quod purā, & liquidam, & constantem, atque summam voluptatem efficiat,præter sapientiam, & verissimam dignitatem; quæ, cum tanto clarius elucere debeat in Regibus, quam in ceteris hominibus, quanto amplior, & magnificentior est gradus, in quo locati sunt; consequens est, vt illorum voluptas sit plenior, & constantior,& spe etiam illius summi, & altissimi loci, qui designatus est omnibus Regibus,qui pietatem coluerint, & plurimum operæ,& studij in publicam salutem contulerint, augeatur, mirisq. in dies accessionibus amplificetur. Sed de Regno illo cælesti nihil dicere possumus; cum nemo illius opes ingenio, & cogitatione complecti valeat,ad quas æuo sempiterno perfruendas aliquando tandem Christi gratia, & beneficio,peruehamur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIERONYMI OSORII LVSITANI DE REBVS EMANVELIS REGIS LVSITANIAE INVICTISSIMI VIRTVTE ET AVSPICIO GESTIS LIBER PRIMVS.

CLARISS. ET. SANCTISS. PRINCIPI
HENRICO. S. R. E. CARD
HIERONYMVS. OSORIVS
LVSITANVS
S. D.

ET SI ea mente sum, vt vix quidquam arbitrer esse historia vel ad prudentiam comparandam vtilius, vel ad virtutem excitandã vehementius, vel ad sananda Reip. vulnera salutarius, vel ad oblectamentum vitæ iucundius; & ab amicis meis sæpius admonerer, vt res nostrorum hominum litteris Latinis illustrarem; ab eo tamen studio vehementer abhorrebam. Nam, cum alia multa me ab eo deducerent, tum duo præcipue deterrebant. Vnum erat, fidei faciendæ difficultas; alterum, offensionis concitandæ periculum. Si enim fidem non facerem, erat mihi vanitatis infamia subeunda; si vero quorundam ambitioni minime satisfacerẽ, odiũ in me acerbum, & immane concitandum. At, vt est captus hominum, id plerumque euenire cernimus, vt tantum quisque credat, quantum se viribus, aut ingenio præstare posse cõfidit; quidquid vero communem vsitatæ virtutis, & industriæ modum superat, id nullo modo prorsus admittit. Contra vero, qui nullum modum ambitioni statuunt, ægerrime patiuntur, si eorum gentiles minime fuerint immodicis laudibus illustrati. Quod cũ apud alias nationes fieri solitum sit, tum apud Lusitanos tantam plerumque offensionem historiæ scribendæ munus affert, vt omnium tela in eum, qui tantum facinus audet, adhæresçant. Id quidem nõ ita pridem satis experti sumus in historia, qua Damianus Goesius res, virtute, & auspicio, & incredibili felicitate Emmanuelis, Regis inuictissimi, Patris tui, gestas patrio sermone complexus est. Res, inquit ille, maiorũ meorũ non perinde, atque illorũ merita postulabãt, exornauit. Alius vero, labem generi nostro, & antiquo splẽdori nobilitatis adsperfit. Alius postremo, hoc, aut illud, quod erat ad laudem nostri nominis insigne, prætermisit. Quod si hominis prudentis est, alienis periculis admoneri, hoc vno certe exemplo potuissem ancipitem scribendi cuentum perhorresçere. Aliud etiam incommodum accedebat, quod eram ipse, vt officium meum me facere admonebat, rebus Diuinis pro mea parte tractandis, & explicandis intentus: neque cõuenire arbitrabar, vt, à cælo deductus, terras nimis intuerer, hoc est, vt Diuina, dum res humanas illustrare conor, intermitterẽ. Sed, quo plura me impediebant, ne scribendæ historiæ munus attingerem, eo clarius cerni poterit animus meus, studio ardẽtissimo tui nominis, & amplitudinis inflammatus. Nam, cum tu me per litteras, non quidem imperio cogeres,

Universidad de Deusto
Biblioteca

cogeres, (quod facere pro iure tuo potuisses) sed, quæ tua excellens, atque plane Diuina benignitas est, amice rogares, & moneres, vt Regis patris tui historiam scriberem, illiusq. nomen apud exteras nationes Latinis litteris ab obliuione vindicarem; me continere non potui, quin id munus continuo susciperem. Vt autem id facerem, multa me simul inuitabant. Primum enim, voluntatem tuam nullo modo poteram sine crimine impietatis asperнari. Deinde, indignissimum arbitrabar, Emmanuelis nomen apud Lusitanos tantum, & nō per omnes Reip. Christianæ nationes, cū omnium admiratione vagari. Tum, etiam id mihi acres stimulos admouebat, quod in hoc opere non tam res humanas, quam Diuinas, explicādas suscipiebam. Vt enim Emmanuel Diuino consilio ad Regiam amplitudinē euectus fuit, ita, quæ designauit, quæ molitus est, quæ imperio illius gesta sunt, ad Dei benignitatem referenda sunt; multæq. res admirabiles, præsentis numinis viribus administratæ, ita, vt ei, qui fidem illis habere noluerit, perfidiæ, & impietatis suspicio recipienda sit. Vt autem id facilius exsequi possem, Damianus Goes præstitit. Is enim, magno labore, vigilantia, & industria, ea ex quamplurimis epistolis, & commentarijs eruit, & monumentis suis memoriæ commendauit, quæ ego minime potuissem sine summo otio perscrutari, Multa etiam ex aliorum scriptis, & sermonibus accepta memoria continebam, quæ mini me silentio prætereunda iudicaui. Sed, quia in his libris nostros homines, aliquando Lusitanos, aliquando vero Portugalenses appellare solemus, huius varietatis breuiter reddenda ratio est. Portugaliæ nomen, vt Andreas Resendius, vir doctissimus, aperte demōstrat a portu Cale (sic enim appellabatur olim opidum ignobile, quod Durio flumini imminebat) ductum fuit. Cale namque erat in colle situm. Portus autem piscationis gratia frequētari cœpit. Eam vero commoditatem hominum multitudo secuta, vndiq. confluxit, vsque eo, dum ciuitas opulentissima fieret, quæ Portugalia deinde nominari cœpit. Inde vero totū Regnū nomē obtinuit. Cōtinet aūt Portugaliæ Regnum non exiguam, vt Paulus Iouius parum considerate dixit, antiquæ Lusitaniæ partem, sed valde magnam. Pars enim Lusitaniæ, quæ ad Regnum Portugaliæ pertinet, & fluuijs Ana, atque Durio continetur, plus trecentis & viginti passuum millibus in longitudinem patet. Adijcitur deinde Callæcia Bracarensis a Septemtrione, quæ Durio, & Minio definitur. Ad ortum vero Solis sunt aliquot etiam ciuitates trans Anam, quæ Portugaliæ Regno continentur, ita, vt sit non minus e Callæcia, & Bætica, Portugaliæ finibus adiectum, quam ex antiqua Lusitania detractum. Quod si Portugaliæ nomen ex vno opido fuit temporis progressu in totum Regnum deriuatum; simili ratione consentaneū fuit, vt ex tam magna Lusitaniæ parte, Lusitaniæ nomē in totum Regnum duceretur. Quo minus igitur vtroque nomine vtamur, interdictum nobis minime puto. Sed hoc non magni refert. Illud, quod est præsentis operis, hortor, & admoneo omnes, qui hos libros euoluerint, vt animis secum reputēt, quam variæ res, & vehementer admirandæ sint a nostris hominibus intra sex & viginti annos (tot enim, aut paullo plus, hæc historia continet) effectæ; quæ maria, quæ litora, quæ regiones exploratæ; quæ bella contra Reges potentissimos iniucta virtute gesta; qui terrores neglecti, & contempti; vt intelligant, non esse tātarum rerum laudem hominibus, sed Deo, qui præsentiam suam nostris sæpenumero declarabat, summa ratione tribuendam. Quod tum multo clarius apparebat, cum interdum sic euenirebat, vt ipsi Lusitani, sibi nimium præfidentes, ab hostibus eisdem vincerentur; vt intelligerent, inanes, & irritos hominum conatus fore, qui non fuerint cælesti præsidio suffulti. Vt autem hinc, sic enim ordo rerum flagitat, exordium capiamus:

Pauli Iouij error.

Ioannis, Lusitaniæ Regis, morbus, & mors.

IOANNES, hoc nomine secundus, Portugaliæ Rex, cum lento, atque diuturno morbo langueſceret, contulit se in extremam Lusitaniæ partem, ad Austrum pertinentem, Oceano ex ea parte definitam, quam nunc Algarbium appellant, vt aquis calidis admodum salubribus morbum depelleret. Erumpunt autē aquæ illæ in conualle, non amplius sex aut septem miliarijs a mari disiuncta, e silice; & reliquis balneis, quæ sunt in Lusitania, summo omnium consensu, præferuntur. Eo tamen remedio frustra tentato, factum est, vt morbus in dies ingraueſceret. Nec abfuit suspicio, Ioannem lento veneno, quod imprudens hauserat, paullatim intabuisse. Itaque, cum mortem appropinquare sentiret, in Algarbij opido, quod Aluor appellant, & multi Portum Hannibalis esse putant, testamētum fecit, quo Emmanuelem, qui illi frater patruelis erat, heredem instituit: ad quem Regnum, quāuis Ioannes intestatus obijsset, erat iure peruenturum. Erat enim Emmanuel Fernandi filius. Fernandus vero erat Germanus frater Regis Alfonsi, cuius Alfonsi Ioannes filius exstitit. Cum igitur Ioannes nullum filium ex vxore legitima susceptū haberet, (Alfonsus namque, vnicus illius, ex vxore Leonora, filius, in adolescentiæ flore, Scalabi, quæ ciuitas nunc appellatur Sanctarena, ex equo incitato proiectus, mortem obierat) necesse erat, vt Emmanuel Regni hereditatem cerneret. Georgius namque, Ioannis filius, propterea quod nothus esset, quamuis illius mater fuisset valde nobilis, legibus, & institutis Regni, heres esse non poterat. Hoc tamen, quod erat Emmanueli iure debitum, fuit summa Ioannis ipsius voluntate comprobatum. Emmanuelem

Scalabis, ciuitas, nunc Sanctarena.

lem enim, non tam propter sanguinis propinquitatem, quam propter Regiæ virtutis indolem, quam in illo cernebat, egregie carum habebat; & quibuscumque poterat ornamentis, illius dignitatem amplificabat. Accedebat, quod vxor illius Leonora, singulari virtute, pietate, atque religione femina, Emmanuelis soror erat, fratremq. amore singulari prosequebatur. Testamento facto, & sacris omnibus, quæ ad animum expiandum pertinebāt, rite procuratis, ita excesit e corpore Ioannes, vt, in illa extrema vitæ perfunctione, insitæ virtutis, & pietatis insignem significationem daret. Fuit enim vir ille clarus, & excelsus, infestus improbis, bonis propitius, iustitiæ cupidus, & in omni genere virtutis admirandus. Erat præterea acer, & strenuus; & in re militari non pauca dederat egregiæ fortitudinis, & industriæ documenta. Tantaq. erat illius animi magnitudo, vt, quamuis corpore in patria consisteret, mente tamen orbem terrarum peragraret; multaq. animo frequenter agitaret; eaq. moliretur, quæ, si non fuisset immatura morte sublatus, nomen illius clarissimū reddere potuissent. Fortes viros amabat, vsque adeo, vt quidam reliquas vitæ maculas nomine virtutis militaris eluerēt. Ignauos autem, atque desides ita contemnebat, vt homines non duceret. Perfecit autem, vt, qui magnis opibus insolentius efferebātur, illius in vindicando seueritatem pertimescerent; &, qui propter humilitatem obnoxij erant iniuriæ, præsidio illius vitam secure traducerent. Attulit ille quidem multis viris nobilibus necem, & Principes etiam sibi coniūctos interfecit, quos animaduertebat aut parum obsequentes esse, aut perniciem in illum machinari: sed, id nisi fecisset, neque Regiam dignitatem tueri, neque vitam conseruare potuisset. Valebat multum ingenio; plurimaq. ab illo argutissime dicta referuntur, ex quibus intelligitur, quantum illius acumen exstiterit. In Regum consilijs, de quorum fide dubitabat, explorandis, erat mira quadam sagacitate præditus; multosq. viros primarios multis in locis beneficijs sibi arctissime deuinctos habebat, per quos omnia, quæ Reges in illum moliebantur, multo ante, quam ei nocere possent, cognoscebat, vt eorum consilijs obsisteret. Populi non tam illum, vt Regem, verebantur, quam, vt parentem, amabant. Eorū enim commodis animo patrio consulebat. Hæc autem illius sententia merito laudari solet, cum diceret, sibi nō tam propositum esse, vt operis hominum ad aurum quærendum abuteretur, quam vt aurum quæreret, vt opibus suis hominum inopiam subleuaret. Cum accepisset, esse volucrem, quæ rostro pectus dilacerat, vt pullos serpentum morsibus exanimatos sanguine suo profuso in vitam reuocet, eiusdem volucris imaginem suis insignibus adiungendam curauit, vt ostenderet, se esse paratum pro suorum salute sanguinem suum profundere. Ex omnibus tamen virtutibus, quibus illum præditum fuisse cōmemorant, nulla fuit admirabilior singulari quodā pietatis, & religionis studio, quo mirifice flagrabat. Numquam enim eum neque turbulenta negotia, neque coniurationes contra illum factæ, neque malorum omnium tempestates a rebus Diuinis summa cum religione procurandis abstraxerunt. Is denique Princeps fuit, vt merito videatur illius nomē sempiterna memoria celebrandum. Illo mortuo, fuit summa cum celeritate ad Emmanuelē nuntius allatus: quem cum tam multis lacrymis accepit, vt satis appareret, eum non tam Regni hereditate lætari, quam ex morte Principis optimi, & sibi coniunctissimi, dolorem excipere. Erat autem Emmanuel eo tempore annos natus sex & viginti, & Salatiæ se continebat, in quo tunc opido Regina Leonora, soror illius, atque Ioannis vxor, morabatur. Ibi igitur, more, & instituto maiorum, fuit Emmanuel, Rex, sollemni ritu, omnium consensione, declaratus. Quod quidem munus sibi non segniter obeundum existimauit. Erat enim & ingenio, & studio, & disciplina vigilantissimus. Itaque, cum multa confestim Regno salutaria instituisset, tum nihil sibi maiore cura faciendum arbitratus est, quam vt omniū ordinum conuentum ageret. Salatia igitur discedens, Montem maiorem profectus est, quæ ciuitas est in colle edito sita trans Tagū, & Ebora circiter viginti millia passuum distat. Eo igitur Regni Proceres, & Antistites, & ciuitatum Legatos per litteras euocauit. Eo fuit ad illum deductus Georgius, Ioannis Regis filius, cuius paullo ante fecimus mentionem, qui tunc decimum & quartum annū agebat: quem Rex tam amanter, atque cum tanto fletu, complexus est, vt facillime, quanta fide, & amore Ioannem fuisset in vita prosecutus, cerni posset. In illo autem comitatu, qui Georgium stipabat, facile reliquis & militari gloria, & vrbanitate, Iacobus Almeida, qui tunc in Portugalia pro Magistro Hospitalensis ordinis eidem religioni præerat, excellebat, multumq. apud Ioannem gratia, & auctoritate potuerat. Eum vero Ioannes moribus eiusdē filij regendis præfecerat, vt is sub tali pædagogo artes illo loco dignas perdisceret. Hic igitur, cum Georgio, quem dextera tenebat, flexis de more genibus, cum esset vterque habitu lugubri deformatus, hāc orationem habuit. Rex Ioannes, qui tibi patruelis frater natura fuit, amore autem germanus, mihi significauit moriens, se, cum animo æquissimo e vita discederet, vna tantum cura sollicitari, quod hunc filium in solitudine, & orbitate relinqueret. Eam tamen sollicitudinem eo solatio, quo vtebatur, alleuari, quod veniret illi in mentem, quam singularis esset benignitas tua, quam gratus animus, & quam

Ioannis Regis elogium.

Emmanuelis in Regē inauguratio.

Mōtis maioris ciuitatis situs.

Regni comitia.

Iacobi Almeidæ pro Georgio, Ioannis Regis nothi, ad Emmanuelem oratio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam ad omnes Regiæ virtutis laudes ſtudio,& voluntate propenſus. Præcepit deinde mihi,vt ſuo nomine te rogarem,& obſecrarẽ, ſi is te in filij loco dilexiſſet,ſi muneribus omnibus, quibus potuit, affeciſſet, ſi nullum tui ornandi locum prætermiſiſſet, vt tam egregiæ in te voluntatis memoriam retineres, & parem voluntatem huic ſuo vnico filio,quem omni reliquo vitæ præſidio deſtitutum relinquebat,redderes,& cogitares, quid ille,ſi tibi fuiſſent nati filij,eis facturus fuiſſet,ſi ita accidiſſet, vt tu ante illius obitum e vita migrares. Præterea,hoc etiam mihi in mandatis dedit, vt hunc illius filium frequenter admonerem,vt te ſemper vnice coleret,& obſeruaret tibiq. in omnibus rebus obtẽperaret, in eoq. pugnaret,vt a nemine fide, amore, ſtudio erga te ſuperari poſſet. Quo enim te propius ſanguine attingebat,eo magis conuenire,vt obſeruantia, & pietate erga te omnibus antecelleret,nec in vllo in amplitudinem tuæ dignitatis officio ſe vinci pateretur. Hæc quidẽ ille mihi,vt facerem,imperauit. Ego, vt officio meo fungar, illius filium in hac tam tenera,vt vides,ætate, tali parente orbatum,tibi nomine illius trado,natura,& genere propinquum, caſus acerbitate pupillum, voluntate ſupplicem,condicione famulum, vt eum in fidem tuam recipias, & ornes,& augeas: vt ſic tandem cognoſci ab omnibus poſsit Regius iſte animus,in referenda gratia,& beneficiorum memoria conſeruanda diligentiſsimus. Quod ſi, vt confidimus, feceris, ab omnibus laudem admodũ grati, atque magnifici Principis conſequeris;multoq.artius tibi tuorum omnium voluntates hac tam inſigni probitatis ſignificatione deuincies. Hac Almeidæ oratione adeo fuit Emmanuelis mæror excitatus, vt, cũ dare reſponſum vellet,lacrymis, & ſingultu ſpiritus illius impediretur. Itaque breuiſsima oratione declarauit,ſe Georgium in loco filij habiturum, tantisq. illum beneficijs ornaturum, vt intelligi poſſet, quantum Ioannis nomen,& memoriam conſeruari,atque propagari cuperet. Hac Regis oratione omnes Proceres, qui aderant, non mediocriter lætati,ad illum adeuntes, gratias egerũt, illiusq. manus oſculati ſunt. Hæc autem nõ indigna commemoratione arbitrati ſumus, vt poſſet & Ioannis probitas cognoſci, quæ tanta fuit, vt neque imperij magnitudine potuerit heres illius adduci, vt facile deſideriũ illius leniret; & ſimul Emmanuelis natura perſpiceretur, quæ tam excellens exſtitit, vt neque tantis opibus improuiſo oblatis efferri,aut humanitatis obliuiſci potuerit. Fecit enim inſita in plerisq. cupiditas, vt etiam in minime dubia hereditatis poſſeſsione,quam mortuis parentibus aſſequuntur, animi lætitiam,mærore ad tempus ſimulato,tegere vix poſsint. Quod eo intemperantius in Regni hereditate ſit, quo Regiæ opes maiores, & ampliores ſunt, & ad animum de ſtatu mentis deijciendum,ſi virtutis præſidium non adſit,magis efficaces. Cum vero Regiæ dignitatis amplitudo præter opinionem alicui defertur,tanta vi plerumque iactatur animus,vt a mente,& ratione deferatur. At Emmanuel ſe Regni heredem fore minime ſuſpicari poterat,cum & fratres illius viuerent, qui ea ætate antecedebant, & Alfonſus, Ioannis Regis filius,in vita maneret,& ipſe Ioannes filios gignere per ætatem poſſet: erat enim annos natus quadraginta, cum mortuus eſt. Qui tamen omnes Diuino conſilio, vt multi iudicabant,morte ſublati ſunt, vt Emmanuel regnaret. Poſtquam vero omnes regni Ordines cõuenere, inſtituit Rex quædam de ſententia omnium,qui aderant, ad regni ſtabilimẽtum neceſſaria. Inde etiam miſit,qui Regi Fernando,& Iſabellæ Reginæ, qui tunc in Caſtellæ,& Aragoniæ Regnis cum ſumma dignitate,& exiſtimatione regnabant, de ſua ſucceſsione nuntiaret. Per id tempus Aluarus, Fernandi, Ducis Brigantini, qui,propter perfidiæ ſuſpicionem,fuerat capitali ſupplicio affectus,frater, in Caſtellæ Regno verſabatur, & ſummũ apud Reges locum obtinebat. Aluarus autẽ is erat,ad quem nulla facinoris ſuſpicio pertineret. Sed, cum fratrem ſupplicio mactatum animaduerteret,integris rebus ſuis, e Luſitaniæ finibus exceſsit. Rex autem Ioannes illi præſcripſerat,ne in Caſtella ſedem vllo pacto collocaret. At is,Fernandi,& Iſabellæ vxoris probitate,& magnificẽtia deuinctus, qui multum illius virtuti,atque prudentię tribuebãt, in eorum Regnis locum exſilio volũtario delegit. Et, ne Regis Ioannis præſcripto parere cogeretur,omnes res ſuas, quas in Luſitania poſſederat,voluntati illius permiſit. Hunc vero Aluarum,& filios Ducis,qui poſt patris necem in exſilium ſe voluntate ſua contulerant, Rex Emmanuel per eundem Legatum benigne inuitauit,vt in patriam redirent. Fore,ſi id facerent,vt eos,quibuſcumque rebus commode poſſet, ornaret. Alterum deinde Legatum Romam miſit, qui Alexandro Pontifici Maximo,qui tunc fuerat ad illud ſummum faſtigium dignitatis euectus,nomine illius fidẽ obligaret, totumq. Portugaliæ Regnum, vt Chriſtianum Principem facere oportebat,voluntati Pontificis ipſius addiceret. Quod vt cum maiore dignitate fieret, Georgium Coſtam, Luſitanum, Cardinalem, hominem auctoritate ſumma præditum, per litteras rogauit, vt nomine illius hoc officium exſequeretur. Cardinalis igitur, Emmanuelis nomine, Romæ fidem publicè dedit, Emmanuelẽ ſemper in Pontificis obſequio futurum, & fidem per omne vitæ ſpatium erga Sanctam Romanam Eccleſiam ſummo ſtudio retenturum, & pro illius Sanctitate, quoties opus ita fuiſſet, pugnaturum. Fuit hæc fidei teſtificatio Pontifici valde grata, litterasq. Regi ſatis amanter

Emmanuelis reſponſio.

Decreta Emmanuelis Regia.

Legatio ad Caſtellæ Reges gratulatoria.

Aluarus, & alij. exſules reuocantur.

Legatio Luſitana ad Pontificem Maximum.

ter ſcriptas dedit, eiq. de Regni ſucceſsione gratulatus eſt. At Emmanuel interim in Regni negotijs expediẽdis vigilabat. In primis autem donationes omnium rerum,quas Ioãnes moriens multis donauerat, benigne confirmauit: quamuis multi ex illis,qui tunc ab illo fuerant affecti beneficijs, magis digni ſupplicio,quam beneficio,viderẽtur. Satis enim apparet, eos, qui, dum Princeps extremum ſpiritũ edit, ab eo ſummo ſtudio contendunt, vt ſibi aliquid largiatur,quod,dum ille ſanus, atque valens erat, impetrare non poterant, numquam ſe quidquam de fide Principi debita,ſed de ſua ipſorũ vtilitate cogitaſſe. Quid autem præterea tam inſidioſum,quã eo tempore, quo propter mortis acerbitatem mens Principis oppreſſa eſt,captare tunc illius imbecillitatis occaſionem, vt ab eo, a quo iam fuerant multis cumulati beneficijs, id extorqueant, quod non eſt auaritiæ, ſed fidelitati debitum? Quid vero tam inhumanum,quam, in ipſius Regis morientis adſpectu,nec ipſius iuſtiſsimi doloris ſenſu,nec vlla humanitatis ratione ab immanis cupiditatis ſtudio reuocari? Accedit præterea, quod eo tẽpore Rex, qui hominum poſtulata,quamuis iniuſta ſint, minime repudiat, non de ſuo quidquam, ſed de alieno videtur elargiri. Ea namque donat, quibus iam vti non poteſt. Reddit deinde ſucceſſori multo difficiliorem adminiſtrandi Regij muneris rationem. Regiam enim Gazam, quæ eſt fons Regiæ benignitatis,exhaurit. Ea poſtremo concedit, cum neque hominum merita,neque vllam iuris vſitati rationẽ expendere poteſt. Quotus enim quiſque eſt, qui in oculorum tætra caligine, in crebro anhelitu, atque ſingultu, in totius corporis ſudore, in intercluſi ſpiritus anguſtijs poſsit cuiuſque dignitatem exacte perpendere? Illi igitur, qui tempore,quo Principis animus eſt oratione confirmandus, ei tam grauem moleſtiam exhibent,& inſtant,& vrgent, & quodammodo vim adhibent, vt interruptis, atque morientibus vocibus Regni opes effundat, odio certe digni ſunt, & non eiuſmodi beneficijs. Emmanuel tamen,ne videretur optimi Principis acta reſcindere, non modo reliqua Ioannis beneficia, quæ fuerant iudicio tributa,ſed etiam fraudulenter erepta confirmauit. Totum deinde animum ad ius adminiſtrandum applicuit. In eos magiſtratus, qui perperam corrupti pecunia iudicabãt, acriter animaduertit. Ijs,qui leuioribus criminibus erãt alligati,leuiores etiam pœnas impoſuit. Illos vero,qui bene, & incorrupte iudicia faciebant, pro dignitate cuiuſque,remunerauit. Iudicũ deinde numerum auxit,vt omnes controuerſiæ facilius dijudicari poſſent. Ipſosq. maioribus ſtipendijs affecit, ne inopia cogerentur ab æquitate diſcedere. Tum in omnes Regni partes, viros inſtitiæ opinione præſtantes cũ ſummæ auctoritate miſit, qui ſcelera vindicarent,& flagitiorum omnium,quoad fieri poſſet,ſtirpes euellerent. Vectigalium deinde rationem diligenter habuit. Videbat enim,vbi regni opes miniſtrorum negligentia dilabuntur, aut quæſtorum auaritia diripiuntur, aut ſumptibus minime neceſſarijs exhauriuntur, ibi regni ſtatum conſtitui nõ poſſe. Nec enim bellum geri, neque pacẽ conſtitui, neque ius adminiſtrari commode licet,vbi Regis pecunia,quæ debet eſſe publicæ ſalutis inſtrumentum,aut a priuati auertitur,aut ab ipſo Rege ſine vllo fructu conſumitur. Ve autem humanitas illius in omnes conſtaret, Iudæos in libertatem aſſeruit. Quod vt intelligi poſsit, qua ratione illi ſeruitute oppreſsi fuiſſent,nõ erit alienum,rem, quemadmodum geſta fuerit,explicare. Fernandus,& Iſabella,Caſtellæ reges,cũ exploratum habuiſſent, per Iudæos, qui in illorum ditione erant, ſcelera nefaria, contra religionis noſtræ ſanctitatem conflari,omnes illos in exſilium eiecerunt. Hoc autem factum fuit Anno a Chriſto nato MCDXXCII. quidam vero ex illis,numine Diuini Spiritus illuſtrati,ad Chriſti ſe cultum,& fidem contulerunt. Alij autem, ne fundos, & ædes,& reliqua bona relinquere,vel tempore alieno vendere cogerentur, ſe Chriſti religionem profiteri ſimularunt. Reliqui omnes in exſilium pulſi ſunt. Cum vero alij in alias partes diſiecti fuiſſent,maxima eorũ pars a Ioanne Rege ſub certis cõdicionibus impetrauit, vt in Portugalia tempore aliquo definito cõſiſteret. Condiciones autem potiſsimæ fuerunt,vt octonos aureos ſinguli Regi perſoluerent, & in ea certum tempus e Portugaliæ finibus emigrarent: quod ſi poſt tempus illud aſſignatum viſi in Portugalia fuiſſent,libertatem amitterent; Rex autem tutam nauigandi facultatem volentibus abire præberet. Hac autem ratione Ioannes grandem ſibi pecuniam comparauit,quam aſſeruari diligentiſsime faciebat, vt poſſet in Africam tranſire. Cupiebat enim bellum acerrimũ Mauris inferre;nec id tam gloriæ ſtudio, quam vt Chriſti religionem, & gloriam propagaret. Quod ne faceret, primum quidem caſus acerbi, quibus diu conflictatus eſt, impedimento fuere; poſtremo autem mors omnes illius huiuſmodi conatus compreſsit. Quamdiu tamen vixit,ſedulo curauit,vt Iudæis fidem præſtaret, quam dederat. Itaque eis,qui in portubus illi operas nauabant,imperauit, vt agerent cum nauicularijs,vt tolerabili quadam vectura Iudæos in regiones, quas ipſi vellent, tranſportarent. Sanxit præterea,ne quiſquam iniuriã illis inferret. Quod longe ſecus factũ eſt. Mercatores enim,& nauicularij,qui Iudæos in naues ſuas recipiebant,eos in mari multis iniurijs admodum acerbe diuexabant. Vecturæ enim pretio,quo depacti fuerant,minime contenti, quacumque ratione poterant, multo maiorem pecuniam ab inuitis exprimebant;

Aulica quorundam auaritia a reprehenditur.

Iudæorũ per Hiſpaniã ſeruitutis occaſio.

Inſtitura Regni Emmanuelis.

Chriſtianorum in proſcriptos Iudæos iniuriæ.

& de

Universidad de Deusto
Biblioteca

& de industria diutius,quam opus erat,vagabantur, multisq. erroribus homines miseros ludificabant,vt,consumpto omni commeatu, cogerentur ab eis victum emere.Pretium vero,quod rebus suis cõstituebant, erat eiusmodi, vt,eo persoluto,Iudæi nudi,& inanes relinquerentur. Accedebat, quod nuptis mulieribus, atque virginibus vitium per vim inferebant, & viros intolerandis contumelijs afficiebant; Christianiq. nominis, quod vsurpabant, obliti, in omni genere immanitatis,atque perfidiæ versabantur.Iudæi,qui in Portugalia remanserant, partim tam atrocis iniuriæ metu perturbati,(nec enim id tam obscurum esse poterat, vt nõ aliqua ex parte fama tantarum cladium ad aures eorum peruenireret) partim, quod, inopia impediti, minime potuissent ea, quæ erant ad nauigandum necessaria, intra tempus illud emere,cum tempus interim illis constitutum elaberetur, libertatem amisere. Qui igitur seruum Iudæũ habere cupiebat,eum a Rege postulabat.Rex autem eorũ precibus cedebat, quos animaduertebat esse miti, clementiq. natura præditos,ne Iudæi duriore,quam par esst, dominatu premerentur. Hoc autem accidit paullo ante Ioannis mortem. Ea tamẽ apud omnes, qui sensus illjus nouerant, suspicio cõsistebat, vt crederetur, si ille diutius vixisset, omnes eos fuisse benignitate illius sub aliqua condicione liberandos.Hæc erat Iudæorum, qui in Portugalia morabantur, condicio, cum Emmanuel regnare cœpit. Qui, videns,illos non sponte sua contra fœdus in Portugalia post tempus a Ioanne præstitutum remansisse,omnes liberos esse iussit. Hoc illi beneficio permoti, ei magnum argenti pondus obtulere: quod accipere noluit. Statuerat enim, gentẽ illam beneficijs paullatim ad studium Christianæ pietatis allicere. His,& alijs multis negotijs commode, atque sapienter expeditis, mentem continuo ad bellum Africanum contulit. Ex quo enim tempore Ioannes,hoc nomine primus,Septam,vrbem Mauritaniæ munitissimam, in ora maritima freti Gaditani sitam,virtute,& opibus expugnauit,numquã Reges,qui deinceps successere, passi sunt, bellum contra Mauros susceptum diu intermitti.Rex Alfonsus, Ioannis primi nepos, atque Ioannis secundi pater, Tingi ciuitatem cum Arzilia, quæ non procul Tingi aberat, similiter bello cepit. Ioannes autem, post patris obitum,quamuis fuisset duriore fortuna conflictatus, & multis & varijs curis implicitus, semper tamen inuicto animo in illius belli administratione permansit. Emmanuel,horũ vestigijs ingressus, eodem animo belli cutam susceptit.Itaque vrbes Mauritaniæ,quæ erant nostris præsidijs munitæ, maioribus opibus firmauit,firmioribusq. præsidijs cinxit,maximum commeatum, & plurima instrumenta bellica in eas importari præcepit.Auxit præterea militibus stipendium, & duces item muneribus amplioribus ornauit, vt, his beneficijs excitati, confidentius, & acrius dimicarent.Quia vero cernebat,caput belli feliciter administrandi in vera religione consistere, (Deus enim est,qui robur,& mentem, qua victoria paratur,donat,& qui mentem, & vires eripit illis, quos peruertere statuit) prẽter alia præmia,quibus sacerdotes, qui sacra militibus in Africa ministrabant, affecerat, statuit, vt decumam omnium tributorum, quæ Mauri vectigales ei ex fœdere persoluebant, quotannis acciperent. Dũ hæc ab illo geruntur,Fernandus,& Isabella, Reges,Legatos ad illum mittunt,qui,illorum nomine,ei gratulationem de Regni hereditate significarent; & postularent prætereа, vellet cum eorum filia, nomine Maria, matrimonio copulari.Postremo ab illo enixe contenderent, vt filios Fernandi, Ducis Brigantini, qui adhuc in exsilio viuebãt,in patriam,& in omnes amissas opes restitueret. Hanc Legationem Emmanuel sibi admodum iucundam accidisse demonstrauit;Legatisq. dixit,sibi nihil gratius esse posse, Regum clarissimorum in se tam propensa voluntate. Quod vero ad matrimonium attinebat, non esse sibi in animo prius vxorem ducere,quam Regni statum cõstitueret. Hoc autem dicebat, non quod illorum Regum affinitatem sibi parum cõmodam arbitraretur, sed quod Isabellam,eorum filiam,natu maiorem,quæ fuerat Alfonso,Ioannis filio, nupta, vxorem habere mallet: quamuis mentem suã tunc minime aperiret.De Fernandi vero filijs sibi curæ futurum affirmauit, vt Regibus satisfaceret. Hoc eodem tempore fuit certior factus,Ioannem Menesium,qui Arziliæ præerat, fuisse de Mauris insignem victoriam consecutum. Res autem ad hunc modum gesta fuit. Vascus Coutignus, Dynasta Borbensis, Arziliæ præfectus erat: cuius nomen cum ad Ioannem delatum fuisset, coactus fuit in Portugaliam redire,vt Regi se purgaret. Præposuit interim Arzilię Rodericum Coutignum, qui, dum ille abesset, Ducis officio fungeretur. Fecerat autem Rex Ioannes indutias cũ Rege Fessensi. Barraxa vero, & Almandarinus,qui multum inter Mauros potẽtia,& opibus excellebant, hoc indutiarum fœdere minime adstricti fuerant, eo quod nondũ essent sub Fessensis Regis imperio. Itaque,maxima manu comparata, in Arziliæ fines inuadunt, neque mediocrem vastitatem efficiunt.Rodericus Coutignus, cum ijs copijs, quas habebat,illis occurrit.Fuit acriter vtrimque dimicatum. Prœlium tamen hunc exitum habuit, vt Coutignus, hostium multitudine oppressus,cum multis occumberet. Hac strage nuntiata, Ioannes Rex misit continuo Arziliam Ioannem Menesium, virum singulari virtute præditum, cũ imperio, vt nostrorum animos aduentu suo confirmaret. Cum autem quidã

Mauri

Emmanuelis in Sacerdotes munificẽtia.

Res Europę, Castellana ad Emmanuelem legatio.

Iudæi, seruitute ab Emmanuele liberati.

Res Africanæ.

Res Africanę.

Lusitanorum strages.

Mauri stipendiarij, propter hoc incommodũ nostris illatum, rebellarent, neque tributum, quod ex fœdere Ioanni Regi debebant,soluere vellent, nihil sibi Menesius prius faciendũ ratus est,quam vt illorum ferociam armis,atque virtute comprimeret. Quod vt commodius faceret, postulauit per litteras a Lupo Azeuedio, qui tunc Tingitanæ ciuitati præerat,vt sibi aliquot equites in auxilium mitteret. Misit ille equites quinquaginta, quibus præfecit Petrum Leitanum, qui Tingi ductor antesignanis erat, qui nocte in locum, quem Menesius dixerat, ire maturauit. Menesius Arzilia centum & quinquaginta equites edũxit. Coniunctis in eodem loco cum Leitano copijs,in pagum, qui præcipue fidẽ fregerat, iter suscepit.Ne autem præsentiri illius aduẽtus posset,sic equites instruxit, vt agmine tenuissimo,eaq. de caussa longissimo,progrederentur. Vno namque filo(sic enim appellant) vnus alium ex interuallo sequebatur, ita tamen, vt ordo incuria hominum interrumpi non posset.Magno autem silentio,cum diluceſceret, pago appropinquauit, vt improuiso hostes adoriretur.Sed accidit, vt eodem tempore Barraxa & Almandarinus, cum Muzza, & Acobo, qui multum etiã viribus pollebant, eos Maurorum pagos, qui nostrarum partiũ erant,armis aggredi constituerent. Habebãt autem sub signis duo millia equitum, & pedites octingentos. Cum autem hoc Menesius accepisset, vt certior esse de hostium consilio posset,dedit hoc negotium Mauris quibusdã, quibus in bello ad has artes vti consueuerat, vt ex insidijs aliquem ex exercitu hostiũ interciperent, ex quo verum explorate cognoſceret.Illi satis impigre imperata conficiunt; atque tres Mauros ad Menesium pertrahũt, ex quibus cognoscit,omnia vera esse,quæ audierat. Quamuis autem quidam valde illius consilio repugnarent, in hostes tamen incurrere statuit. Eo namque loci res illius erant, vt nostri, non sine magno salutis discrimine, & dignitatis imminutione, regredi possent. Ita multo præclarius esse iudicauit, hostes nihil tale suspicantes inuadere, quam ferociter insequentes arcere. Illud enim hostium animos perterret;hoc autem acriores,& infestiores efficit. Triplicem igitur aciem confestim instruxit.Primæ Leitanum præfecit,cui quinquaginta illos equites, quos adduxerat, assignauit. Secundæ Ioannem Menesium, Petri Menesij,fratris sui, & Cartagnediensis Dynastę,filium.Huic triginta tantum equites attribuit, reliquos omnes sibi in acie tertia reseruauit. Postquam vero illos cohortatus est, &, quid ab illis fieri vellet, admonuit, in hostes ire perrexit.Hostes nostrorum audaciam admirabantur, & paucitatem contemnebant. Atque primum triplicẽ aciem ordinare constituunt. Deinde, consilio mutato, vt nostros obruerent,vna tantum acie facta,propius accedunt. Prima nostrorum acies, vbi tantum agri spatium interiectum vidit, quantum ad concurrendum satis esset,in hostes infestis hastis incitatur. Idem Mauri faciunt. Nostri in principio acriter pugnant:multitudine tamẽ oppressi,cedere paullatim incipiunt;cum Menesius Iunior ex vno latere in Mauros incurrit: quo facto,animus nostris additus est,sum maq. vi resistere nituntur.Hic Ioannes Menesius diutius minime cunctandum ratus, signa inferre iubet,& cum omnibus copijs, quas secum habebat, impetum in Mauros fecit: quẽ illi primum ægre sustinent, deinde pedem referunt,atque tandem se præcipiti fuga proripiunt. Nostri eos insequuntur, octoq. millia passuum progressi, magnam cædem faciunt, deinde ad hostium castra diripienda reuertuntur. Fuerunt in eo prœlio multi ex hostibus capti,multo plures occisi,magnaq. præda parta: ex nostris nemo desideratus. Deinde Menesius in rebelles pagos exercitum duxit; qui, suppliciter abiectĩ, veniam postularunt, & omnia, quæ debebant, ex fœdere persoluerunt. Itaque, re bene gesta, Arziliam rediit, Leitanumq. cum parte prædæ remisit. Cum hoc prœlium commissum fuit, iã Emmanuel regnabat: & accidit, vt, quo tempore ille decumam sacerdotibus Africæ donare constituit, eo fuisset Menesius hanc victoriam consecutus,adeo,vt multi suspicarentur,eam magis Emmanuelis religione, quam militum viribus, partam fuisse. Nondum Emmanuel consilium dimiserat, cum grauis pestilentia vrbem illam, in qua commorabatur, inuasit; qua coactus fuit inde discedere, & multa,quæ ad regni stabilimentum pertinebant, in aliud tempus reseruare.Anno insequenti,qui fuit a Christo nato M CD XC VI. cum appropinquaret tempus sollemni ieiunio consecratum, Setuualem se contulit. Ibi cum sorores illius, nempe Leonora Ioannis vxor,& Isabella,quę matrimonium Fernandi Ducis tenuerat, opperiebantur. Rebus autem sacris illo tẽpore de more procuratis, & diei illius memoria, quo Christus se a mortuis excitauit,rite celebrata,ad regni negotia conficienda se rursus accinxit. In primis tamen Iacobum, Fernãdi filium,qui, post illatam patri necem,se in exsilium, vt dictum est, sponte sua contulerat, & fratrem illius Dionysium similiter,& Aluarũ, eiusdem Fernandi fratrem,& Sancium,Iacobi fratrem patruelem,Alfonsi,Faronensis Dynastæ, filium, in patriam, & honores amissos restituit.Fuerat autem Alfonsus,Sãcij pater, frater Fernãdi. Hunc autem Sancium voluit Rex,vt,pro Faronensis Comitatus titulo, Comes Demirẽsis appellaretur. Alios præterea, qui fuerant Ioannis tempore proditionis insimulati,ab exsilio reuocauit; præcipue tamen in eos, quos memoraui, illius liberalitas illustris admodum fuit. Et, quia Ioannes quædam illorum bona certis hominibus bene de

Iustranorum de Mauris victoria.

Res Europæ.

Pestis in Mõte maiore, Lusitaniæ ciuitate.

Annus a nato Christo 1496 Præceres aliquot Lusitani ab exsilio reuocati.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Rep. meritis donauerat, Emmanuel, ne, qui ea possidebant, de illata sibi iniuria conqueri possent, tantis donis, & muneribus eos affecit, vt æquo animo paterentur, se bonorum illorum possessione depelli. Quæ quidem magnificentia a multis varie reprehensa fuit. Non deerant enim, qui dicerent, indignum esse, filios eorum, qui fuerant proditionis infamia maculati, tantis beneficijs ornari, & in integrum inconsiderate restitui. Alij vero, nõ Regis liberalitatem vituperabant, sed in liberalitate modum requirebant. Non enim esse Reip. commodum dicebant, Regium patrimonium, quod est Reip. firmamentum, immodica largitione vno momento temporis exhauriri. Hæc tamen, quæ vulgo iactabantur, nullo modo potuere Regẽ ab instituta beneficẽtia reuocare. Cogitabat enim, aliquos eorum, qui fuerant damnati, non fuisse ita multis criminibus euictos, vt ea de caussa nomẽ eorum hominum odio sempiterno versari deberet. Præterea, verum non esse, vt filij parentum scelera lueret. Deinde, fororis Isabellæ mæror assiduus eum magis ad benignitatem inuitabat. Videbat enim, nihil optimæ, atque præstantissimæ feminæ, post viri necem, & filiorũ exsilium, accidisse, quo mœstitia, & angore leuaretur. Instabat præterea Beatrix, illius mater, quæ precibus vt Regem obsecrabat, & auctoritate vt filium admonebat, vt homines sibi coniunctissimos saluos, & ornatos esse vellet: quod fieri non poterat, nisi eo, vnde decíderant, reducerentur. Non tibi, inquit illa, solum regni hereditas obuenit, sed etiam matri, & sororibus, & propinquis, & omnibus denique, qui in te spem rerum suarum collocatam habent. Quæ spes si nos frustrata fuerit, ad quem ibimus? Cuius opem flagitabimus? Si nos non, vt speramus, respexeris; necesse erit, vt moleste feramus, te in tam excelso gradu locatum cernere. Cum enim priuatus eras de aduerso tantum casu nobis lamentari licebat. Nunc vero, ad illius acerbitatis querimoniam, hæc etiam de graui iniuria illata matri, omnibusq. tuis propinquis accedet. Quare, si vlla tibi pietatis cura est, si illius, quæ te peperit, & enutriuit, maximoq. semper fuit amore prosecuta, memoriam conseruas, cõsule nobis omnibus: redde matri filiam, sorori liberos, auiæ nepotes, & memet denique mihi totã restitue. Sic enim auaritiæ suspicionẽ fugies; & pietatis, atque magnificentiæ fructum singularem percipies. Hæc quidẽ, & alia multa, mater in eandem sententiam dicebat: hæc eadem soror cũ lacrymis assidue flagitabat: hæc Castellæ Reges per litteras, atque nũtios enixe precabantur. Itaq. nõ potuit Rex natura benignus matris voluntatẽ negligere, aut sororis postulata contemnere, aut optimorũ Regũ preces aspernari. Multos deinde homines nobiles muneribus, & ornamentis auxit; in quibus fuit Iacobus Siluius, vir singulari prudẽtia, qui pædagogus illius exstiterat. Misit deinde Petrum Correã, hominem prudentiæ opinione præstantem, ad Alexandrũ Pontificem, vt apud illũ quædam negotia, ad Regni statum pertinentia, procuraret, & simul Georgium Cardinalem in Portugaliam reduceret. Erat aũt is Georgius humili qui dẽ genere natus, sed ingenio præclaro, & magno animo præditus. Valuit autem multum apud Catherinam, Odoardi Regis filiam, summa virtute feminam, quæ nemini vmquam nubere voluit. Fuit autem casu in eiusdem Catherinæ familiã adscitus: illa, capta hominis probitate, & sapiẽtia, eum sacerdotijs valde opulentis augendũ curauit: in quibus omnibus ille egregiũ specimen virtutis exhibuit. Pontifex deinde creatus est, & gradibus deinde ad alios honores adscendit, donec tandẽ a Pontifice Maximo, summo Cardinalium consẽsu, in eorum Collegium cooptatus fuit. Quã dignitatem singulari sapientia tuebatur, plurimumq. apud Pontifices Maximos auctoritate & gratia poterat. Fuit illi in Regni principio Ioannes infestus, propter aliquot illius acta, quæ suis rationibus aduersari suspicabatur: nihilominus tamẽ Georgius, inuito etiã Rege, dignitatem summa cum auctoritate retinuit. Ioanne autẽ mortuo, petijt ab illo Rex Emmanuel per litteras, vt in Lusitaniam remigraret. Sibi namque valde opus esse ad Regnum feliciter adminístrandum illius cõsilio, quem sapientia præstantem iudicabat. Quod Georgius ostendit facturum. At, postquã Correa vrbem attigit, mutauit consilium; & ætatem, & imbecillitatem excusauit. Dixitq. præterea, sibi itineris illius faciendi a Pontifice Maximo minime potestatẽ fieri. Regis tamẽ negotia summa diligentia, atque fide confecit. Interea Regnum graui pestilentia laborabat, quæ Regem domicilium mutare compellebat. Cũ autẽ in opido, quod Turres Veteres appellant, consideret, venit ad eum Legatus Venetus, qui illi, Reip. suæ nomine, de Regno, quod illi obuenerat, gratulatus, senatum populumq. Venetum dixit, omnia, quę is ab illo postularet, libentissime facturum. Fuit Legatus admodum liberaliter acceptus, & insignibus equestris ordinis manu ipsius Regis ornatus, & cum tantis muneribus dimissus, vt Venetorum ciuitas, partim Legati prædicatione, partim Regis litteris valde amãter scriptis, multo magis in studium illius incitaretur. Aliam deinde actionem suscepit Emmanuel, quam Reges nonnulli ante illum frustra sæpe tentarunt. Eo tempore, quo Hispania, maxima ex parte, erat sub Arabum potestate, & imperio constituta, cũ esset perpetuũ inter illos, & Christianos bellum, sine vllo firmo, & stabili indutiarum fœdere cõcitatum, fuere quidam viri nobiles, non magis virtute quam religione, præcellentes, qui vouebant, se pro Christi gloria, quamdiu vires suppeterent,

Petrus Correa, ad Pontificem Maximũ Legatus.

Georgius Cardinalis.

Beatricis matris ad Emmanuelẽ pro exulibus oratio.

Venetꝰ ad Emmanuelẽ legatio.

Ordinum sacrorum militarium per Hispaniã, & Lusitaniam occasio, & successus.

rent, summa contentione pugnaturos. Quod vt multo alacrius facerent, & vt commodius ad cælum viam munirent, a nuptijs abstinebant. Horum vita partim in religionis studio, partim in armorum exercitatione consumebatur. Tantusq. erat in illis ardor animorũ, vt eos beatissimos iudicarẽt, qui in bellis pro defensione Reip. & Christi sanctissima religione susceptis occumberẽt. Horum exemplum cum multi sequerentur, fuerunt varij militarium religionum ordines instituti, a Regibus multis beneficijs ornati, & a Pontificibus Maximis approbati: ex quibus multi viri prodiere, quorum virtute Mauri sæpissime, cum magna Christiani nominis gloria, fusi, fugatiq. sunt. Erant autem omnes imagine Crucis ex panno partim rubro, partim viridi facta, & vestibus assuta, secundum pectus insigniti. Florebat etiam in Hispania ordo Templariorum, & Hospitalensium, qui Ierosolymis eadẽ fundamenta, post captam a Christianis ciuitatẽ illam, habuerãt. Quamuis autem varia essent horum ordinum instituta, & insignia, quibus distingui alij ab alijs possent, in hoc tamẽ conueniebant, quod omnes votis sollemni ritu emissis fidem Christo publice dabant, fore, vt nulla vmquam libidine se commacularent; nec Magistri militiæ imperium detrectarent; nec se vllis auaritiæ sordibus illini paterẽtur. In Portugalia vero, præter reliquos militum religiosorum ordines, alius a Dionysio Rege constitutus est, postquam, opera Philippi Fracorum Regis, qui Pulcher appellatus est, Templariorum ordo euersus fuit. Iniuit enim Dionysius rationem, quemadmodum Templarij Lusitani (ex omnibus enim Christianæ Reip. partibus aditus fortibus, & spectatis hominibus ad illum ordinem patebat) neque bona, neque dignitatem amitterent. Itaque statuit, vt vectigalia, quæ erant in Portugalia Templariorum ordini dicata, ijdem ipsi Templarij, qui ea possederant, nouæ cuiusdam militiæ nomine retinerent. Hanc autem Christi militiam appellauit, & huius religionis milites statuit, vt imaginem Crucis colore candido inclusam in aliam Crucis imaginem colore rubram gestarent, vt a reliquis religiosis militibus internosci possent. Postulauit deinde a Pontifice Maximo, vt eam auctoritatem sua confirmaret. Creuit hic ordo, multisq. bonis auctus, & amplificatus est. Emmanuel autem, cum videret, quod discrimen impenderet tam militibus huius ordinis, quam reliquorum omnium, (si enim, contra fidẽ Christo obligatam, libidinem minime refrenarẽt, necesse erat, vt scelus nefarium susciperent, & simul ne illis, qui ex religiosis militibus nascerẽtur, esset illa macula generis inusta, quæ nothis omnibus, quamuis sint nobilissimis parentibus procreati, subeunda est) postulauit ab Alexandro, Pontifice Maximo, vt solueret ea perpetuæ castitatis religione omnes equites Lusitanos, qui deinceps alicuius religiosæ militiæ sacramento tenerentur. Illi namque, qui iam erant sollemnis voti religione constricti, fieri non poterat, vt, salua ipsius religionis fide, eandem licentiam impetrarent. Concessit id Regi Pontifex, atque deinceps licuit omnibus, qui in aliquam religiosam militiam adscriberentur, vxores ducere, exceptis solum Hospitalensis ordinis equitibus, qui, in quibuscumque partibus sint, eadem perpetuæ castitatis religione constringuntur. Hæc autem Regis prouidentia, qua, vt videbatur, sceleribus occurrebat, & suos magno incontinentiæ periculo liberabat, a multis laudari solet. Ego vero statuere non possum, vtrum sic multo maiorem peccandi materiam suis attulerit illa ipsa, quam subtrahere summo studio concupiuit. Primum enim numquam vllius disciplinæ laxamentum potuit esse salutare. Quocirca ea, quæ fluunt, seuere deuincienda sunt, & eo, vnde deciderãt, reducenda, si volumus, vt, quæ laudabiliter instituta sunt, eundem semper fructum, & vtilitatem retineant. Deinde, propter nuptiarum curas, cernimus, illum antiquum ardorem, qui erat in religiosis militibus ad dimicandum, esse iam magna ex parte restinctum. Minus enim expediti, & minus alacres sunt; &, cum breue aliquod tempus bellicis in rebus insumpserint, citius, & libentius, quam decet, otium amplectuntur. Deinde, tunc, cum erat illis matrimonium interdictum, credibile est, multos fuisse, qui non tam vtilitatis & emolumenti cupiditate, quam pietatis studio religionem aliquam militarẽ susciperent. Nunc vero, postquam de religione detractum est, quod nimis asperum multis esse videbatur, suspicari non absque ratione possumus, omnes, qui, vt in aliquam eiusmodi militiam adscribantur, elaborant, cupiditate tãtum, & ambitione ad studium militiæ illius impelli. Postremo, hoc cupiditatis introitu multo latius, quam antea, patefacto, paullatim eo deuentum est, vt, quæ erãt optime fundata, laberentur, & ruerent. Cernimus enim, fidem datam Christo contemni; res sacrosanctas violari; sacra vectigalia ab hominibus audacibus, & flagitiosis occupari; eos, qui numquam hostis vultũ adspexerũt, opibus ad sanctos vsus destinatis affluere, illisq. ad luxũ & vitæ lasciuiã intemperanter abuti. Sed hęc, quæ curare non possumus, lamentari desinamus. Suscepit deinde Emmanuel rei, quæ tũc in omniũ ore versabatur, deliberationem, de qua fuit a multis in consilio in cõtrarias partes disputatum. Veniebat enim in consultationem, vtrum Iudæi, qui fuerant a Castellæ Regibus expulsi, & in Portugalia morabãtur, essent expellendi continuo, vt fuerat Ioannis tempore cõstitutum, an potius, vt in sedibus, in quibus hoc in Regno considebant, habitarent, benignitate Regia permittẽdi. Castellæ

Sacrorũ militũ institutꝛ.

Ordinis militum Christi origo, & institutꝛ.

Milites facti p Lusitaniã castitatis religione soluti.

Laxatę sacrorum militum continẽtiæ reprehensio.

De Iudæis Lusitania eij ciendis consultatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Reges Emmanuelem per litteras admonebant,ne gentem sceleratam, & Deo,& hominibus inuisam, consistere in Portugalia sineret. Emmanuel rem maxima consideratione dignam esse statuit.Fuere,qui dicerent in cõsilio,non esse gentem illam eijciendam,quam Pontifex Maximus in Romanæ Ecclesiæ ciuitatibus habitare permitteret. Quo exemplo etiam dicebant,a multis Italiæ ciuitatibus, a multis præterea Christianis Principibus,non solum in Italia,sed in Germania,& in Pannonijs,& in quibusdam alijs Europę regionibus, esse Iudæis habitandi, & negotiandi facultatem tributam.Præterea,illis expulsis,non cõtinuo perfidiam ex eorum animis expelli: vbicumque enim impia gens pedem poneret, eadem sceleri vestigia relinqui. Non esse autem hominis sapientis, magis scelere vno in loco,quam in alio conflato permoueri. Deinde, si Iudæi in Africam (quod futurum nemo dubitabat, si fuissent e nostris finibus eiecti) traijcerent,omnem spem,quæ de eorum salute haberi potuisset, incidi. Inter Christianos enim,multi ex illis,Christianorum familiaritate,& exemplo,atque disciplina, allecti, sese ad Christi nomen adiungebant: quod inter homines Mahumetana superstitione contaminatos fieri haud quaquam poterat.Non esse præterea vtile Reip. vt hæc gẽs pecuniam, qua multi ex illis abundabant, ad Mauros asportaret,& artibus, quas a nostris acceperat, hostes nostros instrueret,quibus possent nostris non mediocre damnum inferre. Alij contra differebant, non sine caussa fuisse gentem illam expulsam e Gallia, & e multis Germaniæ locis, & ex Aragoniæ, & Castellæ Regnis: sed, quia fuisset a Principibus, qui non pluris vectigalium amplificationem,quam religionis integritatem, faciebant, explorate cognitum, tentari ab ea simplicium hominũ fidem,Christiq. nomẽ sanctissimum indignissimo conuicio maculari,multorumq. animos ex eorum consuetudine pestiferis erroribus contaminari, luemq. ad rustic anorum hominum perniciem serpere.Præterea,non esse sapientis, quidquam illis credere, qui hostes Christiani nominis sunt, nullaq. religione impediri queunt,quo minus omnia arcana, quæ inuestigare possent,hostibus nostris indicent, salutemq. nostram pecunia prodant. Quod si de commodis agendũ esset,multo certe commodius esse, gentem ad fraudem natam, antequam manus vectigalium viscеribus afferret, cum illis tantum bonis, quæ tunc habebat, expelli, quam, postquam omnes Regni opes in potestatem suam redigeret,tãta præda locupletatam dimitti. Tunc enim ea tantum asportaturos,quæ aliunde conuexerant. At,si diutius in Regno manerent, fore,vt multos mortales bonis omnibus,fraudibus, & dolis,quibus multum valebant,euerterent. Hãc sententiam secutus Emmanuel,statuit,vt omnes Iudæi,atque Mauri, qui Christi religionẽ profiteri nollent,e Regni finibus excederent; diemq. dixit, intra quam omnes, qui in illius Regno fuissent inuenti, libertatẽ amitterent. Initio sequentis anni, qui fuit a Christo nato M CD XCVII. Rex Fernandus, & Isabella,cum esset inter illos,& Carolum Galliæ Regem bellum acerrimum,Legatos in Portugaliam mit tunt, qui fœdera cum Ioanne facta, cum Emmanuele confirment,& amice postulent ab illo contra Carolum auxilium. Fœdera quidem summa Regis, & omnium, qui in consilio aderant, voluntate confirmata fuerunt. Quod vero ad postulatum attinebat,respondit Emmanuel, sibi esse cum Carolo pacem, foreq. sibi turpissimum, cum nullam a Gallis iniuriam accepisset,fœdus ictum violare,maxime cum bellum esset adeo longinquũ, nec Hispania Gallorũ armis peteretur.Quod si Gallus in Hispaniã signa conuerteret, tunc se,pro coniunctione,quæ sibi cum illis erat,auxilio futurum,& pro parte sua Gallorum impetum omni contentione repressurum. Fuit ab illo Castellæ Regibus, vt præse tulerunt, egregie hac responsione satisfactum.Instabat interim dies, quo Iudæi, qui Christiani fieri nollent,erant in exsilium ituri.Omnes igitur se ad nauigandum summa ope comparabant, cum Rex Emmanuel, indignissime ferens, tot hominum millia in sempiternum exitium detrudi,vt saltem filiorum saluti prospiceret, rem excogitat, facto quidem iniquam,& iniustam,animo tamen,& proposito fine laudabilem.Iusit enim,vt Iudæorum filij,qui nõdum decimum & quartum annum ætatis excederent,a parentibus abstracti,& ab illorum conspectu remoti, in religionis Christianæ disciplinam traderentur. Quod non sine magnis animorum motibus fieri potuit. Erat enim res visu mirabilis, a complexu matrum filios auelli; patres liberis affixos raptari,& fustibus etiam contundi; clamores ingentes vbique tolli; omniaq. mulierum plangore & eiulatu compleri. Fuere, qui, rei indignitate perturbati, filios in puteos abijcerent. Multi etiam eo progressi sunt amentiæ, vt sibi mortem propria manu consciscerent. Accedebat, ad grauiorem gentis miseræ calamitatem, quod illis, qui, tantis iniurijs affecti, in Africam transmittere cupiebant, facultas minime præbebatur. Rex enim adeo flagrabat cupiditate gentis illius ad Christi religionem perducendæ, vt partim præmijs alliciendam, partim malo cogendam esse iudicaret. Quamuis igitur nauigandi potestas esset Iudæis ex pactione facienda, id tame de die in diem differebat, vt mutandi consilij spatium intercederet. Itaque, cum in principio fuissent illis tres in Portugalia portus assignati,vnde conscenderent, interdixit,ne quisquã ex illis aliunde, quam ex Olysipponensi portu,

pellendis decretum.

Annus 1497.

Castellana ad Emmanuelem legatio.

Responsio.

Iudæorum liberi per vim ad Christianismum pertracti, & quid inde secutum.

Sententia contra Iudæos.

Emmanuelis de Iudæis ex

Vis, & dolus Iudæis illata.

tu, solueret. Quo factum est, vt innumerabilis Iudæorum multitudo Olysipponem confluueret. Interim vero dies dicta præterfluxit, ita,vt esset illis necesse, qui nondum emigrare potuerant,libertate spoliari. His tandem malis plerique victi,Christianam religionem aut ex animo profiteri, aut saltem callide simulare maluerunt, quam vitã in tanta acerbitate traducere. Cum fidei igitur Christianę confessione,fontibus sacris abluti,& filios, & libertatem recuperarunt, multisq. a Rege præmijs clementer inuitati,in Portugalię Regnis satis commode vitam exegerunt. Fuit quidem hoc nec ex lege, nec ex religione factum.Quid enim? Tu rebelles animos,nullaq. ad id suscepta religione constrictos, adigas ad credendum ea, quæ summa contentione aspernantur, & respuunt? Idq. tibi assumas, vt libertatem voluntatis impedias, & vincula mentibus effrenatis injcias? At id neque fieri potest, neque Christi sanctissimum numen approbat.Voluntarium enim sacrificiũ, non vi,& malo coactum ab hominibus expetit; neque vim mentibus inferri,sed voluntates ad studium veræ religionis allici, & inuitari iubet. Porro aũt,quis sibi id arrogare potest, quod solus Diuinus spiritus efficit in eorum animis,qui non ad extremum vitæ spiritũ illius benignitati repugnare contendunt? Ille namque solus est, qui mentes illustrat, & allicit, & inuitat; & eos, qui tantum munus non animo pertinaci, & ingrato repudiant, ad Christi confessionem,& societatem perducit.Postremo,quis non videt,quam indignum sit, hominibus in religionis studio suspectis tot mysteria,tot res sacrosanctas,tantam rerum Diuinarum rationem committere? Et sceleris occasionem ijs, qui Christi disciplinã ludibrio habent,incõsiderate præbere? Et ita religionem per religionis simulationem indignissime violari? Regis tamen animus multis merito laudandus esse videtur, quod id religionis studio, vt ea ratione gentis Hebrææ salus constitui aliquando posset,efficeret,maxime cum viri, religionis,& doctrinæ opinione præstantes,id licere dicerent, & fuisse iam a Principibus Christianis olim factitatum. Numquam enim defuere, nec vmquam deerunt, qui ad Principum gratiam aucupandã orationes accommodent.Fructus tamen eximios ab hac Regis actione, quamuis parum iusta,efferri quotidie videmus. Eorum namque filij,qui,vt suspicio erat multis iniecta,fidem nefarie simulabant,vsu,consuetudine, & disciplina,paterniq. sceleris obliuione, Christi religionem sancte colunt,& vitam ad disciplinam illius instituunt. Hac ratione Iudæi partim in exsilium migrarunt, partim Iudęorum nomen amiserunt. Mauri vero omnes, qui noluerunt a Mahumetis pestifera secta discedere,in Africam se cõtulerunt. Neque fuit eis aliquod incommodum illatum, quemadmodum Iudæis; ne Christiani, qui in Africa, vel Asia sub Saracenorum ditione viuebant, aliquod ob eam caussam malum paterentur. Hoc eodem anno Rex de nuptijs, quas appetebat,agere cœpit. Cupiebat enim,vt dictum est,Isabellæ,quæ fuerat Alfonso, Ioannis filio, nupta,matrimonio coniungi, eo quod mores illius,atque prudentiam adamaret.Id autem cum Aluaro,Fernandi Ducis fratre,qui plurimum apud Castellæ Reges poterat, communicauit. Qui, cum operam suam esset Emmanueli ad eam rem pollicitus, in Castellam redijt, & inde litteras ad Emmanuelem dedit, quibus significauit, Regum voluntatem mihi me ab eo matrimonij fœdere, quod ipse appetebat, alienam. His litteris excitatus Rex, Ioannem Emmanuelem,Regio cubiculo præfectum,virum singulari prudentia, ad Reges Castellæ legauit. Fuit hæc Legatio Regibus admodum grata. matrimoniumq. pactionibus rite confirmatum. Isabella iunior solum summa vi matrimonio resistebat. Partim nãque ex dolore, quem ex obitu Alfonsi perceperat,in ea ægritudine versabatur, vt fanari vix posset; partim, quod, bis nubere, parum honestum iudicabat, adduci non poterat, vt in hoc matrimonio parentibus morem gereret. Sed tandem, parentum monitis, & precibus victa, & hominum religiosorum orationibus inducta, qui illam admonebant, eo coniugio pacem, & otium totius Hispaniæ confirmari,parentibus obsecuta est.Interim, dum ea, quæ ad Isabellæ in Portugaliam aduentum erant necessaria,parabantur,Emmanuel negotium magnitudine clarum, sempiternaq. gloria dignum suscepit. Quod vt rectius explicari possit, est totius rei initium altius repetendum. Ioannes, hoc nomine primus,Portugaliæ Rex, qui Regnum,magna cũ gloria,hostium incursione liberauit, & clarissimas victorias consecutus est, ne in senectute quidem quidquam de studio gloriæ remisit. Itaque maximam classem instruxit, qua Septam Vrbem, Mauritaniæ maximam, & opulentissimam,atque munitissimam,in ora maritima Gaditani freti sitam, expugnauit. Inde fuit oblata occasio Lusitanis, qui in illius vrbis præsidio constituti fuerant, armis latius euagandi. Henricus deinde, Ioannis filius, cuius in expugnatione Septæ virtus admodum clara fuerat, hoc institutum longius persequi voluit. Classes igitur ædificauit, quibus Africæ litora, & eas Mauritaniæ regiones, quæ extra fretum ad Austrum pertinent, infestas redderet. Deinde, cupiditate incensus, terras ignotas exlorandi, dedit operam, vt ij, quos classibus præficiebat, multo longius progrederentur. Quo studio factum est, vt partim hominum fortium industria, partim variæ tempestatis euentu, non solum bona pars Africæ,quæ ad Aethiopiam pertinebat,

Rex excusatus.

Regij in Iudęos facinoris reprehensio.

Emmanuelis Regis cũ Castellanorum Regis filia pactę nuptię.

Rex Africanæ, & Indicę

Henricus, Ioannis, Portugaliæ Regis, filius, peregrinarũ nauigationũ auctor.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nauigationes ad austrũ suscepte.

verum & insulæ permultæ in Oceano sub Imperium Lusitaniæ subiungerentur. Quo autẽ terræ, ad quas nostræ naues appellebant, erãt magis longinquæ, maioraq. in illis monstra versari dicebantur, eo magis animus Principis optimi flagrabat studio remotiora perue stigandi. Fuit enim Henricus, vir animi maximi, & religionis sanctitate clarissimi. Neque tantum elaborabat, vt nomen suum clarum redderet, quam, vt Christi religionem propagaret: ad quod nihil magis vtile fore putabat hac nauigatione, vt posset Christi nomen apud Barbaras nationes, a situ nostro disiunctissimas, ad omnium salutem prodi. Vt autẽ id commodius efficeret, in ea Lusitaniæ parte, quam Algarbium appellant, in opido, Sagres nomine, quod abest a promontorio sacro passuum quattuor millia, consedit, vt inde classes mitteret, quæ viam in oras ad Solẽ orientem sitas aperirent. Ne autem, quo intendebat animus, omnino peruenire, fuit morte prohibitus. Obijt autem anno a Christo nato M C D L X. cum esset natus annos septem & sexaginta. Nullum autem filium reliquit. Nec enim vxorem habuit; immo per omne vitæ spatium totius libidinis expers fuit. Illo mortuo, Rex Alfonsus, Odoardi Regis, qui fuerat Henrici frater, filius, non potuit propter bella grauissima, quibus fuit exercitus, vltra id, quod fuerat Henrici opera lustratum, classibus explorare. Peruenit tandem Regnum ad Ioannem, Alfonsi filium, qui tanto studio, tantisq. sumptibus huic negotio institit, vt nostræ classes illius auspicio maximam partem Aethiopiæ perlustrarent, eoq. peruenirent, quo viri doctissimi olim suspicati sunt, fieri non posse, vt quisquam pertraret. Neque fuit contentus illius regionis cognitione, quæ æquinoctiali circulo subiecta est; (sic enim appellant Astrologi illum cælestis plagæ terminum, qui significrum orbem in partes æquales diuidit, eo quod, vbi sol eã cæli partem attingit, æquinoctium fiat) sed efecit, vt nostri, longius prouecti, vltra illam regionem, in qua ab extremo ex Australi parte Solis conuersio fit, incognitas terras latissime perlustrarent. Itaque fuit illis necesse, cũ essent a conspectu Septemtrionis remotissimi, vt alia sidera in cælo notarẽt Septemtrioni contraria, ad quæ cursum dirigerent. Sic autem, cum illud certamẽ fuisset institutum, vt quilibet alium nauigationis longitudine superaret, & vltra terminum, quem reliqui attigerant, perueniret, factum est, vt inciderẽt in promontorium, quo nullum vmquam maius in terris apparuit. A parte namque, quæ spectat ad occasum solis, latus illius incipiẽs, in Austrum adeo longo tractu procurrit, vt vltimus illius terminus ab æquinoctiali plaga gradus circiter triginta quinque distet. Gradum appellant Astrologi Latini trecentesimam & sexagesimam quamque partem earum, in quas omnes cæli, atque terrarum plagas tribuunt. Ab æquinoctiali vero regione ad sinum, ex quo promontorium inchoatur, Septemtrionem versus, quattuor circiter gradus intersunt. Hi triginta & nouem gradus efficiunt supra duo millia & septingenta milliaria. Hæc est illius terræ, quæ promontorium efficit, longitudo. Ab Ortu vero latus illius multo longius est. In eo vero flectendo, nostri eiusmodi tempestatibus iactati, & afflicta ti sunt, vt sæpenumero omnem spem salutis abijcerent. Quo factum est, vt Tormentosum illud promontorium appellarent. Tormenta enim apud nos, est idem, quod tempestas aduersa. Flexu Promontorij huius explorato, reuersi sunt. Cum autem Ioanni hulus promontorij situm, & longitudinem demonstrarent, tanta lætitia affectus est, vt existimaret, esse sibi iam aditum in Indiam patefactũ; &, quasi felicis euentus augurio commotus, promontorium illud, Bonæ Spei, nominare iussit. Homines interim partim Hebræos, partim Christianos, quos industrios, & sagaces esse cognouerat, Alexandriam misit, qui inde in Aethiopiam, quæ supra Aegyptum est, se conferrent, & inde in Indiam nauigarent, vt, qua ratione commodius ilie cursus, post illum promontorij flexum, in Indiam confici posset, ab hominibus peritis intelligerent. Classem præterea parare iussit, qua posset iter illud, quod tanto opere explorare cupiebat, haberi. Hos interim tantos Ioannis conatus mors oppressit: qui tamen cum Regni patrimonio, hãc etiam nauigationis explorandæ, imperijq. propagãdi curam Emmanueli quasi hereditariam reliquit. Multi fuere ex illis, quos Emmanuel in consilium adhibere consueuerat, qui eũ ab ea cogitatione conarẽtur abducere. Dicebãt enim, spem incertam esse, pericula certa, & ingentia; nauigationem fore difficillimam, Indiamq. esse a nostris sedibus maxima regionum longinquitate distantem; fieriq. non posse, vt tam immensi laboris fructus damna, quæ erant in tam periculoso itinere faciẽda, compensaret. Cogitaret præterea, sibi cum Aegypti Imperatore, quem Sultanum appellabant, qui plurimum in Oriente poterat, esse dimicandum. Deinde, si res ex animi sententia procederet, esse illi grauem inuidiã apud Christianos Principes cum magno discrimine subeundum. Si gloriam quæreret, satis magnam gloriam ex Africano bello, si in id totis viribus incumbere vellet, paratam esse. Si vtilitatem sequeretur, vtilitates innumerabiles ex illis Aethiopiæ partibus, quas partim imperio subiectas, partim fœdere deuinctas habebat, percipi posse. Hæc, & alia multa dicebantur a Consiliarijs, quæ tamen Regem ab instituto auertere minime potuerunt. Videbat enim, eiusmodi consilijs numquam Henrici, aut Ioannis mentem prohiberi potuisse, quo minus iter illud in fluctibus aperirent, ex

Sagris opidi situs.

Circulus æquinoctialis.

Promontorij Bonę Spei, inuentũ, eiusq. latus gradus quid.

Explorateres in Aethiopiam, Aegyptum, & Indiam emissi.

Nauigationis Indicę dissuasio.

Indica nauigatio, ab Emmanuele probata, & quære.

quo tam multæ Lusitaniæ rebus vtilitates illatæ fuerant. Intelligebat præterea, diffidentiam esse comitem animi pusilli, & angusti; spem vero maximam, perpetuo cum animi in gẽtis altitudine, atque singulari virtute coniunctam. Itaque maluit, fortium Principum exempla, quibus erat coniunctissimus, imitari, quam hominibus nimis cautis, omniaq. pericula metuentibus, assentiri. Mouebatur præterea augurio quodam, a Ioannis mente, & consilio ducto, quo illum viués admonuerat, vt, pro virtutis insigni, quod Regijs insignibus adiungeret, sphæram, in qua sunt cælestis regionis circuli descripti, gestaret. In quo qui dem portendebat futurum, vt Emmanuelis, quem iam vt heredem intuebatur, opera, incognita sidera, vltimæq. Solis orientis, & occidentis regiones ad nostrorum hominum cognitionem, cum maximo fructu, & nominis sempiterni gloria, peruenirent. Postremo, ardens studium, quo tenebatur Christianæ religionis amplificandæ, eum hominibus timidis auscultare nullo modo sinebat. Fernandum igitur Laurentium, virum impigrum, & auctoritate non mediocri præditum, accersit; eique, vt classem, quam celerrime possit, ornet, & omnibus rebus instruat, præscribit. Vascum Gamam, primum Indicę Classis præfectum, cum præterea Gamam, hominem nobilem, & singulari animi robore præditum, cui multũ fidebat, euocari iubet, eiq. classis imperium tradit, &, quid ab illo fieri vellet, demonstrat; multisq. verbis illum ad rem strenue, atque prudenter agendam adhortatur. Suscipit Gama prouincia, summasq. Kegi gratias agit, atque postulat, vt ipsius frater Paulus Gama, quem propter insitam virtutem vnice diligebat, sibi socius adscribatur: quod Rex facillime concessit. Fuit classis intra breue tempus ornata, & instructa rebus omnibus ad tã longam nauigationem necessarijs. Erat illa quidem exiguo numero hominum, propterea quod magis Orientis explorandi, quam expugnandi gratia tunc adornaretur. Quattuor enim naues fuerunt, e quibus vna commeatu tantum erat onusta. Naui prætoriæ Vascus Gama præfectus erat; alteri vero Paulus Gama; tertiæ Nicolaus Coelius; quartæ vero, quæ commeatus supplementum cõuehebat, Gundissalvum Nonium præficiunt. Aberat Olysippone prope litus quattuor passuũ millia templum sane religiosum, & sanctum, ab Henrico in honorem sanctissimæ Virginis ædificatum: quod postea, alterius amplitudine, & magnificẽtia, quod Emmanuel illi coniunctum in honorem eiusdem Diuinæ Virginis a fundamentis exstruxit, nomen amisit. In id Gama, pridie illius diei, quo erat nauẽ conscensurus, se recepit, vt noctem cum religiosis hominibus, qui in ædibus templo coniũctis habitabant, in precibus, & votis consumeret. Sequenti die, cum multi, non illius tãtum gratia, sed aliorum etiã, qui illi comites erãt, conuenissent, fuit ab omnibus in scaphas deductus. Neque solum homines religiosi, sed reliqui omnes, voce maxima, cum lacrymis, a Deo precabantur, vt bene, & prospere illa tã periculosa nauigatio omnibus eueniret, & vniuersi, re bene gesta, incolumes in patriam redirent. A multis tamen interim is fletus, atque lamentatio fiebat, vt funus efferre viderentur. Sic enim dicebant: En, quo miseros mortales prouexit cupiditas, & ambitio? Potuit ne grauius supplicium hominibus istis constitui, si in se scelestum aliquod facinus admisissent? Est enim illis immensi maris longitudo peragranda, fluctus immanes difficillima nauigatione superandi, vitæ discrimen in locis infinitis obeundum. Non fuit multo tolerabilius, in terra quouis genere mortis absumi, quam tam procul a patria marinis fluctibus sepeliri? Hæc, & alia multa in hanc sententiam dicebant, cum omnia multo tristiora fingere præ metu cogerentur. Gama tamen, quamuis lacrymas suorũ desiderio funderet, rei tamen bene gerendæ fiducia confirmatus, alacriter in nauem faustis ominibus conscendit, vij. Id. Iulij, anno a Christo nato M C D X C V I I. Qui in litore consistebant, non prius abscedere voluerunt, quam naues vento secundo plenissimis velis ab omnium conspectu remotæ sunt. Dum hæc geruntur, affertur Emmanueli nuntius, omnia, quæ ad Isabellæ matrimonium pertinebant, esse iam a Regibus Castellæ pro dignitate comparata. Itaque Sintra, quod opidum est ad radices Montis Lunæ situm, vbi tunc se continebat, Eboram proficisci contendit, eoq. multos homines primarios conuenire iubet. Isabella maior, cum Isabella iuniore, illius filia, Valentiam Alcantaræ, quæ est prope Portugaliæ confinia, similiter venit. Fernandus Rex adesse non potuit, inualetudine filij Ioannis impeditus; a quo tunc abesse, inhumanum reputabat. Sic enim erant inter virum, & vxorem officia dispertita, vt illa filiam deduceret, ille vero cum ægroto filio Salamanticæ remaneret. Sic tamen erat inter eos constitutum, vt, cum primum Ioanni meliuscule fuisset, Fernãdus ad filiam cohonestandam se Valentiam conferret. Cum tamen nuptiarum dilatio maior esset, quam Emmanuelis desiderium pati facile posset, scripsit ad Isabellam Reginam, se libentissime, si ei commodum videretur, Valentiam profecturum, vt ibi vxorem acciperet. Consuluit Regina virum per litteras. Qui respondit, se eo tempore non posse a filio diuelli, eo quod vita illius esset, propter morbi grauitatem, ad extremum discrimen adducta. Quod si vellet Emmanuel Valentiam ire, illius voluntati minime repugnaret. Illum tamen admoneret, vt magnum comitatum vitaret, omniaque maioris lætitiæ signa in aliud tempus differret. Regina continuo Emmanueli scripsit, vt, cum illi videretur,

Vascus Gama, primus Indicę Classis præfectus.

Classis Indica.

Vectores classem Indicam conscendunt.

Res Europæ.

Emmanuelis regis cũ Isabella nuptiæ. Sintrę opidi situs.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fernãdi Cabol ci filius moritur.

retur,eo cõtenderet.Is nullam moram interposuit,quin Valentiã peteret. Hic fuit Reginæ de morte filij nuntius allatus,quẽ illa taciturnitate cõpressum tenuit,ne generum mæstitiæ suæ participem efficeret. Id tamen diu Emmanuelem latere non potuit. Itaque postulauit a socru,vt,ante quam ea fama ad aures Isabellæ vxoris suæ perueniret,liceret sibi illam in Portugaliam secum ducere. Sic igitur Eboram se contulit:vbi tandẽ vxori mortem Ioãnis indicauit. Quod illa tulit molestissime. Ob huius Principis mortem omnis Hispania in luctu,& squalore versata est, Castellæ præsertim,& Aragonię populi, eo quod viderent,omnem masculæ prolis spem Regibus esse sublatam.Non enim alium filium marem habebant,præter Ioannem.Is autem vxorem duxerat Margaritam Maximiliani Imperatoris filiam,qui superiorem Pannoniam, quã nunc Austriam appellant, imperio continebat.Ea vero,quo tempore Ioannes obijt,vterum ferebat.Illa tamen tenuis spes,quam homines habere poterant de Margaritæ partu, ne Regnum ad Principes externos perueniret, fuit intra paucos dies abortu illius incisa.Sic factum est,vt ius hereditatis quod Ioãnes habebat, ad Isabellam sororem perueniret. Omnes enim illa sorores ætate antecedebat. Emmanuel interim nullo modo Regni vigilanter administrandi studium intermittebat.Operam igitur eo tempore dedit,vt iura possessionum,& immunitates populis sub certis cõdicionibus attributæ, & prouinciarum, & vrbium, & opidorum confinia perscriberentur,vt lites dirimi, & ciuitatum iura constitui, & terminorum ratio constare posset. Huius anni fine cum Regina grauida esset facta,Reges Olysipponem se contulere:ibi a Castellæ Regibus litteras accepere, quibus nurus abortionẽ significabant; & admonebant, vt in Castellam iter haberẽt,vt, tamquam legitimi Regnorum heredes, a populis fidem acciperent. His litteris,Rex,cum videret,illud iter sibi necessario suscipiendum, Concilium rursus indixit,in quo multas leges, quæ videbantur esse salutares,instituit. Anno autem sequenti,qui fuit a Christo nato MCD XCIIX. Kal. Aprilis Olysippone proficiscũtur, trecentis tantum equitibus comitati. Id enim Reges Castellæ ab eis postularant,ne se cum maximam turbam ducerent,vt vitarentur dissidia,quæ inter Castellanos, & Portugalenses in huiusmodi Regum congressibus, leuissimis de caussis excitari plerumque solent.In hoc tamen comitatu erant viri nobilissimi,inter quos fuit Georgius, Ioannis Regis filius,in quem tunc, quamuis puer esset, oculos omnes vbique conijciebant, & specie filij commoniti, patris nomen grata prædicatione celebrabant. Ibant autem omnes atrati,vt mestitiam, quæ animos omniũ, propter obitum Principis Ioannis,occuparat, habitu lugubri demonstrarent. Regibus Castellæ fines ingressis obuiam prodijt Metimnæ Sidoniæ Dux,atra veste similiter indutus: qui,vbi primum illis appropinquauit, ex equo desiluit,eorumq. manus osculatus est. Idem faciebant reliqui Principes, & omnes, qui erant vel nobilitate, vel dignitate præclari. In omnibus autem ciuitatibus, & opidis, admirabilis hominum frequentia, & celebritas illis occurrebat, & faustis acclamationibus insitã ex eorum aduentu lætitiam significabant,magniq. sumptus ab hominibus, qui opibus, & potentia præstabant,vbique eorum gratia fiebant.Cum Toletum appropinquarent,Fernãdus, vrbe egressus, illis obuiam processit, & vtrumque valde amanter, vt tantæ necessitudinis ratio postulabat,amplexus est. Ad portam Principes ciuitatis illos exspectabant,vt se illorum subditos, & verbis, & dimisso corporis habitu,& reliquis signis in Hispania vsitatis indicarent. Inde, cum iam aduesperascerer,sub aurea vmbella in templũ deducuntur:factaq. precatione,discedunt, & in Regiã intendunt,in qua tanta lætitia fuerunt ab Isabella excepti, vt videretur omnem ex animo dolorem, quem ex morte filij acceperat, eorum aduentu depulisse.Deinde,cum Rex omnes nostros satis benigne alloqueretur,Georgium tamen multo honorificentius accepit. Non autem passi sunt Castellæ Reges,multos dies intermitti;operamq. dederunt, vt id sine cunctatione fieret,cuius gratia Conciliũ Regni totius indixerant,& generum,atque filiã euocarant.Die Dominica,quæ secuta est,Emmanuel, & Isabella in templum deducti sunt. Dux Metimnensis, cuius paullo ante mentio facta est, pedibus ad Emmanuelis latus incedens,habenam equi illius manu tenebat: a læua vero Frienſis Dynasta simile officium Isabellæ iuniori præstabat. Hoc etiam modo magnus equitum Magister a dextera, Dux Albanus a læua Fernandum, & maiorem Isabellã deducebant. Archiepiscopus Toletanus rem Diuinam singulari cærimonia,atque sanctitate peregit.Religione rite procurata, Fernandus, & vxor assurgunt: ille generum, illa verò filiam manu apprehendit; & vtrumque in sellis in sublimi positis, & pulcherime instratis collocant; ipsiq. in alijs sellis ad eorum latera considunt. Ciuitatum procuratores in subsellijs ordine iam a multis ætatibus in Hispania recepto disponuntur.Principes,vt forte cuique locus obuenerat,ita cum sine offensione cuiusquam occupant. Amice namque Fernandus illos admonuerat, ne inter se de locorum dignitate cõtenderent.Se enim molestissime laturum, si id, quod summa animorum consensione geri cupiebat,intempestiua dissensione turbaretur. Silentio deinde facto, vir quidam,iuris ciuilis eruditione præstans, qui dicendi peritus habebatur,assurgit, orationemq. luculentam habuit, qua pacis commoda

Põpa Regia Toleti.

Oratio Iurisc̃onsulti ad Reges, & Proceres Hispaniæ in Principum inauguratione.

Annus nati Christi M. CD.XCIIX. Emmanuelis iter in Castiliam.

Margaritæ, Ioannis Principis vxoris, abortus.

moda,Hispaniæ totius otium, & tranquillitatem,incrementum imperij,& reliquas vtilitates,quæ ex Regnorum coniunctione sequi videbantur,expo suit.Hortatus est deinde Principes,& ciuitates,vt Emmanuelem,& Isabellam, quos Regum suorum heredes esse videbant,certatim amarent,& colerẽt, summaq. illis fide rebus in omnibus inseruirent,sperarentq. eos, quos iam sciebant esse Regijs virtutibus ornatissimos, similes futuros eorum Regum, quibus erant tempore a Deo constituto successuri. Deinde, ad Emmanuelem,& Isabellam conuersus,eos admonuit,vt cernerẽt animo,quod eis munus imponeretur.Eorum namque officium esse,consulere populis, tueri innocentiam, coercere improbitatem, dare salutem,propulsare pericula, conseruare,& bonis omnibus amplificare Remp. Hæc vbi perorauit, quidam sacrorum Antistes assurrexit,& librum, qui Euangelia, & sacrorũ rationem continebat,explicuit,& in medio illius Crucem auream imposuit;deinde cum libro ad Principes heredes accessit,eisq. dixit, vt manibus Crucem tangerent. Cum deinde is verbis præiret, ipsi se se sanctissimo iureiurãdo constrinxerunt,fore,vt iura populis administrarent,libertatem Reip.conseruarent, omniumq. saluti summa contentione prospicerent.Hoc facto,magnus equitum Magister librum e Patriarchæ manibus assumit, illumque tenens iurat,se Emmanuelem, & Isabellã pro veris,& legitimis suorum Regum heredibus habiturum,eorumq. imperio semper obedientem futurum,summaq. fide pro eorũ amplitudine,& dignitate pugnaturum. Deinde reliquos Principes, & ciuitatum legatos eodem iureiurando constrinxit.Tum omnes ordine ad Principes,quibus fidem dederant,accedunt,eorumq. manus osculantur.Quod tamen Toletani ciues eo in loco facere noluerunt.Non erit autem abs re,explicare rationem, quamobrem Toletani officium illud tũc obire noluerint,vt intelligi possit,quam leuibus de caussis plerumque soleant in populis, nisi malo nascenti prudẽter fuerit occursum, turbulenta dissidia concitari.Fuit olim in Hispania inter Burgenſem,& Toletanam ciuitatem, quæ reliquis anteire videbantur, de dignitate summa contentio,cum Burgenses ciuitatem suam esse Castellæ Metropolim constanter assererent, Toletani vero Hispaniæ Principatum ad ciuitatem suam reuocarent. Neque lis vmquam dirimi potuit,nec vlla cõdicione fieri, vt vna ciuitas alteri quidquam de iure suo remitteret. Itaque periculũ erat, ne, quoties Reges Concilium euocarent, ij, qui ciuitatis vtriusque nomine conuenerant, ad manus venirent.Alfonsus igitur,hoc nomine vndecimus,cum Compluti indictum Concilium haberet, vt hanc cõtrouersiam aliqua ratione tolleret,in omnium conuentu, antequam litis vlla mentio fieret, inquit, Toletanos scio imperata libentissime facturos, loquantur Burgenses. Hac Regis oratione conquieuere, cum vtrique se prælatos existimarent.Toletani quidem,quod Rex ante omnes eorum nomine locutus esset;Burgenses vero, quod primi omnium per se sententiam dixissent.Hanc deinde consuetudinem Reges omnes Castellæ secuti sunt, quoties Conciliũ est ab illis indictum. Alicuius tamen contentionis vitandæ gratia, noluere Toletani in illo conuentu illud officium facere:sed,postquam a templo discessum est, ante quam Reges in ædes Archiepiscopi,vbi paratum,& instructũ erat conuiuium,peruenirent, in ipsa via, ad Emmanuelem,& Isabellam suppliciter adeunt es,eorum manus osculati sunt.Dimisso Concilio,Fernandus Aragoniam, cum vxore, & genero,atque filia,petere contendit,vt, similiter, atque in Regno Castellæ fecerat, illius Regni fidem Principibus obligaret. Iter autem ita fecerunt,vt,quacumque pergerent,ef fusa multitudo illis obuiam cum incredibili voluptatis significatione prodiret, multique Dynastæ,& ciuitates etiam permultæ omnia, quæ ad victum,& Regium luxum erant necessaria,abunde submministrarent.Cæsaream tandem Augustam peruenere Kalẽdis Iunij.Fuerũt autem ab ea ciuitate, cum admodum solemni pompa,immodicisq. cærimonijs,de more gentis illius, excepti. Paucis inde diebus ad quietem sumptis,statuit Fernandus,vt Cæsarauguſtani,perinde,atque fecerant Castellani,sine vlla mora fidem Emmanuelis, & Isabellæ verbis conceptis obligarent. Negarunt Cęsarauguſtani,id sibi licere,antequam ciues Valentini,& Barchincnenses, qui suarum ciuitatum iura tuerentur,eo conuenirent. Instititit nihilosecius Fernandus, non esse,cur illos exspectarẽt, quos sciebant idem officium suo tempore, atque loco præstituros. Neque esse illis in re minime dubia cunctandum.Respondent,non esse rem adeo facilem, vt non magnam consultationem requireret. Sed de fide danda minime dubitare;sed de modo, & condicione,qua erant fidem daturi. Ad eam autem deliberationem commodius habendã, opus esse sociorum aduentu,vt cõmunis caussa communi etiam consilio sustineri posset. Quod, si vellet, vt ipsi statim fidem suam adstringerent,se id libenter facturos; ea tamen condicione,vt prios Emmanuel,& Isabella iurarent,fore, cum primum venirent in Regni possessionem, vt iura, & immunitates, quas Fernandus ipse Aragonię populis abstulerat, sine vlla cunctatione restituerent.Respondet Fernandus, se nulla condicione passurum, vt ea, quæ propter summam iniquitatem sublata fuerant, populis, qui illis abutebantur ad innumerabiles iniurias, redderentur. In his altercationibus fuere tres menses cũ non mediocri Regum offensione consumpti. Cum vero multæ caussæ dissensionis intercederent,il la ta-

Emmanuel & Isabella Castellæ Regno inaugurantur.

Castellanorũ Regũ, in Aragoniam iter.

Cæsaraugustæ Emmanuelis fidē dare recusat.

Toletanorũ & Burgensiũ veteris dissidiũ, vnde ortum, & quomodo sopitũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

la tamen potissimum Regum animos percu-
lit, quod dicerent Cæsarauguſtani, hoc iure
ſemper Aragoniæ Regnum fuiſſe, vt numquã
imperiũ feminę vllius acciperet. Quod ſi Rex
ſine prole virili decederet, eſſe populis liberũ,
euocato concilio, eum Regem eligere, quem
Regno, propter virtutem, dignum iudicarẽt.
Interim vero Cæsarauguſtani, de libertate ſol
liciti, clamculum arma in certas domos com
portare, colloquia inter ſe de communibus re
bus habere; nihilque omnino prætermittere,
Iſabella natus filius Michael. quo ius ſuum modis omnibus retinerent. Sed
omnes hos motus ſedauit Iſabellæ iunioris
partus. Octauo enim Kal. Septembris peperit
filium, cui fuit inditum nomen Michael. Hu-
ius nepotis exortu tanta fuit affectus lætitia
Fernandus, vt contineri nõ poſſet, quin voce
maxima omnibus de nato Principe, Hiſpaniæ
totius herede, gratularetur. Sed vt ſunt res hu
Iſabellæ inioris mors. manæ fluxæ, & inſtabiles, ſummæq. lætitiæ exi
tu triſtiſsimo ſæpenumero concluduntur, illa
ſumma Regum voluptas, illæ Principum gra-
tulationes, & ciuium plauſus in acerbiſsimũ
mærorem ſubito conuerſi ſunt. Iſabella nam-
que, antequam pareret, ægrotabat; &, quo ma
gis appropinquabat partus, eo maiora ſigna
imbecillitatis oſtendebat. Cum vero filium
enixa fuiſſet, tanta vis ſanguinis ex illa pro-
fluxit, vt vires eam omnino deficerent, vſque
eo, dum extremum ſpiritum in complexu pa
tris ederet. Eluxit autem in illa ſingulare pu-
doris, & probitatis, & prudentiæ, & religio-
nis ſpecimen: quarum etiam virtutum in illo
vltimo vitæ actu claram ſignificationem de-
dit, cum ea diceret, & teſtificaretur, quibus
poſſet intelligi, eam parum de hac miſera vi-
ta, multum vero de illa ſempiterna cogitare.
Funus fuit cum multis omnium lacrymis in-
ductum. Emmanuel, vbi funeri iuſta perſoluit,
& ea, quæ fuerant teſtamento legata, diſtri-
buit, a Fernando, & Iſabella, magno cum dolo
re, vt in Portugaliam rediret, diuulſus eſt. Nõ
Emmanuelis in Portugaliã reditus. potuit enim diſceſſus ille abſque fletus acer-
bi renouatione fieri, cum veniret illis in men
tem, quali filia fuiſſent orbati, & Emmanuel
in memoriam reuocaret, ſe vxorem omnibus
virtutibus ornatiſsimam amiſiſſe. Fuit autẽ
a multis Principibus in Portugaliam vſque
deductus. Sed, cum eſſet in itinere, in opido
Emmanuelis ad Pontificẽ Max. legatio pro reformãda Eccleſia. nomine Aranda, quod Durius alluit, miſit ad
Alexandrum Legatos, qui eum admonerent,
vt rebus Eccleſiæ proſpiceret. Nam mores eſ
ſe profligatos, pietatis ſtudium reſtinctum,
flagitiorum licentiam ſolutam, res ſanctiſsi-
mas pretio indigniſsimis addici. In Vrbe, quę
fuerat pietatis, & ſanctimoniæ domicilium,
officinam impudentiæ, atque ſceleris inſti-
tui, Eccleſiamq. Romanam inſigni infamia
flaglare, remq. eſſe in extremum pęne diſcri
men adductam. Proinde ſe illum orare, & ob-
ſecrare, & per Chriſti ſanguinem obteſtari,
vt iret obuiam ſceleri, reſecaret libidinem,
coerceret auaritiam, moreſq. laxos diſcipli-
na ſeueriore deuinciret, tantumq. munus pro
dignitate tueretur, & Remp. Chriſtianã, quæ
tantis vitiorum exemplis erat a ſtudio pieta
tis auerſa, pietatis exẽplis ad officiũ reduce-
ret. Legati fuere, Rodericus Caſtrenſis, Enri-
cus Coutignus, & Fernandus Coutignus, viri
claris natalibus orti, & prudentia non vulga-
ri prædíti. His autem mandauit, vt hanc Le-
Emmanuelis filius Michaelei Hiſpanię Portugaliæq. Regno inauguratur. gationem cum Fernandi Regis legato com-
municarent, quẽ Fernandus, vt cũ Emmanue
le Cæsarauguſtæ conſtituerat, ea etiã de cauſ
ſa erat Romam miſſurus. Vbi Legatos miſit,
fuſtis itineribus in Portugaliã redijt, & Oly-
ſipponem peruenit, tertio Idus Octobris. Ibi
per litteras Fernandi, & Iſabellæ certior fa-
ctus eſt, Michaelem filium ſuum, ſumma Ca-
ſtellæ, & Aragoniæ conſenſione, fuiſſe legiti-
mum Principem, & Regnorum illorum hered-
dem, declaratum, fidemq. illi ab omnibus pu-
blice datam. Rogabant autem, vt idẽ in Por-
tugalia fieret: id enim valde ad Regnorum
tranquillitatem pertinere. Emmanuel igitur
Annus a Chriſto nato MCDXCIX anno ſequẽti, qui fuit a Chriſto nato MCD
XCIX. ad eam rem ſine vlla mora peragen-
dam, concilium indixit. Omnes ſine vlla recu
ſatione cõueniunt. Is ab omnibus poſtulat, vt
fidẽ dent, ſe Michaeli, ipſius vnico filio, tam-
quã ſucceſſori legitimo, fore ſemper, poſtquã
ille ad Regnum peruenſſet, obſequentes. Illi
priuſquam fidẽ darent, ab eopoſtularunt, vt
nomine filij promitteret, idq. iuramento con-
firmaret, vt numquã neque iuriſdictiones, ne
que vectigaliũ adminiſtrationes, neque arciũ
præfecturæ ad Portugaliæ ditionem pertinen
tes, ſiue citra, ſiue vltra mare, alicui, qui non
eſſet natura Portugalenſis, vllo tempore, aut
cõdicione mandaretur. Quod Emmanuel fa-
cile cõceſſit. Illi igitur fidẽ publice abſẽti Mi
chaeli dederunt: & Emmanuel promiſſionis
ſuæ fœdus propria ipſius manu conſignatum
iuſsit vt publico teſtimonio ad memoriã ſem
piternam confirmaretur. Et hæc quidem eo
anno in Luſitania geſta ſunt. At Legati, qui
ab Emmanuele Romam miſsi fuerant, cum
primum Romam peruenere, omnẽ Legatio-
Legationis Luſitanæ apud Pontificẽ ſucceſſus. nis rationem cum Garſia Laſſo, Fernandi Re
gis legato, vti fuerant iuſsi, communicant. Re
ita̧que deliberata, omnes ad Pontificẽ adeũt,
cumq. Regum nomine ſuppliciter orant, ob-
ſecrant, & obteſtantur, vt velit flagitiorum in
cendium pietatis ſtudio, & iudiciorum ſeueri
tate reſtinguere. Neque ſemel hoc ab illo libe
ra voce contendunt; ſed ſæpius inſtant, & vr-
gent, & publico etiam teſtimonio poſtulata
conſignant, vt eſſet omnibus teſtatum, nihil
ab Hiſpaniæ Regibus omiſſum fuiſſe, quod ad
labentis Eccleſiæ inſtaurationem pertineret.
Pontif. Max. ad Emmanuelem nuntius, & dona. Quæ quidẽ admonitio hunc fructum habuit,
vt Pontifex deinceps non ita diſſolute Remp.
gerere videretur. Præ ſe autem tulit, admoni-
tionem illam ſibi non ingratam accidiſſe. Nõ
poſt

poſt multos dies nuntium ad Emmanuelem
miſit, cum donis ab illo ſollenni precatione
conſecratis. Dona autem fuerunt, enſis, & pi-
leus. Ea dona Emmanuel grata volũtate pro-
ſecutus fuit, nuntiumq. muneribus ornatum
dimiſit, Pontificiq. per litteras declarauit, ſe
Res Indicæ. Primus de India exploratа nuntius. fore ſemper, vt eũ religio facere admonebat,
ſtudio illius incenſum. Hoc eodem anno, quin
to Idus Iulij, Emmanuel primum nuntium de
rebus Indicis auſpicio ſuo exploratis acce-
pit. Quod quemadmodum geſtum fuit, eſt ab
Indicæ nauigationis deſcriptio. Inſula ſancti Iacobi. iniitio repetendum. Gama, vbi primum ſoluit
Olyſippone, curſum ad Fortunatas inſulas di
rexit: deinde Inſulam, quam appellant Sancti
Iacobi, quæ reſpicit Aethiopiam, luſtrauit. In
de vero, vt in mandatis habebat, nauigatio-
nem Solis ortum verſus inſtituit, donec terrã
conſpicatus eſt, & ad eam continuo naues ap
pellere iuſsit: in magnumq. ſinum ingreſſus,
vela contrahere, anchoraſq. demittere præ-
cepit. Nicolaum deinde Coelium miſit, vt, ad
oram illam propius accedens, exploraret, an
eſſet aliquis fluuius, ad quem ſe aquandi gra-
tia conferrent. Tres enim menſes aduerſis tẽ
peſtatibus agitati, in illius oræ nauigatione
conſumpſerant, & aquæ inopia laborabant.
Coelius, vt fuerat iuſſus, litora illa perluſtrãs,
in fauces fluminis incidit, cuius aquæ erant
dulces, & riparum veſtitus viridiſimi. Quod
cum Coelius Gamæ nuntiaſſet, is ad eam par
tem vela continuo fieri iuſsit, vt omnes aqua
ri, atque lignari poſſent. Ibi Phocas ingentes,
quarum magna copia erat, ceperunt, & earũ
carnibus refecti ſunt. Hoc autem erat Gamæ
inſtitutum, vt, quibuſcumque terris inſiſteret,
mores gentis, & inſtituta perdiſceret. Itaque
dedit negotium certis hominibus, vt aliquẽ
ex illis, qui regionem eam colebant, vel aſtu,
vel vi caperent, ex quo poſſet id, quod vole-
bat, cognoſcere. Fuerunt autem ad illũ perdu
cti homines colorati, breui, & criſpo capillo,
quorũ tamen linguam nemo ex illius comita
tu, qui multas Aethiopiæ linguas nouerãt, in
tellexit. Fuere tamẽ a Gama benigne accepti
atq. veſtibus, & muneribus, quibus capiebã-
tur, allecti, vt alios ad noſtros perducerẽt. Mu
nera fuere tintinnabula, & vitrei globuli, &
alia eiuſmodi. Fuit deinde noſtris cũ illa gẽte
Familiaritas cum Aethiopibus importuna dirempta. familiaritas inſtituta, cũ Aethiopes illi mul-
ta ſupportaret ex illis fructibus, & carnibus,
quas tellus ſuppeditabat, quæ ad victum erãt
valde neceſſaria; & illos noſtri veſtibus mi-
nimi pretij, & rebus leuiſsimis, quas illi ta-
mẽ plurimi faciebant, ornarent. Signis autẽ,
& nutibus, quid alterutri ab alteris fieri vel-
lent, ſignificabant. Sed hanc conſuetudinem
vnius hominis amentia diremit. Qui, cum in
eorum familiaritatem ſe penitus immerſiſ
ſet, petijt a Gama, vt liceret ſibi in illorum in
timas ſedes penetrare. Deductus igitur ab
eis, cum illi in via Phocam ingentem interfe-
ciſſent, fuit illius carnibus ſatis opipare, & ap
parate, vt illi quidẽ ſuſpicabantur, acceptus.
Is, cum dapes appoſitas, quod non eſſent ſui
ſtomachi, faſtidiret, ſe continuo in naues reci
pere voluit. Illi eum humaniſsime proſequun
tur. At is certus eſſe non poterat, an truderе-
tur ad ſupplicium, an potius honoris gratia
tanto comitatu ſæptus duceretur. Metus ta-
mẽ omnia triſtiora fingere cogebat. Itaque,
vbi litori appropinquarunt, quaſi vinctus tra
heretur, opem magnis vocibus implorauit:
noſtri ſubſidio occurrerunt. Illi fugæ ſe repen
te mandarũt. Gama cum reliquis ducibus in
terram deſcendit, vt facilius poſſet ſolis ab
æquinoctiali plaga diſcrimẽ in Aſtrolabio cõ
templari. At illi, qui fugerant, in ſilua, vbi ar-
Aethiopum arma. ma repoſuerant, (ignorabant enim, quali ani
mo noſtri ad eas oras accederent) ſe occulta-
bant. Arma vero, quibus plurimum vtebã-
tur, erant cornua quædam acutiſsima haſtis
præfixa, quibus ſumma vi contortis, non le-
uius vulnus infligebant, quam ſi præacuta ia-
cula coniecíſſent. Ibi igitur, cum noſtri in li-
Pugna inter Luſitanos, & Aethiopes. tore, ſine vlla periculi ſuſpicione, verſarẽtur,
illi ex latebris emerſi prouolant, & in noſtros
impetum faciunt, & multos conuulnerant, in-
ter quos Gama im pede vulnus accepit. No-
ſtri ſe multo celerius, quam fuerant opinati,
recipiunt. Ita factum eſt, vt vnius hominis væ
Sinus S. Helenæ. ſani temeritas aquationẽ illam inſeſtã redde
ret. Sinũ illum noſtri S. Helenę ſinũ nominant:
S. Iacobi fluuius. fluuium vero eadem ratione S. Iacobi notan-
dum exiſtimarunt. Vt enim ſollemnes dies ca
debant, qui erant Diuorum memoriæ conſe-
crati, ita noſtri nomina terris, & inſulis, & flu
minibus incognitis, quæ diebus illis primum
viderant, imponebant. Anchoris inde ſolutis,
iter Auſtrum verſus inſtituunt, promotoriũq.
Bonæ Spei ſuperare contendunt. In illo autẽ
Gamę virtus curſu valde Gamę virtus enituit. Fluctus erãt
immaniſsimi: tempeſtates perfrigidæ, & ad-
uerſæ: tenebræ vero, aſsiduæq. procellæ, cum
ſemper in illa regione ſtatis temporibus, qui-
bus ſol Septemtrionalem plagam luſtrat, val-
de horribiles ſint, atque pertimeſcendæ, tum
illis, qui nondum fuerant eos fluctus experti,
tantum terroris injiciebant, vt omnem ſpem
ſalutis abijcerent. Naues enim ita iactaban-
tur, vt modo nubes cõtingere, rurſus in imas
profundi voragines detrudi viderentur. Ad
hoc malum accedebat, quod vltra progredi
nequibant. Demiſsis igitur velis, ventis obſe-
qui cogebantur, ita tamen, vt varios flexus,
atque reflexus inirent, ne retrocederent, ſed
tempeſtatis aduerſæ finem in fluctibus expe-
ctarent. Quoties vero aliquid laxamenti da-
batur, homines examinati metu Gamam cir
cumſiſtebant, illumq. orabant, & obſecrabãt,
ne vellet ſe, homineſq. illius fidei commiſſos,
tam horrendo genere mortis exſtingui. Flu-
ctibus diu repugnari non poſſe: cederet tem-
peſtati, & claſſem, ante quam fluctibus mer-
geretur, in patriam reduci permitteret. Cum
is con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Insidiæ Gamę structę.

is constanti animo postulata reijceret, multi de nece illius coniurationem habuerunt. Id cum Gama, Pauli fratris indicio, cognouisset, insidias summa vigilantia declinauit, & vincula magistris iniecit, ipseq. per se summi magistri munus obiuit. Tandem, cum multis diebus hanc tempestatis, atque perfidiæ molem inuicto animo pertulisset, tempestas commutata est, & ipse cum reliquis ducibus ad finem promõtorij peruenit, quod omnes xx. die Nouembris cũ incredibili lætitia flectere incepe-
Extremorum Africæ litorũ descriptio. runt. Arbitrabantur enim, eo superato, nihil sibi impedimento futurum, quo minus eo, quo tendebant, felicissime peruenirent. Ita vero nauigabant, vt numquam a terra procul abscederent, & illius situm, & fertilitatem cum iucunditate perciperent. Videbant enim ingentes siluas, & densa nemora, & pecudum, & aementorum greges innumerabiles, & homi-
Mores incolarum. num etiam multitudinem, qui passim vagabantur. Sunt autem homines colore, & specie illis simillimi, qui in sinu Sanctæ Helenæ visi fuerant. Cum loquuntur, singultire videntur: nudi ambulant, pudenda ligneis vaginis includunt: fistulis vtuntur, quas non admodum absurde modulantur. Tuguria sibi ex lateribus sole adustis, aut e terra faciunt, quæ culmis deinde, atque congestis globis contegũt. In promontorij illius latitudine superanda nostri quinque dies posuerunt. xxv. die Nouembris promontorium superant, atque ad Septẽtriones cursum inflectunt. Ab vltimo pro-
Sancti Blasij aquatio. montorij flexu, qui ad Orientem spectat, abest sinus, quem nostri Sancti Blasij aquationem appellant, cc. & xx. passuum millia. Tellus est fertilis: nutrit elephantos ingentes, & quamplurimos boues valde opimos, quibus incolæ clitellas imponunt, eisq. pro iumentis vtuntur. In intimo sinu est parua quædam insula, ad quam nostri aquandi gratia naues ap-
Phocarum feritas. pulerunt. Ibi phocarum armenta conspexere admiranda quadam multitudine. In
Sotilicarij aues. quibus inerat tanta feritas, & truculentia, vt in homines irruerent. Aues etiam eo in loco visæ sunt, quas incolæ appellant Sotilicarios, pares anseribus magnitudine; plumis minime vestiuntur; alas habent similes alis vespertilionum; volare nequeunt, sed, explicatis alarum membranis, cursum celeritate summa conficiunt. Inde carnibus emptis, & aquatione facta, nostri profecti sunt. Octauo die Decembris subita quædam tempestas illos vehementer exterruit, & a terræ conspectu procul abstraxit. Sedata vero tempestate, rursus ad terram propius accedunt. Cum enim nondum esset nostris in illis regionibus nauigandi ratio penitus explorata, minime tutum videbatur, a terra longius abduci. Vident autem paruas insulas, quæ paullo
Insulę quędã paruę, sed amœnissimæ. longius cc xxx. passuum millibus aberant ab eo loco, vbi vltimam aquationem fecerant. Erant autem amœnissimę, arbores altissimę, prara viridissima, pecora innumerabilia, quę passim vagabãtur. Erat summa trãquillitas, pelagus profundum, ita, vt sine periculo possent ad terram accedere, &, qualis esset, cum iucunditate perspicere. Sic, omnem illam orã legentes, decimo Ianuarij die insequentis anni, magnam hominum, & mulierum multitudinem in terra ambulare conspiciunt. Erant omnes colore subnigro, vt reliqui, quos in oris illis viderant, corpore procero, & specie liberali. Hic Gama proras ad terram flectere iubet. Misit deinde virum linguarum peritissimum, qui, nomine illius, gentis Rectorem honorifice salutaret, eique munera deferret. Fuit nuntius libenter acceptus, & cum muneribus illis, quæ tellus ferebat, dimissus. Hæc gens erat reliquis humanior, & lautius vitã instituebat: brachia armillis ęneis ornabat, & capita similiter æneo cultu amiciebat. Viri pugiones gestabant, cum manubrijs stanneis, non admodum inscite fabrefactis: vaginæ autem erant ex ebore. Hic reliquit Gama duos exsules, qui mores, & cultũ gentis exacte perdiscerent. Erant enim in ea classe decem homines capite damnati, quibus fuerat ea lege vita concessa, vt, quibuscumque in locis a Gama relicti fuissent, regiones lustrarent, homi-
Flumen bonorum signorum. numq. mores, & instituta cognoscerent. Inde profecti, decima quinta die Ianuarij ad fauces ingentis fluuij peruenere, cuius ripas vndique arbores fructibus onustæ diffusis late frondibus opacabant: tellus erat herbida, & amœna. Hic iactis anchoris constitere, vt sequenti die (Sol enim iam præcipitabat) terræ cultum diligenter inspicerent. Mane vero cõspiciunt multos homines eiusdem prope coloris, & cultus, lintribus inuectos, ad naues tendere. Qui, simul atque ad eas accesserunt, sine vlla fraudis suspicione conscenderunt, fuerũtque a nostris cibo, atque potu liberaliter acce-
Barbarorum ad Gamã legatio. pti. Linguam tamen eorum nemo ex nostris quiuit intelligere. Nutibus tantum, quidquid exprimere volebant, significabant. Post tres dies venere quattuor viri, regionis illius principes, vt Gamam salutarent, & classem nostrã viderent. Erant autem hi paullo elegantius culti: quos Gama appositis epulis inuitauit, & vestibus sericis ornauit: quibus illi non mediocri lætitia se affectos esse demonstrarunt. Sed nec ab illis intelligi quidquã potuit, per quod nostri possent, quam longe ab India, aut quam prope essent, aliqua ratione suspicari. Vnus tamen male Arabice dixit, ad regionẽ, vnde paucis illis diebus venerat, naues eiusmodi formę, atque magnitudinis, qua nostras esse conspiciebat, frequenter appelli, quę quidẽ nõ erat ita magno interuallo ab eo portu disiuncta. Nostri, cum id audirent, in spem venerunt, fore, vt intra breue temporis spatium Indiam adspicerent. Id monuit Gamam, vt il-
Columna lapidea ad ripam fluminis bonorum signorum erigitur. li fluuio, Bonorum signorum nomen imponeret. Hic autem columnam lapideam in ipsius fluminis

fluminis ripa collocauit, in qua erat Crux, cum Emmanuelis insignibus incisa. Hoc autem faciebat in portubus, quos ad Christiani nominis gloriam, & ad Regis clarissimi monumenta diutius conseruanda, magis opportunos indicabat: & ad eam rem multæ columnæ eiusmodi fuerant nauibus illis impositæ. Terra vero illa, statuit, vt nomine Sancti
Terra S. Raphaelis. Raphaelis insignis esset. Hic duos reliquit ex illis, quos diximus vitam exsilio redemisse. Hic postquam naues refecit, & infirmos curauit VI. Kal. Martij anchoras moliri, an-
Insulæ quatuor, inter quas Mozãbique. tennas erigi, velaq. fieri iubet. Kalendis autem Martij conspiciuntur a nostris quattuor insulæ, non ita lato mari a se inuicem distantes. Ex vna illarum Coelius septem nauigia plenis velis inuecta ad nos accedere conspicatus est. Qui illis vehebantur, cum prætoriam nauem ex vexillo, quod erat in summo malo alligatum, cognoscerent, ad eam proras detorquent, propiusq. facti, magno clamore sublato, nostros Arabice salutant. Ibi Gama Coelium, quod nauis illius esset aliarum minima, præcedere iubet, & ad eam insulam cursum dirigere, vnde nauigia soluisse conspexerat. Præit sensim Coelius; &, fundo prius diligenter explorato, reliquæ paullatim subsequuntur. Nauigia interim nostras naues circumsistunt; & tibiarum concentu, &
alijs musicis instrumentis, nostros oblectant; eisq. de aduentu in illas oras maxima voce gratulantur. Homines autem erant colorati, specie liberali præditi, vestibus bombycinis ornati: longissimis linteis, auro intertextis, & arcte compressis, vt spiris multifariam circumductis caput obtegerent, ornabantur. Erant præterea aduncis gladijs accincti, parmasq. brachijs insertas gestabant. Nostras naues ingressi, nostros Arabice salutant. Qui linguam prope tenebant, benigne
respondent. Gama dapes apponi iubet. Illi conuiuium nõ aspernantur. Dum comedunt, & bibunt, scisciatur de illis Gama, quod esset illius insulæ nomen, quæ gentis ratio, & cultus, & quod iter inde in Indiam esset habendum. Respondẽt, insulę nomẽ esse Mozzambique: gentem esse simulacris deditam, magnã tamen insulæ partem a mercatoribus Saracenis habitari: esse vero illam sub imperio
Rex Quiloæ Regis Quiloæ, qui illi rectorem præfecerat hominem auctoritate insigni prædium: emporium vix aliud celebrius in regionibus illis reperiri. Inde enim naues in Arabiam, in Indiam, in multas præterea orbis terrarum partes nauigare, & ex omnibus illis merces innumerabiles in eam conuehi. Præterea, dicunt esse quandam in ea ora regionem, quam
Zofala auriferæ regio. nostri fuerant præterecti, quæ Zofala nominabatur, & auro plurimum abundaret. Postremo, quantum ab ea insula Calecutium distaret, exponũt. Hoc audito, nostri manus in cælum tendere, summas Deo gratias agere, seq.

maxima ex parte laboribus perfunctos arbitrari. Insula est illa in regione, quam appellabant olim Aegesimbam. Distat enim ab æqui-
Insulæ Mozambiquensis situs. noctiali plaga decem & sex gradibus; Austrũ versus. Incolæ sunt nigri: tellus propter paludes est parũ salubris. Domos exstruũt e terra, quas congestis paleis integunt. Propter tamẽ opportunitatẽ commercij, naues vndique ad illã rei gerendæ gratia commeabant. Arabes tunc plurimum in ea opibus, & potentia florebãt. Hi myoparonibus paruis vtebãtur, eisq. ferreis clauis minime reuinctis, sed palis terebus per foramina vice clauorũ adactis. Cõ-
Palmarũ arborũ descriptio. pages vero nauium fumibus e palmarũ foliis factis obturabant. Palmas autem appellant arbores altissimas, foliis longissimis, & acutis simis hirsutas, patulis frondibus circumquaque diffusis vmbrã gratissimã efficientes. nuces ferunt ingentis magnitudinis, quas nostri Cocos nominant. Vtebãtur in nauigãdo normis nauicularijs, quas nautę Acus appellant. Quarum formam, proter eos, qui a maritimis regionibus semoti sunt, haud alienũ arbitror explicare. Vasculum est e ligno factum, planũ, atque rotundum, altitudine duorum, aut triũ digitorum. In medio habet stylum præfixũ in
Acus, siue pyxidis nauticę descriptio. summo præacutũ, aliquanto breuiorem, quã sit vasculi ipsius altitudo. Regula deinde e ferro sollertissime facta, tenuis, & angusta, ad vasculi modum dimensa, ita tamen, vt diametri ipsius vasculi longitudinem nõ exæquet, indu citur. Styli vero cuspis per mediũ huius regulæ, quod est inferius excauatum, & fastigiatũ, superius immissa, ita eã suspensam, paribusq. momentis libratam continet, vt vtrimque an gulos pares efficiat. Operculo deinde vitreo ænea virgula circumdata firmato, ne possit regula excuti, & aliqua ex parte labare, cõtegitur. Cum vero magnetis ea natura sit, vt non modo ferrum ad se trahat, verum etiam vna illius pars ad Septẽtriones adspiret, altera in Austrum propendeat, naturamq. suam cum ferro cõmunicet, efficitur, vt, cum regulæ huius caput ad eã magnetis partem, quæ spectat ad Septemtriones, applicatũ, attrituq. illius exterſum fuerit, eandẽ in se vim cõcipiat: &, cum ita suspensa exstiterit, vt mobiliter in varias partes impelli possit, semper in Septẽtriones insita propensione referatur. Sic autẽ fiebat, vt nautæ, hoc instrumento moniti, quã uis in profundo pelago versarentur, & cælum esset nubilũ, & caliginosum, possent tamen ad Septemtrionis rationẽ cursum dirigere. Hãc autẽ regulam, quia ad acus similitudinẽ proxime accedebat, acũ nauicularią appellabãt.
Instrumenti alterius nautici descriptio. Deinde, cum facillimũ sit humanis ingenijs, addere semper aliquid ad ea, quæ sunt sollerter inuẽta, aliam normę rationẽ excogitarũt, qua possent exactius, quẽ cursũ in nauigando tenerent, ratione perspicere. E virgulis enim ferreis figuram efficiũt lateribus paribus, an gulis imparibus, in rhombi speciem deforma

Universidad de Deusto
Biblioteca

tam. Huic vnam ex parte superiore, alteram ex inferiore chartam orbiculatã agglutinãt. Magnetis autem adiuncta vi, sic figuram hãc temperant, vt vnus ex acutis angulis Septẽtrionem, alter Austrũ respiciat; ex obtusis vero vnus ad ortum Solis, alter ad Occasum spectet. Diametri autem orbis huius lõgitudo figuræ longitudinem non excedit. Habet autẽ orbis hic in medio æneum vmbilicum affixũ, ad eam formam factum, qua diximus regulæ medium fabricatum fuisse. Per vmbiculũ igitur styli cuspis immissa, orbẽ hunc suspensum continet, qui non modo regulæ illius, de qua diximus, vice fungitur, sed omnes ventorum regiones, quorum flatibus nauis impellitur, in conspectu proponit. In charta namq. superiore Septemtrio, & Auster, & Oriẽs, & Occidens, & interiectæ inter hos terminos regiones exactissime describuntur. Norma ad hũc modum constituta, hoc restabat incommodi, quod opus erat, quoties nauis fluctibus agitata, vt fieri necesse est, in puppim, aut proram, aut in alterutrũ latus inclinaret, vt illa in profundo subsidens adhærescret, neque motu libero in Septemtriones dirigi posset. Ne autẽ hoc eueniret, fuit sollertissime excogitatum. Nã vas ipsum paullo infra labrũ circulo æneo arcte cõstringitur. Vtrimque autẽ ab eo circulo virgula chalybea ducta, in foramẽ alterius circuli maioris, & exterioris, modico interuallo ab interiore distantis, immittitur. Virgulæ vero binæ ita sunt æquales, & oppositæ, vt, si ex vtraque vna, & perpetua fieret, circularis illius spatij diametrũ contineret. Exterior autem circulus duas illas virgulas, quasi circũ axem, versatur. Rursus ab exteriore circulo aliæ binæ virgulæ pari interuallo ad ambitum alueoli cuiusdam orbiculati, intra quẽ hæc machinatio cõtinetur, simili ratione perducuntur. Ita sunt autẽ hæ virgulæ exteriores interioribus ex aduerso constitutę, vt, si duæ tantum ex illis quattuor directę fierent, se se ad angulos rectos intersecarent. Cũ vero machinatio ex inferiore parte ænea, & pondero sa sit, neq. fundum attingat vllũ, ita vndique pellitur, vt medium locum teneat. Et, cum pẽsilis, & mobilis exustat, põdere suo nixa, ea ratione consistit, vt, quamuis maximi fluctus nauem iactent, ipsa semper ad libellam directa permaneat. Sic autẽ fit, vt nihil interueniat, quod normã ab eo motu, quo in Septemtriones fertur, impedire queat. His normis solebant vti iam illo tẽpore Arabes illi, & chartis præterea, quibus maritimarum regionum situs, secundum descriptas in illis lineas, explorate cognoscerẽt. Quadrantibus etiam, Solis varias conuersiones, & quantũ quæque regio ab æquinoctiali circulo distaret, obseruabant. Tam multis denique erant ad nauigandũ artibus instructi, vt non multum Lusitanis nautis de rerũ maritimarum scientia, & vsu cõcederẽt. Cum nostris autem ideo iucunde fabulabantur, quod crederent eos esse Mahumetanos ex illis, qui Mauritaniã tenebãt. Illos autem Gama muneribus affectos, cum donis, quę ad insulę rectorem illius nomine ferrent, dimisit. Nomen autem rectoris erat Zacoeia. Hic, cum a suis intellexisset, qua humanitate fuerant a nostris accepti, muneraq. sibi missa conspexit, ad officium suum pertinere existimauit, nostros inuisere. Itaque se continuo vestibus ornauit, quæ erant aureis distinctæ floribus, gladiumq. accinxit gemmis fulgentẽ, & eodem etiam gemmarum splendore cultũ pugionem. Armatorũ præterea hominum caterua cinctus, in naues ire perrexit. Interim vero tibiarum, & tympanorum concentibus omnia perstrepebant. Gama, antequam ille nauibus appropinquaret, ægrotos ab omniũ conspectu remoueri, & sanos, atque valentes armari, more nostro, iubet, & in summo nauis tabulato consistere. Is enim erat, qui nullam fidem Saracenis habendam censeret, sed dissimulanter omnes insidias, quę fieri ab illis possent, præcauendas existimaret. Ad latus deinde nauis accessit, vt Zacoeiam venientem exciperet. Conscendit ille cum suis: Gamam salutat. Ille vicissim eum perbenigne complecti tur. Assident omnes, & iucundissime sermocinantur. Gama dapes apponi, & vinum infundi, iubet. Illi vero satis hilari fronte comedũt; nec vlla Mahumetis superstitione impediuntur, quo minus pocula libenter exhauriant. Quærit deinde Zacoeia de nostris, an essent Mauri, an Turcæ. non enim dubitabat, quin Mahumetis sectam sequerentur. Deinde, quibus armis in prœlijs vti soleret. Postremo, an haberent aliquot legis Mahumetanæ libros. Se namque illos libenter esse visurum. Gama respondit, se ex vltima Solis occidentis regione ad eas oras accessisse: nostros armis illis vti, quibus homines, qui eum sępiebant, tectos animaduertebant. Vti præterea tormentis illis, quæ videbat, quibus non hominum tantũ acies profligari, verum & arces munitissimæ disturbari, atque disijci possent. Libros autem legis, quam obseruabant, se libenter ostensurum, postquam aliquot dies a labore conquieuisset. Sibi esse iter in Indiam. Proinde illum orare, vt sibi daret aliquot homines nauigandi peritos, quorũ ductu posset Calecutiũ peruenire. Quod si faceret, operam se daturũ, ne vmquam illum collati beneficij pœniteret. Id Zacoeia, se facturũ, pollicetur. Postridie vero Gamam rursus inuisit, duosq. magistros adduxit, cum quibus Gama certo auri pondere depactus est, vt eum Calecutium perduceret. Hoc interim tempore donis vltro citroq. missis, sic videbatur esse familiaritas constituta, vt nihil interuenire posse crederetur, quod eã turbaret. Sed accidit, vt Zacoeia percipere t, Gamã, & comites illius Christianos esse. Quo audito, omnis illa amicitia fuit in acerbũ odium cõuersa. Cœpit igitur cõtinuo insidias

Zacoeię, Mozamb quensis rectoris humanitas.

Gamę cum Zacoeia colloquium.

Arabũ in nauigando solertia.

Insidię Christianis a Zacoeia structæ

dias machinari, exitiumq. moliri, omnibusq. modis excogitare, qua ratione posset naues aut capere, aut incẽdere. Nostris interim omnia maligne præberi, pretium augeri, seditiones præterea ab incolis contra nostros temere cõcitari. Postremo vnus ex magistris, quos Zacoeia adduxerat, Gamæ insidias a Zacoeia comparatas indicauit. Alter enim, in terram reuersus, numquam se rursus in nostrorum cõspectum dare voluerat. Accesit, quod cum aliqui ex nostris aquatum, atque lignatum abfuissent, septem nauigia in illos inuecta sunt, quibus vt subsidio occurrerent nostri, impetum in illa faciunt, eaq. frequentibus pilis disijciunt. Quo facto, nostri se confestim in insulam, quæ inde aberat quattuor passuum millia, conferunt. Inde aliam insulã, nomine Quiloam, petunt. Sed, cum, vento deficiente, progredi non possent, aduersa quædam tempestas eos retrocedere compulit. Eandemque igitur insulam rursus petunt, in quam se insidiarum metu contulerant. Illuc accurrit Arabs quidam, cum paruo filio, Gamamq. obsecrauit, vt illos in nauẽ reciperet, vt posset in aliquem locum descendere, vnde facilius Mecham, quæ erat illius patria, reuerteretur. Quę fuit ab illo Gama, quam artẽ coleret. Nauticam, respondit. Hoc audito, illum libentissime recepit, duobusq. illis magistris se cursum posse conficere putauit. Abduxerat præterea per vim in seditione quadam, quæ fuerat a Mozambiquensibus contra nostros excitata, Paulus Gama hominem, vt videbatur, minime nauticæ artis imperitum. Eo vero tempore nostris non erant nisi tantum tres naues. Quarta enim consumpta iam omni commeatu, fuerat, iussu Gamæ, multis ante diebus, incensa. Inde igitur, cum primũ secundus ventus flare cœpit, anchoris solutis, vela faciunt, & Quiloam contendunt: eo tamen naues appellere non potuerunt, vel ventis ab insula repulsi, vel cursus errore decepti, vel Mozambiquensis magistri, qui de eorum interitu cogitare cœpit, fraudibus in alium cursum deducti. Ab eodem autem magistro moniti sunt, vt Mombazam se conferrent. Quod vt facilius persuaderet, fingebat, magnam illius ciuitatis partem a Christianis habitari, nec vllum locum magis opportunũ curandis, atque reficiendis ægrotis posse reperiri. Iam eo tempore bona pars eorũ, qui cum Gama conscenderant, varijs morbis consumpta fuerat, & qui euaserant, erant graui inualetudine debiliati. Est autem vrbs illa sita intra sinum quendam in rupe præcelsa, & edita. Fructus, cũ se ab introitu sinus incitãt, in aduersam frontem vrbis incurrunt. Inde diducti, introrsus penetrant, & vtrumque latus vrbis alluunt, ita, vt pæninsulam efficiant. Habebat autem in portu vrbs arcem munitissimam, armis, & telis, varijsq. tormentis refertam, firmissimisque præsidijs, atque singulari vigilantia defensam. Tellus abundat fructibus, & oleribus, & frugibus, & pecorum, & armentorum gregibus, & aquis dulcibus. Vtitur præterea mira cæli tẽperie. Homines viuunt admodum laute, & domos more nostro ædificant, tectoriaque varijs coloribus depicta parietibus inducunt. Huc igitur Gama se ea mente contulit, vt aliquot diebus in portu consisteret, vsque eo, dum ægrotos recentibus terræ fructibus recrearet. Vix anchoras nautæ demiserant, cũ cernunt actuariam ad prætoriam nauem accedere. In ea vehebantur centum homines, Turcarum more vestiti, & gladijs, & scutis armati, inter quos, quattuor specie dignitatis, & cultu corporis excellere videbantur. Cum omnes velient in nauem adscendere, Gama omnes adscensu prohibuit, præter illos quattuor, quos tamẽ arma prius deponere iussit. Illi, nauem ingressi, Ducis prudentiam laudant, quod nõ sineret homines ignotos ad se cum armis venire. Cum eos Gama liberaliter inuitaret, epulati sunt, multisque amoris signis nostros ad se allicere contendunt. Aiunt postremo, Mombazę Regem factum fuisse illis proximis diebus de illorum aduentu certiorem, esseq. amicitiæ cum illis iungendæ cupidissimum. Gama similiter responsum dedit egregiæ volũtatis, & officij plenissimum. Postridie misit Rex nuntios, qui Gamam nomine illius salutarent, muneraque deferrent, ad reficiendos ex iactatione milites accommodata. Aiunt deinde, regionem illam esse opulentissimam, earumq. rerum omnium plenissimam, quarum gratia multi in Indiam nauigãt. Regem adeo esse in illos voluntate propensum, vt nihil esset tam difficile, quod non se eorum gratia facturum polliceretur. Proinde Gamam orare, vt propius vrbem accederet, & in intimum portus sinum penetraret, vt posset a Rege, qui eum inuisere cupiebat, facilius cõueniri. Quod se Gama facturum ostendit, &, quasi voluntatis suæ obsides, duos ex illis exsulibus, de quibus supra dictum est, ad Regem misit. Rex læta, & hilari fronte exsules accepit, imperauitq. domesticis suis, vt illis vrbis situm, & pulchritudinem demonstrarent. Vbi vero reuersi sunt, Rex multa aromatum genera, quæ ex India deportari solent, illis ostẽtat, & quantulum visum est, donat, vt Gamæ monstrare possent, & admonere, quanto esset vtilius apud Regem amicum rem gerere, quam vitam tam periculosæ nauigationi committere. Cum his mandatis redeũt exsules in classem. Gama mirifice lætatus est, & postridie anchoras tolli iubet, & naues prope vrbem constitui. Cum vero illius nauis æstus incitati vi celerius, quam commodum esset, inuehereturtimens ille, ne in vadum incideret, in quo posset afflictari, vela contrahere, & anchoras demittere confestim iussit, idemque vt in reliquis nauibus sine vlla mora

Quiloæ insula.

Mozãbiquensis Nauarchi dolus.

Mombazę ciuitatis situs.

Mombazẽsis ad Gamã legatio.

Gamæ prudentia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fieret imperauit. Quo facto, Mozambiquenſes gubernatores, metu repentino perculſi, ſe precipites in mare deijciũt, & ad lintres quaſdam, quæ non procul aberant, nando confugiunt. Cum enim viderent, tam præter eorũ opinionem anchoras iaci, ſuſpicati ſunt, eſse iam factũ proditionis indicium. Vt enim ſtatim compertũ eſt, Mombazæ Rex per eos, quos tamquam nuntios frequenter in naues mittebat, cum illis pactus fuerat, vt noſtros in locum inducerent, vbi naues vel allidi, vel capi facillime poſſent. At Gama magnis vocibus ad eos, qui in lintribus erant, inclamauit, vt ſibi ſuos gubernatores redderent: at illi, clamores illius aſpernati, gubernatores in terram expoſuerunt. Hic Gama, cum & coniectura, & aliquo etiam Arabis gubernatoris indicio, & multis præterea ſignis, perſpexiſſet, e quanto periculo fuiſſet auxilio Diuino liberatus, manus in cælum ſuſtulit. Rex deinde homines magno cum ſilentio ſcaphis, & lintribus ſubmittebat, qui ſecuribus anchoralia nocte præciderent. Quod niſi fuiſſet a noſtris ſingulari Gamæ induſtria vigilatum, & inſidijs ſcelerati illius Regis occurſum, noſtri in ſummum vitæ diſcrimen incidiſſent. Inde, poſt duos dies, (citius enim ſe expedire non potuerunt) vela faciunt, & curſum Melindem verſus inſtituunt. In via nauem Saracenorum capiunt, ex quibus Gama quattuor decim tantum vinctos habere voluit, reliquos autem miſſos fecit. Cum vero intelleXiſſet, vnum ex illis eſse illorum patronum, qui præſe hominis auctoritate grauis ſpeciem ferebat, multa de illo quæſiuit, ad quæ omnia, vt vir prudens, vere, & conſiderate, reſpondit, & de inſtitutæ nauigationis ratione ſapienter admonuit. Naues ad hunc modum nauigantes, die, qua exſurrectio Chriſti in omni Chriſtiana Rep. cum ingenti lætitia celebratur, Melindem appulſę ſunt. Vrbs eſt in planitie ſita. Cingitur autẽ vndique multiplici hortorũ viriditate. Abundat multis arboribus, in primis autem citreis malis, e quarum floribus odores ſuauiſsimi admodum longe diffunduntur. Regio eſt fertilis, & opima, neque gregibus tantum, ſed omni genere animantium, quæ venatu, & aucupio ad cibum capi ſolent, abundat. Aedes ſunt e quadro lapide conſtructæ, tectorijs, & cenaculis, & laquearibus eleganter ornatę. Gens colit ſimulacra deorum, quos peculiari ſuperſtitione ſanctos habet. homines ſunt atro colore, capillo criſpo, habitu tamen corporis non deformi. Capita geſtant ſpiris lintearum veſtium multiplicibus inuoluta. Reliquum corpus vmbilico tenus nudum relinquunt. Inde vero veſtes quaſdam ſericas, aut bombycinas ad media crura demittunt. Vtuntur in bello gladijs aduncis, & parmis, & haſtis, & arcubus, & ſagittis. Opinione virtutis militaris incredibiliter eſt ferunturꝰ. Statio naualis non eſt vrbi propinqua. eſt enim ora rupibus cincta, & procellis, atque tempeſtatibus frequenter obnoxia. Id coegit Gamam, in anchoris paullo longius ab vrbe conſiſtere. Cum vero Saracenus, quem Gama ceperat, intellexiſſet, illum, propter Mombazæ periculum, Regi Melindenſi diffidere, vt ſe ad Regem mitteret, animumq. illius exploraret, hortatus eſt. Dixit præterea, eſse in illo portu quatuor naues ex India, vectores autem Chriſtianos eſse ex illis, qui Indiam incolunt, qui fortaſse, rebus iam ex animi ſententia geſtis, domum redire properarent. Horum autem comitatu nauigationem fore multo faciliorem. Gama, etſi fidem illi non habebat, animaduertens tamen, quam paruo periculo illa ſalutis via tentaretur, hominem in paruula quadam inſula vrbi oppoſita conſtitui iubet, qui inde, lintre ſibi ex vrbe miſſa tranſuectus, ad Regem deducitur, eique mores noſtræ gentis laudat, humanitatem, atque fidem extollit: ducem cum reliquis omnibus amicitiam illius vehementer expetere: valdeq. ad dignitatem ſuam pertinere confirmat, hominibus noſtris amicitiæ fœdere coniungi. Rex erat grandis admodum natu, & miti, clementiq. natura præditus. Miſit igitur ex ſuis domeſticis, qui Gamam nomine illius ſalutarent, muneraque deferrent, ex ijs, quæ ad victum erant neceſſaria, arietes nempe, & fructuum varia genera. Gama viciſsim eum donis alijs remunerauit, & in eo pugnauit, ne vllo humanitatis officio ab eo vinceretur. Deinde naues propius terram conſtitui iubet, & Chriſtianos Indos appellat, qui ex noſtrorum adſpectu voluptatem incredibilem perceperũt, eoſq. de multis rebus admonuerunt, quæ valde ad ſalutis cuſtodiam, & nauigationis ſecuritatem pertinebant. Rex, cum valde cuperet naues noſtras adſpicere, id morbo, atque ſenio præpeditus, aſſequi non potuit. Filius, qui iam vice illius imperium adminiſtrabat, ad naues, magna hominum nobilium caterua ſtipatus, acceſsit. Erat autem Regio cultu ſatis eleganter indutus. Omnia vero in illius comitatu tibiarum concentu, & tympanorum vocibus perſonabant. Gama, vt illum honorificentius exciperet, in ſcapham deſcendit. At is vix ad ſcapham peruenerat, cum ſaltu ſe in illam cõiecit, & arctiſsime Gamam, quaſi hominem vetuſta conſuetudine, & familiaritate coniunctum, amplexatus eſt. Sedentes deinde iucundiſsime fabulantur. In omni autem ſermone Princeps ille non hominis barbari ſpecimen dabat, ſed ingenium, & prudentiam eo loco dignã præferebat. Gamam autem cum admiratione quadam intuebatur, & nauium formam conſiderabat: & multis ſignis, quam bene eſſet in noſtros animatus, oſtẽdebat. Tum Gama Saracenos omnes, quos ceperat, illi donauit: quod quidem ille

Inſidię Mombazenſis Regis in Chriſtianos, deiectæ.

Nauis Saracenorum capiti.

Melindis vrbis ſitus, & regionis mores

Gamę ad Melindęm Regem nuntius.

Melindenſis ad Gamam cum muneribus nuntii.

Indi chriſtiani Melindere perti.

Melindenſis Regis filius Gamam inuiſit.

ille in loco beneficij ingentis accepit. A Gama deinde poſtulauit, vt patrem illius inuiſere dignaretur, ſe interim filios ſuos obſides in nauibus relicturum. Negauit Gama id ſibi licere. Flagitauit deinde, vt ſaltem duos ex ſuo comitatu ſecum abire permitteret. Quod facile impetrauit. Poſtridie Gama, propius vrbem, ſcapha inuectus, acceſsit, vt vrbis pulchritudinem perſpiceret. Vbi rurſus illũ Princeps inuiſit, nullumq. officium prætermiſit, quo poſſet voluntatem in noſtros egregiam ſignificare. Poſtremo optimum gubernatorẽ illi conceſsit, qui erat ex ea Indiæ parte, quã fluuius Indus interfluit, oriundus. Accepit deinde a Gama fidem, vt, cum rediret in Portugaliam, eo tranſiret. Velle namque ſe Legatum in Portugaliam mittere, vt amicitiam cum Rege clariſsimo fœdere ſanctiſsimo confirmaret. Soluit inde Gama x. Kal. Maij. Quãquam autem noſtri Orientem verſus nauigarent, curſum tamen ad Septemtrionem inflectebant. Intra paucos autem dies, regionem circulo æquinoctiali ſubiectam peragrant, atque rurſus ſidera, quæ tam multos menſes latuerant, cum voluptate conſpiciunt, Vrſam maiorem, & minorem, & Oriona, & reliqua, quæ circa polum Arcticum exiguum orbem conficiunt, oculis vſurpant. Pelagus deinde maximum, cuius intimo receſſu Septemtrionem verſus multæ Aethiopiæ, & Arabiæ, & Caramanię partes alluuntur, tempeſtate admodum ſecunda tranſmittunt. Tandem xiij. Kal. Iunij terram editam, & excelſam contuẽtur, quam gubernator propter offuſam caligi nem non agnouit. Poſt duos autem dies, montes Calecutio vicinos adſpexit. Itaque, ad Gamam accurrens, tam fauſti nuntij præmium flagitauit. Quod ille non modo cumulate præſtitit, verum Deo ſummas gratias egit, & vinctos e vinculis expeditos in gratiam recepit: tantaq. lætitia affectus eſt, vt videretur iam fructus laborum omnium, quos in tam longa, & difficili nauigatione pertulerat, excepiſſe. Eodem die noſtri, in loco, qui aberat Calecutio duo paſſuũ millia, conſtitere. Eos multi continuo lembi circumſiſtunt. Multa quærunt, multa etiam reſpondere coguntur. In primis percunctatur ab illis Gama, per interpretes, vbi Rex eo ſe tempore contineret. Deinde vnum exſulem in vrbem miſit. Vix exſul terram attigerat, cum innumerabilis turba confluit, vt hominem habitu, & cultu prorſus ignoto conſpiciat, & interroget, vnde venerit, quæ illi patria ſit, quid quærat, aut qua tempeſtate delatus ad eas oras acceſſerit. Sed nec is eos intelligebat, nec illi linguã illius nouerant. Is autem, circumfuſa multitudine oppreſſus, quaſi in ſalo fluctuabat, & modo in hãc, modo in illam partem iactabatur, donec caſu in duos mercatores Tunete oriũdos impulſus fuit. Hi, cum, ex habitu, Hiſpanum eſse cognouiſſent, admirati ſunt. Vnus ex illis, Monzaida nomine, eũ Hiſpanis verbis interrogat, ex qua Hiſpaniæ regione eſſet. E Portugalia, reſpondit. Quo audito, Monzaida domum illum inuitat, & cibo, potuq. reficit: docetque, ſibi fuiſse magnum cum Portugalenſibus vſum, eo tempore, quo Ioannes Rex Tunetem ſuos mittebat, vt inde aſportarent multa, quæ erant ad armamentaria illius valde neceſſaria: in quibus rebus comparandis ſe egregiam illis operam dediſſe. Poſtulatque, vt ſe ad Nauarchum deducat. Itaque pergunt ambo cõtinuo in nauim. Monzaida Gamam Hiſpanice ſalutat: Gama viciſsim illum benigne accepit. Multis inde verbis vitro citroque habitis, Gamam de multis rebus admonuit; & ad omnia, quæ ille quærebat, ita reſpondit, vt facile poſſet intelligi, illum, & prudentem, & curioſum eſſe. Poſtremo dixit, ſi quid eſset, in quo opera ſua vti Gama vellet, ſe officio probi viri minime defuturum. Oſtendit præterea, fore, vt aduẽtus noſtrorum eſset Calecutij Regi gratiſsimus. illum namque valde gentium externarum commercio delectari. Nam, quam uis imperium illius eſset latum, & multi Reges illi parerent, opes tamen illius magis portorijs, quam fructuum vectigalibus, contineri. Poſtridie, Gama duos ex ſuo comitatu cum Monzaida ad Regem miſit, qui quidem eo tempore in opido, nomine Pandarane, quod inde aberat duo paſſuum millia, conſidebat. Illi, poſtquam admiſsi fuere, dicunt, Portugaliæ Regem fama dignitatis, & amplitudinis illius, quæ per orbem terrarum late vagabatur, commotum, eo vnum ex ſuis ducibus miſiſſe, qui cum illo ſempiternum amicitiæ fœdus nomine illius percuteret, fidemque daret, ſe gratia illius omnia, quæ is vellet, libentiſsime facturum. Ipſumq. ducem a Rege petere, vt faciat ſibi poteſtatem ad illum adeundi. Reſpondit Rex, ſibi valde gratum eſſe Luſitani ducis aduentum, neque ſe vllo modo commiſſurum, vt voluntatem in ſe clariſsimi Regis aſpernaretur. Sequeoperam daturum, vt breui a Duce noſtro conueniri poſſet. Interim vero illum admonebat, vt Pandaranem verſus claſſem deduci iuberet. Portum enim illum, in quo conſiſtebat, eſse eo anni tempore valde periculoſum, & infeſtum. Vt autem id commodius fieri poſſet, ad illum gubernatorem maris illius valde peritum miſit. Deinde, poſt aliquot dies, venit ad Gamam vir quidam primarius, qui ius illi genti dicebat. Appellant illi hunc magiſtratum, Catualem. Hunc autem miſerat Rex, vt ad ſe Gamam honorificentiſsime deduceret. Gama claſſi Paulum Gamam, fratrem ſuum, interim præfecit, eidemque, & Nicolao Coelio imperauit, vt, ſi quid ſibi ſecus eueniret, quã cõmodum eſſet, de illo curã abijcerent, & in patriam cõtinuo, cũ nauigationis exploratę nuntio, remearẽt.

Gamæ reliqua in Indiã vique nauigatio.

Luſitanorum in Indiam aduentus.

Nũtius a Gama Calecutium miſsus.

Monzaida, Tunetanus mercator, ad Gamam proficiſcitur.

Gamę ad Regem Calecutienſem legatio.

Regis ad Legatos reſponſio.

Gama ad executij Regẽ proficiſcitur. Catuali.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nec enim conuenire,vt,dum ei fruſtra opẽ afferre contenderent,omnes occũberent,& tanti laboris fructus interiret:ſe non poſſe Regis illius congreſſum vitare, ſi facere vellet, id quod ſibi ab Emmanuele perſcriptum fuerat. Nec ſe periculum vitæ defugere, dum modo morte ſua poſſet eam, quam debebat, operã & Regi,& Reip.nauare. Ne autem naues ſine præſidio neceſſario remanerent,duodecim tã tum homines ſibi comites adiunxit. Cum vero primum terram attigit,fuit, Catualis iuſſu,lectica ſublatus; Catualis alia lectica ferebatur.reliqui pedibus iter faciebant. Magna turba nobilium hominũ, quos illi Naires appellant,eos vndique ſæpiebant.Deinde peruẽ tum eſt ad opidum,vnde poſtquam commode pranſi ſunt,lembos ad eã rem paratos ingrediuntur,ſecundoq. flumine nauigantes,ad locum perueniunt, in quo magna hominũ multitudo eos cum alijs lecticis exſpectabat.Inde fuerunt noſtri a Catuale in templũ apud illos ſanctiſsimũ deducti: quod quidem Gama, eo quod audierat, bonã partẽ regionis illius ab hominibus Chriſtianis habitari,eſſe Chriſtianorũ, arbitratus eſt. Confirmauit autem magis illam opinionem,& tẽpli magnificẽtia, & ædiũ amplitudo,multaq. ſigna rerum,quę nõ multũ a noſtrorum templorũ religione abhorrere in principio videbãtur. Per templi oſtiũ ingreſsis occurrunt quattuor viri, a capite ad vmbiculũ nudi, deinde ad genua veſtibus bombycinis accincti.Quilibet eorum terna fila a dextro humero ad ſiniſtrum latus demiſſa, & ſub brachio ſiniſtro complicata geſtabat. Hi noſtros aquis luſtralibus adſpergunt: porrigunt deinde cuilibet pulueres e ligno optimi odoris contuſo, quibus frontes conſignarent.Templi parietes erant multis imaginibus depictis ornati.In medio templi erat ſacellum editum,forma rotundum,ad quod per multos gradus adſcendebatur. Oſtium erat ex ære factum,& valde anguſtum.Intra ſacellum erat ſignum,in aduerſo pariete locatum, cuius formam noſtri, propter loci obſcuritatem,adſpicere nequiuerunt. Erat enim locus ita ab omni Solis radio ſecluſus,vt vix aliquis malignæ lucis ſplendor in eũ penetraret. Noſtris autem aditus in illud minime conceſſus fuit: ſolis enim ædituis, atque ſacerdotibus patebat. At illi quattuor æditui propius accedentes, digito in imaginem intento, bis Mariam inclamant. Catualis, cum reliquis, qui eum ſequebantur, ſe repente in terram, proni, manibus extenſis, abijciunt. Deinde ſurgunt,& more ſuo,precationem peragunt. Noſtri ſuſpicati ſunt, opem Sanctiſsimæ Virginis implorari,genibuſq. flexis, pacé a Deo expoſcunt,Virginemq.Dei matrem,more noſtris vſitato,venerãtur. Huius autem religionis, qua apud homines a Chriſti ſacris alienos nomen Marię tanta veneratione celebratur,ratio eſt altius repetenda.Cranganor eſt vrbs perantiqua in ea Indiæ ora ſita, ad quã in principio noſtri naues appulerunt. Diſtat autẽ Calecutio Auſtrum verſus circiter quinque,& quadraginta paſſuum millibus.Eã multi Chriſtiani incolunt,ab illis oriundi, qui fuerunt Thomæ diſcipulis inſtituti. In ea regnabat olim vir ſummus, Brachmanarũ litteris in primis eruditus, qui non ſolum eam ciuitatem, ſed multas etiam circumcirca nationes imperio continebat. Is, cũ ſorori germanæ vitium intuliſſet,illius inceſti flagitij conſciẽtia grauiter afflictus, pœnas de ſe admodum ſeuere repetebat. Corpus enim multorũ dierum inedia macerabat, multiſq. laboribus afflictabat;& tamen cura, & ſolicitudine minime leuabatur.Sceleſtiũs enim ſe crimẽ admiſiſſe putabat, quã vt poſſet vitæ durioris aſperitatibus expiari. Venit tãdem illi in mentẽ, iter aliquod valde longinquũ religionis gratia ſuſcipere. Florebat autem eo tempore in Perſide,& Carmania,antiquiſsima magorum diſciplina.Ex his duo fuere opibus, & exiſtimatione,& ſapientiæ ſtudio longe principes. Erant autem Regi Cranganoris per litteras noti.Hi,cum,& ſtellæ præter naturæ ordinem mirifice fulgentis ſplendore,& oraculis Diuinis inſtructi,percepiſſent,ſummum cæli Regẽ in Iudæa ex ſanctiſsima Virgine natum eſſe, vt ſub humana forma genus humanum a peſte ſempiterna redimeret, illum inuiſere, & adorare ſtatuerunt. omnia igitur, quæ ad tã longũ iter erant neceſſaria,ſummo ſtudio cõparabãt. Id,cũ Rex Cranganoris accepiſſet, aut per ſe,vt eſt credibile,ſi iam erat in itinere,aut per litteras,ſi nondum profectus erat, ab illis,vt ſe comitem non aſpernarentur, impetrauit. Fuit huic Regi nomen Cheriperimale.Hoc autem,vt perhibent,ſignificat vnũ e tribus. Reliqua enim nomina neglexit, & hoc recens nomen ex tam illuſtri ſocietate, qua maxime gloriabatur,aſſumpſit. Tempore igitur præſtituto pergunt ſimul, atque tandem ex adſpectu tam Diuinæ formæ ingentẽ fructum cum eximia voluptate percipiunt. Numen ſempiternum in pectus pueri incluſum ſupplices adorãt,eique, vt ſummo totius mundi rectori,munera offerunt, atque in patriam lætiſsimi reuertuntur. Mirum eſt, quo modo id pictores expreſſerint. In tabulis enim duo Principes cãdida facie, & eleganter exculti cum muneribus antecedunt. Rex colore ſubnigro cum Regijs inſignibus, & muneribus ſequitur.hac imagine apparet.huius Regis ſpeciem depictam eſſe. Rex igitur hic tertio demum anno in patriam reuerſus ædẽ exſtruxit, quam Mariæ nomine conſecrauit. In qua ſanctiſsimæ Virginis imago cum filio in vlnis collocata fuit. Sanxit præterea, vt, quoties in templo æditui hoc nomen inclamarent,toties ſe omnes,qui adeſſent, in terram proſternerent.poſtremo,cum,vt ſe totum Diuinis rebus daret, negotia reliquiſſet, Regni opes

Pompa, qua Gama deductus eſt.

Naires Indorum nobiles.

Maria ab Indis ſacrificis inclamata.

opes diſtribuit illis,quos ſapientia,& religione præſtare cognouerat. Ex his vnus fuit,qui Calecutij fundamẽta iecit, & templum illud, quo fuit Gama deductus, exſtruxit, & in medio Sacellum Diuinæ Virgini dedicauit, &, exemplum patroni ſecutus, ſtatuit,vt ad Mariæ nomen omnes ſe in terram proijcerent. Quamuis autem incolæ vaniſsima ſuperſtitione conflictati ſint,hanc tamen memoriam ab antiquis traditam religione ſumma conſeruant. Hæc ſunt, quæ ab hominibus Indiæ peritiſsimis accepi, antiquiſsimis Chriſtianorum Indorum monumentis contineri.Nũc ad hiſtoriam intermiſſam reuertamur. Inde profecti, aliud eadem magnificentia templũ adeunt, atque tandem in Regias ædes tendunt. Tanta porro hominum multitudo conueniebat, vt,niſi Naires, qui noſtros armati, & inſtructi præcedebãt,& ſequebantur,viam diſtrictis gladijs aperuiſſent, noſtris aditus ad Regem patere minime potuiſſet. Interim omnia tibiarum ſonitu,& tubarum clangore perſtrepebant.Poſtquam ad Regiæ veſtibulum peruentũ eſt, Dynaſtæ, quos illi Caimaes appellant,Gamæ obuiam prodiere.At,vbi domui,in qua Rex eum exſpectabat, appropinquauit,homo grandis natu, bombycina veſte ab humeris ad talos vſque demiſſa cultus, ex ea domo egreſſus, Gamam complexus eſt. Is erat Brachmanarum magiſter, plurimumq. apud Regem auctoritate poterat. Reliquis autem primum intromiſsis, ipſe poſtremo, cum Gama, quem dextera tenebat, ſubſecutus fuit. Domus erat ſatis ampla; ſellas complures e ligno ſingulari opere factas, parietibus coniunctas,habebat,ita tamen,vt aliæ ſuper alias,ad theatri ſimilitudinem, exſtarẽt, & eminerent. Pauimentum erat ſericis veſtibus inſtratum:ſimiliter & parietes aulæis ſericis auro intertextis obducti.Rex in lecto pulcherrime ornato, & inſtrato decumbebat, & pileum bombycinum auro, atque gemmis diſtinctum capite geſtabat:veſteq. bombycina, multis aureis fibulis ſecundum pectus ſtricta,tegebatur. Ex auribus ingentis pretij monilia pendebant.Exanulis manuum,atque pedum eximius gemmarum fulgor emicabat. Rex erat procero corpore, & facie liberali,& qui facile maieſtatem Regiam ſpecie repreſentaret.Gama illum, more noſtro,vt Regem ſalutauit. Ille Gamam ad ſe propius accedere iuſsit, atque, vt in ſella proxima ſederet, præcepit. Reliquis deinde Luſitanis, vt ſederent,imperauit. Aquã deinde ad lauandas,& refrigerandas manus afferri,variosq. fructus importari iuſsit,vt noſtri poſſent a labore,atque laſsitudine recreari. Poſtremo Gamam de legatione, quam ad ſe nomine Regis Emmanuelis afferebat, diligenter inquirit. Negauit Gama, moris eſſe Luſitanorum, Regis ſui mandata, quæ erant ſolis Regibus exponenda,in hominum turba proferre. Proinde, ſi vellet, vt is officio ſuo fungeretur, conuentum illum vitaret,& cum paucis,quibus arcana ſua credere ſoleret. eum audiret. Rex,vt poſtulato ſatisfaceret,illum in aliud cubiculũ multo pulchrius ornatum ſecedere iuſsit, & eum cõtinuo cum magiſtro Brachmanarum, & paucis admodum præterea, ſecutus eſt. Tũc Gama orationem habuit, cuius hæc ſumma fuit. Emmanuelem Portugaliæ Regem eſſe principem virtute, & dignitate præcellẽtem, rerumq. maximarum cupidum, & ſtudio multa cognoſcendi flagrantem. Sic autem eſſe animatum,vt arbitraretur, eſſe ſe cum Regibus, qui dignitate, & amplitudine multũ excellerent,fœdere coniunctum. Nihil enim eſſe ad voluntates conglutinandas ſimilitudine virtutis efficacius: maxime vero id in Regibus apparere, quorum dignitas proxime ad Diuinam accederet. Proinde, cum ſæpius accepiſſet de Indiæ magnitudine, & ſimul ex fama, quæ per orbem terrarum ſumma cum admiratione hominum volitaret, intellexiſſet, imperium Calecutij eſſe latiſsimum, Regemq. illius non magis opibus, & imperio, quam Regiæ dignitatis amplitudine florentem, deſiderio amicitiæ illius flagrare cœpiſſe; ea vero cupiditate ductum, miſiſſe,qui nomine illius a Calecutij Rege poſtularet, vt fœdus, & amicitiam illius tanti faceret, quanti ille voluntatem ipſius eſſet facturus,ſi cum illo amicitiam firmare vellet. Præterea,ſe non dubitare,præter dignitatem fœderis illius,ſore, vt multiplex vtilitas ex ea coniunctione vtriuſque Regno,& imperio proueniret. Habere autem ſe litteras Emmanuelis, quibus certus eſſe poſſet, ea, quæ ab illo dicebantur, eſſe veriſsima. Ad hæc Rex paucis reſpondit, ſibi tam excellentis Principis coniunctionem fore gratiſsimam,omniaq. ſe libenter eſſe facturum,quibus poſſet intelligi, ſe Regem Emmanuelem in loco fratris habiturum. Hæc vbi dixit,Catuali negotium dedit,vt Gamam domum, in qua erat diuerſaturus, ſtatim deduceret, & reliquos etiam apud hoſpites collocaret. Gama triduo ſe domi continuit. Sed, antequam ea, quæ ſecuta deinde ſunt, exponam,non erit alienum, de regionis illius ſitu, & de gentium moribus, & inſtitutis, pauca dicere.

Caimaes Regis Calecutij Dynaſtæ.

Regis Calecutiẽſis ornatus,& ſtatura

Gamę ad Calecutiẽſem Regẽ oratio.

Regis ad Gamã reſponſio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIERONYMI OSORII LVSITANI DE REBVS EMMANVELIS REGIS LVSITANIAE INVICTISSIMI VIRTVTE ET AVSPICIO GESTIS LIBER SECVNDVS.

Indię discriptio.

INDIA est omnis regio, quæ ab Occasu, Paropamissadarum, & Arachosiæ, & Gedrosiæ finibus terminatur; ab Ortu vero, cum Sinarũ extremis limitibus coniungitur. A Septemtrione autem Imao monte, qui est pars Caucasi, definitur; India duplex ab Austro, Oceano Indico alluitur. Ea tamen in duas partes diuiditur. Vna est intra Gangem, quæ, ijs ex occasu finibus, qui dicti sunt, incipiens, ad Gangem vsque protenditur. Altera, quæ vltra Gangem ad Sinarum fines excurrit. Nostri tamen angustius interdum Indiæ nomen vsurpant. Appellãt enim Indiam, omnem regionem, quæ duobus maximis fluuijs, Indo, atque Gange, continetur. Hæc autẽ vniuersa regio Indostam ab accolis appellatur. Indostam. Indus ab Occasu, Ganges ab Ortu fluit: vterque, pari propemodum a Septemtrione interuallo, ab Imao exoritur. Inde autem precipites magno impetu feruntur, varijsq. flexibus multas regiones interfluunt, multisq. fluminibus vndiq. in illos iosluentibus augẽtur, vsque adeo, vt, cum prope Oceanum sunt, naues valde magnas aluei profundicate sustineãt. Vterq. autem, cum in Oceanum influit, ingentem sinum efficit. Inde terra in Austrũ magna spatij longinquitate procurrit, ita tamen, vt aliquando finibus artius angustetur, aliquando rursus laxata liberius dilatetur. In promontorium tandem, quem Indi appellãt Comorin, definit: in cuius fine angulus acutus efficitur. Comorin, promõtorium. Patet autem hæc regio ab ostio Indi fluminis vsque ad dicti promontorij finẽ in longitudinem circiter C ∞. passuum millia. Indiæ magnitudo. Latitudo inter ostia horum fluminũ duorum, est circiter D c c. millia passuum, quæ deinde paullatim angustatur. Promontorij angulus extremus, qui, vt dictum est, ad Austrum spectat, ex Septẽtrionali parte ab æqui noctiali regione gradibus circiter septem distat: quod spatium circiter passuum quadringenta, & nonaginta millia conficit. Oras autem maritimas huius regionis, siue quæ ad Occasum, siue quæ ad Ortum pertinent, quas Oceanus alluit, multæ, & variæ nationes incolunt. Illam tamen regionem, quæ ad occasum Solis spectat, eo tempore, quo nostri in illas oras appulsi sunt, maxima ex parte gens, quã Malabares appellant, occupabat. Eam vero Malabares, populi. multi Reguli possidebant: quibus tamen omnibus ferme Calecutij Rex imperitabat, & tributa ab omnibus exigebat. Neque tamen tantum regionis amplitudine, quantum portorijs, opes suas auxerat. Erat enim tunc illud emporium Indiæ celeberrimum, ad quod mercatores vndiq. confluebant. Abundabat regio multis mercibus, partim natiuis, partim ex varijs regionibus importatis. Gẽs est falsorum deorũ superstitione miserrime conflictata. Templa habent quamplurima. Maximo in honore habent sacerdotes, quos appellant Brachmanas, penes quos arbitrantur esse rerum diuinarum, & humanarum scientiã. Reges nulli fiunt, qui non sint prius eorum disciplinis imbuti. Tẽpore belli secure possunt Brachmanæ vltro citroq. commeare. Inexpiabile namque scelus existimatur, illos secus, Brachmanæ, & eorum studes, ac studia. quam postulat opinio sanctitatis, attingere. Terna fila ab humero dextero in latus sinistrum gerunt, vt designent trinam in natura diuina rationem. Credunt, Deum in specie humana latentem terras lustrauisse, vt humanũ genus a peste sempiterna redimeret. Hæc quidem, vt verisimile est, a Christianis antiquissimis acceperunt. Artes Mathematicas, & Philosophiam colunt. Religionem singulari artificio simulant, &, in specie fictæ pietatis, fraudes insignes in omni vita suscipiunt. Reli qui Malabares, eorum doctrinis instituti, porIndorum religio. tenta venerantur. Vndecimo Kal. Septembris sacrũ sollemne fit, in quo pueri, arcubus armati, in sodales per ludum sagittas leuissimas emittunt. Deinde ij, qui ætate magis proSacrum sollemne Indorum. uecti sunt, similiter tela coniciunt, quibus multi

multi grauissime sauciati moriũtur. Cum ijs, qui ad hunc modum e vita discedunt, præclare actum putant. Hos enim censent in cælum, vt cum dijs æuum exigant, immigrare. Multa sunt apud illos anniuersaria sacra, in quibus quidam varijs sibi modis in maximo hominum conuentu, & celebritate vitam exhauriunt. Initium anni apud Indos. Annum a Septembri mense inchoant, sed diem certum, vnde mensem incipiant, nõ habent. Astrologos, & augures primum consulunt, & ab hora, quam illi faustam, atque felicem fore prænuntiant, anni principium auspicantur. Superstitiosa diuinandi ratio. Qui iam decimum quinctum annũ excessere, faciem eo die inuoluunt, & oculos obtegunt, ne quidquam adspiciant. Deinde a pueris in sana deducuntur, in quibus varia deorum signa sunt. Ibi, detractis oculorum inuolucris, adspectum in res oppositas repente conijciunt. Quod si simulacrum Dei illius, quem præcipue colunt, ante res alias cõtuentur, illum annum sibi faustum fore confidunt. Nobiliũ mores. Nobilibus sunt interdicta matrimonia, ne quidquam sit illis impedimento, quo minus perpetuo se in armis exerceãt. Habet autem quilibet eorum amicas ordinis eiusdem complures. Nefas enim est illis, mulieri, quæ non fuerit nobilis, commisceri. Similiter & ille tot amatores habent, quot habere volunt, dummodo nobiles sint. Nulla est inter illos æmulatio: sed alij alijs per vices, sine vllo disidio, aut obtrectatione, succedunt. Si vero aliquis mulieri coniungitur, quæ nobilis non sit, aliorum nobilium gladijs conciditur. Similiter & mulieres, quæ eam legem transiliunt, idem supplicium subeunt. Testamento filios heredes non instituunt, eo quod ignorent, an sint ab illis progeniti. Eorum autem loco sororũ filios sibi heredes adsciscunt. Regum stipendio nutriuntur, &, pro eorum statu, intrepide se se in quoduis vitæ discrimen injciunt. Vmbilico tenus nudi ambulant. Inde vsque ad tibias demissis vestibus integuntur. Armis in bello vti non possunt, ante quam Reges, apud quos sacramento dicunt, eos militaribus ornamentis afficiant. A pueris arma tractare condiscunt: magistros, a quibus militarem disciplinam accepere, summa obseruantia colunt, atque venerãtur. Sunt in armis strenui; plurimumq. celeritate valent. Si vir ignobilis eos attingit, nobilitatem contaminari, genusq. pollui censent, & tam insignem iniuriã illata cæde miseris hominibus, qui in eos inciderunt, vlciscuntur. Iccirco, qui nobiles non sunt, quoties iter faciunt, voces edere coguntur. Nobiles vero, cum, eos aduentare, ex vocibus illorum, præsentiunt, eos deflectere de via iubent: & sic fit, vt ignobiles mortis, nobiles maculæ sempiternæ periculum depellant. Illic neque nobilitatem obscurari flagitijs, neque generis obscuritatem illustrari virtutibus concessum est: sed omnibus est illa condicio necessario subeunda, in qua maiores illorum versati sunt. Artificum genera ita sunt distincta, vt non sit inter dissimiles vllum ius connubij. Artificũ distinctio. Nec enim licet sartoris filijs sutoris filias ducere, neque aliam artem, nisi eam, qua pater illius victum comparauit, addiscere: & sic in reliquis artibus summo studio retinendis, eadem a maioribus tradita disciplina conseruatur. Est genus deuotionis, quo inter se alij alijs interdum fœdere coniunguntur, quo se exsecratione deuinciunt, si, vno per iniuriam occiso, reliqui omnes non in illo vindicando mortem oppetierint. Hac ratione fit, vt non modo cum Reges interimuntur, sed cum socij vita priuantur, ij, qui superstites sunt, humanitatis obliti, in gladios iruant, per omnes flammas currant, nullisq. armatorum præsidijs exterreri possint, quo minus necem ijs, qui socios interfecerunt, afferre conentur, vsque eo, dum ipsi varijs cædibus absumantur. Dira sodalitas. In scribendo, neque charta vtuntur, neque papyro, sed stylo in folijs arborum siluestrium, quas, propter nonnullam similitudinem, Palmas appellant, litteras exarant. Scriptura Indorum, & Chartæ. Multorum vero sæculorum memoriam libris ad hunc modum factis diutissime conseruant. Multa eiusmodi folia ita præcidunt, vt omnia longitudine paria sint: in quibus annales, & res historia dignas litteris mãdant. Historiæ. Foliorum vero extremitates perforant: ijs autem compingendis duo ligna complanata, & ad eum modũ perforata coniungunt. Tum, folijs ordine compositis, & lignis extrinsecus adiectis, vtrimque per foramina funiculos immittunt, & omnia complicant, & arcte deuinciunt: &, quod, post ita compactum volumen, funiculorum vtrimque supersluit, circa illud inuoluunt, & illud nodis adstringunt. Quoties autem legere volunt, nodos laxãt, & folia rursus explicant. Multa dici præterea possunt de eorum moribus: quæ tamen ad alia necessario properantibus omittenda sunt. Calecutiũ est in medio ferme illius oræ, quam paullo ante descripsimus, non procul a mari situm. Portus, vbi naues tuto possint consistere, non est vrbi coniunctus. Vrbs ipsa ingens est. Aedes non sunt continuæ, sed discretæ, magnisq. hortis, & viridarijs latissimum spatium occupãt. Aedes Regiæ solum ex lapide structæ sunt: reliquis per leges minime licet ædificare magnifice, quamuis ditissimi sint. Tellus est fertilis, & abundans rebus omnibus, quæ ad victũ requiruntur. Rex eo tempore omnibus illius regionis Regibus & potentia, & opibus antecellebat. Hic erat Calecutij status eo tempore, quo nostri eo peruenerunt. Gama, post triduum ad Regem deductus a Catuale fuit; litterasq. dedit, quas afferebat cum muneribus. Rex munera contemnere visus est. Gama dixit, non esse mirandum, illa munera nõ esse maiestate illius dignissima, propterea quod Emmanueli exploratũ esse minime potuisset, nauigationem illã adeo felicem fore. Calecutij status. A'terum Gamæ cum Calecutiensi Rege colloquiũ.

Præte-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Præterea, nullum se munus ad illum clarius, & amplius deferre potuisse tanti Regis amicitia. Si vero vtilitatem spectaret, reputaret animo, quanta posset vtilitas ab eo percipi, si singulis annis ingentes e Portugalia naues, in Regnum illius, mercibus valde pretiosis onustæ, peruenirét. Petijt deinde, ne litteras, quas a Rege Emmanuele deferebat, cum Saracenis communicaret, sed alijs interpretibus vteretur. Iam enim indicio Monzaidæ compertum habebat, eos sibi pestem, atque pernicié machinari. Lectis, & explicatis a Monzaida litteris, Rex Gamam dimisit illumq. admonuit, vt contra Saracenorum fraudes se summa vigilantia muniret. Gama summas illi gratias ob consilium dedit: ab eoq. digressus, domum redijt, eo animo, vt, cum primum posset, se in naues reciperet. Saraceni interim colloqui inter se: de nostrorũ pernicie coniurare: domesticos, & familiares Regis adire, fatigare precibus, corrumpere donis, & obtestari, ne fidem maleficis hominibus adhiberent. Gamam esse piratam immanem, & truculentum, & in omnibus oris, in quas hospitaliter admissus fuisset, impressa latrocinij sui vestigia reliquisse. Per mercaturæ speciem, regionem exploratum venisse, vt postea eam posset damnis quamplurimis afficere. Paruum illum ignem esse, qui si non statim exstingueretur, fieri posse, vt illius incendio Regnum illud conflagraret. Hæc, & alia eiusmodi Regis auribus inculcabant. Partim enim Christiani nominis odio, partim metu, ne nostrorum in illas regiones aduentu illi pellerentur, vel saltem non ita magnos quæstus facerent, omnia tentabant, quibus illis exitium compararet. Catualem vero donis ad se pelliciebát, vt, per calumniam, & malitiam, nostros, quibuscumque rebus posset, euerteret. Rex, cum esset ingenio vario, atque mutabili, æstuabat, & modo in hanc, modo in illam sententiam trahebatur. Si enim nostros de medio tolleret, vel saltem, vt Saracenis aliquo modo satisfaceret, in custodiam tradi iuberet, perfidiæ maculam formidabat; si eos abire permitteret, ne Arabes illos, quorum opera vectigalia sua amplificata cernebat, ab se abalienaret, metuebat. Illi postremo, vt nihil omnino prætermitterent, ad Regem frequentes adeunt: é quibus vnum, qui inter eos & audacia, & dicendi artificio præcellebat, ad hunc modum locutum fuisse, multi perhibent. Ita fumus de te, Rex inuictissime, meriti, vt humanitatem tuam iure, atque merito obtinere debeamus. Quantus enim cumulus ad vectigalia tua nostris mercibus, & operis allatus sit, adeo perspicuum est, vt nullius commemoratione indigeat. Publicanos consule: scripturæ magistros interroga: rationes puta; & explorate cognosces, nos huic Regno tuo numquam inutiles exstitisse. Adde, quod hoc studium a maioribus nostris ingenitum habemus, qui multis ab hinc sæculis hanc terrã, vt patrium, atque natale solum, coluere, & Calecutij Reges summa semper fide, & pietate veneratí sunt. Hãc animorum concordiam cum tuis antiqua officiorum consuetudine congiuinatam, & has tantas vtilitates, vt dissoluant, & funditus euertant homines isti profligati, atque perditi, qui modo huc appulsi sunt, nisi tu eorum consilijs occurreris, summa contentione perficient. Quod si tu id nondum suspicione consequeris, mirandum non est. Animus enim vere Regius, cum ex fide, & animi sui candore de alijs coniecturam faciat, non facile adduci potest, vt credat, quempiam in se pestem machinari. Præterea, non sunt tibi mores istorũ hominum cogniti, quos nos multis nostrorũ experimentis exploratos, & cognitos habemus. Multis enim nationibus, a quibus numquam læsi sunt, ambitione tantum, atque multa possidendi libidine stimulati, vastitatem, & exitium intulerunt. An tu credis, illos, vt commercium cum tuis habeant, e tam longinquis regionibus, cum tantis vitæ periculis, huc peruenisse? Credibile non est. Sed aut piratæ sunt, clementiaq. tua abuti volunt ad multorum perniciem, & ea de caussa fictas tibi litteras attulerũt; aut Rex, qui eos huc misit, nimis ambitiosus est, nec eos misit, vt tecũ fœdus ferirent, sed vt vrbis huius situm diligenter explorarent. An non hac eadem arte Lusitani Reges in vrbes Africę complures inuaserunt? An non bonam Aethiopiæ partem his fraudibus occupauerunt? An parum liquet, quam multis gentibus isti latrones in hoc cursu graues iniurias intulerint? Mozambiquem armis aggresi sunt: Mombazæ portum sanguine repleuerunt: naues cum multis hominibus in via ceperunt. Qui modo, cum tam tenues opes illis sint, contineri non possunt, quin immanẽ, importunamq. naturam factis indicent; quid facient, cum multo maiores vires collegerint? Quare, si Regni opes tueri vis, homines sceleratos exstingue. Si piratæ sunt, tanti sceleris meritas pœnas luãt; si a Rege potentissimo missi, vt horum interitu reliquis Lusitanis spem huius tentandæ nauigationis incidas, hos, quos in potestate nunc habes, interime. Facile malum nascens resecatur: at robustum, & inueteratum, non nisi cum maximo labore comprimitur. Nunc igitur, dum tempus est, occurre sceleri, reseca dominandi libidinem, statumq. tuum præsidio confirma. Vt autem nihil est credulitate Regnis infestius; ita nullũ propugnaculum poterit esse ad depellenda pericula sagacitate, & diffidentia salutari munitius. At, quas merces aduexere? Adeo tenues, vt rumor est, vt ex illis possit intelligi, eos valde egentes esse. Quo modo igitur sperandum est, vt, qui rei familiaris angustia laborant, Regnum tuum mercibus ingentis pretij locuplerent? Quid dicam de muneribus, tibi nomine sui Regis obla-

Saracenorũ in Christianos coniuratio.

Saracenorũ ad Regẽ Calecutiensem in Christianos oratio.

oblatis? Iudicare profecto non possum, vtrum nobis maiorem risum, an grauiorem offensionem attulerint. Putabatne Rex ille, cuius potentiam isti in cælum ficti laudibus efferunt, se dona Aethiopiæ Regulo cuidam mittere, qui erat, propter inopiam, & stultitiam, leuissimis rebus in fraudem alliciendus? Ita ne vero? Iudibrio habitam fuisse potentissimi Regis amplitudinem? Tẽtari mansuetudinem? Contemni sapientiam? Sed dices fortasse, hanc a nobis criminationem, propter odium, quod nobis cum gente Christiana est, confictam fuisse. Fateor, esse nobis perpetuum cum gente nostris rebus infesta dissidium. Sed, in hoc rerum discrimine, arbitramur non esse tam nobis de nostro statu, quam de tuo, laborandum. Nobis enim, si Christianos ad tuam amicitiam aggregaueris, erit hinc necessario semigrãdum, vt alias sedes quæramus, in quibus non incommode negotiari possimus. Illa interim vti querimonia poterimus apud Reges alios, quibus non erit ingratus noster aduentus, quod ignotos homines notis, alienos domesticis, suspectos spectatis ante tuleris. Quod tamen ad rem augendam attinet, vbicumque fuerimus, non cũ minore, fortasse lucro, & compendio, negotium geremus. Tibi vero, nisi mature opem rebus tuis attuleris, valde vereor, quod DEVS omen auertat, ne sit intra paucos annos non modo de statu Regni, & imperio, sed etiam de salute, cum gente nimis auara, & ambitiosa, & bellicis in rebus acerrima, maximo cum periculo dimicandum. His, & alijs eiusmodi orationibus Arabes illi pugnabãt, & a Rege contendebant, vt nostros perderet, & naues, si posset, interciperet. At Gama, interim, cum hæc, & alia multa contra vitam suam scelera patrari animaduertisset, & Catualis fraudes, & calliditates, quibus eum circumueniebat, perspexisset, diutius minime cunctandum ratus est, & ante lucem Pandaranen versus iter fuscepit, & tantum quantum potuit accelerauit, ne a Catuale posset iter illius impediri. Præceperat autem, antequam in terram descenderet, vt quotidie sibi præsto scaphæ ad litus essent, vt posset sibi aliquod periculum a Saracenis intẽtum subterfugere. Illi interim nihilo secius instare, & arma etiam comparare, & omnes, apud quos aliquid gratia poterant, in nostros incendere. Tantoq. odio flagrabant, vt cogitarent nostros armis adoriri. Cum vero intellexissent, Gamam abesse, id molestissime tulerunt, & cum Rege egerunt, vt eum ab illa fuga retrahendũ curaret. Rex igitur, eorum sermonibus inductus, Catualẽ misit, qui Gamam remoraretur. Catualis igitur, vt imperata conficeret, Pandaranen summa celeritate contendit, Gamamq. summa vi retinere cœpit, &, per simulationem officij, vt illum omni præsidio spoliaret, laborabat. Dicebat enim, sibi summæ curæ esse, vt is omnia a Rege, quæ vellet, impetraret. Id autem fieri non posse, nisi is Regis animum sinistris opinionibus exulceratum sanaret, vt intelligeret, quo animo nostri in eas oras accessissent. Proinde, iuberet classem propius terram constituere, sibiq. & vela, & gubernacula traderet, vt illis pignoribus posset Rex certus esse, illum in fide mansurum. Quod quidem Gama nulla se condicione facturum ostendit, quamuis esset sibi ob id acerrimum suppliciũ cum interitu vitæ subeundum. Inde porro ad fratrem litteras misit, quibus, vt ante præceperat, eum admonebat, vt, si videret, eũ diutius a gente perfida detineri, vela faceret, & in Lusitaniam reuerteretur, atque Regi, quo modo via in Indiam aperta fuisset, indicaret. Se de vita minime solicitum esse: ne autem fructus tanti laboris interiret, anxie formidare. Interim vero summa contentione Catuali repugnabat, omnesq. illius fraudes constanter eludebat. Varijs altercationibus duo dies fuere, sine vllo fructu, consumpti. Tandem fit pactio inter eos, vt merces, quæ erant in nauibus, in terram exponerentur, cũ hominibus, qui eas venderent. Mercibus traditis, Gama dimissus a Catuale se in nauem contulit. Inde nuntium Regi misit, qui Catualis in se perfidiam criminaretur, & doceret, se fraudibus illius coactum fuisse ita discedere. Ad hæc Rex, se de caussa cogniturum, promisit, &, si Catualem aliquo eiusmodi crimine alligatum deprehenderet, eum ita puniturum, vt deinceps fidem seruare disceret. Quod vero ad merces attineret, se eum admonere, vt Calecutium conuehendas curaret, vbi pluris venire possent. Assensit Gama; mercesque, Regis ipsius sumptu, Calecutium importatæ sunt. Interim Gama, nauibus propius vrbem deductis, singulis prope diebus binos, aut ternos homines in vrbem mittebat, vt sic tandem posset ab omnibus situs animaduerti. Nostri nullam iniuriam ab incolis interim accipiebant. Gama vero, se, quoad fieri poterat, pacis, & amicitiæ cupidissimum esse, demonstrabat. Postulauit deinde a Rege per nuntios, vt liceret sibi, ad maius fœderis vinculum, relinquere hominem Lusitanum Calecutij, qui Regis Emmanuelis negotia procuraret. Rex, siue quod non intelligebat, quorsum illa procuratoris in vrbe permansio pertineret, siue quod suspicaretur, Gamam sine portorij solutione discedere velle, non mediocriter offensus est; responsumq. dedit stomachi plenum. Gama, cum cerneret, responsum longe secus, quam postulatum flagitabat, datum esse, ne verbum quidem vllum, quod in rem esset, cum Rege leuissimo commutandum existimauit. Rex, hoc Gamæ silentio multo acrius irritatus, duos homines Lusitanos, quos Gama cũ mercibus Calecutium miserat, in custodiam dedit, mercesq. diligenter asseruari iussit. Gama a Rege flagitabat, vt sibi homines cum mercibus

Gamæ de fuga consilium.

Gama, a Rege in cõtinente detentus.

Gamæ ad classem reditus.

Exploratur a Gama Calecutium.

Lusitani vna cũ mercibus a Rege capti.

Belli Calecutiensis initiũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mercibus redderetur. Rex iniuria nihilomi nus perseuerabat. Hoc animaduerso, Gama, vt ius suum obtineret, viribus vtendum putauit. Primam igitur nauem, quam in portum intrare perspexit, armis expugnat. inde sex viros primarios, cum famulis vnde viginti, vinctos abduxit, reliquam autem turbam dimisit. Deinde vela fieri iubet, ita tamen, vt a conspectu terræ non procul abscederet. Sperabat enim, Regem, vt suos reciperet, Lusitanos cum mercibus continuo redditurum. At Rex misit ad illum, nuntium, qui diceret, se factum illius vehementer admirari, quod homines nobiles ex suis domesticis sine vlla caussa in vinculis detineret, cum ab illis nullam iniuriam accepisset. Lusitanos enim, quos secum habebat, se nō prius dimittere voluisse, quam ad Regem fratrem suum litteras daret; seq. illos confestim, cum bonis, atque litteris, dimissurum. Hoc promisso inductus Gama, rursus ad Vrbem propius accesit. Postridie veniunt Lusitani, cum litteris ad Emmanuelem scriptis. Misit præterea, qui Gamæ diceret, si vellet aliquem in ea vrbe relinquere, qui Emmanuelis negotia procuraret, se operam daturum, vt id cum magno illius commodo fieret. Merces vero se ideo non remittere, quod speraret, fore, vt per manum illius, quem Gama ei negotio præficeret, venūdari cum maiore lucro possent. Respondit Gama, se mutasse consilium, neque velle quemquam in ea vrbe reliniquere. Proinde, si vellet, vt is illius domesticos missos faceret, merces confestim restitueret. Sequenti die venit in nauem Monzaida animo perturbato, narratq. Saracenos tumultuari, insidias comparare, varijs calumnijs animum Regis in nostros incendere, seq. fuisse, propter illorum dierum vsum, qui sibi cum nostris fuerat, in maximum vitæ discrimen adductum, vixq. eorum manus effugisse. Se nullo modo posse, quamdiu Calecutij maneret, vitam ab hominum perditorum insidijs defendere. Proinde illum orare, & obtestari, vt se in Portugaliam ducat. De rebus suis, quas Calecutij relinquebat, parum esse sollicitum: vitam solum conseruare velle. Recepit illum in fidem Gama libentissime, in Portugaliamq. perduxit: vbi ad Christi nomen adiunctus, in omni vitæ ratione, boni viri, atque vere Christiani, officio perfunctus est. Eadem die Rex septem lembos misit, in quibus merces, quas Gama requirebat, erant impositæ. Gama, cum mallet vinctos in Portugaliam ducere, quam merces recuperare, ait, se, cum tot mendacijs ad illum diem illusus fuisset, nemini iam fidem habere. Sibi exploratum esse, non omnia, quæ fuerant Calecutium inuecta, reportari. Otium vero sibi non esse, ad ea, quæ deerant, inquirenda. Iccirco se Malabares illos minime dimissurum, sed in Portugaliam ducturum, vt illorū testimonijs apud Emmanuelem vteretur, vt posset intelligere

Monzaida, in elien elam a Gama susceptus.

Rex clarissimus, quibus iniurijs illius dux, at que legatus fuisset a Calecutij Rege, propter Arabes homines sceleratissimos, affectus. Hæc vbi dixit, ignem tormentis applicari iussit, vt eo terrore omnes se se in fugam darent. Rex hanc contumeliam indignissime tulit; sed eam vlcisci non potuit, eo quod omnis illius classis esset, propter anni tempus, in terram subducta. Verumtamen, cum venti Gamam deficerent, neque posset ea celeritate, qua volebat, ex illis regionibus abduci, Rex sexaginta naues actuarias instruxit, & armatis hominibus compleuit, vt in nostras naues incurrerent. Sed excitata subito tempestas classem hostium disiecit, &, vento minime nostris aduerso, naues nostras a Calecutiēsium conspectu celeriter abstraxit. Gama tamen ex eo portu, quem primum subire potuit, litteras ad Calecutij Regem dedit, in quibus, quot insidijs appetitus a Mahumetanis, quor dolis proditus a Catuale fuerat, enarrabat. Eamq. rationem fuisse dicebat, cur eum minime ante suum discessum salutasset. Attamen se fore semper illius studiosissimum, operamq. daturum, vt Rex Emmanuel omnia, quæ ad dignitatem illius pertinere videret, studiose, atque libenter efficeret. De viris autem illius domesticis, quos ceperat, non esse, cur sollicitaretur: fidem namque dabat, se curaturum, vt salui, & ornati in patriam redirent. Has litteras, per vnum ex captiuorum famulis, quem in litore constitui iussit, perferendas misit. Inde vero digressus, ad paruas quasdam insulas delatus est. Sed, ante quam ad eas accederet, octo naues longæ in illius naues inuehuntur: quarum septem fugauit, & vnam cepit, multiplici commeatu, varijsq. fructibus onustam. Erat autem classis illa piratęcuiusdam, cui nomen erat Timoia, hominis acris, quem omnes, qui mare illud nauigabant, valde metuebant. Ex insulis illis, in insulam, Anchediuam nomine, quæ aberat a continente circiter quattuor passuum millia, cursum direxit, vt in ea, quomodocumque posset, naues diuturna iactatione quassatas reficeret. Eo cum vndiq. multi, illius videndi gratia, confluerent, venit inter alios vir familiaris, atque domesticus Dynastæ cuiusdam, qui insulam non longe ab ea regione sitam, dominatu premebat. Insulam appellant Goam, Dynastam Zabaium nominabant. Erat autem Zabaius, vir animo magno præditus, militaribus, & imperatorijs artibus instructus, multosq. milites alebat, & omnes, quos acres in armis cognouerat, ad se magnis stipendijs inuitatos aggregabat. Illius vero familiaris, quem diximus, ad Gamam adijt, eumq. Italo sermone nomine Zabaij honorifice admodum salutauit. Dixitq. præterea, Zabaium, illius fama commotum, omnia curaturum, quibus illum indigere perspiceret. Proinde, siue illi cōmeatu, siue armis, siue pecunijs opus esset, omnia sine

Calecutana classis aduersus Lusitanos.

Gamę ad Calecutij Regē litteræ.

Gamæ a Calecutio discessus, & victoria nauali.

Timoia Pirata.

Anchediua insula.

Goa insula. Zabaij Goæ Dynastæ ad Gamam legatio fraudulenta.

sine vlla dubitatione postularet. Illum nāque minime boni Principis, & amici officio defuturum. Admiratur Gama & viri speciem, & orationis Italæ venustatem, & ingeniū, quo ad omnia, de quibus illum percunctabatur, acutissime respondebat. Quæsiuit, vnde esset oriundus. Narrat, se in Italia natum. Cum tamen Græciam versus cum parentibus nauigasset, in piratas incidisse, & varijs casibus in tantam miseriam deuenisse, vt, sine vlla spe reditus, Principi Mahumetano seruire cogeretur. Cum deinde multa sollerter inquireret, & curiosius, quam par erat, indagaret, &, quasi res alias agere videretur, a proposito sæpe deflecteret, & rursus ad institutum sermonem rediret, Gama suspicatus est, esse proditorē, neque salutandi, sed speculandi gratia eo se contulisse. Itaque, ea suspicione tractus, hominem corripi, & vehementissime torqueri iubet. Is, doloris magnitudine coactus, se nationē Sarmatam, religione vero Iudæū esse confitetur, in Zabaiq. famulatu versari, ab eoq. missum, vt nostras naues specularetur; &, quot milites in illis essent, & quibus armis vterentur, inspiceret. Illum namque in animo habere, comparata classe, nostras naues opprimere. Hac re intellecta, Gama, cum primum potuit, inde profectus est. Iudæum tamen missum facere noluit. Hic postea, Christianus effectus, Gasparis nomen obtinuit, Regiq. Emmanueli egregiam operam multis in rebus nauauit. Ex ea insula digressus Gama, institutum cursum tenuit, ita tamen, vt, propter ventorum nimiam lenitatem, tarde, & incommode nauigaret. Pelago illo ingente transmisso, in Aethiopiæ, quæ supra Aegyptum est, oras ad Austrum pertinentes delatus, ad ciuitatem nomine Magadaxum peruenit: quam cum accepisset a Saracenis possideri, tormentis acerrime verberauit, maximamq. mœnium partem disturbauit, & naues, quæ erant in portu, aut depressit, aut crebris ictibus, quo minus cito nauigare possent, impediuit. Inde profectus, in octo Saracenorum nauigia incidit, quæ in illum impetum tulerunt. In ea Gama confestim inuectus est, paruoq. certamine omnem illam classem fugere compulit: quam tamen insequi non potuit, eo quod ventus deficeret. Tandem, in Melindensem portum ingressus, fuit ab amico Principe satis amanter exceptus, multisq. rebus, ad milites ex labore, & morbo grauissimo reficiendos, adiutus. Ibi quinque tantū dies commoratus, (verebatur enim, ne tempus flectendi promontorij, propter hiemem, quæ aduentabat, effugeret) vela pandere statim iussit. In naues tamen prius legatum Melindensis Principis accepit, quem is ad Emmanuelem mittebat. Et, quia nauis Pauli Gamæ ex vetustate nimia laborabat, &, dissolutis aliquot in locis cōpagibus, aquam immodicam accipiebat, & nautæ, atque milites ad tres naues dirigendas, atque tuendas deficiebant, incendere eam iussit, fratremq. in nauem suam recepit. Milites vero, atque nautas cum Nicolao Coelio ita diuisit, vt illi partem attribueret, partem ipse retineret. Tertio Kal. Martij peruenit in insulam, nomine Zamzibarim, fertilem, & opimam, fontibus crebris, & densis nemoribus amœnam, multisq. gregibus abundantem, a continente circiter passuum viginti quattuor millibus disiunctam: in qua, præter alias arbores, altissimæ Mali medicæ in siluis sponte nascuntur, e quarum floribus cum ventus leniter spirat, in loca etiam longinqua suauissimi odores affluri dicuntur. Insulæ Princeps, quamuis sectam Mahumeti sequeretur, Gamam tamen benigne complexus est, illumq. commeatu, & fructibus onerauit. Mozambiquen deinde præteruectus, ad aquationem S. Blasij naues appulit, quo in loco aquationi, & lignationi, & venationi operam dedit. Vētis excluſus, eos portus, in quibus exsules remanebant, subire non potuit. Promontorium Bonæ Spei sexto Kal. Maij superauit. Inde ad insulam S. Iacobi ventis secundis naues appulit. Inde vero duces aduersa tempestate dispulsi sunt. Nicolaus Coelius Olysipponem recta cōtendit. Gama in insulam, quam appellant Tertiam, nauigauit. Erat enim frater illius Paulus Gama diuturno morbo oppressus, atque tabe propemodum cōsumptus, ita, vt maris iactationē ferre nullo modo posset. Itaque ibi vita functus est. Vasc̃us Gama, exsequijs rite persolutis, vt, qđ reliquum erat itineris, conficeret, inde proficisci maturauit, Olysipponisq. portū subiit Anno a CHRISTO nato MCDXCIX. Quo quidem tpe iam Rex omnia, quæ eis in nauigatione, & in India, & reliquis partib. accidere rant, e Coelio cognouerat. Homines interim admiratione quadā defixi, eos, qui ex India redierāt, quasi ab inferis excitatos intuebantur. Multi tū desiderati sunt, morbis grauissimis absūpti. cētū & quadraginta & octo profecti cū Gama fuerāt: quinq. & quinquaginta tantū reuersi sunt, & hi maxima ex parte labore, & inualetudine debilitati. Gama fuit a Rege cū multis laudibus acceptus, & titulis, & ornamētis, & muneribus, ob tā præclarū facinus, perinde, atq. meritus erat, illustratus. Et Coelius itē fuit auctus honorib. & reliqui deinde oēs, pro cuiusq. meritis, & dignitate, remunerati. Hoc autem tempore Emmanueli visum est, ossa Ioannis Regis, quæ erant Siluijs, Algarbij ciuitate, in tēplo maximo eiusdem ciuitatis, condita, in opidum, quod Battaglia nominatur, transferre. Obtinuit autē opidum id nomē, Propter prœlium illud acerrimum, quo Ioannes, Portugaliæ Rex, hoc nomine primus, Ioannem, Castellæ Regē, Henrici Regis filium, non longe ab eo loco superauit. Perspicuum est enim, Battagliæ nomine prœlium significari. Exstruxit autem

Proditio detecta.

Gamę i Aethiopiam reditus.

Magadaxum Aethiopiæ ciuitas.

Pugna cū Saracenis nauali.

Melindensis Regis ad Emmanuelem legatio.

Zamzibaris insulæ descriptio.

Gamæ Portugaliam versus nauigatio

Tertia insula.

Pauli Gamæ mors.

Vasci Gamæ in Lusitaniam optatus reditus.

Emmanuelis in Gamā, & Coelium, atque socios munificentia.

Res Europeę

Battaglia, Lusitanię opidum.

Lusitanorum Regum Mausoleum.

Ioannes primus eo in loco templum in honorem Sanctissimæ VIRGINIS amplissimum; statuitque, vt in ædibus, quas in eum finem ædificauit, templo coniunctis, religiosi viri, qui Diui Dominici institutum sequerentur, habitarent, vt sacra conficerent, & vicinos populos sanctis disciplinis instruerent. Eum autem locum sepulturæ suæ delegit. Nec ille solum, sed illius filij, & Rex Alfonsus, & Alfonsus, Ioannis secundi filius, multiq. præterea Lusitani Principes, eodem in templo sepulti sunt. Emmanuel igitur, vt eodem etiam in loco Ioannis reliquiæ conderentur, in Algarbium, cum Georgio Ioannis filio, & multis præterea viris, nobilitate, & virtute præstantibus, profectus est. Aperto autem sepulcro, Ioannis corpus integrum inuentum est, ex quo suauissimum odorem diffusum fuisse fuisse memorant, cum ingenti omnium admiratione. Nam supra quattuor annos in eo sepulcro constitutum iacuerat. Addebant permulti, fuisse illi, editis in eo loco miraculis, egregiæ sanctitatis testimonium a Deo tributum. Fuit autem tam sollemni pompa delatum, & tanta hominum frequentia, & celebritate, quæ illud prosequebatur, ornatum, vsque eo, dum in sepulcro conderetur, vt nihil omnino fuerit ab Emmanuele prætermissum, quo posset, quanta fide Ioannis memoriam coleret, aperte significari. Qui tamen interim Indiæ studium non intermittebat, & classem, quam rursus in orientis Solis regiones immitteret, ædificabat. Sed, cum esset ea mente, vt nihil vmquam agitaret animo, quod non castissimæ religionis auspicio institueudum arbitraretur, in eo loco, vbi Henricus templum in honorem Sanctissimæ VIRGINIS ædificarat, vt dictum est, aliud templum multo amplius, & magnificentius ædificare instituit: cuius statim fundamenta iecit, eiusdemq. Diuinæ VIRGINIS, quam singulari pietate colebat, memoriæ consecrauit. Locum illum Bethlehem appellari voluit, nomine ab ea ciuitate sumpto, in qua CHRISTVS ad humani generis salutem natus est. Adsciuit autem homines singulari religione, qui se Diui Hieronymi institutum sequi profitebantur: quos in illius templi custodia poneret, qui sacra conficerent, & numen Diuinum religione placarent; & omnes nautas, atque vectores, qui ex varijs partibus eo commeare solent, sanctis disciplinis erudirent. Eum vero locum sepulturæ suæ delegit. Arcem deinde in rupe, quam marini fluctus circumfluunt, non longe a templo, Occasum solis versus, instituit, munitissimam, quæ prohiberet portus Olysipponensis aditu naues omnes, quæ non se pacificas esse, signo nautis vsitato, significarent. Classis autem, quam misit, erat tredecim nauium. Mille & quingentos milites habebat. erat præterea bellicis munitionibus egregie instructa, & armata. Illi vero Petrum Aluarum Capralem, cuius virtuti plurimum fidebat, præfecit. Caprali autem præcepit, vt, quoad fieri posset, amicitiam cum Calecutij Rege firmaret, ab eoq. peteret facultatem arcis prope vrbem ædificandæ, qua Lusitani possent vitam ab hostium immanitate tueri, & sine vllo periculo negotiari. Quod si videret Regis animum adeo a nostris alienatum, vt omnem fœderis rationem aspernaretur, illi bellum inferre minime dubitaret. Iussit præterea, vt, si posset, Melinden accedere, Regi significaret, sibi gratissimam illius legationem fuisse, eiusq. causa omnia, quæ postularet, libentissime facturum. Misit autem in hac classe quinque monachos, religionis opinione præstantes, ex his, qui Francisci, viri sanctissimi, mores, & instituta sequuntur, qui Calecutij, si fœdus rite fieret, remanerent, vt Lusitanis, qui erant in ea vrbe, negotiandi caussa, mansuri, sacra ministrarent; &, si qui ex alienis gentibus ad CHRISTI nomen adiungi vellent, eos sanctis disciplinis instituerent. His autem erat præfectus Henricus, vir singulari religione, & pietate, qui postea, ob vitæ sanctimoniam, Septensis Pontifex effectus est. Soluit autem Capralis cum omni classe octauo idus Martij, anno a CHRISTO nato MD. Post hæc Emmanuel Georgium, Ioannis Regis filium, nouis titulis honestauit, vxoremq. illi dedit Beatricem, Aluari, cuius sæpe mentio facta est, Brigantini Ducis fratris filiam, singulari probitate feminam. Alfonsum vero, filium Iacobi fratris ipsius Emmanuelis, cui Ioannes propria manu necem intulerat, magistrum equitum effecit. Erat autem Alfonsus nothus: mater tamen illius fuit mulier summa nobilitate, quę, Iacobi eximia pulchritudine, tempore, quo is in Castella versabatur, accensa, operam summo studio dedit, vt illius complexu potiretur. Hoc eodem anno, qui fuit a CHRISTO nato MD. Princeps Michael, Emmanuelis, & Isabellæ filius, cum iam duos ferme annos natus esset, morbo sublatus est. Fernandus vero, & Isabella rursus, vt noua affinitate sibi Emmanuelem deuincirent, elaborarunt. Mire enim cupiebant, filiam suam Mariam illi collocare. Emmanuel, vbi id intellexit, summa voluntate eorum desiderijs assensus est. Nec enim aliud poterat esse matrimonium vel generis amplitudine, vel dotis magnitudine, vel virtutis egregiæ significatione clarius, & eorum vtrique conuenientius. Eluxit enim in Maria summum modestiæ, & mansuetudinis, & probitatis exemplum. Sed, quia matrimonium, propter affinitatem in matrimonio Isabellæ contractam, per Pontificij iuris sanctiones iungi minime licebat, a Pontifice Maximo postularunt, vt eos solueret legibus, ne religione aliqua posset impediri coniunctio, quæ tam multas vtilitates erat omnibus Hispaniæ Regnis

Ioannis Regis corpus quarto post mortem anno translatũ integrum.

Templum D. Virgini ab Emmanuele conditum.

Locus sepulturę, ab Emmanuele delectus.

Res Indicæ.

Noua classis in Indiam destinata.

Petrus Aluarus Capralis, Classis præfectus.

Annus Christi 1500. Res Europeę.

Michaelis, Hispanię Principis, mors. Emmanuelis secundę nuptię.

Quinque Monachi ordinis D. Francisci in Indiã missi.

Expeditio in Africam Emmanuelis, dissuasa.

gnis allatura. Hac impetrata a Romano Pontifice facultate, nuptiæ celebratæ sunt. Quamuis autem noua nupta illi, propter insignem virtutem, maxime cordi esset, non illius tamen amor eũ poterat ab ea cupiditate deducere, qua tenebatur. Cupiebat enim, vt Maiorum suorum vestigijs insisteret, in Africam transire, vt Mauros bello premeret. Multi fuerunt in consilio, qui eũ ab ea cogitatione conarentur auertere. Dicebant. n. non esse Regium munus, exercitum ducere, sed ijs, qui exercitũ ducerẽt, imperare. Præterea, ad Mauritaniã omnẽ debellandã, copias minime suppetere; ad bellum commode ducendũ eas sufficere, quæ erãt strenuis ducibus assignatæ. Minime aũt pertinere ad illius dignitatem, in Africam trajicere, nisi cum illis copijs, quibus posset oẽm illã regioné sub imperium subiungere. Accedebat, quod nondum filiũ habebat, quem posset, si illũ casus aduersus belli sustulisset, heredem relinquere. Ne vellet igitur, gloriæ caussa, Regnũ in tantum discrimen injicere. Regis. n. gloriam sempiternam patriæ caritate contineri, non in bello sine vlla publica vtilitate suscepto consistere. Ad hæc vxor cũ lacrymis illum obsecrabat, ne vellet tã subito discessũ dare sermonem multis, qui interpretarentur, illud consiliũ non tã bellandi studio, quam illius deserendæ cupiditate, susceptum. Multo sibi tolerabilius fuisse, numquã domũ ab illo ductam esse, quam ductam repente relinqui. Illud. n. consilij, hoc acerbitatis argumentũ continere. Ad hęc, per litteras cum parentibus agebat, vt Emmanuelem ab eo consilio reuocarent. Neque se, quominus bellum a viro fieret, recusare, sed, ne eo tpe fieret, enixe contendere. His quidem argumentis, & cõ filiarij, & vxor cũ ab instituto nitebãtur abducere. Ille tamen nihilo secius in eo persistebat, & bellum summo studio cõparabat. Exercitũ summa celeritate conscribi, & classem instrui iussit. Exercitus viginti sex millia peditum continebat, & sex millia equitum, & equites præterea cataphractos octingentos. Cum his copijs se, quod animo designabat, cõfecturum facile cõfidebat. Sed, in hoc suscepti, atq. propemodum instituti belli apparatu, crebri ad eum rumores allati sunt, Baiazetum, Turcarum imperatorẽ, ingentem classem instruxisse, qua oẽs insulas, & ciuitates Græciæ, quę ad Venetorum imperium, & ditionem pertinebant, euerteret. Veneti, cum id exploratũ habuissent, &, quantus contra illos scriberetur exercitus, accepissent, neque tantã belli molẽ se solos sustinere posse cõfiderẽt, cum ab alijs Regibus Christianis, tum ab Emmanuele auxilium per Legatos petierunt. A Põtifice Maximo præterea flagitarunt, vt ab Emmanuele postularet, vt ea classe, quę iã erat rebus omnibus instructa, Remp. illã iuuare vellet. Itaq. Pontifex Legatis Venetis, qui cum his postulatis ad Emmanuelẽ, Reip. suæ nomine, mittebãtur, litteras ad eum dedit, quibus admonebat, ne Venetorum postulata negligeret. Cõmune nãq. Reip. Christianæ discrimen coniũctis oĩum Christianorum viribus esse depellendum. Cogitaret enim, si sempiternus Christiani nominis hostis, quod animo designabat, efficeret, quãta cum superbia esset in Italiam, deinde in Galliam, & Hispaniam inuasurus. Bellum Africanum intermitti commode posse: at occasionẽ tantæ calamitatis arcendæ prætermissam reuocari non posse. Multo deinde esse ad laudẽ illustrius, ab amicis propulsare, quã inimicis inferre periculũ. Multos Italiæ Principes esse ad auxilium Venetis afferendum incitatos. Sed eos non tã cito posse opem afferre, quã periculi magnitudo postulabat. At Emmanueli, cum iam classem omnibus rebus ornatã haberet, nihil impedimẽto fore, quo minus, si vellet, ad se omnem gloriã illius Reip. conseruatæ reuocaret. Celeritate opus esse, quam reliqui, propter rerum suarũ difficultatẽ, adhibere non poterant. Videret autẽ, quanta gloria illius esset futura, si Resp. Veneta, a vicinis deserta, ab eo, cuius Regnũ tanto locorũ interuallo dissidebat, in tãto discrimine sustentaretur. Postremo, in illius belli societate nõ solum humanitatis, atque virtutis, sed etiam Christianæ pietatis specimen clarissimũ, sempiterna memoria consecrandũ, dari ab illo posse. His rationibus inductus Emmanuel, & Pontificis etiam litteris ad misericordiam inflexus, Legatis benigne respõdet, seq. officio suo minime defuturũ pollicetur. Statuit igitur, vt ex tota classe triginta naues, quanta maxima celeritate fieri posset, re frumentaria, & omni commeatu, ad tã longinquam nauigationem necessario instruerẽ tur. Et, quia, classe diminuta, non poterat ille pro dignitate bellum per se Mauris, vt cogitauerat, inferre, illud in aliud tempus distulit, & toto animo in opem, quam erat Venetis allaturus, incubuit. Interim, dum hæc summo studio geruntur, in Mauritania hæc euenerunt. Ioannes Menesius, post illam victoriam, quã de Barraxa, & Almandarino consecutus est, iussu Regis in Portugaliam redijt. Deinde anno MDI. fuit Arziliam remissus, cum supplemento centum & quinquaginta equitum. Sic enim bellum a nostris gerebatur in Africa, vt raro pedites depugnarent; & ideo omnes ferme copiæ, quas Reges summittebant, erãt ex equitibus. Eo tempore Rodericus Castrensis Tingitanæ ciuitati præerat. Menesius, cum primum Arziliam attigit, contineri diu non potuit, quin Mauros aliqua clade afficeret. Quia vero tantas copias non habebat, quantis erat opus ad rem, quam cogitabat, commode gerendam, Castrensem per litteras ad facti societatem inuitauit. Coniunctis hac ratione copijs, in maximos pagos intendunt, inopinatoque Mauros aggrediuntur. Maxima eorum pars, formidine perterrita, se in

Exercitus Emmanuelis.

Turcarum in Græcos, & Venetos expeditio.

Veneti subsidium contra Turcas ab Emmanuele petunt.

Pontificis ad Emmanuelẽ litteræ pro Venetis.

Emmanuelis ad Venetos Legatos responsum.

Classis Lusitana, Venetis missa subsidio.

Res Africanæ.

Annus a christo nato 1501.

Belligerandi in Africa ratio.

Victoria de Mauris relata.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fugam dedit. Multi tamen, vt in extremo vitæ casu dignitatem retinerent, acerrime dimicarunt. E quibus multi occisi, centũ vero & octoginta capti fuere. Cũ vero ex nostris equites quinque, septẽ Mauros conspicati fuisset, qui cum quinque mulieribus latenter fugiebant, eos insequũtur. Mauri, quãuis equos nõ habebant, eos. n. amiserant, pedibus tamẽ, vt summa contentione resisterent, se parabant. Fuit atrox inter illos, atque nostros, pugna cõmissa, & diutius vtrimque, quã pro numero, dimicatũ. Mauri tres equos confodiunt, & oẽs nostros conuulnerant. Nostri vero omnes eos concidunt. Vnus ex Mauris, cũ in extremo iã vitæ discrimine fortissime pugnaret, sponsæ, quæ erat in illo mulierum comitatu, tantũ dolorẽ attulit, vt, maxima voce exclamans, diceret: Itane vero, anime mi, videbo te crudelissime necari, neque tibi opẽ vllam afferã? lacrymisq. tantum mortem tuã prosequar, & non me sociã tibi mortis adiungam? Te exstincto, quam ex vita iucũditatẽ percipiam? Hæc vbi dixit, in nostrorũ gladios rut, & equitẽ vnũ, qui pedibus (iam enim equus illius erat occisus) cum mulieris sponso dimicabat, summa vi corripit, & adeo arcte complectitur, vt is se expedire nõ posset. Parumq. abfuit, quin ab illius sponso vita priuaretur, propterea quod gladio vti nõ poterat. sed, aliorũ interuentu, qui iam reliquos occiderant, pugna fuit, cum omniũ hostium interitu, finita. Ita tamẽ hi septem Mauri cõciderunt, vt, in extremo etiã spiritu, virtutis egregiæ significationẽ darẽt. Fuit præda ingens capta; multi pecorũ, & armentorũ, & equorum greges abacti. Cum vero duces exercitum in ciuitates, vnde fuerãt profecti, subducerent, & a pagis quattuor passuum millia abessent, dux opidi munitissimi, quod appellant Mauri Alcassarelquibir, cum equitibus mille & ducentis, in nostros inuadit, & agmen postremum, quod Menesius ducebat, aggreditur. Nostri, ordine instructi, progrediebantur, cum præda; &, vt se a Maurorum incursione defenderent, non autem vt illos offenderent, laborabant: & ita paullatim excedebant, quamuis a Mauris leuibus prælijs certaretur. Genus autem pugnę hoc erat. Mauri hastis infestis in nostros incursabãt, & cõtinuo se cursu recipiebãt: vnde rursus alijs cursibus initis, in nostros impetũ dabant. Nostri, conuersis in equorũ terga, parmis, eorũ ictus excipiebãt, & equos, quoties acrius premebantur, in hostes concitabant. Cum vero Mauri ferocius instarent, Menesius, in illos cũ parte copiarum inuectus, impressionem fecit qua quinquaginta ex illis hastis transfixi cõciderunt. Mauri, cum cernerent, nostros cum præda paullatim abire, consilium inierunt, vt cum nostris, acie instructa, dimicarent. A cursibus igitur abstinẽtes, in ordinem a ducibus coguntur. Menesius prælium minime detrectabat. Constitit igitur, & misit ad Rodericũ Castrensem, qui diceret, se in animo habere prælij casum experiri. Proinde, si ei videretur, suos in nouissimum agmen reduceret, vt, vno agmine facto, in hostes irruerẽt. Respondit Castrensis, non esse boni imperatoris, fortunæ varios euentus in rebus ex animi sententia gestis absque vlla necessitate periclitari. Multa namque accidere, quibus id, quod feliciter inceptum fuerat, ducum insolentia tæterrime caderet. Hostes esse numero plures: nostros vero posse, si vellent, cũ tam facilẽ receptum haberent, prælij periculosi condicionem recusare. Strenui vero ducis esse, commodo suo, non ex hostium voluntate prælium inire. Prædam esse satis magnã: ex nostris neminẽ desiderari: he vellet igitur, quod egregie factum erat, cõsilio audaci corrumpere. Menesius nõ improbauit consiliũ. Mauri vero, dũ nostri tẽpus in hac cõsultatione consumunt, animaduertẽtes nostros cõmorari, existimarunt eo cõsilio cõsistere, vt signa in illos inferrent. Cum vero multis in locis experti fuissẽt q̃ acriter nostri, post rẽ obstinato animo cõstitutam, ferro decernerent, abierunt. Nostri vero duces, præda diuisa, domũ incolumes reuersi sunt. Nõ post multos dies Menesius certior factus est, Mauri cuiusdã speculatoris indicio, Fessensem Regẽ egressum esse, vt excursiones faceret, & Tingitanã ciuitatem vel expugnaret, si posset, vel agrum saltẽ popularetur, &, quam maximã posset, vastitatem nostrorum rebus inferret. Habere aũt sub signis equitũ duodecim millia. Tingi vero tanta celeritate contendere, vt non posset nuntius ad Castrensem, antequã ille accederet, peruenire, maxime vero cũ nulla esset via, in qua hostes eo tẽpore nõ insideret. Hac re perculsus Menesius, ignem tormentis æneis applicare iussit, vt, globorum strepitu, posset Castrensi significare, quo in periculo versaretur. Præterea, ciuis quidam Tingitanus proximis illis diebus Arziliam venerat, & catellam ibi p obliuionẽ reliquerat. Menesius catellã ligari, litterasq. cera circũlitas, quibus ea, quæ acceperat de Regis aduentu, nuntiabat, collo illius appendi iubet, eamq. sub noctẽ acerrime verberatam in litore constitui. At catella, dolore verberum grauiter affecta, tanta celeritate domum properat, vt ante lucem ad Tingi portas assisteret. Ibi lectis litteris, Castrẽsis, vt omnes in armis parati essent, imperat. Vix hæc facta fuerãt, cum Rex ciuitati appropinquauit, maioremq. partem exercitus præmisit, quæ populationem agris inferret, & omnes greges abigeret, & homines, quos in agris inueniret, ferro trucidaret. Castrensis, vt illis resisteret, egressus vrbe, in eos inuectus est. Sed, multitudine oppressus, in vallum, quod est a nostris circum vrbem munitionis gratia constitutum, se magno cum labore recepit. Antequam enim id efficere posset, fuit vtrimque plus duabus horis acerrime dimicatum.

Maurus quidam ab amasia in pretũ excitatus.

Alcassarelquibir, opidũ

Maurorum cum Lusitanis velitatio.

Menesij cum Castrensi, de

præ'io ineundo, consultatio.

Fessensis Regis in Tingitanos expedi tio.

Callida litterarũ mittendarum ratio.

Parum felix Lusitanorum in Mauros eruptio.

catum. Cecidit in ea pugna Castrensis quidã filius, & octo equites viri fortissimi, & ipse Castrensis, hastæ coniectu, fuit in facie grauissime vulneratus. Nostris intra vallũ receptis, Mauri nihilo secius instant, & intra vallum irrumpunt. Cum vero nostri in vrbem se recipere conarentur, Mauri, nostros acriter insequẽtes, vt simul in vrbem irruerent, summa contentione pugnabãt. Hac re animaduersa, Castrensis, cum equitum turma, in Mauros conuersus, tanto impetu in eos incurrit, vt facilẽ receptum omnibus præberet. Postremus omnium quidã eques egregie fortis, Lupus Martinus nomine, vrbem ingressus, vectem ad medias portas induxit. Cum autem multi illum magnis clamoribus admonerent, vt totã portam clauderet; respondit, numquam se tantũ facinus admissurum, vt eam Portugalensibus maculam, significatione timoris, inureret. Se paratum esse, pro illius mediæ portæ defensione ad extremum vitæ spiritum dimicare. Neque solum hoc dixit, sed factis etiam ostendit. Nam, cum Mauri in illum ferociter inuaderent, primum impetum animo magno sustinuit, donec multi opem illi afferrent, quorum virtute exclusi mœnibus Mauri, se in castra contulerunt. At Rex, post dies quattuor, castris inde motis, Arziliam exercitum traducere maturauit. Menesius, per speculatores de aduentu illius certior factus, præsidijs in vrbe dispositis, copias suas in locum, quod appellant Opidum vetustum, eduxit, aciemq. equitum, & peditum instruxit: quibus imperauit, vt se continerent, vsque eo, dum is signum daret: quo animaduerso, erant omnes exituri. Interim vero, vt hostium exercitum specularetur, cum viginti tantum equitibus, ad flumen, quod Dulce nominatur, progressus est. Ibi, cum multitudinem hostium conspiceret, se in opidum sensim, atque leniter recipiebat. At illum abeuntem antesignani Maurorum equites adoriuntur, tanto impetu, vt cogerent illum, cum iam non longe ab eo loco, in quo suos reliquerat, abesset, in illos equũ incitare. Sed eo tempore non habebat secum nisi quattuor tantum equites. reliqui enim multo celerius, quam decebat, in opidum regressi fuerant. Equites tamen quinquaginta, cum illum in hostes incurrere perspicerent, quanta celeritate possunt, accurrunt, tantoq. impetu in hostes feruntur, vt eos funderent, magnamq. cædem ederent. At, qui in opido vetusto reliqui fuerant, cum animaduerterent, Menesium longius hostes fugientes insequi, non esse signum diutius exspectandum rati, vt illi suppetias afferrent, accelerant. Sed iam Mauri, eo tempore, per alias campi partes immissi, vias omnes obsederant. Menesius, interim, animaduertens, a Rege recentes, & integros equites, qui fessis, & vulneratis succederent, frequenter mitti, seque, cum paucis hominibus stipatus esset, non posse vllo modo hostiũ impetũ sustinere, vt se ad suos reciperet, omni contentione pugnabat. Quod non sine maximo labore fieri potuit. In hoc tanto vitæ discrimine aliquot illius equites ceciderunt, & multi vulnerati sunt, & Menesius vulnus secundum femur accepit; & tamen eorum acie, qui obsessis vijs eum intercipere contenderant, tam acri animo perrupit, vt ad suos tandem accederet. Inde igitur, cum suis copijs omnibus, in Mauros, qui iam intra vallũ pugnabant, impetum dedit: ie quibus multi occisi, multi vulnerati, aliquot etiam capti, omnesq. tandem extra vallũ eiecti sunt. Ad hunc modum cõfecto prælio, Menesius vrbẽ ingressus est. Accidit tunc ridiculum quiddã nostris; sed illi, qui risus materiam præbuit, non valde lætum. Nam, cũ quidam Maurus e campo in opidum adequitaret, quod existimabat iã a suis captum esse, lætus, & ouans, per portã ingressus est; iniectisq. statim illi a nostris vinculis, præproperæ lætitiæ pœnam tulit. Dum hęc in Africa gerũtur, Emmanuel summo studio laborabat, vt classis, quã in Venetorũ auxilium mittebat, intra breuissimũ spatium rebus omnibus instructa, & ornata esset. Illiq. præesse iubet Ioannẽ Menesium, Odoardi Menesij, Vienensis Dynastæ, filium, virum singulari virtute, & consilio præditum. Aliam deinde classem eidẽ Menesio cõmisit, in qua erant præsidia militũ, quæ erant in castello, nomine Mazalquibiri, disponenda, si posset obiter expugnari. Est id castellũ in regione maritima Mauritaniæ Cæsareæ, in litore Orãnensi ciuitati oppositum. Præscripserat enim secreto Rex Emmanuel ipsi Menesio, vt in eo expugnãdo belli fortunam experiri minime dubitaret, dummodo nõ multũ tẽpus in ea pugna cõsumeret. Classis xvj. Kal. Iunij anno MDI. Olyssippone solvit; secundisq. ventis vtẽs Menesius, breui in fretum Gaditanum peruenit: inde, vt Regis imperata conficeret, Mazalquibirium petijt: aduersis tamen vẽtis exclusus, ante diem tertiũ portum subire non potuit. Mauri, hoc spatio tẽporis interiecto, cũ animaduerterẽt, quo animo nostri ad portum appellere conarentur, vt summa vi resisterent, se comparabant, & animos hominũ confirmabant, castellumq. firmis præsidijs muniebant. Nostri, tandem, terra potiti, castellum oppugnant, scalas admouent, in muros certatim adscendũt: neminẽ repugnare vident: existimant, hostes metu perterritos latebris occultari. Hac opinione decepti, tamquã victores, quacumque libet, inambulant. At Mauri, qui, insidijs collocatis, hanc exspectabãt occasionem, eos dissipatos, & nihil iam hostile suspicantes, aggrediuntur, & præcipites eijciunt. In hoc conflictu viginti ex nostris desiderati sunt. Menesius, vt in mãdatis habebat, nõ diutius in opidi oppugnatione tempus conterendum statuens, reliqua classe dimissa, cum triginta nauibus ad auxiliũ, quod Venetis mitte-

Rara Lupi Martini fortitudo.

Tingi opidũ, obsidione sẽlum.

Menesij periculum.

Casus ridiculus.

Res Europæ. Classis Venetis subsidio mittendæ apparatus.

Mazalquibiris castelli situs.

Lusitanorũ victoria, Mauricis insidiis corrupta

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lusitanę classis iter, & successus aduersus Turcam.

tebatur, assignatis institutum cursum tenuit. In Sardiniam tandem delatus fuit, & ab illius insulæ Prætore admodũ honorifice receptus. Inde cibarijs comparatis, & aquatione facta profectus, cum non a Tunetensi portu procul abesset, nauem onerariam ingentem cũ duabus rostratis nauibus conspicatus est. In eas igitur inuectus, omnes cepit, &, in Sardiniam reuersus, merces exponere in terram iussit. Erant autem hæ naues e Genua; multos autẽ Turcas, & Mauros, & Iudæos, & Christianos cum multis mercibus Tunetem conuehebãt. Genuensibus autem nauem onerariam, & omnia bona restituit: Christianos, & Iudæos, liberos abire permisit: Turcas, & Mauros in custodiam tradidit, eorumq. bona vniuersæ classi distribuit: duas rostratas naues tantisper retinere voluit, dum bellum illud, ad quod properabat, confectum cerneret. Inde, Italiã versus, Calabriam, & Apuliam præteruectus, in Epirum transmisit, & inde Corcyram petijt. Veneta classis nostris obuiam prodijt, tormentorumq. sonitu, & tubarum clangore, quanta lætitia essent omnes affecti ex nostræ classis aduẽtu, significauit. Lusitana classis, ne officio illo vinceretur, operam viciſsim dedit. Naues nostræ, quia remis non augebantur, & malacia, atque tranquillitas erat, fuere in portum, opera triremium Venetarum, remulco deductæ. Menesius a classis custodia nullis Venetorum precibus obduci potuit: reliquos duces in terram descendere permisit: qui omnes satis hospitaliter accepti sunt. Vt tamen intelligi possit, quam periculosa sit militaris licentia, quamdiu non fuerit seueriore disciplina coercita, non erit abs re, quæ tũc a militibus nostris commissa fuerint, paucis exponere. Tam nautæ, quam milites Lusitani, cum essent natura elati, & insolentes, paullo confidentius, & petulantius in insula versabantur. Quod grauem offensionem hominibus Græcis, & ad rixam similiter natura concitis, afferebat. illi vicissim Lusitanos verborum conuicijs, & multis iniurijs onerabãt. Eo tandem res deducta fuit, vt, concitato dissidio, armis, quæ repentinus ille casus cuilibet offerebat, congrederentur. Accurrunt Duces Veneti, vt sedent illam discordiam. Similiter & Menesius, vt suos a furore contineat, in terram accelerat. Vix ducum imperio, & commination tam funesta contentio dirimi potuit. Ex nostris ad septuaginta in ea pugna temeritatis, & insolentiæ pœnas cæde luerũt. Ex Venetorum autem exercitu, & ex Corcyrensibus magnus etiam numerus nostrorum armis confectus occubuit. Ita factum est, vt illis ipsis, quibus nostri opem afferebant, non mediocre detrimentum temeritate multitudinis importarent. Pugna vero cum Turcis nulla fuit. Turcarum enim imperator, cum accepisset, Hispaniæ Reges, aliosq. Christianos Principes, classes maximas, vt auxilium Venetis afferrent, summo studio comparare, Vrbesq. Venetorum ita præsidijs, munitas esse, vt facile expugnari non possent, & ea ratione se classem sine vllo fructu maximis sumptibus ædificasse, classem in portum subducere, & suos a bello abstinere iussit. Itaque Venetus Prætor Menesio dicit, Senatum populumque Venetum Regi clarissimo summas gratias agere, quod tanto studio illius saluti prospexerit: quo quidem beneficio ita Remp. Venetam obstrinxerit, vt nullo vmquam tempore esset illius memoriã depositura. Breuiq. fore, vt Senatus populusq. Venetus ad Emmanuelem legatos mitteret, quibus, quanto studio dignitatis, & amplitudinis illius teneretur, clarius demonstraret. Menesius igitur, refecta classe, & impositio commeatu, in Lusitaniam rediit; varijsq. tempestatibus vsus, Olyssipponem tandem peruenit; omnesq. naues, quas duxerat, in portu constituit. Interim vero Capralis, qui in Indiam nauigabat, eundem cursum, quem Gama tenuit, secutus est, donec ad Insulam S. Iacobi peruenit. Cum vero alterius progrederetur, coorta tempestate sæuissima, classis dissipata fuit, & nauis vna, fractis armamentis, Olyssipponem redijt. Capralis, sedata tempestate, naues omnes rursus collegit, præter illam, quam duobus diebus, demissis infra medium malum velis, exspectauit. Cum vero ea minime compareret, Occasum versus nauigauit. Octauo Kal. Maij nautæ terram conspiciunt. Quæ res omnibus incredibilem voluptatem attulit. In ea enim regione nemo ex nostris terram exstare aliquam ab hominibus cultam, fuerat vmquam suspicatus. Capralis igitur proras in terram flectere iubet. Nauis autem prætoriæ magistro imperauit, vt, scapha vectus, ad terram propius accederet, illiusq. situm, & naturã diligenter inspiceret. Redijt magister, & nuntiauit, tellurem esse fertilem, & amœnam, herbis lætissimis, & arboribus altissimis vestitã, & aquarum etiã copia redundantem. Se præterea homines vidisse coloratos, molli, atque demisso capillo, nudis corporibus, cũ arcubus, & sagittis, prope litus ambulantes. Capralis, magistri testimonio minime contentus, aliquot Duces armatos iussit in scaphas desilire, vt terrã diligentius perlustrarent. Illi confestim imperata conficiunt, &, ad Capralem redeuntes, ea, quæ magister nũtiauerat, vera esse cõfirmãt. Ibi, cum in anchoris nocte consisterent, summa quædam tempestas excitata classem iactauit, & secundum oræ illius longitudinem vagari, & fluctibus exagitari, & in varias partes contorqueri compulit, donec tandem in portum optimum penetrauit, quem, Portum tutum Capralis nominare præcepit. Ibi classe constituta, Capralis curam dedit ducibus, vt, scaphis inuecti, terram spectarent. Redeunt illi, cum duobus piscatoribus, quos in lintre

Menesij a Venetis dimissio, & in Lusitaniam reditus.

Res Indicæ.

Brasilia, quãdo, & quo modo inuenta.

Portus Tutus

Orta inter Christianos ex militari insolentia contentio, & pugna.

Turca, Christianorũ metu, a bello abstinet.

lintre ceperant. Cum vero nemo ex nostris eorum linguam posset intelligere, nutibus, & signis cum illis agere cœperunt. Sed tanta erat in hominibus ingenij tarditas, tantusq; stupor in animo, vt nullis signis de re aliqua admoneri potuerint. Tum Capralis eos vestibus ornatos, tintinnabulis, & æneis armillis, & speculis donatos in terram exponi iubet. Illi, muneribus elati, cum ingenti lætitia suis opes illas ostentant. Eorum prædicatione commota multitudo vndiq. confluit cum frugibus minutis, & cum magna farinæ copia, & cum varijs fructibus, eaq. omnia cum nostris facillime permutant. Admirãtur specula, obiectantur tintinnabulis, efferuntur armillis, intuentur nostros; & expleri, singula spectando, nequeunt. Tum Capralis, simplicitate gentis inuitatus, in terram descendit. Ibique sub vmbra arboris ingentis altare cõstrui iubet, & statuit, vt res Diuina maxima cum cærimonia fieret, & coneio etiam de rebus Diuinis haberetur. Ab huius sacrificij spectaculo non fuere terræ illius cultores excluſi. taciti vero, & stupore defixi, cærimoniam sanctitatem, & symphoniæ concentum intimis sensibus vsurpabant; &, demisso corpore, se moueri plurimum religione significabant. Cum vero, peractis rebus sacris, Capralis se in classem recipere volũisset, cum ad scaphas cum maximo gaudio prosecuti sunt. Quanta vero lætitia affecti essent, cantibus crebris, & buccinarum, & cornuum concentibus, & corporum gestibus, & sagittis in aerem missis, & manibus in cælum intentis indicabant. Videbantur enim Deo sũmas agere gratias, quod gentem illam ad eas oras detulisset. Ita vero erant admiratione oppressi, vt minime mentis compotes esse viderẽtur. Multi enim, dum Capralis in naues tendit, eum, mare ingressi pedibus, vsque eo secuti sunt, dum aqua pecto ra eorum pertingeret. Alij vero illum nando sequebantur, alij lintribus inuecti, ad naues vsque peruenirent, nec ab ijs auelli aliquo modo poterant. Hic, dum Capralis in anchoris consisteret, vt aquationi operam daret, & rei frumentariæ prouideret, & reliqua cibaria in naues imponi præciperet, iectus est in litus piscis, qui nostris admirationem nõ mediocrem commouit. Crassitudo namq. illius erat ingẽtis dolij, longitudo crassitudinẽ duplo superabat. Capite, & oculis, porci similitudinẽ referebat. Aures erant auribus elephanti similes. Carebat dentibus. Pellis erat setis hirsuta. Cauda circiter pedes quinque in longitudinem tendebatur. Pellis crassitudo erat vnius digiti. In hac terra, quam Capralis Sanctæ Crucis nomine celebrari voluit, (quam nunc Brasiliam appellant) columnam marmoream, illis similem, quas multis in locis Gama statui præcepit, collocari iussit; & inde vnum ex ducibus, nomine Gasparem Lemium, in Portugaliam remisit, qui Emmanueli de huius terræ situ nuntiaret: quam aliqua ex parte describere, minime arbitror alienũ. Situs illius ad Austrum pertinet: & fines, qui quidem sunt latissimi, cum ea regione, quæ Castellanorum Regum imperio continetur, quam appellant Peru, coniuncti sunt. Tellus est fertilis, & amœna, & tãta salubritate prædita, vt vix sit opus vlla medicina. Omnes enim ferme, qui moriuntur, non aliquo morbo, sed senio consumpti moriuntur. Multis, & ingentibus fluuijs alluitur: fontes habet aquę dulcis, atque perennis innumerabiles. Campi sunt latissimi, lætissimaq. pabula profundũt. Portus habet optimos, aditus facillimos, in quibus naues non facile tempestate iactari, aut vadis afflictari possunt. Maxima regionis illius pars est montibus, & vallibus distincta: siluæ sunt densæ, & opacæ: arbores variæ, antea nostris incognitæ, inter quas est illa, e cuius summis frondibus ferro præcisis balsami quoddam genus instillatur. Arbores, e quibus ruber color, quo lanę inficiuntur, confici solet, sunt valde frequentes, & altissimæ. Fundit præterea tellus herbas admodum salutares, qualis illa est, quam multi Sanctam appellant. Medetur enim vlceribus, & anhelitus frequentis angustijs, & cancris præterea, & gangrænæ ex vulnere putrido ad corporis totius pestem repentino cõtagio permanantimultos præterea morbos, in quibus ars medicorum frustra consumitur, facillime depellit. Homines sunt colore subnigro. Capillum habent mollem, nigrum, atque promissum. Sunt omnes imberbes, propterea quod vellel lis omnes corporis pilos euellunt. Nullas litteras norunt: nullam religionem colunt: nullis legibus alligantur: nullis ponderibus, aut mensuris vtuntur: nullius Regis imperio subijciuntur. Cum tamen bellum inter eos exoritur, cum ducem eligunt, quem omnium fortissimum, & in bellis gerendis acerrimum fore credunt. Nullis vestibus vulgo teguntur. Qui tamen inter eos nobilitate præstant, vestes induũt, e pisttacorum, & aliarum auium variorum colorum plumis confectas. Et hi pileis ex eisdẽ plumis contextis caput ornant, & brachijs armillas ex plumis similiter factas inducunt. Vestes autem ab vmbilico ad genua tantum demissas gerunt. Mulieres capillos nutriunt. Viri a fronte ad medium verticem caput abradunt. Qui vero elegantius ornari volunt, aures, & nares, & labia, & facies etiam perforant, & in locis illis lapillos varijs distinctos coloribus infigunt. Mulieres autem, pro lapillis, minutis cõchyliis, quæ apud illas in magno pretio sunt, similiter excoluntur. In bellis, arcubus vtuntur, & tanto artificio sagittas emittunt, vt, in quemcunque corporis vllius locum sagittã collineare velint, eum configant. Loco ferri ossibus piscium sagittas armant: quibus tamen tam altum vulnus imprimũt, vt tabulam quamuis ictu perfodiant.

Manueli missus, de Brasilia inuenta.

Brasiliæ situs, ac descriptio.

Primum S. Missę sacrificium in Brasilia celebratum.

Arbor iucogaita.

Herba sãcta.

Brasiliensiũ de Lusitanorum aduentu gaudium.

Brasiliensiũ natura, & mores.

Terra S. Crucis, nunc Brasilia.

Brasiliensiũ arma, & belligerandi, ac sagitandi ratio.

Nuntius Emmanuelis missus.

Victus.

Piscis monstrosus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Naues.

Piscatio.

Panificium.

Potus.

Artes diuinatoriæ, & veneficia.

Pages, hario li Brasilienſium.

Cõiugia Brasilienſium.

Adulterarũ ſupplicium.

fodiant. Venationibus aluntur: veſcuntur ſimijs, atque lacertis, & anguibus, & muribus, nullaſq. eiuſmodi dapes aſpernantur. Lintribus vtuntur e corticibus arborum ingẽtium factis: quæ tamen tanta ſunt interdum capacitate, vt homines triginta ſuſtineant. Cum piſcari volunt, alij remis lintrem agunt, alij vero mare fuſtibus verberant, & piſces exterrent. Piſces attoniti ad ſummã aquã enatant. Tum, qui ad eam rem parati ſunt, cucurbitas aridas, & exinanitas ingentis magnitudinis ſub fluctibus oppoſitas habent, in quas piſces ſponte ſubeunt. Frumentum minime ſerunt. Panem e radice vnius herbę conficiunt portu lacæ magnitudine. Hæc autem tam letiferum venenum cõtinet, vt, qui illam crudam comederit, repente moriatur. Illi vero radicem cõtundunt, contuſam exprimunt, ne quidquam in illa ſucci illius venenati remaneat. Tum ad ſolem exſiccant. Molis deinde conterunt, atque farinam efficiunt. Panes ex huiuſmodi farina facti non modo ſalubres ſunt, ſed etiam ſciti admodum ſaporis. Ex ea, & milio, genus potionis faciunt, ceruiſiæ perſimile: quo quidem vbi ſe ingurgitant, quod frequenter illis cuenit, tũ omnes fraudes, & inſidias plus ſolito machinantur. Obſeruant auguria: veneficijs dediti ſunt. Eſt in magno apud illos honore quoddam genus hominum maleficũ, quos de rebus incertis conſulunt. Appellantur ab illis Pages. Hi geſtãt in ſumma ſagitta cucurbitam, in faciem hominis figuratam. Quoties autem illis libet, intra cucurbitã ignem ſubijciunt, & fumum ex herbis congeſtis faciunt. Tum fumum illum naribus accipiunt, vſque eo, dum ebrij vacillent, & corruant, & extra mentem rapiantur. Habent enim herbæ illæ eam vim, vt fumo, quaſi vino ſupra modũ ſumpto, mentem eripiant. Tum vero ſtridere dentibus, in ore ſpumas agere, oculos torquere, necem multis comminari, turbulentis motibus, & geſtibus eos, qui circumſident, exterrere. Nemo enim ſuſpicatur, illos, abſque Diuini ſpiritus inſtinctu, tam horrendas voces iacere. Quod ſi quis ex illis, quibus homo ad eũ modum lymphaticus quidquam dirum prænuntiauit, aliquem grauem caſum ſubierit, non dubitant, quin illud ſupplicium ad eam diuinationem referẽdum ſit. Hi, quocumque veniunt, ſummo omnium plauſu recipiuntur, viæ muniuntur, carmina ad tibias, gentis more, cõcinuntur, choreæ agitantur; feminæ formoſæ, vel virgines illę ſint, vel cuiuſuis matrimonium teneant, ad illos introducũtur. Opinantur enim miſeri, ſi illos placatos habuerint, omnia ſibi feliciter euentura. Illic neque filias parentibus, neque ſorores fratribus collocari licet: reliquas mulieres ſine vllo diſcrimine ſibi matrimonio cõiungunt: quas offenſione interpoſita deſerunt. In adulterio autẽ deprehenſas, vel occidunt, vel tamquam ſeruas vendunt. Parentes non habent in filias poteſtatem, ſed fratres: quas quidẽ, quoties eis libet, venales proponunt. Venditio autem, eſt pro rebus alijs, quas ipſi concupierint, permutatio. Pecunia enim carent. Sunt ad laborem pigri, ad luxum, & otium propenſi: quoties a bellis conquieſcunt, totum tempus in conuiuijs, & cantibus, & ſaltationibus, ſine vllo modo conſumunt. Choros in eodem loco ſemper inſiſtentes circum orbem verſant. In cantibus non diſtinctis ſonorum interuallis, ſed ſimplici vocum ratione carmina modulãtur. Illic autem, quæ fecerint in bello, commemorant, facinoraq. ſua ſummis laudibus extollunt; & omnes cantus ad virtutis militaris laudem reuocant; & interim ſibilis, & pedum ſtrepitu eandem ſymphoniam proſequuntur. Alij vero ſaltantibus pocula miniſtrant, donec tandem omnes, temulentia oppreſſi, ſternantur. Domos e lignis ędificant, &, culmis cõgeſtis, obtegunt, & muris binis, aut ternis circumuallant, propter frequentia bella, quibus excerceri ſolent. In vna domo (ſunt enim longiſſimæ) multi ſimul habitãt. Et ij inter ſe fraterne amant, libenterq. alij, pro aliorum, qui cum illis viuunt, ſalute vitã in quoduis diſcrimen injiciunt. Bella non pro tuendis, aut propagandis finibus, ſed pro dignitate ſuſcipiũt, quoties opinantur, ſe fuiſſe a vicinis, aut ab aliqua natione contemptos. Tum vero, homines ſenes, qui magnum in rebus bellicis nomen, cum eſſent iuuenes, habuerunt, in conſilium adhibent. Ante deliberationem, quantũ quiſque vult, tantũ potionis exhaurit. Quidquid ſenes de bello, aut pace decernunt, ſine vlla recuſatione pro viribus exſequuntur. Ducem eligunt, vt ſuperius dictum eſt, quẽ acerrimum eſſe iudicant. Hunc vero, ſi timiditatis ſignificationem aliqua in re dederit, honore confeſtim ſpoliant, & alium in eius locum ſubſtituunt. Hic, domos circumiens, magnis vocibus omnes ad bellum adhortatur: quibus rebus inſtrui debeant, admonet; &, quãta virtute ſit opus, ediſſerit. Neque ſolum arcubus, & ſagittis, ſed gladijs etiam e ligno duriſſimo fabrefactis vtuntur, quibus hoſtium membra frangunt, & diſſecant. Inſidijs vti frequenter ſolent, & in eo pugnant, vt hoſtes inopinato aggrediantur. Quos in bello capiunt, ſenes præſertim, ſtatim comedunt; reliquos vinciunt. Eos, qui ex ſuis in bello conciderunt, ſunere efferunt cum multis lacrymis, eorumque virtutem prędicatione celebrant. Captiuis cibaria largiſſime præbent, eiſque mulieres, cum quibus cubent, elargiuntur. Cũ vero feſtos dies agere volũt, vnum ex captiuis, quẽ iam ſatis fartum, & opimum eſſe conſpiciunt, funibus alligant. Primũ illius amica, in amoris ſignum, in collum funem injicit, & delicias ſuas ad ſupplicij trudit. Homines deinde circumſiſtunt, & ventrem, & brachia, & tibias illius adſtringunt: tum, columnæ affixum, coloribus depingunt, & plumis variis exornant,

Contractus.

Saltationes, & cantus.

Aedificia.

Caritas mutua.

Bellorũ cauſſæ, & ſuſcipiendorũ ratio.

Arma.

Stratagemata.

Ne

Ne vero parum humani videantur, laxant illum vinculis interdum, & cibo, atque potu ſane laute, atque liberaliter accipiunt. Interim vero omnes comedunt, & plurimum illius, quam diximus, potionis abſumunt. Saltant præterea, & canunt, atque tripudiant, & tres dies in hoc apparatiſsimo ludo conſumunt. Tandem, poſt triduum, illum, pedibus, atque manibus iam vinculis expeditis, in caueam deducunt. Mulieres, atque pueri, vinctum ſecundum ventrem funibus trahunt. Homines vero, & mulieres reliquæ, mala citrea, & fructus varios in eum iaciunt. Ille vero, quæ poteſt ex conjectis pomis colligere, rurſus in illos, a quibus fuit impetitus, intorquet. Bibit interim, vt apparet, iucundiſsime. nec enim ei cibus, aut potus denegatur. Præſefert autem non mediocrem lætitiam. Illi forticulum hominem, vt ſe exiſtimari cupit, conuicijs onerant, & multis contumelijs inſequuntur. Dabis, inquiunt, homo perditiſsime, atque profligatiſsime, pœnas ſcelerum; & ſanguine tuo manes eorum, qui in bello ceciderunt, vlciſcemur. Te enim contrucidabimus, & dilaniabimus, & aſſum comedemus. Ille vero, Nihil moror, inquit. Non enim ignaui, neque timidi pœnam ſuſtinebo. Semper enim viri fortis officio functus ſum. Si me occiſuri eſtis, multos ipſe multis in locis occidi. Si carnibus meis ſaturandi eſtis, & ipſe multorum carnibus ſaturatus ſæpe fui. Præterea ſunt mihi fratres, atque cognati, quos ſcio meam necem haud impunitam relicturos. Ad hunc modũ, in caueam tandem includitur. Tum ille, cui fuerat captiuus in cuſtodiam traditus, in caueam ſimul ingreditur. Corpus autem habet depictum, & collum plumeis ornamentis excultum: manibus vero ingentem gladium vibrat. Tum ſaltat, & ſibilat, & gladium intentat. At is, vt gladium illi e manibus extorqueat, ſummo ſtudio contendit. Sed, dum in vnam partem impetum dat, mulieres, atq. pueri, cum fune, quo eſt alligatus, quem manibus tenent, ad ſe trahunt. Dum rurſus in contrariam partem ſe contorquere nititur, ex alia parte ſimiliter mulierum manibus impeditur. Vtrimque enim ita diſtinetur, vt ſe eodem loco commouere non poſsit. At ſtrenuus ille gladiator eum gladio contundit, & debilitat, atque tandem medium illius caput ingenti vulnere diffindit, cerebrumq. diſpergit. Manus deinde præcidit. Tum mulieres accedunt, & corpus exanimũ in pyram conijciunt, vt, omnibus pilis aduſtis, illud facilius abluere queant. Diſſecto autem ventre, ilia cum extis euellunt: reliqui corpus in fruſta diſcerpunt: &, ne plura perſequar, illius carnibus omnes cum magna volupt ate veſcuntur. Hæc tamen tanta conuiuij celebritas in ſummum luctum, atque mærorem conuertitur. Vbi enim ſe domum illa nocte recipiunt, humanæ vitæ caſus, atque miſerias acerbiſsime lamentantur; propinquos, atque neceſſarios aut ab hoſte cæſos, aut repentina clade conſumptos lugent; ingentes eiulatus edunt; & pectora plangore contundunt; & de vitæ funeſtiſsima condicione aſſidue conqueruntur; flendo tandem defeſsi, atque debilitati, cubitum diſcedunt. Hęc quidem faciunt, quoties, carnibus humanis farti, domum ex celebri illo conuentu reuertuntur. Sunt & alij ſiluestres, atq; montani homines, qui cum his, qui in domibus habitant, continenter bella gerunt, eiſdemq. ſe ſceleribus, & eadem immanitate cõtaminant. Nullum apud eos delictum plectitur, præter homicidium. Cogunt enim hi, qui ſanguine coniuncti homicidæ ſunt, eum tradere illis, qui cęſi necem, propter ſanguinis communionem, & propinquitatem, iure perſequuntur. Hi vero eum ſtrangulant, atque ſepeliunt, &, cum multis omniũ propinquorum lacrymis, atque lamentis, vtriuſque mortui funus inſtaurant, epulumq. dant, in quo omnes, depoſitis inimicitijs, accumbunt. Quod ſi caſu aliquo homicida ſubterfugiat, tum eorum filiæ, vel ſorores, vel cognatæ occiſi, propinquis in ſeruitutem traduntur, & ſic demum omnis vtrimque diſcordia obliuione ſepelitur. Operæ pretium mihi viſum eſt, tam barbaros, & immanes mores oratione deſcribere, vt intelligi poſſit, in quantam errorum colluuionem incurrat humanum genus, litteris, & humanitate deſtitutum, &, quod multo funeſtius eſt, præſidio ſanctiſſimæ religionis orbatum; & ſimul cognoſcatur, quanta benignitate clementiſſimus rerum omnium Dominator huic miſerimæ genti, Portugalenſium in eas oras aduentu, proſpexerit. Chriſtianorum enim conſuetudine, & familiaritate, & hominum ſanctorum ex ſocietate, quam Ieſu nominant, quos Portugalię Reges in eas partes miſere, diſciplinis, factum eſt, vt multi, diſpulſis tenebris, errores, in quibus verſabãtur, clare perſpiciant, & ad Chriſti optimi maximi ſtudiũ ardentibus animis excitentur, & ingentes Deo gratias, ob tam Diuinum beneficiũ, grata, atque memori voluntate perſoluant. Capralis e Braſiliæ regione profectus eſt tertio nonas Maij. Nono autem Kal. Iunij nautæ, nebulam aduentare, cælumq. atra caligine circumfundi, conſpiciunt. Cum vero mare cernerent commoueri, & fluctus excitari, trepidare, & antennas demittere cum feſtinatione cœperunt. Sed tam ſubita tempeſtas eos oppreſſit, vt, antequam multi ſe comparare potuiſſent ad tantum periculum fugiendum, quattuor naues, incitatis turbinibus impulſæ, atque depreſſæ ſint, & fluctibus ita demerſæ, vt nemo ex iis, qui illis vehebantur, euaderet. Fuit quidem reliquis hoc ſpectaculum, ſupra quam dici poteſt, acerbum, atque luctuoſum, cernere in medio mari homines laborum ſocios, atque natura coniunctos, &

Immanitas plane ferina

Scelerum impunitas, excepto homicidio.

Litterarum, & Chriſtianæ religionis cõmendatio. Capralis in Indiam nauigatio continuata. 4. Nanes Luſitanę ſubmerſę.

multos

Universidad de Deusto
Biblioteca

multos etiam propinquitatis neceſsitudinibus implicatos, voragine ingentis illius gurgitis abſorberi, neque eſſe potuiſſe ſeſe in tanta calamitate hominibus miſerrimo genere leti conſumptis auxilio. Inde cum multis lacrymis reliquæ ſeptem naues digreſſæ, rurſus alia coorta tempeſtate diſpulſæ ſunt. Tandem VI. Kal. Auguſti ſex tantum naues iunctæ curſum tenuerunt. Vna namque ex illis ſeptem, aduerſa tempeſtate iactata, in ſinum Arabicum penetrauit, atque inde in Portugaliam redijt, cum ſex tantum hominibus. Reliqui namq. morbis, & fame, atque ſiti cruciati, multiſq. periculis, atque tormentis afflictati perierant. At ſex naues, poſt flexum promontorij Bonæ ſpei, conſpiciunt tellurem amœniſsimam, arboribus refertam, & gregibus abundantem, quam multi pellucidi amnes irrigabant. Ad eam igitur Capralis naues conuerti iuſsit. Sed nemo ex incolis cum Luſitanis commercium habere voluit. Itaque, quamuis, commeatus inopia, noſtri laborarent, cum nihil tamen poſſent ab hominibus illis obtinere, profecti ſunt, & totâ illam orâ luſtrauere, donec ad duas inſulas contra terrâ continentem oppoſitas peruenirent. Ibi duæ naues in anchoris conſiſtebant: qui in illis erant, vbi Portugalenſes naues conſpicati ſunt, fugæ ſe mandarunt. Eas naues Capralis inſecutus cepit. Cum vero intellexiſſet, eas eſſe Principis cuiuſdâ, nomine Foteimæ, qui erat Regi Melindio coniunctiſsimus, liberas, cum ingenti auri pondere, quod e Zofala exportabant, & cum mercibus maximi pretij, dimiſit. XII. Kal. Auguſti, ad Mozambiquê appulſus, aquationem ſine vllius impedimento fecit, emptiſque cibarijs, & magiſtro, qui eum Quiloam deduceret, conducto, iter conficere maturauit. Cum vero a terra non procul abſcederet, cernebat multas inſulas egregie cultas, atque nitidas, quarum omnium imperium ſummum penes Quiloæ Regem erat. Illius namq. Regnum ſupra nongenta millia paſſuum in longitudinem oræ illius patebat. Rex, & omnes Quiloenſes Mahumeti placitis addicti ſunt. Homines partim ſunt nigri, partim colorati. Arabice loquuntur, & multas præterea linguas norunt, propter multarum nationũ, quæ ad oras illas veniunt, commercium. Arabum, aut Turcarum more veſtiuntur. Viuunt admodũ laute. Abeſt Quiloa a Mozambiquen ſi tellure circiter quadraginta paſſuum millia. Auguſto mari a continenti diuiditur. Inſula conſita eſt plantis, & arboribus: fontes habet gelidos, atque perennes: armentis, & pecorum gregibus abundat: animantia multa in ſiluis, atque nemoribus nutrit, ex ijs, quę venatorum opera capiuntur. Tellus eſt fertilis, &, adhibita mediocri hominum cultura, varias fruges effundit. Mare continet piſces varios, & optimos. Vrbs eſt magna, habitatorũq. multitudine referta. Aedes ſunt amplæ, & exſtructæ magnifice, cenaculis, & laqueari bus, & tectorijs pulcherrime ædificatæ, & ornatæ multa, & varia ſupellectile. Naues non ſunt abſimiles Mozambiquenſium: thure tamen notho, propter penuriam picis, oblinuntur. In huius vrbis portu cum Capralis, ancoris iactis, conſtitiſſet, miſit ad Regem, cui nomen erat Abrahemus, qui diceret, ſe, iuſſu Regis Portugaliæ, ad eas partes peruenisſe, cum ipſius Regis mandatis, atque litteris ad illum ſcriptis, e quibus intelligi poſſet ſtudiũ, quo Rex Emmanuel tenebatur fœderis, & amicitiæ cum illo iungendæ. Se vero non poſſe vllo modo in terram deſcendere, ne Regis ſui imperium aſpernari videatur, qui vetuerat, ne vmquam, rei vllius obtentu, e claſſe diſcederet. Proinde videret, quem locum magis opportunũ ſtatueret ad vtriuſque colloquiũ. Rex nuntios perbenigne excepit: Capraliq. per eoſdem reſponſum dedit, ſibi gratiſsimũ eſſe illius aduentum. De Regis Emmanuelis amplitudine, & de virtutibus Regijs, quibus erat ornatiſsimus, multa ſe percepiſſe, quam uis illius Regnum tantis locorum interuallis eſſet ab ea terra diſiunctum: quibus admonitus, libenter ſeſe ad quamuis amoris mutui pactionem deuenturum. Et, quando fieri non poterat, vt legationem illam in terra audiret, ſe poſtridie daturum operam, vt in mari cum Caprali loqueretur. Hæc vbi dixit, vnum e ſuis domeſticis ad Capralem cum muneribus miſit. Poſtridie igitur parua nauigia, ad eam rem inſtructa, & ornata, cum ſuis ingreditur. Erant omnes veſtibus, aut aureis, aut purpureis, aut ſericis, & bombycinis, exculti, gladijs, & pugionibus accincti, in quorum manubria erant gemmæ, miro ſplendore fulgentes, incluſæ. Buccinarum præterea, & tibia rũ cõcentu ſumma lætitiæ ſignificatio dabatur. Luſitani, contra, tubis, atque tormentis, quo gaudio tenerentur, indicabant. Capralis iubet, omnes duces, qua veſtium elegantia poſſent, ornatos in ſcaphas deſcendere. Quod ipſe ſimiliter fecit. Itaque omnes ad nauigia Regis accedũt. Capralis vero, vbi ad Regem peruenit, eum vt Regem ſalutat: Rex honorifice reſpondet: deinde de Capralis manu litteras Arabice ſcriptas accipit, legationẽ audit, &, vt apparebat, fronte, & vultu belliſsimis. Oſtendit poſtremo, ſe Regem Emmanuelem in loco fratris ſemper habiturum, operamq. daturum, ne ſtudio erga illius Maieſtatem ab aliquo vinci poſſet. Fuit deinde ab vtroque ſtatutum, vt ſequenti die Capralis mitteret ad Regem, qui amicitiam inſtitutã fœdere confirmaret. His ita conſtitutis, mercatores Arabes interueniunt: noſtros ſceleris, & immanitatis inſimulant, ſimplicitatem Regis admirantur, quod ſtatum, atque dignitatem ſuam piratis crederet, qui, niſi eorum inſidiis eſſet occurſum, intra paucos annos erant illum, per ſimulationem pacis, omnibus

Tempeſtate claſsis Luſitana diſiecta

Capralis ad Quiloënſem Regem legatio.

Melindii Regis erga Luſitanos hoſpitalitas.

Capralis in Melindiũ Regem fides.

Quiloæ Regis potentia, & imperij amplitudo. Quiloënium mores.

Quiloæ ſitus, & deſcriptio

Reſponſum Regis Quiloę.

Capralis cũ Quiloæ Rege colloquiũ.

Noua quiloenſis cum Luſitano amicitia per Arabes turbata.

bus bonis euerſuri. His ſermonibus animum Regis immutant, ita, vt non ſolum pacem turbarent, ſed etiam odium illius ſatis acerbum in Luſitanos incenderent. Rex igitur vrbem munire, milites euocare, vigilias diſponere, omniaq. moliri, quæ fieri a maritimis ciuitatibus ſolent, cum hoſtes in portu ſunt. Hęc omnia vbi Capralis Homeris, qui Regis Melindij frater erat, & tunc ſe Quiloæ tenebat, indicio cognouiſſet, noluit ibi tempus ſine vllo fructu conterere, & Melindem verſus curſum tenuit. Rex, qui eo tempore, quo Gama ad eas oras appulerat, regnabat, iam e vita exceſſerat. ſucceſſerat in Regnum illius filius; qui, cũ accepiſſet noſtrę claſsis aduentum, fuit incredibili gaudio cumulatus. Confeſtim autem curauit, vt claſsis omni commeatu, & fructibus, quos tellus illa ſuppeditabat, reficeretur. Capralis ducebat ſecum Melindij Regis Legatum, muneribus ab Emmanuele ornatum, & dona præterea, quæ Emmanuelis nomine ad Regem deferenda curaret. Noſtri igitur, poſtridie, iuſſu Capralis, munera Regis Emmanuelis ferunt. Melindius, vt omnis populus tãtum honorem ſibi a potentiſsimo Rege habitum fuiſſe cerneret, (ſunt enim Reges illi in eiuſmodi rebus nimis ambitioſi, nihilq. honorificentius arbitrantur, quam a Regibus magnis aliquo munere decorari) equum ingentem, ephippio, & bullis aureis, & phaleris pulcherrime factis, quæ inter alia dona ab Emmanuele miſſa fuerant, ornari continuo præcepit, in quo inſidens, ad mare contendit, vbi Capralis cum reliquis ducibus in ſcaphis eũ exſpectabat. Ibi ſe mutuo complexi ſunt; multiſq. verborum officijs inter eos certatum eſt, cum neuter alteri quidquam de humanitate concedere vellet. Quamuis autem a Rege detineretur, noluit tamen Capralis ibi diutius immorari: duos tamen exſules eo in loco reliquit, vt viderent, an pedibus iter in Aethiopiam, quæ ſupra Aegyptum eſt, vbi Chriſtianum imperatorem dominari Emmanuel acceperat, facere aliquo modo poſſẽt, & ritum, & mores, & inſtituta gentis explorate cognoſcere. Septimo Auguſti die Melinde profectus, & ſecundum ventũ nactus, pelagus tranſmiſit, & viceſimo ſecundo die ad Anchediuã inſulam naues appulit, vbi, vt nautas, atque milites ex labore reficeret, aliquot diebus cõmoratus eſt. Inde Calecutium nauigauit, & tertio decimo tandem die claſſem in Calecutienſi portu conſtituit. Quod vbi Regi nuntiatum eſt, duos ex Nairibus ſuis, cum mercatore, ſummæ apud illum auctoritatis, ex ea regione, per quam Indus in mare influit, (regio Cambaia, homines Guzarates appellantur) in claſſem miſit, qui præfectum nomine illius ſalutarent. Capralis remiſit illos ad Regem, cum Ioanne Sala, equeſtris ordinis viro, qui Vaſci Gamæ, cum ille viam in Indiam fecit, comes exſtiterat. Miſit præterea cum illis Gasparem Gamam: hoc enim cognomen Iudęus ille, qui Zabaio operam dabat, cum Chriſtianus effectus eſt, vt Gamæ, quem patronũ adoptarat, nomen ſequeretur, aſſumpſerat. Cum his autem, quattuor ex illis Nairibus, quos Gama in Luſitaniam abduxerat, (reliquos enim obſidum loco retinere voluit) cultu, & ornatu Luſitano veſtitos, ad Regẽ miſit; quorum adſpectu Rex mirum in modum lætatus eſt. Nuntijs deinde vltro citroq. miſsis, fuit a Rege conſtitutum, vt in ædibus quibuſdã Regijs, quæ ſitæ erant in litore, Capralis illum conueniret, & quæ vellet, nomine Emmanuelis exponeret. Erant ædes ornatæ, & inſtructæ magnifice. Rex, ſtipatus vndique magna nobilitatis multitudine, & Dynaſtis quamplurimis circumſeptus, in eas ædes ſe contulit. Tubicines antecedebant, cum tubis partim aureis, partim argenteis, ſingulari opere factis, qui, earum modulatione, & cõcentu, lętitiam, qua Rex affectus erat, vt videbatur, demonſtrabant. Venit Capralis, cum aliquot ducibus. vnum porro ducem, Sancium Thoarem nomine, vt interim præfecti munere fungeretur, in claſſe reliquit. Vbi primum terram attigit, multi viri nobiles, atque Dynaſtæ, obuiã illi prodierunt. Is quidem lectica ſublatus eſt, illi vero omnes pedibus in ædes Regias eum proſecuti ſunt. Domus erat aureis, & ſericis peripetaſmatis ornata. Regis cultus miro gẽmarum ſplendore collucebat. Poſtquam Capralis Regem ſalutauit, fuit in argentea ſella prope illum collocatus. Tum, Gaſpare interprete accerſito, quæſiuit de illo Rex ea, quæ ſolent amici in familiari congreſſu percunctari: num bene valeret, num ex animi ſententia nauigaſſet; num Emmanuel, frater ſuus, eo tempore, quo claſsis Olyſippone ſoluerat, fuiſſet optima valetudine. Tum, Emmanuelis litteris per interpretem explicatis, agi de fœdere cœptum eſt. Rex admodum prolixe omnia de ſua voluntate promittebat; pluſq. dabat, quam erat a Caprale poſtulatum. Omnibus Portugalenſibus poteſtatem fecit libere in ciuitate negotiandi: ſe enim curaturũ, vt ſine vllo periculo commode rẽ gererent. Aedes præterea ſatis magnas noſtris prope litus aſſignauit, in quibus habitare, & merces aſſeruare poſſent. Et, quia Saracenus, cuius ædes erant, continuo fraudes in noſtros machinari cœpit, alias maiores, & litori viciniores, Regi Emmanueli donauit, in quibus omnes, qui illius negotia procurarent, habitare laxius, & negotia gerere commodius poſſent. Hanc vero donationem litteris in aurea tabula inciſis, ad ſempiternam memoriam, conſignauit. Saraceno autem ditiſsimo, nomine Coiebiquio, qui erat ſtudio Luſitani nominis incenſus, & ob id fuit poſtea omnibus bonis euerſus, cuius ædes erãt, cumulate ſatisfecit. Sanxit præterea, vt in earum faſtigio vexillũ inſignibus Regis Emmanuelis illuſtratum ſigeretur,

Capralis ad Calecutienſem Regem legatio.

Capralis cũ Rege Calecutienſi colloquium.

Aedes Calecutij a Rege Emmanuelidonatæ.

Capralis cũ Melindio cõgreſſus.

Aethiopia ſupra Aegyptũ

Capraliſquã do Calecutium appulerit.

Cambaiæ regionis ſitus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nauis magna, a Lusitanis, in gratiã Calecutii Regis, expugnata.

geretur, vt esset omnibus testatũ, eas ad Emmanuelem pertinere, seque, vt monumentum Regis sibi carissimi in ea ciuitate perpetuo conseruaretur, effecturum. Dum hæc geruntur, fuit Regi nuntius allatus, soluisse Cochimo nauem ingentem onerariam, quæ elephãtum ad bella gerenda præferocem conuehebat, & in regnum Cambaiæ nauigabat. Hac re comperta, misit ad Capralem, qui nomine illius peteret, per amicitiam institutam, vt eam caperet. Esse namque hominum, in quos odio iustissimo erat incensus. Vt autem scire posset, quo animo nostri nauem aggrederentur, aliquot Saracenos ex suis domesticis, vt prœlium spectarent, immisit. Capralis vnam tantum paruam nauem ad eam rem gerendã expedinit, cuius Nauarchus appellabatur Petrus Ataideus. Huic autem tres comites adiunxit: vni nomen erat Odoardus Paciecus, alteri Vascus Sylueria, tertius fuit Ioannes Sala. Rex, vbi vidit vnam tantum nauem, & eam non magnam, a reliqua classe, vt nauem maximam, magno militum præsidio, & telis, & tormentis, & multis præterea armis egregie munitam inuaderet, segregari, vehementer admiratus est. Itaque exitum rei, animo suspensus, exspectabat. Nostri vix arma sumpserant, cum nauis hostium in conspectum se dedit. Nostri, expansis subito velis, in eam feruntur, non ita tamen, vt cominus eam oppugnare contenderent, ne telis hostium, e superiori loco missis, opprimerentur: sed, mediocri interuallo disiuncti, in eam pilas partim lapideas, partim ferreas iaciunt, & glandibus etiam plumbeis acerrime pugnant. Multos interimunt, multos cõuulnerant, nauem multis in locis perforant, & nunc a dextera parte, nunc a læua, eos, imperu facto, perterrent. Hostes in principio nostros contemnere visi sunt, &, sublatis clamoribus, probra iacere, arma corripere, tela vibrare, tormentis nostros impetere cœperunt. Sed, postquam se tantis damnis affectos animaduerterunt, omnem salutis spem in fuga collocarunt. Nostra nauis, eam insecuta, Cananoris portũ, qui abest Calecutio Septemtriones versus, passuum circiter quadraginta millia, sub noctem subire cõpulit, vbi quattuor Arabum naues in anchoris consistebant. Nostri vigilabant, ne de nocte nauis elaberetur. Vbi diluxit, in eam passis velis incurrunt, tantaq. formidine perterrent, vt, a nauibus, ad quas se receperant, diuulsa, altum peteret. Sed Portugalensis nauis, cum eam cursu longe superaret, ita se illi semper infestis tormentis opponebat, vt non, quo vellent hostes, sed quo nostri eam flectere proram cogerent, nauigaret, donec tandem victam, & superatam præ se agentes, in Calecutij portum intrare compulerunt. Obstupuit Rex, & ab ijs, qui se iussu illius prœlij spectato res præbuerant, exquisiuit, quo pacto res gesta fuerat. Respondent, numquam se parem in hominibus vllis industriam, neque fortiorem animum, neque maiorem in periculis adeundis alacritatem perspexisse. Rex misit ad Capralem, qui nomine illius ab eo contenderet, vt homines eos, qui se in prœlio excellentius gesserant, ad illum venire præciperet. cupere homines videre, dignos, qui ab omnibus Regibus summis ornamentis afficerentur. Satisfecit postulato Capralis'. Rex omnes laudibus, & muneribus ornauit, in primis tamen Paciecum, cuius, vt Arabes, qui interfuerant prœlio, referebant, clarior virtus exstiterat. Sed, quo magis hoc facto Lusitanos efferebat, eo grauius eis periculũ, odio, & inuidia mercatorum Arabum, intentum fuit. Nam, cum eos exstinctos, propter religionis dissidium, cuperent, tum, ne apud Regem tantam gratiam inirent, vt ipsi excluderentur, anxie formidabãt. Itaque modis omnibus nostris erãt impedimento, quo minus eum numerum piperis, & aromatum reliquorum, quem emere cupiebant, ab incolis acciperẽt. Ob id igitur omnes fraudes excogitabant, calumnijs animum Regis exulcerabant, & latrocinii crimẽ omnibus Lusitanis intendebant. Ad hæc multo maiora pretia aromatum dominis pollicebantur, omnia clam coemere, & compressa tenere, ne quidquam ad Lusitanos perueniret. Rex in eorum dolis conniuere, fidemq. datam fallere. Iam antea Capralj in perfidiæ suspicionem venerat, antequam domus esset nostris assignata, eo quod obsides, quos habebat in nauj, se in mare deiecerant, vt ad suos nando confugerent: e quibus aliqui capti sunt, alij euaserũt; neque tamen Rex eos restituit, aut Capralj, vt debuerat, satisfecit. His rebus offensus Capralis, ad Regem misit, qui de iniurijs sibi factis quereretur. Illum dedisse fidem, se curaturum, vt naues Portugalenses intra viginti dies onus acciperent: tres menses esse consumptos, nullamq. nauem oneratam esse, cum ante suos oculos Arabum naues onerari conspiceret: quod etiam cõtra percussum fœdus esset. In fœdere namque cautum fuisse, ne vllis nationibus aliquod piperis, aut zingiberis põdus, vllo pretio, tribueretur, antequam Portugalensibus nauibus iustum põdus esset impositum. Illum igitur orare, vt fidei suæ, atque dignitati cõsuleret. Iter enim instare, neque se posse diutius in eo portu cõsistere. Rex cum hoc accepisset, se ea iniuria grauiter cõmoueri, simulauit: dixitque, se imprudente flagitia illa ab hominibus fraudulentis admissa fuisse. Et, quãdo Saraceni tam scelerati, & audaces exstitissent, vt contra illius imperium naues onerarent, se facere potestatem Lusitanis Arabum naues, persoluto mercatoribus aromatum pretio, exonerandi, vt citius inde, nauibus onustis, soluere possent. Hoc audito, Capralis veritus est, ne Regis indulgentia ad fraudem pertineret, vt videlicet Arabum animos irritaret, & aliqua turba cõmoueretur,

Cananoris portus.

Regis Calecutiensis erga Lusitanos munificentia.

Arabũ in Lusitanos calliditæ, & fraudes.

Regis Calecutiensis perfidiæ.

Capralis de Rege Calecutij quereła.

Ficta Regis excusatio.

ueretur, qua nostri possent ab illis, qui erant multo plures, & potentiores, opprimi, & scelris culpa vel in nostros, qui materiam turbulenti dissidij dedissent, vel in Arabas, qui Regis iussu se vindicare ausi fuissent, deriuari. Itaque se continebat; neque, quid optimum factu esset, satis explicabat. Arius interim Correa, qui in ædibus relictus erat, vt Emmanuelis Regis negotia procuraret, a Capralj summo opere contendebat, vt ea indulgentia Regis vteretur, & a Saracenis viribus eriperet, quod illi fraudibus auertebãt. Aliter enim futurum, vt naues in Portugaliam inanes redirent, & nullo lucro tantæ impensæ factæ compensarentur. Cum Capralis hæreret, & cũctaretur, Correa instabat, & obtestabatur eum, ne pateretur nomen suum nomine timiditatis, & inertiæ maculari, ne ue Regem Emmanuelem eo commodo priuari, quod ostẽdebatur. Ad hæc testes, & a scribis testimonia publicis litteris cõsignata postulabat, vt esset testatum omnibus, nõ per se stetisse, quo minus Regis negotia cõmode fierẽt, sed ducis ipsius culpa. Capralis igitur, Correę querimonijs, & obtestationibus impulsus, aliquid sibi gerendum arbitratus est, vt crimẽ, quod intendi facile poterat, aliquo modo diluer et. Erat autẽ iam paullulum extra portum nauis mercibus onusta, quæ anchoras soluere, & vela facere in stituebat, cum Capralis, per vnum ex suis domesticis, Nauarcho, atque magistro, denũtiauit, ne inde abirent. Sibi namq. factam fuisse a Rege potestatem naues omnes, quę in illo mari consistebant, retinendi. Nauis autem domi nus erat Saracenus quidam ditissimus, qui multũ gratia, & auctoritate, Calecutij apud Regios poterat. Dux, atque magister, & reliqui omnes, Capralis imperium irridebant. Capralis scaphas expedire, & armari iubet, & nautas, atque milites confestim misit, qui nauem funibus alligatã in portum remulco traherent: quod illi sine vlla mora conficiunt. Saracenus, cum id factum esse cognouisset, graui iracundia commotus, omnes suos propinquos, atque necessarios accersit: rẽ exponit: de nostrorum iniuria, & iniquitate conqueritur: contumeliæ indignitatem verbis exaggerat. Pro se quisque, quantum potest, illius animum, iam satis sua sponte incensum, verbis inflammat; moriq. satius esse dicit, quam tam insignem contumeliã pati. Itaque omnes continuo ad Regem adeunt; facinus esse indignũ clamitant, tantum animum Christianos homines assumpsisse, vt in Calecutij regno homines, in ipsius Regis patrocinio latentes, in uaderent, &, quasi iam Regnum possiderent, ita cogere imperijs, minitari liberis, vinctas naues abducere, &, in ipsius Regis oculis, vim hominibus, qui illius imperio continebantur, inferre. Eam vero iniuriam non tam ad se, quam ad ipsius Regis contumeliam, pertinere. Quam si non statim vindicaret, fore, vt maiora facinora molirentur, & in ipsum arma conuerterent. Clemẽtia illius factum esse dicunt, quod homines externi, & a moribus Indicis abhorrentes, omniumq. præsidio destituti, Regem præpotentem despicerent, tantumq. sibi in ipsius Regis imperio, atque tam insolenter, arrogarent. Rex ita respondit, vt facile intelligerent, eum non grauiter esse laturum, si quidquam sceleris fuisset ab illis in nostrorum perniciem comparatum. Omnes igitur conferti, in ædes, vbi nostri nihil hostile suspicantes iussu Regis habitabant, irruunt, Naireſq. multos sibi socios adiungũt. Correa, sublato signo, discrimẽ, in quo versabatur, classi denuntiat. Erant autem Lusitani, qui cum illo erant, ad septuaginta. Saracenorum vero cum Nairibus ad quattuor millia conuenere. Capralis quartana laborabat. Itaque præcepit Sancio Tobari, vt cum omnibus scaphis in litus properaret, vt subsidio nostris occurreret, & fugiẽtes exciperet. At Saraceni cædere ianuam securibus, conuellere parietes trabibus, tela conijcere, & summa contentione pugnare, vt, priusquam auxilium venire posset, omnes interficerent. At nostri acri animo restiterunt; &, quia videbant sibi moriendum esse, ne inulti caderent, fortissime dimicabant. Paries interim, ex vna parte, machinis admotis, disiectus fuit. Hostes ferociter irruunt, Lusitanosq. cædunt. At, qui ex illis euadere potuerunt, globo facto, ad mare se conferunt, vbi iam multi ex Lusitanis, qui subsidio veniebãt, impetum in hostes fecerũt, vt, illis parumper repressis, suos in scaphas recipere facilius possent. Ceciderunt ex nostris ad quinquaginta, in quibus Arius Correa fuit. Viginti tãtum euasere, saucij tamen, eorumq. bona pars ex eisdem vulneribus interijt. Henricus, monachorũ præfectus, aliquot vulnera accepit. Arius Correa duxerat secum in Indiam filiũ, nomine Antonium Corream, annos natũ decem: quem eques quidam, cui nomen erat Nonius Leitanus, in hoc tãto dicrimine, summa contentione protexit, & incolumem ad litus vsque perduxit. Hic, cum hęsitaret, neque posset puerum in scapham perferre, nauta quidam, pueri orbitatem miseratus, accurrit, illumque cum magno vitæ periculo, humeris sublatum, in scapham imposuit. Fuit hic Antonius postea vir admodũ strenuus, multasq. res memorabiles in bellis effecit. Fuit hoc tãtum scelus a gẽte perditissima conflatũ xvij. die Decembris, anno a Christo nato M D. Capralis tulit admodum dolenter hũc casum, & febri multo vehementius afflictari cœpit, & Correæ mortem lacrymis prosecutus est: non tamen quidquam hostile moliri voluit, exspectans, an Rex se aliqua tolerabili excusatione defenderet, & in auctores sceleris animaduerteret. Cum autẽ, ex Regis silentio, & taciturnitate, intelligeret, illum tam scelesti facinoris esse non modo conscium, sed etiam fauto-

Saracenici tumultus occasio.

Saracenorũ apud Calecutij Regem de Lusitanis querela.

Lusitanorum cædes.

Arij Correæ mors.

Antonii Correæ periculũ.

Initium belli aduersus Regem Calecutium gesti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Victoria Lusitanorum nauis.

rem, postridie, ex Ducum cõsilio, decem Arabum magnas naues, quæ erant in portu, aggressus est. Fuit vtrimque, summa virium contentione, dimicatum. Lusitani tamen magno impetu in naues irrumpunt; multorumq. nece, suorum mortem vleiscuntur, & supra sexcentos ferro concidunt; deinde naues exonerant, & paucos, qui se metu occultauerant, capiunt, & per omnes naues distribuũt, vt ministrorum nauticis in rebus pænuriam supplerent. Tres elephanti fuerunt inuenti, quibus occisis, & salitis, nostri (erat enim magna commeatus inopia) vescerentur. Postremo sub noctem naues omnes incensæ sunt, inter quas fuit nauis Arabis illius, qui tantam discordiam concitarat. Appellabatur autem Cogecemus Micidius. Exterruit hoc incendium omnes, tam ciues, quam peregrinos, qui Calecutij morabantur. Conueniunt vndique: clamores ingentes tollunt: nauium iacturam plangoribus, atque lamentis prosequuntur: manus in cælum tendunt, & diras imprecantur: nemo tamen ad resistendum se comparat. Incensis in Regis conspectu nauibus, cum primum diluxit, naues ordine cõstitutæ sunt, vt vrbem tormentis, quam acerrime fieri posset, concuterent. Multas ædes disturbarunt: multos mortales occiderunt: magnamq. multis in locis stragem ediderunt. Rex ipse, cum ad illius pedes vnus ex suis familiaribus, ictu ingentis pilæ dilaceratus, concidisset, metu perterritus, omnem salutis spem in præcipiti fuga collocauit. His rebus gestis, Capralis Cochimum versus nauigare instituit. Acceperat enim, Cochimi Regem amicitiam Lusitanorum expetere. Abest autem vrbs hæc Calecutio, Austrum versus, circiter passuum septuaginta millia. Vndique vero, flexibus fluuij, qui non longe ab illa in mare influit, alluitur. Portum habet optimum, & stationem nauium tutissimam. Solum est macrum, & sterile, arborum tamen viriditate ad aspectum iucundum. Abundat pipere. Regis opes erant tenues, & Calecutij Regi tributa pendebat. Mores gentis sunt Calecutiensium moribus, & institutis vitæ persimiles. Capralis, Cochimi portum ingressus, ad Regem misit, Indum, Michaelem nomine, qui de suo in Regnum illius aduentu eum certiorem faceret; & simul peteret, vt piper, & aliquot aromatum pondus iusto pretio venderet, vt posset aliquot naues onerare. Fuerat hic Michael vir abstinentia mirabili, addictus religioni, quam sequuntur illi, qui Iogues ab Indis appellantur. Præseferunt hi singularem rerum humanarum contemptionem. Nullas opes possident: emendicatis cibis victitant: per omnia fora cursant, vt suæ sectæ disciplinam omnium auribus inculcent. Maxima eorum pars præstigijs illudit hominibus imperitis, eorumq. dementia ad suum quæstum abutitur. At Michael, cum simplici animo in religionis fallaciſsimæ rationem fuisset ingressus, eam, fraudibus illius compertis, improbauit, aureſque dedit hominibus Lusitanis, qui religionem reliquis purius obseruabant; eorumq. exhortationibus inductus, Christi religionem suscepit. Is, cum Cochimi Regem Capralis nomine salutaret, ad eumq. illius postulata deferret, responsum humanitatis, & officij plenissimum tulit. Regem dixit non modo de illius aduentu plurimum gaudere, sed omnia illi admodum munifice, atque large polliceri. Itaque, fœdere facili negotio constituto, Capralis misit in ciuitatem, qui Regi aliquot argentea vasa deferrent, & aromata, quæ possent in ea reperiri, vsitato pretio cõpararent. Rex Lusitanos ad id negotiũ missos in domo satis ampla, & nõ vsquequaque immunita, collocari præcepit; eisq. Naires, qui eos armis, vbi opus esset, tuerentur, assignauit. Dũ omnia summa Regis fide, quæ in rẽ erant, ad Capralis voluntatẽ administrantur, veniũt Legati a Rege Cananoris, & Rege Coulami, quorum vterque Regis sui nomine & stabilẽ amicitiã, & fidele cõmercium nostris hominibus ostendebat; & ad onerandas in suo regno naues eos inuitabat. Vtrique Capralis, vt par erat, gratias egit. Se vero, quo minus eorũ beneficijs vteretur, humanitate Principis illius, apud quem iam negotium gerebat, impediri. Ita tamen se obligatum profiteri, atque si beneficiũ illud, quod offerebãt, accepisset. Quod si ei aliquid ex eo pondere, quod emere statuebat, defuisset, tunc se eorum voluntatem mihi me aspernaturum. Dum naues summo labore, & industria onerantur, aduenere duo fratres Christiani, ex illis, qui Thomæ disciplinis imbuti, summa per tot annos cõstantia, Christi religionem eadem perpetuo fide colunt; & a Capralí postularunt, vt vellet eos secũ in Portugaliam ducere, vt inde Romam, atque Ierosolymam petere possent: vt ea loca inuiserẽt, vbi Christus, discipulique illius institissent. Quod Capralis ei summa voluntate cõcesit. Erant autem Cranganoris incolæ, cuius ciuitatis iam mentio facta est. Cũ vero onus fuisset nauibus impositũ, fuit Rex factus certior, Calecutij Regem classem viginti magnarum nauium, & nauigiorum præterea minorum magnum numerum, comparasse, quo suorum cædem vindicaret. Exercitum vero, qui classe vehebatur, esse quindecim hominum millia. Id Cochimi Rex Capralí, per suos domesticos, confestim nuntiauit. Capralis, vbi id accepit, omnes ad prælium parari iubet. Sibi namque in animo esse, cum Calecutiensi classe dimicare. Antennis igitur sublatis, in eos inuehitur. Ventis tamen expulsus, non potuit ad illos accedere. Illi vero, cum cernerent, quam præsenti animo nostri in eos inuadere conarentur, & simul tormentorum vim, & impetum formidarent, quamuis secundus ventus eorum naues in nostras impelleret, neque eas petere,

Cochimum, vrbs.

Capralis ad Cochimi Regem nuntius.

Ioguium mores, & religio.

Fœdus Lusitanorum cũ Rege Cochimi.

Cananoris, et Coulami Regum ad Capralem legatio.

Duo Indi Christiani, D. Thomæ disciplinis imbuti.

Cranganor vrbs.

Calecutia classis in Lusitanos.

petere, nec vllo pacto prœliũ inire voluerunt. Capralis igitur, sine vllius impedimento, in Portugaliam iter facere instituit. Cochimi autem reliquit duos Lusitanos, honesto loco natos, vnum nomine Gundissaluum Barbosam, alterum vero Laurentium Morenum, cum certo Lusitanorum numero, qui negotia Regis Emmanuelis administrarent. Cum autem Cananoris oram legeret, fuit a Rege inuitatus, vt ibi, quod deerat ad instum pondus, acciperet. Capralis inuitantis liberalitatem minime repudiauit, portumq. vrbis illius subiuit anno a Christo nato M D I. Erat vrbs ingens, multisque habitatoribus frequẽtari solita. Magnus sinus in vrbem influens, portum optimum efficit. Regio est omnibus, rebus, quæ ad victum pertinent, abundans. Rex erat opulẽtus, & immunis, & a moribus, & institutis aliorum Regum, qui Malabaribus imperant, minime abhorrens. Hic emit Capralis certum pondus zingiberis, atque cinnamoni. Rex, vbi vidit, illum non tantum onus, quantum illi offerebatur, accipere, arbitratus est, id pecuniæ inopia fieri. Misit igitur ad illum, qui diceret, se compertum habere, illum, Calecutij pecunia, & bonis omnibus fuisse spoliatum. Proinde, sibi fore gratissimum, si vellet vti suis pecunijs, perinde, atque si Regis Emmanuelis essent. Egit illi gratias Capralis, & ostendit nuntijs magnũ numerum aureorũ nũmorum, vt posset Rex intelligere, se, non rei nummariæ difficultate impeditum, sed quod naues essent iam satis oneratæ, emere plura noluisse. Rex, vt cum Emmanuele pacem firmaret, Legatum cum Caprale in Portugaliam misit. Inde profecti sunt X V I. die Ianuarij. Cum vero Capralis non longe a Melindensi portu abesset, nauem satis magnam, mercibus onustam, cepit. Quã cum intellexisset esse Saraceni cuiusdam viri, valde potentis, nomine Milicupij, qui in Cambaiæ Regno domicilium habebat, & opidum, nomine Barochium, possidebat, eam liberam dimisit; præfectoq. dixit, Regi Emmanueli nullum bellum in India, nisi cum Calecutij Rege, & cum Arabibus illis, qui erant a Meca, futurum, a quibus grauissimas iniurias acceperat. Hic sæua tempestas excitata classem iactauit, & nauem, cui præerat Sancius Thoarius, in vadis allisit. Nauem fractã Capralis, cum primum fieri potuit, incendere iussit, ne quidquam ad hostium manus peruenirent. Mombazæ tamen Rex, postea, multis vrinatoribus, multisq. machinis vsus, tormenta ex aquis extraxit. Inde Capralis, cum Melindem petere, ventis exclusus, minime posset, Mozambiquem versus cursum tenuit: vbi refectis nauibus, Sancium Thoarium in alia nauí misit, qui situm Zofalæ diligenter exploraret, atque inde se in patriam conferret. Ipse vero, aquatione facta, sine vlla cunctatione, domum redire constituit, varijsq. tempestatibus vsus, Olysipponem tandem peruenit pridie Kal. Augusti. Cuius aduentu Rex varie affectus est. Ex eorum nanique, qui eua serant, incolumitate voluptatem magnam cepit: eorum vero casum, qui partim fluctibus obruti, partim insidijs oppressi perierant, admodum dolenter tulit. Miserat autem eodem anno Rex Emmanuel in Indiam aliam classem perexiguam, cui præerat vir acer, nomine Ioannes Nouius. Erant autem tres naues tantum. Cum enim confideret, in ea classe, cũ qua Capralis anno proximo missus fuerat, satis præsidij fore, vel ad pacem cũ Calecutij Rege constituendã, vel ad spiritus Regis insolentis, & elati, comprimendos: tũc illud trium nauium supplementum sufficere arbitratus est. Sed, cum e Caprali cognouisset insidias, quibus circumuentus fuerat, vidit tantum scelus maioribus opibus vindicandum. Itaque, anno sequente, qui fuit a Christo nato MDII. misit rursus Vascum Gamam in Indiam cum classe tiecem nauium. Omnes, præter nauem prætoriam, in qua Gama vehebatur, fuere hominibus fortibus attributæ, qui illis præessent. Aliam præterea classem in structui præcepit, cui vir egregie fortis, Vincentius Sodereus nomine, præerat. Fuit autem hoc illi munus assignatum, vt teneret Indicum mare; acerrimumq. bellum Saracenis, qui Indiam nauigabant, inferret. Hæ quindecim naues, instructæ rebus omnibus, e Bethlehemitico portu soluerunt quarto Id. Februarij. Neque ijs classibus contentus Emmanuel, aliam classem quinque nauium cõparari iussit, cui Stephanum Gamam, Vasci Gamæ fratre patruelem, præfecit, qui, Kal. Aprilis eiusdem anni Olysippone profectus, eundem cursum tenuit. Animus enim Regis acer, & maximarum rerum cupidus, &, quod caput est, ad spem, quam in Diuino numine collocauerat, excitatus, nihil magis ad officium suum pertinere arbitrabatur, quam vt regionem illam armis expugnaret, Christianiq. nominis hostes opprimeret, & orientis Solis plagas Christi nomine compleret. Eodem anno Olysippone peperit Regina Maria primum filium, in cuius ortu tam sæua tempestas excitata fuit, quantam numquam homines summa senectute prædíti in vita meminerant. Cælum enim tenebris dẽsissimis obductum tam crebro tonabat, atque fulgurabat, vt eos etiam, qui fortes existimabantur, ingenti formidine perterreret. Ad hæc, multa loca de cælo tacta fuere: excitati turbines arbores euellerunt: imbres effusi non vias tantum, sed ædes etiam quamplurimas aquis impleuerunt. Reddita vero tranquillitate, non solum Emmanuel, sed omnis ciuitas, ex Principis ortu, summo gaudio cumulata fuit. Octauo die fuit infans sacro fonte ablutus, & Ioannis nomen obtinuit. Inter reliquos autem, quos Emmanuel Diuinæ cognationis filio

Cananoris Regis erga Lusitanos liberalitas.

Cananoris descriptio.

Cananoris Regis ad Emmanuelem legatio.

Saracenica nauis capta, & dimissa.

Capralis in Lusitaniã redit.

Tertia Lusitanorum classis in Indiam missa.

Alia classis Emmanuelis Indica.

Pium Emmanuelis studiũ

Res Europeæ

Natus Emmanuelis filius.

Prodigiosa tempestas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Petrus Paschalicus, Venetus ad Emmanuelē Legatus.

affines esse voluit, fuit Petrus Paschalicus, Venetus Legatus, qui fuerat ad eū missus, vt ei Reip. nomine summas gratias ageret, pro classe, quam in auxilium illius, vt dictum est, miserat; & ostenderet, S. P. Q. Venetum fore semper ei hoc tam singulari beneficio deuinctum. Hunc Legatum Rex manu propria Equestris dignitatis insignibus ornauit, multisque muneribus affecit. Quibus beneficijs allectus, multa de singulari illius virtute, cum esset Venetijs, commemorauit, & effecit, vt instituta cum Venetis amicitia, sanctiore quodam fœdere firmaretur. Hoc autem die, quo Princeps Ioannes aquis salutaribus expiatus est, ædes Regiæ subito incendio inflammari cœperunt. Sed fuit multotum hominum opera continuo restinctum. Eodem anno aliam classem Rex Emmanuel comparauit, quę Gaditanum fretum pernagaretur, vt Maurorum ferociam comprimeret. Sed nihil, quod dignū sit memoria, per illam gestum fuisse constat. Ioannes interim Nouius, secūdis ventis vsus, postquam regionem æquinoctiali circulo subiectam transmisit, in insulā nostris incognitā delatus est, cui Conceptionis nomen indidit. Inde Mozambiquem petijt. Sed, antequam eo perueniret, naues ad terram, aquandi gratia, conuertit, ad eum locum, quem Sancti Blasij aquationem nominant. Ibi calceum vetustū e frondibus cuiusdam arboris alligatum cernit. Non temere visum est. Itaque calceum sui, & ad se deferri, iubet. Erant in illo litteræ, Petri Ataidæ manu scriptæ, quibus admonebat omnes duces Lusitanos, qui eo deflecterent, vt Calecutij portum vitarent. Regem esse sceleratum, & immanem, in nostrosq. pestē primo insidijs, deinde summis viribus fuisse machinatum. Cum vero Quiloam peruenirent, offendit vnum ex illis exsulibus, qui variis in locis relicti fuerant. Is Capralis litteras in eandem sententiam scriptas Nouio dedit. Ad Melindem vero cum naues appelleret, fuit a Rege de omnibus fraudibus, & insidijs, quas Rex Calecutij Caprali fecerat, admonitus. Inde in Anchediuam se, aquandi gratia, contulit; & inde Cananorem versus iter instituit. Rex ita illum excepit, vt nullum officium hominis amantissimi præteriret. Ibi Lusitanus, nomine Gundissaluus Peixotus, qui eo tępore, quo Arius Correa fuit interfectus, opera Coiebequij occultatus fuerat, ne in eandem calamitatem incideret, venit Calecutio ad Nouium, Regis Calecutiensis iussu, qui diceret, illum tumultum, in quo Arius Correa ceciderat, fuisse, Rege imprudente, multitudinis furore, & amentia, concitatum; animumque illius numquam fuisse a studio Regis Emmanuelis alienum; eique gratissimum fore, si Nouius vellet Calecutium petere. Futurum namque, vt omnia, quæ vellet, ab illo facillime impetraret, & onus acciperet, ex quo posset maximum lucrum ad Regias opes accedere. Hæc vbi Regis nomine dixit, tum Coiebequij monita diligenter exposuit, Admonebat enim, ne Regi omninm scelestissimo fidē adiungeret. Illum namque eo nerues omnes intendere, vt, per amicitiæ simulationem, omnes Lusitanos, quos posset, crudelissime necaret. Eum vero, qui fidem haberet ei, qui numquam fidem coluisset, meritas stultitiæ pœnas daturum. Nouius nullum responsum dare, neque Peixotus Calecutium redire voluit. Nouius, cum Cochimum versus cursum teneret, in Calecutiensem nauem incidit; quam armis expugnatam, & spoliatam, incendere iussit; & ad Cochimensem portum tandem peruenit. Cuius conspectu, nostri tanta lætitia affecti sunt, vt existimarent, se tunc e mortis ipsius faucibus ereptos. Quamuis enim Rex eos humanissime tractaret, & certis Nairibus tuendos committeret, perfidiam tamen Arabum eorum, qui satis frequentes eam vrbem incolebant, valde formidabant. Omnia Regis officia in Nouium constitere, quæ ab homine singulari probitate, atque fide prædito postulari, & exspectari potuisent. Itaque Nouius, negotijs ex animi sententia gestis, & maxima ex parte nauibus oneratis, Cananorem rursus se contulit, vt aromatum aliorum onus acciperet: quod ei fuit large, atque munifice concessum. Cum vellet inde discedere, fuit a Cananoris Rege certior factus, Regem Calecutij octoginta parones instruxisse, qui portus aditum obsiderent, vt illum intercluſum armis opprimerent. Proinde illum Rex admonebat, vt ad terram propius accederet, vt ille posset ei cum suis auxilium afferre. Nec enim fieri posse, vt is cum quattuor tantum nauibus tantam hostium classem sustineret. Agit gratias, quas debet Nouius, Regemq. monet, vt de nostrorum salute minime sollicitus sit. Se namque omnem victoriæ spē in summo Deo repositam habere, cuius præsidio se cum multo maiore classe facillime cōgressurum. Postero die conspicatus est Nouius portus aditum ab hostibus teneri. Nauium numerus erat supra centum. Nouius ita naues instruxit, vt possent tormentis omnibus vti. Deinde duces singulos admonuit, omnem salutis spem in eo positam esse, vt non cogerentur vllo modo cominus cum tanta multitudine pugnare. Proinde eo ordine curarent tormenta disponi, vt continenter pilæ in hostes iacerentur. Si enim vlla fieret intermissio, magnum periculum vitari non posse. Illi, summa vigilantia, quod fuerat imperatum, conficiunt. Fuit hac ratione, vsque ad occasum Solis, magna nostrorum alacritate, & contentione, dimicatum. Fuere ex hostibus, vt postea compertum fuit, quadringenti atque septem & decem homines occisi, & complures plumbeis glandibus vulnerati, aliquot naues depresse: cum interim

Petri Ataidæi litteræ casu inuentæ de fraudibus Calecutij Regis.

Calecutii Regis ad Io. Nouium nūtius simulatus, & detectæ fraudes.

Regia Emmanuelis incensa.

Res Indicæ.

Insula Conceptionis inuenta.

Lusitanorum Cochimi de classis aduētu gaudium.

Nuncius de classe Calecutiensi aduersus Lusitanos.

Pugna naualis cum Calecutiensibus, & Lusitanorū victoria.

terim Lusitani nullum incommodum accepisse sent. Hostes vexillum in pacis signum sustulerunt. Nouius, fraudem aliquam ab illis cōparari suspicatus, belli signum contra sustulit, & prœlium redintegrare præcepit. Illi nihilominus in eadē pacis significatione perseuerant. Tū Nouius pacis etiam signum tolli iussit. Illi vero, per Arabem, ad eam rē missum, illius noctis indutias petunt: posse namque pacem postero die, sub aliqua iusta cōdicione, quæ esset in rem vtriusque partis, constitui. Respondet Nouius, eas indutias se minime daturū, nisi prius illi ab aditu portus secederent, eiq. liberum mare permitterent. Facessunt illi cōtinuo, quod Nouius postularat. Nouius e sinu cū nauibus egressus est; & vtraque classis non longe a portus introitu in anchoris constitit; ita tamen, vt non magnū inter vtramque spatium interesset. Illi tamen, cōtra fidem, homines submittebant, qui nādo ad naues accederent, anchoraliaq. præciderent: lintres deinde cū facibus instruebant, vt, succisis funibus, faces continuo iacerentur. Quod scelus, nisi fuisset a nostris summo studio vigilatum, exitū habere potuisset. Itaque nostri, fistulis ferreis, æneisq. tormētis, eos, quos accedere sentiebant, facillime propellebant. Ad hunc modum integra nox fuit in laboris huius continuatione consumpta. Hostes vero, cum cerne rent, nec apertam vim, nec occultas insidias illis, vt sperarāt, proceisisse, anchoris solutis, idoneumq. ventum nacti, se Calecutium recepere. Nostri, tanto periculo liberati, gratias summas Deo egerunt, & sine vlla mora in Portugaliam velis plenis iter facere instituerūt. Nouius, cum, non multum in nauigando progressus, vnam nauem Calecutiensem conspiceret, in eam confestim incurrit, & captā spoliauit, & cōiectis facibus incendit. Deinde, ad modum commode nauigando, Bonę spei promontorium flexit, & inde in paruam quandā insulam cursu delatus est, cui S. Helenæ nomē imposuit. Est autem insula ita in medio mari sita, vt Diuino consilio constituta videatur, vt Lusitanos homines, ex India redeuntes, iactatione, multarumq. rerum pænuria, quod fieri in tā larga nauigatione opus est, afflictos reficeret. Fluuios namque habet gelidos, atque perennes, & siluas, atque nemora densissima, cælumq. saluberimum. Postea vero, quam hominis cuiusdam, cuius proprio loco mentionem faciemus, cultus accessit, multis porcorū & pecudum gregibus, variisq. fructibus, & oleribus abundauit. Itaque nostri in ea aquationem, & lignationem commodissime faciunt, & piscatione, & venatione, & aucupio nō oblectantur solum, sed naues commeatu reficiūt. Ex ea insula Nouius, eadem felicitate nauigādi vsus, Olysipponem peruenit XI. die mensis Septembris, anno a Christo nato M D II. neque solum Regi, sed vniuersæ ciuitati, tam felici aduentu, summam iucunditatem attulit.

Calecutiensū perfidia.

Calecutiensium fuga.

Calecutiēsis nauis, capta, & incensa.

Insula S. Helenę.

Notij felix in Lusitaniā reditus.

Res Europeę

Emmanuelis pia quædam liberaliter iuste facta.

Annus a christo nato M D III.

Fames in Lusitania.

Classis in Indiam, & Brasiliam missa.

Hoc anno Emmanuel Compostellā profectus est, vt ad D. Iacobi sepulcrum nuncupata vota persolueret. Conimbricam cū peruenisset, & sepulcrum Alfonsi, Regis sanctissimi, & inuictissimi, cuius virtute Mauri fuerūt e Lusitanię finibus expulsi, parū magnifice exstructū cernere t, id demoliri, & aliud satis amplū, & magnificum ædificare iussit. Similiter in Portugalensi ciuitate sepulcrū martyris Pantaleonis, viri summa sanctitate præditi, magnis sumptibus exstrui iubet, vt fuerat testamento Regis Ioannis institutum. Porro autem, quacumque iter faciebat, pupillis, & viduis benigne consulebat; templa donis, & muneribus cumulabat; scelera potentium hominum, quæ fuerant ad illum diem impunita, acerrimo supplicio vindicabat. Compostellæ mansit triduo, sepulcrumq. Diui Iacobi singulari significatione religionis inuisit; templum que donis auxit, & lychnum argenteum, singulari opere perfectum, qui perpetuo in eo lucet, appendi præcepit. Hospites, apud quos diuertebat, multis muneribus affecit: ita denique iter illud habuit, vt, vbicumque pedem poneret, & pietatis, & liberalitatis, & Regiæ munificentiæ vestigia impressa relinqueret. Reuersus Olysipponem, incredibilem lætitiā cunctis attulit, qui illius desiderium minime ferendum existimabant. Principio insequentis anni rursus eadem consilia de transmisio ne in Africam, vt bellum per se Mauris inferret, suscepit. Itaque milites conscribi, classem comparari, rei frumentariæ prouideri, iussit. Sed hunc illius conatum a grorum vastitas impediuit. Primo enim vere imbres immodici, & tempestates assiduæ, segetes corruperunt. Primo igitur caritas annonæ, deinde fames, nō modo homines tenues, & egentes, sed etiā diuites afflixit. Multi herbarū radices euellebāt, & res alias, quas numquam gustari posse cogitarant, sibi comparabant, vt illis sustentarentur. Inde, propter ciborum noxiam vim, & corrupti, & infecti aeris intemperiem, grauissimi morbi insecuti sunt. Quod cum cerneret Emmanuel, omnem bellicæ rei apparatum, necessitate compulsus, omisit, & totam industriam in re frumentaria comparanda ponendam arbitratus est. Ex Gallia igitur, & e Britannia, magnam vim frumēti importandam curauit, qua Regni inopiam subleuaret. Hoc anno sex naues in Indiam misit, tribus quidem Alfonsum Albuquercium, alijs vero tribus Franciscum Albuquercium, illius fratrē patruelē, præfecit. Aliam deinde classem Gundissaluo Coelio commisit, qua regionem, a Caprale exploratam, quam Brasiliam vocant, perlustraret. Sed, nauigandi in regionem parum cognitam imperitia, factum est, vt Coelius, ex sex nauibus, quattuor vadis allisas amiserit, atque duas tantum plenas illis rubris lignis, quæ tellus passim fert, & psittacis, atque simijs in patriam reduxerit. Hoc eodē

Res Europeę

Universidad de Deusto
Biblioteca

anno alias duas naues misit Emmanuel in regiones sub Septętrionibus sitas, vt tentarent, posset ne quidquam de casu, quo duo fratres, viri nobiles, & impigri, aut mortui, aut capti fuerãt, explorari. Res enim sic acciderat. Gaspar Corteregalis, cum esset egregie fortis, & gloriæ cupiditate vehementer incensus, ad sui nominis memoriam posteris aliquo facto memorabili prodendam pertinere arbitratus est, aliquas terras incognitas peruestigare. Et, quia videbat, omnia ferme litora, quæ ad Austrum spectabant, esse iam nostrorum nauigationibus explorate cognita, animum ad ea perlustranda, quæ ad Septemtriones pertinebant, applicuit. Itaque suis sumptibus nauem instruxit, & cõmeatu, & armis, & nautis, & militibus egregie munitam. Anno autẽ M D. Olysippone profectus, cursum in Septẽtrionalem plagam direxit. Ad terramq. tandem peruenit, quam, propter singularẽ amœnitatẽ, Viridem appellauit. Homines, vt ipse postea referebat, sunt barbari, & inculti, colore candido: qui tamen color, ætate, propter magnitudinem frigoris infuscatur. Valent plurimum celeritate: sunt iaculandi peritissimi: iaculis vtuntur in summo perustis, quibus coniectis hostes ita traijciunt, atque si ferro armata fuissent. Pellibus animantium vestiũtur, antra colunt, aut humiles casas stramentis tectas excitant, in quibus habitent. Nulla religione adstricti sunt: auguria tamen sequũtur. Vxores sibi legitimo matrimonio copulant. De fide, & pudicitia vxorum valde solliciti sunt, cum sint natura suspiciosi. Corteregalis, in Portugaliam reuersus, cum ad spem multo plura cognoscendi raperetur, rursus anno MDI. se in eandem regionem contulit, vt latius litora illius omnia peruagaretur, & gentis mores, & institituta perdisceret. Sed, quid illi acciderit, aut quo fato absumptus fuerit, numquam sciri potuit. At frater illius Michael Corteregalis, qui magnum apud Regem locum tenebat, amore fraterno ductus, vt fratrem inquireret, anno M D I I. duas naues instruxit, quibus in easdem oras nauigaret. Sed nec is vltra comparuit. Emmanuel autem, cum homines nobiles, quos plurimi, ob egregiam vtriusque indolem, faciebat, ita absumptos animaduertisset, id ægre admodum tulit; &, quod erat boni Principis officium, nihil omittendum ratus est, ex quo posset intelligi, quo genere mortis obijssent, vel quibus custodijs arcerentur. Sed, cum naues omnia illa maria peragrarent, nihil de illorum exitu cognoscere potuerunt. Itaque & illi fratres periere, & tellus simul nomen amisit, &, pro tellure viridi, tellus Corteregalium appellari cœpit. Cum vero alius eorum frater, natu maior, nomine Vascus, Ioannes Corteregalis, Regiæ præfectus, aliqua tenui spe de fratrum vita teneretur, eandem nauigationem suscipere instituit: sed fuit a Rege prohibitus, ne sine vllo fructu se in eundem casum demitteret. Hoc anno, post quã Albuquerẽsii in Indiam iter, nauibus sibi, vt dictum est, attributis susceperunt, Emmanuel conciliũ Regni totius iussit, vt populorum fidem sacramento, Ioanni suo legitimo heredi, vt fieri in Hispania solet, obligaret. Quod summa omnium voluntate factum est. Fuerunt præterea in hoc concilio multa populis salutaria, quæ concilium flagitauerat, instituta. Fuit præterea a populis Rex adiutus certo pecuniæ numero, in sumptus, quos in Africo bello faciebat. Gama vero, postquam promõtorium Bonæ spei flexit, classem diuisit. Vincentio Soderio vndecim naues attribuit, vt Mozambiquem contenderet, ibiq. illum præstolaretur: quattuor autem sibi reseruauit, vt cũ illis Zofalam peteret, regionisq. situm, & naturã cognosceret. Ibi fuit a gentis illius Principe liberaliter acceptus, & amicitia inter vtrumque constituta. Cum tamen e sinu egrederetur, nauem vnam ad vada allisam in ipsius æstuarij faucibus amisit. Homines vero, & omnia, quæ erant in illa, fuere in alias naues imposita. Inde, Mozambiquẽ profectus, cum vrbis Principe, atque rectore, collocutus est. Iã enim ille, qui nostris necem comparabat, abscesserat, & alter in locum illius fuerat substitutus, a quo Gama fuit perbenigne acceptus. Dederat autem Gama Soderio curam, vt, interim, dum ille Zofalam diuertebat, nauem in portu Mozambiquensi ædificaret, ex his, quas Portugalenses Caruellas appellant, ad quam efficiendã fuerat e Lusitania in ea classe materia comportata. Quarum forma hæc est. Carchesiis carent: antennas non habent trãsuersas ad pares angulos, sed oblique paulum infra summum malis alligatas. Vela sunt in speciem trianguli facta, cuius basis nõ multum ab infimis armamentis eminet. Antennæ sunt in infima parte, qua secundum latera nauis obuersantur, instar mali, crassiores: inde paullatim attenuantur ad summum. Hoc autem nauium genere Portugalẽses propter nimiam celeritatem in rebus bellicis vtũtur. Antennarum namque partem infimam facillime, vel ad proram, vel ad puppim, versant, vel in medio latere nauis alligant; & nunc a dextera ad læuam, modo a læua ad dexteram celerrime detorquent; & vela, quæ quidem sunt ex imis angulis, qui sunt antennis oppositi, colligata, facillime vel laxant, vel contrahunt, prout nauigationi expediri vident: &, quocumque ventus se dat, eo velorum sinus, sine vlla mora, conficiunt; omnesq. ventos excipiunt, ita, vt, sæpenumero a lateribus impulsæ, rectum cursum commodissime teneant, eo demq. vento, mutata subito velificatione, in contrarias partes, incredibili celeritate, deferantur. Ad hanc igitur formam curauit Gama, vt nauis ædificaretur, quæ per oram illam discurreret, & quanta maxima posset incommoda

Corteregalis nauigatio ad Septẽtrionem prima.

Terra Viridis, eiusq. incolę.

Corteregalis secũda ad Septemtrionem nauigatio.

Comitia Regni Lusitani, eorumque decreta.

Res Indicæ.

Zofalæ Principis fœdus cum Lusitanis.

Nauiũ, quas Caruelas vocant, descriptio.

commoda hostibus Christiani nominis importaret. Cum hac etiam naue suis adiuncta Quiloam contendit. Eo cum peruenisset, Stephanus Gama, cum illis quinque nauibus, quibus præerat, ad portum similiter accessit. Erat ad hanc rationem classis decem & nouem nauium. Nam nauis vna, cuius præfectus erat Antonius Campensis, ventis aduersis in longinquas partes iactata, minime comparebat. Rex, maxima formidine perterritus, ad Gamam supplex accedit. Gama illum vinculis, propter iniurias nostris illatas, alligauit. Is, cum veniam flagitaret, ex fœdere emissus fuit, vt certum pondus auri, tributi nomine, Regi Emmanueli quotannis penderet. Huius autem fœderis obsidem dedit Mahumetem Anconium, virum singulari auctoritate præditum, & qui, post Habrahemum Regem, secundum dignitatis gradum in locis illis obtinebat. At Habrahemus, cum se liberatum cerneret, aurum, quod erat pactus, minime dissoluit: vt simul aurum retineret, & Mahumeti necem hac fraude moliretur. Putabat enim fore, vt Gama, perfidia illius offensus, Mahumetem interficeret. illum namque pessime oderat, quamuis odium animo conceptum, amicitiæ simulatione, tegeret. Erat enim Habrahemus, homo maleficus, & iniustus, & Regem, qui ante illum fuerat, per insidias occiderat, vt ipse regnare posset; & omnes homines, in quibus acris animi vim, & industriam cernebat, suspectos, & inuisos habebat; a Mahumete vero præcipue sibi malum formidabat. At Mahumetes, cum Habrahemi perfidiam sentiret, Gamæ fraudem, quam sibi ab homine profligatissimo fieri suspicabatur, aperuit, & de suo aurum persoluit. Quo facto, Gama illum missum continuo fecit. Inde Melindem ire contendit. Eo tamen, propter æstus maximis ventis incitati vehemen tiam, naues conuertere non potuit. In sinum vero, qui Melinde circiter triginta millia passuum aberat, delatus est. Eo misit Rex ad illum quendam ex exsulibus, nomine Lodouicum Mouram, quem Capralis reliquerat, vt eum salutaret, & quæreret, an opera sua, aut opibus indigeret. Inde Gama, postquã aquatroni, & rei cibariæ prouidit, in Indiam transmisit. Cum vero non longe esset a continenti, ingentem nauem, rebus omnibus ad dimicandum instructissimam, conspicatus est. Erat autem nauis illa Sultani, Aegyptiorum Imperatoris, & Calecutio zingibere, pipere, cinnamomo, & alijs ingentis pretij mercibus onerata veniebat, & Mecham cursu petebat, vt ibi multos, qui religionis gratia Mahumetis sepulcrum inuisere cupiebant, exponeret. In eam Gama confestim inuectus est. Arabes, & Aegyptij, multo acrius, quam credi poterat, restitere. Tãta vero contentione dimicatum est, vt prœlium fuerit ad principium diei sequentis perductum, cum vniuersa classis vnã tantum nauem oppugnaret. Nec enim nostri eam deprimere, antequam spoliarent, volebant; & illi, cum sibi moriendum esse putarẽt, vt non inulti caderent, laborabant. Irrumpũt tandem Lusitani, supra trecentos homines ferro concidunt, pueris tantum parcunt: prædam ingentem capiunt, & nauem, coniectis facibus, inflammant. Inde Gama Cananorem vehitur, vbi Regi legatum, quem ad Emmanuelem miserat, tradidit; & simul munera, quibus Emmanuel illum donabat, deferenda curauit; quibus ille supra modum lætatus est. Inde Calecutium petere instituit. In eo cursu parones aliquot Calecutienses cepit, in quibus inerant ad quinquaginta ex Calecutiensibus ciuibus, quibus omnibus catenas iniecit. In portu tandem classem constitui iussit. Venit autem ad illum Arabs quidam, vestitus eorum habitu, & cultu, qui disciplinam D. Francisci se tenere profitentur. Cum vero fuisset ad Gamam perductus, se Mahumetanum esse fassus est; illamque vestem induisse, eo quod vereretur, ne sibi aditus alia ratione ad classem minime pateret. Vestis autẽ erat vnius ex illis monachis, qui cum Ario Correa ceciderunt. Arabs denuntiat Gamæ, Calecutij Regem esse pacis, & amicitiæ cum Lusitano Rege cupidissimum, molestissimeq. tulisse facinus illud, quod homines Arabes, quos imperio minime continebat, in Lusitanos admiserant. Gama respondet, neque se a fœdere pacis abhorrere. Et iccirco, iussu Regis Emmanuelis, eo se contulisse, vt pacem, si fieri posset, cum illo, certo fœdere, confirmaret. Si igitur pacem habere vellet, voluntatis suæ signum aliquod daret; atque in principio, omnia, quæ fuerant Lusitanis erepta, cum Correa fuit interfectus, statim restitueret. Multis autem nuntijs vltro citroq. missis, nihil, quod in rem esset, a Rege fiebat. Intellexit Gama, omnem Regis animum in fraudibus versari, nec ad vllam stabilem, & firmam concordiam adduci posse. Quod cum videret, dixit, si non omnia sibi continuo redderentur, se Malabares illos, quos vinctos habebat, in Arij Correæ vltionem, crudelissime necaturum. Rex nullum ad hanc comminationem responsum dare voluit. Gama omnes vinctos suspendi iussit, præcisisq. manibus, atque pedibus, cadauera vni ex paronibus, quos ceperat, imponi, cum litteris, quibus Regi bellum indicebat, & tam ei, quã omnibus, quibus ille imperabat, ferro, flãmaq. minabatur. Paronẽ deinde prope terrã remulco subduci, suis imperauit. Rex, vbi litteras nimis aspere, & ferociter scriptas accepit, suosq. crudelẽ in modũ necatos, & dilaceratos animaduertit, maximo animi motu perturbatus est; omnisq. ciuitas lamentis se dedidit. At Gama propius terram naues statui iussit, & postridie, vbi primum diluxit, tormentis vrbem acerrime conquassari præcepit. Multæ domus disturbatæ, & ædes

Classis 19. nauium Lusitanorum.

Quiloæ Rex, a Gama coniectus in vincula.

Habrahemi, Quiloæ Regis, perfidia, aliaq. ice. era.

Ingens Aegyptia nauis a tota Lusitana classe ægre capta.

Melindij Regis ad Gamã nuntius.

Parones aliquot Calecutienses capię.

Sublata Calecutiensium Regis ad Lusitanos de pace legatio.

Bellum Calecutio Regi, necatis prius captiuis, a Gama inditum.

Calecutium oppugnatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ædes Regiæ,quæ erãt prope litus,euersæ;multiq. mortales occisi sunt. Hac re gesta,Cochimum recta contendit, & Vincentium Soderium,cum sex nauibus,qui totam illam oram infestam redderet,ibi reliquit. Vbi Cochimũ peruenit, Lusitani, qui apud Regem manserant, ad eum continuo venere; &,quanta humanitate fuerant habiti,& quam singulari vigilantia contra Saracenorum insidias defensi,exposuere. Rex eum continuo, per vnum e suis domesticis, qui magnum apud eum locũ tenebat,honorifice admodum salutauit.Cum eo Gama constituit, vt postero die Rex locum deligeret, quem magis opportunum ad colloquium vtriusque iudicaret. Velle namque se illi mandata Regis Emmanuelis explicare. Et interim misit,Emmanuelis nomine, munera ad illum,partim aurea,partim argẽtea,& auream præterea coronam.Rex cõtra, vt cum Emmanuele magnificentia certaret, enixe contendit.Et cum alia multa,tum duas aureas armillas gemmis distinctas, & vnam pergrandem gemmam, ad Gamam ferri iussit, quam illius nomine Regi Emmanueli deferret.Fuit postridie colloquium,cum nõ mediocribus amoris mutui signis, inter eos instutum. Non multis post diebus,veniũt ad Gamam legati, ex Christianis illis, qui Cranganorensem vrbem incolebant. Legationis autem hæc summa erat.Se gratias dignas Christo Optimo Maximo pro tam singulari beneficio non posse vllo modo persoluere. Id enim adepti fuerant, quod nullo vmquam pacto fieri posse crediderant, vt ex tam longinquis regionibus Christiani, tantis virtutibus ornati,ad eas terras peruenirent. Se velle deinde Emmanueli seruire, nullumq. alium dominũ in terris agnoscere. Iccirco Gamam orare,& obsecrare, vt, nomine Regis optimi, & inuictissimi,eos omnes in fidem reciperet.Gama manus in cælum sustulit,eosq. ad spem multo felicioris condicionis excitauit; ñdemq. dedit,se pugnaturum, vt omnes Lusitani duces, qui deinceps in Indiam a Rege mitterentur, eos a tyrannide perditorum hominum,& Saracenorum iniurijs,tuerentur. Legatis dimissis, Gama, vt naues iustum onus acciperent, operam strenue nauabat. Interim vero vnus ex Brachmanis, quibus Calecutij Rex multum vtebatur,venit ad Gamam, cum duobus adoleſcentibus, ex quibus vnus erat eius filius,alter sanguine ei valde coniunctus.A Gama autem postulabat,vt illos adoleſcentes in Portugaliam duceret, vt litteras Latinas discerent,& religionem Christianorum,& disciplinam, & instituta cognoscerent. Gama illius postulatis satisfacere visus est. Sed, postquam is se penitus in Gamæ familiaritatem insinuauit, tunc aperte significauit, quod in principio confiteri minime ausus fuerat;nempe, se legatum Calecutiensis Regis esse; ab eoq. missum,vt ostenderet,nihil ardentius illum optare, quam vt pax inter eos sanctissimo fœdere conciliaretur. Paratum esse Regẽ non modo ad bona Lusitanorum reddenda, sed ad omnia hominis amantissimi officia cumulate præstanda; Gamamq. orare,vt inimicitiarum memoriam deponeret, & satisfactionem acciperet. Quod vero ad aromatum onus attinebat, nec alibi plura, nec minore pretio reperiri posse. Proinde, si vellet naues Calecutium ducere,futurum,vt ex animi sententia,quod in rem esset, feliciter administraret. Gama voluit,an Regem admissorum flagitiorum aliqua ex parte pæniteret, experiri.Itaque, classe Stephano Gamæ interim cõmissa,& Brachmana pro obside relicto, Calecutium cum duabus tantum nauibus proficisci maturauit.Vbi Calecutium peruenit,duos illos adoleſcentes ad Regem misit, qui vltro citroq. commeabant, & pacis condiciones a Rege ad Gamam, & ab illo rursus ad Regem deferebant.Rex tamen insidias comparabat. Arabes enim cum eo magnis vocibus expostulare, animumq. illius in nostros incendere minime desistebãt. Is,cum neque fidem coleret, neque cõstantiam vllam retineret, & copias, quas Gama eo tempore habebat, valde contemneret, Arabum vocibus inductus, quam maximo silentio fieri potuit, xxxjv. paropes instruxit, qui Gamam improuiso adorirentur. Quod summa quadã celeritate factũ est. Itaque in Gamam festinanter incurrunt. Gama, re adeo repentina perculsus, anchoras præcidi, velaq. fieri, confestim iussit. In hoc discrimine res erat, cũ subito Eurus paullo vehementior nauem a terræ conspectu,beneficio cœlestis numinis,abstraxit.Parones tamen nihilo secius Gamam & remis, & velis insequebantur. Sed accidit, cum iam appropinquare videretur, vt Vincentius Soderius, cum classe,cui præfectus erat,occurreret. Gama namque, cum aliquid suspicione de fraude illa assequeretur, quamuis non ita subito id scelus conflari posse existimaret, vnam ex nauibus ad illum misérat,vt Calecutium properaret.Gama,adiuncta sibi Soderij classe,naues in hostes conuertit, & in eorum classem nimis acriter inuadit. Aliquot autem paronibus depressis, & multis ex hostibus occisis, reliqua classis disiecta,atque dilacerata,fuga salutem petere constituit. Gama deinde, Cochimum reuersus, Brachmanam suspendi iussit. Adolescentes euaserunt, propterea quod in terram descenderant,antequam vllum fieri posset tã scelerat¸ coniurationis indicium. Calecutij Rex,cum cerneret,nec insidias illi, neque vim, vt cogitarat, processisse, alia ratione perniciem comparare Lusitanis instituit. Litteras enim ad Cochimi Regem misit,quibus illum rogabat,vt sibi Lusitanos traderet. Ad hoc autem scelus,vt eum ingẽtibus promissis impelleret,contendebat: contra,si id facere recusaret,quæ pericula illi intenderentur,

Emmanuelis ad Cochimi Regem munera.

Gamę cũ Rege Cochimi colloquium.

Cranganorẽsium christianorum ad Gamam legatio

Subdola Brachmani ad Gamam pro Calecutio Rege legatio.

Calecutij Regis dolus, & incõstantia.

Lusitani, diutinitus ab hoste liberati.

Calecutiẽsis Classis fuga.

Noua Calecutij Regis in Lusitanos techna.

rentur, exponebat, & minas etiam iactabat. At Rex Cochimi,se vehementer admirari,respondit, quo modo tam illustri Regi in mentem veniret,Reges alios in fraudem impellere. Minime namque ad Regis officium pertinere,fidem violare,& eos,qui se illi commiserant, prodere. Vt enim nihil erat magis Regium fidei stabilitate, & constantia; ita nihil esse perfidia magis a Regijs moribus, & institutis alienum.Fide namque gloriam comparari; perfidia vero maculam dedecoris sempiterni omnibus,qui eam frangerent, maxime vero si Reges essent,inuri. Et iccirco se minime Regem arbitrari eum, qui fidem sanctam non haberet. Non enim imperium summum, sed virtutem imperio dignam,reges efficere. Se vero id minime facturum, quamuis certo sciret,esse sibi e Regni statu, propter fidei cõstantiam,dimigrandum,& maximum periculum,vitæ subeundum. Nullam enim vmquam potentiam, nec vllam vitæ iucunditatem, se officio antiquiorem duxisse. Institit nihilominus Calecutiensis, & ter in eandem sententiam litteras, partim præmijs alliciendo, partim minis exterrendo, ad Cochimensem dedit. Is tamen in eadem perpetuo sententia permansit. Hoc autem Gamæ Cochimensis, quamdiu nuntij hæc cum illo agebant,indicare noluit, ne illius animum aliqua sinistra suspicione conturbaret. At, postquam Calecutiensi spes illius corrumpendi omnino præcisa fuit, tum demum, quantis fuerat machinis oppugnatus, Gamæ significauit. Gama gratias egit,quas debuit; &, vt omitteret timorem,admonuit.Se namque eam classem in India relicturum,quę facile posset perfidi Regis immanitati resistere. Inde profectus est Cananorem,cum tredecim nauibus oneratis,vt alias tres, quæ in Cananoris portu erant ad anchoras deligatæ, vt onus similiter acciperent,cum ea classe coniungeret.Sed,cum non amplius duodecim passuum millibus Pandaranæ abesset,viginti nouem naues, quas Calecutij Rex ad illius perniciem armis,& telis,& militibus instruxerat,offendit. De consilio reliquorum ducum,cum ea classe pugnare constituit.Vincentium vero Soderium,& Petrum Raphaelem,& Iacobum Petreium, eo quod illorum naues essent minus oneratæ, vt in principio prœlium committerent, in prima acie collocauit. Illi impigre imperata conficiunt, & in duas naues Arabum, quæ reliquas antecedebant,incurrunt. Qui erãt in nauibus,ante quam Gama appropinquaret, exanimati metu,se se in mare deijciunt, vt nando confugiant. Nostri in scaphas repente desiliunt, & supra trecentos homines in medijs fluctibus interimunt.Reliqua classis,cum duas illas naues interceptas, & homines occisos animaduerteret,conuersis proris, se in terram trepide recipiunt. Eas Gama insecutus, propter oneris impedimentum,consequi minime potuit. Nostri,cum naues spoliarent,signum ex auro factum, in speciem monstri cuiusdam similem figuratum,inuenerunt.Pondus erat librarum quadraginta. Pro oculis habebat in fronte duos ingentis pretij Smaragdos: similiter Pyropum mira magnitudinis,instar prunæ incensæ collucentem, in pectus inclusum gestabat; & pallio aureo amiciebatur. Nauibus exinanitis,Gama ignem implicare continuo præcepit, vt in conspectu classis hostilis exustæ terrorem inijcerent.Inde Cananorem petijt,& cum Rege fœdus percusit; quo cautum est, ne vmquam Cananoris Rex bellum cum Rege Cachimensi gereret; neve vmquã cum Rege Calecutij de Cochimi pernicie coniuraret; neque, cum Calecutiensis in Regem Cochimi bellum compararet, illi suppetias vllas mitteret. Illius deinde fidei Lusitanos,qui erant negotia Emmanuelis Regis ad ministraturi, commisit. Inde digressus est XXIIX. die mensis Decembris, anno a Christo nato MDIII. Vincentium vero Soderium reliquit cum sex nauibus: cui hoc munus assignauit, vt a Regibus amicis pericula propulsaret,& continenter cum hostibus bellum gereret: &,si cerneret bellum a Calecutij Rege Cochimensis regni finibus inferri,Calecutiensis impetum, quoad posset, a Cochimi Rege reprimeret.Si vero vsque ad Februarium mensem nihil hostile geri videret, tum in Arabicum fretum nauigaret, vt Arabes acerrimo bello contunderet. Inde Mozambiquem petijt, vbi aquationi,& commeatui prouidit. Cum vero a promontorio Bonæ spei nõ procul abesset,aduersa tempestate iactatus est,& nauis Stephani Gamæ, a reliqua classe segregata, eundem tũc cursum tenere non potuit. Gama tãdem Kal.Septembris anno MDIII. in portum Olyssipponis cum duodecim nauibus onustis feliciter inuectus, non modo Regem,sed omnes Regni Proceres,& vniuersam Remp.ingẽti gaudio cumulauit.Post sex dies, Stephanus Gama, vsus eadem felicitate nauigandi,portum similiter ingressus est. In Africa,sub id tempus,hæc acciderunt. Casercpidi riũ opidum est in Mauritania Tingitana, nõ ita longo interuallo a Gaditano freto disiunctum,quod aquis fluuij Lixi alluitur. Fluuius quidem non valde magnus est, sed,cum aquis pluuijs impellitur,ita redundat,vt in opidum sæpe impetu concitetur,& influat.Hanc ciuitatem aiunt ædificatam fuisse a Manzore, Marroquiensi Imperatore,qui Regis simul,& Pontificis,vt reliqui, quos Arabes Mahumetani Caliphas appellabant, munus, & officiũ sustinebat.Ciues fontibus,& puteis carent: cisternis tantum, & aqua dicti fluminis vtũtur. Est tamen vrbs illa a multis mercatoribus, & viris nobilibus frequentata. Florebat in ea philosophiæ studium,artiumq. bonarum gymnasium,ita,vt multi vndique in eam,excolendi ingenij gratia,conuenirent.Erat præterea ingentis

Regis Cochini ad Calecutiensis Regis litteras rescriptum.

Cochimensis Regis in fide constãtia.

Pandarane.

Classis Calecutiensis 29. nauium.

Pugna naualis,& Lusitanorum victoria.

Signum monstri aurei.

Gamę cũ Rege Cananorensi fœdus.

Gamæ classis,tempestate disiecta.

Gamę in Lusitaniam reditus.

Res Africanæ.

Caserquibirium, opidũ.

Mãzor. Marroquiẽsis Caliphа.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ingentis Aedis hospitalis nomine celebrata, in qua multi egentes, & peregrini varijs morbis impliciti curabantur. Regio circumcirca multis arboribus, & oleribus abundabat, hortosq. habebat egregie consitos. Tellus est fertilis, & opima, ita, vt cum trigesimo frequenter efficiat. Rex Fessensis, postquam Arzilia fuit, opera, & virtute Alfonsi, hoc nomine quinti, Portugaliæ Regis, expugnata, hanc vrbem munierat, multisq. præsidijs cinxerat, illiusq. custodiam ducibus assignauerat, qui inde crebras excursiones in fines Arziliæ faciebant: quod Emmanuel indigne patiebatur. Itaq. scripsit ad Ioannem Menesium, qui, vt dictum est, Arziliæ præerat, vt continenter cum illa bellum gereret. Erat eo tempore vrbis Tingitanæ præfectus Ioannes ille Menesius, Tarauccnsis Comes, qui, vt supra memorauimus, auxiliũ contra Turcarum Imperatorem Venetis, iussu Regis, attulerat. Menesius igitur, vt, quod sibi præscriptum fuerat, commodius efficeret, gentilem suum Tarauccnsem Comitem ad societatem facti, quod in animo habebat, per litteras inuitauit; &, quid ab illo fieri vellet, expofuit. Comes Tingi, profectus cum duobus equitibus, Arziliam contendit: Menesius equites ducentos & quinquaginta satis acres eduxit. Ita, coniunctis copijs, magno silentio, Caserquibirium versus iter suscipiũt: media ferme nocte in pontem perueniunt, qui abest Arzilia circiter triginta passuum millia. Sed ibi exploratores hostium fallere minime potuerunt. Vrbis præfectus, vbi id resciuit, signum belli dare, & classicum canere, & milites euocare, iubet; & prima luce cũ omnibus copijs, quas habebat, collem prope vrbem insedit, qui collis Voluptarius ab illis nominatur. Ibi aciem, suo more, instruxit, & nostris pugnandi potestatẽ fecit. Comes Menesius de Menesio per nuntium quæsiuit, quid illi de exercitu hostium videretur. Bene, inquit. Quod enim inuenire cupiebamus, offendimus. Ibi igitur, cum nemo prælium inire recusaret, vterque Menesius suos instruxit, & in hostes signa inferri præcepit. Hostes interea velitari, & leuibus pugnis certare, & varijs cursibus nostros lacessere cœperunt, vt ordinem, quo erant instructi, ardore pugnandi desererent. Sed, vbi neminem extra ordinem velle dimicare vident, & ipsi conferti, vt in nostros impetum daturi viderentur, e colle paulatim descendere incipiunt. Nostri collem subeunt, & hostes aggrediuntur. Illi confestim terga vertunt. Nostri illos insequũtur, & centum & octoginta ad portas occidunt. Ciues, metu perterriti, portas occludunt. Cum multos ex suis reciperent, multos tamen excluserunt. Timebant enim, ne nostri, in hostium tergis hærentes, vrbem vno impetu caperẽt. Qui excluſi fuerant, desperatione commoti, globum efficiunt, & in nostros impetum faciunt. Prœlium redintegratur: multi ex Lusitanis aut ex equis cadunt, aut vulnerantur. Odoardus Menesius, Comitis Tarauccnsis filius, in facie vulnus accepit, & Petrus Leitanus eodem etiam in loco vulneratus fuit. Sed, cum a reliquis, eis, qui eeciderant, subsidio occurrisset, nemo interfectus est. Ducibus autem visum fuit, exercitum rursus eodem ordine reducere. Cum autem in pontem paruũ qui ab opido duo millia passuum aberat, peruenissent, opidi præfectus cum nõgentis equitibus eos insecutus est. Nostri pontem transierunt, & in campi planitie, acie instructa, hostes exspectabant, vt, si pontem transire conarentur, ante quam omnes copiæ traductæ fuissent, in earum partem impetum ferrent. At hostes, cum id metuerent, pontem transire noluerunt, nisi postquam nostros a ponte longo interuallo secessisse conspicati sunt. Interim vndiq. Mauri confluebant; &, quo longius progrediebantur, eo magis eorum numerus augebatur. Illi igitur ferocius instare, & nostros audacius insequi, & acrius oppugnare cœperunt, donec ad pontem alterum peruentum est. Iam eo tempore præfectus hostium mille & trecentos equites sub signis habebat. Cum Mauri arbitrarentur fore, vt Christiani in pontis transitu tumultuari, & trepidare, & institutum ordinem deserere cogerentur, longe secus euenit. Neque enim primum agmen maiore ordine, quam nouissimum, in quod hostes incurſabant, transijt. Itaque, traductis copijs, duces, acie rursus instructa, & explicata, hostibus pugnandi facultatem præbuerunt. At illi pontem transire minime ausi sunt; & retro se in vrbem, & in vicinos pagos contulerunt. Ex nostris autem nemo desideratus fuit. Non multis post diebus vterque Menesius copias eduxit, vt in Maurorum multitudinem, quæ non procul Alcasserquibirio in certis pagis prope flumen habitabat, improuiso irruerent. Sed illi, transfugæ cuiusdam indicio, qui erat e Gallia Belgica oriundus, eadem nocte certiores facti, diffugiunt. Christiani tamen, ad quinquaginta, ex his, qui nondum se recipere potuerant, occiderunt, & totidem captiuos abduxerunt. Deinde, cum exercitum reducere vellent, magnus hostium numerus in eos inuehitur. Christiani ita pedem referebant, vt, identidem, agmine facto, in hostes incitati, multos occiderent. Illi, vicissim, in Christianos incurrentes, non mediocre detrimentum illis inferebant. Fuit in hac pugna Petrus Sousa, vir fortissimus, in magnum discrimen adductus, cum suos ordine reducere, & ab hostibus tueri conaretur. Quamuis autem pugna pro numero militum nimis atrox exstiterit, quattuor tantũ e Christianis ab hostibus interfecti sunt. Itaque nostri, hostibus inuitis, cum præda Arziliam peruenere. Hoc eodem anno, cum Menesius accepisset, in monte, qui aberat Arzilia passuum

Bellum Caserquibirio a Lusitanis illatum.

Lusitanorum cum Mauris pugna.

Barbarorum fuga.

Prœlium a victis redintegratum.

Alia in Maurorum excursio.

Petri Sousæ periculum in pugna.

Periculosa de nocte in Mauros excursio.

suum viginti millia, mulieres eximia pulchritudine a fortissimis militibus, qui eas nimis ardenter amabant, asseruari, constituit eo proficisci, vt illas caperet, Reginæq. Mariæ dono mitteret. Sed erat illi iter per multos pagos, maximo cum periculo, faciendum. Sub noctem igitur, densis tenebris, & caligine, propter tempestatem, quæ vigebat, inuoluta, cum ducentis equitibus eo, tanto cum silentio, contendit, vt omnes falleret, & de tertia vigilia in montis illius frequentissimum pagum peruenire t. Ibi, ante quam hostes illius, aduentum sentire possent, multas cereas faces, quas in eum vsum comportari insserat, incendi præcepit, vt earum splendore Christiani cernere possent, quid esset in hostium trepidatione gerendum. Tum, tubarum clangore, & armorum strepitu, tantus pauor hostes semisomnes occupauit, vt maxima eorum pars se repente in fugam daret. Quidam tamen, in vltimo illo vitæ discrimine, in quocumque loco institerant, fortissime dimicabant. Mulierum vero plangores, & lugubres eiulatus, & hominum clamores, in cælum sublati, omnes, qui vicinos pagos incolebant, de somno suscitauerunt. Sed ij, cum neque, quantus esset Christianorum numerus, neque quanta repentinæ illius calamitatis magnitudo, cognoscere possent, & omnia multo tristiora animis fingerent, nullumq. ducem, quem sequerentur, haberent, non modo auxilium non tulerunt, verum, cum liberis, & mulieribus, summam in fugiendo celeritatem suscipientes; se in intimam montis partem, & in densissimas siluas, abdiderunt. Nostri, ex ijs, qui erant in armis, & pertinacissime repugnabant, octoginta tantum, aut paullo plus occiderunt: sexaginta viros, atque feminas ceperunt, & pagum sine vllius impedimento diripuerunt. Inter captiuas feminas, aliquot ex illis, quarum forma laudibus summis efferebatur, quarum præcipue gratia nostri tantum periculum adierant, abductæ sunt. Hac re gesta, Menesius exercitum reduxit; &, dum nox fuit, nemo illum vestigijs persequi ausus est. At prima luce magnus hostium numerus impetum in illum tulit. Sed tam singulari ordine Menesius exercitum reducebat, vt minimum detrimentum ab illis acciperet. Magnum tamen aliquot in locis periculum nostris intentum fuit; & vtrimque magna contentione pugnatum; multiq. ex nostris saucia ti; & equi etiam vulneribus concisi; ipseq. Menesius in summum vitæ discrimen iectus: nemo tamen ex Christianis desideratus fuit. & ita cum omni præda domum rediere.

Maurorũ trepidatio, & fuga.

Menesij discrimen.

HIERO-

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIERONYMI OSORII LVSITANI DE REBVS EMMANVELIS REGIS LVSITANIAE INVICTISSIMI VIRTVTE ET AVSPICIO GESTIS LIBER TERTIVS.

Res Indicæ.

DVM hæc in Africa geruntur, in India Trimumpara (hoc enim erat Cochimi Regi nomen) maximis motibus agitari cœpit. Calecutij nãque Rex delectum habere, & maximas copias parare instituit, vt illum, propter amicitiæ fœdus, quod cum Portugalensibus icerat, & Regno, & opibus euerteret. Multi fuere in Trimumparæ consilio, qui illi persuadere conabantur, vt Portugalenses, quos in fidem e Gamæ manu receperat, Regi Calecutij traderet, & paucorum hominum externorum, & ab illius institutis abhorrentium, interitu, salutem suam, atque totius Regni redimeret. Quod consilium non modo non accepit, sed in eos, qui id suadebant, asperis verbis inuectus est. Dixit præterea, non esse tam hostilem Calecutiensis animum, qui eum Regno spoliare, & vita priuare conabatur, quam eorum, qui eum, vt fidem proderet, admonebant. Vitæ namque spatium breue esse, Regniq. vsuram exiguo termino definitam, perfidiæ vero maculam sempiternam. Iccirco malle se exturbari Regno, & vitam in maximum discrimen inducere, quam fidei parum sancte cultæ infamia flagrare. In hac rerum perturbatione, Vincentius Soderius Cochimum cum classe peruenit. Cum vero inde rursus abire constitueret, Iacobus Fernandus Correa, qui fuerat Cochimi a Gama relictus, vt, quod esset in rem Emmanuelis Regis, administraret, illum obtestatur, ne vellet eo tempore Regem amicũ, propter Lusitanum nomen, & gratiam, in tanto periculo cõstitutum, deserere. Ea namque potissimum de caussa in illis partibus cum instructissima classe relictum fuisse, vt ab amicis inimicorum impetum propulsaret. Recogitaret præterea, quantum esset in se dedecus admissurus, si ciues hostium immanitati proderet. Nec enim proditoris nomen in eos solum cõuenire, qui contra fidem suis pestem molirentur, sed in eos etiam, qui eos in rebus afflictis tueri nollent. Respondit, illud sibi negotium a Rege minime datum fuisse, sed vt cum nauibus, quæ ex Arabia in Indiam nauigarent, bellum gereret. Se nolle munus sibi impositum vllo pacto, aut condicione, negligere. At Correa rursus ait, non esse semper, quid Rex imperauerit, sed potius, quid fieri voluerit, spectandum. Varios esse rerum euentus; & consilia, pro rerum incidentium nouitatibus, immutanda. Non fuisse vero eam Regis optimi mentem, vt is Regis amici, & suorum salutem negligeret; sed, vt, cum esset otium a vicinis hostibus, tunc alijs hostibus vltro bellum inferret. Hæc & alia multa in eandem sententiam cum diceret, & Diuini numinis fidẽ imploraret, & huius postulati publicum testimonium peteret, nihil tamen profecit. Valuit enim plus apud Soderium siue timor, siue prædæ ingentis spes, quam fides, aut officiũ. Itaque, profectus inde Solis occasũ versus, angustias Arabici sinus obsedit. At Naubeadarimus, iuuenis & natura disertus, & Brachmanarum disciplinis eruditus, fororis Regis Calecutiensis filius, qui erat gentis legibus vnicus illius heres, cum bellum ab auunculo susceptum improbaret, huiusmodi apud illum orationem habuisse dicitur. Quamuis ætas mea ad consilia accipienda, quam danda, magis opportuna videatur, ex vna tamen parte amoris vis, ex alia periculi magnitudo me stimulat, vt, quæ sentio, de summis rebus aperiam. Es enim tu mihi auũculus natura, amore vero penitus insito pater amantissimus. Accedit, quod, si siniſtris consilijs Regni tui opes fuerint comminutæ, maximis ex eo casu incommodis afficiendus sum; si vero Regnum salutaribus consilijs fuerit stabilitum, id etiã in meam vtilitatem cedet. Iccirco te supplici ter oro, vt orationem meam, quasi hominis tecum & natura, & amore, & periculi societate coniunctissimi, ad aures admittas. Si aliquid commode dixero, id velim comprobes; si secus

Trimũparæ Cochimi Regis erga Lusianos fides.

Soderij, & Correæ, de discessu ex India, contentio.

Naubeadarimi ad Calecutij Regem de bello auertendo Lusitanos oratio.

si secus euenerit, tunc id facies, quod ex re magis esse iudicaueris. Bellum maximum in Trimumparæ exitium comparas. Minime mirandum est, cum sit admodum vsitatum Regibus, inter se bello contendere. Sed caussam belli videamus. Bella enim, quæ sine legitima caussa suscipiuntur, diros plerumque exitus habere solent. Quid igitur? Num tributum pendere recusauit? Num in fines Regni tui armis inuasit? Num de pernicie tua coniurationem fecit? Minime. Quid ergo dictu saltem speciosum potes obtendere, cur contra illum tantum bellum moueas? Hoc certe dices, quod homines in fidem receptos, tibi, vt imperabas, minime tradiderit, in quos insitum contra gentem Lusitanam odium adhibitis tormentis expromeres. Hoc igitur doles, quod is ius gentium violare, & fidẽ prodere, minime voluerit. Quid igitur facies illis, qui contra diuinum, & humanum ius scelera infinita suscipiunt, si tam infensum te illis prębes, qui nihil fide, & officio antiquius arbitrãtur? Numquid beneficijs eos ornabis, qui supplicijs omnibus digni sunt? Minime vero. Regium enim est, vindicare perfidiam supplicio, non conferre immanissimo sceleri beneficia. Sed dices, illum hostibus, qui tibi graues iniurias intulerunt, fauere. Te, quantum possum, oro, vt in bonam partem, quæ sum de ea re dicturus, accipias. Nemo enim, æquum est, vt grauius ferat, si qua fuerit in Maiestatem tuam hominum scelere offensio concitata. Sed, quod ad Lusitanos attinet, nihil, mea quidem sententia, gerunt, quod valde vituperandum sit. Id enim faciunt, quod fortium hominum officium est. Offensi dolent, lacessiti pugnant, illatas iniurias acerrime persequuntur. Si illi prius aliquod contra tuum statum facinus suscepissent, merito pœnas de illorum improbitate repeteres. Sed nihil hostile gesserunt; immo, vt postulato tuo satisfacerent, nauem cum ingenti præda captam tibi dederunt. At, cum ij, qui erant in terra, in fide, atque patrocinio tuo conquiescerent, sine vlla caussa proditi, spoliati, & crudelem in modum necati sunt. Non igitur illi, qui tam immane facinus vlciscuntur, sed qui caussam tam repentinæ dissensionis attulerunt, malorum omnium, quæ sunt postea consecuta, æquum est, vt pœnam sustineant. Arabum mores diu pertulimus: eorum fraudes, & insidias explorate cognouimus: quam singulares mentiendi artifices sint, non ignoramus. Sed hæc omnia, quamdiu supplices erant, tolerari poterant. At nunc, opibus, quas sibi in Regno tuo parauerunt, tantos spiritus assumunt, vt ferri non possint. Iam imperium pati nequeunt, sed leges etiam tibi Regi potentissimo dare contendunt. Quam tætri autem, & quam feroces incedunt? Quanta fiducia animorum subnixi volitant? Quam impudenter se inferunt, & intrudunt? Quam minaciter a te, quæ volunt, efflagitant? Eo denique progressi sunt, vt, si illos audieris, sit tibi Regnũ ex eorum arbitratu gerendum. Quid enim postulant? Tolle de medio gentem nobis odiosam, & inuisam. Cur ita tandem? Numquid, si admissa fuerit, vos continuo expellẽdi estis? Minime. Sed non possunt oculi nostri sustinere Christianæ gentis adspectum. Et præterea veremur, ne quæstus, quem ante faciebamus, illorum aduentu minuatur. Itaque iam non humiliter poscimus, sed te, pro iure nostro, compellimus, vt tam delicato oculorum nostrorum fastidio, & auaritiæ tam immani, quæ nullis opibus expleri potest, cum tui Regni periculo, & cum insignis turpitudinis infamia, satisfacias. Inquiunt tamen, multum salutis communis interesse, gentem in armis acrem ex Indiæ finibus exterminari. Quid ergo? Si paucos illos homines, qui apud Trimumparam sunt, exstinxeris, continuo totum Portugalensium genus interimes? Non certe. Et eos, qui venturi sunt, in te multo acrius irritabis. Si igitur tam fortes sunt, quã homines isti prædicant, dum, vt ab eis malum metuas, admonent, & terrorem tibi ex eorum armis incutiunt, multo certe tibi ad salutem melius est, eos amicos, quam inimicos, & infensos, habere. Plerumque enim fit, vt, qui hostes acerrimi sunt, ijdem sint amici firmissimi. Vtrumque enim ab eodem virtutis fonte profluit. Vereor autem, vt, opibus tibi eorum viribus detractis, opes Cochimensis Regis augeantur, & multi tibi tunc in calamitatibus insultent. Nec enim dubito, quin maximæ classes in has oras venturæ sint, & vastitatem in terris eorum, quibus sunt infensi, propter iniurias, quas acceperunt, efficiant. Quare Arabes istos odio maximo dignos exillimo. Primum quidem, quia te Principem clarissimum, & Regio isto imperio dignissimum, propter insitum odium, & auaritiam, in eam fraudem impellere nituntur, vt fidem, & officiũ deseras. Deinde, quia tanta superbia tument, vt arbitrentur, esse tibi Regnum ad eorum libidinem administrandum. Tum, quia facinore, quod in oculis tuis suscepere, indignam nomini tuo notam sempiterni dedecoris inusserunt. Nemo enim credet, eos tam immane scelus, nisi te conniuente, suscipere ausos fuisse. Postremo, quia tibi auctores sunt, vt homines egregie fortes, quorum fideli opera Regni tui opes amplificare potuisses, cũ magno Regni periculo hostes tibi ex aduerso constituas. Quare censeo, vt bellum hoc omittas, & pacẽ cum Lusitanis hominibus, qui fidem, & iustitiam colunt, & amicitiam summa, vt fama est, fide conseruãt & hostibus debitum supplicium irrogare solent, fideli pactione constituas, eisq. pro detrimentis, quæ Arabum sceleribus acceperе, satisfacias. Aliter enim vereor, ne quamplurima mala, quod dij omen auertant, in

Universidad de Deusto
Biblioteca

hanc noſtram regionem ex hominum perditorum conſilio redundent. Me quidem, quod fides facere admonet, cuiuſcumque fortunæ ſocium habebis. Neque enim pro tuæ dignitatis amplitudine vitam profundere recuſabo. Ad officium tamen meum pertinere arbitratus ſum, ea, quæ ſentiebam, explicare. Deos autem precor, vt, quæ gerenda eſſe putaueris, approbent. Hæc cum ſæpe dixiſſet, nulla tamen ratione Regem ab inſtituta ſententia dimouere potuit. At Trimumpara milites euocabat, & omnia ſumma diligentia comparabat, quæ ad depellendum belli periculum neceſſaria videbantur. Sed, cum tantæ eſſent opes Calecutienſis, & multi fortunam Cochimenſis inclinatam, vt opinio erat, deſpicerent, ſe ſe ad Calecutienſis nomen adiungebant, & Cochimenſis cauſſam deſerebant, vſque adeo, vt non pauci ex illis, qui Cochimenſis imperio tenebantur, ad Calecutienſem deficerent. Inter quos fuere Dynaſta Chirabipilenſis, & Dynaſta Cambalamẽſis, & inſulæ cuiuſdam princeps, quæ eſt cochimo oppoſita. Calecutienſis igitur cum maximo exercitu in Repelinum peruenit, qui locus Cochimo diſtat millibus paſſuum ſedecim. At Luſitani ad Cochimẽſem adeunt, & orãt, ne velit propter ipſos tantam belli molem ſuſtinere. Se Cananorem ituros, vt ibi claſſem Luſitaniæ præſtolentur. Rex, ſe vehementer admirari, dixit, quo modo fortiſſimis hominibus, & ſibi diuturna familiaritate coniũctiſſimis, in mentem venire potuiſſet, vt vel hoſtium potentiam timerent, vel de ſua fide dubitarent. Manerent porro, & pro certo haberent, omnibus eſſe eandem fortunã ſubeundam. Se pro Emmanuelis Regis amplitudine ad extremum vitæ ſpiritum pugnaturum. Exercitui deinde ſororis ſuæ filium, qui erat in Regno ſucceſſurus, Naramuhimum nomine, Imperatorem conſtituit. Is autem valde ſtrenuus habebatur. Eum vero miſit cum quinque millibus, & quingentis militibus, qui locum tuerentur, quo Calecutienſis tranſire cogitabat. Regni namque vtriuſque fines æſtuario ingenti erant diuiſi. Locus autem, quo Calecutienſis Cochimum contendebat, erat eiuſmodi, vt, æſtu decedente, vado tranſiri poſſet. Eo cum Calecutienſis exercitum perduxiſſet, continuo anteſignanis vadum tentare præcipit. Sed ij non modo tranſitu prohibiti ſunt, verum multos e ſuis amiſerunt. Poſtera die Repelinenſem Dynaſtam, cum magno delectorum militum numero, ad vadum miſit, vt Naramuhimum e loco pelleret, vt poſſet reliquus exercitus ſine vlla offenſione traduci. Quod vt facilius fieret, multos parones inſtructos ad inferiorem æſtuarij partem, vbi maior erat profunditas, non longe tamen a vado, conſtitui iubet, vt ſuis auxilio eſſe poſſent, & ſagittis hoſtes configere. Eo tamen die Naramuhimus multo acrius repugnauit, maioremq. numerum hoſtium interfecit. In his autem prælijs, conſilio Laurentij Moreni, viri valde ſtrenui, plurimum vtebatur, qui cum paucis illis Luſitanis, qui intereſſe poterant, eum fortiter adiuuabat. Cum hoſtes ſæpius vadum aggrederentur, ſemper cum eorum, qui antecedebant, ſtrage repulſi ſunt. Tandem, per eos pagos, qui ad dictionem Trimumparæ Regis pertinebant, diſtributi, vt vaſtitatem maximam Cochimenſibus inferrent, omni ſtudio contendebant. Sed Naramuhimus omnibus locis occurrebat, & aut per ſe, aut per alios duces, quos identidem ſubmittebat, eorum impetum arcebat, & ſemper cum multorum hoſtium cæde victoriam conſequebatur. Cum vero Calecutienſis animaduertiſſet, apertam vim illi minime, vt cogitarat, proceſsiſſe, ad fraudem conuerſus eſt. Itaque Cochimenſem quæſtorem, qui ſingulis prope diebus, de gentis more, militibus ſtipendia perſoluebat, per interuntium magnis muneribus, atque promiſſis allexit, vt milites ſtipendio fraudaret. Quæſtor, pecunia corruptus, morbum ſimulauit, & in vrbem ſe continuo recepit, edixitq. militibus, vt, quiſtipendium ſibi ſolui cuperet, in vrbem ad illum tenderet. Quo facto, multi ſe in vrbem conferebant, quos Naramuhimus continere non poterat. Quæſtor ſolutionem de die in diem differebat. Hoſtes interim vadum minime tenebant, vt Cochimenſes negligentiores redderent. Poſtquam Calecutienſis ad hunc modum milites dilapſos, & eos, qui remanebant, minus ad defenſionem intentos animaduertit, repente paro nes accedere, tormentis, atque telis hoſtes vndiq. propellere, ſuas copias vadum cum celeritate tranſire, Naramuhimiq. præſidia magna vi perrumpere iubet. Milites, in Regis ſui conſpectu, quod erat imperatum, incredibili alacritate conficiunt. Erat adhuc nox, cum hæc geſta ſunt, in qua per exploratoris, & Quæſtoris indicium cognouit Calecutienſis, portum, multorum militum diſceſsione, & aliorum ſecuritate, minus diligenter aſteruari. Accurrit Naramuhimus. Sed, cum hoſtium multitudinem, & impetum ſuſtinere non poſſet, fortiſſime dimicans, ſagittis confixus occiditur. Eundem caſum duo adoleſcẽtes illius cognati ſubiere. Ita enim mortui ſunt, vt, antequam caderent, virorum fortium officio fungerentur. Fit magna cædes, & vtrimque multi grauiſsime ſauciati cadunt. Prælium cum ante lucem incepiſſet, ad veſperum protractum eſt. Cochimenſes fugæ ſe mandant. Calecutienſes primo ferociter inſequuntur; deinde, tenebris impediti, vlterius victos perſequi deſtiterunt. Trimumpara, huius cladis nuntio, maximo animi motu conturbatus eſt. Voluit tamen vltimum belli caſum experiri. Itaque omnes copias, quas potuit, inſtruxit, & collatis

Cochimẽſes ad Calecutiẽſem tranſfugæ.

Repelinum.

Calecutiẽſis in Cochimẽſem bellum.

Calecutiẽſis Regis oratio, fidei, & conſtãtiæ plena.

Naramuhimus, Cochimenſis exercitus imperator.

Laurẽtij Moreni Luſitani virtus.

Naramuhimi victoriæ.

Dolus Calecutienſis Regis.

Proditio.

Naramuhimi cædes.

Cochimenſium clades.

collatis ſignis cum hoſte dimicauit. Exitus belli is fuit, qui ſolet eſſe, cum pauci timore perculſi, & debilitati, cum maxima multitudine hoſtium, quos victoria confidentes, atque nimis feroces effecit, re iam deſperata, congrediuntur. Ad hunc modum fuſus Trimumpara, inſulã quandam traiecit, & Luſitanos, quos ſecum habebat, in eandem inſulam tranſduci iuſſit: quos, in illa ruina, tanta fide conſeruauit, atque ſi illorum opera, quorum gratia in tantas calamitates inciderat, fuiſſet aliquando ab omni calamitatis acerbitate defenſus. Calecutienſis legatos iterum ad illum in inſulam miſit, qui dicerent, ſe ei omnia redditurum, ſi veller ſibi Luſitanos, quos poteſtate continebat, tradere. Reſpondit, ſibi Regnum, atque adeo vitam eripi poſſe, fidem non poſſe. Hoc reſponſo Calecutienſis acerbius irritatus, vrbem incendi continuo iuſsit. Deinde inſulam oppugnare inſtituit. Sed inſula erat ſitu, atque natura egregie munita, & illis copijs, quas Rex in eam tranſmiſerat, facile defendi poterat. Itaque Rex Calecutienſis, cum in eam conaretur inuadere, virtute militum ſuit ſæpe, cum non mediocri damno, de conatu depulſus. Cum vero hiems aduentaret, obſidionem ſoluit, &, Cochimum reuerſus, locum foſſa, & vallo muniuit, in quo præſidia diſpoſuit; eoq. animo inde digreſſus eſt, vt primo vere ad oppugnationem inſulæ rediret. Multi, cum Trimumparæ fortunam afflictam poſt mortem Naramuhimi deſpicerent, a fide non illi ſolum, ſed noſtris debita nefarie deſciuerunt. Inter quos duo Mediolanenſes exſtitere, qui cum Gama, in ſecundo illius in Indiam aduentu, permiſſu Regis Emmanuelis, venerant. Ij, religionis immemores, ad Calecutienſem tranſfugerunt, multaq. detrimenta noſtris intulerunt. Sed, quo illorum perfidia, qui ſe Chriſtianos ementiebantur, ſceleratior exſtitit, eo fides illius barbari Regis clarius eluxit: quæ tanta fuit, vt pro hominibus parum notis, cum quibus nullam commutionem ſanguinis, aut iuris, aut religionis habebat, ſummo ſtudio conſeruandis, extrudi Regni finibus, ſpoliari cunctis opibus, vitæ ſummum diſcrimen adire voluerit. Rariſsimum profecto fidei, atque probitatis ſpecimen, ſempiternæ memoriæ commendandum. Interea vero Soderius, in Arabiam nauigans, cum oram Cambaiæ legeret, incidit in quinque naues Arabum, multis opibus onuſtas, quas expugnauit, diripuit, & incendit. Inde in inſulas delatus eſt, quæ paruo interuallo diſident a promontorio, quod Guardafum appellant, neque procul ab aditu ſinus Arabici diſtant. Appellantur inſulæ Curia, Muria. Ibi naues reficere inſtituit. Saraceni inſulas incolebant, qui noſtros hoſpitaliter acceperunt, & omnia, quæ ad victum pertinebant, pretio tolerabili eis ſuppeditarunt. Erant enim aratores, & a bellandi ſtudio nimis abhorrentes. Cum autem cernerent, naues Petri Ataidei in terram, vt per otium compages obſtrui, & oblini poſſent, ſubduci, (laborabat enim, & aquam nimiam accipiebat) ad noſtros adeunt, atque monent, ne diutius in eo loco morentur. Nam initio menſis Maij omnes naues Septemtrione vehementiſsimo ad litus iactari, & allidi, nullaq. ratione exitium vitari poſſe, ſi tempus illud exſpectarent. Soderius monita contempſit: &, cum illi multis obteſtationibus vterentur, & reliqui etiam Duces inſtarent, & dicerent, non eſſe negligendum conſilium, quod tam facili negotio ſuſcipi poſſet; naues in alia inſulæ parte, quæ pertinebat ad Auſtrum, in aprico loco facillime poſſe conſtitui; ſtationis mutationem ſine periculo fieri; manſionem, vt homines regionum peritiſsimi iureiurando confirmabant, eſſe nimis periculoſam; Soderius tamen in inſtituta ſententia permanſit. Qua quidem pertinacia Petrus Raphael, & Fernandus Rodericus Badarcenſis, & Iacobus Petreius, trium nauium duces, offenſi, ab eo diſceſſerunt pridie Kalendas Maij, & ſe in aliam inſulæ partem contulerunt. At Soderius in naui animo curis vacuo, atque ſoluto conſiſtebat, cum ſubito coorta Septemtrione tempeſtas naues ad litus eiecit, & allisit; tantiq. fluctus exſtiterunt, vt omnes ferme, qui in nauibus erant, interirent: inter quos Vincentius Soderius, & Blaſius Soderius, illius frater, fluctibus obruti ſunt, & illorum cadauera in litus cum reliquis eiecta. Diuino autem iudicio factum exiſtimabatur, vt non modo Soderius eo genere mortis interiret, ſed ne particula quidem prædæ, quam ceperat, colligi poſſet. Fractis enim nauibus, cum funes, armamenta, mali, dolia, tabulæ, multeq. res eiuſmodi fluctibus eijcerentur, non tamen aurum ex præda, nec aliquid, quod eſſet pretio dignum, neque arcæ, in quibus lautiſsima ſuppellex aſſeruabatur, vm quam comparuerunt. Tres illi duces, qui vim tempeſtatis effugerant, ea ſedata, ad locum, vnde fuerant a Soderio digreſſi, reuertuntur. Ataideus, eo quod in terra conſederat, cum ſuis euaſit. Naue illius refecta, fuit is a reliquis Ducibus in locum Soderij conſtitutus, qui claſſi præeſſet. Duces inter ſe conſultant, quid optimum factu ſit. Omnium ſententia hæc fuit. Soderios fratres perfidiæ pœnas exſoluiſſe. Iccirco nihil a ſe, nec ad numinis placationem ſanctius, nec ad nominis claritatem illuſtrius fieri poſſe, quam naues in Indiam reducere, vt auxilium Trimumparæ, atque Luſitanis, qui cum eo manſerant, afferrent. Itaque, quamuis hiems eſſet, quoduis periculum adire minime dubitabant, dum illam nominis Luſitani maculam delerent. Sed, tempeſtatibus ad-

Cochimẽſis Rex victus ſua fugit.

Summa fides Regis.

Mediolanenſes 2. ad Calecutienſem tranſfugiunt.

De rebus Soderii circa Arabiam geſtis.

Guardafum, promontoriũ Curia, Muria inſulæ.

Soderii pertinacia, grauiter punita.

Vitio in Soderiũ diuina.

Ducum de rebus Soderi ſumma conſultatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

uersis exclusi,ad insulam Anchediuam naues conuertere coacti sunt, vbi, quod reliquum erat hiemis,quando aliter fieri non poterat, transigerent, vt primo vere Cochimum intenderent. Hoc anno peperit Regina Maria filiam, cui pater Emmanuel Isabellæ nomen imposuit, quæ postea Carolo Imperatori nupsit. Fuit eximia pulchritudine,magnisq. virtutibus ornata; ad maximi status amplitudinem semper adspirauit,adeo,vt constantissime affirmaret,se,nisi maximo Reip. Christianæ Principi, nulla condicione nupturam. In huius anni fine Rex in opido,quod Tomar appellatur, vbi sacerdotes militiæ CHRISTI amplum, & magnificum templum summa religione tuentur, Concilium equitum eiusdem Ordinis indixit; & multa,quæ ad eam religionem constituendam pertinebant, sapienter instituit, moresq. dilapsos ad seueriorem disciplinam reuocauit. Hoc eodem anno Alexander Pontifex Maximus vita functus est: & Pius non multo post, quam ad illud honoris fastigium euectus fuit, e corpore excesit, & in illius locum Iulius,natione Ligur, fuit,summo omnium Patrum consensu, substitutus. Principio vero insequentis anni Emmanuel multos homines religionis opinione præstantes in Aethiopiæ partem,quæ Congo appellatur,misit, vt homines illos multo melius,quã a principio fuerant instituti, ad disciplinam religionis instituerẽt.Hæc regio est vltra plagam æquinoctiali circulo subiectam, ab eaq. gradibus septem ad Austrum distat.Est admodum fertilis, varijsq. frugibus, & gregibus abundat, multisq. fluuijs irrigatur. Regnum latissimis finibus continetur. Quemadmodũ vero Regnum illud fuerit ad CHRISTI fidẽ conuersum, est altius a principio repetendũ, vt melius intelligi possit,quam singulari consilio Rex Emmanuel studium ad gentis illius institutionem applicuerit. Cum Ioannes totam mentem in explorandis Aethiopiæ regionibus maritimis collocauisset, vt via, quæ ferret in Indiam,aperiri posset,factum est,anno A CHRISTO nato MCDXXCIV. vt quidam eques, vir acris animi, nomine Iacobus canus, qui iussu illius oras Aethiopiæ perlustrabat, in fluuij altissimi, & rapidissimi fauces incideret.cum vero magnitudinem fluuij & aquarum naturam perspiceret, fieri non posse suspicatus est, quin multæ gentes ad illius ripas haberent sedes, atque domicilia constituta. In fluuium vero cum penetrare voluisset, paullum progressus, multos homines conspexit, reliquis Aethiopibus,quos sæpe viderat,colore,& capillo simillimos. Ij,neque timore vllo,nec ignotæ gentis insolentia, perturbati,ad nostros accedentes, egregiam lenitatis, & mansuetudinis speciem præseferebant. cũ vero Canus eos,qui varias Aethiopiæ linguas nouerãt, iussisset cum illis loqui, nemo hominum sermonem intelligere quiuit. Signis igitur agi cum illis cœptum est. Illi vero signis demonstrabant,esse Regem in illis partibus, opibus, & potentia florentissimum:vrbemq. Regiam,in qua se continebat, inde aliquot itineribus abesse. Hoc cum canus intellexisset, eos præmijs, atque promissis allexit,vt certos homines ex illius comitatu ad Regem deducerent. Per illos autem ea dona, atque munera Regi misit, quibus gentes illas oblectari compertum habebat. His autem,quos misit, certum tempus præstituit, intra quod erant cum aliqua terræ clariore notitia reuersuri. Cum ij duplo maiorem moram facerent,quam Canus fieri posse credidisset,anchoris solutis, quattuor ex illis, qui in nauem ventitabant,secum in Lusitaniam duxit. Erant autem illi homines nobiles,& acuto ingenio præditi. Quos Canus in via sic diligenter instituit, vt, cum ad Regem deducerentur, iam multa Lusitana lingua explicare possent. Eorum ingenio Rex mirifice delectatus est, hominesq. donis,& muneribus affecit; canoq. præcepit,vt sine cunctatione in eam rursus terram nauigaret, & homines cum muneribus ad Regem continuo reduceret, eumq. admoneret, vt CHRISTVM summum Deum, vniuersæq. naturæ parentem, coleret. Redijt ad eundem locum Canus,vnumq. ex illis Aethiopibus,quos secum duxerat, ad Regem misit, qui nomine illius postularet,vt sibi mitteret eos Lusitanos, qui apud illum versabantur,seq. similiter sine vlla mora remissurum eos tres, quos interim retinebat. Esse sibi vlterius progrediendum: quod postquam, vt iussus a Rege suo fuerat, perficeret, se continuo rediturum, vt illum conueniret,& mandata Ioannis Regis exponeret. Rex per vnum e Ducibus suis Lusitanos statim remisit.illis receptis, canus tres illos Aethiopes missos fecit cum muneribus, quæ Ioannis nomine ad Regem deferrent. Rex & muneribus, & suorum prædicatione, qui Ioannis virtutem, & magnificentiam in cælum laudibus efferebant, in ipsius Ioannis studium acriter incitari cœpit.cum vero canus, post alias oras diligenter exploratas, ad locum eundem reuertisset,nullam moram interposuit, quin ad Regem adiret: a quo fuit nimis honorifice acceptus. Deinde, cum multa de Ioannis Regis statu, de moribus Lusitanæ nationis, de legibus, & institutis percunctaretur,tum de christiana religione diligenter inquirebat, & paullatim ad illius studium animo propendebat. Canum tamen dimisit,& cum illo statuit, vt rediret vnus ex illis, quos Canus Olysipponem duxerat,nomine Zacutem, cum legatione: cuius hæc erat summa, vt a Ioanne contenderet, quantum posset, & per DEVM, quem colebat,obtesta retur, vt in illius Regnum mitteret sacerdotes, quorum disciplinis posset ille cum toto Regno ad verissimi DEI notitiam peruenire.

Res Europæ.

Emmanuelis Isabella filia nascitur.

Cõci'ium Ordinis Equitũ Christi.

Alexãdri VI. Pont. mors.

Ras Africanæ.

Sacerdotes, in Aethiopię regione Congum missi.

Congi regionis situs, & descriptio.

Cõuersionis Aethiopum Congensium occasio.

Iacobus Canus, Aethiopię lustrator.

Cani ad Regem Cõgensem munera, & legatio.

Ioannis Lusitaniæ Regis ad Congensem legatio.

Canicum Rege Congensi congressus.

Congẽsis ad Lusitanię Regem legatio pro obtinendis sacerdotibus.

nire. canus,cum Legato,& aliquot pueris nobilibus, quos Rex in eum finem in Lusitaniam mittebat, vt Christiani fierent, & cultum animi caperent, ad Ioannem reuersus est,& magnam eboris vim,cum stragulis vestibus ex palmarum foliis contextis, illi, nomine Regis Congensis,obtulit. Rex hoc nuntio incredibilem in modum lætatus est, eo quod videret aditum apertum, ad CHRISTI disciplinam in terris illis latissime propagandam. Legatus cum pueris plus duobus annis in Lusitana commoratus est, vt melius & linguam, & religionis Christianæ disciplinam perciperent.Cum vero iam omnes essent lustralibus aquis expiati, Christiq. nomen Sacramento professi, Ioannes tres naues instrui iussit, quibus Gonzalum Sousam, virum insigni nobilitate,præfecit,quibus tam legatus,quam pueri veherentur.Misit præterea cum illis sacerdotes religione præstantes,cum sacris vasis, & infulis, & Christianæ religionis insignibus, qui gentem sacris sanctissimis expiarent, & ad disciplinam Christianæ pietatis erudirent. Cum vero eo tempore pestis Vrbem maxime infestam redderet,illius contagione factum est,vt,postquam naues e portu soluerunt, pestis multos in eo cursu conficeret, inter quos Gonzalus Sousa fuit.In cuius locum RODERICUS Sousa,qui erat illi sangume coniunctissimus, consensu omnium successit. Postquam naues eo, quo tendebant, appulsæ sunt, & omnes in terram, qui erant ad Regem profecturi, descenderunt, tantis cantibus, tantaq. significatione eximiæ cuiusdam voluptatis accepti ab omnibus fuere, vt siluæ etiam, atque nemora lætari viderentur. Qui primus omnium ad CHRISTI nomen adiunctus fuit, erat Regis patruus, qui terras latissimas imperio tenebat: cui fuit nomen Emmanuelis impositum. Audierat enim, esse in Lusitania Principem summis virtutibus ornatum, Regis ipsius fratrem patruelem, qui Emmanuel vocabatur, & ea de causa nomen illius sequi constituit. Hic tanto studio religionis disciplinam excepit, vt satis appareret, illius mentem esse radijs Diuinæ lucis illustratam. Duces autem, cum innumerabili hominum multitudine, de more gentis instructa, Regis ipsius iussu, obuiam nostris prodiere. Omnia interim tympanorum, & buccinarum cantibus, & hominum vocibus personabant. Postquam ad Regem ventum est, Sousa illum, vt Regem,salutauit, & ille vicissim Sousam, more, & instituto suo, honorificentissime recepit. Postquam vero Sousa legationis summam exposuit, & ille gratias summas Ioanni Regi verbis amoris eximij significantibus egit, a Sousa postulauit, vt sacras vestes, & alia, quæ ad religionis cultum pertinebant, quæ adhuc erant inuoluta, explicari, & in omnium conspectu proponi iuberet. Tum singula contemplari, & cum veneratione suscipere, & vehementer admirari, & religiosos homines intueri. Cum vero Crux sublata fuit, omnes, qui aderant, cum viderent, nostros, flexis de more genibus, in terram procumbere, idem fecerunt. Rex neque singula quæque inspiciendo, neque de illorum vsibus inquirendo satiari poterat. Quæ autem a religiosis dicebantur, memoria firmissime continebat, & Reginæ deinceps luculenter enarrabat. Fuit statim constitutum, vt templum ædificaretur. Quamuis autem lapides e longinqua Regni parte fuissent conuecti, tanta tamen celeritate, propter flagrantissimum Regis studium, & innumerabilem multitudinem, quæ operas vigilantissime dabat, ædificari cœpit, vt intra breuissimum temporis spatium absolutum, & Sanctæ Crucis nomine consecratum fuerit. Dum hæc geruntur, cum fuisset illi nuntius allatus, gentes illi subditas,quæ insulam in medio ingentis lacus sitam incolunt, quam fluuius nomine Zairus efficit, ab illius imperio defecisse, finitimisq. terris non mediocrem populationem crebris incursionibus intulisse, illarum impetum, & audaciam per se comprimere, & vindicare constituit. Antequam vero proficisceretur, sacris aquis expiari, & nomen CHRISTI profiteri voluit. Quod similiter Regina, & aliquot viri nobiles effecerunt. Is Ioannes appellari volùit, Regina vero Leonora, vt studium, quo erga Reges optimos erant incensi, nominibus indicarent. Tradidit illi vexillum Sousa, imagine Crucis illustratum,illumq. admonuit,vt confideret, se virtute Crucis victoriam de hostibus adepturum. Is,fiducia nominis Christiani subnixus, hostes primo impetu profligauit, multoq. celerius, quam potuisset quisquam suspicari, bellum confecit. Domumq. reuersus, Sousam cum multis amoris signis dimisit. Sousa vero non modo religiosos homines, qui munus institutum peragerent, sed alios etiam, qui terram peragrarent, & lacum illum ingentem, quem diximus, explorarent, & terræ situm, & latitudinem,& mores hominum cognoscerent, reliquit. Post Sousæ discessum, venit Regis filius natu maximus e Regni finibus, in quibus bellum contra hostes finitimos gerebat, ad patrem, operamq. dedit, vt antiquorum flagitiorum sordes aquis sacratis elueret, & in fidem CHRISTI reciperetur; Alfonsique nomen, propter Alfonsum Ioannis Regis filium, vsurpauit. Multiq. viri nobiles similiter Christiani effecti sunt. Magna præterea multitudo vndique confluebat, vt, ijsdem sacris expiata, noua cælestis vitæ luce frueretur. Qui erant recepti, incredibili lætitia efferebantur, & Christianorũ numerus in dies augebatur. Sed ijs tam salutaris, atque repentinæ conuersionis ini-

Classis cũ legatis ad Christi fidem in Aethiopiam inuehendam missa.

Congensium de Lusitanæ classis aduẽtu gaudium.

Congẽsis Regis patruus fit Christianus.

Quæ pompa Lusitani in Aethiopia sunt excepti.

Sousæ cũ Rege Congensi colloquium.

Crucis veneratio.

Studium erga pierates em Christianorum singulare.

Congensis Rex, vna cũ Regina, & maritis nobilibus, baptizatus.

Miraculosa victoria.

Maximus natu Regis Cõgensis filius Christo initiatur.

Fidei Christianę per Cõgensem Regẽ successus.

Zairus, fluuius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Persecutio in Christianos.

tijs sempiternus hostis generis humani magna contentione repugnauit. Ad eamq. rem gerendam, alium Regis filium, nomine Pansum Aquitimum, qui a christianæ religionis sacris vehementer abhorrebat, instigauit, vt patrem a studio religionis auerteret. Facinus esse indignum clamitabat, institutaq. patriæ deseri, Deorum simulacra conuelli, fana, quæ fuerant ad illum diem sanctissima, violari. Ad hæc, Rex molestissime ferebat, esse sibi per homines religiosos concubinis interdictum, nec vsum illi nisi tantum vnius vxoris legitimæ concedi. Et ipsæ mulieres, cum cernerent se Regis coniunctione destitutas, & de honore, in quo fuerãt, deiectas, Regem per se, & per Regni proceres, sollicitabant; &, vt eum a sententia deducerent, maximo opere contendebant. Accedebant augures, atque venefici, qui apud gentem illam in summo honore fuerant, qui minas a dijs proponebant, diraq. supplicia denuntiabant illis, qui a pristina religione desciuissent. Cum vero Alfonsus summa vi perditis hominum impurorum conatibus obstitisset, illi acerbissimum patris odium in eum concitauerunt; in eamq. fraudem Regem impulerunt, vt crederet, sibi a filio insidias comparari. Itaque eum in vltimos Regni fines relegauit. Et, quantum scelerato filio indulsit, tantum de religionis Christianę studio remisit. Sed, cum fraudes detectæ fuissent, Rex filium in pristinum honoris gradũ cum amplificatis opibus reuocauit. Is autem instinctus Diuini spiritus appulsu, in terris sibi a Patre commissis capite sanxit, si quis simulacrum aliquod fallacissima religione dedicatum domi contineret, aut ei aliquo in loco supplicaret. Hac re nuntiata, magnus hominum motus factus est, multiq. contra illius statum cum fratre coniurarunt. Pater illum euocauit, vt admoneret, ne tumultum excitare vellet, & ab ea sententia desisteret. Sed is, cum se negotijs innumerabilibus impeditum esse diceret, nec ad patrem ire, neque decretum rescindere vllo pacto voluit. Itaque multi ab illo ad fratrem deficiebant. Interim pater, cum esset & senio confectus, & morbis oppressus, & impeditus, e vita paullatim discedere videbatur. Cum multi Alfonsum certiorẽ de valetudine patris efficerent, & eum accerserent, vt fratris, qui copias ad occupandum Regnum comparabat, sceleri resisteret, ille tamen, quamdiu de morte patris certus esse nõ potuit, venire non est ausus. At, vbi, illum vita functum esse, resciuit, nocte (sic enim mater illum, vt faceret, admonuerat) in vrbem ingressus est. Postero die, cõuocatis illis Regni Proceribus, quibus multum fidebat, in modici campi planitie, quæ ante Regias ædes erat, orationem habuit, qua ius hereditatis, quod obtinebat, & humanitatem, qua suis consulebat, & fidem, qua erant illi omnes obligati, prudenter exposuit, & ad fidem, & officium

Idolorũ cultus, a Cõgenis Regis filio prohibitus.

omnes cohortatus est. Illi, quod faustum, felixq. esset, Alfonsum Regem continuo salutant, eique, musicorum instrumentorum concentibus, & maximis clamoribus, de Regni maiestate, & amplitudine gratulantur. Id frater cum accepisset, cum iam magnas circum se copias haberet, duplicem aciem instruxit, & in fratrem recta cõcendit. Alfonsus perexiguo militum numero stipatus erat. Quos tamen ad spem victoriæ vehementer excitauit, adhortatusq. est, vt firmissime crederent, cæleste auxilium eis minime defuturum. Facilli meq. maximos exercitus a paucissimis hominibus Christi ope defensis profligari. In eoq. loco fratrem exspectauit. At frater magno cum impetu in eum inuehitur, tantaq. erat sagittarum copia, vt in nubis modum vmbram efficere videretur. At Alfonsus, quamuis fortiter dimicaret, omnem tamen spem habebat in Dei præsidio collocatam. Itaque maximis vocibus Christi numen inuocabat, & opem Apostoli Iacobi (quod Hispanos facere in bellis acceperat) implorabat, & has voces magna contentione identidẽ repetebat. Nec illum spes in CHRISTO reposita fefellit. Hostes enim, subito timore perculsi, terga verterunt. Et, cum prima acies se in fugam conijceret, secundam aciem, impressione facta, perturbauit, atque similiter fugere compulit. At frater, exanimatus metu, cum in siluas se abdere voluisset, in cippum incidit, (sic enim appellant instrumentum, ad feras capiendas in siluis appositum) & ibi captus est, cum Duce, quem secum, propter virtutis militaris opinionem, coniunxerat. Is Dux, cum se captum animaduerteret, misit ad Regem, qui diceret, se mortem minime deprecari, quam se meruisse iudicabat. Hoc tamen, per illum summum DEVM, quem Rex ipse colebat, oraret, ne se pateretur ad supplicium trudi, antequam Christianus fieret. De vita hac exigua, miserijs innumerabilibus circumuallata, minime sollicitum esse: ab illa vero sempiterna ne prorsus excluderetur, id maxime formidare. Addidit præterea, tantam hominum multitudinem a tam paucis hominibus nulla ratione vinci, atque superari potuisse. Sed se magnam militum copiam in equis insidentem, & Crucibus insignitam, tantaq. luce splendentem, vt omnium oculos perstringeret, in prælio conspexisse; cuius metu perterritus, terga repente dare coactus sit. Quare se minime dubitare, solius Christi numen esse summa fide colendum, & sempiterna prædicatione celebrandum. Alfonsus vero non modo pio illius postulato satisfecit, sed etiam viuum conseruauit, fideliq. illius opera multis in locis vsus postea fuit. At frater, partim ex vulneribus, quibus in præcipiti ruina percussus fuit, partim ex dolore, intra paucos dies mortuus est: &, quod fuit multo funestius, nulla ratione potuit a suscepti sceleris, & impietatis pertinacia

Alfonsi Cõgenis Regno inauguratus.

Prælium inter fratres.

Victoria diuinitus concessa.

Dux captus ante mortem Christianus fieri flagitat.

Subsidiũ Cõgenis Regi diuinitus missum.

Alfonsi singularis pietas.

cia dimoueri. Alfonsus vero, in Regni possessione constitutus, multas victorias de hostibus, Dei propitio numine, cõsecutus est. Tantoq. studio religionem Christianam coluit, vt non plus temporis in Reip. negotijs gerendis, quam in subditis ad cultum pietatis incitandis, consumpserit. Habebat præterea frequentes ad populum conciones de iustitia, & pietate, de iudicij Diuini seueritate, de sempiternæ vitæ præmijs, de Christi disciplina, & sanctorum hominum, qui vestigia illius sequebantur, exemplis. Quamdiu denique mansit in vita, Regnum perpetuo in Christianæ pietatis officio, cum singulari probitatis, & iustitiæ laude continuit. Emmanuel igitur, cum tanto ardore religionis studium in illis partibus excitari conspiceret, cum esset ipse natura, & studio, & disciplina, cupiditate religionis incensus, id quod fuerat a Ioanne Rege sedulo institutum, vt perfectum, & absolutum cerneret, elaborauit. Itaque anno a CHRISTO nato MDIV. homines sanctissimis literis eruditos, & religionis laude præstantes, in illas partes misit. Multos præterea ludorum magistros, qui scholas aperirent, & pueros litteris instruerent, & artifices etiam multarum artium eo similiter mittendos existimauit. Multas præterea sacras vestes, partim aureas, partim sericas, multos libros Christianam disciplinam, & sacrorum omnium rationem, & Christi vitam, & hominum sanctorum exempla continentes, argenteos præterea calices sacrificijs dedicatos, & Cruces argenteas, & thuribula, & omnia denique, quæ tam ad CHRISTI disciplinam tradendam, quam ad sacra rite procuranda pertinebant, in naues imponi iussit, vt facilius gentem in fide susceptа confirmaret. Ad hæc, sacerdotibus, & reliquis omnibus, quibus onus lustrandæ illius regionis imposuit, stipẽdium, & commeatum large, atque munifice suppeditari præcepit. Cum autem in his rebus omnibus maximos sumptus faceret, nullum tamen sibi fructum, & emolumẽtum, quibus Regiæ opes amplificari possent, sed Diuinum tantum, atque sempiternum inflammato studio proponebat. Cum autem homines religiosi cum muneribus sacris a Rege missis in eas oras peruenirent, magna repente hominum multitudo confluxit, vt eos humeris suis tolleret. Omnes, qui conuenerant, homines religiosos venerabundi suspiciebãt, & quasi cælo delapsos intuebantur. Rex eos valde amanter accepit, Emmanueliq. pro tanta benignitate felicitatem sempiternam precatus est. Multi vero certatim ad illos vndiq. conueniebant, vt CHRISTO nomina darent, &, sacro fonte abluti, in nouum vitæ genus ingrederentur. Et, quia neque sacerdotes linguam eorum nouerant, neque plebs Portugalensem linguam intelligebat, Rex interpretis officio fungebatur, &, quod ab illis acceperat, (Iam enim nostram linguam probe tenebat) habita concione, suis enuntiabat. Egit Emmanuel præterea cum illo per litteras, vt filios suos in Lusitaniam mitteret. Se namque daturum operam, vt non Latinis tantum litteris, sed etiam maximarum artium disciplinis, erudirentur. Ita factum est, vt non solum Regis filij, sed multi pueri nobiles, Olysipponem venirent, & Emmanuelis sumptibus alerentur, & omnes artes homine libero dignas acciperent. E quibus aliqui, qui se se sanctis litteris impẽse dediderant, in Aethiopiam reuersi, multos mortales ad CHRISTI Ecclesiam, & concionibus, & virtutis exemplis, aggregarunt. Opera denique Emmanuelis hoc tam præclarum opus absolutum fuit. Hoc anno, cum nullo modo studium Indię retinendæ intermittendum arbitraretur, classem magnam instruxit, cui præfecit Lupum Suarium Aluarengam. Quid vero ab illo actum in India fuerit, suo loco dicemus. Nunc vero consequens est, vt, quid Albuquercijs acciderit, aperiamus. Alfonsus Albuquercius, octo diebus antequam Frãciscus Albuquercius soluere posset, Olysippone profectus est. Franciscus tamen prius in Indiam peruenit, atque cum duabus tantum nauibus in Anchediuam insulam delatus est. Nicolaus coelius, cui altera nauis erat attributa, simul cum illo, ad eandem insulam nauem constituit. Tertius Dux, cui nomen erat Petrus Vascius Veiga, vel fluctibus, vel flãmis, vel quouis alio casu, (certum enim sciri non potuit) miserabiliter absumptus fuit. Ibi vero Albuquercius, cum Petrum Ataideum, & reliquos Duces, qui cum illo erant, offendisset, intellexit, quo modo Soderij perierant, & Cochimẽsis Rex e Regno Calecutiensis viribus eiectus fuerat. Hoc autem cum accepisset, minime cunctandum ratus, quamuis adhuc hiems vigeret, Cananorem cum illis sex nauibus petere contendit. Quattuor enim illas, quæ in Anchediuæ portu cõsistebant, duabus suis adiunxit. Rex Cananoris illi Trimũparæ aduersum casum, & nimis afflictam fortunam vberius enarrauit. Inde igitur cum celeritate profectus, in insulam, quæ Cochimo adiacet, nomine Vaipinum, vbi adhuc Trimumpara se continebat, accessit. Nostri, cum naues adspicerent, incredibili lætitia affecti sunt. Rex ipse contineri non potuit, quin Portugaliam sæpe maximis vocibus inclamaret, & in Ducum complexum rueret. Nostri vicissim illum ad spem pristinæ fortunæ confestim recuperandæ magnis clamoribus excitarũt. Naires Calecutienses, qui erant Cochimi in præsidijs, continuo vrbem præ metu reliquere. Iam hoc tempore Odoardus Paciecus, qui cum Alfonso Albuquercio Olysippone profectus erat, nauem suam ad eas oras appulerat, & se cum Francisco Albuquercio coniunxerat. Franciscus Albuquercius, vbi Regis fidem collaudauit, eiq. Emmanuelis nomine gratias egit, cum

Caritas Concẽsium erga Christianos insignis.

Rex, interpretis, & ca-

techistæ munere fungitur.

Regis, & procerum liberi, in Lusitania educati.

Res Indicæ.

De Albuquerciorũ in India rebus gestis.

Petri Vascij Veigæ interitus.

Vaipinum insula. Cochimensis erga Lusitanos amor.

Odoardus Paciecus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Munera Cochimensi Regi data.

cum videret illum exhaustum,& rei nũmariæ difficultate vehementer implicitum, præter alia dona,atque munera,decem millia ducatorum ex Emmanuelis pecunia donauit.Fuit hoc donum, non modo, propter temporis illius angustias,Trimumparæ gratissimum,verum & omnibus magnam admirationem incussit.Reges enim Indi,quamuis elati,& insolentes natura sint, & opes magnas habeant, tenuissimo tamen victu contenti, & ad rem nimis attenti sunt.Cum igitur illius rei fama cum ad alios Reges, tum ad Calecutiensem perlata fuisset, obstupuit. Eo die Albuquercius (nihil enim in tantis rebus procrastinandum existimabat) Triumparam Cochimum transduxit, & illum Regis Emmanuelis nomine in vrbis, atque Regni possessione constituit: &, ne suos otio torpere, & animos hostium confirmare sineret, in aliam insulã Cochimo oppositam,cuius princeps a Cochimẽ se ad Calecutiensem defecerat, inuasit, hostesq. inopinantes aggressus dissipauit, multosq. ex illis occidit, & aliquot opida, atque vicos exussit; & Cochimum continuo reuersus est. Postera die in aliam insulam traiecit, quæ similiter ad ditionem Trimumparæ pertinebat,illiusq.Princeps se eodem crimine defectionis alligarat.At Princeps habebat in armis ad tria millia fortium militum; & multi parones Calecutienses,armis, & militibus instructi,vt illi opem afferrent, circum insulam versabantur. Hic Albuquercius ita duces distribuit, vt Paciecus cum paronibus in mari congrederetur.Coelius vero,& Antonius Cãpensis,& Ataideus,in acie prima, cum hostiũ copijs dimicarent. Paciecus hostium classem inuasit,paronesq. partim depressit,partim in fugam coniecit,multosq. ex hostibus & ferro, & flamma consumpsit.Reliqui duces, in insula,primo impetu, hostes fundunt, & vallum, quo Principis ædes sæptæ fuerant, reuellunt, & in ædes irrumpunt, ipsumq. Principem interficiunt, & ædes inflammant: eodemq. die parta victoria reuertuntur.Postridie vero ad aliam insulam,nomine Repelinum, Albuquercius naues accedere iussit.Illius Princeps idẽ in se scelus admiserat. Timore igitur admonitus,ne idem cum reliquis proditoribus supplicium subiret,magna vi se ad resistendum comparabat:Nairumq, duo millia sub signis habebat.Ad litus igitur, vt nostros aditu prohiberent,accessit. Fuit ibi acriter vtrimque dimicatum.Sed hostes tandem in fuga salutem ponere coacti sunt. Nostri illos vsque ad maximum insulæ opidum insecuti fuerunt.Ibi cum insulæ Princeps rem in extremum discrimen inductam cerneret,suos a fuga collegit;instructaq. rursus,vt potuit, acie, fortissime repugnauit. Redintegrato prœlio, fuit vtrimque summa contentione certatum: sed hostes in fugam versi tandem sunt. Nostri,cum multos occidissent, & reliquos ex insula præcipites

Triumpara, in Regnũ restitutus.

Pugna cum Calecutiensibus.

Lusitanorum victoria. Repelinum insula.

Repelinẽses victi.

eiecissent, insulam diripiendam Triumparæ militibus cõcessere.Hoc facto,opida,atque pagi Albuquercij iussu,incensi,& exusti sunt.His rebus gestis,Albuquercius Regem, iam lætissimo rerum successu recreatum, adijt, ab illoq. petijt, vt faceret sibi potestatẽ arcis ædificandæ, qua & Lusitani possent pericula ab hostibus intenta propulsare, & statum ipsius Regis multo facilius a Calecutiensis immanitate tueri. Rex id facillime concessit, dixitque, quod viueret, & dignitatem recuperaret, & contra hostis improbissimi conatum muniretur,id totũ sibi esse,& illi, & Regi clarissimo,& Lusitanorum virtuti,in acceptis referẽdum.Proinde,si illi videretur, arcis illius ædificationem ex re Emmanuelis Regis esse, velle se sumptum omnẽ suppeditare. Itaque locus ad eam delectus fuit valde opportunus. Erat enim editus,& maris illius angustijs imminebat,e quibus,quoties Calecutij Rex bellum nauibus inferre conaretur, nostri illũ facile aditu prohiberent. XXVII.die Septẽbris anno MDIII. arcis fundamenta iacta sunt. Magnaq. hominum multitudo, Regis iussu, operas perpetuo nauabat. Neque Lusitani quidẽ se se a labore,vllius, vel nobilitatis, vel ætatis excusatione defendebant,quamuis eos Rex ab opere auertere conaretur. Quattridũm iam fuerat in arce ædificanda consumptũm, cum Alfonsus Albuquercius Cochimũ peruenit.Multiplicatis igitur operis, arx ad summum peruenit, & absoluta tandem fuit. Deinde,re prius deliberata, Albuquercius,cũ reliquis ducibus,& aliquot Triumparæ militibus,in opida, quæ ad Repelinensem Dynastã pertinebant,(qui,vt dictum est, a Triumpara rebellarat)se contulit. Ea vero viginti passũ millibus Cochimo distabant,erantq. a fluminis ripis, quod in æstuarium influit, non magno interuallo disiuncta. Nostri igitur, scaphis,& paruis nauigijs egressi, improuiso hostes adoriuntur.Multos interimunt, reliquos fundunt,fugantque,& vastitatem, & populationem eorum rebus inferunt. Huius stragis fama celeriter ad omnes vicinos peruenit. Rem namque esse in magno discrimine,sublato clamore significant. Qui clamorem excipiunt,rursus,vt alios ad auxiliũ excitent, eadem significatione clamoris vtuntur:& sic fit, vt,partim nuntijs ad eam rem missis, partim clamoris successione continuata,intra breue tempus magnæ militum copiæ congregari soleant.Tunc igitur supra sex millia eorũ, quos Naires appellant, ad auxilium suis afferendũ repente prouolarunt, & in nostros impetum fecerunt.Nostri, ordine instructi,cedere paulatim incipiunt. Illi tamen nimis ferociter instabant, & nostros grauissime premebant; neque solum telis,& iaculis eminus, sed strictis etiam gladijs dimicabant. Quod si per ordinem,quo Lusitani erant instructi, non stetisset,magna tunc clades accepta fuisset. Sed,cũ nauti-

Arx Cochimi, quando, & a quo condita.

Arcis situs.

Impetus in Repelinẽses.

Noua nuntij mittendi, & milites cuocandi ratio.

Paciecĩ periculum.

nauigia non procul abessent, & a nostris nullus tumultus excitaretur,omnes se,magno tamẽ cum labore,& vitæ discrimine,in scaphas, & nauigia receperunt. Odoardus tamen Paciecus, cum scapham suam (suorum namque temeritate a loco deducta fuerat)minime reperisset, magnum periculum adijt. Hostium namque multitudo illum circumstetit,vt, antequam subsidium afferri posset, opprimeret. Ille tamen,cum esset acer,& strenuus, eorum tantisper impetum insita virtute repressit, dum Albuquercij,periculo, in quo is versabatur,animaduerso, subsidio occurrerent. Itaque omnes recepti,se Cochimum contulerũt. Fuere in prœlio octõ tantum vulnerati,nemo autem occisus.Ex hostibus magna multitudo cecidit:septẽ parones in fluuio capti,& quindecim incẽsi sunt.Insequenti nocte,(nec enim ardor animorum,qui in Ducibus inerat, militibus vllam quietis facultatem dabat)vt alios pagos Dynastæ Repelinensis euerterent, in scaphas,atque nauigia conscenderunt.Alfonsus Albuquercius reliquos antecedebat. At hostes in armis excubabant.Itaque conferti, summa contentione resistunt:duos occidunt, viginti conuulnerant.Alfonsus Albuquercius inopinato casu distinetur, neque, quo modo tantæ multitudini resistat, neque quo pacto retrocedat, rationem inire potest. Quod tamen erat viri fortis officium,acriter dimicãdum statuit,vsque eo,dum reliqui Duces opẽ afferrent. Sic ad primam lucem impetum hostium sustinuit. At Franciscus Albuquercius, cum ceteris Ducibus,se se e scaphis eiecit, & incredibili celeritate ad locum,in quo pugna committi cœperat,se contulit.Illorum aduentu nostris animus additus fuit,& hostes in fugam coniecti,magnaq. eorum pars ferro concisa,& pagi flammis exusti. Eodem die aliam insulam, nomine Cambalam, aggressi sunt, vbi supra septingentos homines interfecerunt.Neque ijs rebus cõtenti, in terras alias, ad ditionem Calecutiensis Regis pertinẽtes, ingressi, hominum stragem ediderunt, & populationem maximam intulerũt.Sed,cum supra sex millia hominum ad eorum impetum reprimendum conuenirent,ægre repulsi sunt. Odoardus interim Paciecus triginta & quatuor parones Calecutiensis Regis, qui aditũ in portum Cochimi mercatoribus intercludebant,superauit,& fugere compulit.Post has calamitates hostibus illatas, cũ mercatores Cochimum piper, & alia aromata in Cochimensem portum conuchere non auderent,visum est Alfonso Albuquercio Coulamum petere,vt ibi tres naues oneraret. Ciuitas erat, omnium,priscis temporibus,in regionibus illis,& amplissima,& opulentissima. Sed,postquam Calecutium a mercatoribus frequentari,& opibus augeri cepit, magna Coulamẽ fis imperij inclinatio facta est.Cochimo abest circiter quadraginta & octo passuum millia: ad ortum Solis spectat. Nauigatio est tutissima secundum fluuium,nisi cum,propter fluminis angustias, insidiæ ab hostibus ab vtraque parte in ripis collocantur. Flumen enim est valde profundum: cum marinis enim aquis, quas accedens æstus inducit,cõmiscetur.portus est optimus. Aedes, fana, religio, mores,instituta sunt eadem ferme, quæ apud reliquos Malabares fuisse diximus. Gens est assueta prœlijs: continenter enim bellum cum Rege Narsingæ gerit. Quamuis enim Narsingæ Regnum maxima ex parte latus Indiæ, quod spectat ad orientem Solem,occupet, cũ tamen latissimum sit, ad confinia Solis occidentis extenditur. Rex maximam temporis partem in vrbibus mediterraneis consumit. Coulamum vero regendum hominibus committit,quos fide præstantes esse iudicat. Regio a Christianis illis etiam colitur, qui Thomæ disciplinam acceperunt,&, in tanta temporum varietate, & regnorum commutatione,& aduersis rerum incidentium casibus, inuicta semper fide, & constantia retinuerunt. Est in ea vrbe templum peruetustum, quod Christiani perhibent fuisse a Thoma ædificatum.Apostoli autem corpus est in ora Regni Narsingensis sepultum,in templo,quod non a Christianis tantum,sed etiam a Saracenis, & reliquis gentibus sanctissimum habetur. Fama namque constans est, viri illius Diuini meritis multa miracula Diuinitus edi.& complures,qui opẽ illius vel in grauissimis morbis, vel in rebus afflictis,implorabant,mirabiliter alleuatos, & maximis malis liberatos exstitisse.Eo tempore, quo Alfonsus Albuquercius in eam vrbem nauigauit, mulier quædam vidua Regnum,nomine filij,qui nondum ætatẽ maturam ad regendũ habebat, non segniter administrabat.Fuit a ciuitatis principibus, qui nomine Reginæ omnia,quæcumque vellet, se facturos ostendebant, valde honorifice receptus.Itaque,oneratis ex sententia nauibus,& amicitiæ fœdere percusso,& traditis Regiæ fidei Lusitanis,qui erant gerendi negotij caussa,Regis Emmanuelis nomine, in ea vrbe relinquendi,Cochimum reuersus est. Dum hæc geruntur,Calecutij Rex,animaduertens, in quam fraudem fuisset, Arabum cohortationibus,impulsus, magno silentio, ne Arabes fœdus perturbarent, pacem cum Lusitanis facere constituit.Ad quam celerius constituendã, Naubeadarimi,quem,vt dictum est, animi inclinatione in Lusitanum nomen egregie propendere constabat,assiduè cohortationes impellebãt. Condiciones fœderis hę fuerunt:Vt omnes classes, quæ erant in mare,belli cũ Lusitanis,aut cum illorum amicis,gerendi caussa,deductæ, continuo subducerentur. Vt omnia bona Regis Emmanuelis, quæ tempore, quo Arius Correa fuerat interfectus,Arabes, & reliqui eorum socij diripuerant,restituerẽtur.Et pro illis Calecutij Rex certum piperis pon-

Narsingę Regnum.

Christianorum D.Thomæ disciplinis imbutorũ constantia.

Templum a D.Thoma ędificatum.

D. Tho. corpus vbi sit, & quanti fiat.

Fœdus cum Coulamensi Rege.

Pax cum Calecutẽsi inita, eiusque leges.

Alfonsus Albuquercius discrimẽ fortiter propellit.

Cambalæ insula.

Lusitanorum præclaræ victoriæ.

Coulamũ ciuitas eius descriptio, & gẽtis mores.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pondus intra tempus assignatum persolueret. Ne Saracenis, qui Calecutij negotiabantur, facultatem tribueret in Arabiam nauigandi. Flagitabat præterea Franciscus Albuquercius, vt Mediolanenses, qui ad Calecutij Regem transfugerant, illi redderentur. Id solum Rex pernegauit. Turpissimum namque sibi fore iudicabat, si homines semel in fidem receptos proderet: reliqua omnia concessit. His ita constitutis, Naubeadarimus Cranganorem petijt, vt ibi bonam piperis partē appendi, atque Pacieco, qui eo, iussu Francisci Albuquercij, ad eam rem venerat, assignari iuberet. Accidit interim, cum iam bonam piperis partem Paciecus nauibus imponi iussisset, vt nauigium, pipere onustum, quod Calecutiēsis Regis erat, Cranganorē versus nauigaret. Id cum ad Iacobum Fernandum Corream perlatum esset, Albuquercij iniussu, misit, qui nauigium caperet, & Cochimum perduceret. Illi, qui erant in nauigio, cum se captos animaduertunt, indignum facinus esse, clamitant. Pacem intet Regem Portugaliæ, & Regem Calecutij esse iam sollemni fœdere cōstitutam. Et tamen, post factam pacem, Calecutiensis Regis ministros, atque famulos, per vim a Portugalensibus capi, & piper Regium diripi. Præterea, piper illud Cranganorem cōuehi, vt Portugalensibus traderetur, & Rex Calecutij citius fidem suam liberaret. Ne vellent igitur, quod erant sine cuiusquam iniuria confestim accepturi, cum tanta Regis offensione, per vim e Regiorum manibus extorquere. At Correa nihilominus in instituta iniuria fortissime perseuerat, nauigiumq. oppugnat: Naires sex occisi sunt, & multi præterea vulnerati. Ex nostris vero non pauci vulneribus acceptis e prœlio discesserunt, ita, vt non magnum piperis illius pondus, quod per vim, & iniuriam direptum fuit, multorum sanguine constaret. Id vbi Naubeadarimus resciuit, a Francisco Albuquercio postulauit, vt Regi satisfaceret. Fœdus enim violatum fuisse, Regisq. animum grauiter offensum, materiamq. datam hominibus, qui pacem hanc turbare cupiebant, ad bellum acerbissimum temere concitandum. Præterea, turpissimum fore Lusitanis, si scelus, quod in alijs vindicare conabantur, in se ipsos admitterent. Iure.n. visi fuerant Regi Calecutiensi bellum mouere, quod noluisset in eos, qui facinus illud in cæde Arij Corræ, & in opum Regiarum direptione cōcierant, animaduertere, & Emmanueli Regi satisfacere: cur igitur idem facinus a suis susceptum inultum esse pateretur? Cur non aliquam Regi Calecutiensi satisfactionem daret, qua illius animus tā atroci iniuria stimulatus placari posset? Regem esse natura mutabilem, & iracundum, & Saracenis obnoxium, ita, vt, eorum sermonibus inductus, cum a nostris nullam iniuriam accepisset, eas tamen illis clades, quas acceperant, intulisset. Quid igitur facturū existimaret, postquam is iure bellum suscipere videretur? Hæc, & alia multa cū Naubeadarimus in eandem sententiam reperiret, Franciscus Albuquercius postulata illius contempsit. Quo quidem crimine vel sceleris, si neglexit fidem, vel timiditatis, si non ausus est coercere hominis væsani temeritatem, laudes, quas fuerat adeptus, obscurauit. Rex Calecutij, ira grauissima cōmotus, classem rursus instruere, & delectum habere instituit, vt mari, atque terra bellum Cochimensi Regi, atque Lusitanis, inferret. Vbi id Triumpara compertum habuit, a Francisco Albuquercio enixe postulauit, vt ea sibi præsidia relinqueret, quibus posset Calecutiensis impetus ab illius Regni finibus propulsari. Indignissimum namque fore, se, cum propter Lusitani nominis studium tam graui bello, quantum erat illud futurum, premeretur, Lusitanorum ope destitui. Id Albuquercius se facturū pollicetur. Sed id minime, vt par erat, præstitit. Vnam.n. tantum nauem, cū duabus caruelis, quarum formam iam supra descripsimus, & aliud parunm nauigium illi cum centum Lusitanis reliquit. Erant apud eum præterea alij quinquaginta Lusitani, ita, vt centum & quinquaginta tantum Lusitani ad tanti belli molem sustinendam eo in loco remanerent. His omnibus præfectus erat Odoardus Paciecus, qui summa voluntate prouinciam illam suscepit, vt vitā, si ita opus esset, pro Christi gloria, & Regis Emmanuelis dignitate, profunderet. Interim venit Alfonsus Albuquercius Coulamo. Albuquercij igitur, Cochimo profecti, Cananorem peruenere, quo in loco cognouit Alfōsus e litteris Raphaelis Ceineli, qui apud Naubeadarimum piperis accipiendi gratia remanserat, maximum bellum comparari. Idem etiam Coiebiquius, cuius iā antea mentionem fecimus, qui plurimum Lusianis faucbat, litteris ad Albuquercios missis, indicauit. Inde, cum oram Calecutij legerent, ad Regem miserunt, qui Lusitanos, quos apud se retinebat, missos faceret: quod postulatum ille reiecit. Inde igitur digressi, iter in Portugaliā susceperc. Alfonsus Albuquercius Olysipponem peruenit xvii. die mensis Iulii, anno a Christo nato MDIV. Franciscus vero Albuquercius, & Nicolaus Coelius, quo modo perierint, incertum est. Numquam enim comparuerunt; nec vllus euasit, qui posset illorum interitum nuntiare. Petrus Ataideus, fracta in vadis naui, in terram euasit: in qua nauigium nactus, cum Lusitanorū parte, qui erant in eadem naue, Mozambiquem se contulit, vbi mortuus est. Alia vero pars se Melindem recepit. Per idem ferme tempus, quo hęc acciderunt, Dux alius, nomine Antonius Saldagna, variis tempestatibus iactatus fuit. Missus autem fuerat ab Emmanuele, post Albuquerciorum Olysippone discessum, cum tribus nauibus, vt mare, quod vltimo Aethiopię promon-

Pax, a Fernādo Correa violata.

Naubeadarimi, pro pace resarcienda, ad Franciscū Albuquercium exhortatio.

Francisci Albuquercij fa cinus inhonestum.

Albuquercij perfidia.

Odoardi Paciecī exiguū præsidium, & virtus.

Bellum Calecutien e contra Lusitanos & Cochimēsem.

Alfonsi Albuquercij in Lusitaniā reditus.

Francisci interitus.

Antonij Saldagnæ casus.

promontorio, Guardafu nuncupato, & Arabico sinu continetur, armis infestum redderet. Vnus ex Ducibus, qui sub illo erant, cui nomē erat Iacobus Fernandus Pereira, vi tempestatis a reliquis nauibus segregatus, nauem suā Melindem appulit. Inde Zacatoram, Insulam antea nostris incognitam, non ita lato mari ab introitu sinus Arabici disiunctam, petijt, in qua hiemare constituit. At Saldagna, gubernatoris imperitia, cursum non tenuit, & in insulam, quam appellant S. Thomæ, æquinoctiali circulo subiectam, peruenit. Postquam vero inde digressi sunt, alia coorta tempestate, factum est, vt alter ex Ducibus, Rodericus Laurentius Rauascus, ab illius conspectu distraheretur. Saldagna vero, cum promontorium Bonæ spei superare conaretur fuit, ciusdē gubernatoris inscitia, qui iam se promontoriū flexisse credebat, in sinū delatus, in quo aquationē fecit. Cui loco deinde fuit nomen, Aquatio Saldagnæ. At Rauascus, cum multo citius promontorium flexisset, Mozambiquem versus nauigauit: inde vero Quiloam petijt, vbi viginti dies Saldagnam exspectauit. Quem cum diutius opinione sua morari cerneret, in insulam, Zanzibarem nomine, cuius iam antea mentio facta est, nauigauit. Abest autem hæc insula Mombaza ad occidentem Solem octoginta passuum millia. Inter hāc insulam, & continentem, fretum interiectum est adeo angustum, vt nauis nulla eo transire possit, quæ non simul & ab insula, & a continente facillime cernatur. Circum eam insulam Rauascus duos menses peragrauit, vbi supra vigiti naues Zamzibarensium, diuersis temporibus, multis rebus onustas cepit; &, pretio in singulas constituto, eas dominis restituit. Attulit hoc hominis flagitium grauissimam teris illis offensionem, multorumq. animos a nostris alienauit. Erat enim nostris cum insulæ illius incolis amicitia. Insulæ princeps misit ad Rauascum, qui diceret, se vehementer admirari, quo iure Dux Lusitanus, a qua gente audierat fidem sancte coli, in res insulę illius, Lusitanis addictæ, tam ferociter inuasisset. Secetera, quæ abstulerat, non iam curare. Arma saltem, & tormenta, quæ erāt in nauibus, redderet, & reliqua sibi reseruaret. At Rauascus nō modo æquissimo postulato satisfacere noluit, sed responsum nimis asperum, & contumelioſum dedit. Hac iniuria princeps irritatus, aliquot paruos parones instruxit, qui in Rauascum inuaderent. At Gomezius Carrascus, eiusdem nauis scriba, & miles alius, nomine Laurentius Phæus, Ducis iussu, priusquam parones comparari, & egredi possent, (nauis enim appropinquare terræ non poterat) in scapham tormentis, & armis instructam repente desiliūt, & in parones inuehūtur. Quatuor autem capiunt, reliquos in fugam coniciunt: aliquot homines occidunt, inter quos fuit vnus eiusdem Principis filius. Princeps, cum cerneret, se ius suum neque legitima disceptatione, neque armis obtinere potuisse, ne malum illud ad totius insulæ pernicię emanaret, quamuis esset & incommodis affectus, & filio orbatus, pacem tamen cum Rauasco constituit, ea condicione, vt certum pondus auri quotannis, tributi nomine, Regi Emmanueli persolueret. Pace ad hunc modum constituta, Rauascus Melindem petijt. Erat autē acre bellum tunc temporis inter Melindum Regem, & Regem Mombazæ concitatum. Rauascus, vt Mombazam perterreret, nauem suam in Mombazæ portu constituit: ibi duas onerarias naues, & tria nauigia minora pugnando cepit. Intes eos, qui fuerant in nauibus capti, erant Arabes duodecim, viri & opibus, & dignitate ciuitatis suæ Principes. Ciuitas appellabatur Braua: aberat autem Mombaza quadringentis millibus passuum. Ij aliā nauem nauem exspectabant, multis magni pretij mercibus onustam. Cum autem se pecunia redemisent, ciuitatem suam dediderunt, fidemq. suā obstrinxerunt, fore se, & reliquos ciues Brauenses semper in Regis Emmanuelis potestate. Illis similiter Rauascus, quod sibi visum est aurum, quod singulis annis Emmanueli soluerent, imperauit. Fœdere percusso, nauis, quam exspectabant, interuenit. Quā Rauascus non attigit, nec, vt ab aliquo alio fœderatis iniuria fieret, permisit. Interim Saldagna, cum tribus nauibus, quas in illo cursu ceperat, Mombazæ portum subiit. Rex, cum iam classis specie intueretur, veritus, ne graue aliquod incōmodum Lusitanorum armis acciperet, pacem cum Melindio fecit. Saldagna vero inde in Indiam nauigauit, & insulis Canacaniæ, & Anchedinæ classem applicuit: quid autem ab illo gestum fuerit, suo loco dicemus. Hoc anno MDIV. Octobris mense, Alfonsus, equitum Magister, Iacobi, Emmanuelis fratris, filius, de quo supra dictū est, in adolescentiæ flore, graui morbo oppressus, e vita migrauit, vnamq. tantum filiam, eximia pulchritudine, & singulari virtute feminam, reliquit, quæ postea Petro Villæregalis Principi, viro egregie forti, nupsit. Eodem ferme tempore Isabella, Castellę Regina, similiter e vita discessit, maximumq. sui desideriū cū multis lacrymis vniuersæ Hispaniæ reliquit. Fuit.n. illa mulier tam excelso animo, & tā singulari prudētia, tantisq. laudibus probitatis, & religionis ornata, vt merito videatur nomē illius sempiternę memoriæ cōsecrandū. Vltimo die Decembris, eiusdem anni, peperit Regina Maria filiam singulari pulchritudine. Fuit illi im positum nomen Auiæ Beatricis. Quæ postea Carolo, Allobrogum Duci, nupsit, vt postea dicetur. Hoc anno ingentes, & crebri terræmotus exstiterunt, ædes multæ corruerunt, terra multis in locis desedit, ingentesq. labes factæ sunt. Homines domicilia deserebant, & montes etiam attingere non audebant, metuentes

Zacotora, insula.

S. Tho. insula

Rodericus Laurentius Rauascus.

Aquatio Saldagnæ.

Zanzibar insula.

Zanzibarenses naues supra vigintica præ a Rauasco contra fœdus.

Rauasci iniquitas.

Pugna cum Zanzibarensibus naualis.

Pax Zanzibarensium cum Lusitanis.

Bellum inter Melindium, & Mombazē sem.

Braua ciuitas Lusitanis deditur.

Canacania insula.

Annus 1504.

Isabellæ Castellæ Reginæ mors.

Emmanuelis nata filia Beatrix.

Terræmotus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tes,ne vel domibus disiectis oppressi,vel montibus de sede conuulsis obruti, miserabiliter interirent. Campos, & planitiem sequebantur:in tabernaculis habitabant.Per idem ferme tempus Ioannes Menesius non indignum memoria facinus aggressus est. Est opidum Mauritaniæ clarum, nomine Larache, quod viginti millibus passuum Arzilia distat.Flumine autem Zilia,quod in Oceanum influit, alluitur. Ceperant autem Mauri; quinque naues Portugalenses,quæ tũc in Larachensi portu consistebant. Id cum Menesius resciuisset, indigne admodum tulit, & in portum inuehi cogitauit,vt naues abduceret. Erat autem in ipsius fluminis ostio turris,natura, & arte, & armis, atque tormentis egregie munita, in qua milites per vices excubabant. Erat autẽ is receptus piratis omnibus, qui ex ea Mauritaniæ parte quotannis, vt prædas agerent, egrediebantur. Menesius secum excogitat, quo modo sine periculo,quod a turri immine re videbatur,in eiusdem opidi portum, & stationem intraret.Id cum iam secum animo deliberatum,& constitutum haberet,accidit, vt die quadam quinque biremes, & vnam triremem conspiceret,quę occidentem Solem versus nauigabant. Qua re animaduersa,speculatores,partim terra,partim mari cõtinuo misit,qui earum cursum diligenter explorarent. Renuntiant illi omnes, in Larachis portum inuectas, in terramq. subductas fuisse, ita tamen, vt triremis non procul ab aqua consisteret .Cum id cõpertum haberet,quattuor Caraelas instrui cõfestim iubet,& milites,quos ad eam rem alacrius gerendam aptos cognouerat,accersiuit,&,anchoris de nocte solutis, Laraché petijt, & classem ante fluminis ostiũ prima luce constituit. Accurrunt Mauri, ignẽ tormentis applicant,& globos ingentes emittunt, summaq. vi contendunt, vt aditum nostris intercludant.Menesius vero æstus opportunitatẽ exspectabat; quem vbi vehementius incitari sensit,latera nauis vnius culcitris laneis, & saccis, quos lana diligenter inferciri iusserat,fulcienda, & molibus obstruenda curauit,& turri opponi præcepit, vt tormentorum ictus exciperet.naues reliquæ huius præsidio tectæ portum subiere.Mauri interim sagittis,& iaculis,& plumbeis glandibus acerrime decertabant. At Menesius introrsus, illis frustra repugnantibus,cum integra classe penetrauit. Fluuius est,& aquarũ copia,& æstus accessione profundus, ita,vt nostri facillime possent ad illius ripas accedere.Quod cum factum esset, illi, quibus id imperatum fuerat, in terram desiliunt,&, vt coniectis facibus tremem incenderent, summa contentione pugnant.Mauri contra, vt incendium arceant, vndique prouolant.Fit atrox prælium,neque mediocri temporis spatio fuit vtrimque acerrime dimicatum.Tandem,cum multi ex hostibus caderent, multi etiam grauiter sauciati secederent,reliqui se in fugam dederũt, quos nostris longius insequi per Menesium licitum non fuit.Sed,quod erat illi propositum, triremem exurere confestim iubet. Quinque vero biremes, cum duabus nauibus longis, & vna ex nauibus Portugalensibus, (eas namque iã in terram subduxerant)a nostris in mare continuo deductæ fuerunt. Reliquæ tres Portugalenses naues deduci non potuerunt:& iccirco cum triremę similiter incensæ sunt.Hac re ex animi sententia gesta,Menesius,cum ingentẽ hostium multitudinem confluere vidisset,æstu secundo,(iam enim minui,& decedere incipiebat)se sine vllo incommodo recepit.In hoc autem prœlio vnum solum hominẽ desiderauit. Et,cum quattuor tantum ex Arzillę portu naues eduxisset,cum duodecim reuersus est.Exterruit hæc hominis alacritas,& audacia vehementer hostes,quod in intimo eorũ portu, in præsidijs firmissimis, & intra munitiones, quas ipsi tutissimas arbitrabantur,non dubitasset inuehi,& eorum naues incendere, tantamq. cum tam paucis nauibus,in opidũ munitissimum,pestem, & perniciem machinari. Nec eos tam solicitos habebat hominum cædes, atque nauium iactura,quantum facinoris editi magnitudo. Metuebant enim, ne, tam felicis audaciæ,parum,vt videbatur, consideratæ successu, nostri animos assumerent, quibus maiora facinora molirentur. Emmanuel vero, cum huius facti nuntium accepisset, maximo gaudio affectus fuit, Menesijque virtutem, & sagacitatem, & industriam debitis laudibus ornauit. At is, cum nullam bene gerendæ rei occasionem prætermittere voluisset, vt aliud non leuius incommodum hostibus afferret,excogitauit.Est mons, Farrobus nomine, quem minoris Atlantis partem esse suspicor, qui viginti passuum millibus Arzilia distat. Secundum illius radices amnis fluit, qui hieme tantis aquis augetur,vt vado transiri non possit. Hostes,ea re freti,secure in pagis, qui sunt in monte admodum frequentes,hiemabant,maximosq.armẽtorum, & pecudum greges alebant. At Menesius, in intimis ædibus, ne ea res in vulgus emanaret, duas quadratas lintres ædificari iubet. In quem vero vsum id fieret, nullus ex fabris, quorum fidei opus illud commiserat, suspicari potuit.Cuiuslibet autem lintris magnitudo tanta erat, quanta posset vnius validi iumenti tergo supportari.His perfectis, se tantisper continuit,dum noctem pluuijs,& tẽpestate turbidam videret.Eam nactus tempestatem,quam optabat,signũ excursionis propere faciendæ dari iubet.Admirantur omnes eo tempore classicum cani,quo, propter imbrium vim,omnis mentio belli necessario contice scit.Id tamen a sapiente Duce,& in bellis exercito,non temere fieri suspicantur. Armati conueniunt; eumq. sine vlla recusatione sequuntur.Nemo tamen, quid ille animo agitaret,

Res Africanæ.

Larache opidum.

Eruptio Io. Menesii in Larachenses

Stratagemata Io. Menesii.

Atrox cum Mauris prælium.

Mauroru nãues aliquot, partim captæ, partim incensæ.

Aliud Ioan. Menesii in Mauros stratagema.

Farrobus mons.

ret,aut quorsum tenderet,inquirebat. Erant autem illi,quos tunc secum eduxit,equites viginti supra ducentos,quibus, vbi commodum visum fuit,quid sui consilij esset,aperuit:quam facile res fieri posset,exposuit: quid ab omnibus fieri vellet, ostendit. Eos tamen, qui rem aggredi dubitarent,admonuit,vt domum redirent. Se namq. multo confidentius cũ paucis,iisq.fortissimis,quam cũ multis,omnia pericula metuentibus,quoduis facinus aggressurũ.Nemo tamen fuit ita sui decoris oblitus,vt domũ redire vellet. Vbi ad fluuiũ peruenere, qui tunc,super ripas effusus,multo maiorẽ telluris partẽ,quã suspicati fuerant, inundabat, lintres,quas iumenta portabant,in ripa deponi præcepit.Tũ vni e suis domesticis,qui Fernãdus Freitas appellabatur,imperauit,vt,extremitate cuiusdam funis mordicus apprehẽsa,fluuium nando traijceret,vsque eo, dũ modicæ terrę planitiem,quæ vltra aluei partem, qua fluuius maiore impetu ferebatur,in aquis eminebat,attingeret. Eo fune erat iã vna ex lintribus alligata. Ergo,postquã is,qui fluminis alueum transierat,in locum peruenit,& in de contrariam ripam superauit,lintrem ad se facillime traxit.Similiter cum funis alius,quo altera ex lintribus colligata fuerat,ex prima necteretur,minimo cũ negotio traducta fuit. Cum igitur vtraque fuisset vtrimque funibus valide retẽta,fiebat,vt,funibus altera ex parte laxatis,ex altera vero cõtentis,prout trãsmissionis illius vsus flagitabat,vt illæ vtro citroq. facile cõmearent. Equites ephippia detrahunt equis,eaq. lintribns imponunt,ipsiq. lintribus ita fluuium paullatim traijciunt, vt equos habenis deductos transnare compellerent. Vbi omnes in vlteriorem ripam euasernnt,equos rursus insternunt; quibus insidentes,Menesium, noctis illius silẽtio,per loca palustria,& lutulenta sequuntur,quamuis eos interdũ immodica pluuia tardaret, & aqua pectora equorum pertingeret.Menesius,qui regionis illius omnes amfractus nouerat,propePagos,quibus quamplurimum posset detrimẽtum inferre cogitabat,in loco collocandis insidijs aptissimo,copias suas continuit. Vbi diluxit,continuo montani in camporum planitiem descendunt; (erat enim iam tempestas sedata)alij,vt segetes suas inspicerent;alij, vt greges suos in pascua deducerent;alij postremo,vt venarentur.Menesius tamen nolebat e latebris exire, donec tanta hominum copia, in quantam ille inuadere cupiebat,in illius se conspectum daret. Sed accidit,vt duo venatores in insidias illius inciderent : quo factum est, vt fuerit illi necesse continuo prodire. In homines igitur inopinato ferocirer inuadit, multos capit, plures interimit, magnamque prædam facit, exercitumq. incolumem reduxit. Vbi ad fluuium ventum est,abacti greges primum fluuium nando traijcere compelluntur,deinde ipsi lintribus,eadem ratione, qua nocte fuerant transuecti, & multo etiam facilius, eundem fluuium transmiserunt, Arziliamque , cum aduesperascceret , ingressi sunt, cum magna eorum, qui relicti fuerant, admiratione. Fieri enim non posse crediderant, vt, in tam sæua tempestate, vel fluuium transire, vel , illo transmisso, hostium multitudinem armis exercitam euadere possent; maxime vero, cum regressus esset difficillimus, & posset facillime, recisis lintrium funibus, impediri. Interim, dum hæc in Lusitania, & Africa geruntur, Trimumpara in India, & Lusitani, qui cum illo erant, grauissimo bello premebantur. Rex enim Calecutij, vt supra dictum est, acerrime delectum habebat, classem maximam comparabat , antequam Albuquercij iter in Lusitaniam susciperent. Paciecus, ab illis digressus Cananore, Cochimum nauigauit. Rex, vbi tam exiguas copias sibi præsidio a nostris relictas animaduertit, & crebris nuntiis accepisset ,tantum esse exercitum hostium, quantus neque iusto quidem exercitu sustineri posset , & simul intelligeret, non solum mercatores Arabes , quorum opera res frumentaria in ciuitatem importari solebat, verum multos ciues de fuga cogitare, & non paucos etiam ad hostem deficere , salutem omnino desperauit. Accedebat, quod fieri non posse putabat , vt Paciecus cum tam paucis hominibus haberet in animo , belli fortunam experiri : cum magis temeritati, & amentiæ, quam virtuti merito videretur esse studium illius, si vellet in re perdita armis frustra contendere , tribuendum . In eam tandem opinionem venit, vt existimaret,sibi data verba a Francisco Albuquercio fuisse.Quo modo enim, si fuisset vere, & ex animo auxilium pollicitus, non firmiora præsidia reliquisset, cum posset? Itaque se delusum existimauit, & hoc sibi fuisse præmium pro tam singulari fide, & constantia persolutum. His curis anxius, ad Paciecum adiit, &, flens, Deos obtestans, illum precatus est, vt mentem suam aperiret. Ita se de Lusitanis esse meritum, vt, si fuisset ab illis in fraudem impulsus , iure de illorum iniuria conqueri perpetuo posset . Iam non , inquit , auxilium in re deplorata flagito ; sed, ne mihi illudas, id a te contendo. Si enim opis tuæ spem mihi omnino præcideris , aliquid excogitabo, quo non funditus inteream. Si vero,falsa spe delenitus, mihi ,dum tempus est, minime prospexero,sublata salutis occasione, frustra ærumnas meas postea lamentabor. Non autem adducar, vt credam, te ab Albuquerciis, vt mihi auxilio esses, sed vt rem Emmanuelis gereres, in India relictum. Quo modo enim tibi, ex tam multis nauibus, ex tanta militum copia,tres tantum perexiguas naues,& eas aliqua ex parte laborantes,cum tam paucis hominibus , attribuissent , si me

Res Indicæ.

Rex Cochimẽsis ob multitudinem de salute desperat.

Cochimensis Regis ad Paciecũ oratio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

conseruatum vellent? Si, vt hinc Coulamum, aut Cananorem te recipias, cum me belli mole vehementer afflictum perspexeris, satis est, in tanta nauium, & militum paucitate, præsidij. Si, vt impetum Regis potentissimi a Regni mei finibus arceas, illorum sapientiam requiro. Quare te per DEVM, quem colis, oro, & obtestor, ne me deludi sinas; &, an sis mihi opem in rebus afflictis allaturus, an hinc, vt impendentem calamitatem effugias, migraturus, enunties. Hac oratione Paciecus iracundia vehementer exarsit, & cum Rege de tam insigni conuicio sibi facto nimis acriter expostulauit. Erat enim oratio hominis de illius fide dubitantis, qua nullam maiorem contumeliam nomini honesti hominis inuri posse confirmabat. Sibi vero semper fuisse fidem vita cariorem. De Albuquercijs non erat, cur queri posset. Eas enim copias reliquisse, quas satis esse viderant, ad Regis scelerati, & insani elationem coercendam. Non enim multitudinis inconditæ temeritate, sed paucorum vigilantia, & consilio, victoriam contineri. Prærerea, aditum in Cochimi Regnum a Calecutij finibus fluuio, & æstuario disclusum, esse perangustum, & eiusmodi, vt a paucis posset contra infinitam hostium multitudinem custodiri. Postremo, tantum esse CHRISTI optimi maximi numen, vt nutu, cum vellet, omnes hostiles copias profligaret. Nec enim humanis opibus posse Diuinas impediri. Se vero pro certo habere, auxilium Diuinum sibi minime defuturum. Iccirco bono animo esset. Se namque paratum esse, pro illius statu, & dignitate vsque ad extremum vitæ spiritum decertare. De belli vero exitu, se firma spe teneri, fore, vt Calecutij Rex non modo victus, sed etiam catenis alligatus, breni in Portugaliam duceretur. Hac oratione Regis animum demissum erexit, atque ad spem salutis excitauit. Ab eo autem digressus, eos Arabas, qui opibus, & auctoritate inter reliquos excellebant, accersiri iussit, & admonuit, ne metu aliquo turbarentur, ne ve loci illius, in quo tam commode ad illum diem vixerant, deserendi consilia susciperent. Multas deinde rationes attulit, quibus persuadere conatus est, non esse illis vllo modo de victoria desperandum. Postremo, nimis atrociter illis minitari cœpit, qui vel perfidia a Trimumpara descisceret, vel ignauia fugam pararent. Id se publice testificatum esse velle, flagitium eorum, qui ab ea vrbe demigrare conarentur, minime impunitum fore. Ne suspicaretur autem quisquam, illum posse falli. Esse namque sibi vigilandum, & omnibus hominum conatibus occurrendum, & ijs custodijs exitus omnes tenendos, ne quisquam posset vel mari, vel terra manus illius effugere. Qui igitur vitam caram haberet, se domi contineret, & consilia plena dedecoris, & infamiæ detestaretur. Secus enim, pro certo haberet, esse sibi vitam cum acerbissimo supplicio deserendam. Hanc autem vltimam orationis partem, qua minas proponebat, voce adeo contenta, & atroci pronuntiauit, vt omnibus ingẽtem metum iniiceret. Ardebant enim oculi, & facies inflammari vi debatur, & e vultu species quæda furoris eminebat. Illi respondent, se in officio futuros, ne que passuros vllo modo, vt Rex de illorũ perfidia conqueri posset. Factum est deinde, vt omnes, qui de vrbe deserenda cõsilia frequenter inibant, illa partim voluntate, partim metu deponerent. Paciecus interim secundum fluuium discurrebat, vigilias disponebat, omnes exitus & mari, & terra, quibus custodijs poterat, vigilantissime sæpiebat, ne quisqua auderet abeundi cogitationem suscipere. Accidit autem, vt piscatores quattuor, quod illius iniussu piscari ausi fuissent, ad illum ducerentur. Ille, eam causam prætendens, quod fugere decreuissent, homines corripi vehementissime, & in insulam traduci, & suspendi, maxima voce iussit. Rex, vbi id resciuit, ab illo postulauit, vt miseris hominibus veniam tribueret. Ille vero dixit, se vehementer admirari Regis sapientis in tam atroci scelere vindicando negligentiam. Non esse Rempublicam in periculis dissolute gerẽdam, sed seuere, & acriter administrandã. Illorum hominum supplicio, sanciri disciplinam; venia vero, confirmari eorum, qui simititer abscedere vellent, audaciam. Se nullo modo passurum, vt, propter Regis inconsideratam clemẽtiam, dignitas illius, & Regni totius salus in discrimen veniret. Clãculum vero per fidelẽ nuntium Regi significauit, se homines minime vita priuaturũ, sed, vt, eo timore iniecto, reliquos in officio contineret, illis minis vsum fuisse. At illi, quibus necem se allaturum simulauit, in insulam traducti, nocte fuere rursus in vrbem reducti, & apud Regẽ diligenter occultati, ne posset quisquam suspicari, eos per simulationem tantum fuisse perterritos. Neque satis habebat Paciecus, si vrbem diligentissime tueretur, nisi etiam damna quamplurima hostibus inferret. Itaque fluuium sæpe trãsmisit, & in Repelini fines, & in alias finitimas terras inuasit. Multos vicos exussit, multos homines occidit, & incredibili celeritate multis in locis incautos oppressit. At Calecutij Rex celerius exercitũ eduxit, vt illius impetũ reprimeret; & Repelino appropinquauit. Interim litteris Roderici Reineli, qui Calecutij morbo grauissimo laborabat, (ex quo paullo post mortuus est) intellexit Paciecus, quantas copias Calecutiensis educeret. Hoc allato nuntio, Cochimi tumultuari cœptum est, & Arabum perfidia multi fuere ad defectionem sollicitati, qui tamen, metu Paciei, se, quamuis essent in timore perterriti, cõtinebant. Cochimensis autem regio versus Septem-

Paciecii responsum.

Paciecii vigilantia.

Paciecii seueritas in transfugas.

Paciecii minæ in trãsfugas.

Paciecii excursiones.

Cochimensis regionis situs

Septemtriones, quaerat hostis venturus, est frequentibus æstuarijs concisa, quæ insulas cõplures efficiunt. Non patet autem ab vna in alias hominum armatorum, multitudini facilis aditus, propterea quod neque freta peditibus transiri possunt, neque, propter frequentia vada, commode nauigari. Cum classe vero lato mari Cochimẽsem vrbem inuadere, etiã erat, propter ipsius portus aditum perangustum, valde difficile. Tentare autem vadum, quod Calecutiensis superauit, cum primum Trimumparam Regno expulit, admodum ei periculosum videbatur, eo quod meminerat, quantum damnum in eo loco acceperat, & multo se maius accepturum formidabat, si ad Regis Cochimensis præsidia auxilium Lusitanorum accederet. Est insula non longe a Repelino sita, Cambalamus nomine, quæ magis ad Orientem pertinet, cuius Principem diximus a Trimumpara defecisse. Ex ea insula & transmisio in Cochimensem regionem facilis, & vadum militibus non valde impeditum fore videbatur. Illuc igitur Calecutiensis cum classe, & exercitu se contulit, vt, expugnato vado, & copijs traductis, Cochimenses, & Lusitanos opprimeret. At Paciecus, vt illum trã situ prohiberet, omnes animi neruos intende re cogitabat. Vt tamen interim ostenderet, quantum Calecutij opes negligeret, vna nocte in Repelinum copias traiecit, &, opidum ingressus, hostes partim graui somno consopitos, partim semisomnes ferro concidit, & locum flammis exussit. Accurrunt multi milites, &, cum is re gesta receptui cecinisset, illum vestigijs insequuntur. Eorum impetus a nostris egregie sustinetur: itaque omnes, octo dumtaxat exceptis, qui saucij pediere, incolumes euaserunt. Cum vero Calecutiensis ad vadum accedere pararet, Paciecus hac ratione Lusitanos distribuit. In maiore naui viginti quinque reliquit, eisq. nauis Magistrum, nomine Iacobum Pereiram, præfecit. Erat autẽ nauis, armis, & tormentis, & bellicis munitionibus instructissima. Illis autem hoc munus assignauit, vt vrbem, & arcem ab hostium incursione defenderent. In arce vero triginta & nouem hominum præsidia disposuit, eosq. Iacobo Fernando, Correæ dicto, audientes esse iussit. In Caruelam autem viginti & sex homines ingredi iussit, eisq. Petrum Raphaelem Ducem constituit. Et, quia altera Caruela reficiebatur, illius loco duo parua nauigia instruxit, quorum vnum Iacobo Petreio cum viginti & tribus militibus comisit. Alterum sibi reseruauit, in quem viginti & duos homines imposuit: inter quos erat adolescens, nomine Simõ Andradius, qui iam eo tempore magna virtutis militaris documenta dederat. Itaque omnis exercitus, qui tribus illis nauigijs vehebatur, erat hominum vnius & septuaginta. Qui tamen, prius quãe terra discederent, omnes flagitiorum confessione, atque detestatione, de more sanctissimæ religionis, expiati sunt, & epulo cœlesti, quo sanctissimũ Iesu Christi corpus Christianæ nationi porrigitur, mirifice confirmati. Deinde omnes se Sacramento obligarunt, ne vllum in se dedecus admitterent, ne pedem vllo timore referrent, ne alij pro aliorum defensione mori recusarent, ne ve se capi permitterent, neque postremo fuga salutem peterent; sed aut honeste decumberent, aut victoriam domum cum honestate summa reportarent. His cohortationibus excitati, atque fiducia pleni, nauigia ingrediuntur: ab arce autem digressi, ad locum accedunt, in quo Rex eos in litore exspectabat. Qui, cum Paciecum tanta alacritate in hostes innumerabiles ire perspiceret, summa lętitia affectus fuit. Paullo tamen post, cum cerneret, omnem spem suam esse septuaginta hominibus innixam, conturbari, & afflictari cœpit. Accessit deinde misericordia, qua dolenter admodum ferebat, illos homines in pestem ante oculos positam ruere. Et, quo magis eos acres, & animosos, & nullum periculum recusantes, animaduertebat, eo magis miserandos existimabat. Indignum enim esse statuebat, tam excellentem virtutem tam funesto exitio consumi. Itaque cum multis lacrymis Paciecum orauit, vt ab incepto desisteret. Se namque de Regni defensione omnem spem prorsus abiecisse. Ne vellet igitur, morte sua, & aliorum Lusitanorum, quos ipse fraterne diligebat, impendentem cladem, quæ vitari non poterat, cumulare. Sibi iam ab illo egregie satisfactum esse. Cernebat enim, illos, neque morte quidem proposita, a fide, & officio deduci potuisse. Non minus igitur dolenter se talium hominum casum esse laturum, quam Regni iacturam. Paciecus, quamuis animo maximo fuisset, Regis oratione mollitus, vix lacrymas tenuit. Illum tamen bono animo esse iussit, & admonuit, ne oculos in perexiguam classem, nec in hominum paucitatem, sed in numen cæleste conijceret. Neque enim se viribus humanis confidentem, sed Diuinis tantum nixum, in hostes ire. Fore namque, vt CHRISTVS summi DEI filius, quem Christiani cæli atque terræ dominum confitentur, præsentiam suam in prælio declararet, & hostes potentiæ suæ nutu peruerteret. Quid deinde a Rege fieri vellet, exposuit. Rex eo tempore quinque tantum millia militum habebat. Reliqui enim, cum bellum comparari cernerent, ad hostem transfugerant. Ex his Pacieco quingentos assignauit, quorum Duces erant ij, Candagora, & Frangora, qui viri satis fortes habebantur, & duo præterea Dynastæ, Palurlensis, atque Darraulensis, quibus Rex imperauit, vt omnia, quæ Paciecus illis præscriberet, sine vlla recusatione conficerent. Cum his copiis profectus est Paciecus de nocte decimo sexto die Martij,

Cãbalamus insula.

Opidum Repelinense cõbustum.

Lusitani exercitus partitio.

Exercitus Lusitanorũ 71. hominibus constans.

Dissuadet Rex Lusitanis bellũ Calecutiense.

Oratio fiduciæ Christianæ plenissima.

Exercitus cochimensis.

Pacieci in Calecutiensem Regem expeditio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

anno a CHRISTO nato MDIV. Et, æstu secundo per flumen inuectus, quod in Cambalami portum influit, in vadum ante lucem peruenit. Nondum Calecutiensis aduenerat. Visum autem est illi, interim dum hostis aberat, aliquod detrimentum illius fœderatis inferre. Repelinum igitur ea de caussa contendit. Erant in Repelini portu sagittarij circiter octingenti, cum aliquot hominibus, qui ferreis etiam fistulis uti sciebant. Hi, vt nostros aditu prohiberent, accurrunt, & sagittis, atque glādibus, & missilibus acerrime pugnāt: sed tormentis facile repelluntur. Nostri in terram descendunt. Hi, qui fugerant, postquā nostros in terra longius a nauibus semotos animaduertunt, conferti, in eos inuadunt. Media hora fuit vtrimque, magna animorum contētione, dimicatum. Hostes randem pulsi, & in fugā coniecti sunt: multi tamen prius in prælio ceciderunt. Locus, in quem nostri ferebantur, fuit confestim incensus, & inde multi boues ad comeatum abacti: quos cum Naires, qui cum nostris erant, occidi vidissent, non mediocriter offensi sunt. Est enim illis nefas, bouem cædere; vesci vero carnibus illius, sacrilegium. Nostri vero, cum multo magis famem, quam illorum offensionem, pertimescerent, de ineptissima eorum religione minime laborabant. Eo die misit Cochimi Rex alios quingentos milites ad Paciecum; quibus tamen omnibus ille parum fidebat, omnemq. spem primum in CHRISTI præsidio, deinde in Lusitanorum virtute collocabat. Postero die venit Calecutiensis cum exercitu, cuius hæc summa fuit. Bertacorolus, Tanoris Rex, quattuor millia hominum ducebat: Catanābarius, Rex Bipuri, & Cucurrami, quæ regiones monti, qui ad Narsingæ Regnum ad Solis ortum pertinet, finitimæ sunt, duodecim millia. Rex Cotagami, quæ regio ad Septemtriones spectat, & est inter Calecutium, & Canarem non procul a montibus interiecta, decem & octo millia sub signis habebat. Curriuaculus autem, Curigæ Rex, quæ ciuitas intra Cranganorem, & Pananem sita est, tria millia. Erant autem hi Reges signis, & ordinibus inter se distincti, omnesq. Calecutiensi tributa pendebant. Reliqui vero, quos Naubeadarimus, & multi præterea Dynastæ ducebant, erant supra viginti millia, inter quos multi Arabes censi fuerant. Hæ copiæ numerum quinquaginta, & septem millia hominum, & eo amplius, efficiunt. At vero, præter has copias, quæ terra ducebantur, classem Calecutiensis instruxerat centum & sexaginta nauium, quæ remis agebantur. E quibus sex & septuaginta parones erant, quorum latera fuerant a Mediolanensibus munita saccis ingentibus, quos ipsi bombycinis laneis ad tormentorum ictus excipiendos inferserant. Constarant præterea Mediolanenses ex ære ingentem tormentorum vim, & multa belli machinamenta fecerant, quibus nostri facilius opprimerentur. Eorum etiam consilio viginti parones catenis inter se ferreis colligati, reliquos antecedebant, quorum Ducibus erat hoc munus impositum, vt in Carauelam inuaderent, eamq. manibus ferreis, quanta possent celeritate, corriperent. Milites, qui in hac classe vehebantur, erant duodecim hominum millia. His omnibus Nauheadarimus præerat. Præter hæc omnia, Calecutiensis, de Mediolanensiū consilio, aggerē comportari, & turrim contra nostrorum stationem excitari, vna nocte præcepit, vt ex ea possent milites, in turri dispositi, sagittis nostros cōfigere, & crebra variorum globorum multitudine lacerare. Paciecus vero Caraue lam, modico interuallo ab vno nauigio disiunctam, rudente ferreis catenis circumplicato, ne posset ferro præcidi, cum nauigio colligauit, & illud idem nauigium cum tertio similiter adstrinxit: & sic omnem ferme latitudinem fluminis occupauit. Interim classis, quæ per mare, quo insularum partes ad Septemtrionem pertinentes alluuntur, nauigabat, appropinquauit. Hostes & multitudine, & tubarum clangore, dissonis vocibus, & armorū, quæ Solis radijs percussa micabant, atque vibrabant, splendore, & postremo crebro tormentorum, quæ terram tremefaciebant, strepitu, tantum Cochimensibus horrorem incutiunt, vt omnes repente diffugerent. Soli Frangora, & Candagora duces, inuiti, (erant enim in naui) remansere. Hos Paciecus, non vt quidquam opis afferrent, sed vt prælium spectarent, retinuit. Prælium fuit ab hostibus magno impetu commissum, & terra atque mari pilas, atque tela iaciebant: omnia videbantur incendio conflagrare: fumus lucem cunctis eripiebat. Nostri, neque quo modo classi resisterent, neque qua ratione tela a turri frequenter iecta vitarent, prouidere poterant. Non tamen animus illis vel ad resistendum, vel ad honeste moriendum, deerat. Quo enim maior erat hostium vis, eo magis videbantur ad contemnenda pericula confirmari. Atque primum aliquot ex paronibus disiecerunt: cum tamen illi viginti, quos diximus catenis reuinctos fuisse, propius accederent, multo grauiorem laborem Lusitanis militibus attulerunt. Crebris enim glandium ictibus ita certabant, vt nullum nostris respirandi spatium concederent. Nostri autem erant ita pugnando defessi, vt vix consistere possent. Cum iam prælium aliquot durasset horis, Paciecus ingens tormentum in hostes conuerti, & globum mira magnitudine in parones intorqueri semel & iterum iussit: quo facto parones dissoluti sunt, & quattuor ita dilacerati, vt secedere cogerentur. Succedunt reliqui, & prælium redintegrant. Sed, cum nostri octo parones deprimerent, & tredecim disiparent, & hostes reliqui

Pugna, & Lusitanorum victoria.

Nairum superstitio.

Calecutiensis exercitus summa.

Bipurum, & Cucurramū, regiones. Cotagamū.

Curiga ciuitas.

Copię terrestres 57000. hominum.

Classis Calecutiensis 160 nauium.

12000. militum in classe.

Cochimensium ex aduentu hostili terror, & fuga.

Prælium Calecutiensium cum Lusitanis.

reliqui tardiores ad dimicandum suorum casu redderentur, Repelinensis Dynasta, qui erat in subsidiis, cum classe in nostros iam nimio labore defatigatos inuehitur, & Rex Calecutij, instructa acie, vadum transire, & nostros armis obruere contendit. Fuit tunc multo acrius, quam antea, dimicatum, ita, vt fluuius sanguine fluere videretur. Repelinensis clamabat, vt nauem harpagonibus, alligarent, & in nostros acriter irruerent: & partim cohortando, partim minas iaciendo, vt rem conficeret, laborabat. Sed frustra. Hostes enim tandem, qui e terra pugnabant, fusi, fugatiq. sunt, & classis retroceisit, prælium-q. fuit, sub vesperum, cum magna omnium admiratione, finitum. Ex nostris nemo desideratus fuit, sed aliquot vulnerati. Ex hostibus supra mille, & trecenti homines ceciderē. Prælium enim, vt Paciecus futurum confidebat, Diuinis viribus gestum fuit. Constat enim, multos ex nostris ferreis pilis acerrime percussos exstitisse, qui tamen non aliud ex illis incommodum acceperunt, quam contusionis leuiter insflictæ notam: vt appareret, nullis telis eos opprimi posse, qui cælesti præsidio muniuntur. Hoc exitu prælij nuntiato, Rex Cochimi incredibili lætitia affectus fuit, misitq. statim Principem Regni successorem, qui Paciecō de parta victoria gratularetur. Lusitani, quamuis essent eximio labore fracti, ab opere tamen se minime remouerunt. Nauigia enim continuo refecta sunt; & altera Carauela, quæ iam erat in pristinam integritatem restituta, ad reliquas naues adiuncta fuit: &, cum de augurum sententia Calecutij Rex pugnandi diem differret, Paciecus quietem pati non poterat. Itaque, in Cambalamum traductus, vastitatem frugibus, & arboribus, inflammationem pagis, necem hominibus inferebat, & prædas non mediocres faciebat: &, quamuis aliquot in locis illi fuisset ab hostium præsidijs occursum, semper tamen victoriam reportabat. Ad quas res faciendas, non modo celeritate, & industria, sed etiam consilio optimi Ducis vtebatur. Calecutij Rex, quamuis vindictam ardenter expeteret, non ausus tamen fuit, ante constitutam ab auguribus diem, rursus prælium inire. Accidit autem, vt dies ab illis dicta, esset ea, qua IESV CHRISTI, a mortuis excitati, memoria, cum summo totius Reip. Christianæ gaudio, & celebritate, renouatur. Classis, qua hostis rem illa die gerendam esse constituit, erat multo maior. Centum enim parones, & centum longas naues, & octoginta præterea minora nauigia continebat. Supplementum enim Calecutio crebro submittebatur. Numerus militum, qui classe vehebantur, fuit tunc supra quindecim millia. Vt autem Rex facilius posset rem totam conficere, vnum e ducibus suis, cum septuaginta paronibus, Cochimum misit, qui nauem, ad vrbis custodiam relictam, expugnaret, aut saltem Paciecum ad illius defensionē eliceret. Sic enim, distractis nostrorū viribus, existimabat, multo citius bellum profligari posse. Parones, per angustum æstuariū, quod in fluuium excurrebat, nocte, ne sentiri possent, in vrbem nauigauerant. Erat autem æstuarium eiusmodi, vt per illud facillime tota classis inuchi Cochimum posset. Sed Calecutiensis, vel quod æstuarij angustias metuēret, vel quod loco cedere minime dignitatis esse putaret, vel, quod magis reor, Christi beneficio, qui nostris præsens aderat, consilio orbatus exstiterat, id facere noluit. Cum paronesin nauem inuaderent, Rex Cochimensis nuntium confestim ad Paciecum misit, qui ei dēmonstraret, in quanto periculo nauis illa versaretur. Paciecus hoc nuntio valde conturbatus est. Intellexit enim, in quem finem ea oppugnatio fuisset instituta. Sed, necessitate coactus, illi subsidium afferre cōstituit. Itaque, cum vna ex Carauelis, & paruo nauigio, quanta maxima potuit celeritate, æstu secundo, Cochimum innectus est. Hostes autem, vbi illum cōspexere, repente diffugiūt, & in Repelinū se contento cursu recipiunt. At Paciecus nec eos insequi voluit, neq. nauē ingredi, nec quempiā alloqui: sed, cū iam æstus a cæsione ventus similiter, vt sæpe fit, immutatus fuisset, eadem celeritate, qua venerat, redire festinauit. Cum vero ad Cambalami transitum perueniret, res erat in vltimum discrimen adducta. Nam Carauela, quæ in transitus custodia remanserat, erat crebris ictibus perforata, illius armamenta dissipata, bombycinæ moles dissectæ. Parua similiter nauigia, perfractis scutis, & munitionibus dissipatis, in maximo periculo versabantur: hostes mari, atque terra Lusitanos acerrime premebant. At illi nihil de pugnandi studio remittebant: immo, quo acrius vndique petebantur, eo vehementius repugnabant. In hoc statu Lusitanorum res erant, cum Paciecus ad suos reuersus est, qui, continuo in hostes a tergo nimis acriter inuectus, eos, re inopinata, perculsit. Lusitani autem, qui a fronte pugnabant, cum fuisset illis animus additus, multo fortius institere. Hostes, ancipiti prœlio distenti, fugæ se mandāt. Prius tamen, quam euadere possent, decem, & nouē parones amisere. Ducenti vero & nonaginta milites interfecti sunt, cū ex nostris nemo cecidisset. Et, vt clarius cerni posset, totū hoc bellum fuisse ope Diuini numinis administratum, hoc plane compertū fuit, multos ex nostris fuisse pilis, secundum caput, aut pectora, aut brachia, aut reliquas corporis partes, vehementissime, sine vllius interitu, percussos. Quæ tamen pilæ tanta vi contortæ ferebantur, vt, cum e corporibus, in quæ primū acciderant, elaberentur, ingentia scuta perfringerēt, & moles obiectas facillime dissiparēt. At Rex Calecutiensis, cū tantum dedecus

Scupeda Lusitanorum victoria.

Mira Lusitanorum diligētia.

Paciecij in cā balamum excursio.

Calecutij Regis superstitio.

Classis hostilis 280. nauiū

Milites ad 15000. vecti.

Auxilium Diuinum.

Hostiliū nauium fuga.

Lusitanorum discrimen.

Hostium fuga, & Lusitanorum victoria insignis, & plane Diuina.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pati non posset, classem in ordinem redigi, vt nostros rursus oppugnaret, continuo præcepit. Paciecus vero suis imperat, ne telum vibrent, ne tormentum colliment, ne vocé mittant vllam, antequam ille pugnæ signum det. At hostes, cum silentium nostrorum animaduerterent, existimarunt, eos, iam vulneribus confectos, & metu exanimatos, spem diutius repugnandi prorsus abiecisse. Itaque voces in cælum tollunt, & incredibili celeritate mari, atque terra, sine ordine vllo, ad naues accedunt. Cum iam appropinquare inciperent. Aliud prælium. Paciecus signum dedit. Nostri repente prosiliunt, clamorem tollunt, tormentis, & omni genere missilium certant. Multos parones deprimunt: complures etiam dissipant, atque dilacerant: multis etiam mortalibus vitā eripiunt. Reliqui, cum homines, quos ipsi conscios vulneribus existimabant, sanos, atque valentes tam acriter prœliari conspicerent, vehementer exterriti sunt; maxime vero, cū tantam stragem edi cernerent. Itaque, quamuis in Regis cōspectu prœlium fieret, nullo tamen vel pudore, vel metu impediri potuere, Hostium fuga. quo minus se in fugam darent. Quod animaduertens Dynasta Repelinensis, fugientes recipit, & rursus, instructa classe, in nostros impetum facit. ita tamen, vt non propius accedere auderet, sed e longinquo spatio certandū statueret. Quod Rex fieri videns, hominem multis male verbis accipit: ignauiam, & timiditatem increpat, & graues in illum contumelias intorquet. Naubeadarimum euocat, & adhortatur, vt sine vlla cunctatione in Lusitanos irruat, hominesque, tantis iam laboribus afflictos, acri, atque vehementi impressione prosternat. Suscipit negotium Naubeadarimus, & in vadum contendit, nostrosq. perrumpere conatur. Nostri vero tam acriter illi restiterunt, vt non modo impetum illius reprimerent, sed omnes in fugam compellerēt: quos nostri insecuti, magnam illis cladem intulerunt. Nam supra viginti parones depressérunt, & plus sexcentis hominibus interfecerunt. Rex, cum transitum eo vado desperaret, tormenta in turri dispósita detrahi, & castra moueri, iussit. At Paciecus, illius classem longo spatio persecutus, tandem constitit, &, in terrā descendens, duos maximos pagos exussit. Ad vadum deinde redijt hora decima: ad illud enim tempus prælium, quod prima luce fuerat initum, durauerat. Paucis deinde horis ad quietem sumptis, cum ex speculatoribus intellexisset, opidum esse non procul inde situm, multitudine quidem hominum frequens, sed immunitum, eo, sine mora, contendit, & homines securos, & inopinātes, aggressus est. Multi fuerunt occisi, & opidum, excitato incendio, deflagrauit. Cum vero se Paciecus recipere vellet, hostes, qui erant dissipati, coeunt, & conferti in illum inuadunt. Is vero, magna eorum parte vel occisa, vel vulnerata, reliquos fudit, fugauitque. In quo quidē minime victorias admiror, sed duritiam, & celeritatem, & diligentiam hominis obstupesco. Nec enim vllo labore frangebatur, neque vlla difficultas cum morabatur, nec vllum vitæ periculum a perterrendis hostibus auertebat. Cum vero ad vadum rediisset, multos satellites, atque ministros Cochimensis Regis offendit, cum multis dapibus, & fructibus, ex illis, quos regio suppeditat, quibus tam ille, quam milites recreati sunt. Eo tempore iam Calecutiensem instituti belli pœnitebat, & cupiebat, dimissis maxima parte copijs, in vrbem redire. Hoc consilium Naubeadarimus maxime probat. Sed Repelinensis Dynasta, & Arabes, qui in consilio aderant, & Mediolanēses etiam, contra disputabant, iam Regi non esse integrum id omittere, in quo non modo dignitas illius, verum etiam salus agebatur. Si enim, re infecta, domum rediisset, fore, vt, præter ignominiam, qua nomen illius notari necesse erat, hostes feroces, & infestos redderet, & cū difficultate summa eos postea a Calecutij finibus reprimeret. Rem non inchoari, atque magna dignitatis imminutione, potuisse; at, institutam deseri, sine maxima dedecoris, & ignominiæ labe, non posse. Præterea, transmissionem non esse desperandam, cum alia loca nondum tentata fuissent, per quæ exercitus multo facilius traduceretur. Non longe ab eo loco erat aliud vadum, nomine Palignarium, adeo lutulentum, vt, qui id transire conaretur, non facile pedem in profundo cœno demersum euelleret. Ripa vero vlterior densis vepribus, & dumetis erat obsita. Eo tamen sperabant transitum non ita difficililē futurū, propterea quod naues, propter breuia, eūm in locum penetrare non poterant. Inde vero cogitabant idem vadum petere, quo Rex transierat, cum, vt dictum est, Trimumparam oppressit. Confidebant enim, illac se multo celerius, quam Paciecus opem afferre posset, irrupturos. Putabāt enim, Paciecū falli posse, neque vlla præsidia comparaturum, quibus Regem transitu prohiberet. Hoc ita constituto, castra mota sunt. Speculatores primo suspicati sunt, Regem Calecutiū victoria desperata reuerti. Sed, cū eum petijsse Palignarium vadum animaduertissent, nuntium Pacieco confestim pertulerunt. Per alios deinde speculatores certior factus est, in Arraulēsi insula quingentos milites Calecutiēses versari, qui siluas læti cōcidebant: quod est apud illos victoriæ signum. Et, quia insula non longe aberat, cum ducentis militibus Cochimensis Regis, (iam enim multi redierant, & flagitij veniam impetrarant) & paucis præterea Lusitanis, eo proficisci maturauit. Duplicem vero aciem instruxit; vnā Petro Raphaeli attribuit, alterā ipse retinuit. Hostes autē, cū resistere conarentur, maxima ex parte cōcisi fuere: quinquaginta tamen capti, & ad

Durities, celeritas, & diligentia Paciecí.

Calecutiensium de bello prosequendo consultatio.

Palignarium vadum.

Cochi-

Cochimensem Regem perducti sunt. Et, quia nec opus erat, vt Paciecus diutius in illius vadi præsidio remaneret, neque periculi magnitudo patiebatur, vt is transitum, quem hostis petebat, liberum illi permitteret, ad alium opportunum ad transmissionem locum, nomine Palurtium, qui duobus millibus passuū a vado distat, naues mature conuertit. Ibi, cum in anchoris consisteret, certior factus est, Regem Calecutij deliberasse, postero die, qui erat Kalendis Maij, vadum transire. At Paciecus statuit cum minoribus nauigijs eo contendere; maiora vero, cum Ducibus, in vado, in quo tunc se tenebat, relinquere. Nec enim dubitabat, fore, vt hostis vtrumque simul vadum tentaret. Sed, ante quam inde discederet, in ea insulæ parte, quæ erat nauibus opposita, arbores succidi, & incendi iussit, ne possent hostes illarum præsidio tegi, atque, quasi obiectis munitionibus, occultari, vt a tormentis, quæ erant in nauibus, minime læderētur. Naues autem, statuit, vt, modico interuallo disiunctæ, permanerent, ita tamen, vt inter se rudentibus, ad mutuum præsidium, necterentur, & adiuuarent. In his autem difficultatibus, hoc commodum inesse conspiciebat, quod vtrumque vadum simul transiri nō poterat. Cum enim æstus se ex alto incitabat, ita vadum Palignarium fluctibus operiebat, vt pedibus transmitti non posset: nauibus autem paullo maioribus, neque æstu accedente, neque decedente, aditus per illud patebat. Vadum vero, in quo naues consistebant, æstu accedente, transmitti poterat nauibus; decedente vero, non poterat. Ita eueniebat, vt, cū Palignarium vadum pedibus transiri posset, Palurtium nauibus transmitti nō posset. Contra vero, cum Palurtium facilem transitum peditibus præberet, Palignarium, æstus vehementis accessione, transitum militibus impediret. Hoc cum Paciecus animaduertisset, vtrique vado diuersis temporibus subsidium diligenter afferre statuebat; vt, æstu augescente, Palurtium; minuente vero, Palignarium tueretur. Cum igitur Palignarium petere constitueret, Ducibus, quibus Palurtium custodiendum permisit, quid ab illis fieri vellet, ostendit, &, quo signo, si illis opus esset auxilio, id significarent, demonstrauit. Tum omnes ad honestatem, & dignitatem, & ad studium religionis excitauit, docens, eam dimicationem, quæ erat illis omnibus subeunda, fore multo acriorem, atque difficiliorem. Scire se, quibus hominibus loqueretur, nempe quos nulla periculi magnitudo perterreret, sed, quo grauius periculum immineret, eo vehementius omnes animi vires excitarent. Confiderent porro, idem CHRISTI numē, quod illis tam præsens reliquis in prœlijs adfuerat, illis in eo, quod instabat, minime defuturum. Dei namque summi potentiam nec vllis terminis definiri, nec vllis hominum viribus impediri, neque innumerabili multitudine retardari. Tum illos, vt cibum sumerent, admonuit. Die namque sequenti dubitare se, an liceret eis alijs epulis frui, quam ijs, quæ virtutis inuictæ fructu continerentur. Faciunt illi, quod iusserat, &, sumpto cibo, & vigilijs dispositis, conquiescunt. Non tamen Dei opem implorare, quoad fieri poterat, intermittūt. Prima luce Paciecus in vado constitit, & in ripa vidit Cochimensem Principem cum sexcentis militibus, qui iussu Regis, vt vadum etiam tueretur, aduenerat. Exspectabat autem Paciecus, vt Calecutiensis in vadum se dare vellet. Sed, cum nihil ab illo moueri cerneret, & aqua iam æstus reciprocatione locum compleret, & vadum tueretur, ad naues rursus se contulit, & inde in omnibus circumquaque locis, in quos impetum ferre poterat, cedes faciebat. Hoc autem, siue nocte, siue die, siue serenitas esset, siue tempestas omnia commoueret, factitabat; vt, cum æstus decessisset, in Palignario; cum rursus accessisset, in Palurtio cerneretur. Numquam tamen alterutrum vadum incustoditum relinquebat. In profundiore namque maiores naues; in altero, nempe Palignario, minora nauigia collocauerat. Cum vero ex exploratoribus intellexisset, Regem constitutum habere, die sequenti vadum Palurtium summis viribus oppugnare, ad illius defensionem omnia, quæ videbantur necessaria, summo studio comparauit. Ante lucem vero veniunt ad illum Christophorus Iusartes, & Simon Andradius, qui cum duobus paruis nauigijs in Palignario collocati fuerant, vt prœlio interessent. Vado nāque aquis oppleto, dicebant non esse, cur tam præclaram occasionem decoris, & dignitatis amitteret. Se, cum æstum imminutum cernerent, continuo in Palignarium reuersuros. Cum primum diluxit, hostes, qui iam aduenerant, e litore tormentis classem Lusitanam acerrime verberabant. Classis item hostium se in conspectum dedit. Erat autem ducentarum & quinquaginta nauium. Sed, cum adhuc procul abesset, visum est Pacieco aliquid interim moliri, quo minore cum periculo tanti prœlij impetum sustineret. Itaque minora nauigia remis in litus impelli, & milites, quos ad rem gerendam educebat, in terram continuo descendere iussit, & cum illis in hostium munitiones inuasit. Illi acriter initio restitere. Sed tandem partim cæsi, partim in fugam pulsi sunt. Tormenta vero, quia in naues trahi non poterant, ne quidquam nocere possent, clauis per foramina, quibus prope basim ignem accipiunt, adactis, impedita. Hac re celerrime gesta, in classem e vestigio reuersus est. Iam vero classis appropinquabat, & crebris tormentorum ictibus naues impugnabat, & horrifico telorum omnium fremitu perstrepebat. Paciecus imperauit, vt omnes se abijcerent, atque silerent, donec ipse pugnæ signum proponeret.

Palurtium vadum.

Pacieci admililes oratio.

Lusitanorum militum pietas.

Pacieci vigilantia.

Hostilis Classis 250. nauium.

Stratagema Pacieci.

Pugna nauālis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ponerẽt. Hostes id metu,atque desperatione fieri suspicabantur. Præcedebant autem quadraginta parones,catenis,vt nostros obreuerent,inter se deuincti. At,cum Paciecovisum est,signum sustulit. Cõtinuo clamor militum, & clangor tubarum, & tormentorum fragor, quanta esset in militibus Christianis alacritas, indicauit. Cum acerrime vtrimque tormentis æneis certaretur, horrenda caligo,ex tormentorum fumo profluens, omnium oculis offusa,tam densas tenebras attulit,vt conspectum cæli,atque terræ, & maris adimeret. Nec enim aliud cerni poterat, nisi horrificũ incendiũ ex innumerabilibus tormẽtis erumpens. Parones tamen hostium primi tormentis dissoluti, atque dissipati sunt. Illis autem fractis, Dynasta Repelinensis alios integros continuo submisit. Interim victoria anceps erat. Hostes propius accedebant,neque iam pilis tantum,sed sagittis, atque iaculis,& omni missilium genere pugnabant. Sed,cum nullus e Lusitanis caderet,& ingens hostium multitudo cecidisset, & aquæ multo sanguine cruentæ fluerent,hostes cedere incipiunt. At Dynasta Repelinensis, vt in Regis conspectu aliquod facinus ederet,quo gratiam illius acquireret, bis vadum transire conatus est: sed fuit a conatu cum ignominia,& suorum cæde repulsus. Dum hæc geruntur, Candagora venit ad Paciecum,cum nuntio ingentis, vt apparebat, discriminis: Naubeadarimum cum manu firmissima in Palignarium properare, & Regem vestigijs illius insistere, vt vadum summa contentione superaret. Paciecus illũ bono animo esse iussit. Adhuc enim vadum tantis fluctibus opperiri, quantis opus esset ad hostium impetum retardandum.Se in tempore subsidio occursurum. Itaque in pugna tamdiu perseuerauit, dum aquam transitum impediturã animaduertit. Cum vero magis imminutam cerneret,continuo properauit,vt Naubeadarimo resisteret. Ibi vero tanta vi hostium impetum repressit,vt, quamuis Naubeadarimus, Rege inspectante, & verbis ad prælium acriter adhortante, in alteram vadi partem erumpere conaretur, fuerit tamen retrocedere compulsus. At Rex hominẽ increpabat, & contumelijs onerabat, minimeq. dignum esse dicebat,qui Principis personam sustineret. Esse namque Repelinensis Dynastæ ignauia, & timiditate simillimum. Se namque spectante, hostibus vtrũque in vtroque vado cessisse,& e prælio turpissime discessisse. Naubeadarimus, hoc sibi conuicio ab auunculo facto,vehemẽtius irritatus,statuit, conceptam illam dedecoris maculam, proposita etiam morte, delere. Rursus igitur, amplius duodecim millibus hominum stipatus, in vadum irrũpere conatur. Fuit aliquo temporis spatio fortissime vtrimque pugnatum, donec tandem hostes, multis incommodis affecti,in fugam conijcerentur.In his vtriusque vadi prælijs quot naues, & quot homines hostis amiserit, incertum est. Complures fuisse constat: naues tamen nostræ perforatæ, multæq. munitiones dissipatæ,& disiectæ sunt,& e Lusitanis aliquot etiam vulnerati. Interim silentia castra hostium vehemẽter oppressit,quæ Regis animum tantisper a bello infeliciter instituto auerrit, dum malum illud finem interimendi faceret.Quæ res nostris magno vsui fuit. Naues enim reficiendas curauerunt;magnum armorum, atque telorum numerum comparauerunt; atque, vt essent rebus omnibus ad bellum multo acrius gerendum expediti,summa vigilantia prouiderũt. Antea vero Paciecus ferreos stimulos, palis infixos, in luto vadi ipsius insoderat; quibus se hostes, si vadum transire conarentur, induerent. Sed,cum stimuli,propter luti mollitiem,altius,quam conueniebat,fuissent in vadum depressi, nullum hostibus nocumentum attulere. Tunc vero Paciecus præusta sudes præacutis acuminibus, cum æstus omnino decessisset, subter lutum abdidit, & ab infima parte reuinxit, ne conuelli possent, vt hostes vulneribus,& acerbissimo dolore conficeret, ne vel ingredi,vel vestigio hærere possent. Calecutiẽsis interim Brachmanas enocat, eosq. monet,vt Deos consulant, atque ab illis sciscitentur,quo die prælium iniret,vt de hostibus debitum pro tantis iniurijs supplicium sumeret. Erant autem Brachmanæ irati Regi, eo quod illos multis maledictis cõfixisset, atque mendaces,& scelestissimos appellasset. Victoriam enim illi denuntiarãt, & is pro victoria innumerabiles clades acceperat. Respondent Brachmanæ, Deos illi iratos esse. Antequam vero illorum numina placaret, omnia illi deterrime casura. Opus igitur esse, vt fanum ædificaret, in quo possent homines religiosi illorum sacra procurare. Rex, se id facturum, vouit. Hi Deorum nomine victoriã pollicentur,& prælio diem præstituunt. Interim multi,ex illis, qui a Trimumpara defecerant, bonis illius successibus inuitati, se rursus ad illius nomen adiunxunt, & Paciecо inuito veniam impetrant. Calecutiẽsis,cum,illius diei fructu,quem Brachmanæ portenderant, nullo modo priuari voluisset, religioni diligentissime paruit. Hoc autem ordine, ad nostros accessit. Tria millia fortium hominum præibãt, qui triginta tormenta ænea curribus inuecta custodirent. Deinde prima acies sub ductu Naubeadarimi sequebatur, quæ duodecim hominum millia continebat. Totidem Dynasta Repelinensis milites educebat. Postremũ agmen, in quo inerant ad quindecim hominum millia,ipse Rex agebat.Paciecus eo tempore in Palignario vado, in duobus nauigijs, cum quadraginta tantum hominibus Lusitanis, has tantas copias exspectabat. Calecutienses,qui antecedebant, in loco nauigijs oppositо tormenta disponunt, ingentesq. globos

Pestis in castris Calecutiensibus.

Brachmanes ab Rege de prælij die cõsuli.

Brachmanarum responsum.

Calecutiẽsis aciei descriptio.

Lusitanæ copiæ.

Lusitanorum insignis victoria.

bos emittunt,vt Paciecum e vado propellant. At ille paullulum se continuit,vt eos securiores efficeret. Tum repente nauigia propius terram incitari, & tormentis rem acerrime geri præcipit. Quod tam scienter, & diligenter effectum fuit,vt hostes, metu perterriti,se in densam siluam abderẽt. Cum ad hunc modum initium pugnæ fieret, Naubeadarimus in vadum irruit, idq. summa vi transire contendit.Nostri,glandibus plumbeis,densisq.telis ferreis,in cubi speciem figuratis,quæ fistulis ferreis compacta,& inclusa vi tormentarij pulueris intorquebant,multos eorum grauissime sauciabant.Maioribus etiam tormentis non paucos interimebant. Aestus autem adhuc decedebat.Metuens vero Paciecus,ne nauigium,quo vehebatur, in vado hæreret,paullulum cessit,& Christophoro Iusarti, eo quod nauigium illius breuius esset,& ad vadũ excipiendum conuenientius,vt in loco,quoad posset,insisteret,imperauit. Se,cum æstus, vt fieri necesse est, motum reciprocaret, continuo rediturum .Inde vero pugnandi ardorem non intermisit,sed non minus acriter,quam Iusartes,qui propius aberat,hostes ab ingressu vadi repellebat.Erat locus,in quo milites,a Rege Cochimensi in auxilium missi, se tenebãt, vt hostes,si forte vadum transirent,inde reprimerent, & natura, & vallo egregie munitus. Ij, vbi copias Regis vadum ingressas animaduertunt,repente diffugiunt.Cochimẽsis Princeps non aderat. Fuerat ille quidem a Paciecо per quendam Brachmanam accersitus. Sed Brachmanæ scelere, & improbitate factũ est, vt non posset ad tempus venire. Neque enim quidquam illi significare voluit, antequam Calecutiensis rem ex animi, vt sperabat,sententia cõficeret.Maxima vero eorum pars,qui in eo præsidio erant,sub vno ex proditoribus, qui a Cochimense defecerant, & fuerant in illius gratiam restituti, militabãt. Ea autem de caussa Paciecus,quod illis minime fidebat, Principem futuræ pugnæ certiorem facere voluit, vt cum firmiore præsidio veniret. Nam,propter belli intermissionem, in vrbem rediерat. Desertorum autem flagitium Iusartes Paciecо maxima voce significauit.Sed tantus erat armorum fragor, & hominum clamor, vt Paciecus audire non posset. Eo iam tempore Repelienſis Dynasta, Naubeadarimum secutus,in vado cõsistebat.Rex, eorum vestigijs ingressus,vt vadum superaret, summa animi contentione laborabat. In eum Paciecus (illum enim ex Regijs insignibus agnouit) tormentum dirigi iussit. Globus emissus,ad illius pedes, duos ex intimis familiaribus repente dilacerauit: quo metu Rex ipse perturbatus,pedem retulit.Et tamen Naubeadarimum, & Repelinẽsem adhortari, vt acriter instarent, minime desistebat.Illi,fustibus eos,qui præcedebant, vt in vlteriorem ripam euaderent, impellebant, & gladijs etiam,si non impigre,quod erat imperatum,conficerent, acerrime minabantur,& aliquos etiam vulnerabant. Itaque alij alios vrgebant, & se ipsos præpediebant.Cum vero ad sudes peruentum est, multi, plantis pedum grauissime sauciatis,cadũt. Fit clamor, & luctus, & vbique lamentatio admodum lugubris audiebatur. Alij super alios procumbunt. Interim tormenta, quæ erant in nauigijs dispositа, cum in multitudinem adeo confertam, & implicitam pilas emitterent, magnam stragem faciebant. Ingens inter hostes turbatio secuta est, cum multi, dolore vulnerum,regredi frustra cõtenderent, multi, quãuis metu perterriti cedere vellent, suorum gladijs vlterius festinanter progredi cogerentur. Dum ad hũc modũ res geritur, multi alia ex parte cum securibus in vadum prouolant, illudq. sine offensione traijciunt,vallumq. rescindunt, & locum a Cochimẽsibus desertum occupant. Quod cum Paciecus animaduertisset, rem perditam esse credidit. Animum tamen minime demisit.Ad Iusartis autem nauigium propius accedens,in id se coniecit,& Iusarti imperauit, vt in illius nauigium desiiiret. Maius enim nauigium terræ appropinquare non poterat. Sic autem,cum ad vadum propius accederet,hostes e loco repellere telis, atque tormentis instituit. Sed interuenit Naubeadarimus,qui prælium ita redintegrauit, vt tunc videretur incepisse.Hostes autem acriter instabant, &, vt nostros circumsisterent,consuebant.Multi nauigij remos manibus retinebant, vt se commouere non posset. Hic Paciecus,cum se funditus euersum cerneret, Diuinam opem maximis vocibus implorauit,Deiq. præsentissimum numen sibi adesse persensit: æstus enim se vehementius incitabat, & vadum aquis operiebat. Nostris animus augetur, & nauigium remis agere, & propellere nituntur. Res iaculis, & hastis,& missilibus,& sudibus etiam præustis gerebatur. Sed,quo magis fluctus vadum operiebãt, eo nostri maiores animos assumebant, & acrius,& vehementius, vt se e medijs hostibus eriperent,certabant. Aestus tandem,cum maxima iam aquarum copia redundaret, illud prælium, quo nullum eo in bello acrius exstiterat,diremit.Itaque Paciecus,hostium multitudine liberatus,ad Iusartem se cõtulit,qui in eo certamine præclara facinora militaris virtutis ediderat.Tũ,cum nauigia facile nauigarent,vterq. tormentis vtendũ censuit. Nõ enim erant ij, qui vellẽt vllã oblati tẽporis occasionẽ prætermittere. Itaque in eos hostes, qui prope vadum in terra consistebant, globos intorquent, multos occidunt, reliquos in siluam fugere compellunt. Calecutiensis, eo die,fractus desperatione,dedecus suum acerbissime lamentatus est, quod cum tantis copijs quadraginta tantum homines vado pellere nequiuerit. Cum vero e loco illo discederet,

Brachmanæ perfidia.

Calecutij Regis discrimẽ.

Lusitanorum summum dis crimen.

Auxilium diuinum.

Iusartis virtus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ret, & lectica sublatus, in locum, qui non procul a profundiore vado distabat, perueniret, Petrus Raphael in illum non mediocrem glo bum intorqueri præcepit, cuius ictu tres illius familiares ad illius pedes dilacerati sunt, & ipse eorũ sanguine conspersus fuit: metuq. perturbatus, in terram subito desiluit, & pedi bus se se ab eo loco cum celeritate subtraxit. Hoc prœlium, cum prima luce incepisset, ad nonam circiter horam perductum fuit. In eo autem Calecutiensis tam multas naues, atque milites amisit, quã multos nullo adhuc in prœlio cum nostris inito amiserat. Ex nostris autem, cum sagittis, iaculis, hastis, & infinita pilarum multitudine, & acerrima immanissimorum hostium contentione peterẽtur, nemo tamen cecidit. Ex quo facile constat, totum hoc bellum fuisse numine illius confectũ, qui nutu potest sui nominis hostes euertere, neque suos vmquam præsenti ope destituit. Quod si alicui incredibile visum fuerit, is non hominibus, sed Deo gloriam detrahit; atque demonstrat, se, quantas vires vera religio habeat, ignorare. Ij vero, qui minime sunt veræ pietatis ignari, & experti sunt in se præsentissimi numinis beneficia, intelligent plane, multo maiora facinora posse ab illis fieri, qui firmam spem in CHRISTI præsidio reposuetamen initum vero cum pro illius gloria certint, maxime fuerit. Id autem eo præsertim tempore fieri conueniebat, quo nondũ CHRISTI nomen a gentibus illis celebratum exstiterat, neque imperium constitutum fuerat, vt illis signis facilius homines ad DEI notitiam peruenirent, & Lusitani, confirmatis viribus, fundamenta iacerent imperij, cuius opera possent gentes, quæ ad orientem Solem pertinent, radijs disciplinæ cælestis illustrari: quod factum postea fuit, vt cernimus, & clarius in dies futurum speramus. Paciecus autem, cum se tanto periculo liberatum, & hostes fusos animaduerteret, ingentes DEO gratias egit. Interuenit autem Cochimensis Princeps, quẽ Paciecus auersatus est, &, quasi hominem timidum, & desertorem, & parum in fide custodienda diligentem, indignum colloquio suo reputauit. Quod Princeps indignissime tulit, & se purgauit, atque iureiurando confirmauit, non sua, sed Brachmanæ sceleratissimi culpa prœlio non interfuisse. Non enim illum euocare voluisse, nisi postquam nomen Lusitanum fuisset opera Calecutiẽsis exstinctum. Accepit satisfactionem Paciecus, & auunculi culpam esse dixit, quod scelestissimos homines in fidem recepisset. Numquam enim sapientem, fidem ei, qui semel fidem prodiderat, habiturum. Principium autem fugæ ab illis factum fuisse constabat, qui stipendio Principis Mangatensis, qui a Cochimẽse per summum scelus, & flagitium desciuerat, alebantur. Principe dimisso, Paciecus se se ad naues contulit, vbi illum Rex Cochimensis inuisit,

Rex Calecutius mortis periculũ pedibus effugit.

Clades hostium, & mira Lusitanorum victoria.

Proditori nõ fidendum.

Mangatensis Princeps, pro

ditionis accusatus.

eiq. cum summa gaudij significatione de tam insigni victoria gratulatus est. Paciecus vero, de militum fuga, & proditione conquestus, omnem illius sceleris culpam in Mangatensem contulit, Regemq. admonuit, vt iure Regio vteretur, & hominem profligatum, atque perditum, si nollet occidere, a se dimitteret, vt Calecutiensi operam daret. Nullum enim periculum esse magis metuendum eo, quod a proditore comparatur. Esse namque malum occultum, & intestinũ, quod, priusquam prouideri possit, interimit. Itaque Regias opes numquam sceleratorum hominum præsidio stabiliri; frequenter tamen euerti. Iccirco se vehementer optare, vt Calecutiensis talium hominum præsidijs sepiatur, vt facilius possit de statu conuelli, & scelerum pœnas exsoluere. His, & alijs sermonibus cum diei bonam partem consumeret, Rex in vrbem reuersus est, & Paciecus, vt se, atque suos ab immenso labore reficeret, curauit. Calecutiensis autem suos probris omnibus, maledictisq. vexabat, & per eorum ignauiam stetisse dicebat, quo minus nostri funditus interirent. Repeliuensis, vt ei aliquo pacto satisfaceret, quando viribus non poterat, vt fraude Lusitanos de medio tolleret, operam dare statuebat. Primum igitur Cochimenses aliquot pecunia corrupit, qui fontes, ex quibus nostri aquam haurie bant, mortiferis venenis inficerent. Deinde, vt venenum in pane illis daretur, summa sedulitate constituit. Hæc cum ad Paciecum delata fuissent, operã dedit, vt singulis diebus putei foderentur, e quibus omnes Lusitani biberent. Est enim tellus humilis, & aquis abundans, vt sunt ferme omnes, quæ mari sunt finitimæ. Ne autem quidquam cibi venderetur, quod non venditor prægustaret, diligentissime prouidebat. Cum hæ fraudes Repelinensis minime processissent, vt exercitum noctis silentio Cochimum nauibus duceret, cuius pars vrbem incenderet, pars autem nostros inopinantes opprimeret, excogitauit. Sed etiam omnibus istis insidijs Paciecí vigilantia diligenter occursum fuit. Paciecus interim vadum fossa muniebat, & turres excitabat, & machinamenta comparabat, quibus se exitium Calecutiensi allaturum minabatur, & hostibus terrorem frequenter incutiebat, & in contentionem sæpe traijciebat, & detrimenta quamplurima hostibus importabat. Neque flumina, & æstuaria intacta relinquebat. Naues enim aliquot cum tormentis cepit, quas Cochimensi donauit. Et, vt fingeret, se non ita cito e vado discessurum, prope illud ædes ædificari præcepit, & circumcirca fossam perduxit, in quam aquam ex fluuio deriuauit, quæ illam compleret. His rebus Calecutiensis stimulatus, vt vadum rursus tentaret, in animum induxit. Sed interim classes submittebat, quæ populationem Cochimensium rebus inferrent: cum quibus nostri assidue

Repeliuensis in Lusitanos technæ, & quomodo eũ tutatæ.

Pacieci munitiones.

Pugna naualis.

bellum

bellum gerebãt, & hostes cum magno eorum detrimento fugere compellebant: & Paciecus ipse, cum vellet cum duo deuiginti paronibus congredi, fuit ab illis quattuor & triginta, qui in insidijs latebant, de improuiso circumuentus. quod periculum vehementer Paciecum exterruit. Parum enim considerate obuiam illis processerat, antequam nauium numerum exploraret. Fuere tamen in eo discrimine a nostris edita præclara facinora; & hostes tandem in fugam versi sunt: nostriq. cũ quattuor nauibus, & multis tormentis, atque varia præda, in vadum reuersi. Rex Calecutij quamuis rursus in nostros cum maximis copijs inuehi in animo haberet, pestilentia, quæ iterum in illius Regno sæuire cœpit, belli consilia distulit. Attamen, nunc vt aperta vi, nũc vt occultis insidijs, in Paciecum pestem compararet, vehemẽter elaborabat. At Paciecus insidias ingenio, & sagacitate, vim virtute reprimebat, & multas de illorum classibus victorias consequebatur. Venit tandem tempus illud, quo Calecutiensis in nostros copias iterum maximas educere cogitabat. Repelinensis primum agmen ducebat; magnumq. numerum rusticanorum hominum cum ligonibus, & securibus, & instrumentis rusticis, qui vias munirent, fossas ducerent, aggeres excitarent, vt tormenta sua tuto collocari, & a nostris defendi facillime possent, agebat. Rex ipse cum triginta millibus hominum, & magno tormentorum numero sequebatur. Mari autem moles ingentes, stupa circumligatæ, & pice oblitæ, quæ flammis, vbi opus esset, naues nostras incenderent, ferebantur. Deinde centum & decem parones, rebus omnibus instructissimi, partim catenis inter se colligati, partim disiuncti, veniebant. Postremam classis aciem centum naues longæ, & octoginta actuariæ claudebant. Sed, quod Regis Calecutiensis animum efferebat, erant Castella, quæ Saraceni cuiusdam Repelinẽsis ingenio, viri in bellis exerciti, qui multas nationes peragrarat, exstructa ad hũc modum fuerant. Duo parones, detractis armamentis, tanto inter se interuallo distabant, quantum esset vnius hastæ modicæ lõgitudo. Vtriusque autem proram tignum iungebat. Alterum deinde tignum ab vnius puppi in alterius puppim coniectum, vtrumque paronem, ne posset alter ab altero disiungi, firme retinebat. Super hæc autem duo tigna, alia tigna transuerso ordine sternebantur. Interuallũ vero, quod duobus istis tignis continebatur, alijs tignis adeo frequentibus explebant, vt contabulationis speciem præberet. Erant autem tigna singula tribus locis ferro fortissime reuincta. In quolibet autem huius quadratæ contignationis latere, alius ordo tignorum in vniuscuiusque lateris extremitate præfixus, altitudine pedum quattuordecim, muri similitudinem referebat. Erant autem omnia cardinibus, & commissuris aptissime perfectis, ita firmata, & ferreis retinaculis coniuncta, & solidata, vt nulla vi conuelli posse viderentur. Super ligna vero trabes iectæ totum opus multo firmius efficiebant. Cratibus deinde, atque longurijs consternebantur. In hoc summo tabulato in maiore Castello quadraginta milites commode consistere, atque depugnare poterant. Ad hanc formam octo Castella paullo minora super sedecim parones excitata sunt. Fuerũt autem hæ machinationes ideo factæ, vt, cum æstus decederet, nauibus a puppi vehementius impulsis, & nauibus Lusitanis applicatis, Castella nostris imminerent, & milites e superiore loco tela, atque flammas adijcerent. Hac perspecta machinatione, nemo erat ex hostibus, qui de victoria dubitaret. At Paciecus hoc contra præsidium comparauit. Malos octoginta pedum longitudine inter se ferreis vinculis artissime colligauit, & formã ex illis quadratam constituit. Tantundem enim in latitudinem, quantum in longitudinem patebat. Hanc autem machinam ante nauium proras modico ab illis interuallo constitui jubet; &, secundum æstus naturam, sex anchoris alligari: vt videlicet tres anchoræ, cum æstus accederet, aliæ tres, cum decederet, illam firmissime retinerent. Id autem hoc consilio effecit, vt nauium carinæ, cum appropinquare vellent, impedirentur, quo minus Castella nauibus nostris adiungerent. Petrus autem Raphael, excisis aliquot malis, ex illis columnas effecit, quas in nauium tabulato præfixit; & in summo earum fastigio capitella instituit, in quibus possent seni milites insistere, & illis, qui erant in Castellis, repugnare. Altitudo enim cuiuslibet capitelli, altitudinem Castellorum, quæ hostium nauibus ferebantur, adæquabat. Per exploratores enim Paciecus non modo exercitus multitudinem, sed etiam genera machinamentorum, eorumq. dimensionem, exacte nouerat, &, quid hostes animis cogitarent, explorate cognoscebat. Exercitus, qui terra gradiebatur, dissonis vocibus, & instrumentorum bellicorum strepitu, inanes quosdam terrores inijciebat, qui potuissent homines rerum bellicarum ignaros metu exanimare. Sed, dum illi inanes formidines iactabant, Paciecus, vt veras proponeret, operam dabat. Nam, in Arraulensis insulæ partem, quam non longe a nostris nauibus fluctus marini subluebant, egressus, vt primum hostium agmen caperet, enixe contendit. Sed, ne circumfusa multitudine opprimeretur, se post aliquod detrimentum hostibus importatum, in nauigia absque vllo incommodo recepit. Cum tamen prœlium fieret, Calecutiensis, cum hominis audaciam accepisset, iracundia, & furore flagrare cœpit, neque tantam contumeliam, quantam sibi eo facto impositam arbitrabatur, ferendã putauit. Itaque Ducibus suis imperat, vt Paciecum

Paciecí discrimen.

Hostium fuga.

Pestis in Regno Calecutiensi.

Altera Calecutiensis in Lusitanos expeditio.

Classis Calecutia.

Castella naualia Calecutiẽsis Regis.

Machinæ bellicæ Paciecí, Calecutijs oppositæ.

Inania hostis aduentantis terriculamẽta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Thrasonica Calecutij mãdata.

ciecum ad se vinctum trahant, vt illum tormentis excruciatum necaret. Illi aduolarũt, &, vt impigre, quod fuerat imperatum, efficerent, summam diligentiam adhibuerunt. Paciecus autem non modo perductus non fuit, sed, antequam in nauigia regredi potuisset, non paucos ex hostibus interemit. Dum hæc geruntur, Sol exortus est. Aestus autem decedens, hostium classem in Lusitanos impellebat. Primo moles, quas diximus, inflammatæ, cum in malos ex anchoris alligatos, vt dictũ est, incidissent, repente subsiterunt. Itaque non modo nullum damnum intulere, verum non mediocre alleuamentum nostris afferebant. Dum enim incendium vigebat, hostes propius accedere non ausi sunt. Hoc inani terrore depulso, cum iam incendium fuisset restinctum, classis hostium accessit. Castellum vero, quod erat maximum illorum, quæ diximus nauibus inuehi, primum, cum in malos incideret, nec vlterius progredi posset, necessario constitit, & inde certare globis maximis, & plumbeis etiam glandibus instituit. Nostri contra tormentis parones primos, qui prope Castellum erant, acerrime verberabant, ex quibus aliquot dissiparunt. Paciecus vnum sane magnum tormentum ex his, quæ nostri Camelum appellant, in Castellum conuerti, & globum intorqueri præcepit. Fragor quidem horrendus fuit: Castellum tamen integrum permansit. Cum id iterum fieret, & Castellum nulla ex parte labaret, hostes multo confidentius nostros vrgere, & acrius instare, & intemperantius exsultare, & voces lætitiæ ingentis indices attollere. Reliqua Castella, cũ hoc animaduertissent, multo audacius in eundem se locum contulere. Tanta deinde telorum vir ab hostibus iecta fuit, vt nihil aliud, quam sagittæ densissimæ, & globi ferrei, & lapidei, & plumbei, in tenebris illis, quas fumus efficiebat, & in illis horrificis incendijs, cerni, & cõspici posset. Hic Paciecus, animo conturbatus, oculos in cælum sustulit, & maxima voce, vt ab hominibus audiretur,

Paciecij ad Deũ preces.

O summe cæli rector, inquit, scio me commisisse flagitia maximo supplicio digna. Te tamen suppliciter oro, vt in aliud tempus vindictam differas, in quo non decus, & gloria tui sanctissimi nominis agatur. Hæc vbi dixit, iterum tormentum dirigi, atque librari iussit. Emissus cum maximo fragore globus, Castelli bonam partem dissipat, & homines in mare deturbat: nostri manus in cælum tendere, Christi nomen celebrare, numen illius præsens agnoscere, & tunc multo alacrius hostibus obsistere. Fuit tandem Castellum alijs globorum ictibus disiectum. Alia tamen Castella nihilo secius in loco permanebant: &, qui in illis erant, summa contentione pugnabant, vt Lusitanos obruerent. Sed, cum non possent accedere, eminus pilas innumerabiles, & ingentem telorum multitudinem sine vlla intermissione iaciebant. E nostris nullum frustra telum in hostes accidebat. Multi enim ex illis cæsi sunt, multiq. parones aut depressi, aut dilacerati. Dum ad hunc modum mari decertatur, Rex Calecutiensis in vadum summis viribus inuadit, & in vlteriorem ripam erumpere conatur. At Christophorus Iusartes, & Simon Andradius, qui minoribus nauigijs vehebantur, & Laurentius Morenus, qui ex paronibus Cochimẽsibus pugnabat, summa ope resistere contendebant. Cochimensis etiam Princeps, cum mille e suis militibus, qui vallum tuebantur, strenuam eo die operam nauauit. Omnes ita se gesserunt, vt non modo transitum intercluderent, sed etiam multis incommodis hostes afficerent. Constat, hoc prælium fuisse multo superioribus atrocius, & immanius, in eoq. multas naues hostium depressas, & magnam hominum multitudinem exstinctam. Prœlium, cũ prima luce commissum fuisset, ad vesperum ductum fuit. Aestus tandem violenter accedens, vadum compleuit aquis, & Castella in contrariam partem compulit: & sic tãdem fuit necessario ab omnibus certamen omissum. Ex nostris multi vulnerati fuerunt, nullus tamen occisus. Post hanc pugnam, fuit aliquot diebus cessatum, quibus Rex Cochimensis Paciecum valde lætus inuisit, multis laudibus affecit, &, vt nostros omni commeatu, & terræ fructibus reficeret, operam dedit. Calecutiensis vero, cum iam victoriam desperasset, & domum redire vehementer expeteret, tamen, cum multi illum, vt signa rursus in Lusitanos inferret, & extremum belli casum experiretur, importune sollicitarẽt, post reliquas clades acceptas, illos aggressus est. Sed, cũ nostri, victorijs elati, multo acrius depugnarent, & hostes, cladibus exterriti, nimis titubanter, & timide pugnam capesserent, eueniebat, vt hostes multo facilius funderentur, & classis multis partibus dilacerata e prælio discederet. Calecutiensis igitur, auguribus acriter infensus, qui, quasi de Deorum sententia loquerentur, eum in firmissimam spem victoriæ fraudulenter induxerant, detestatus oracula, exercitum reduxit. Non tamen cessauit insidias struere, quibus Paciecum interimeret. Sed, detectis insidijs, fuerunt aliquot proditores a Paciecio primum fustibus acerrime verberati, deinde ad extremum supplicium detrusi. Sed, cum se multi e Cochimensi nobilitate medios interponerent, & a Pacieco enixe contenderent, vt hominibus ignosceret, is eos ad Regem misit, vt de illis, quod ei commodius videretur, statueret. Calecutiensis igitur, cum cerneret nihil sibi, vt cogitarat, processisse, odio vitæ, & tanti dedecoris offensione, Regno se abdicauit, & Naubeadarimum in Regia sede constituit; ipseq. fanum, & ædes religione consecratas ingressus est, vt ibi in Deorum suorum cultu, quod reliquum erat vitæ, consumeret.

Castellũ globis deiectum.

Prœlium terrestre.

Clades hostium, & Lusitanorum victoria insignis.

Nouæ hostiũ calamitas.

Insidiæ, Paciecoa Calecutiẽsi Regẽ structæ.

Calecutiensis Regno se abdicat.

Mater

Matris litteris Calecutiensis ad vindictam excitatus.

Mater tamẽ illius, mulier natura ferox, illum litteris, atque nuntijs stimulabat, vt bellum repeteret. Non esse ferendum, ita consternari animo, vt vindictæ spem omnino deponeret. Præstare namque, millies mortem oppetere, quam tantum dedecus inultum relinquere. Illam religionis speciem, nõ esse pietatis, sed timiditatis argumentum. Proinde, si vellet hominum famæ commendari, & in dignitatẽ amissam restitui, forti animo pergeret, & hostibus demonstraret, se nullo casu de mentis statu detorqueri potuisse. His instigatus orationibus, rursus egressus est, vt bellum renouaret. Sed omnes Reges, & Principes, qui eum secuti fuerant, rebus illius desperatis, abierant, neque rursus ad belli societatem adduci poterant. Quin etiam multi pacem cũ Trimumpara, & Paciecio fecerant. Ea desperatione fractus, se rursus in fanum recepit. Fuit bellum hoc a Pacieco intra quinque menses, maximo cum labore, & hominis insigni gloria, confectum. In quo quidem, vt postea compertum fuit, hostis vndeuiginti millia hominum, partim morbis, partim prœlijs amisit, & magnam præterea nauium multitudinem. Profligato hoc bello, & pace cum multis Principibus firmata, fuit Paciecus factus certior, Coulami tumultuari cœpisse, & Saracenos, cũ fieri non posse crederent, vt Lusitani ex hostium manibus euaderent, de eorum, qui Coulami remanserant, pernicie coniurasse, vnumq. Lusitanum hominẽ eorum fraudibus occisum. Paciecus igitur Coulamum pergit, de homicidis supplicium sumere nõ potuit, ne magnam discordiam in ciuitate cum maximo nostrorum discrimine concitaret. A principibus tamen ciuitatis efflagitauit, vt in fœdere permanerent. Cautum namque fœdere fuisse, ne nauis vlla aromatũ onus acciperet, ante quã nauibus Lusitanis fuisset iustum pondus impositum. Se vero cernere in portu Saracenorum naues onustas, & Emmanuelis Regis naues inanes. Respondent, id non voluntate sua, sed Saracenorum importunitate & audacia, quam reprimere, propter illorũ summas opes nequiuerãt, accidisse. Paciecus igitur, de Principum consensu, Saracenorum nauibus exoneratis, & pretio aromatum eis persoluto, ea confestim in Regias naues imponenda curauit. Deinde vela fieri iussit, & illam oram Indicam cũ nauibus instructis peruagatus est, & aliquot naues cepit, & prædas etiam fecit.

Belli Calecutij tempus, 5. menses.

Coulami tumultus.

Paciecij p India fama, & auctoritas.

Tantaq. erat virtutis illius opinio, tantusq. ab eo metus, & Regibus, & Dynastis, & piratis etiam incussus, vt nemo auderet armis illius obsistere. Hæc autem ab eo gesta sunt vsque ad Septembris mensis initium eiusdem anni, qui fuit a CHRISTO nato MDIV. Eo tempore Lupus Suarius, cuius antea mentio facta est, cum classe tredecim nauium in Indiam peruenit. Is, litteris Petri Ataidei, quas in vrbe Mozambiquensi, antequam obiret, scriptas reliquerat, fuerat de belli magnitudine, quod a Calecutiensi parari existimabatur, admonitus. Id etiam Melindius Rex, cum is ad illius portum naues appulisset, significarat. Eaq. de caussa magnam in illo cursu celeritatem susceperat, vsque eo, dum in Anchedi uam insulam peruenire. Ibi Antonium Saldagnam, & Rodericum Laurentium, qui in ea insula hiemarant, offendit. Inde, cum iam ver in regionibus illis inciperet, Cananorem profectus, e Rege Cananoris, & a Gonzalo Barbosa, qui Regis Emmanuelis negotia procurabat, de rebus a Pacieco gestis certior factus est. Postridie autem illius diei, quo fuerat cum Rege Cananoris amantissime collocutus, venit ad illum Arabs quidam, cum puero Lusitano, atque litteris, a Lusitanis, qui fuerant Capralis tempore capti, datis. Suma litterarum hæc erat. Regis Calecutiensis opes fractas, atque comminutas esse: consilium, quo bellum fuerat susceptum, post tantas clades acceptas (vt ab imperitis fieri solet, qui non, antequam temeritatis pœnas luant, rebus suis consulere norunt) ab omnibus improbari. Ciuitatis Principes eos admonuisse, vt scriberent ad Lusitanos Duces, si pacem cum Rege Calecutiensi fieri vellent, nullum tempus magis ad eam opportunum optari posse. Regem namque semper bellum illud detestatum fuisse. Esseq. natura benignum, & in fide tuenda constantem. In litterarum fine orabant, & obtestabantur, ne a consilio pacis abhorreret. Fore namque, vt, præter vtilitatem, quæ posset ex ea Lusitanis afferri, vt ipsi e miserrima seruitute in libertatem vindicarentur. His lectis litteris, Suarius Saracenum dimittere, & puerum retinere voluit. Puer autem constantissime repugnauit, dicens, se numquam tantum in se dedecus admissurum, vt, contra datam fidem, causssam crudelissimæ cædis, quæ erat, si ille non rediret, Christianis, qui vincti remanserant, afferenda, metu mortis, aut seruitutis afferret. Suarius, illis dimissis, Calecutium versus nauigare instituit. Cum vero iam in Calecutiensi portu consisteret, ijdem ciuitatis Principes ad eum varia ciborum genera, & fructus multiplices, in signum amicitiæ, continuo miserunt. Quæ omnia ille repudiauit, asserens, se nullo modo quidquam ab eis, antequã pax fieret, accepturum. Numquam enim hostile munus vllam iucunditatẽ hostibus attulisse. Venit deinde cojebiquius Saracenus, ille, cuius, vt antea dictũ est, egregia in Lusitanos merita constiterunt. Cũ illo autem duo ex captiuis Lusitanis veniebant: de pace agi continuo cœptum est. Principes orabant, vt Regis aduentum exspectaret, qui erat intra quattuor dies vẽturus. Dixit Suarius, se pacem minime daturum, nisi prius sibi Lusitani cum Mediolanensibus redderentur: & in eo perstitit. De Lusitanis quidem

Litteræ Lusitanorum quorũdam captiuorũ ad Suarium.

Mira pueri fides, ac constantia.

Tractatus pacis, a Suario cum Calecutiis initus.

Lupi Suarii cum 13. nauibus in Indiã aduentus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fuisset illi facillime satisfactum. De Mediolanensibus vero, quo modo id, quod postulabatur, absque nefario scelere fieri posset, minime videbant. Turpissimum namque facinus existimabant, eos, qui fuerant in fidē recepti, contra datā fidem, ad supplicium tradere. Quo autem illi rectius se gerebant, eo Ducis nostri consilium reprehensione maiore dignum arbitror, qui pluris esse statuebat, de duobus transfugis, & peregrinis supplicium sumere, quam tot ciues in libertatem asserere. Accedebat etiam turpissimæ timiditatis indiciū, cum adeo pertinaciter in eo postulato perseueraret, quasi post res hostiū afflictas, posset aliquod maximū malū a duobus illis hominibus in nostrorum pernicié comparari. Præterea, qui in alijs perfidiā vindicandā arbitrantur, quo modo par est, vt eos, cū quibus pacē cōciliari volunt, fidē violare cōpellant. Et, vt nihil aliud dicam, cū bellum cum hoste ciuiū caussa suscipiendum sit, multo vigilantius est, de ciuium salute, quam de hostiū interitu, cogitandū. Hęc quidē non considerans Suarius, minime de Lusitanorū vita, & de Coiebiquij etiā, qui propter Lusitanum nomē in summo discrimine versabatur, statu, & conditione sollicitus, cum illius postulato minime satisfieret, vrbē tormentis cōquassauit, & ædes quāplurimas diruit. Inde vero Cochimū petijt, & Regem inuisit, & Emmanuelis nomine fidem illius collaudauit, Regiaq. illi munera satis ampla detulit. Deinde Duces duos, quorum vnus Petrus Mendoza, alter Vascus Carualius appellabatur, cū nauibus, quibus prærāt, misit, vt totā illam oram, vsque ad Calecutij portum, amicis, atque fœderatis tutā, & hostibus infestā redderent. Alfonso autē Lupio Costæ, & Petro Alfōso Aquilari, & Leonello Coutignio, & Roderico Abræo, negotiū dedit, vt Coulamum peterent, vt aromata, quæ erant iam industria, & labore Pacieci congesta, a procuratore acciperent, & naues sibi attributas onrarent. Paciecus autē, nauibus ex animi sententia oneratis, Cochimum reuersus est, & a Suario tantis laudibus affectus, quantis erat, omnium confessione, dignissimus. Hic fuit Suario nuntius allatus, Cranganorē ciuitatē, quæ in Calecutiensium fide permanserat, esse in armis, omnesq. ciues ad bellū sollicitari, & Ducē, nomine Maimamē, octoginta parones, & quinque naues instruxisse: terra vero Naubeadarimū magnū exercitū eduxisse, & copias in dies augeri. Hæc aūt omnia eo cōsilio fieri, vt, cum primū Lusitana classis e portu Cochimensi solueret, de improuiso Regē opprimerent. Alio namque vado, nomine Paliporto, quod multo commodius arbitrabantur, copias traducere cogitabāt. His belli motibus exploratis, Suario, de reliquorū Ducum sentētia, visum est, Cranganorē festinanter inuehi, vt hostes inopinātes de conatu depelleret. Itaque, vna nocte, cū scaphis quindecim, paronibus quinque & viginti, & Carauela vna, magno silentio, proficiscuntur. Erant in ea classe Lusitani mille, & mille Cochimenses. Cochimēsis vero Princeps eos in Paliporto cum octingentis militibus opperiebatur. Inde Princeps terra, nostri Duces mari, eo quo destinarant, alacres, & pleni fiducia, contendunt. Suarius Tristanum Siluium, & Antonium Saldagnam, & Petrum Alfonsum Aquilarem, & Alfonsum costam, & Vascum Carualium, in classis fronte constituit. Dux vero Maimames, eo tempore, in duabus magnis nauibus, catenis inter se fortissime colligatis cum duobus filijs insidebat. Naues erant iam tormentis & munitionibus, & magno telorum numero, & militum etiam multitudine, ad confligendum, si opus ita fuisset, comparatæ. Quinque illi Duces, qui primum agmen ducebant, in eas inuehuntur. Maimames, & illius filij, incredibili animorum robore, resistunt; eorumq. virtute factum est, vt diutius, quam quisquam opinari potuisset, prœlium traheretur. Tandem Maimames cum filijs occiditur; milites, atque nautæ, se in mare, alia ex parte, conijciunt. Reliqui Duces, cum in parones incurrerent, non magno certamine, eos in fugam compulerunt. Superata classe, Lusitani Duces in terram copias exponunt: Cochimensis Princeps suas etiam adiungit. Naubeadarimi exercitus obuiā prodit. Fuit continuo prœlium, summa vtriusque partis contentione, commissum. Cum tamen ex hostibus multi caderent, reliqui tanto metu perterriti sunt, vt in vrbem trepide fugerent, omnemq. illius tuendæ curam deponerent. Itaque, ea celeritate, qua per vnam portam ingressi fuerant, per aliam egrediuntur. Nostri, in illorum tergis hærentes, vno impetu in vrbem ingressi, eam coniectis ignibus inflammant. Sunt ædes e ligno maxima ex parte ædificatæ, & congestis palmarum folijs integuntur, ita, vt subito flammam corripiant. Dum ignis omnia populatur, incolæ Christiani, qui antea, hostium metu, latitabant, accurrunt, & a nostris petunt, vt incendium restinguant, ne sacras ædes, in quibus illi religioni operam dabant, simul incenderent. Cum id nostri facere conarentur, non tanta potuit adhiberi diligētia, vt non, prius quam ignis opprimi, & exstingui posset, multæ etiā christianorum ædes eisdem flammis absumerentur. Domicilia Arabum, atque Iudæorum, quæ nondum fuerant incensa, spoliata repente sunt. Naues, & parones eodem incendio conflagrarunt. Tormenta tamen prius, & arma, & munitiones, quæ nostris vsui esse poterant, in nauibus impositæ. Hac re gesta, Suarius, cum reliquis Ducibus, Cochimum redijt. Sed, quia iam sæpe Cranganoris mentio facta est, operæ pretium erit, de illius situ, & magnitudine, de gentiū, quæ illam incolebant, multitudine, de Christiano-

Calecutium oppugnatum

Varia Lusitanis ducibus præscripta munera.

Cranganoris tumultus.

Paliportū vadum.

Bellū aduersus Cranganorenses.

Præliū nauale.

Lusitanorum victoria.

Prœlium terrestre.

Hostiū fuga.

Crāganor capta, & incēsa

Cranganoris vrbis, & incolarum descriptio.

stianorum, qui in ea habitabant, moribus, & institutis pauca dicere. Distat Cranganor, Cochimo, ad Septētriones, decem & sex milli bus passuum. Fluminis quod propter illam in mare influit, varijs flexibus alluitur. Erat vrbs sane magna, & a multis nationibus, propter admodum celebre emporium, frequenta ta. Ciuitas erat libera, & magistratibus legitimis, populi suffragio creatis, regebatur. In patrocinio tamen Calecutiensis Regis latebat, & illius partes, vbi bellum aliquod motū erat, sine recusatione sequebatur. Ab illius tamen fide defecit, postquam illius res nostrorum armis afflictas esse cognouit. Habitant in ea, præter indigenas, aduenæ quamplurimi, qui ex Arabia, & ex alijs regionibus, eo, mercaturæ faciendæ gratia, confluxerunt. Indigenæ, qui simulacris dediti sunt, eisdem moribus, quibus reliqui Malabares, vtuntur. Christiani templa habent non satis eleganter ædificata. Sunt enim eorum opes valde tenues. Septimo quoque die, quem Dominicum appellamus, in templum conueniunt, vt sacris interssint, & conciones audiant. Summus eorum antistes, in montibus, qui ad Septemtriones spectant, a mari disiunctissimis, quam illi regionem Chaldæam nominant, sedem habet. Is, cum duodecim Cardinalibus, & duobus Patriarchis, & multis Pontificibus, qui in consilium similiter adhibentur, omnia, quæ ad religionem faciendam pertinent, decernit. Huic omnes Christiani, qui in orientis Solis regionibus habitant, obtemperant. Sacerdotes in capite ita sunt attonsi, vt Crucis imaginem in vertice summo contineant. Vino ex passis vuis confecto in sacrificijs vtuntur. Omnibus sine discrimine, cum ad Eucharistiam accedunt, non solum CHRISTI corpus in panis specie, verum & in Calicis consecrati potione porrigitur. Nemo tamen epulum illud Diuinum sumit, ante quam flagitiorum confessione animorum sordes eluat. Pueri infantes nullo modo ante quadragesimum diem, nisi periculum aliquod impendere eorum vitæ perspectum fuerit, sacris aquis expiantur. Cum aliquis periculoso morbo premitur, sacerdos illum inuisit: ægroti sacerdotis precatione animum alleuari, confidunt. In ingressu templi, lustralibus aquis, perinde atque nos facimus, adsperguntur. Eodem etiam ritu mortuos, & eadem religione sepeliunt. Deinde cognati, & affines, epulum dāt, & octo dies conuiuijs, mortuorum gratia instructis, accumbunt, & illorum memoriam celebrant, & pro eorum sempiterna salute Christum venerantur. Viduæ, quæ ante annum post virorum obitum nubunt, dotem amittunt. Sanctas litteras, Syrio sermone, quem Chaldæum nominant, scriptas, studiosissime colunt, earumq. interpretes in locis publicis, omnes, qui conueniunt, ad earum intelligentiam, diligenter erudiunt. Ieiunia, temporibus, quæ Aduentū, & Quadragesimam appellamus, diligenter obseruant. Sacra sollemnia, quibus vtimur, summa cum religione, & celebritate, procurant. Eandem anni computationem cum die interkalari, qui quarto quoque anno inseri solet, quam obseruamus, diligentissime retinent. Kalendis Iulij non Christiani tantum, sed indigenæ, a sacris Christianę nationis abhorrentes, in Thomæ honorem diem festum agunt. Sunt apud illos & monachorum sodalicia, & virginum sacrarum cœtus ædibus semotis inclusi. Ab omnibus illis, pudicitia, cum summo probitatis, & abstinentiæ, & religionis studio, conseruatur. Sacerdotes vxores ducunt. Prima tamen vxore mortua, est illis in posterum nuptijs omnibus interdictum. Aliorum matrimonium, nisi aut viri, aut vxoris morte, dirimi nulla condicione licet. Hāc autem morum institutionem a tempore Apostoli Thomæ, qui primus eas nationes ad CHRISTI notitiam instruxit, ad hæc nostra tempora continuatam, non solum in Cranganoris regione, sed in multis alijs, Christiani, qui in India sedes habent, summa semper religione, & studio tenuerunt. Corpus illius in vrbe, quam Malipur appellant, quæ ad Regnum Narsinguæ pertinet, sepultum est, multis miraculis celebratum. Tempore, quo Martinus Alfonsus Sousa, vir fortissimus, pro Rege Ioā ne tertio Indiam cum imperio obtinebat, fuerunt ad illum æneæ tabulæ delatæ, in quibus erāt inciſæ litteræ, quarum vsus obsoleuerat, ita, vt nemo eas legere posset. Fuit tandem ab illo Iudæus accersitus, multis linguis eruditus, & minime antiquitatis ignarus, qui eas tandem cum difficultate, propter scripturæ antiquitatem, & linguæ parum notæ rationem, (erat enim ex multis conflata) perlegit. Litteræ autem nihil aliud in summa continebant, quam Regis, qui Thomæ temporibus illis terris imperabat, donationem Thomæ factam telluris certa dimensione definitæ, in qua templum exstrueret. Et, quia huius Diuini viri mētio facta est, nō alienum arbitror, hoc in loco aliud testimonium antiquitatis afferre, quod Thomę monumentum continet. Anno a Christo nato MDLXII. Pontifex Cochimensis misit ad Henricum Cardinalem testimonium publicis litteris consignatum, quod historiam commemoratione dignam continebat. In ea ciuitate, quam diximus appellari Malipur, & nunc, postquam a Lusitanis frequentari cœpit, Sancti Thomæ ciuitas appellatur, erat in colle sacellum ædificatum, eo quod affirmarent incolæ, in eo loco Thomam fuisse a religionis hostibus interfectum. Erat autem hoc sollemniter institutum, vt in eo sacello octo diebus ante diem natalem CHRISTI res Diuina fieret, & omnes Christiani eo conuenirent. Fuerat quoque ante quattuordecim ānos in illo colle inuēta crux in lapide incisa, in cuius fastigio colūbæ ima-

Christianorum Cranganorensium ritus, & mores.

Pontifex summus Indorū.

Sacerdotum tonsura.

Eucharistiæ, & sacrificij vsus.

Confessio.

Baptismus paruulorum.

Aqua lustralis.

Cura mortuorum.

Annus luctus

Sacri libri.

Ieiunia sacra sollemnia.

Anni computus.

Festū D. Thomæ.

Vota monastica.

Sacerdotes coniugati.

Malipure, sepulcrum D. Thomæ.

Insigne de Christianissimi per India antiquitate testimonium

Aliud eadem de re testimonium notatu dignissimū.

D. Thomas vbi mortuus.

Crucis forma antiquissima.

Universidad de Deusto
Biblioteca

go insidebat: basis vero erat in specie quadam herbarum, quæ diffundi latissime videbantur, collocata, & tam fastigium, quam basis, & brachia in liliorum formam desinebant. Arcus eam ex eodem lapide factus vndique muniebat. In arcu erant incisæ litteræ, quas nemo legere poterat. Totum hoc opus integrum, quod erat satis magnum, fuit super altare eiusdem sacelli multorum operis statutum. In Cruce eminebant notæ sanguinis insignes. Accidit autem die, quo Christiani conueniebant, vt in eo fano salutationem ab Angelo factam sanctissimæ VIRGINI, octo dies ante quam dies CHRISTI natalis adueniret, celebrarent, cum sacerdos, qui rem Diuinam faciebat, Euangelium inchoaret, vt Crux in nigrum colorem verteretur, & liquor ex illa incredibili copia dimanaret: deinde color cæruleus pro nigro subiret. In locis autem, vbi notę sanguinis exstabant, rosei coloris splendor eluxit. Sequentibus deinde annis eodem die idem semper eueniebat. Nec enim alio die (quod magnam admirationem commouebat) id in illa Cruce cernebatur. Fuit tamen aliquo tempore eius rei, quæ admirabilis omnibus videbatur, intermissio. Anno autem MDLXI. cum Christiani in eundem locum cum eadem pompa, & celebritate conuenirent, eo die, quo Crux, dum sacrificium fieret, stillare solebat, & sacerdos Euangelium inchoaret, (id enim etiam admirandum videbatur, quod numquam prius, quam Euangelium legi cœpisset, ea Crucis mutatio fieret) Crux repente nigris maculis, splendidis tamen, inficeretur, donec tandem, alijs atque alijs subeuntibus, tota nigresceret. Ita vero splendebat, atque si fuisset oleo delibuta. Tum, instar roris, guttæ defluere cœperunt, quæ, paullatim grandiores effectæ, totã Crucem humore largissimo compleuerunt. Peregit sacerdos cum multis lacrymis, & crebro singultu, sacrificium. Deinde adscendit in altare, & linteis, quibus in rebus sacris de more procurandis vti solebat, Crucem extersit. Linteа maculis sanguineis tincta repente sunt. Ciuitatis præfectus, & reliqua multitudo, quę conuenerat, manus in cælum tendere, CHRISTI numen implorare, flagitiorum veniam postulare, & ad studium ardentius religionis excitari. Crux autem, postquam multo liquore fluxit, clarius splendere cœpit, & color sanguineus euidentius eluxit. Hoc signum commouit & Prefectum vrbis, & primarium sacerdotem, vt diligenter inquirerent, ecquis esset, qui litteras illas interpretari posset. Aiunt incolæ, in Narsingæ Regno esse Brachmanã, inter omnes Brachmanas litteris, & eruditione præstantem, qui varias linguas tenebat. Hominem continuo accersunt, & interrogant, an ilias litteras nosset. Respondet, litteras esse priscas, quibus antiqui sapientes vtebantur: negligentia vero hominum, factum esse, vt earum cognitio interiret. Quin etiam linguam, qua erant descriptæ, a paucis admodum teneri. Admonent illi Brachmanam, vt in altare adscendat. Restitit ille, & nefarium facinus esse dixit, altare, in quo res Diuina fieret, humanis pedibus conculcari. Inuitus tamen subijt, & litteras perlegit; quarum vim eam esse dixit, vt vna nota decem, & quindecim, & viginti litterarum officio fungeretur. Sententia vero litterarum hæc erat in summa. Thomam, Diuinum virum, fuisse a Dei filio, cuius erat discipulus, in eas oras, Sagami Regis tempore, missum, vt DEI summi notitia gentes illas erudiret: ibiq. templum extruxisse, & res admirabiles effecisse; atque tandem, cum, genibus flexis, ad Crucem illam affixus, orationem ad Deum funderet, a quodam Brachmana fuisse hasta transfixum: Crucem vero, eiusdem viri sanctissimi cruore tinctam, ad memoriam virtutis illius sempiternam, relictam fuisse. Hæc erat sententia, quæ litteris continebatur. Fecit autem maiorem fidem alius eiusdem sectæ vir, aliunde accersitus, grandis admodum natu, & sapientiæ opinione præstans, qui litteras in eandem sententiam interpretatus est. Huius autem Crucis exemplum, in eodem ligno, ex quo templum ædificatum perhibent, insculptum, cum litteris, publicis, multorum virorum testimonio consignatis, retineo: cuius fides tantis tunc argumentis explorata fuit, vt nemo possit de tam claris, atque testatis viri Diuini monumentis ambigere. Hæc quidem inserenda putaui, vt rectius percipi possit, quam clara sint apud Indos Christianos Thomæ, viri Diuini, monumenta.

Festum Annuntiationis D. Virginis.

Stupendũ vetustæ Crucis miraculum.

Aliud eiusdẽ Crucis miraculum.

Sententia litterarum vetustæ illius Crucis.

HIERONYMI OSORII LVSITANI DE REBVS EMMANVELIS REGIS LVSITANIAE INVICTISSIMI VIRTVTE ET AVSPICIO GESTIS

LIBER QVARTVS.

Res Europeę.

DVM hæc autem, quæ sunt paullo ante scripta, gerebantur, Emmanuel magnam classem in Indiam comparabat. In ea vero classe misit Francisc um Almeidam, virum insigni virtute præditum, cum summo imperio, qui in Orientis regionibus Regis vice, & officio fungeretur. Partim enim, quod vellet in India aliquod imperij fundamentum iaci; partim, ne Lusitani, qui negotij gerendi caussa relinquebantur, vitæ periculum adirent, & fœderati etiam Reges incommodum aliquod, propter studium Lusitani nominis, subirent, visum est illi, vt vnus Dux in India cum imperio versaretur, qui id posset industria, fide, & vigilantia perficere. Hoc eodem anno, qui fuit MDV. misit Romam Iacobum Sousam, Portugalensem Pontificem, & Iacobum Paciecum, virum iuris ciuilis scientia, & dicendi etiam facultate non vulgari præditum, qui, nomine illius, fidem Iulio II. Pontifici Maximo, qui tunc ad eam summę dignitatis amplitudinem, summo patrum consensu, peruenerat, obligarent, & ab illo peterent, vt, quoniam bellum Africanum non, absque magnis sumptibus, administrari poterat, eos, qui in id aliquid opis sponte sua conferrent, muneribus ex Diuino Ecclesiæ thesauro depromptis afficeret. Eodem ferme tempore venit ad Emmanuelem vir religionis opinione præstans, ex Franciſci, Diuini hominis, institutione, & disciplina, qui Ierosolymis præfectus erat monachorum, qui Sion montem incolunt. Huic nomẽ erat Maurus. Caussa autem aduentus illius hęc fuit. Sultanus, qui tũc Aegyptum, & Syriam imperio continebat, grauiter offensus detrimẽtis, quæ Lusitani rebus suis intulerant, litteras ad Iulium Pontificem Maximum dedit, quas per hunc Maurum mittendas esse statuit, vt illius religione, & auctoritate, facilius Pontificẽ in eam mentem, quam cupiebat, impelleret. Litterarum sententia hæc erat. Se a Regibus Hispaniæ admodum graues iniurias accepisse. Fernãdum namque Aragoniæ Regem Hispaniam Beticam armis inuasisse, & Saracenos, qui eam possidebant, partim crudeliter occidisse, partim, omnibus bonis euersos, in exsilium compulisse, & eos, qui domi remanserãt, durissimo dominatu violenter oppressisse; &, quod multo grauius erat, eos per vim, vt Christi religionem susciperent, coegisse. Non licere autem nec apud Christianos, nec apud Mahumetanos, malo cogere quemquam, vt eam religionem detesterur, in qua fuerat ab incunabulis enutritus. Hoc autem, quod ad commune gentis incommodum, & vastitatem, & religionis iniuriam pertinebat, se dissimulare non posse. Præterea, Emmanuelem Portugaliæ Reg m classibus suis Indiam infestam reddere, grauissimasq. iniurias hominibus, qui ex Aegypto, & Arabia in Indiam nauigabant, intulisse, ipsiusq. Sultani naues cepisse, & direptas incendisse. Id autem nullo iure fieri. Nec enim vmquam ab illo Lusitanos fuisse vlla iniuria lacessitos. Opera tamen eorum, atque immanitate, magnam vectigalium, quæ possidebat, inclinationem fieri. Se vero vsque ad illum diem Christianos, qui vel in Aegypto, & Syria domicilium habebant, vel negotia gerebant, vel CHRISTI Sepulcrum inuisebant, ne vlla iniuria afficerentur, sedulo curauisse. Si vero Reges Hispaniæ pergerent eiusmodi maleficijs Mahumetanam gentem diuexare; sibi tunc necesse futurum, vt pestem etiam in nomen Christianum machinaretur, & iniuriam sibi illatam acerrime vindicaret. Se igitur necem Christianis omnibus, qui in Regno illius inuenti essent, illaturum, illorumque templa, &

Eiusdem ad Summũ Pontificem litteræ.

Francisc us Almeida cũ imperio Vice-Regis in Indiam missus.

Annus Domini 1505.

Emmanuelis ad Põt. Max. Legatio.

Aegyptii Sultani ad Emmanuelem legatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CHRISTI etiam Sepulcrum demoliturum, operamq. daturum, vt nomen Christianum in illius imperio deleretur. Præterea, esse sibi in animo, in huius tanti facinoris vltionem, ingentem classem instruere, qua multas Europæ regiones maximis detrimentis afficeret. Postremo, ipsum Iulium admonebat, si vellet ingentem Christianorum multitudinem a nece, & supplicijs eripere, & templa, quæ in Asia, & in Aegypto inuiolata permanserant, tueri, & Christi Sepulcrum defendere, & a multis oris Christianæ Reip. incendium, & vastitatem propulsare, ageret cum Emmanuele Rege, ne vellet amplius classes in Indiã mittere. Aliter enim maximam Europæ clãdem vitari nõ posse. Has litteras cum ab ipso Mauro Iulius accepisset, earum exemplum ad vtrumq. Hispaniæ Regem per eundẽ Maurum misit, & per litteras ab eis quæsiuit, quod nam responsum vellent, vt ipsi Sultano daret. Quid Fernandus Iulio responderit, a nobis explorari non potuit. Emmanuel vero in hãc sententiam rescripsit. Vidi, Pater sanctissime, litteras tuas, quas mihi Maurus attulit; & simul exemplum litterarum, quas tibi Sultanus misit, accepi; in quibus de iniurijs, quas Mauris, Granatæ Regnum incolentibus, intulit Fernandus Rex, quem in loco patris amantissimi colo, & obseruo, conqueritur; & simul de damnis, quæ Saraceni a Lusitanis in India accepere, grauissimis verbis expostulat. In quo quidem inuitus nomen nostrum illustrat, dum ostendit, quam sit vterq. nostrum Saracenis infestus. Quid enim fieri potest a Christianis Principibus ad gloriam sempiternam aptius, & elegantius, quam omnes suos conatus ad Mahumetis diram, & nefariam superstitionem tollendam, & nomen perditissimi latronis exstinguendum comparare? Minas deinde iactat, & terrores barbara quadam superbia, & immanitate proponit, existimans fieri posse, vt, qui pro CHRISTI religione pugnant, aliqua verborum atrocitate perterriti, ab instituto facinore, & a suscepta religionis sanctissimæ caussa continuo desistant. Socer meus Fernandus, Rex inuictissimus, dignum rebus a se clarissime gestis, dignumq. virtute, & sapientia sua responsum dabit. Hoc tamen scio, numquam fore, vt ille sic hostis barbari minas extimescat, vt gloriæ sempiternæ, quam ex Hispania, Arabum tyrannide liberata, adeptus est, eum aliquando pæniteat. De me vero hoc tibi, Pater sanctissime, affirmare possum, mihi maxime molestum esse, non multo grauiorem querimoniæ caussam tyranno isti subesse, qua stimulatus, multo ferocius verbis accepta detrimenta vindicaret, &, quos virtute frangere non posset, oratione minaciter exterrere frustra conaretur. Nobis enim, cum iter in Indiam classibus nostris aperire, & regiones Maioribus nostris incognitas explorare decreuimus, hoc propositum fuit, vt ipsum Mahumetanæ sectæ caput vnde tam multa mala in orbem terrarum, opera dæmonis infestissimi, redundarunt, exstingueremus, & Mecha, Arabiæ ciuitas, in qua Mahumetis sepulcrum est, Lusitanorum armis excisa, funditus interiret. Quod autem hoc non sit vt cupiebamus, effectum, indignissime patimur. Spem tamen habemus, fore, vt CHRISTI præsidio id opus aliquando perficiatur, cuius iam nunc fundamenta, Lusitanorum virtute, & industria, iaciuntur. Tunc igitur, cum Mahumetis monumenta euersa, atque disiecta fuerint, cum tellurem, quæ tantum monstrum aluit, & quæ reliquias illius gremio suo complectitur, exscindi, & vastari perspexerit, fremat immanis, & importunus hostis, & istas minas inanes proponat; & non, modo, cum est tam leuibus damnis affectus. In quo vero nomini Christiano cædẽ, CHRISTI Sepulcro euersionem, Europæ ferro, atque flamma minitatur, non est, cur quisquam merito possit inania verborum portenta metuere. Nec enim hostis auarus vectigalia sua, quę Christianorum religione amplificari cernit, excisione Sanctissimi Sepulcri, & aliorum locorum, quæ frequentari a Christianis cum magno illius commodo videt, imminui patietur; nec adeo mentis expers est, vt velit, ea iniuria vniuersæ Reip. Christianæ facta, omniũ animos irritare, & a mutuis dissensionibus ad suam pestem, atque perniciem traducere. Communis enim offensio, & contumelia solet animos dissidentes coniungere, & stimulis incitare ad pœnas de hoste superbissimo repetendas. Non est autẽ gens Christiana vsque eo vel sanctissimæ religionis, vel antiqui decoris oblita, vt tantum hostis facinus inultũ, & impunitum relinquat. Non dubito igitur, quin, si hanc stragem Sultanus ediderit, omnes Christiani, tam iuuenes, quam senes, vndique certatim confluant, vt tantum scelus animis coniunctissimis vlciscantur. Quod cũ ille plane percipiat, non erit adeo amens, vt tantum sibi, atque suis opibus periculum struere velit. Valde tamen doleo, tantos ex Christianorum Principum discordijs animos tyrannum istum assumpsisse, vt atrociter etiã illis minari audeat, per quos potuisset facillime imperium illius, atque nomen exstingui. Quare, Pater sanctissime, te non modo hortor, & moneo, verum etiam suppliciter oro, vt actionem istam, dignam virtute tua, dignã religione, & sapientia, dignam istius loci, in quo CHRISTI vicem geris, amplitudine, & sanctitate, suscipias, vt Christianos Principes, inter se nefarie dissidentes, in concordiã auctoritate tua sacrosancta reducas, vt summa animorum conspiratione, signa in Africam, & Asiam inferant, quibus hostem, non virtute sua, sed Christianorum negligentia ferocem, de statu deijciant, Mahumetisq. nomen ex hominum memoria penitus euellendum

Emmanuelis ad Põtificem summum litteræ de Legatione Aegyptia.

Indicarũ nauigationum Emmanuelis scopus, aut finis.

dum curent. Quod si feceris, præclare viam in cælum munies, nomenq. tuum memoriæ sempiternæ consecrabis. Hoc quidem iam ab Alexandro Pontifice, in cuius locum successisti, aliquot Principes Christiani, mecum simul, magna contentione, postularunt. Sed iccirco fortasse tunc id effectum minime fuit, quod DEVS hanc vni tibi immortalis laudis, & gloriæ materiam reseruabat. In quo vero nos admones, vt, quod responsum te Sultano dare velimus, tibi per litteras significemus, animum istum in nos humanitatis, & clementiæ plenissimum libenter agnoscimus, quem per petuo vitæ studio, & debita pietate, & veneratione prosequemur. Nostrum tamen non est, vel sapientiæ tuæ, vel grauissimo Cardinalium senatui præscribere, quid hosti respondendum sit; sed tantum, quæ nostra mens sit, & quid animis agitemus, aperire. Vt igitur, quid habeam in animo, tibi demonstrem, is plane sum, quem nullæ minæ, nulli terrores, nullæ difficultates impediant, quo minus exsequar id, quod semel instituí, & eo omnes animi neruos intendam, vt pro mea parte, quanta maxima belli contentione possim, contendam, & frangam hostis feri, & immanis audaciam. CHRISTVM Optimum Maximũ precor, vt spiritus sui numine mentem tuam confirmet, vt perpetuo possis, quemadmodum facis, illius Ecclesiam, cum magna Sanctitatis tuæ gloria, gubernare. Cum his litteris Emmanuel Maurum donis, & muneribus affectũ dimisit: qui, alijs a Fernando Rege litteris similiter acceptis, Romam redijt, atque inde cum Pontificis Maximi litteris ad Sultanum reuersus est. E quibus Sultanus intellexit, non minis, sed viribus, esse cum Lusitano confligendum. Classem igitur magnam instruendã suscepit, qua in India Lusitanos opprimeret: de qua suo loco dicemus. Hoc anno Lupus Suarius Olysipponem peruenit. Et, quamquam is fuisset, tam a Rege, quam ab omni nobilitate, cum maxima gratulatione acceptus, omnium tamen oculi in Paciecum, qui cum illo veniebat, cum incredibili admiratione conijciebantur. Illius enim in gerendo bello celeritatem, in periculis animi magnitudinem, in laboribus perferendis constantiam, in exitu præliorum felicitatem multis in cælum laudibus efferebant. Rex supplicationem, illius nomine, decreuit, & a maximo Vrbis templo in aliud Templum sanctum, & religiosum, Diui Dominici nomine consecratum, cum sollemni pompa, cum suis incessit. Illius autem latus Paciecus tegebat, vt omnes perspicerent, quãto honore Rex virtutem honestaret. Vbi ad templum ventum est, Iacobus Ortisius, Visensis Episcopus, vir sanctis litteris non mediocriter eruditus, atque disertus, orationẽ luculentam habuit, qua hominis egregia, & admiranda facinora verbis amplissimis ornauit, ita tamen, vt omnia ad DEI gloriam, vt par erat, & pie, & sancte reuocaret. Nec hoc tanto honore contentus Emmanuel, litteras ad omnes ferme Christianos Principes dedit, quibus res a Pacieco gestas debitis laudibus illustrabat; vt nomen illius per omnem Christianam Remp. cum maxima nominis gloria vagaretur. Sed, vt intelligi possit, quã fallaces sint spes humanæ, non erit abs re, cognoscere, quod tandem fuerit præmium meritis hominis fortissimi persolutum. Cum Rex intelligeret, Paciecum esse nimis tenuem, (quidquid enim habuerat, erat in armis absumptum) neque quidquam ex India, præter egregiam laudem, ex bello tam periculoso, fortiter, & feliciter administrato, reportasse, illum præfecit vrbi Aethiopiæ, quam Sancti Georgij nomine nuncupari diximus, vnde aurum in Lusitaniam importari solet, vt in ea præfectura cõmode posset rei familiari prospicere. Sed, cum is inuidia maxima flagraret, fuit ab inimicis, & inuidis insimulatus, quod Regem maximo auri pondere fraudasset, multaq. scelera, & flagitia suscepisset. Rex igitur illum vinctum catenis in Lusitaniam perduci iussit, vbi longo tempore carcere inclusus miserrime vixit, vsque eo, dum, re diligentius excussa, compertum fuit, crimina illi ab inimicis illata, partim falsa, partim leuia fuisse. Tunc igitur vinculis expeditus, & in dignitatem restitutus fuit, sed non illo præmio affectus, quod tam eximiæ virtuti debebatur, adeo, vt vitam in egestate traduceret. Tantum valet sæpenumero, quod est opera maleuolorum hominum, optimorum Regum auribus inculcatum, vt eos a virtute debitis muneribus afficienda, in quo maxime laudis Regiæ magnitudo consistit, abducat. Eodem anno Rex leges multas vetustis legibus addidit, & antiqua instituta correxit, multaq. sanxit amplificãdis vectigalibus accõmodata, summamq. diligentiam adhibuit in regendis finibus prædiorum, quæ erant locis religiosis, & peregrinorum, & pauperum ægrotantium vsibus destinata. Per idem fere tempus Ioannes Siqueira, Regis permissu, in Aethiopiæ regione, quam Gadanabarum appellant, in promontorio, nomine Guer, arcem exstruxit: quam postea, cum eam tueri minime posset, Regi tradidit, qui laborem, & sumptus illius Regia magnificentia compensauit. At Octobri mense pestifera lues Olysipponem inuasit, multosq. mortales absumpsit. qua pestilẽtia coactus Emmanuel, se Almeirinum contulit. Erat eo tempore Arziliæ Franciscus Pereira Pestana, vir nobilis, & acer, qui iam multa in re militari facinora egregię virtutis ediderat. Is a Ioanne Menesio, qui, vt dictum est, Arziliæ præerat, equites septuaginta obtinuit, quibus stipatus, pagum in monte præcelso, & edito situm spoliaret. Nocte igitur egressus, insidias non longe a pago posuit. Vbi diluxit, montani, qui pagum incolebant, greges

pecudum,

Suarij in Lusitaniam reditus.

Pacieci commendatio, & in Lusitania auctoritas.

Pacieci fortuna tenuis, & summa integritas.

Summa in Paciecum ingratitudo.

Nouæ leges Emmanuelis

Res Africanæ. Gadanabarum, Aethiopiæ Regio.

Olysipponẽ inuadit pestis.

Franeus Pereira Pestana

Universidad de Deusto
Biblioteca

pecudum,& armenta paſtum egere. Peſtana, illos inopinantes aggreſſus,in fugam compulit,omneſq. greges abegit,& cum ea præda domum redire inſtituit. At Mauri,de gentis more, ſublatis clamoribus,& ſigno dato,vicinitatem excitarunt.Multi igitur equites conuenere, Peſtanamq. celeriter inſecuti ſunt. Peſtana eorum impetum,vt poterat,ſuſtinebat; & ſenſim ſe Arziliam recipiebat; & interdum in hoſtes,incitatis equis,impetum dabat, vt eorum ferociam frangeret. Cum vero iam octo millia paſſuum progreſſus fuiſſet, & Arzilia quattuor adhuc millibus abeſſet, & valde hoſtium incurſu premeretur, ſuos in collem editum ſubduxit.Hoſtes, cum ſuſpicarentur inſidias poſt collem latere,ſubſtiterunt. Reliquũ igitur iter expeditũ noſtris eſſe videbatur,vt tuto ſe reciperent. Erat in eo comitatu eques quidam valde ſtrenuus,nomine Iacobus Viegas,qui,magnis vocibus,omnes,vt in Mauros incurrerent,incitare cœpit. Agite,inquit,in hoſtes inuehamur.Impetum,mihi credite,no ſtrum minime ſuſtinebunt. Peſtana,cum eſſet natura ferox,iracundia flagrauit, hominemque aſperis verbis accepit. Et inter alia probra,illi cannabeam veſtem, qua tunc erat indutus,obiecit: Et tamen tam demens eris,inquit, vt tale conſilium homini bellandi perito dare audeas? Hic Viegas, ridens, inquit: Hæc cannabea veſtis,o Peſtana, chalybea tibi conſeſtim apparebit. Hac oratione Peſtana in cenſus ait: Si adeo fortis es, id videre ſtatim cupio. Agite igitur, commilitones, in hoſtes feramur. Itaque omnes in hoſtes impetum ferunt, eoſque re inopinata perculſos exterrent,atque tandem fundunt,fugantque: octoginta interficiunt, triginta viuos capiũt. Interim vero,dum prœlium committitur,Peſtana in Viegam oculos conijcit. Ille autem tanta virtute dimicabat,vt ipſi Peſtanæ ingẽtem admirationem commoueret.Itaque,prœlio confecto,Peſtana ad illum ſupplex adijt,dixitque: Vir fortiſſime,da veniam temeritati, aut,ſi lubet,me fuſte cõtunde. Merito.n.hominé tuę virtutis ignarũ plagis afficies.Hac profecto mente ſum, vt, ſi tales ſex equites ſub ſignis haberem, minime dubitarem Conſtantinopolim ingredi,vt Turcarum imperatori catenas inijcerem.Sic demum læti, & bene conuenientes,Arziliam,cum omni præda,quę fuit ſatis magna,reuerſi ſunt. Interim vero in Luſitania peſtis in dies ingraueſcebat,quæ, cum Scallabim contagione peruaſiſſet, &, ne inde propter loci propinquitatem in Regiam penetraret, multi metuerent, fuit coactus Rex inde celeriter emigrare. In opidum autem ſe contulit,cis Tagum in edito colle,ſitum,quod Abrantes appellãt. Ibi vero,cum Regina grauida eſſet,atque ad pariendum vicina, iij. die menſis Martij anno MDVI. filium peperit, quẽ pater Lodouicum appellauit. In quo quidem Principe fuit ſummum virtutis,ingenij, & humanitatis,& religionis ſpecimen,tãtiſq. laudibus excelluit, vt a multis orbis terrarũ imperio dignißimus haberetur. Qui tamen, quãuis virtutis militaris,& imperatorię diſciplinis egregie inſtructus fuiſſet, & pacis etiã artibus, cum magna omnium admiratione, floruiſſet, nulla tamen clarior laus apud illũ viguit ardentiſsimo pietatis ſtudio. Quo quidem adeo flagrabat, vt, quamuis in corpore maneret, animo tamen in cælo ſæpenumero verſaretur. Eodẽ anno fuit claſsis imperio Regis inſtructã,qua Triſtanus Cugna in Indiam nauigaret.Per idẽ ferme tempus Olyſippone tumultus multitudinis,furore,& amẽtia cõcitatus fuit,quo parum abfuit,quin oẽs Hebręi, qui,vt dictũ eſt,ad Chriſti fidem conuerſi fuerant,fœde perirent.Res autẽ ad hunc modũ geſta fuit.Maxima pars ciuiũ, propter peſtilentiam,aberat. Illis forte diebus multi e Gallia Belgica,& Germania,Olyſipponem naues cũ mercibus appulerant. XIX. vero die Aprilis nõ pauci ex ijs,qui in vrbe mãſerant,in Aedẽ, nomine Diui Dominici cõſecratam,cuius ſuperius mentio facta eſt,vt rebus Diuinis operam darent,conuenere. Ad ſiniſtrum latus tẽpli eſt ſacellum ſanctum,& mira omnium religione celebratum, quod IESV Sacellum appellãt. In eo ſupra aram eſt imago CHRISTI Crucifixi collocata, in cuius latere vulnus illud aſsimulatum operculum vitreum contegebat.Cum multi in vulnere illo oculos,& mẽtem defigerent,ex eo ſplendor emicuit. Conclamant igitur omnes,ingẽs eſſe miraculum, cæleſteq. numen præſentiã ſuam ſignis admirandis oſtendere.Quidã ex Hebræis illis, qui non ita prídem Chriſto nomen dederant,maxima voce,miraculum eſſe negauit.nec enim eſſe veriſimile, vt aridum lignum miraculum ederet. Quamuis autem multi de miraculi veritate dubitarent,non tamen tempus, neque perſona,neque concio erat ſatis apta,vt quiſquam ex illo genere deberet tunc in errore illo, intimis hominum ſenſibus penitus inſito, depellendo operam fruſtra conſumere.Multitudo igitur,natura præceps,& inconſiderata, & ſpecie quadam religionis attonita,cum audirent hominem Hebræum miraculo fidẽ derogare, fremere cœpit.Iudæum perfidum, & ſceleratum, religionis proditorem, & CHRISTI hoſtem immanem, & importunum appellat,extremoq. ſupplicio, & cruciatu digniſsimum. Cum ad hunc modum probra vndique multi congererent,exarſit iracundia concio, & impetum in hominem facit, & in capillum inuolat,& raptat,& vexat, & in forum, quod ante templum illud eſt,pertrahit, & crudeliſſime necatum dilacerat,ignemq. repente facit,in quem cadauer illud conijciat. Ad hunc tumultum plebs vniuerſa confluxit. Ibi monachus quidam orationem ſatis popularem habuit, qua multitudinem ad CHRISTI vindictam nimis acriter incitauit.Multitudo,ſatis

Iacobi Viegæ fortitudo

Res Europeę

Peſtis in Luſitania.

Annus 1506 Emmanueli naſcitur Lodouicus filius

Tumultus contra Olyſippone in Hebręos.

Tumultus occaſio.

Seditioſa duorum monachorum antè tia.

ſponte ſua furens, ea oratione vehementius efferata eſt. Duo vero monachi Crucem ſuſtulerunt, maximiſq. vocibus populum ad eædem cõcitarunt.Et altero quoque verbo,Hæreſim,Hæreſim,dicebant, nefandam vindicate,gentemq. ſceleratam exſtinguite.Galli, & Germani,qui in nauibus erant,in terram deſiliunt, & ſe ad Luſitanos, qui iam cædem immanem faciebant,agglomerant.Quingentos homines fuiſſe conſtat illos,a quibus fuit hoc immaniſsimum facinus inſtitutum.Ruunt igitur,& amentia,& ſcelere flagrantes,& in gentem miſeram mimis ferociter inuadunt,multoſq. trucidant, & in ignem ſemiuiuos abijciunt. Erant ad eam crudelitatem pyræ ſatis frequentes exſtructæ eo in loco,vbi primus ille,qui multitudinem offenderat,crematus exſtiterat.Serui,& homines,etiã viliſsimi, ſummo ſtudio, & alacritate, materiam vndique conuehebant, ne ignis poſſet tanto facinori perficiendo deficere. Mulierum luctus, & lamentationes,& virorum imploratione acerbiſsimæ,omniumq. miſerabiles ciulatus,eiuſmodi erant, vt hoſtes immanes miſericordia frangere poſſent.Illi tamen,qui cædem faciebant,ita humanitatem exſuerant,vt nulli neque ſexui, neque ætati parcerent, ſed in omnes, abſque vllo diſcrimine,crudelitatem ſuã exercerent. Et eo quidem die ſupra quingentos homines ex Hebræo genere fuerunt necati,atque combuſti. Sequenti die,cum immanitatis illius rumor late diſſipatus fuiſſet,homines ex pagis,ſcelere, & audacia furentes, ſupra mille in vrbem cõuenere,& ſe ad reliquos ſicarios aggregarunt. Itaque cædem inſtaurant.Et,quia omnes Hebræi, generis formidine perterriti, in domibus ſuis latitabant, fores perfringebant,& in domos irruebant; viros,& mulieres, & virgines immaniſsime iugulabant;pueros autem infantes ad parietes allidebant;omnes partim enectos,partim ſpirantes pedibus trahebant,vt in ignem conijcerent.Multi ſimul cõciſi quidem vulneribus, viui tamen adhuc eodem igni conſumebantur.Ingens eo iam die ſtupor adeo miſerrimę gentis ſenſus oppreſſerat,vt ne lamẽtari quidem cladem illam, & deplorare miſeriam ſuã poſſent.Qui ſe occultabãt,quamuis filios, aut parentes ſuos ad ſupplicium abripi viderent, ne lugubri gemitu proderentur,vocem emittere non audebant.Sic autem eos metus exanimauerat,vt viui non multum a mortuorum ſimilitudine diſtarent. Domus interim diripiebantur. Sicarij aurum,argentum,& pretioſam ſupellectilem coaceruabant: Galli prędam in nauibus imponebant; eoq. prædandi ſtudio factum eſt,ne multo plures eo die occiderentur. Eo autem progreſſus eſt hominum perditorum furor, vt in ædes ſacras, abſque vllo numinis metu, inuaderent, & inde pueros, & ſenes, & virgines, quæ ad aras confugerant, Crucibus, & hominum ſanctorum imaginibus affixas, & Chriſti fidem miſerabiliter implorantes, euellerent: quos repente crudeliſsime necabant,aut viuos in ignem proijciebant.Multi,ſpecie quadam, & ſimilitudine,cum Hebręi exiſtimarentur,ſummum vitæ periculum adierunt; & aliqui etiam ob eam cauſſam interfecti ſunt;& quidam, antequam explorari poſſet, ſibi cum Hebræis nullam eſſe neceſsitudinem,plagis,atque vulneribus deformati fuere.Multi,cum in inimicos ſuos inciderent,eos Iudęos eſſe dicebant;qui, antequam falſum teſtimonium refutare poſſent, ſanguine ſuo inimicorum crudelitatem ſatiabant. Magiſtratus non tantum animi habebãt,vt multitudinis furori ſe opponere auderent.Multi tamen honeſti viri,ad quos Hebræi confugerant,eos ſumma fide tuebantur, & clamculum e periculo crudeliſsimæ necis educebant,& in tuto collocabant. Eo tamen die ſupra mille ad hunc modum interierunt. Tertia rurſus die ad eandem cædem ſicarij, mente prorſus alienata,redierũt: ſed neque, quẽ occiderẽt,repericbant. Oẽs enim ferme, qui ad Hebræum genus pertinebant,aut fuga ſibi ſalutem pepererant, aut in domibus proborum hominũ latitabant. Aliqua tamen cædes facta fuit. Illis tribus diebus circiter duo hominum millia ex Hebræa gente ad eũ modum occiſa ſunt. Cum tamen adueſperaſceret,Arius Siluius, & Aluarus Caſtrenſis, viri apprime nobiles,qui tunc Regijs iudicum de curijs præerant, cum præſidijs in vrbem ſe cõtulerunt. Eorum aduentu furor repreſſus eſt. Galli,& Germani,ſe confeſtim in naues, cum præda magna,recipiunt, datiſq. velis, in patriam, ea, qua potuerunt celeritate, confugiũt. Emmanuel, vbi nuntium de tam inſigni facinore percepit,ira nimis acriter exarſit,& cõtinuo Iacobum Almeidam,& Iacobum Lupium,viros primarios,cum ſumma auctoritate Olyſipponem miſit,qui tantum ſcelus debito ſupplicio vindicarent. Magnus hominum numerus extremo ſupplicio pœnas immanitatis,& amentię dedit.Monachi vero,qui,ſublata Cruce,hortatores cædis exſtiterant,ſacerdotij primum dignitate, ſollemni ritu,priuati ſunt,deinde ſtrangulati,atque combuſti. Qui vero ſegnes ſe præbuerunt in furore popularí comprimendo, partim honoribus priuati,partim pecunia multati ſunt; & ciuitas ipſa multis ornamentis ſpoliata fuit. Dum hæc in Luſitania gerebantur, Franciſcus Almeida curſum in Indiam tenebat. Verum,cũ partim aduerſa tempeſtate,partim diuturna malacia,impediretur,& tarde admodum naui garet, Bonæ ſpei promontorium commode flectere nequiuit.Erat enim tũc in illis regionibus ad Auſtrum pertinentibus hiems, & noſtri tẽpeſtatibus ſæuiſsimis iactabantur. Nauæ præterea,curſus errore decepti,ad Auſtrũ longius,quam oportebat,delati ſunt;vbi dies, propterea quod Sol tunc Septemtrionalem plagam

500. ſeditioſorum crudelitas.

Hebręi ſupra 500. vno die necati.

Crudelis ſeditioſorũ impietas.

Hebręi ſupra mille vno die occiſi

Hebręi ad duo millia triduo occiſi

Seditioſorũ ſupplicia.

Negligentia punita.

Res Indicæ.

Claſsis Indicæ difficultates, & infortunia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

plagam peragrabat, erant, propter illius abscessum, breuissimi. Vt autem breuiores multo viderẽtur, faciebat densa caligo, & imbres immodici, & niues immensæ, quæ nostris, intolerandis frigoribus, grauissimam molestiam exhibebãt. Vigesimo tandẽ die Iunij promontorium superarunt. Quo facto, Almeida classem propius terram dirigere præcepit. Secunda vero die Iulij tempestas, atque procella repente coorta classem maximis fluctibus agitauit. Ea sedata, nostri, Australes Aethiopiæ oras præteruecti, in Quiloæ portu classem cõstituunt. Almeida missit cõfestim, qui Regem, illius nomine, salutarent. At ille, sceleris conscientia perturbatus, noctis silentio vrbem deseruit. Mahumetes vero Anconius, cuius antea mentio facta est, in vrbe mansit. Milites, qui relicti fuerant, ad Mahumetẽ confugiũt, vt, sub illius ductu, nostrorum impetum a mœnibus, & vrbe reprimerent. Almeida, cum videret, neque Regẽ ad se venire, nec sibi de negligẽtia satisfacere, suspicatus est, hominem scelestum, & impurum, hostilia machinari. Itaque vrbem oppugnare cõstituit. Cum autem, æstu influente, mare iam ædes vrbis attingeret, Almeida quingentos viros acres eduxit. Primam aciem, in qua erant ducẽti viri, Laurentio filio, satis impigro iuueni attribuit. Alteram aciem, in qua erant trecenti viri, sibi reseruauit. At eo tempore iam Mahumetes etiam, metu perterritus, ex vrbe diffugerat. ingrediũtur nostri. Cum vero nemo esset, qui illos aditu prohiberet, Almeida suspicatus est, esse dispositas insidias, vt nostros, securitate nimia dispersos, & in spolijs diripiendis occupatos, de improuiso adoriretur. Itaque substitit, filioq. præcepit, vt non nisi sensim, & explorato, incederet, nec ordinem turbari pateretur. Erat in vrbe mira solitudo. Pauci tamẽ suberant, ijq. tanto animi motu perturbati, vt neque, quo modo fugerent, neque quemad modum domi consisterent, rationẽ inire possent. Præda, ipsius Almeidæ iussu, fuit in vnam domum satis amplã congesta, & summa æquitate inter milites distributa: e qua tamen Almeida vnam sibi sagittam reseruauit. Deinde arcem ædificare constituit, prope litus, in loco, ad impetum hostium propulsandum satis opportuno. Interim vero, dum arx struitur, ad Mahumetem Anconium, & ad reliquos ciues, nuntium misit, qui diceret, esse, quod Deo gratias ageret, quod fuissent optimi, atque potentissimi Regis Emmanuelis auspicijs, & singulari benignitate, ex immanis, & perfidi tyranni dominatu in libertatem vindicati. Admonebat deinde, vt secum animo reputarent hominis malefici, & iniusti fraudes, insidias, & flagitia, iniuriasq. grauissimas, quas sub illo pertulerant. Tunc autem, vice versa fore, vt æquitate singulari gubernarentur, & eorum quilibet ius suum contra perfidi hominis impotentiam, & scelus retineret. Se præterea operam daturum, vt, Lusitanorum armis muniti, omnium hostium iniurias facillime propulsarent. Et, vt magis id futurum cõfiderent, se velle Mahumetem, hominem, cuius fidem, & probitatem cum Regia prudentia coniunctã multis in locis experti fuerant, illis Regem præficere. Venirent igitur, & fœdus cum hominibus amicissimis ferirent, & bonis suis impune fruerentur. Læti nuntium accipiunt, Mahumetemque, equo pulcherrime instrato insidentem, faustis acclamationibus insequuntur. Almeida, nomine Regis Emmanuelis, illum Regem appellauit, & Corona aurea donauit, tributumque illi tolerabile, quod impenderet singulis annis, imposuit. Mahumetes vero fidem suã iureiurando adstrinxit, fore se semper imperio Regis Emmanuelis obsequentem, neque vmquam officio stipendiarij fidelissimi defuturum. Interim, dum hæc fiunt, veniunt ad Almeidam nauarchi duo, vnus nomine Gonzalus Paiua, alter Fernandus Bermudius, e Mozambique: quos ille eo miserat, vt explorarent, quo animo insulæ præfectus erga Lusitanum nomen esset; & num litteris, a nostris in eo cursu in insula relictis, sciri posset, quo in statu Indicæ res forent. Nuntiant illi, omnia esse apud insulanos pacata, & litteras afferunt, a Francisco Albuquercio, & Lupo Suario scriptas, quas apud insulæ præfectum reliquerant, dũ in Lusitaniã nauigarẽt, quibus omnia læta nuntiabãt. Accidit deinde, vt nouus ille Rex Mahumetes Almeidam de more salutaret, & illũ supplicter oraret, vt omnes Arabes, qui captiui detinebantur, liberos esse vellet. Id Almeida libentissime concessit. Deinde Mahumetes, cũ illi summas gratias ageret, aliud postulatum multo præclarius interposuit. Mihi quidem, inquit, fuit magnus vsus, & amicitia, sancto admodum fœdere constituta, cum Alfudailo Rege, quem tyrannus hic, quem Regno expulsti, per insidias interemit. Alfudailus si in vita maneret, ego illi Regno cederẽ. Nec enim is sum, qui vllas Regias opes fidei, & officio præferendas existimem. Sed, quoniam is vita priuatus est, te quantum possum, oro, & obsecro, vt facias mihi potestatem accersendi illius filium, quem Regni heredem instituam. Filij mihi quidem sunt, isto honore, vt mihi videtur, non prorsus indigni. Verum, si filios meos in Regni successione liberis defuncti Regis, quicum coniunctissime vixi, prætulero, videbor mihi maculam ignominiæ sempiternam subire, quæ non mihi tantum, sed vniuersæ posteritati meæ, sit insigne dedecus allatura. Itaque malo liberis meis fidei, & honestatis exemplum, quam amplissimum patrimonium testamento relinquere. Attulit hoc postulatum magnam admirationem nostris, cum animaduerterent, hominem, Mahumetanis disciplinis imbutum, ea fide amicitiam colere, & tanta animi magnitudine Regni opes contemnere, vt facile officium, amico mortuo debitum, caritati filiorum præponeret. Omnes igitur illum certatim laudãt, & eo solum nomine, quod Regnum vellet a filiis suis ad Regis filiũ transferre, maiore Regno dignissimum iudicant. Itaque defuncti Regis filius accersitur, & ab omnibus ciuibus, Almeidæ iussu, fides datur, fore, vt, post Mahumetis illius obitum, illum Regium adolescentem Regem habeant. Rebus ad hunc modum ordine constitutis, Almeida Petrum Ferreiram Fogazam arci præfecit: cui omnia, quæ erant illi ad arcis custodiam faciẽda, diligentissime præscripsit. Inde vero profectus, intra quatuor dies ad ostium portus Mombazæ peruenit. Ibi præmisit Gonzalum Paiuam, vt portus altitudinem exploraret. Ducebat autem secũ Paiua duos magistros Arabes, qui optime portus ipsius introitum tenebant. Dum Paiua imperata conficit, ad turrim accedit. Qui erant in præsidio, tormentis nauem illius vehementissime quatiunt. At ille vicissim maioribus tormentis turrim verberare instituit. Accidit autem, cum emissus globus aut tormentarium puluerem, aut materiam aliquã ad ignem repente concipiendum aptissimã scintillis incenderet, vt flamma subito exoriretur, qua præsidiarij milites perterriti, turrim desererent, & fuga se in vrbem reciperẽt. Hac re gesta, & sinus altitudine penitus explorata, redijt ad Almeidam Paiua, docetque, nullum esse a vado periculum. Almeida igitur in portu classem, non procul ab vrbe, constituit. Inde per vnum ex magistris Regẽ admonitum esse voluit, se, non vt bellum faceret, sed, vt illius saluti, & dignitati prospiceret, ad Mombazæ portũ naues statuisse. Eam namque Regis Emmanuelis virtutem, & benignitatem esse, vt, qui illius imperio tenerentur, multo meliore condicione esset, quam si nullius Regis potentissimi leges accepisset. Si enim nullius imperio adstricti essent, fore, vt soli magno cũ periculo hostibus repugnare cogerẽtur. At in Regis optimi tutela, & patrocinio cõstituti, futurũ, vt facillime a suis rebus hostium iniuriam prohiberent. Præterea, non indecorum Regi Mombazensi fore, sub Rege illo esse, cui magni Reges in Africa, & in India libenter obtemperarent. Quod si faceret, se illum in loco Regis fidelissimi, & cum Emmanuele fœderati, semper habiturũ, nihilq. omnino prætermissurum, quod ad illius dignitatem, & incolumitatẽ pertineret. Secus enim fieri non posse, quin cum cogat Regis optimi dominatum pati, vt in illius ditione felicius vitam degat. Hac cum legatione profectus est Arabs, quem Mombazenses in terram descendere minime passi sunt. Si in terram, inquiũt, pedem posueris, dilacerabere. Abscede hinc protinus, & Lusitano isti denuntia, hactenus ei cum feminis Quiloensibus, nunc vero cum viris fortissimis rem futuram. Quod quidem si voluerit experiri, sentiet continuo, magno suo malo classem hanc in Mombazensem portum delatam fuisse. Almeida, cum hoc accepisset, illa nocte iussit Ioannem Nouium, cũ alio nauarcho, aliquem ex incolis illius vrbis arripere, ex quo sciri posset, ecquid Rex deliberatum haberet, aut quibus præsidijs circumsæptus esset. Illi, magno cum silentio, in terram deferuntur, & hominẽ improuiso corripiunt, ad Almeidamq. perducunt. Erat autem is ex Regis domesticis, & familiaribus. Is, minis exterritus, narrat, Regem Mombazensem, cum accepisset, Quiloam esse a nostris occupatã, præter milites suos, quattuor millia militum ex vicinis gentibus mercede conduxisse, & alia duo millia exspectare. Habere præterea magnam tormentorum vim, & omnibus esse rebus instructissimum, quibus confideret, se impetum multo maioris exercitus a mœnibus, & vrbe repulsurum. At Almeida nihiloscius ciuitatem oppugnare constituit. Itaque postridie Laurentium filium, cum aliis Ducibus, præmisit, vt in terram, summa celeritate, se conferrent, &, coniectis vndique facibus, eã ciuitatis partem, quæ ad litus pertinebat, incenderent. Factum est hoc ab illis tanta alacritate, vt, priusquam hostes obsistere posset, multas ædes flamma corriperet. Multi tamen occurrunt, & in nostros impetum faciunt. Nostri, summa contentione resistunt. Fit atrox prœlium, in quo ex hostibus septuaginta cæsi sunt, e Lusitanis duo tantum ceciderunt. Interim, flamma, vehementius excitata, ciuitatẽ populabatur, & ciues ancipiti cura distinebat. Nam & cum nostris erat necesse ario dimicandum, & ignis, ne omnia incendio vastaret, atque conficeret, exstinguendus. Tanta interim vis incendij illius exstitit, vt nostri ardorem sustinere non possent. Festinanter igitur se se in scaphas, & in naues, recipiunt. Sequenti die, Franciscus Almeida, antequã dilucesceret, in terra copias exposuit. Tenebras autem noctis flamma, quæ nondum erat prorsus exstincta, dispellebat, ita, vt animaduerti posset, nullos esse iã in litore, qui nostros aditu arcerent. Almeida tamen, veritus insidias, noluit ante lucem ciuitatem oppugnare. In aliam vero ciuitatis partem Laurentius Almeida se contulit, quam aggrederetur, vt a patre fuerat imperatum. Murus nullus erat oppositus, qui illorum impetum retardaret. In vias hostibus confertas inuadunt. Erant autem nimis angustæ, & ædes cenaculis subla tę. E fenestris, & e tectis, (non enim sunt fastigiata, sed ad libellam directa) ingens vis lapidum, & iaculorum, eos obruebat. Nostri, eo in commodo præpediti, cedentes hostes insequi non poterant. Fistulis autem ferreis, & reliquis tormentis, vti, propter angustias, minime licebat. Quidam e nostris in ædes irruũt; fores, & repagula conuellunt; per scalarũ gradus adscendunt; &, magno cum periculo, in tecta fre-

Almeidæ ad Quiloensem legatio, & Regis fuga.

Quiloæ expeti, & spolia ta.

Arx Quiloæ struitur.

Almeidæ ad Mahumetẽ Anconium, & S.P.Q. qui loensem nũtius.

Mahumetes Quiloæ fit Rex, & Emmanuelis tributarius.

Arabes capti, Quiloensis Regis precibus liberãtur e vinculis.

Summa Mahumetis fides erga suæ periores.

Animi magni tudo insignis.

Almeidæ ad Mombazensem Regem nuntius.

Legatus repulsam passus.

Almeidæ strategema.

Bellum Mõbazense.

Mombaza in censu.

Mõbazæ oppugnatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cta frequentes euadunt. Cum vero ædes ita coniunctæ fuissent,vt tecta continuarentur,illi totam illam ædium contignationem hostibus nudant, & ita liberum transitum ijs, qui relicti fuerant in via,præbent.Hostes interim parietes domus vnius disturbarunt.Ea ruina nostrorum aciem impediuit.Præibat Laurentius Almeida: aciem vero postremam firmabat Ioannes Nouius. Moles autem lapidum alterum ab altero ita disiunxit, vt sibi mutuo opitulari nõ possẽt.Hic rursus e fenestris,& e tectis,tanta telorum multitudo decidebat,vt nostri in maximo discrimine versarentur.Ita coguntur iterum nostri ædes alias expugnare, & a primis ædibus ad alias transilire: vbi magna hostium multitudine partim concisa, partim ex summis ædium tectis detrusa, malum,quod nostros afflictabat,fuit omnino depulsum.Laurẽtius vero,cum intelligeret,quo in discrimine,qui erant in subsidijs,versarentur,regressus est,vt opem illis afferret. Sed iã illi erant periculo perfuncti. Itaque,coniunctis copijs,in Regiam cõtendunt. Ibi Petrum Bermudium reperiunt, cui Almeida Regiæ custodiam commiserat. Ab eo autem intellexere, quanta virtute Franciscus Almeida hostes repulisset,vsque eo,dum in Regiam penetraret, & quo metu perterritus Rex vrbẽ deseruisset.Laurentius patrem sequitur:qui qui dẽ in via quadam cũ confertis hostibus acerrime dimicabat. Ibi filius impetum in hostes dat. Illi vero terga vertunt, & in densam siluam,in quam se Rex abdiderat,incredibili celeritate confugiunt. Nostri, vbi se paullum a labore refecerunt,vrbem diripiunt. Præda nõ magna fuit. Ipsi namque hostes inde maiorẽ rerum suarum partem asportauerant. Tela autem,& tormenta varia reperta sunt.In hac expugnatione,vt compertum postea fuit, ceciderunt ex hostibus mille & quingenti viri. Capti vero fuerunt supra duo hominum millia.E quibus Almeida ducentos homines primarios,& lectissimas feminas, seruauit; reliquis libertatem concessit. E nostris quinque desiderati sunt: e quibus vnus fuit Fernandus Decius,vir insigni nobilitate, qui in pede venenata sagitta vulnus acceperat.Multi vulnerati fuerunt. Ciuitas,Almeidæ iussu,fuit rursus incensa. Dum Almeidam hæc negotia morantur,portum subijt Nauarchus alius,nomine Vascus Gomezius Abræus,cuius nauis tẽpestate fuerat a reliqua classe disiuncta. Hinc Melindem versus cursum tenuerunt; sed æstu vehementissimo, a cursu deducti sunt,& in sinum delati,qui Melinde viginti quattuor millia passuum distat. In eo reperit Almeida naues duas, quæ etiam fuerant tempestate dissipatæ.Vnius erat nauarchus Lupus Chanoqua, alterius autem Ioannes Homo, vir & corporis,& animi viribus præstantissimus;militaribus tamen artibus, quam imperatorijs, accommodatior.Almeida,cum cuperet Regem

Mõbazæ Regia capta,Rege fugato.

Mombaza capta diripitur

Fernandi Decii mors.

Ioannes Homo.

inuisere,aduersa tempestate prohibitus,se in classe continuit.Ad illum tamen misit,qui eũ, nomine illius,salutarent,& Regis Emmanuelis munera deferrent. Rex fratrem quendam suum ad Almeidam, eũ maximo commeatu, atque muneribus,legauit, qui diceret, quam moleste ferebat, se illius adspectu priuari. Hinc profecti, ad insulam Anchediuam perueniere, decimo tertio die Septembris eiusdẽ anni, qui fuit M D V. In ea insula fuit litteris Gonzali Egidij Barbosæ, quas præcipiebat dari cuiuis Duci, qui primus e Lusitania eo nauem appulisset, admonitus, iam magnam aromatum multitudinem ab eo congestam, qua facile possent multæ naues onerari. Exspectari præterea ex Arabia tres naues multis mercibus onustas. Quod si toto mense Septembri in ea insula aliqui e nostris in specula permanerent, fore, vt earum nulla posset euadere.Hac re comperta, Franciscus Almeida Ioannem Hominem dimisit,qui Cochimi, Cananore, & Coulami,illius aduentum nuntiaret, & admoneret Regios procuratores, vt,quanta industria possent,onera, quæ in naues erant imponẽda,ad aquas exportarent. Lupo vero Chanoquæ,& Gonzalo Paiuæ, negotium dedit, vt nauibus suis illas regiones diligentissime perlustrarẽt,ne naues illæ,quę exspectabantur, effugerent. Ipse vero arcis continuo fundamenta iecit in loco non multum a mari disiuncto,in quo parietinas reperit, crucibus colore nigro, & rubro multis in partibus insignitas: quod suspicionem faciebat, fuisse olim insulam illã a Christianis frequentatam. Opus multorum operis intra breue tempus ad magnam fuit altitudinem perductum. Nec enim vti cuiquam vel nobilitatis,vel dignitatis excusatione licebat. Interim peruenit Emmanuel Pazagna, quem Almeida, antequam Bonæ spei promontorium flecteret,classis parti præfecerat. Cum illo veniebat Antonius Vascius. Gondisaluus Vascius Goesius Quiloæ manserat: sic enim Almeida præceperat.Lucas Fonseca Mozambique hiemabat.Lupus Sãcius, fluctibus oppressus,cum omnibus,qui in eadem erant naui,interierat.Quinque tantũ viri euaserunt, quos semiuiuos Petrus Barretus in nauem suam recepit.Hi autem erant Nauarchi,quibus Pazagna,Almeidæ iussu,præfuerat. Ex eodem Pazagna intellexit Almeida, Habraemum tyrãnum, qui fuerat per Almeidam Regno spoliatus,operam dedisse, vt Rex Mahumetes per insidias interficeretur. Ad id autem facinus patrãdum,virum valde strenuum misisse,qui, cum se,per amicitiæ simulationem, in Mahumetis familiaritatem insinuasset, illius brachium sica transfixerat. Vulnus autem non fuisse mortiferum;proditorem vero comprehensum sceleris pœnas,ne ce, atque cruciatu, persoluisse. Non multis post diebus, Chanoqua, & Paiua redeunt, cum aliquot nauigijs, quæ

Melindii Regis ad Almeidam legatio

Annus a christo nato M DV.

Arx in Anchediua ituitur.

Christianismi reperta vestigia.

Lupi Sancii naufragium.

Mahumetes Rex per dolum vulneratus,vt occidi deretur.

quę ceperant,in quibus erant Arabes permulti. Erat etiam inter alias paruas naues celox Indica,qua vehebatur Lusitanus quidam, a Barboza missus cum litteris ad Almeidam, quibus significabat, vnam ex illis tribus nauibus, quas ex Arabia venturas scripserat,iam Calecutium peruenisse, reliquas autem duas exspectari.In ea autem naui,quæ iam erat in portu, quattuor homines Venetos ab Aegypti Imperatore, quem Sultanum appellabat, missos fuisse comperit, tormentorum constandorum artifices,quos ab eo Calecutiensis per litteras postularat.Narrabat præterea,ab eodem Sultano magnam classem cõtra nostros ædificari;& similiter Calecutij maxima industria bellum comparari. Almeida,vbi ea comperit,Chanoquam rursus, & Paiuam dimisit; quibus præcepit, vt summa vigilantia mare tenerent,& specularentur, ne reliquæ duæ ex Arabia naues effugerent.Ipse vero triremem magnam,ad quam ædificandam materiam e Lusitania comportarat, Arabum captiuorũ remigio diligenter instruxit; illiq. Ioannem Serranum præfecit.Duas præterea celoces illi attribuit, quibus mare illud ab hostium incursione prohiberet. Vni ex celocibus præfectus erat Simõ Martinus,alteri Iacobus Diazius. Hic Merlaus, Onoris Rex, (est autem Onor ciuitas ab Anchediua triginta & duobus millibus passuum distans) ad Almeidam de pace legatos misit. Erat autem Onore Timoia pirata,cuius antea mentio facta est,qui etiam cũ Almeida fœdus ferire in animo habebat,& cum Onoris Rege de eadem pace cõsenserat.Hi in fidem recepti fuerunt. Ab ijs didicit Almeida, non procul inde arcem egregie munitam esse, nomine Zincaturam, quę ad Dacami Regnum pertinebat. Arcis tamẽ præfectus stipendiarius erat Zabaii,quem diximus Goam imperio tenere. Onorensis cum Goensi bellum sæpenumero gerebat.Præcepit Almeida Laurẽtio filio, vt altitudinem illius portus exploraret. Is, cum Ducibus illi attributis, ad ostium fluminis, quod secundum arcem fluit,accedens,triginta pedum altitudinem esse comperit; vlterius vero progressus,quinquaginta. Arcem vero conspicit in colle sitam.Milites autem,vbi scaphas conspexerunt,in litus properarunt.Erant autem circiter mille egregie armis instructi. Octo solum equis vehebantur, e quibus vnus arcis præfectus erat.Nostri pacis signum sustulere. Quo conspecto, præfectus continuo ad Laurentium contendit, & cum illo pacem facit. Ad Franciscum vero fructus telluris, & munera ad vires militum reficiendas satis large misit. Deinde,intra nouem dies, missis ad Almeidam legatis, pacem maiore cum cerimonia confirmauit.Eo vero tempore, cum nondum Almeida ab Anchediua discessisset,conspicati sunt nostri nauem ingentem, quæ equos e Perside ferebat.Nostri scaphas consecũ

Barbozæ ad Almeidã litteræ.

Apparatus bellicus contra Lusitanos.

Zincaturæ arx.

Zincaturæ præfecti fœdus cum Lusitanis.

Onorẽsis Regis ad Almeidam legatio.

Ingens nauis capitur.

Onorẽsis Regis perfidia.

Bellum Onorense.

Onorensis cũ Classis, tum vrbs incẽsa.

Onorensium fuga.

Prœlium cũ Lusitanis.

Incruẽta Lusitanorum victoria.

dunt, & in nauem incurrunt. Persæ, & Arabes,qui in naui erant,metu perterriti, ex parte alia in suæ nauis scaphã desiliunt, & in terram confugiunt. Nauis vero impegerat,ita, vt eam nostri remulco trahere non possent. Hic subito sæua admodum tempestas coorta est,ita, vt scaphæ Lusitanæ maximo in periculo versarentur.Equi, qui fuerant in naui,erãt vndeuiginti,e quibus iam nouẽ erant scaphis impositi. Nostri fluctibus in terram eijciebantur.Arabes autem,telluris illius incolæ,vndique cõcurrunt.Nostri ab illis petũt, vt equos tantisper eustodiant, dum illi, sedata tempestate,reuertãtur.Arabes equorum curam suscipiunt.Nostri Anchediuam,magno cum periculo,se receperunt.Postquam tempestas sedata est,redeunt,vt equos traijciãt. Aiunt incolæ, Onoris Regem equos habere. Ad illum misit Almeida cõtinuo,qui admoneret,vt pacis fœdera sanctius conseruaret, & equos sibi confestim restitueret. Regis autẽ responsum id fuit, ex quo possent intelligi, gentem illam nulla fœdera religione, sed vtilitatis præsentis imagine metiri, eamq. sæpenumero illius animos a cogitatione periculi consequentis abducere.Almeida igitur, Emmanuele Pazagna in arce Anchediuensi cum modico præsidio relicto,Onorem cursu petijt.In ostium vero fluminis,qui ciuitatem alluit,inuectus, regionem populari, & naues,quę erant in statione,inflammare constituit.Arabes,qui erãt cum nauibus in portu,se perfecturos esse polliciti sunt,vt Onoris Rex Almeidæ satisfaceret.Ea promissio vnum diem Almeidam morata fuit. Interim omnes vrbis incolæ in proximos montes,cum bonis,quę potuere,nocte commigrarunt. Rex etiam eo se contulerat. Hic Almeida filiũ misit,vt cõtinuo naues oẽs, quę erant in ea statione incenderet.Rex,(nec enim erant mõtes valde disiuncti)cũ animaduerteret naues omnes in vltimũ esse discrimẽ adductas, quattuor millia hominum armato rũ subsidio misit.Ignis vero,partim in naues, partim in vrbem coniectus,magnopere sæuiebat. Almeida,ne posset ignis hostiũ opera restingui,filio præcepit,vt eos,qui suppetias afferebant;aggrederetur. Hostes erant eo ordine instructi,vt facile pelli nõ possent. Cetrati namq. primum agmẽ ducebant.Sagittarij,eorum cetris protecti,nostros tuto vulnerabãt. Prœlium anceps esse videbatur.Tandẽ nostri, impressione facta,eos in fugam cõijciunt. Almeida,cũ Lusitanos cerneret auidius insequẽtes,receptui signum dedit. Hostes,cũ suspicati fuissent,nostros timore in classẽ redire velle,conglobati, rursus in illos impetum dederunt.Nostri eo ordine se se receperunt, vt tumultus nullus fieret.In ea pugna multi ex hostibus ceciderunt:quattuordecim naues incẽsæ sunt,& vrbs propemodum vniuersa miserabili incendio conflagrauit. Vnus autem tantũ e nostris occubuit.Almeida in pollice ma-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nus dexterę vulnus accepit. Rex cõfeſtim per legatos pacẽ, & veniam poſtulauit. Almeida reſpondit, ſibi nunc non eſſe otium ad firmandũ fœdus, ſed breui filium miſſurum, vt id firmioribus condicionibus ſanciret. Hac re geſta, Cananorem ſe contulit. Dum hæc geruntur, Ioannes Homo, vt fuerat ab Almeida miſſus, de illius aduentu, & imperio, vbicumque neceſſe fuit, omnibus nũtiauit. Deinde Coulamũ verſus, ex Antonio Sala, qui erat Regius procurator, intellexit, nauibus Regijs, Arabũ importunitate, onus aromatũ, quod debebatur ex fœdere, denegari. Erãt in portu triginta & quattuor Saracenorũ naues, qui tantũ poterant, vt vellẽt in omnes eorum naues tãtum onus imponi, quãtum illis libuiſſet, ante quam Luſitaniæ naues onus vllum acciperẽt: quamuis fœdere cautum eſſet, vt nullum aromatum pondus Saracenis daretur, ante quã Luſitanorum naues expletæ fuiſſent. Hic Ioannes Homo, vt erat natura feróx, & numquam vllum in vita periculum formidaret, Saracenos velis, & gubernaculis, ſpoliauit, eaq. omnia Antonio Salæ tradidit. Nũc demũ, inquit, tuto naues onerabis. Nec enim naues, & gubernacula, perfidis iſtis hominibus vllo modo reſtitues, ante quam noſtræ naues iuſtũ onus accipiãt. Antonius Sala, ita ſe facturũ, promiſit. Inde profectus Ioannes Homo, duas Saracenorũ naues in curſu cepit Saracenos deinde in nauis vtriuſque ſentina artiſsime colligatos incluſit: ſingulis autem nauibus e naui ſua ternos nautas impoſuit. Plures enim non poterat: & ventus erat ſecundus, ita, vt illis tantum ternis nautis eas facillimę curſum retenturas ſuſpicaretur. Iã erat in Almeidę con ſpectu, & portũ intrare incipiebat, cũ ſubito Saraceni, qui erãt in vna ex duabus illis nauibus, ſe vinculis improuiſo expediũt, & Luſitanos nautas obtruncãt, &, cõmutata velificatione, ſe e noſtrorũ conſpectu proripiunt. Tulit hunc caſum Almeida permoleſte, Ioanẽq. Hominem indignum iudicauit, qui Ducis aliquãdo munere, & officio, fungeretur. Sed, multorum tunc precibus impeditus, nauis præfectura eum minime priuare potuit. Ante quã vero inde diſcederet, conſilio Gonzali Egydij Barboſæ, arcem ædificare conſtituit. Admonuit enim illum de Saracenorũ perfidia, qui tã multis inſidijs Luſitanos pellebant, vt Rex Cananoris, etiam ſi vellet a noſtris peſtẽ auertere, non poſſet. Ibi igitur tamdiu permanere conſtituit, quamdiu arcem, quam cupiebat, exſtrueret. Ibi accepit, Regis Narſinguę legatũ aduenisse, vt eum, Regis ſui nomine, ſaluta ret. De qua legatione ante quam aliquid dicamus, operæpretium erit de Regni Narſinguẽſis ſitu, & amplitudine, pauca dicere. Regnum hoc eſt in Indiæ parte, citra Gangem, quæ ſpectat ad orientem Solem. Pertinet etiã ad Occidentem, & eſt a parte mediterranea cũ regionibus, quæ ſunt Goæ coniunctæ, finitimũ.

Arabũ in Luſitanos importunitas.

Ioannis Hominis facinus audax.

Capta Saracenorum nauis elabitur.

Regni Narſinguẽſis deſcriptio.

Cum hominibus autem, qui eas incolunt, continenter bella gerit. Regio eſt latiſsima, multis vrbibus culta: multis fluminibus alluitur. Eſt valde fertilis, & opima: piſcatu, venatu, & aucupio, multiſq. pecorum, & armentorũ gregibus, abundat. Homines ſuperſtitione diriſima conflictantur: vnum tamen ſummum Deũ eſſe confitentur, penes quem aiunt eſſe ſummam rerum omniũ poteſtatem. Templa profuſis ſumptibus ædificant, quæ tamen, vt alia Indiæ templa, monſtrorum, atque prodigiorũ ſimulacra cõtegunt, quibus Diuinos honores habent. Brachmanę, tam viri, quam mulieres ſacris præſunt, & in ſummo apud illos honore ſunt. Eſt aliud genus hominum, quod valde ſanctum habetur. Hi Baneenes appellantur. Lapidem, oui magnitudine pertuſum, e cuius foramine tria fila prodeũt, e collo appenſum geſtãt. Huius lapidis ſignificatione ſummum eorum numen contineri prædicant; & ea de cauſſa maximo honore ab omnibus afficiuntur. Lapis, tanta religione cultus, Tambarane nominatur. A carnibus, & piſcibus abſtinent. Semel in vitæ vxorem ducunt. Illis defunctis, vxores prope illorum cadauera viuæ ſepeliuntur. Reliquæ, quæ alijs hominibus nubunt, poſt virorum mortem, viuæ in rogum, cum magno ſuorum comitatu, & multis cantibus, atque laudibus, inferũtur. Septimo quoque die ferias agitant. Hic dies eſt, qui Veneris apud nos appellari ſolet. Præter hunc diẽ, multos anno vertente dies cãtibus, & ſacris, & ſtatis cerimonijs, inſita gentis religione, celebrant. Credunt, animum immortalem eſſe, & poſt hanc vitã præmia bonis, improbis autem ſupplicia, eſſe iudicio Diuino conſtituta. Sunt colorati, & eleganter exculti, & amoribus dediti, quorum gratia inter ſe digladiari ſolent. Qui aliũ ad ſingulare certamen vocat, a Rege campum, in quo cum aduerſario congredi illi tuto liceat, expoſcit. Si de illius virtute opinio habetur, Rex illum ſpectat. Victorem aurea catenula donat, quam is, qui victoriam obtinuit, tueri perpetuo debet. aliter enim parti decoris nomen, & gloriã amittet. Licet enim ei, qui velit, armis cũ eo de catenulæ illius merito, & dignitate, certare. Catenula namque victorem ſequitur, & ei detrahitur, qui ab alio ſuperatus exſtitit. Neque milites tantum, verum & artifices de artificij præſtantia armis inter ſe diſceptant. Maxima huius Regni ciuitas Biſnaga nominatur. Ambitus illius ſupra quattuor millia paſſuũ cõtinet, multis muris cingitur, habet multas ædes amplas, & templa valde magnifica, & eſt hominum ingenti multitudine referta. Mercibus quamplurimis ex omnibus partibus mirum in modum cumulata eſt. Mercatores, qui equos e Perſide, aut Arabia, nauibus vehunt, portoria minime ſoluunt. Reliqui portoria pendunt. Equos omnes Rex a mercatoribus emit: inde eos, quos vult, reliquis vel

Baneanes ſãcti.

Tambarane lapis, ſuperſtitioſe cultus.

Dies feſti.

Animorũ immortalitas.

Duella.

Biſnaga, Narſinguæ metropolis.

Regia.

Regis virtus & cultus.

Sepulturæ Regis.

Iuſtitia Regis.

Theſauri Regii.

vel pretio, vel gratuito diſtribuit. Regia eſt ampliſsima, maximiſq. ſumptibus ædificata: hortos habet amœniſsimos, & piſcinas, in quibus ſunt piſces innumerabiles. Rex multorum militũ præſidio circumſæptus incedit, & maxima veneratione, atque adeo ſuperſtitione a ſuis colitur. Illius mẽſa cõquiſitiſsimis cibis inſtruitur: corpus illius vnguẽtis niteſcit, & gemmis, & auro perpetuo fulgens conſpicitur. Vnam præcipue vxorem, quam præter ceteras eximiam habeat, minime ducit. Maximum tamen cõcubinarum numerum habet, quæ e Principum genere deliguntur. Cũ Rex moritur, pyra e lignis odoratiſsimis incendi tur, in quam Regium cadauer infertur. Ibi cõcubinæ omnes, & omnes illius familiares, & quicumque illi miniſtrauerant, aut magnum apud illos nomen obtinuerant, in rogum ſimiliter inferuntur. Tanto autem ſtudio, vt crementur, ad rogum accelerãt, vt appareat, eos in ea mortis, qua Regem ſuum proſequũtur, ſocietate ſummum decus arbitrari. Colitur a Narſinguæ Regibus æquabile ius. Mercatores ab omni iniuria tutos, & incolumes præſtant: ſunt plurimi ſub illo Dynaſtæ. In eos tamen, ſi maleficium inferunt alicui, vel cædes, vel fuſtibus animaduertũt, ita, vt nemo queat ſibi, propter magnas opes, impunitatem polliceri. Reges ipſi maximos theſauros coaceruant, & eos, qui a maioribus illis relicti ſunt, attingere, niſi cum extrema neceſsitas vrget, nefas exiſtimant. Itaque auri, argenti, gemmarum maximos aceruos poſsident. Ex illis præcipue gẽmis, quos Adamantes appellant, qui in ea regione excidi ſolent ingentis magnitudinis, & põderis, in theſauros congerũt.

Exercitus, & ſtipendiarij Narſinguenſis Regis.

Multos milites alũt, quibus equos attribuũt: ſingulis diebus e Regia cibi & illis, & equis aſſignati ſunt. Eis, qui ſemel apud illũ ſacramento dicũt, abſque Regis iuſſu, nullo modo e Regni finibus emigrare licet. Pedites habet innumerabiles. Multa alia de moribus Narſinguæ, de Regis opulentia, de luxu illius, & magnificentia dici poſſunt, quæ, ne ſimus longiores, quã inſtituta ratio poſtulat, omittimus.

Pacifica Narſinguenſis Regis ad Almeidam legatio.

Rex, qui eo tempore imperiũ tenebat, fama earum rerum, quas noſtri in India geſſerant, commotus, cum Prætore amicitiam iungere, fœduſq. ferire, conſtituit. Itaque legatum ad Almeidam miſit, cum litteris, & muneribus, quæ, nomine illius, ad Emmanuelem deferenda curaret. Fuit legatus ab Almeida ſatis honorifice receptus. Legatus, poſtquã Almeida litteras legit, (eæ autem nõ aliud, quã vt legato crederet, admonebant) legationẽ ſuã expoſuit. Legationis ſententia hæc in ſumma fuit. Narſinguę Regem, ſummo ſtudio, & cupiditate, fœderis cum Rege Emmanuele ſanciendi, flagrare. Famam namq. virtutum admirabiliũ, quibus Emmanuel ornatus erat, illi acres ſtimulos admouiſſe, adeo, vt nihil ardentius expeteret, quam Principi, tam præclaris artibus prædito, amore ſummo coniungi. Se vero huius famæ teſtimonium non aliud deſiderare, quã admiranda facinora, quæ Luſitani in India paucis illis annis ediderant. Nec enim fieri poſſe in animũ inducebat, quin Rex, qui tam fortibus hominibus imperabat, eſſet ſingulari, atque prope Diuina virtute præcellẽs, atque valde dignus, quem omnes orbis terrarum Reges certatim amarent, & omnia gratia illius cuperent. Proinde ſe libẽtiſsime omnia, quæ poſſet, pro illius dignitate perfecturum; neque commiſſurum, vt ab aliquo alio Rege, amoris, & ſtudij magnitudine erga Regem Emmanuelem, vinceretur. Quod ſi connubij ius haud aſpernaretur, ſe libentiſsime deſponſurum filiam virginem, quam habebat excellenti ſpecie, & pulchritudine, cum dote ſumma, Ioanni, Regis ipſius Emmanuelis filio, vt amicitia nuptijs eiuſmodi ſanctius firmaretur. Hæc quidem legatio continebat. At tulit præterea a Rege ſuo torques duos, gemmis clariſsimis diſtinctos, & anulos ſimiliter cum gemmis ingentis pretij, & veſtes aureas, & ſericas: quæ volebat, vt ad Emmanuelem, vbi primum nauigandi tempus eſſet, mitterẽtur. Hãc legationem Almeida lætus accepit, legatumq. multis muneribus affecit, Regiſq. nomine, Narſinguæ Regi honorificis admodum verbis reſcripſit, fidemq. dedit, ſe munera illius Emmanueli miſſurum, operamq. daturum, vt intelligeret, vix aliquem reperiri, qui meliore animo ſe ad amicitiam illius applicuiſſet. Vbi Narſinguæ legatum dimiſit, in terram ſcaphis inuectus eſt. Ibiq. prope litus in palmeto quodam tabernaculum collocari præcepit. Quo in loco Rex Cananoris illum inuiſit. Ibi vero, multis ſermonibus vltrocitroque ſatis amanter habitis, Almeida a Rege poſtulauit, vt illi faceret poteſtatem arcem ædificandi, quæ non ſolũ noſtros a Saracenorum importunitate defenderet, verũ & ipſi locum contra hoſtiles impetus, & incurſiones, tutiorem efficeret. Satisfecit illius poſtulato Rex, & arx ædificari tanta diligentia cœpit, vt intra paucos dies ad ſummam altitudinem peruenirent. Egydius namque Barboza iam pridem illius fundamenta iecerat. Non tamen arcem, ſed domum amplam, ſe ædificare ſimulabat, in qua laxius habitaret. Timebat enim, ne ei plurimum nomen arcis in principio noceret, ante quam Almeida id in magni beneficij loco, poſtquam tempus maturius eſſet, a Rege poſtularet. Arx Sancti Angeli nomen obtinuit. Lupus Brittius præfectus illius exſtitit, cui centum & quinquaginta Luſitani milites attributi ſunt. Dum hæc fiunt, fuit Almeidæ nuntius allatus de nece Antonij Salæ, qui, vt diximus, Coulami Regis Emmanuelis negotia gerebat. Poſtquam enim Ioannes Homo, magis intrepide, quam prudenter, Saracenis gubernacula, & vela detraxit, eaque omnia

Narſinguẽſis ad Emmanuelem munera.

Almeidæ ſponſum.

Cananorẽſis cum Almeidæ cõgreſſus

Arx Cananore exſtruitur

Antonii Salę mors.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Seditiosa Saracenorũ ad Coulamẽsem oratio.

Antonio Salæ asseruanda commisit, tantisper dum Regis Emmanuelis naues iustum onus acciperent, ipse profectus est, vt ad Almeidam contenderet. Interim vero Saraceni, ea contumelia lacessiti, multo acrius odium, iamdiu in Lusitanos conceptum, exprompserunt. Quod vt facilius efficerent, ad facinoris societatem vrbis ciues incitabãt. Exspectate, dicebant illi, dũ homines, ambitione, & temeritate præcipites, postquam maiores opes habuerint, vestræ libertati faueant, & fidem, quam dederunt, religione summa tueantur. Videtis, homines pauciſsimos, ab omni suorum auxilio disiunctos, audere tantum facinus, vt in ciuitate vestra, atque adeo in oculis vestris, nos, homines vobiscum antiquo fœdere, & societate coniunctos, velis & gubernaculis spoliarint, & mercatores ingenuos, e quibus tantum emolumentum quotannis accipitis, indigniſsima contumelia vexarint, &, quaſi iam sint in huius Regni dominatione cõstituti, vestra patientia ad tyrannidem abusi fuerint? Quid enim aliud egerunt, cum hanc tam insignem iniuriã nobis intulerunt, quam vt nos omnes contemnerent, & ipsi se se pro dominis admodum insolenter ostentarent? Id enim tam pauci numero, in alieno solo, & in excellentis Principis regione, & in maxima ciuium frequentia, fecerunt, quod Rex ipse, ciuium dominus, vt faceret, numquam in animum sibi, condicionibus vllis, induxisset. Quare contumelia hæc non nobis, sed vobis, ab hominibus audaciſsimis illata est: qui nunc non id agunt, vt nobis molesti sint, sed vt vestram patientiam tentent; &, si id dedecus inultum patimini, vobis non libertatem modo, sed etiam fortunas eripiant. His vocibus, gentem ad facinus incendunt, & in Salam impetum faciunt. Ille vero, cum duodecim Lusitanis, (non enim plures erant) in Fanum confugit, Sanctiſsimæ VIRGINI dicatum. Ibi tunc acri animo ad resistendum se parant, tantoq. animo furorem hostium repellunt, vt perrumpi non facile possent. Hostes, cum cernerent, se non posse, sine suorum cæde, Fanum oppugnare, ligna circumdant, & ignem subijciunt; atque ita omnes Lusitani, qui erant in Fano, combusti sunt. Erat in portu Petrus Raphael, qui socijs opem afferre, in re tam præcipiti, & inopinata, nequiuit. Qui tamen, in cædis illius vindictam, quinque naues hostium, qui in anchoris consistebant, incendit; deinde Cochimum versus cursum tenuit, vbi iam Almeidam reperit, & ea, quæ acciderant, illi narrauit. Almeida, sine vlla cunctatione, filium iussit, vt Coulamum versus cum classe, quantum fieri posset, acceleraret, & in omnes naues, quas in portu inueniret, ignem conijceret. Factum est hoc tanta celeritate, vt, priusquam id Saracenorum aliquis suspicari potuisset, Lusitanæ naues se in conspectum darent, & viginti & septem hostium naues incenderent. Ioannes tamen Homo, in temeritatis illius pœnam, nauis præfectura ab Almeida priuatus est. His rebus gestis, Almeida in terram delatus, atque a Cochimi Rege honorifice admodum salutatus fuit. Eo autem tempore Rex ille, qui pro seruanda nostris fide tantum salutis, & imperij periculum adierat, minime regnabat. Religionis enim gratia se Regno abdicarat, & in fanũ quoddam, apud illos valde sanctum, vt sacris vacaret, se contulerat. Regnum vero Nambeadaræ, sororis filio, ad quem Regnum, gentis more, veniebat, voluntate sua reliquerat. Almeida igitur, cum existimaret, esse superuacaneum, ad Regem, qui præsetuletat, & Regnum, & omnes Regias opes pro nihilo putare, munus aliquod deferre, ea munera iuueni Regi deferenda ẽsse statuit, quæ erant auunculi fidei, & amicitię debita. Decreuit enim, vt ad eum, ad quem Regni patrimonium venerat, præmium etiam virtutis, & constantiæ, quaſi quædam hereditas valde legitima perueniret. Itaque tabulatum altitudine modica constitui iussit, peristromatis maximi pretij, & tapetibus instratum. Ibi vero Regem, vt ab omnibus conspici posset, in sella collocauit, orationemq. habuit, quæ illius animum spe multo felicioris condicionis erigeret. Dixit enim, Regem Emmanuelem, pro meritis excellentibus, & singulari fide Trimumparæ Regis, illum semper ornatiſsimum cupere, & socium, & amicum non appellare tantum, sed etiam habere velle. Et, quando Trimumpara fuisset eo animo, vt omnia viuens abiecisset, quæ reliqui mortales maximi faciebant, omnia iure ad eum, qui in locum illius succesſerat, esse transferenda. Quocirca se, nomine Regis Emmanuelis, Nambeadaram Corona aurea donare. Præterea fidem dedit, illum in Regis Emmanuelis patrocinio semper futurum, e cuius manu Regnum tunc sibi, & heredibus suis accipiebat; cumq. Calecutiensis Regis imperio, atque dominatu liberabat; fidemq. suam adstringebat, fore, vt ab illo omnium hostium impetũ propulsaret. Præterea, faciebat illi potestatem æris, auri, & argenti conflandi, cudendi, & feriendi; & vt esset semper immunis, eoq. iure Regnum posideret, quo optimo quiſquam Rex maximus opes suas tueri potuisset. Rex summas egit Regi Emmanueli gratias, fidemq. dedit, se semper in potestate illius futurum, nullamq. dimicationem pro illius amplitudine recusaturum. Almeida vero Coronam aureã, quã manu tenebat, capiti illius imposuit. Hãc orationem tubarum concentus consecuti sunt, & Rex, Corona, & alijs præterea muneribus, quæ acceperat, lætus, domum redijt. Almeida, onerandis octo nauibus, quæ erant in Lusitaniam continuo reuersuræ, strenuam operam nauauit. Nauarchi inde profecti, cursum

27. Coulamẽ sũ naues incendũt.

Nambeadara, Cochimi Rex.

Munera, & honores in Cochimen-sem Regem collata.

13. Lusitani vna cum templo combusti per seditionem.

annus a christo nato M DVI.

Lusitani in terram incognitam deferuntur.

sum suum tenuerunt, quo tandem Kalendis Februarij anno M D V I. in terram incognitam delati sunt; latiſsimam, multisq. siluis densissimis vestitam, & pecoribus abundantem. Conspiciunt deinde decem lintres, quibus homines colorati, capillo crispo, nudo corpore, cum arcubus, & sagittis vehebantur. Hi in nauem, cuius Fernandus Suarius nauarchus erat, feruntur. Quinque & viginti ex illis nauem conscendunt. Fuerunt libenter admissi, & cibis liberaliter inuitati, atque vestiti. Sermonis sonus erat ignotus. Nutibus mentis sensa proferebant. Discedunt illi læti, vt apparebat: sed, vbi paullulum se a naui remouerunt, hospitij mercedem sagittis soluere constituunt. Nostri tormentis eos propellũt. Fernandus Suarius, cum videret alios prope nauem, cuius nauarchus Rodericus Freirius appellabatur, eum admonuit, (nec enim naues inter se valde distabant) vt aliquos interciperet. Fuerunt viginti & octo capti. Inde, secundum oras illas nauigantes, incidunt in flumen, vbi aquationem fecerunt. Quo in loco incolæ, manu comparata, in illos impetum tulerunt. Nostri se in scapham receperunt, & hostes e nauibus tormentis acerrime vulnerarunt; qui partim interfecti, partim in fugam conuersi sunt. His signis, Lusitani experti sunt, gentem illius oræ minime hospitalem esse. Atque primum insulam esse minime putabant. Postquam, omnes illius oras præteruecti, promontoria extrema trãsmisere, tunc liquido perspici potuit, eam insulam esse, quæ nominabatur olim Madagascar. Nostri insulam Sancti Laurentij nominant. Ea vero est illi regioni opposita, quam appellant Aegesimbam, & ad ortum Solis sita est. Classis Olysipponis portum subijt vigesimo quarto die Maij, anno M D V I. Interim in ea Aethiopiæ parte, quam Zofalam nominant, (ea autem Aegesimbæ pars est) hæc acciderunt. Anno M D V. Rex Emmanuel, postquam Franciscus Almeida Olysippone profectus est, aliam classem instruendam curauit, cuius præfecturã Francisco Gnaiæ attribuit. ea sex naues continebat. E nauarchis autem vnus, nomine Ioannes Lacteus, dum oram Aethiopiæ legeret, & hamato telo piscẽ transfigere vellet, in mare demersus, nusquam cõparuit. Alius autem nauarchus, dum in terram, vt carnes naui pararet, paullo audacius ingrederetur, ab incolis, cum multis, qui illum sectabantur, occisus est. In vtriusque locum alij substituti sunt. Hinc profecti, dum ad promontoriũ Bonæ spei cursum dirigunt, tanto interuallo ad Austrum deflexere, vt illis aqua conglaciaret, & ipsi niue, & pruina torperent, nimioq. frigore distenti, vix se loco mouere possent. Tandem, ad Septemtrionem, promontorio superato, delati, ad oram Zofalæ naues constituunt. Gnaia, cum quatuor minoribus nauibus, (duæ namque maiores portum intrare non poterant) in intimum Zofalæ sinum penetrauit. Regioni illi vir annos natus septuaginta, qui tunc cæcus erat, sed in re militari, ante quam in morbũ illum incidisset, magnum sibi decus peperat, imperabat. Opidum non erat valde magnum, nec ædes magnificæ, instratę tamen bõbycinis peristromatis, & densis vepribus circumuallatæ. Erat autem huic Regi nomẽ Zufe, qui Gnaiam valde comiter, atque benigne suscepit, illiq. fidem dedit, se omnia Regis Emmanuelis caussa libentissime facturum. Erat autẽ multis militibus circumsæptus. Hi erant Saraceni colorati, vmbilico tenus nudi, gladijs cum manubrijs eburneis accincti, reliquũ corpus pannis sericis, & gossipinis amiciebant: capita circumductis bombycinarum, & gossipinarum vestinm spiris valde implexis, & circumplicatis ornabãt. Ibi, post multa beneuolentiæ signa, petijt a Rege Gnaia, vt faceret sibi potestatem, quod sperabat ipsi Regi feliciter euenturum, arcis ædificandæ. Rex id summa facilitate concesit. Postquam autẽ Gnaia ab illo digressus est, Saracenus quidã, natione Aethiops, qui plurimum apud Regẽ poterat, Acotes nomine, cum Gnaia amicitiam firmauit, illumq. de regionis illius natura, & de moribus gentis, admonuit. Gnaia cõtinuo arcem ædificauit, & tã diligenter operi institit, vt, intra paucos menses, illud ad iustã altitudinẽ perduceret. Deinde a se alios, partim in Indiam, partim Quiloã, dimisit, & ipse, cum illis copijs, quæ sibi visæ sunt, in arce remansit: ad quam perficiendam, indigenæ etiã strenuam operam nauabant. Id cum Saracenorum permulti indigne tulissent, ad Regem adeunt, eumq. monent, vt hominum maleficorum insidias præcaueat. Amicitiam ab illis simulari, perniciem vero, & exitium interim illius rebus intendi. In quem finem, inquiunt, arcem in sedibus tuis excitant, nisi, vt, potentiores effecti, te hinc exturbent, omnibusque te opibus, atque fortunis exspolient? An non his fraudibus Quiloæ Regem expulerũt? An non in India multos Principes, per summũ scelus, bonis euerterunt? An non, vbicumque pedem ponunt, fraudis, & latrocinij impressa vestigia relinquunt? Si sapis igitur, eos, ante quam vires colligant, opprime, ne postea frustra pestem a te, & a ciuibus tuis auertere coneris. His sermonibus stimulatus Regulus ille, manum secreto comparat, & diem facinori præstituit. Fuit huius sceleris indicium per Acotem Gnaiæ delatum. Gnaia, vt conueniebat, ad hostes acerrime propulsandos se parauit. Hostes, vt erat constitutum, in arcem impetu feruntur, tela ignita conijciunt, &, quibus possunt machinis, muros oppugnant. Acotes vero, cum centum hominibus, vt nostris subsidio occurrat, in arcem ingreditur. Fuit acre prœlium. Hostes tandẽ, telis, atque tormentis, repellun-

Insulæ S. Laurentij inuentio.

Res Africanæ.

Franciscus Gnaia, nouæ Classis præfectus.

Zofalæ Rex cæcus nomine Zefe.

Gnaiæ cũ Rege amicitia.

Aix a Gnaia exstruitur.

Saracenorum de arce Zofalensi querela.

Perfidia Regis Gnaię indicata.

Arcis oppugnatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur; & cum se in fugam darent, nostri eos insequuntur, nec vllo modo patiuntur, vt illi se a timore, & trepidatione reficiant. Itaque, in illorum tergis inhærentes, eos, vsque in opidum, in quo Regulus domiciliũ habebat, persequi contendunt, & in Regiam denique vadunt. Regulus in cubile suum se receperat: ibi, cum nostri vestigijs illius insisterent, is, quamuis & senex, & oculis orbatus esset, in extremo tamen vitæ discrimine animum minime demisit, sed iacula cõtra nostros intorsit. Vix fieri poterat, vt telũ aliquod frustra, eo quod nostri valde conferti essent, accideret. Itaque aliquot Lusitanos homines, iaculis emissis, vulnerauit, inter quos ipse Gnaia fuit, cuius cernicem iaculo sauciauit. Quod cum Emmanuel Fernandus, qui Regis Emmanuelis in ea regione negotia gerebat, animaduerteret, in Regulum inuasit, & caput illi continuo præcidit. Occiso Rege, præcepit Gnaia nostris, vt a maleficio abstinerẽt, & vniuersæ multitudini parceretur. Voluit enim, ea significatione clementiæ, incolas ad se allicere, vt, qui virtutis documenta perspexerãt, humanitatis etiã lumen in perditis rebus experirẽtur. Hac re gesta, Gnaię visum est, Reip. illius statũ collocare, & præmio etiam digno Acotem, qui strenuam operam in eo tumultu nauarat, afficere. Illum igitur, Regis Emmanuelis nomine, Regem creauit, &, ciues, vt illi libenter obtemperarẽt, effecit. Acotes fidem dedit, se perpetuo, quæcũque Rex Emmanuel, & Duces illius ei præscriberent, esse facturum. Interim, cum cælũ illius regionis esset nostris infestum, & propter palustres humores, ardentissimis Solibus excitatos, corpora multorũ inficeret, accidit, vt Lusitanorũ corpora summus langor occuparet, & multi decumberẽt, & tætra lue, atque tabe, consecti morerentur: ipseq. Gnaia eodem morbo sublatus est. In cuius locum fuit Emmanuel Fernandus, omniũ consensu, substitutus. Eo autem tempore Almeida, ex Cidebarbuto, & Emmanuele Coresma, nauarchis, qui in Indiam missi ab Emmanuele fuerant, intellexit, Petrum Gnaiã morbo exstinctum esse; & præterea in vrbe Quiloę si tumultuari, propter necem, Mahumeti Regi, per summum scelus, illatam. Illum namque Rex Tirẽdicũdus, qui erat cognatus Abrahemi, insidijs occiderat. Hęc illi, cum oram illius regionis legerent, vt fuerant ab Emmanuele iussi, (volebat enim Rex intelligere, an Frãciscus Albuquercius, & Petrus Mendoza, qui perierant, in aliquam illius regionis orã ea fissent) in cursu cognouerant. Almeida continuo Nonium Vascium Pereiram in Zofalam misit, qui arci præesset, & in cursu Quiloã, motibus, propter necem Regis, agitatam, constitueret, & in auctores etiam cædis, si fieri posset, animaduerteret. Hoc in loco, non erit abre, de regionis huius situ pauca dicere. Constat iam inde ab Homeri temporibus, eã Africæ partem, quam Græci Aethiopiam appellant, in duas partes esse distinctam. Vna namque, vt ipse Homerus auctor est, ad occasum Solis, altera ad ortum pertinet: & vtriusque partis regiones vltimæ, quæ ad Austrum longissimo tractu protenduntur, Oceano terminantur. Occidentalis Aethiopia cum ea Africæ parte, quæ Gaditano freto definitur, continens est, atque in Austrum inde continuata distenditur, vsque eo, dum quinque tantum ferme gradibus ab æquinoctiali regione distet. atque deinde in ortum Solis inflectitur, & ad principium promontorij Bonæ spei maximo spatio dilatatur. Inde vero rursus in Austrum tanta longitudine procurrit, vt æquinoctium superet, & Austrum versus, circiter gradus triginta & quinque ab æquinoctiali plaga dissideat. Inde, ad ortum Solis extenta, ad æquinoctialem rursus abducitur, & Septemtriones respicit, donec tandem in sinum Arabicum, atque in promontorium Prasum perueniat. Ibi Arabiam ab ortu Solis spectat. Intimus autem ille sinus Heroum ciuitate definitur. Cõtinet autem Aethiopia supra dimidiam Africæ totius partem. Regio partim est fertilis, & multis frugibus, & armentis, & pecoribus abundat, & quamplurimis fluminibus alluitur; partim deserta, & inculta, & rerum omnium asperitate vastata. Est etiam in illa non solum maxima linguarum, sed etiam morum dissimilitudo. Nam quidam sunt mites, & commodi, & ad omnem rationem humanitatis propensi. Alij vero sunt moribus immanibus efferati. Ea vero pars Aethiopiæ, quæ spectat ad Solis ortum, a promontorij illius maximi flexu incipit, & deinde ad Aethiopiam, quæ supra Aegyptum est, post varios sinus, & flexus, extenditur. Continet autem Aethiopia elephantos quãplurimos, e quibus magnam vim eboris mercatores inde in multas alias orbis terrarum regiones important. Abundat multis auri, & æris, & argenti venis, alijsq. rebus innumerabilibus, plurimis in locis opulenta est. Calores tamen nostris hominibus infestissimi, & febres mortiferæ, eos his commodis omnibus arcent, terroribusq. mortis obiectis impediunt, quo minus multas ex Aethiopia vtilitates excipiant. Quamquam tantas plerumque vires habet auaritia, vt mentes hominũ a cogitatione mortis, qua nihil videtur esse terribilius, frequenter abducat. In hac autem Aethiopiæ parte, quæ est vltra promontoriũ Bonæ spei, quæ Australi Oceano terminatur, est Regnum latissimum, quod Benomotapa nominatur, cui, ante quam Lusitani eas oras perlustrarent, omnes illius oræ Reges, sine recusatione, parebant. Est autem auro, supra quam quisquam existimare potest, ditissimum. Nam e fluuijs etiam, atque lacubus eruitur. Multiq. Reges Regi Benomotapæ auri tributum quotannis impendunt. Gés simula-

Regis cæci militaris fortitudo.

Rex occisus.

Gnaię clemẽtia.

Acotes Zofalensi Regno præficitur.

Gnaiæ mors.

Quiloẽsis tumultus.

Zofalẽsis Regni descriptio.

Aethiopiæ duplex.

Aethiopum lingua, & mores.

Benomotapæ Regnum ditissimum auri.

simulacra minime colit: vnum DEVM, cæli, & terræ conditorem, confitetur. Cultus, & vestitus non est cultui, quo reliqui Aethiopes vtuntur, absimilis. Regem incredibili superstitione venerantur. Rex duo Regiæ maiestatis insignia gestat. Vnum est, paruus quidam ligo, cum eburneo manubrio. Alterum iaculis duobus haud ita magnis continetur. Ligone subditos ad terræ culturam adhortatur, ne, propter ignauiam, atque desidiam, terram deserant, &, fame coacti, latrocinentur. Vno vero ex iaculis, significat, se scelerum vindicem futurum; altero, vim externam ab hostibus armis, atque virtute repressurum. Regum filij, quos habet stipendiarios, apud illum nutriuntur, tum vt ea educatione Regem debita fide, & amore prosequi studeant, tum vt illis obsidibus Rex eorum parentes in officio, & fide contineat. Est maximo semper exercitu constipatus, quamuis summa pax, & otium cum omnibus finitimis nationibus sit illi firmo fœdere constitutum. Tunc enim censet, sibi nullum a bello fore periculum, cum in pace bellum semper Regum fortunis impendere suspicatus fuerit. Singulis annis mittit ex suis domesticis, & familiaribus, qui ignem nouum Principibus, & Regibus, qui in illius ditione sunt, nomine ipsius Regis, impertiat, atque inde reliquis hominibus distribuatur. Quod quidem ad hũc modum fit. Vbi legatus ad domum cuiusuis Principis accedit, ignis exstinguitur. Deinde rursus a legato nouus ignis excitatur: tunc omnes eo commeant, vt ignẽ inde in domos suas inferant. Hoc qui facere recusat, proditor, atque rebellis, existimatur, & tamquam maiestatis reus, extremo supplicio punitur, &, si opus ita fuerit, exercitus in illum comparatur, vt hominem fidei desertorem multis excruciatũ supplicijs interimat. Hæc quidem de regione illa Aethiopiæ, cuius ambitu Zofala etiam continetur, satis esse puto. In India vero Franciscus Almeida, ne tempus vllum abire sine fructu pateretur, Laurentium filium, cum classe nauium nouem, misit in insulas, quæ Maldiuæ appellantur. Sunt autem complures, modicis inter se æstuarijs diuisæ, Cochimoq. circiter bis centum & quadraginta millibus passuum distant. Ibi eum iubebat speculari, num quæ naues Saracenorum ab Oriente Sole in Occasum nauigarẽt, quas ipse captas Cochimum perduceret. Tanta vero fuit æstus vis, vt Laurentius a cursu prorsus abduceretur. Delatus autem fuit in insulam, non ita lato mari a Cori promontorio, quod Comorinum appellant, disiunctam: quam multi suspicantur esse Taprobanam. Sed, qui Ptolemæum sequuntur, Taprobanam asserunt esse illam, quæ est aureæ Chersoneso opposita, quam incolæ Samatram appellant. Hæc autem, de qua loquimur, a Ptolemæo Cori, nomine promontorij Indici, in quod spectat, appellatur. Insula nominatur ab incolis Zeilã. Ea patet in longitudinem a Septemtrione ad meridiem circiter ducenta & quinquaginta passuum millia: latitudo autem, vbi est latissima, non vltra centum & quadraginta millia passuum dilatatur. Est autem admodum fertilis, neque solũ varijs frugibus abundans, verum & herbis, & plantis odore mirifico redolentibus egregie vestita: quæ quidẽ sine vlla cultura proueniunt. Malorum citreorum nemora sunt densissima: fructus varij, atque multiplices, tam sapore, quam odore gratissimi. Magnam præterea vim cinnamomi passim fundit. Multi præterea pretiosissimi lapides, atque multiplices e saxorum ingentium venis eruuntur; & gemmæ etiam incredibili multitudine, & singulari colore, atque fulgore, extractis ostreis e profundo maris gurgite, reperiuntur. Ad hæc, miram elephantorum copiam nutrit. Erat tota insula septẽ Regnis distincta, e quibus tamen vnus & opibus, & dignitate, & imperio, multum reliquis anteibat. Is in ciuitate maxima, quæ Columbum appellatur, imperij sedem, & domiciliũ collocabat. Est in media insula mons præcelsus, multis paludibus cinctus. Ex illius summo fastigio collis assurgit, e cuius medio, e lacu quodam, aquæ dulces, atque perennes emanant. Prope lacum est silex, in qua cernitur vestigium hominis impressum. Est autem instum incolis, vestigium illud esse primi parentis generis humani, qui inde in cælum sublatus ab illis esse dicitur. Non procul autem inde Sacellum visitur, in quo duo sepulcra mira superstitione coluntur. Existimant enim, in his condita fuisse corpora primi hominis, & vxoris illius, e quorum semine fuit vniuersum genus humanum propagatum. Ea vero opinio animis penitus infixa, facit, vt eo multi Saraceni, & alij longe diuersis superstitionibus impliciti, religionis gratia, confluant. Locus adeo accliuis est, vt neque manibus niti ad summum possint, sed scalis, & catenis adiuti eo perueniant. Ad hanc insulã Laurentius, cum classe sibi commissa, delatus, portum subijt, quem incolæ Gabalicamum appellant. Id cum Rex (nec enim inde procul aberat) accepisset, legatum ad illum continuo, cum muneribus, misit, qui ab eo pacem peteret. Laurẽtius legatum benigne, & hospitaliter, accepit, & muneribus illis ornauit, quæ ei grata fore suspicatus est. Tandem, vt pacem cum illo firmaret, misit vnum de comitibus suis, virum nobilem, atque primarium, Pelagium Sousam nomine, qui, in Regiam deductus, Regem offendit miro fulgore circumlucentem. Partim enim gemmis, quibus erat excultus, partim cereis facibus, quamuis dies esset clarissimus, omnia splendebant. Ad maiestatem enim pertinere existimabat, eiusmodi facibus circumsederi. Fuit Pelagius Sousa, cum reliquis, qui illi fuerant comites attributi, ad modum honorifice receptus, fœdusq. sine vlla recu-

Regis insignia.

Prudenter factum.

Superstitiosus mos, ignis a Rege quotannis petẽdi.

Maldiuæ insulæ.

Comorinum promontoriũ

Rex Indiæ.

Zeilanda insula.

Columbum Zeilãdæ metropolis.

Adami vestigium.

Protoplastorum sepulcrũ

Gabalicamus portus Zeilandæ. Zeilandensis ad Laurentiũ legatio pacifica.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fœdus Zeilādensis Regis cum Emmanuele.

la recusatione sancitum. Fœderis condiciones hæ fuerunt, vt is Emmanueli Regi singulis annis, tributi nomine, ducenta & quinquaginta millia pondo cinnamomi penderet; Rex autem Emmanuel illum in fidem, & clientelam reciperet, & Ducibus suis præciperet, vt illius portus, atque maritimas ciuitates, ab hostium iniuria prohiberent. Id fœdus sub ea condicione ratum habuit Laurentius, si pater illius auctor fieret. Pondus tamen cinnamomi fuit, Regis iussu, nauibus Lusitanis impositum. Tantus enim erat Regi metus iniectus, vt vix vllum officium, quod ad pacem cũ nostris firmandam valeret, ei satisfaceret. eiusdem consensu, Laurentius in terra columnam marmoream, cum Regijs Emmanuelis insignibus, statui iussit, quo significabat, insulæ possessionem ab illo, nomine Emmanuelis, occupari. Hac re confecta, Cochimum ad Patrem redijt, à quo fuit in Anchediuam missus, vt arcem munire t, & totam illam oram maritimam perlustraret. Emmanuel Pazagna similiter Cananorem, eiusdem Almeidæ iussu, petijt, vt Laurentio Brittio, in arce ædificanda, atque munienda, opem afferret. Interim, dum tempus in his negotijs teritur, venit ad Laurentium vir quidam Italus, nomine Ludouicus Vuartmanus, patria Bononiensis, qui, studio orbis terrarum cognoscendi, multas regiones peragrarat, atque tandem, sub mercatoris habitu, cum se Saracenum esse simularet, Calecutium peruenerat. Ibi, cum multi multa de Portugalensibus commemorarent, nomine gentis excitatus, quasi, quæ gens esset, ignoraret, qui mores, & instituta illius essent, quam religionis sectam sequeretur, quo casu fuisset in Indiam delata, quæsiuit. Saracenigentem esse maleficam, & sceleratam, narrant, cuius omne studium in latrocinio, & crudelitate consumeretur, multaq. iam detrimẽta Saracenis in partibus illis intulisse. Tum Ludouicus simulat se indignissime pati, tantam gentis impuritatis simæ audaciam, & temeritatem tamdiu impunitam esse, quæ iam interitu funestissimo debuisset meritas facinorum, & scelerum pœnas exsoluere. Inde, cum se in familiaritatem eorum, qui plurimum poterant, insinuaret; & consilia Regis explorat; &, quo animo classem ingentem compararet, quibus auxilijs se in nominis Lusitani perniciem sæpiret, intelligit. Interim spem maximam concipit, fore, vt breui, Lusitanorũ ope, se se a Saracenorum familiaritate impurissima vindicaret. Cum Mediolanensibus autem consilia communicat, & eos adhortatur, vt, relicto Calecutio, se ad Lusitanos conferant. Respondent illi, se Christianos esse; scelerum tamen suorum conscientia perterreri, ne ad Christianos confugiant. Ludouicus, bono illos animo esse, iubet, seq. operam daturum pollicetur, ne illis fraudi esset facinus, quod in Christianum nomen conciuerant. His ita constitutis, quam primum occasionem oblatam vidit, arripuit, atque ad Almeidã se contulit. In eo cursu in Laurentium incidit. Ibi tunc, quas copias Rex Calecutiensis pararet, quam classem instrueret, illi nuntiauit. Docuit præterea, valde Mediolanenses facti sui pœnitere. Eosque, si veniam impetrarent, libentissime ad Lusitanos redituros. Quod vt confestim fieret, Laurentium vehementer adhortari cepit. Illorum nãque opera quamplurima tormenta apud Calecutiensem Regem conflari, multosq. idem artificium ab illis inuitissimis perdiscere. Laurentius illum laudat, & muneribus afficit, atque promissis excitat, ad patremq. deduci iubet. Pater confestim filium per litteras admonuit, vt se admicandum cum hoste pararet. Et Ludouicum dimisit, vt, Calecutium reuersus, Mediolanenses, data fide, Cochimum perduceret. Id Mediolanenses lętissimis animis acceperunt. Sed, dum fugam parant, fuit eorum consilium enuntiatum: deprehensique, pœnas, morte crudelissima, luerunt. Ludouicus vix se fuga a periculo cædis proripuit. Interim classis Calecutiensis summa vi parabatur. Ea fuit octoginta maiorum nauium, & centum & viginti quattuor paronum. Erat autem & armis, & tormẽtis, & hominum multitudine, multisq. munitionibus instructissima. Laurẽtius, cum classe vndecim nauium, in illam inuectus est. Erant autem in hac classe octingenti milites Lusitani, viri acres, & armis egregie muniti. Auxilia præterea Indica, non tamen valde firma, conquisierat. Ventum erat ad Cananoris oram, cum vtrimque cõcursum est. Atque primum, cum dissonis clamoribus, tubarum cantibus, tormentorum crebris ictibus, mare, atque tellus tremefacta, strepitus horrendos edidissent, tandem naues ipsæ, manibus ferreis inter se deuinctæ, concutiuntur. Laurentius, nauem hostium prætoriam conspicatus, in eam impetum fecit, &, harpagone sæpe frustra coniecto, tandem eam firme retinuit. fuit vtrimq. satis acriter dimicatum. Laurentius tamen in nauem insiluit. Illum Philippus Rodericus, Ioannes Homo, Fernandus Pirezius Andradius, Vincentius Pereira, Rodericus Pereira, & alij quidam homines fortissimi secuti sunt. Erant sexcenti milites in hostium naui, qui, cum rem in summum discrimen adductam cernerent, ne inulti caderent, laborabant. Sed tandem omnes partim occisi, partim capti sunt; aliqui vero se in mare demiserunt, vt nando salutem quærerent. Hac naui capta, Laurentius Nonnio Vascio Pereiræ opem opportune tulit. Is enim, cũ naui haud ita magnæ præesset, nauem hostium valde magnam inuaserat, eamque, iniecto harpagone, suæ deuinxerat. Sed nihil propius est factum, quam vt nauis illius, hostilis nauis ictibus alli sa, deprimeretur. Præterea, tanta multitudo sagittarum, & iaculorum, ab hostibus accidebat,

Ludouici Vuartmani ad Lusitanos aduentus.

Perfidia Mediolanẽsium punita.

Classis Calecutiensis.

Prœlium nauale.

Nauis prætoria capta.

bat, vt omnes ferme, quamuis acerrime decertarent, se interituros arbitrarentur. Sed, aduentu Almeidæ, hæc quoque nauis hostium expugnata fuit, & ex quingentis militibus, qui ea vehebantur, nemo euasit, nisi tantum illi, qui natandi artificio vitæ suæ cõsuluerunt. Erant in hostium classe, ex eo numero, quem diximus, multæ mercatorum naues, qui reliquarum nauium robore, & multitudine nitebantur. Hi, cum cernerent duas illas naues expugnatas, diffidere de pugnæ euentu cœperunt. Dum igitur animaduertunt nostros ita pugnandi difficultatibus implicitos, vt minime illos fugientes insequi possent, vela dant: & alij quidem se in Calecutiensem portum recepere; alij vero eum nauigando cursum libere tenuere, quem optabant. Reliquæ naues strenue iaculis, & tormentis, partim æneis, partim ferreis, & nauium impressione, decertabant, & cominus etiam multis in locis hastis, & gladijs rem gerebant. Erant autem nostri in magno periculo. Nam multæ simul naues hostium vnam nauem ex nostris circumsistebant. Ab omnibus tamen fuit diu, magna virtute, dimicatum, & hostes tandem in fugam conuersi. Supra tria millia hostium cæsa sunt. Decem naues, cum multis paronibus, depressæ: duo signa Regia, & nouem naues maiores captæ, & magna præda parta. e nostris sex tantum in pugna ceciderunt. Re ex animi sententia gesta, Laurentius se Canano rem contulit. Fuit autem a Rege, cum magna lætitiæ significatione, & cum non mediocri admiratione virtutis, exceptus. Interim, dũ hæc geruntur, cum Zabaius, Goæ Princeps, intelligeret, Calecutiensem Regem magnam classem comparasse, & nostros, vt cum illa dimicarent, ex arce Anchediuensi soluisse, noluit eam rei bene gerendę, vt opinabatur, occasionem amittere. Consilio igitur Lusitani cuiusdam, qui religionem abiurauerat, (erat autem is ex illis exsulibus, qui morte damnati fuerant, & ea condicione liberati, vt terras incognitas explorarent) classem sexaginta nauium in Anchediuam misit, quæ arcem expugnaret. Classi autem eundem Lusitanum præfecit. Fuerat is faber lignarius, & in reficiendis arte sua nauibus vsui nostris erat. Appellabatur Antonius Fernandus. Tunc vero, post scelus nefarium, cum religione nomen mutarat, & Abedella nominabatur. Is, cũ naues ad Anchediuæ arcem appulisset, cõtinuo eam oppugnare instituit. Emmanuel autẽ Pazagna, qui præfectus arcis erat, tanta vi restitit, vt hostibus magnam perniciem afferret. Itaque vir nefarius obsidionem soluit; & Goam, cum suorum cæde, & interitu, & cum insigni dedecore, reuersus est. Almeida tamẽ, cum cerneret, illam arcem nullum vsum habere, nec ex insula aliquam vtilitatem percipi, neque posse, eo quod procul Cochimo aberat, nisi sumptibus immodicis, & cum magno periculo defendi, & copias, quas habebat, esse exiguas, neque commodum esse, eas dispertiri, de Ducum omnium sententia arcem diruere iussit. Laurentium igitur in Anchediuam cum classe misit, vt id exsequeretur. Is, vt fuerat iussus, in naues Pazagnam cum militibus, qui erant in præsidio, recepit, & , arce disiecta, Cochimum redijt. Per idem fere tempus, quo hæc in India gerebantur, Rex Philippus, Maximiliani Imperatoris filius, & Fernandi, & Isabellæ gener, e Gallia Belgica in Hispaniam venit. Habebat autem ille in matrimonio Ioannam, Fernandi, & Isabellæ filiam, ad quam, post mortem Ioannis, & illius Isabellæ, quæ Alfonso, primum Ioannis Regis filio, deinde Emmanueli nupserat, Regni patrimonium iure veniebat. Philippus igitur, cum vxore, postquam accepit Isabellam Reginam, socrũ suam, e vita decessisse, in Hispaniam venire maturauit, vt Regni hereditatẽ adiret. Id cum Emmanuel intelligeret, & iam eos in Artabros peruenisse, compertum haberet, ratione cognationis, & vicinitatis, admonitus est, vt illis sine vlla mora per legatos de felice in Hispaniam aduentu gratularetur, fidemq. daret, se nullo in loco, in rebus omnibus, quæ ad illorum dignitatem, & voluptatem pertinerent, officio fratris amantissimi defuturum. Legatus fuit Iacobus Lupus, Alutensis Dynasta: qui quidem fuit a Regibus illis admodum honorifice susceptus, responsumq. ab eis tulit, amoris, & officij plenissimum. Hoc eodem tempore suscepit Emmanuel actionem memoria sempiterna dignissi mam, quamuis in eo, quod effectum cupiebat, frustra contenderet. Videbat enim, Principes Christianos, odijs acerbissimis stimulatos, inter se, cum magno rerum omnium discrimine, decertare, Remp. Christianam dilacerari, vires frangi, & debilitari, & hostium opes interim Christianorum furore, & amentia in dies augeri. Verebatur autem, ne malũ illud serperet, & in Christiani nominis perniciem, si non esset opportuno remedio prouisum, erumperet. Cum autem hæc secum agitaret, tum id in primis cum vehementer angebat, quod CHRISTI Sepulcrum esset a Saracenis occupatum, & a Christianis Principibus turpissime neglectum. Omnia vero mala, quæ tunc rebus Christianis accidebant, interpretabatur, propter hanc negligẽtiam pietatis, incidere; & religionem, socordia, & desidia violatam, arbitrabatur esse magnitudine roboris, atque virtutis expiandam. His curis anxius, legationem ad Iulium Põtificem Maximum decreuit. Legatus fuit Odoardus Galuanus, Regis ipsius consiliarius. Summa Legationis hæc fuit. Principes Christianos inter se, de propria dominatione, cum periculo vniuersæ Christianæ Reip. dimicare. Opes interim Principis Turcarum, & Sultani etiam vires, vehementer amplificari, & rebus Christianis

Hostilis classis fuga.

Victoria Lusitanorum.

Zabaij in Anchediuam expeditio irrita, & Antonij Fernandi apostasia.

Anchidiuensis arx, diruta a Lusitanis.

Res Europeę

Philippi Regis in Hispaniam aduentus.

Emmanuelis ad Philippũ gratulatoria legatio.

Emmanuelis de communi salute sollicitudo.

Emmanuelis ad Põtificem Max. legatio pro communi concordia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

stianis imminere. Neminem vero eorum Principum, quorum officium erat, hostium impetum a Christianis, proposita etiam morte, reprimere, tanto periculo commoueri. Si gloriæ cupiditas Principes ad arma sollicitabat, quod decus tantum esse poterat, quod esset cum CHRISTI Sepulcro armis vindicato cõparandum? Si multa possidendi cupiditas stimulos illis adhibebat, cur non animum ad Asiæ, & Aegypti regiones opimas, maximisq. opibus opulentas, adijciebant? Per Christum igitur Optimum Maximum, ipsum Iuliũ obtestabatur, vt omne studium suum, omnem virtutem, & industriam, omnes curas, & cogitationes, in discordijs tollendis, & pace constituenda, consumeret; & Principes Christianos ad interitum Mahumetani nominis exhortaretur, vt ita sempiternam gloriam, quæ nullis vmquam sæculis esset interitura, compararent. Se vero ad eam rem Regni sui opes vniuersas polliceri, libentissimeq. per se in tam præclaro certamine quoduis discrimen capitis aditurum. Hæc quidem Emmanuel, sine vllo fructu, per litteras, atque legatos, egit. Erat enim Principes animis propemodum efferati, & vsque adeo, propter turbulenta dissidia, a cogitatione impendentis calamitatis abducti, vt hanc orationem non solum animis aspernarentur, verum etiam ludibrio haberent. Hoc eodem anno Emmanuel Castellum in Africa ædificari præcepit, extra fretum Gaditanum, in ea ora, quæ ad Austrum pertinet, vt ex eo possent infesta signa Mauris eam regionem incolentibus sæpius inferri. Huius autem ædificij curam Iacobo Azambugeo, viro impigro, qui multa decora virtutis militaris obierat, assignauit. Fuit Castellum magno cũ labore, & contentione, a nostris ædificatum. Multi namque Mauri vndiq. confluebant, vt nostros opere prohibierent. Itaque necesse erat nostris eodem tempore Castellum ædificare, & hostium vim armis, atque virtute, repellere. Anno insequente, qui fuit a Christo nato MDVII. instruẽdas curauit Emmanuel naues quattuordecim, quę varijs temporibus Olysippone soluerunt. Vt quæque enim erat expedita, ita vela faciebat. Nulla tamen earum eodem anno in Indiam peruenit. Vascus Gomecius Abręus, vnus e Ducibus a Rege delectis, iussus erat in Zophala arci præesse. Is, cum Aethiopiæ oram præterueheretur, instituit, vt nauigium, incredibili celeritate, cuius erat nauarchus Ioannes Chanoca, facem præferret, quem reliqua nauigia sequerẽtur. Hoc tamen fuit, Ducis negligentia, dissolutum, atque dissipatum. milites in terram enatarũt. Quorũ pars aliqua, quæ in manus hominum immanium inciderat, fuit in vinculis detenta, & a nostris, qui oram eandem legebant, pecunia liberata. Rodericus vero Suarius, qui erat vnus e nauarchis, incidit in nauem, quæ ex Arabia soluerat, in qua erãt homines quingenti: cum quibus magna armorum contentione manum conseruit, eamq. tandem expugnauit, & omnes Saracenos ferro concidit. Tres autem nauarchi fluctibus oppressi periere. Omnes vero naues, quæ euaserant, in hiberna deductæ sunt. Cum vero in India exploratum fuisset, nullum e Lusitania nostris auxilium aduenisse, Saracẽni animos erexerunt, & confirmarunt, tempus adesse credentes, quo possent nomen Lusitanum omnino delere. Itaque Regem Calecutiensem adhortantur, & admonẽt, ne occasioné præclari cuiusdam facinoris diuinitus oblatam prætermitteret. Augures etiam insignem eo anno victoriam illi portendebant. Sacerdotes item, atque Brachmanæ, quasi Deorum oraculis inciti, multa referebãt, quibus Regem ad spem summi decoris excitarent. Rex omnia, quæ ad bellum erant necessaria, summa industria comparabat. Hęc omnia Prætor Almeida per exploratores, & transfugas, explorate cognoscebat. Vt autem hostibus significaret, sibi nõ opus esse vllius classis auxilio, duas festinanter classes instruxit. Vnam, vt naues, quæ Cochimo Cori promontorium versus nauigabãt, ab hostium incursione defenderet; in qua erant triremes duæ, naues onerariæ duæ, & vnus paro; quam Emmanueli Pazagnæ commisit. Alteram, quæ oram illam tutaretur; in qua erant vndecim naues, quibus Laurẽtium filium præfecit. In hac classe nauarchus erat quidam, nomine Gundissaluus Vascius Goesius, qui, cum minime commeatu abundaret, vt rei frumentariæ consuleret, Cananorem petijt. Inde profectus, vt se rursus cum Laurentio coniungeret, festinauit. In eo autem cursu nauem Saracenorum, quæ Cananore veniebat, offendit, in eamq. ferociter inuasit. Saraceni minime repugnarũt. Se namque fœderatos esse dicebant, & itteras, quæ eiusdem fœderis fidem facerent, Laurentij Brittij, qui arcis Cananorensis, vt dictum est, præfectus erat, ostenderunt. Sunt enim hoc iure omnes, qui in Indico mari nauigant, iam inde ab eo tempore, quo Lusitani in India arces ædificare cœperunt, vt nemini liberum sit nauigare, nisi ab aliquo Lusitano vel Duce, vel arcis Præfecto, (fide prius illius, qui nauem conscendere vult, diligenter explorata) litteras acceperit, fidem fœderis continentes. His litteris tuto nauigant. Aliter enim a nostris nauarchis capi, bonisq. omnibus euerti, & vita, aut saltem libertate priuari possunt. Tunc igitur, cum Saraceni litteras ostentarent, quibus nixi se mari commiserant, Goesius, siue auaritia cæcus, siue barbara immanitate ductus, siue odio gentis illius efferatus, clamauit, litteras illas fuisse per fraudem extortas, seq. exploratum habere, illos esse Christiani nominis hostes, & perniciem Lusitanis omnibus, per summum scelus, & perfidiam, machinari. Daturos igitur illius tam scelesti facinoris

Res Indicę.

Duæ Lusitanorũ classes.

Lusitanorum ius, & imperii nauticum.

Gundissaluꝰ Vascijniquꝰ & crudele facinus.

Res Africanę.

Ann. a Christo nato 1507

Nauis Saracenica expugnata.

pœnas.

Perfidiæ detectio.

pœnas. Itaque nauem diripuit, hominesq. miserrimos, hominum, atque Dei fidem implorantes, in velum insuit, & nauem iam exinanitam, tormentorum ictibus perforatam, depressit. Fuit hoc facinus non solum crudele, & inhumanum, contra ius gentium, & contra omnem rationem humanitatis nefarie, & flagitiose susceptum; verum etiam, propter temporis illius adeo periculosi rationem, temerarium, & furoris, & amentiæ plenissimum. Cum enim nondum esset imperium fundatũ, & exiguis admodum copijs Lusitani maria illa tenerent, conueniebat, vt, quod viribus adipisci non poterant, existimatione fidei, & humanitatis, assequerentur. Nam, cum nullum vitæ præsidium fide firmius sit, tum eo tempore, quo reliqua præsidia adeo infirma erant, omnis salutis ratio erat in fidei opinione collocanda. Vt enim fidei, & benignitatis, nomẽ excellens omnium mortalium animos ad beneuolentiam allicit; ita infamia perfidiæ, & crudelitatis odium incendit, & ad vindictam stimulat. Quod tunc re satis perspectum fuit. Factum enim est, vt facinus illud redderet Lusitanum nomen illius nationibus odiosum, & inuisum. Almeida vero id indignissime passus est, Goesiumq. honore priuauit, neque post illum diem ad suam familiaritatem admisit. Eo tempore Rex Cananoris obierat, & alius in illius locum successerat, qui erat in nostros animo vehementer infesto. Opera namque Calecutiensis ad Regnum peruenerat. Erat Cananore Saracenus, Mamele nomine, copijs, & existimatione, eorum Saracenorum, qui terras illas incolebant, facile princeps. Nauarchus autem nauis illius, quam Goesius in alto merserat, erat sororis illius filius. Hic, cum percepissẽt, merces suas, quas nauis illa conuehebat, esse direptas, nauemq. depressam, & hominem sibi coniunctissimum cum reliquis crudelissime demersum, dolore stimulatus, ad Laurentium Brittium recta contendit, & maximis vocibus de iniuria sibi facta conqueritur. Tu, inquit, nos prodidisti; tu nos in fraudem induxisti: quod nauem amiserim, quod bonis spoliatus sim, quod nepote meo carissimo sim orbatus, id perfidia, & scelere tuo factum est. Qui fieri enim potuisset, si testimonium litterarum tuarum bona fide conscriptum fuisset, vt vir Lusitanus, atque nauis magnæ præfectus, tam crudeli iniuria nos omnes affecisset, tantumq. in multos nostrę societatis homines cladis inuexisset? Britto iurat, se nihil fraudis admisisse. Saracenus nullam satisfactionem accipit. Itaque, vt erat lacrymis oppletus, & furore acriter inflammatus, ad Regem properat. Sequebantur illum vxores, & parentes, & liberi eorum, qui fuerant crudelem in modum interfecti. Ibi cum eiulatu lugubri clamores in cælum tollunt, manus in Regem intendunt, fidem illius implorant, ius acerrime postulant, &, vt de gente sceleſtissima pœnas debitas expetat, obtestantur. Is, se minime postulata neglecturum, ostendit. Tum, accersito Mamele, sibi minime ingratum fore dicit, si illi, quacumque ratione possint, scelus illud vlciscantur. Mameles continuo ad Saracenos, qui Calecutij negotiabantur, litteras de hac iniuria misit. Illi rem ad Regem deferunt. Is confestim misit, qui nomine illius animum Regis Cananoris in nostros acriter inflammaret, opemq. suam ad nostrorum exitium minime defuturam promitteret. Fore autem, si coniunctis viribus in perniciem Lusitanæ gentis incumberent, vt illius memoriam e terris exterminarent. Hoc accepto nuntio, Rex totam suã cogitationem ad exitium Lusitanorum traduxit; Atque principio, quod animo moliebatur, secretum tenuit. Interim autem fossam latissimam, a litoris vnius fine, ad alterum litus, perduxit. Ea fossa arcem (erat enim in angulo, quem mare circumluebat, sita) ab vrbe dirimebat. Hoc se se ad vrbem muniendam facere simulabat. Puteus autem erat non procul ab arce, e quo nostri ad bibendum aquam hauriebant. Hunc intercludere puteum hostis cogitabat. A fossa namque ad puteũ erat semita perangusta, quam aggeribus, & turribus, munire Rex statuebat, vt inde nostros putei aditu prohiberet, atque siti conficeret. Hæc res fuit Præfecto, Principis opera, qui erat in Regnum successurus, indicata. Is etiã demonstrauit, Regem Calecutij, præter alias munitiones, viginti & quattuor ænea tormenta Regi Cananoris clam, quibus arcem quateret, misisse; & præterea triginta hominum millia se in auxilium missurum pollicitum fuisse. Laurentius Principi gratias egit, seq. daturum operam confirmauit, ne vmquã beneficium apud ingratos collocasse iudicaret. Itaque suos continuit, ne in vrbe hostili, cum vitæ periculo, vagarentur. Ad Almeidã vero nuntium misit, qui significaret, quo in discrimine versaretur. Almeida filium misit, qui arcem militum præsidio, & commeatu, & armis firmaret, vt posset facilius obsidionem tolerare: quod ab illo diligentissime perfectum fuit. Brittius, cũ animaduerteret, aquatione intercluſa omnibus esse pereundum, illud telluris spatium, quod erat inter arcem, & puteum interiectum, fossa, & vallo munuit; eaq. munitione vtrumque litus inclusit. Tum pontem sublicium exstruxit, qui vallum cum puteo coniungeret. Deinde varias turres excitauit, & tormenta in illis disposuit, quibus, si vellet hostis aquationem impedire, eũ propelleret. Hoc cum Rex animaduerteret, insidias detectas esse cognouit. Non igitur vltra dissimulandum ratus, arcem oppugnare constituit. Quadraginta hominum millia tunc in castris habebat, partim ex suis copijs, partim ex auxilijs, quæ Calecutio iam aduenerant. Itaque copias eduxit, & vallum confe-

Cananorẽsis Rex, Lusitanis infestus.

Mamelis Saraceni de Lusitanorum in iuriis querela.

Ca'ecutii Regis ad Cananorensem legatio.

Cananorensis in Lusitanos molimina.

Brittii munitiones.

Arcis Cananorensis oppugnatio.

stim

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lusitanorum dissimen.

stim aggressus est. Nostri maximo cum labore hostium impetum sustinebant. Sed de aquatione præcipue acerrimū erat inter nostros, & hostes certamen instituтum, cum illi, maxima contentione, ne Lusitanis v la facultas aquationis daretur, pugnarent; contra, Lusitani, ne aqua excluderentur, periculosissimā dimicationē subirent. Aqua igitur ijs, qui bibere cupiebant, erat multo sanguine comparanda. Nostri vero, consilio Thomæ Fernandi, præstantis architecti, ab arce in puteum cuniculum egere; qui tanto silentio perfectus est, vt numquam id ab hoste animaduerti posset. Tum paullo supra illud cuniculi ostium, quod ab arce ad puteum medium pertinebat, trabes immisit, & super eas alias transuersas iniecit. Tum magnam materiæ vim super eas trabes dēmisit, quæ puteum tegeret, ne possent hostes venenum in aquam infundere. Postremo, ore summo putei disturbato, terrā omnem congessit, ne posset hostis materiam extrahere. Sic autem fiebat, vt nostri tuto hostibus inuitissimis aquarentur. Rex igitur ab hoc conatu depulsus, vallum oppugnare multo acrius instituit. Cum vero multi in ea oppugnatione caderent, vt tutius rem gererent, ingentes saccos lana, & simili materia, infarciri iussit, vt, his oppositis, tormentorū ictus exciperet. Dum autem hoc opus apparabatur, castra retro mouit, & suos ab oppugnatione prohibuit. Brittius, id non sine consilio fieri ratus, excogitauit rationem, qua hostis consilium exploraret. Faber quidam lignarius, illius iussu, laqueum exstruxit, eumq. nō procul a vallo ea parte, quæ valli portam respiciebat, leui materia, atque tellure, contexit. Brittius quadraginta milites iussit extra vallum egredi, vt vrbem versus pergere simularent. Hostes, illos conspicati, in eos impetū faciunt. Nostri se sensim recipiunt; hostes acriter insistunt. Eorum autem Dux, cum omnibus præiret, in laqueum incidit. Quo facto, nostri hostibus repugnare multo acrius incipiunt; alij, extra vallum egressi, se cum illis coniungunt, & hostes, re inopinata perculsos, expellunt, & paullo longius insequuntur, fignoq. dato se recipiunt, & Ducem laqueo expeditum ad Præfectum pertrahunt. Ex illo cognouit Brittius, quo animo Rex bellum intermitteret. Præterea Princeps, Regni heres, per vnum de suis comitibus, scapha commeatu onusta silentio noctis inuectum, illi Regis consilium aperuit. Nostri ad propugnandum se comparauerunt. Perfectis operibus, Rex confestim aciem hoc ordine instruxit. Saccos primum sic oppositos esse iubebat, vt essent instar valli, quo milites possent sine periculo ad Lusitanorum vallum accedere. Deinde milites, cum arcubus, & ferreis fistulis, & varijs telorum generibus, sequebantur. Postremum agmen Rex cum valida manu firmabat. Arcis tormenta, quamuis globos ingentes, partim ferreos, partim lapideos, emitterent, cū hi saccis exciperentur, nullum detrimentum hostibus afferebant. Ea res animaduersa hostibus animos extulit, ita, vt, quasi debellatum iam foret, clamores ingentes ediderint. Sequēti die fuit oppugnatio multo ferocius instaurata. At Brittio venit in mētem, tormentum vnum, quo nondum vsus fuerat, quod multo vehementius globos eiaculari cognouerat, collimare. Cum ille igitur, qui tormenti curam gerebat, ignem admouisset, factum est, vt saccos disijceret; ictibusq. crebrius repetitis, omnes moles oppositas disturbaret. Cum igitur maiora tormenta in aciem hostium propugnaculo nudatam ingentes pilas, minora glandes valde frequentes emitterent, magnam stragem ediderunt. Ea nocte vir quidam nobilis Castellanus, cognomento Guadelaiare, postulauit a Brittio centum & quinquaginta homines, quos ipse deligeret, quibus hostium castra terrore compleret. Cum id illi fuisset concessum, de quarta vigilia (erat autem nox pluuia, caligoq. densissima erat castris offusa) nostri hostes, nihil hostile, propter nostrorum paucitatem, suspicantes, tubarum cantu, & clamoribus magnis, exterrent, & alios graui somno consopitos, alios semisomnes, obtruncant, reliquos in fugam pellunt. Vbi primum diluxit, nostri, potiti castris, prędam non mediocrem in arcem conuehunt. Hunc felicem successum casus aduersus deformauit. Erant frequentes ædes arci coniunctæ, arcis ipsius præsidio ab hostium impetu, & incursione defensæ. In his erant variæ merces, & multiplex, & pretiosa supellex, & annona, qua milites in ea obsidione alebantur. Factum est autem, vt, pueri cuiusdam negligentia, qui, cum iret cubitum, candelam incensam reliquerat, vt candela in aridam materiam decideret, quæ subito ignem corripuit, & domum inflammauit. Sic autem, cum omnes ædes illæ essent e ligno ædificatæ, & foliis palmarum contectæ, & coniunctæ, factum est, vt omnes eodem incendio conflagrarent. Quamuis autem iactura multarum rerū maximi pretij fuisset, nihil Præfectum aliud angebat, quam annonæ penuria. Commeatum enim maxima ex parte flamma consumpserat. Nec erat spes vlla, quamdiu hiems vigebat, vt aliunde posset commeatus importari. Ergo, cum fames nostros opprimeret, cogebantur feles primum, mures deinde, & lacertos, comedere. Præfectus, aliquid audendum ratus, cognatum quendam suum, cum triginta viris satis acribus, misit, qui in hostes improuiso erumperet, & videret, an posset aliquid cibi e castris non valde munitis abripere. At hostes, in nostros inuecti, multos cōcinerarunt, ipsius cognati Ducis vultum conciderunt, & crura etiam sauciarunt, ita, vt gradum facere nequiret; parumq. abfuit, quin in hostium potestatem veniret. Sed, adolescentis

Stratagema.

Aliud stratagema.

Arcis oppugnatio.

Guadalaiaræ Castellani stratagema.

Incendiū circa arcem fortuitum.

Fames obsessos Lusitanos inuadit.

tis virtute, annos nati quinque & viginti, cui Ioannes Gregorius nomen erat, fuit e medijs hostibus ereptus, & in arcem intromissus. Quattuor autem e nostris in eo conflictu cecidere. Interim per seruos transfugas fuit Rex certior factus, nostros grauissima fame premi. Existimauit igitur, eam occasionem rei bene gerendæ non esse prætermittendam. Itaque, in loco satis accommodato, milites in insidijs locauit; duas autem vaccas propius vallum agi præceperat. At nostri, cum vaccas cernerent, Ducis iniussu, (nec enim imperio, sed fame, mouebantur) repente desiliunt. Qui erant in insidijs, in nostros impetu feruntur. Nostri tamen tanta virtute illis restitere, vt prius, quam maiora subsidia possent aduenire, vaccas per valli aditum hostibus frustra repugnantibus introducerent. Harum carnibus diebus aliquot nostri sustentati sunt. Sed, his consumptis, necesse erat nostris aut deditionem facere, aut fame funditus interire. Sed ope Diuina in extremo illo discrimine adiuti sunt. Mare namque vētorum flatu agitari cœpit, &, cum maximos fluctus eijceret, magnam squillarum ingentium vim in litus expulit, quibus nostri famem depulerunt, & ægroti sanitatem recuperarunt. Sic autem factum est, vt Lusitani obsidionem per totam hiemem tolerarent. Ver autem appetebat, subsidium, cum primum mare nauigari potuisset, exspectabatur. Hoc cum Regem minime lateret, statuit, ante quam Cochimo auxilium aduenire, totis viribus experiri, an vallum, & arcem, expugnare posset. Magnam igitur classem instruxit, & duo maxima Castella super naues excitauit, ea ratione, qua fuerāt erecta Castella, quibus Rex Calecutiensis Paciecum euertere cogitarat. Huius apparatus indicium fuit per eundem Principem ad Præfectum repente delatum, a quo fuit admonitus, vt eam arcis partem, quæ ad mare pertinebat, diligentissime tutaretur. Erant milites, quos Rex sub signis habebat, ad quinquaginta millia. Alia namque sibi auxilia conquisierat. Vbi primum omnia parata fuerunt, cum terra & mari nostros oppugnare instituisset, factum est, vt vno tempore & classis eam arcis partem, quæ ad mare spectabat, cum castellis inuaderet, & magnus exercitus in vallum impetum ferret. Vtrimque tamen fuerunt, cum magna suorum strage, & nauium etiam iactura, repulsi. Prœlium fuit acerrimum, & ab exortu Solis vsque ad occasum duravit: quod tamen non humanis viribus, sed Diuinis, gestum fuisse constat. Cum enim maxima multitudo hostium in prœlio cecidisset, nemo tamen e Lusitanis desideratus fuit. Insequente die Brittius magnam tormentorum partem, quæ erant in arce dispositā, ad vallum transportari præcepit, & inde ciuitatem globis ingentibus concutere iussit. Aedes quamplurimæ dirutæ fuerunt, & in his Saracenorum templum, in quod multi conuenerant, vt Mahumetem precibus fatigarent, vt illis subsidio occurreret. Tantus autem terror fuit & ciuibus, & peregrinis, iniectus, vt omnes a Rege contenderent, vt pacem cum Lusitanis faceret: aliter enim, se inde continuo migraturos. Quod vt vehementius ageret, fecit classis, cui præerat Tristanus Cugna, quæ tunc aduenerat: quæ opem nostris, si in maiore tum discrimine fuissent, attulisset. Pax igitur certis legibus facta fuit, ea condicione, vt tum demum rata esset, cum eam Prætor Almeida comprobaret. Quas vero res Tristanus Cugna, antequam Cananorem classem appelleret, in eo cursu gesserit, alio in loco memorabimus.

Hostiles in Lusitanos insidiæ.

Fortiter factum.

Diuinum erga Lusitanos auxilium.

Hostili exercitus quinquaginta millium fuga.

Stupēda christianorum victoria.

Cananorensis vrbis oppugnatio.

Pax Cananorensium cum Lusitanis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIERONYMI OSORII LVSITANI DE REBVS EMMANVELIS REGIS LVSITANIAE INVICTISSIMI VIRTVTE ET AVSPICIO GESTIS LIBER QVINCTVS.

Res Africanæ. Safin Ciuitas

VM hæc in India gerebantur, in Africa hæc acciderũt. Safin est ciuitas in Mauritania Tingitana sita, extra fretum Gaditanum, ad Austrũ spectans, quã Atlanticus Oceanus alluit. Erat autem sane magna, multisq. opibus opulenta, ad quam vndiq. mercatores, quæstus gratia, libentissime commeabant. Regio est valde fertilis, frugibus, & pecoribus abundans. Fuit autem ciuitas hæc longo tempore in ditione Regis Marrochiensis, cuius imperium maximam Mauritaniæ partem continebat. Sed tandem familia quædam nobilis, cognomento Farhomia, ab imperatore desciuit, opibusq. suis, & popularium gratia freta, tyrannidem occupauit. Huius tandem familiæ princeps exstitit quidam, nomine Abdearus Rhamanus, vir magni animi, & supra modum dominationis appetens; qui, vt ciuitati imperaret, patruo suo, cui nomen erat Hamedux, qui tunc opibus & potentia multum gentilibus anteibat, vitam, per summum scelus, eripuit. Deinde, specie liberalitatis, & humanitatis, plebis animos sibi conciliauit, ita, vt ciuitatis imperium facillime teneret. Erat autem Abdearo Rhamano filia eximia specie, quã adolescens nobilis, nomine Haliadux, non vulgari forma præditus, amabat, & illius concubitu, matre puellæ non inuita, fruebatur. Hæc consuetudo cum fuisset ad Rhamanum delata, eo familiæ dedecore grauiter offensus, necem adolescenti afferre constituit. Quod cum Rhamani vxor, atque filia suspicione assecutę fuissent, rem ad Haliaducem deferunt. Is, vt Rhamani consilium præriperet, cædem Rhamano machinatus est. Re autem cum iuuene sibi amicitia valde coniuncto, cuius fidei, & audaciæ, valde confidebat, quem Iehabentafusum appellabant, communicata, vt facinus summa celeritate patraret, excogitauit. Erat autem sacrum sollemne Saracenis, summa ab illis religione celebratum. Rhamanus, in templum profectus, per nuntium Haliaducem ad sollemnis precationis communionem inuitauit. Esse dicebat præterea sibi cum illo postrem Diuinam de re maxima consultandum. Haliadux, eo nuntio, intellexit, tempus appropinquare, quo sibi erat aut Rhamani crudelitate moriendum, aut Rhamano nex afferenda. Accersiuit igitur Iehabentafusum, & ambo, cum decem viris fortibus, ex gentilibus, atque domesticis, qui erant coniurationis participes, recta in templum gradiuntur, & Rhamanum confodiunt. Qui Rhamanum sectabantur, vt illius necem vindicarent, se comparabant. Cum tamen viderẽt duodecim viros nobiles, & impigros, districtis gladijs ferociter imminentes, & suspicarentur, eos nõ sine multitudinis consensione tãtum facinus ausos esse, seque, Duce, quẽ sequebantur, occiso, præsidio nudatos animaduerterent, repente diffugiunt. At Haliadux, & Iehabentafusus in forum se conferunt; & ibi, aduocata concione, Haliadux orationem habuit, qua dixit, se merito tyrannum occidisse, qui illi insidias cõparabat; neque mediocri beneficio ciues suos obligasse, cum hominẽ maleficũ, & parricidã, de medio sustulisset. Fore namque, vt post illũ diem res eorum sub benigno, & moderato imperio multo magis florentes essent. Ibi tunc, populi consensu, (gens enim leuis, & inconstans, facile, in quamcumque partem illam pellere velis, inclinat) vterque eorum ciuitatis moderationi præficitur. Eo tempore Iacobus Azambugius præerat castello, quod, iussu Regis Emmanuelis, vt dictum est, non procul ab ea vrbe exstruxerat. In ea vero ciuitatis trepidatione, atque tumultu, tredecim Hispani captiui, nauigium adepti, cõfugiunt, &, ad castellum delati, statum ciuitatis Azãbugio nuntiant. Deinde, postbiduum, Haliadux, cũ cerneret, cognatos Rhamani, & amicos, qui multum

Abdearı Rhamani parricidium.

Rhamanus in templo cæsus.

Haliadux Safinij tyrannidem inuadit.

Haliadux Azãbugij auxilium implorat.

multum in ciuitate poterant, sibi, atque socijs perniciem moliri, ad Azambugium se cõfert, &, ne occasionem diuinitus oblatam amittat, adhortatur, Se namque perfecturum, vt ciuitas illa Regis Emmanuelis imperium libentissime subiret. Opus tamen esse, vt, qui hoc animo essent, ope Lusitanorum aduersus hostium insidias fulcirentur. Iacobus Azambugius, quamuis Aforum perfidiam exploratam penitus haberet, cum tamen animaduerteret, rem in tanto tumultu, & ciuium dissensione, in eo statu esse, vt Haliaducũ, atque socijs, fidem datam cõseruare valde expediret, condicionem minime reiecit. In ciuitatem igitur, duodecim viris nobilibus stipatus, se contulit: ibi octo dies commoratus, leges pacis scripsit, & fœdere Haliaducem, & socios, Regi Emmanueli deuinxit. Ibi vero, cum indicio Abrahami Iudæi cognouisset, sibi insidias fieri, in castellum Regium profectus est. Illum vero quattuor viri nobiles Saraceni, quorum princeps erat Haliadux, prosecuti sunt, cum interim Iehabentafusus imperium ciuitatis administraret. Erat autem fœdere cautum, vt Mauri locum Azambugio in ea parte, qua muri fluctibus alluuntur, assignarent, in quo domum magnam ædificaret: &, vt ibi laxius, & magnificentius habitari posset, turrim in muro ædibus coniunctam, & portam etiam, quæ in mare respiceret, attribuerent. Rebus ad hunc modum constitutis, Azambugius, cum quattuor illis Mauris, in Lusitaniam reuersus, Emmanueli rem totam exponit, & amplitudinem ciuitatis, & opportunitatem loci ad bellum mediterraneis Africæ regionibus inferendum explicat. Rex eo nuntio plurimum lætatus est, Azambugiumq. in Africam remisit. Vt vero negotium rectius conficiposset, litteras ad Garsiam Melium, qui cum classe fretum Gaditanum tenebat, vt Mauros nauigatione prohiberet, dedit, quibus imperabat, vt se cum Azambugio coniungeret. Is, quamuis in morbo valde periculoso versaretur, mandata tamen summa celeritate confecit. Ad Safinensem igitur portum se contulit, quo iam Azambugius peruenerat: sed omnia commutata vident. Erat ciuitas in armis: fidem datam neglexerat: multitudo nullo pacto se Christianorum imperium passuram cõfirmabat: varij tumultus excitabantur. Haliadux, qui iam in vrbem redierat, & Iehabentafusus in communi scelere, & perfidia, conniuebant, oblitiq. fœderis, erãt valde Lusitanis infesti. Ibi tunc venit nostris Ducibus in mentem, discordiam inter duos illos tyrãnos artificio serere, vt, viribus vtriusque partis diuisis, facilius vrbe potirentur. Quod quidem sic ab illis excogitatum fuit. Garsias Melius adhuc eodẽ morbo laborabat. Medicũ igitur Iudæũ ad morbi curationẽ ex vrbe accersiuit. Hunc aũt pecunia facile persuaserũt, vt litteras ad vtrumque vrbis Præfectum perferret, ita tamen, vt eorum neuter posset odorari, litteras ad alterum scriptas esse. Litteræ autem erant scriptæ nomine Garsiæ Melij, quibus Haliaducem admonebat, vt insidias præcaueret. Sibi namque exploratũ, & cognitum esse, vitæ illius insidias intendi. Ad eas autem propulsandas opem suam pollicebatur, seq. officio suo minime defuturum confirmabat. Interim vero admonebat, nullas esse capitaliores insidias illis, quas imperij communio comparabat. Nam, cum nulla vmquã Regni societas fidelis, atque firma fuisset, tũ aditum ad perniciem eo faciliorem esse, quo minus suspecti fuissent illi, cum quibus societas muneris inita fuerat. Idem ad Iehabentafusum scribebat, & admonebat, vt vitam suã contra Haliaducis occultas fraudes, & insidias muniret. Quoties Medicus Melium inuisebat manum intra vestẽ stragulam, quæ spondam cõtexerat, immitebat, quasi tẽtaret, an febris aliqua ex parte quidquã de solita vehemẽtia remisisset. Et interim litteras accipiebat, ne posset quispiam, quod gerebatur, aliqua ratione suspicari. Interim vero vterq. eorum, clã altero, gratias Melio summas agere, seq. in potestate Emmanuelis futurũ polliceri, obsecrare, & orare, vt non permitteret vllo modo, se fraude alterius interire. Hac igitur fraude contra gentem fraudis plenissimam sollerter excogitata, factum est, vt vterque eorum, cũ sibi ab altero timeret, muniendam salutem suam contra alterius perfidiam, Lusitanorũ ope cogitaret. Vterque igitur, altero imprudente, Azambugium, & Melium admonet, vt se in vrbem conferant. Se namque effecturum, vt breui vrbem in Regis Emmanuelis potestatem redigeret. Itaque Azambugius, & Melius, quinquaginta tantum militibus stipati, in vrbẽ ingrediuntur, & ædes, quæ Rhamani fuerant, quia amplæ, & munitæ videbantur, & erant propius mare sitæ, sibi ad habitandũ delegere. Clamculũ vero varia armorũ genera arcis, & dolijs inclusa domũ comportari faciebãt. Mauri, vt est genus hominũ non solum infidum, verum etiã suspiciosum, siniſtra quadã suspicione tacti, non recte de nostrorũ hominum sedulitate sentiebant. Ipsosq. tyrannos iã suæ leuitatis valde pænitebat. Multaq. recte moliebantur, quibus conijci poterat, rẽ ab occultis insidijs ad vim apertam esse vẽturam. Azãbugius rem omnem, in quo statu esset, Emmanueli per litteras significauit. Is nullã morã interposuit, quin firma subsidia illis mitteret. Quattuor igitur naues celeriter instruẽdas curauit, quibus Gondissaluũ Mendesium Zacotum, virum in Africano bello exercitũ, præfecit. Qui, cum naues ad portum vrbis appulisset, intellexit, nostros, Maurorũ perfidia, esse in summas difficultates adductos. Nec enim Mauri in fœdere pmanebãt, sed multis fraudibus opus Azambugij impediebant; neque solum omnia, quæ ad ædes muniendas,

Haliadux cum Lusitanis fœdus.

Safinensium perfidia, & tumultus.

Lusitanicum stratagema.

Subsidiũ Lusitanis Safinium missũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed etiam quæ erant ad victum necessaria denegabant; multisq. signis apparebat, eis non fraudem ad facinus, sed animum, deesse. Cum nostri de vno ex tyrannis conquerebantur, is in tyrannidis socium culpam omnem conferebat. Nostri, cum iam, Zacoti aduentu, maiores opes habuissent, confidentius in vrbe versabantur. Tyrannos igitur admonent, se minime passuros, vt ambo simul vrbem gubernarent. Eos namque animo inter se inimico, & infesto, diffidere, & vtrumque eorum de alterius exitio cogitare. Compararet igitur inter se, vter eorum esset ciuitatem illam Regis Emmanuelis nomine moderaturus. Illi vero, cum cernerent eam sibi necessitatem impositam, vter eorum eam prouinciam susciperet, haud contentiose deliberãt. Summa namque animi moderatione, quod vix credibile videretur ei, qui vtriusque mentem cognosceret, vterque eorum alteri imperium concedebat. Tandem peruicit Haliadux, vt Iehabentafusus eam ciuitatem regendam susciperet. Is autem, imperij æmulo amoto, multo liberius fraudes in nostros concinnabat, omniq. ratione, vt Azambugium opere prohiberet, contendebat. Lapides, & calcem, & reliquam materiam, ne quisquam importare auderet, faciebat; operarijs etiam acerrime minabatur; & hæc primum occultius, deinde multo in dies apertius, & insolentius, gerebat. Quod vbi Azambugius intellexit, Haliaducem, quẽ sciebat valde moderationis, qua facile Regnum socio concesserat, pœnitere, accersiuit; cumq. admonuit, vt, suorum manu comparata, Iehabentafusum ex improuiso aggrederetur, & obtrũcaret. Se namque opem, vbi opus esset, confestim allaturum, facturumque, vt ille solus vrbis imperio potiretur. At Iehabentafusus, cum se armis Haliaducis peti animaduerteret, & nesciret id consilio Azambugij fieri, in ædes Rhamani, in quibus arx extruebatur, se fuga proripuit. Ibi tũc Iacobus Miranda, ipsius Azambugij nepos, habitabat; qui etiam, cum ignoraret, eum aui consilio in illud vitæ discrimen inductum, hominem in fidem receptum ab imminente clade seduxit. Azambugius, cum ab illo pœnas expetere statuisset, (Maurus erat enim singulari sollertia, & plurimum in dicendo valebat) multis argumentis vsus, quibus demonstrabat minime expedire rebus Lusitanorum, se vita tũc temporis spoliari, ab Azambugio impetrauit, vt ei potestatem in Lusitaniam eundi faceret, vt se Regi dederet, & fidem suam fœdere sanctissimo obligaret, fore, vt vsque ad extremũ vitæ spiritum pro illius dignitate, & amplitudine, dimicaret. Quod si Rex id facere nollet, tum fore illi liberum, ei supplicium, quod vellet statuere. Id tandem ab Azambugio adeptus est, vt eum in Lusitaniam vinctum mitteret; qui tandem ab Emmanuele vitam impetrauit, & præfecturam equitũ, quibus in campis finitimis in hostes incursaret, obtinuit. Qui, beneficio, & humanitate Regis obligatus, ei fidelem operam in bello præstitit, neque aliquid in vita gessit, in quo appareret, illi fidem parum sanctam fore. At Haliadux, cui Azambugius vrbis imperium commisit, longe secus, quam fore qui quam existimabat, se in eo munere administrando gerebat, multoq. insolentius, quam Iehabẽtafusus, nostris aduersabatur. In eo vero præcipue neruos animi contendebat, ne opus institutũ ad exitum perueniret. Minis fabros, & operarios, auertebat, materiã importari supplicio proposito vetabat, & aperte odium, quo erat imbutus, operibus indicabat. Opus tamen paullatim ad iustam altitudinem perueniebat. Azambugius interim, se arcem exstruere, dissimulabat, sed amplas ædes ædificare dicebat, in quibus Christiani mercatores merces imponerent. Fenestras autem, in quibus erant tormenta collocanda, luto, atque tenui materia, tegebat, & tectorium calcis inducebat, ne ab hostibus, quod in animo habebat, animaduerti posset. Præterea, nocte in muro portam aperuit, qua ex classe nostris aditus in arcem facile pateret. Portam autẽ vtrinque, secundum vtriusque viæ latus, quæ in portam ferebat, vallo muniuit. Erat autem arx in tantam altitudinem excitata, vt facile defendi posset. Sequenti die Azambugius expostulauit per nuntium cum Haliaduce, quod in fœdere minime permaneret, quod fidem nefarie violaret, quod iusiurandum impie, & scelerate, contemneret. Illum namque per Mahumetis legem iurasse, se omnia, quæ ad exstruendas ædes illas essent necessaria, large, atque munifice, præbiturum; promissa vero non modo minime conficere, sed contra odium acerbum, & immane, factis expromere. Disceret igitur fidem colere, & numen cæleste reuereri, & hominum pudore, ab instituto flagitio reuocari. Haliadux respondet, se valde hominis dementiam admirari; qui non videat, se, neque vnde cibum, neque aquam comparet, habere, nisi is eius copiam suppeditare velit, & tamẽ adeo magnifice loqueretur, quasi illi omnia, quæ ad vitam sustentandam opus essent, abunde suppeterent. Ad ea Azambugius respondet, Lusitanis hostium carnibus famem, & eorundem sanguine sitim explere, facillimum fore. Hoc dicto Haliadux digitum momordit. Hoc autem est apud gentem illam minationis cuiusdam acrioris indicium. Hoc vbi intellexit Azambugius, vidit opus esse festinatione, vt, antequam Haliadux maiores ex pagis copias euocaret, illum opprimeret. Sed, ne fidem violare videretur, si prius iniuriam afferre putaretur, quam esset hostis iniuria lacessitus, hoc excogitauit. Maurus qui dam Lanio colaphũ inflixerat in macello homini Lusitano, qui erat ex Regis familia. Is apud Azambugium de illata sibi iniuria querellam

Súma in duobus tyrannis animi moderatio.

Iehabẽta fusi in Lusitanos fraudes.

Dolus dolo deiusus.

Iehabentafusus arte mortem euadit.

Haliaducis in Lusitanos odium.

Callide factum Azambugij.

Azambugij cũ Haliaduce expostulatio.

Callidũ rum pendi fœderis cõsilium.

rellam habuerat. Azambugius illum, vt patienter iniuriam ferret, admonuit: sic enim temporis rationem postulare. Tunc vero, cũ illum ab Haliaduce nuntium adeo ferum, & importunum accepisset, Lusitanum illum euocat, &, vt Maurum, a quo fuerat affectus iniuria, interficeret, adhortatur. quod vt expeditius faceret, vnum ex suis domesticis illi socium adhibuit. Abierunt illi continuo, &, cum in forum peruenirent, sin Maurum incidunt, quem gladijs transfigunt. Clamor confestim, & vlulatus exoritur, & tumultus excitatur. Saraceni vndiq. ruunt, & Lusitanos adoriuntur. Illi vero animo satis acri resistunt, paulla timq. cedunt, atque se tandem in arcem maximo cum labore recipiũt. Azambugius suos continuit. Saraceni arcem circumdant, multisq. telis, & iaculis in arcem missis, vt nostris perniciem inferant, enituntur. Tandem, maioribus tormentis admotis, arcem quatere instituunt. Lusitani armati vigilias agitabant; non tamen eorum quisquam telum iaciebat. Azambugius enim omnibus, vt se continerẽt, imperauerat. Integram noctem fuit arx summis hostium viribus oppugnata: cum tamen eorum conatus omnes in nihilum reciderẽt. Vbi diluxit, Azambugius primum quidem instituit, vt res Diuina fieret, & numen CHRISTI religiosa precatione propitium reddere tur. Deinde admonuit, vt omnes cibum sumerent. Itaque, animis religione expiatis, & corporibus cibo, & potione refectis, acie magno silentio instruxit; & equum album sibi soli afferri præcepit. Erat enim valde senex, & claudus. Nam, cum Ioannes secundus, Regis Alfonsi filius, in bello, quod Alfonsus cum Fernando Rege Castellæ, & Aragoniæ, gesserat, opidum in Trãstagana Lusitaniæ prouincia, quod Alegretum nominatur, armis expugnaret, fuit Azambugius, qui tunc Ioanni acrem operam nauabat, in crure graui vulnere percussus. Is igitur solus eo die ex equo pugnauit, reliqui pedibus rem gesserunt. Omnibus igitur rebus rite paratis, cum esset meridies, erupit Azambugius, &, re inopinata, magnũ terrorem hostibus iniecit. Nec enim suspicari poterant, paucos homines, quos metu exanimatos esse crediderant, in tantam hostium multitudinem impetum facturos. Itaque cedunt, & in templum confugiunt. Nostri eos acriter insequuntur, multosq. cædunt. At, postquam hostes in templo se a repentino illo timore refecerũt, pugna recruduit. Sed, cum ex illis multi caderent, templum fuit ab eis alia porta fugientibus incredibili celeritate desertum. Multi tamen se se in eam vrbis arcem, quæ eorum præsidijs tenebatur, receperunt; & inde ingenti tormento arci, quam Azambugius exstruxerat, maximum damnũ afferebant. Hoc cum cerneret vir quidam huius artis peritissimus, nomine Sebastianus Rodericus, cum tormentum contra dispone-

Tumultus Saracenici.

Hostiũ fuga.

Incruẽta Lusitanorum victoria.

Res Europeæ

Ferdinandus filius Emmanuelis nascitur.

Res Indicæ.

16. naues in Indiam mittuntur.

Ann. a Christo nato 1508

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus attributæ sunt; e quibus vnus fuit Franciscus Pereira Pestana, qui iussus erat arci Quiloensi præesse. Alij præterea (Tristanus is Siluius appellabatur) dedit in mandatis Emmanuel, vt cum duabus triremibus ex India in Guardafuensé promontorium nauigaret, & se cum Aquilari coniungeret. Hæc classis soluit Olysippone eodem mense, quinque diebus postquã prima classis vela dederat. Eam vero tempestas subito coorta disiecit, & malum nauis, cuius Pestana nauarchus erat, perfregit, & armamenta dissipauit, ita, vt cogeretur Olysipponem reuerti. Vnde, refecta naui, decimoquarto Kalen. Iunij, rursus profectus est. Is, impeditus hieme, Quiloam peruenire non potuit, & in insulis citra Mozambiquem sitis hiemauit. Nauarchi, qui erant in Indiam profecturi, varijs casibus agitati, Cochimum tandem delati sunt. Aquilaris autem naufragio perijt: Odoardus Lemius, vnus ex nauarchis, qui erat Aquilari sanguine coniũctus, cum naues ad Mozambiquensem portum appulisset, inde discedere noluit, antequam de Aquilaris vel salute, vel exitio, aliquid certi cognosceret. Cum verò multis argumentis perspectum fuisset, Aquilaris nauem fractam, atque dissipatam, & fluctibus oppressam exstitisse, (in eodem enim cursu multa nauis laceræ fragmenta, cum dolijs, & instrumentis nauticis apparebant) nauarchorum omnium communi consensu, statutum est, vt Lemius in locum illius succederet. Itaque, cum primum per anni tempus licuit, Pestana, qui iam se in eandem insulam Mozambiquensem contulerat, Quiloam recta contendit. In illius nauem Lemius conscendit, suam vero Vasco Silueiræ concessit, & ita in promontorium Guardafuense cursum tenuerũt. Petrus Ferreira Fogaza, qui arcem Quiloensem cum imperio tenebat, Melindé, sic enim iussus erat, profectus est; & ibi tamdiu constitit, quamdiu per anni tempus nauigare non potuit. Cum primum vero tempestas secunda fuit, se se ad Lemium aggregauit. Lemius igitur cum classe septem nauium Zacotoram cursu petijt. Regione autẽ Regum, qui erant stipendiarij, circumuectus, tributa collegit; &, cum aliqui tributum imperatum pendere recusarent, eos bello domuit. Magadaxum oppugnare cum vellet, propterea quod vidit ciuitatem esse situ, & natura munitissimam, & stationem nauium parum tutam, & aditum ex mari in vrbem difficillimum, de nauarchorum omnium consilio, ab ea mente destitit. Ibi, cum in anchoris consisteret, vigilum negligentia, factum est, vt nauigij, cui præerat Georgius Quadra, anchoralia præciderẽtur. Æstu porro vehementissimo delatus, tãtum maris transmisit, vt, cum milites, atque nautę de somno suscitarentur, non possent, in qua tunc regione versarentur, vlla ratione conijcere. Ergo tantisper remis nauigium inhibue re, dum exortu Solis tenebræ dispellerentur. Cum vero neque sic possent, quam regionem præterueherentur, agnoscere, se ventis agi permisere. Sic in Zeilæ portum, quæ ciuitas non procul abest ab ore, & introitu sinus Arabici, & ad Aethiopiam pertinet, delati sunt; atque ita factum est, vt omnes a Saracenis, qui eam ciuitatem incolebant, caperentur. Lemius, a conatu, quo Magadaxum oppugnare constituebat, depulsus, in Zacotoram venit, atque ibi Petrum Fogazam in arcis præfectura constituit. Quæ deinde Lemio acciderint, alio in loco referemus. Nunc, quæ Tristanus Cugna gesserit, explicanda sunt. Classis illi commissa erat vndecim nauium. Alias præterea quinque naues instructas Emmanuel Alfonso Albuquercio permisit, quem voluit, vt, postquam Almeida muneris sui definitum tempus expleret, Prætor Indiam cum imperio teneret. Cugna, cum hac classe, in Mozambiquem peruenit, mense Decembri. Ibi, propter hiemem, hibernare coactus fuit. Aliquæ tamen naues, ab illo tempestatibus seiunctæ, minime comparuerunt. Alfonsus namque Lupius Costa, nauarchus, Zofalæ portum subierat. Lionelus Coutignus se Quiloam receperat. Aluarus Tellius in promontoriũ Guardafuense, maximo cum periculo delatus exstiterat. Ibi, cum se a iactatione refecisset, prædas e Saracenis egit, quibus cum militibus suis ditatus est. Postea vero Zacotoram petijt, vt se cum Tristano Cugna coniungeret. Rodericus Pereira Coutignus, tempestate similiter agitatus, in sinum insulæ Sancti Laurentij introiuit: quem sinum, propter illius amœnitatem, pulchrum appellauit, quod ad huc nomen obtinet. Ibi, cum decem & octo adolescentes lintre inuecti ad nauem illius accederent, eos benigne accepit, & vestibus donauit; &, cum reliquos dimisisset, duos muneribus allectos retinuit, quos ad Cugnam in Mozambiquem perduxit. Cum Cugna multa de insulæ huius magnitudine percepisset, & nondum tempus esset idoneum ad iter Zacotoram versus suscipiendum, re prius cum Alfonso Albuquercio communicata, in eandem insulam nauigare constituit, vt mores gẽtis, & instituta, & telluris etiam amplitudinem, & fertilitatem, aliqua ex parte oculis vsurparet. Duxit autem secum Alfonsum Albuquercium, & Antoniũ Campensem, & Emmanuelem Telliũ, & Franciscum Tauorã, Ioannem Gomecium Abræum, & Rodericũ Pereiram Coutignũ, & Tristanũ Aluarum. Reliqui autẽ nauarchi, cum nauibus suis, in Mozambique relicti sunt. Cum vero ad aliquot portus appulisset, & in terram descendere vellet, fuit a confertis incolis aditu prohibitus; quos tamen, magna cæde perterritos, in fugam coniecit. Oram deinde omnem, quæ ad Aethiopiam spectat, perlustrauit. Cum vero promontorium, quod pertinet ad Occasum, flecteret,

Classis Lusitana, tempestate disiecta.

Aquilaris naufragium.

Magadaxum op.

Quadræ ex suorum negligentia infortunium.

Zeila op.

Sinus pulcher insulæ S. Laurentij.

Triſtani Cugnę res gestæ.

Cugnæ ad S. Laurentij insulam nauigatio.

Cugna, ab incolis aditu prohibitus.

flecteret, & totam insulam circumuehi cuperet, vt eam etiam partem, quę pertinet ad Austrum, cognosceret, ingenti tempestate impeditus est, quo minus id, quod conabatur, efficeret. Ea tempestate, nauis Roderici Pereiræ, ad vadum allisa, demersa est, maximaque pars hominum, quæ illa vehebatur, interijt. Cugna receptui signum dedit, & in Mozambiquem reuersus est. At Ioannes Gomecius Abræus, cum ea tempestas excitata fuit, iam insulæ promontorium superauerat. Cum vero oram Australem legeret, in fluuium incidit regionis illius insulæ, quam Mataranam nominant. Ibi, vt aquationem faceret, consistere in animum induxit, cum, repente, multi lintribus inuecti, nauem circumdant, nutibus hominem perbenigne salutant, pisces recentes offerunt; radices, quibus gens alitur, & arundines, e quibus scaccharum exprimitur, munifice præbent; omnia denique signa singularis humanitatis ostendunt. Ea gentis facilitate nauarchus allectus, magistrum nauis iubet in lintrẽ descendere; vt videat, (erat enim multarum linguarum peritus) an posset cum illis sermonem conferre, & simul admonet, vt aliquot homines muneribus delenitos in nauem conscendere persuadeat. At illi, vbi primum magistrum acceperunt, tanta celeritate lintrem remis egerunt, vt se intra breue spatium e nostrorum conspectu proriperent. Hoc cum ex improuiso accidisset, Nauarchus scapham in mare demittere iussit, & in ea tormenta disponere, & cum viginti & quattuor hominibus in eam desiliuit, vt lintres sequeretur. At, cum terrę appropinquaret, cernit rursus eosdem lintres, cum magistro, scaphã versus, summa securitate, nauigare. Magister autem nutibus admonebat, ne quid hostile moliretur; gentem esse benignam, & perhospitalem. Cum autem ad scapham peruenit, narrauit, se fuisse ad Regem perductum, qui eũ fuerat singulari humanitate complexus, illumq. præterea torque argenteo, & armillis, atque anulis argenteis, donarat, statimq. remiserat, vt nomine suo nauarchum precaretur, ne vllet congressum hominis illius cupidissimi fugere. Se namque, illius gratia, omnia, quæ nauarchus ipse vellet, libẽtissime facturum. Hac specie humanitatis inuitatus nauarchus, in terram descendit. Rex in litus contenderat; &, vt hominem omnibus amoris signis sibi egregie deuinciret, summa ope nitebatur. Cõuiuium instructum, de more gentis, ita fuit, vt nihil, quod tellus illa ferret, desiderari posset. Sermo præterea multa iucunditate conspersus. Sol iã præcipitabat, & nauarchus scapham repetebat, cum subito immanis quædã tempestas exorta fuit: caligo desissima lucem eripuit; & ingentes fluctus eiecti sunt, quibus impeditus nauarchus, in nauem redire nõ potuit. Ea tempestas quattuor diebus terram illam tenuit, cum mare iam esset trãquillum. Qui erant in naui, suspicati fuerant, nauarchum manum cum gẽte illa, magistri gratia, conseruisse, & in eo prælio cecidisse. Quo modo enim fieri aliter potuisset, vt is tamdiu in terra incognita versaretur? Aut suos diuturna sollicitudine distineri sineret? Quibus epulis, aut lenocinijs a gente barbara, & inculta inuitari potuit? Sed sic fuit, inquiunt: magistrum, vt sibi redderetur, postulauit: illi postulata repudiarũt. Is iniuriam armis vlcisci voluit, & a circumfusa multitudine interfectus est. Quid igitur faciemus? Exspectabimus, dũ nauis tempestate rursus excitata ad litus allidatur, & omnes siue in mari fluctibus, siue in terra furentium hominum manibus fœde pereamus? Hæc cum secum reputarent, vela fecerunt. At nauarchus, scapha per oras illas circumuectus, cum nauẽ minime reperisset, ad Regem redijt. Rex illum valde amãter excepit, omnibusq. modis expertus est, an posset hominem ab ea mœstitia, qua miserrime premebatur, auocare. Sed frustra conatus est. Illenamque, cum se videret in illa vastitate relictum, & omni spe in patriam redeundi omnino destitutum, & gentis victum, & cultũ asperaretur, omne solatium respuebat, & se lacrymis, & lamentis dedebat; atque ita tandẽ mærore contabuit. Similiter octo illius comites, dolore confecti, e vita cum multis gemitibus excessere. Reliqui scapham refecerunt; &, multum sui desiderium Regi, vt apparebat, relinquentes, inde profecti, cursum in Mozambiquem tenuerunt. Incidentes vero in nauem, cui Lucas Fonseca præerat, quæ in Zofalam nauigabat, ab illo excepti, & in Mozambiquẽ deducti sunt. Locus autem postulat, vt huius insulæ situm, & variarum gentium, quæ eam incolunt, mores, & instituta, & telluris etiam naturam, aliqua ex parte referamus. Insula a nostris, insula Sancti Laurentij nominatur, eo quod die Diui Laurentij memoriæ consecrato fuit a Lusitanis cognita. Patet in longitudinem circiter mille atque ducentis milliarijs: in latitudinẽ vero quadringentis & octoginta. Est varijs Regnis distincta. Regionis mediterraneæ cultores simulacris dediti sunt; qui oras maritimas incolunt, maxima ex parte Mahumetis sectam sequuntur. Partim nigri, partim colorati, breui autem, & crispo capillo sunt. Ditiores vestibus gossipinis amiciuntur; tenues vero pudenda tantum gossipina veste contegunt. Licet eis tot vxores ducere, quot eis libuerit. Regio est singulari fertilitate prædita. Fontes habet quamplurimos, & aquas dulces, atque perennes. Est præterea densis siluis, atque nemoribus, culta. Abundat multum piscatu, venatu, & aucupio; variaq. fruges, modica cultura adhibita, profundit; multiplicesq. radices, quibus homines vice panis vtuntur, effert. Citreis malis, & alijs arboribus odore miro redolentibus vestita est. Arundines innumerabiles, e quibus saccharum

Roderici Pereiræ nauis submersa.

Matarana, fluuius.

Lusitanæ nauis magister a Barbaris inopinato auectus.

Mira tempestatis terrestris natura.

Nauarchus a socijs in insula S. Laurentii relictus, mœrore contabuit, vna cum quibusdam aliis.

Insulę S. Laurẽtij descriptio.

Radicũ vsus, panis vice.

Universidad de Deusto
Biblioteca

charum vel natura inſtillatur,vel artificio ex primitur,in ea proueniunt. Zingiber partim effundit ur:quo quidem viridi veſcuntur; ſiccum conſeruare neſciunt.Habet argenti metalla quamplurima. Gens eſt natura ſimplex, & ad humanitatem propenſa.Artificio nauigandi carent;linitribus, tantum gratia piſcationis,vtuntur. In prœlijs,nõ alijs armis, quã leuibus iaculis,vtebantur;ſed nunc,Luſitanorum vſu,& cõſuetudine,melius armat',in acie prodeunt.Et hæc quidem de inſulæ ſitu,& natura,& gentis moribus, ſatis eſſe dictũ, quod ad præſens inſtitutum attinet,opinor. At Triſtanus Cugna primum e Mozambique Melindem conrendit, &, cum Rege amanter collocutus, munera, quæ Rex Emmanuel ei dono miſerat,cum honorifica amicitiæ ſignificatione,detulit.Ei deinde tres homines tradidit, e quibus vnus erat Luſitanus, nomine Fernandus Gomecius Sardus, alter natura Maurus, qui tamen Chriſtianæ religionis ſacris erat initiatus, cui nomen erat Ioannes Sancius; tertius vero fuit Saracenus quidam, Tunete oriundus,qui Mahumetes appellabatur. Hos autem mittebat Emmanuel cum litteris ad Aethiopiæ Regem, quem noſtri ſatis imperite Ioannem presbyterum nominabant. Hos Rex Melindus in fidẽ recepit, vt inde in Aethiopiam,quæ ſupra Aegyptum eſt,ipſius Regis fide,deducerentur.Hæc vbi mandata confecit Cugna,in Hoiam,vrbem a Melinde octoginta millia paſſuum diſtantem, quæ bellum cum Melindio gerebat, inuectus, eam cepit, diripuit,& incendit,multoſq. Saracenos occidit.Inde in aliam delatus vrbẽ,quæ inde ſexaginta paſſuum millia aberat,eam, cum armis nollet reſiſtere, Regi Emmanueli ſubdidit, & ei,tributi nomine, certum auri põdus, quod ſingulis annis penderet,imperauit.Inde vero in aliam ſe contulit vrbem,muris,& mœnibus egregie munitam, celebre regionis illius emporium,nomine Brauam.In illius portu, cum claſſem conſtitueret, ad ciuitatis Principes Lionelium Coutignum miſit,qui illis,Emmanuelis nomine,pacem offerret, eoſq. ad communionem fœderis inuitaret. Illi ſimulabant a fœdere haud quaquam abhorrere;id tamen differebãt,atque procraſtinabant.Solet enim illis temporibus ventus quidam vehementiſſimus incitari,qui naues omnes, quas in portu illo reperit,afflictat; atque tandem ad vada vehementer alliſas effringit.Hanc malitioſam calliditatem cum argumentis Cugna explorarat, vrbem oppugnare conſtituit. Ante Solis ortum copias in litus expoſuit,duplicemq. aciem inſtruxit:primam aciem,in qua erãt quadringenti milites,Alfonſo Albuquercio attribuit;ipſe ſecundã aciem, in qua erãt ſexcẽti milites,ducebat.Erat in ciuitate præſidium, quod quattuor hominum millia continebat.Duo millia ex vrbe cõfeſtim egreſſa, noſtris occurrunt.Fit atrox prœlium. Noſtri tamen eos grauiter vrgent,& cedere compellunt.Illi tamen,ordine minime turbato, ſe in vrbem recipiunt,&,abſque vlla trepidatione, portis occluſis,Luſitanorum impetum retundunt.Noſtri,bifariam diuiſi,in varias partes, vt videant,ſi ne aliquis in vrbem adiens,diſcurrunt.Hoſtes interim,miſſilibus,& facibus in noſtros e muro coniectis,pugnabant.Tandem,cum Alfonſus Albuquercius locũ immunitum reperiſſet,(pars enim muri, ea parte, vetuſtate collapſa fuerat) in vrbem inuaſit. Hoſtes conferti ſe in eam partẽ contulerunt, & maxima armorum cõtentione,in extremo ſalutis diſcrimine reſtiterunt. Vtrimque fuit impetu ſatis acri dimicatum, donec Cugna acceſsit.Illius aduentu,hoſtes ſe in fugam dederunt.Noſtri illos inſequi parabant,quod tamen Cugna prohibuit.Vrbs ſpoliata fuit, ingenſq. preda in naues impoſita: multi ex hoſtibus occiſi,multi etiam capti ſunt: maximæ tamen parti libertas donata.Ex noſtris quinquaginta deſiderati ſunt, & multi grauiter ſauciati.Duodeuiginti homines, auaritia cæcati, tantum in ſcapham quandam onus impoſuerunt, vt,ſcapha demerſa,omnes interirent.Scapha tamen,illorum pondere leuata, rurſus emerſit. Tanta vero fuit in militibus ruſticanis immanitas, vt, ne quidquam illos a prædãdi ſtudio remorari poſſet,manus mulierum multarum præciderent, quo minore labore illis anulos, & armillas,detraherent. Id tamẽ malũ Cugna, ne vlterius progrederetur,maxima pœna cõſtituta,prohibuit. Vrbs vero,flammis coniectis, incendio, hoſtibus e propinquo intuentibus,valde miſerabili conflagrauit.Inde Magadaxum cõtendit,& Lionelum Coutignum in vrbem miſit, qui ſimiliter,atque Brauæ fecerat, pacem, & amicitiæ fœdus oſtenderet.In litore equites cataphracti diſcurrebant,muros armatorum præſidia vinciebant:alij vero extra muros cum armis inambulabant:omnia denique bellum horribili ſpecie minitabãtur. Coutignus,ante quã in terram deſcenderet,vnum ex captiuis, qui Brauæ capti fuerant, in terrram exponendũ curauit,vt hominibus,ſe non bellum, ſed pacẽ nuntiare ſignificaret. Illi vero captiuum in Coutigni conſpectu dilacerant, deinde Coutigno, ſi in terra pedem ponere auſus eſſet, idem ſe facturos,minabantur. Coutignus ad Cugnam redit, & hoſtium ferociã, atque minas exponit.Cugna vrbem ingredi voluit;ſed a reliquis Ducibus,& a nauium magiſtris admonitus,id certamen omiſit. Vt enim exitus difficillimos,& ſtationem periculoſam, & infeſtam,& vrbis mœnia valde munita, & militum copiam,quæ vrbem tueri poterat, omittam,hiems inſtabat, & nauigandi tempus effluebat,ita vt,ſi vrbs non vno impetu caperetur,maximum claſſi periculum, cum ſummo dedecore Ducis,& interitu exercitus, immineret. Inde igitur in Zacotoram properauit, ad quam

Cugnæ enim Melindio cõgreſſus.

Emmanuelis ad Aethiopię Regem legatio.

Hoia vrbs a Cugna capta

Alia vrbs dicta.

Braua vrbs.

Pacis fraudulenta procraſtinatio.

Pugna cum Brauenſibus.

Braua a Luſitanis capitur

Dereſtanda quorundam auaritia.

Ruſticanorũ militum immanitas.

Braua incenſa.

Magadaxum a tuti anis nõ tactum relinquitur.

Zacotora inſula.

ad quẽ intra breue tempus naues incolumes appulſæ ſunt. Hanc inſulam ſuſpicantur multi eam eſſe, quam olim Dioſcoridem appellabant, quæ ad Praſum promontorium ſpectat. Eſt autem varijs montibus diſtincta:abundat varijs fructibus,& oleribus.Homines ſunt colorati.Se Chriſtianos eſſe profitentur. Templa,more noſtro,cum altaribus ædificãt.Cruces tantum habent in ipſis altaribus ſtatutas: imaginibus non vtuntur. Dies feiunijs dicatos, de Chriſtianæ religionis more, ſingulariciborum abſtinentia,obſeruant.Nec enim illis,cum feiunant,piſces edere licet.Vnam tantum vxorem ducunt.Eoſdem feſtos dies,quos nos,agimus, & ijſdem temporibus celebrant, & diuorum etiam memoriam ſancte coluntDecumas frugum, & fructuum ſacerdotibus integre perſoluunt. Nauibus carent.Sunt diſciplinarum prorſus ignari,vſque adeo,vt,cũ Chriſtianum nomen retineant,Chriſtianæ religionis imperiti ſint.Ignauia,& otio,torpẽt: animo demiſſo,& abiecto,ſunt,vſque adeo,vt ſine vlla recuſatione,paucis Saracenis obtemperent; &, cum impotenti ab illis tyrannide vexentur,nullam tamen pro libertate dimicationem ſubeundam exiſtiment. Rex Caxemi (eſt autẽ ea regio felicis Arabiæ,quam Oceanus definit)eam tũc duriſsimo dominatu oppreſſam tenebat,&,vt illis ſpem recuperandę libertatis adimeret,arcem non procul a litore exſtruxerat,multiſq.præſidijs,& bellicis inſtrumentis,egregie munierat,filiumq. ſuum, iuuenem acri animo præditum, eidem præfecerat. Hanc Cugna expugnare ſtatuit, vt Chriſtianos incolas ea tyrannide liberaret. Primum tamen Abrahemum (ſic enim adoleſcens ille Regius appellabatur) per legatum admonuit,vt e regione,in quã pater illius,nullo iure,armis inuaſerat, cõſeſtim excederet, & arcem ſibi omni præſidio nudatam traderet. Abrahemus reſpondit,ſe patris ſui imperium reuereri, aliorum vero Principum iuſſa pro nihilo putare. Ad bellum igitur ſe parabat.Rem enim non verbis,ſed armis,eſſe gerẽdam. Cugna omnia, quæ ad oppugnationem neceſſaria videbãtur,impigre comparat. Atque altitudinem maris,ea parte, qua facilior in terram aditus fore videbatur,explorat.At Abrahemus ea nocte locũ muniuit,præſidiaq. in vallo diſpoſuit, quæ noſtros aditu prohiberent. Cugna,duplici acie inſtructa, cum primum diluxit,ad litus acceſsit. Primum agmẽ ipſe ducebat, poſtremum Albuquercio cõmiſerat. At,cum Albuquercius cerneret, alium aditum propius arcem,qui pridie,propter ſalum,multo periculoſior apparebat, eſſe tunc valde tranquillum, vt hoſtes ancipiti prœlio diſtineret, ad eam partem ſcaphas agminis ſui remis incitari iuſsit,& ita ſine vllo impedimento,copias ſuas in terra conſtituit.Id cum minime Cugna cerneret, palmetum verſus, contra Abrahemi præſidia, celeri remigum contentione, inuectus eſt.Id cõſpicatus Abrahemus, vt ſubſidio illis occurreret, qui erant in vallo,ex arce feſtinanter egreditur. Sed,cũ eos,quos Albuquercius agebat, in terra conglobatos animaduerteret, ad eam partem ſe contulit, e qua maius ſibi periculum intendi perſpexit. In illius agmen Albuquercius,armis egregie tectus, inuaſit. Alfonſus Norogna, qui vnus erat ex Ducibus, quos Albuquercius ducebat, in Abrahemum impetum dedit,& hoſtes retrocedere cõpulit.At Abrahemus, vt illius copiæ tuto ſe ſe in arcem reciperent,noſtrorum agmen animo maximo ſuſtinebat,& virtutis militaris mirum ſpecimẽ exhibebat:tandem,a reliquis deſtitutus, octotãtum militibus ſtipatus, ne inultus caderet, facinora memorabilia in noſtros edebat.Hęc cum Norogna cerneret, vt cum illo manum conſereret,accelerauit. Nimis acre certamẽ inter duos illos Duces inſtitutum, breui ſpatio finitum fuit. Luſitani namque hoſtes circumdederunt,qui quidem animo fortiſsimo, in extremo vitæ diſcrimine, reſiſtentes,concidi vulneribus,conciderunt,ita tamen, vt multos e noſtris grauiter ſauciarent. At Cugna, interim,cum in terram ea parte,quam oculis ante deſignarat,deſiliret,ij, qui erant in munitione diſpoſiti, illum aditu telluris arcere conabantur.Sed,cum maxima vi repreſsi fuiſſent,in arcem ſe recipere voluerunt:noſtri illos inſecuti ſunt. Cum ad arcem propius acceſsiſſent,qui erant cum Albuquercio, eos ex territos in effuſam fugam compulerunt. Pauci tamẽ ex illis in arcem recepti ſunt. Cugna eos,qui fugerant,perſequi minime voluit. Nihil enim arcis expugnationi anteuertendum arbitrabatur.Itaque noſtri continuo, iuſſu illius,ad arcem accedunt,vt portas perfringerent. Arbitrabantur enim, hoſtes exanimatos metu, non valde eorum impetum repreſſuros. Quod longe ſecus euenit. Hoſtes enim miſſilibus,& ſaxis,e turribus Luſitanos vulnerabant;Albuquercium lapide coniecto ita cõtuderunt,vt diu vocem mittere nõ poſſet. Cugna,hoc animaduertens,ſignum receptui dedit,& vnum tormentum e claſſe,& ſcalas, importari iuſsit. Tormento autem portas dilacerare, & ſcalas mœnibus admoueri, præcepit.Hoſte,,cum portas effractas cernerent, & ſe minime poſſe Luſitanorum impetum, qui iam ingredi parabant, vlla ratione propulſare, (pauci namque reliqui erant, qui arcem tutabantur)ſe in arcis turrim munitiſsimam receperunt. Noſtri, portis effractis, in arcem ſe contulerunt, & rurrem aliam occuparunt: ad eam tandem, quæ maiore virtute defendebatur,acceſſere. Hoſtes tam acri animo turrim,morte propoſita,tuebãtur,vt Cugna moleſtiſsime ferret,homines adeo fortes interire.Itaque illos,per interpretem, admonuit, ſe libenter miſericordiam eorum virtuti tributurum,libertatemq.daturum, ſi ſe dedere

Chriſtianiza cotorẽſes,eorumq.mores

Zacotorenſiũ ſeruitus.

Cugna ad ziacotorẽſis præfectum legatio.

Bellum zacotorenſe.

Pugna ũ zacotorenſibus

Abrahemi virtus militaris.

Duorum ducum monomachia.

Hoſtium cædes.

Albuquercii periculum.

Arcis oppugnatio.

Zacotorenſis arcis expugnatio.

Hoſtium virtus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dere vellent. Illi vero mortem honestam deditioni, quam admodum turpem opinabantur, facillime prætulere. Turris igitur, cum eorũ omnium strage, qui erant in præsidio, capta fuit: vnus tantum, qui erat optimus nauium magister, reseruatus est. E nostris octo desiderati, & quamplurimi vulnerati sunt. Arce ad hunc modum capta, Cugna opidi incolas admonuit, se, vt illos in libertatem vindicaret, iussu Emmanuelis, in eas oras peruenisse. Indignũ namque clarissimo Principi visum fuisse, gentem Christianam Saracenorum superbissimum dominatum tamdiu pati. Opidani gratias agere, manus in cælum tendere, clamores lætitiæ significantes emittere, omniaque felicia, & fausta Emmanueli precari. In tẽplum inde, in quo Saraceni sacra impura e Mahumetis disciplina procurabant, Cugna, cum Lusitanis omnibus, se contulit, in eoq. sacris expiato, res Diuina singulari cęrimonia, atque sanctitate, facta fuit. Cugna arcem, multorum operis multo melius munitam, Alfonso Norognæ, vt ab Emmanuele iussus fuerat, commisit. Inde vero decimo die Augusti, anno MDVII. in Indiam transmisit; &, cum ad Cananoris portum naues, vt iam superius exposuimus, appulisset, pax cum Rege Cananoris facta fuit. Deinde, Cochimum delatus, ab Almeida Prætore fuit satis honorifice, & amanter, exceptus. Non multis post diebus, cum Almeida intellexisset, ad portum Pananis (est id opidum magnum, ad ditionem Calecutiensis Regis pertinens, a Cochimo, Septemtrionem versus, supra quinquaginta milia passuum distans) Arabum onerarias naues consistere, & cum ijs classem Calecutiensem, armis, & telis, & militibus instructissimam, vt naues amicas tueretur, cui præerat vir impiger, Cutialis nomine, multum in bellicis rebus exercitus, cum ea in ipso portu confligere statuit. Tristanus Cugna, opem suam pollicitus, illi se comitem admodum libenter adiunxit. Itaque, duodecim nauibus instructis, Almeida Pananem contendit. Ibi ex captiuis, quos in portu cepit, cognouit, naues in altum deductas, sed esse secundum fluuium in statione collocatas. Cutialem præterea, iuxta fluuij ipsius ostium, vtraque ex parte, stationes vallo muniuisse, & tormenta in ijs, cum valida manu militum, disposuisse. Opidum etiã præsidijs, & munitionibus, cinxisse, & habere sub signis supra quattuor millia hominum fortium, partim ex Arabia, partim ex Nairibus, qui stipendijs Calecutiensis Regis alebantur. Almeida septingẽtos tantum Lusitanos eduxerat. Cum hac autem manu hostes hoc ordine aggressus est. Ducẽ Petrum Barretum nomine in scapha præmisit, (nec enim naues magnæ, neque triremes, eo quod æstus decesserat, poterant in fluuio nauigare) qui in hostiles naues inueheretur, & is triginta viros secum duceret. Hunc veto sequeretur Iacobus Petreius, cum alijs triginta militibus, qui in stationem, quæ prope fluminis ostium, vnde maius periculum imminebat, inuaderet. Post hos Laurentius Almeida, & Nonius Cugna, Tristani Cugnæ filius, scaphis similiter inuecti, eundem cursum tenerent; hos autem alij Duces sequerentur. Postremum agmẽ Almeida, & Cugna, duabus triremibus cogerent. Postridie, prima luce, hoc ordine in fluuium ingressi, ad hostes appropinquarunt. Almeida tantum, & Cugna, propterea quod nondum æstus accesserat, in fluminis ostio constitere. Hostes tormentis, & iaculis ignitis, nostros obruere impetu maximo conabantur. Nihilo tamen secius nostri satis intrepide progressi sunt, & per flammas, atque tela ruebant. Barretus, cum ad naues, vt erat constitutum, festinanter accederet, & in terram desilire conaretur, triginta Saraceni, capitibus, & mentis abrasis, in eum impetum tulerunt. Erat autẽ abrasio illa, deuotionis indicium, qua sibi diras horribiles imprecabantur, si e prœlio, nisi victores, excederent. Vt autem postea cõpertum est, fuit tunc deuotorum magna multitudo, quibus erat necesse, aut hosti vitam eripere, aut in certamine mortem oppetere. Sic igitur multo atrocius prœlium, quam pro hominum multitudine, commissum repente fuit. Similiter Iacobus Petreius, cum ad locum, quo erat iussus accedere, se conferre voluisset, a Saracenis eadem religione constrictis exceptus fuit. Cutialis vero subsidia suis submittebat, & certamen summa vtrimque contentione miscebatur. Prœlio ad hunc modum commisso, Laurentius Almeida, cum suis copijs, aduenit, &, inuitis hostibus, in terram desiliuit, ita tamen, vt multi ex nostris grauissime sauciati illum sequerentur. Nostri tamen, cũ acrius institissẽt, hostes paullatim cedere coegerunt. Laurentius, securi cum sex ex hostibus interemisset, in admirationem sui multos conuertit. Erat enim corpore procero, & specie liberali, magnisq. viribus præditus, &, quocumque se contulerat, hostibus terrorem injiciebat. Quidam tamen ex deuotis in eum fidenter inuasit, & illi in brachio vulnus inflixit: qui tamẽ, cum reliquis deuotis, occubuit. Nonius item Cugna, cum Barretum sequeretur, strenue dimicauit, & ignem nauibus implicuit, quo decem & octo conflagrarunt. Dũ autẽ certamen extraheretur, aduenięs æstus effecit, vt triremes facillime nauigarent. Almeida igitur, (Tristanus enim Cugna, morbo impeditus, in terram descendere nequiuit) cũ Regio vexillo, in terram descendit, vt suppetias suis afferret. Illius aduentu, hostes in fugã cõuersi sunt. Almeida illos insecutus est, vsque eo, dum Panani appropinquaret. Ibi continuo opidum, coniectis vndique facibus, inflammari præcepit. Quod quidem non solum hostibus spectaculum miserabile præbuit, sed Lusitanis militibus facinus indignum visum fuit.

Turris cũ hostibus intermicione capta.

Christianorũ de libertate gaudium.

Missa prima in Zacotora insula celebrata.

Annus 1507.

Cugnæ in Indiam abitus.

Pananæ opidum.

Almeidæ in Calecutięses, & Arabas expeditio.

Acies marina Lusitanorum.

Prœlium.

Deuoti Saraceni Barretũ aggrediũtur.

Laurentii Almeidæ præclara virtus.

18. Hostiles naues incęsę.

Hostium fuga.

Panane incẽsa.

Erat

Erat enim opidum multis opibus refertum, e cuius præda nostri ditari facillime potuissent. Numquam ne, dicebant, erit aliquod præmiũ militum virtuti persolutũ? Male profecto de suo fortibus hominibus largietur, qui eos ne de præda quidem hostiũ quidquã lucrari permittit. Non intelligit præterea, præmijs virtutem militarem incẽdi, illiberalitatis autẽ significatione restingui? Quis illum posthac libentissime sectabitur, cum viderit eos, quorũ virtute gloriam sibi ex victorijs comparat, in mendicitate versari? Hæc milites, & alia eiusmodi iactabant. Almeida tamen non is erat, qui militum cupiditatem, sed rationem, & cõsilium sequeretur. Videbat, quantum periculum impenderet, cum hostes non procul abessent, si nostros, prædæ cupiditate dissipatos, & oneribus impeditos, ex improuiso adorirẽtur. Intelligebat etiam, quã subito posset manus hostium maxima comparari, cum omnes Calecutienses milites, qui totam illam regionem occupauerant, sint ad repentinos casus expediti, qua posset parta victoria de manibus extorqueri, & nostris ingens calamitas importari. Ex hostibus ter centum cecidere: nec enim nostris eos longius, quam securitatis ratio flagitabat, insequi concessum fuit. E nostris duodeuiginti cecidere, multi prẽterea vulnerati: tormenta omnia, quæ fuerant a Cutiali in stationibus collocata, in naues imposita sunt. Sic autem, re bene gesta, Almeida se Cananorem contulit, atque inde Tristanum Cugnam, cum quinque nauibus onustis, in Lusitaniam dimisit. Anni autẽ insequentis principio, cum Almeida semper aliquid gerendũ arbitraretur, ne nostri segnitie languescerẽt, aut hostes animos a timore reficerent, Laurentium Almeidam, cum octo nauium classe, misit, qui oram maritimam peragraret, & Saracenos omnibus incommodis affligeret. Is igitur, eductis in altũ nauibus, in multos portus inuasit, multis hostium nauibus inflammationẽ intulit, & in Chaulis tandem portu classem collocauit, vt ibi naues, quæ erant e Cochimo profecturæ, quas ipse tuendas susceperat, opperiretur. Est autem ea ciuitas opulenta, ad Septemtriones spectans, Regno Cambaiæ, quod Indus interfluit, finitima. Hic, cum in anchoris consisteret, accepit, Campsonem Aegypti Imperatorem magnam classem, magnis præsidijs, & munitionibus ornatam, & instructam, in Indiam misisse, vt Lusitanos everteret. Hanc classem, non solum, vt sibi illatam iniuriã vindicaret, sed etiam, vt Regibus Calecutij, & Cambaiæ, satisfaceret, comparauerat. Erant enim hi Reges cum illo fœderati, & vterque eorum ab eo per litteras contenderat, vt gentem, Mahumetanis moribus, & institutis infensam, quæ tyrannidem occupare in India nitebatur, exstinguendam, atque delendam susciperet. Id autem facillimum fore. Nam, præterquam quod Sultanus ipse maximas opes haberet, virisq. in bello fortissimis vteretur, illos officio suo minime defuturos, & coniunctis viribus, effecturos, vt genus illud hominum, quod tantum malorum Indicis rebus inuexerat, de medio tolleretur. Sultanus eam classem instruxit, quam satis esse suspicatus est, ad Lusitanos funditus euertendos. In hac classe misit multos ex illis, quos olim, dum illud imperium vigebat, Mameluc os appellabãt: qui, in pueritia, a Christianis parentibus per vim abducti, & Mahumetanis institutis imbuti, & armis diligenter exerciti, bellicæ disciplinæ laudibus excellebãt. Hos Indi, Rumes, hoc est Romanos vocabant. Nã, cũ ex antiquis monumentis accepissent, quãtum Romanum imperium reliquis gentibus militari gloria præstitisset, cum primũ in Indiam hi Sultani milites inuecti sunt, eorumq. robur, & in re militari disciplinam, & industriam, percepissent, Romanos esse iudicarũt. Quemadmodum postea, cum Lusitanos animaduerterent eadem propemodum disciplina bellicas res administrare, Francos nominarunt. Francorum enim nomen ex eo tempore, quo Ierosolyma, Duce Gothifredo, capta est, per omnes Solis orientis regiones, maxima cum gloria, peruagatum fuit. Classis igitur huius magnitudo, & militum etiam fortitudo, Indorum animos varie commouerat. Qui Lusitanos odio persequebantur, spe victoriæ elati, vehementer efferebantur; qui nostris fauebant, erant animo suspensi, & metu valde conturbati. Almeida vero filium etiam per litteras admonuit, vt non spectaret, dum hostis, vltra progressus, plures motus in India concitaret, sed illi occurreret, &, vbi primum posset, cum eo, mari aperto, cõfligeret. Itaque Laurentius se ad cõfligendum parat, & classem educere, & iter Dium, quæ quidem vrbs olim ad Cambaiæ Regnũ pertinebat, suscipere maturabat. Ibi namque audierat classem hostium cõstitutam esse. At hostium classis id non exspectauit, sed, vt in Lusitanã classem inuaderet, in Chaulensem portum contẽderat. Præfectus erat Mirhocemus, vir militari gloria præstans. Is sex triremes, & vnam rostratam nauem, & alias quattuor naues valde magnas, ducebat. Ad eam classem Melichiazius (sic enim appellabatur, qui Regis Cãbaici nomine Dium cum imperio tenebat) triginta quattuor longas naues, tormentis, & telis, & militibus, instructissimas, adiunxerat. Triremes, & longæ naues, remis incitatæ, orã maritimam præteruectæ, minime conspiciebantur. Quinque reliquę naues, ex alto in portum, secundo vento, delatæ, speciem Lusitanæ classis primo nostris præbuerunt. Alfonsus Albuquercius, qui tunc res memorabiles in Persico sinu gerebat, exspectabatur. Itaque nostri, cum illam classem Albuquercij esse suspicarentur, securi constiterunt. Nemo vel anchoras moliri, vel arma expedire, vel quidquam

Erat enim opidum multis opibus refertum, e

Almeidę prudentia.

Cæsorum numerus.

Alia Almeidę expeditio

Chaulis ciuitas.

Campsonis Aegyptij classis aduersus Lusitanos.

Mameluci.

Diu, vrbs.

Mirhocemus hostilis classis præfectus

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam aliud gerere,voluit, ex quo posset intelligi,eos sibi ex illa classe quidquam metuere. Mirhocemus, secundo æstuario, in quod fluuius,qui alluit ciuitatem, influit, Lusitanam classem præterue&ctus,ingentes globos, atque tela,coniecit, multosq. Lusitanos vulnerauit, & vnum virum nobilem, nomine Rodericum Pereiram, occidit. Nostri, simili, ratione, gratiam,egregie retulerunt,& multos ex hostibus aut vulnerarũt,aut occiderũt. Hostes, vlterius proiecti, propius vrbẽ anchoras iecerunt. Melichiazius tamen eo die extra portus ostium substitit.Laurentius, minime differendum ratus,anchoras euellere iussit,vt cõfestim in rostratam nauem hostiũ, quæ præto ria erat,inuaderet.At Mirhocemus, eo quod nondum Melichiazius classem suã intra portum adduxerat, noluit eo die prœlium committere; &, ne cogeretur inuitus dimicare, triremes expediuit,vt celoces, quæ anchoras extra hebant,impedirẽt. Itaque eo die naues eodem in loco constitere.Sequenti die,Laurẽtius, anchoris solutis, in Mirhocemi nauem inuehitur;sed,æstu recedẽte, cum ventus vim suam remitteret,ad hostilem nauem accedere non potuit. Ex propinquo prœlium tormẽtis,& iaculis,commissum est. Sed, cum hostiũ rostrata nauis esset altior,omnia tela,quæ ex ea in nostros,accidebant, eos conuulnerabãt; ipseq.Laurentius sagitta confixus fuit.Tunc, qui cum illo erant, eum hortantur, & admonent,vt,quãdo ventus minime flaret, & æstus aduersus esset,& ideo minime posset in hostiũ nauem, vt cupiebat,inuehi, retro nauem suã regredi pateretur.Quod consilium ille, inuenili quadam audacia, & animi magnitudine, motus,cum arbitraretur,se,si id faceret, insigne dedecus subiturum, accipere noluit. Dũ hærent reliqui,&,quid optimum factu esset,in re tam implicita, expedire non possunt, alia rursus sagitta, in faciem ipsius Laurentij immissa,grauissimum illi vulnus imposuit.Vt tamẽ cominus rem gereret,ipse,& Petrus Barretus,vlterius progrediuntur;non ita tamen, vt possent cum hostili naue cõiungi, eamque, manibus ferreis iniectis,alligare. Tormentis res gerebatur, & vtrimque multi aut occisi sunt,aut cõcisi vulneribus, e prælio excedere cogebantur.Lusitanæ triremes, & naues humiliores,quę facilius poterant,quamuis æstus aduersus esset, in hostium reliquas naues incitari,strenue decertabãt.Pelagius Sousa triremi sua inuectus est, & primus in triremem hostium insiluit:eũ secutus est Ambrosius Pazagna, & Fernandus Petreius Andradius, & reliqui,qui molestę ferebant, se in ea dignitatis contentione superari: & sic factum est,vt illam, cum hostium,qui ea vehebantur, exitio, caperent.Iacobus Petreius,alterius triremis præfectus, aliam similiter hostilem triremem cepit:duæ præterea aliæ hostium triremes ab alijs Ducibus Lusitanis, qui nauibus humilioribus prærant,captæ sunt. Reliquæ triremes sese in fugam dederunt. Quamdiu vero prœlium committebatur,Saracenus quidam,sanctitatis opinione præcellens, in cubiculo triremis inclusus, vt numen precibus placaret, summa ope nitebatur. Quẽ tamẽ ignitus globus, in precatione summo studio perseuerantem, dilacerauit. Cum vero iam,æstu rursus accedẽte,Pelagius Sousa,& Iacobus Petreius hostium triremes ad Laurentij Almeidę nauem remulco traherent,& illum viderent sauciũm,magnamq. militum partem vulneribus impeditam,cum hortantur,ne vellet cum hostium rostrata naue cõgredi, sed eam,& alias, tormentis eminus vsque eo verberaret, dum omnes deprimeret. Id consilium Laurentius aspernatus est. Dicebat enim, naues hostiles esse magnas,& omnibus rebus instructas. Itaque melius esse,eas omnes capi, quod fore cõfidebat,quã demergi.Sequenti die, Melichiazius,quem substitisse extra fluminis ostium diximus, vento secundo, & æstu minime repugnante, se ad Mirhocemi nauem, cum classe sua,contulit. Illius aduentu, hostibus animus additus est, & nostri sane perturbati sunt. Eã enim classem nondum conspexerant,& Chaulenses ciues clamores lætitiæ significãtes ediderunt,&, signis clarissimis, ostenderunt, se nihil malle,quam nostris,modis omnibus,perniciem,& interitum,machinari. Nauarchi,in naui prætoria coniuncti,quid in eo casu gerẽdũ sit,intẽpesta nocte, deliberant. Omnibus visum est, cũ maxima Lusitanorũ militũ pars & vulneribus,& summa prælij contentione esset vehementer afflicta,& ipse Laurentius duplici vulnere laboraret,& naues ipsæ, multis partibus perforatę,in summo discrimine versarentur,& hostium classis, tanto supplemento refecta,terribilem speciem exhiberet,& ciuitas ipsa hostilem in nostros animum declararet, esse temeritatis summæ, diutius in eo portu consistere.Tamdiu igitur exspectandũ, dum recederet æstus, & ventus etiam flaret, vt tunc,noctis silentio,in altum properarent. Consilium fuit omnium sententia comprobatum. Itaque post mediam noctem vela faciũt. Res tamen non potuit tanto silentio fieri, vt hostes minime nostrorum consilium sentirẽt. Naues igitur festinanter expediunt, & Lusitanam classem insequuntur,prętoriamq. nauẽ, quæ agmen cogebat,emissis telis, remorantur,eamq. vnam multæ circumueniunt. Tormenti præterea vnius ictu perforata, aquæ magnam vim intra sentinã admisit,cuius põdere grauata,clauo dirigi haudquaquam poterat;atque tandem, in piscatorum munitionem,quæ sub aqua latebat,incidens, impegit. Quod animaduertens Pelagius Sousa,vt eam remulco e vadis educeret,funem nautis illius tradidit; deinde triremem suam remis vehementer incitari fecit. Nauis ita in fundo fixa permanebat,vt nihil omnino moueretur. Melichiazius,cũ nauem immobilem cerneret,illa relicta,quã in suam potestatẽ omnino redactã esse minime dubitabat,triremem vt nauibus suis circũueniret,acceleraut. At,qui erãt in triremi,cum se saucios, & labore nimio fractos,& debilitatos,viderẽt,neq.posse hostibus repugnare cogitarẽt,imprudẽte Sousa, funẽ, quo triremis erat naui prętoriæ alligata,præcidunt. Quo facto,triremis tãta vi æstus abrepta fuit,vt,quãuis Sousa magnis vocibus inhibere iussisset,nihil omnino proficeret. Peruenit tandẽ ad locũ, in quo Petrus Barretus, & Odoardus Melius,& Iacobus Petreius, & alij nauarchi consistebant.Qui oẽs,cum maxime cuperent cum Laurentio societatẽ discriminis inire,æstus vehementia prohibiti,se cũ dolore summo continebant. Fuit Laurentius a suis admonitus,vt in paronem,ad eam rẽ paratum,summa celeritate prædituũ,desiliret,vt posset ad suos confugere. Quo consilio grauiter offensus,acriter illis, qui consiliũ illud dabãt,minatus est.Nec enim sibi decorũ fore dixit,id periculũ deuitare,in quo commilitones suos desereret.Se non mortẽ,sed dedecus,extimescere.Præterea, cõfidere tamdiu se posse cũ illo præsidio,quod sibi fuerat reliquũ,nauẽ tutari,dum,æstus reciprocatione, possent rursus reliquæ naues ad opẽ ferendam accedere. Erant tũc in naui septuaginta homines vulnerati,& triginta tantum sani.Ex omnibus tres instruxit acies; vnã attribuit Emmanueli Pazagnæ,qua foros defenderet;alteram Francisco Nabaesio, cui præcepit, vt proræ castellũ tueretur; ipse tertiam sibi reseruauit,vt præsidio,quo posset,puppim firmaret. Hostes,cum cernerent, quam acri animo nostri se ad resistendũ parararent,cũ hominibus fortibus, & animosis, & in vltimũ discrimen adductis, in quo etiam ignauissimus quisque, desperatione ductus,hostes sæpenumero, ignis insolitæ virtutis exterret,congredi noluerũt. Eminus tantum rem gerebant;crebris tormentorum ictibus omnia personabant;fumi caligo dẽsissima adspectũ omnibus adimebat.Nostri tormẽtis similiter in hostes globos frequentes iaciebant.Laurẽtius hortator, & spectator,aderat,& omnibus rebus occurrebat, optimique imperatoris officio fungebatur. Tandem,cũ femur illius,pilæ vnius ictu,dilaceratũ fuisset, se in cathedra ad nauis malũ collocari præcepit, & inde suis, animo maximo, imperabat, eosque,vt virtutẽ factis egregijs ostenderent, hortabatur. Hæc maximis vocibus admonentẽ alia pila in pectus illius emissa interemit. Nauis erat iã,maxima ex parte,armamentis nudata,atq. multis in locis dissoluta, & aquis oppleta. Hostes igitur vndiq. confluunt, vt in eam insiliant. Ter tamen fuere ab ijs,qui erãt in naui, acerrima cõtentione,repulsi. Tandẽ, cum nostros vires deficerent,hostes, fidenter ingressi,cędẽ magnam ediderũt. Nostri,vt in vltimo casu nõ inulti caderent,fortissime dimicabãt.Id cũ Melichiazius animaduerteret, indignum facinus esse putauit,homines adeo fortes interire.Viginti tantũ,nam reliqui oẽs occiderant,humanitate illius cõseruati sunt. Mortui sunt in naui prætoria octoginta viri: in alijs autẽ ad septuaginta, inter quos multi fuere, & nobilitate,& factis, insignes. Duces reliqui,qui æstu prohibiti fuerant,ne opem afferre Laurentio possent, cum animaduerterent,nauem esse captam,atq. depressam,vlterius cõtendere,sine fructu,noluerunt. Itaque, passis velis in altũ proiecti, Cananorẽ petierũt, & inde Petrum Gnaiã Cochimũ mittunt, qui Almeidæ acerbũ filij casum nuntiaret.Attulit is nuntius Lusitanis omnibus insignem mæstitiam,cum multis lacrymis, atque luctu, coniunctam. Erat enim Laurentius Almeida non solũ egregie fortis, sed humanitate singulari preditus,qua quidẽ omnes ad sui amorem vehemẽter alliciebat;morum vero integritate,patrẽ imitari nitebatur.Itaq. omnibus,qui cum illo vixerant, mirum sui desiderium reliquit. Rex Cochimensis,eo casu perculsus, ad Almeidam continuo venit, vt illum a mæstitia,quoad posset, & doloris societate, & verbis amantissimis auocaret. Almeida tamen, cum,multis signis,antea varijs in locis,quãto animi robore sæptus esset,ostendisset, tum eo die eam virtutem maxime declarauit. Cum enim vnicũ filium,virtute,& moribus, excellẽtem,amisisset,ita dolorẽ vultu cõpressit,vt,illũ nullius solatio indigere,cuncti pespicerent. Quin ipse reliquos,ne lugerẽt,admonebat. Se namq. non diuturnã vitam filio, sed virtutem insignẽ,a Deo precatum fuisse.Humanæ nãq. vitæ spatium esse breuissimũ, virtutis autem præmiũ sempiternum.Omnia,quę accidissẽt, ad consiliũ Diuinum referebat;Deoq.gratias agebat,quod iuuenem illũ honestissima morte ornare voluisset.Considere porro,vt illum etiã opibus illis,quæ numquã essent interiturę,muneraret.Ad hæc autem adiũgebat,Qui filium meũ carũ habebat,nõ lacrymis,sed virtute,amorẽ ostendat.Illius enim cædem vlciscì statuo.Qui mihi alacrius in hoc opere perficiendo opem tulerit, eum existimabo maiore caritate filio meo deiunctum fuisse. Hæc, & alia eiusmodi,dicendo,quo maiorem sui admirationem commouebat, plures lacrymas circumstantibus excitabat. Quo enim altior, & constantior,illius animus apparebat,eo minus dignus ea calamitate videbatur. Dum hæc in India fiunt, Rex Emmanuel rerum Africanarum curam minime deponebat. Azamora est Mauritaniæ ciuitas, in ea parte sita, quæ Oceano Atlantico continetur,quemadmodum de Safinio dictum est: a qua ciuitate abest passuum octoginta millia,Septemtriones versus. Ingens autem fluuius, quem Asamam esse quidam opinantur,eam præterfluit. Hanc vrbem Emmanuel expugnare cupiebat. Vt autem hoc fore facillimum in ani-

Prœlium naua.e.

Bonum consilium repudiatum.

Laurentius bis sagitta vulneratus.

5. hostiũ triremes capię re iquæ fugatæ.

Inanis superstitio Saracẽi cuiusdam.

Laurentij magnanimitas.

Hostium coniunguntur copiæ.

Lusitana classis e Chaulẽsi portu discedit.

Laurentij Almeidę mors.

Lusitanorum nauis prætoria in fundũ impingit.

Lusitanorum fortitudo, & cędes cruentæ.

Cæsorum numerus.

Lusitanorum de Laurentio luctus.

Almeidæ fortitudo insignis.

Res Africanæ.

Azamora ciuitas.

Asama flu.

Bellum Azamorense.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mequinezia ciuitas.

mum induceret,effecit Mauri cuiusdam Principis aduentus. Erat autem illi nomen Zeiamus, & Regnum in ciuitate, quam Mequinezam appellant, in mediterranea regione sita, non procul a Fessa distante, possederat, & multis finitimis vrbibus,atque pagis, imperabat. Erat autem is frater patruelis Mahumetis, qui Fessense Regnum imperio tenuerat, sororemq. illius vxorem duxerat.

Nazarius,rex Fessæ Rex.

Nazarius, Regis Mahumetis frater, Fessæ Rex,ea fide, quam gens illa colit, fœdus, & sanguinis communione, & connubij affinitate, firmatum conseruauit. Illum namq. Regno expulit. Is, dignitate, & opibus spoliatus, Azamoram cõtendit. Existimauit enim, fore, eo quod esset ciuibus illius ciuitatis carus, vt ei ciuitatis imperium traderetur. Id ciues tunc facere noluerunt. Ea igitur spe depulsus Zeiamus, ad Regem Emmanuelem se contulit, eiq. fidem dedit, se perpetuo in illius potestate futurum, atq. perfecturum, vt non Azamorã solum,sed quamplurimas alias ciuitates,expugnaret, mediocri classe maximum bellum profligari posse. Se namq. multos in ea ciuitate cognationibus, & affinitatibus, & clientelis, implicatos habere, quos omnes confidebat futurum, vt ciuitatem libentissime proderent. Esse namq. tyrannide, qua premebantur, offensos; & fama clementiæ, qua Emmanuel sibi quamplurimas nationes alliciebat, inuitari, vt se in illius fidem,& patrocinium, conferrent. Id Emmanuel,quod auctor Rex esset,& indigne iniuria vexatus, & iusto odio commotus, & quia ipsi auctori mentiri minime expedire videretur, & quod caput est, quod natura facillime ea, quæ valde fieri cupimus,facta credimus,Mauro fidem adhibuit.Itaq. classem non valde magnam festinanter instruendam curauit, eiq. Ioannem Menesium præfecit. Qui soluit Olyssippone xxvj.die mensis Iulij,anno M D v i i j. Exercitus erat quadringentorum equitum, peditum vero supra duo millia. Ad ostium fluminis tandem naues appulit. Nocte, æstu secundo,per fluuium inuectus, ad mœnia Azamoræ classem constituit,& vrbem oppugnare cœpit.Ciues acri animo resistebant, & faces, & pilas ingentes,iaciebant,& rates pice oblitas, & incensas, in Lusitanam classem machinis detorquebant,vt eam inflammarent. Multi præterea ex vrbe egressi circumcurſabant, & nostros, ne copias in terram exponerent, enixe contendebant.Menesius Zeiami opem exspectabat, qui iam e Lusitania Azamoram redierat. At is, vt est hominum ingenium varium,& commutabile,fidemq. minime colẽs, principio quidem se venditare, & spem auxilij polliceri,variisq. modis Menesium ludificari.Deinde aperte nostris exitium machinari. Iam enim illi cum ciuibus bene conuenisset, & sedecim millia hominum sub signis habebat, cum quibus in campo, secũdum fluminis ripas,concurſabat,&, quemadmodum perniciem nostris quam maximam poſſ t inferr , rationem inibat. Intra ciuitatem erant octo millia hominũ in præsidiis, vt a mœnibus Lusitanorum impetum propulsarent. Nihilominus tamen Menesius, cum copiis omnibus egressus, castra fecit. Mauri, cum essent loci valde insidiis opportuni, tribus in locis siluestribus,inter litus,atq. mœnia, insidias collocarunt.Deinde, cum reliquis copiis è mœnibus egressi, nostris obuiam progressi sunt. Menesius certamen minime detrectauit. Triplicem autem aciem instruxit; primam, quæ centum equites continebat,Tentugalensi Dynastæ attribuit;secundæ,in qua erant equites centum & quinquaginta, Ioannem Mascaregnam præfecit;tertiam sibi reseruauit,in qua erant equites ducenti & quinquaginta,& peditum etiam phalanx, quam equites vtrinque disposití firmabant Hoc ordine in hostes inuasit;qui,valida impressione pulsi,se multo celerius,quam fuerat statutum, in opidum receperunt. Consilium enim fuerat,vt paullatim cederent,vsque eo, dum Menesius in insidias incideret,& ita, copijs vndique circumdatus,cum omni exercitu concideretur. Opidani,ne nostri,hostium tergis inhærentes, in opidum penetrarent,fores occluserunt. Cum igitur Mauri, se exclusos, animaduerterent, ea desperatione confirmati, restitere. Prœliumq. fuit,magna vtrimque contentione,redintegratum. At,qui erant in insidiis, repente prosiliunt,&,magno impetu, in nostros inuehuntur.Tentugalensis Dynasta,& Ioannes Mascaregnas, Menesii iussu, in subsidiis post terga relicti, eorum impetum, qui in insidiis fuerant,acri animo sustinebãt. Zeiamus cum manu valida,vt suis opem afferret, accelerarauit.Equites e pagis etiam, vt Lusitanos circumuenirent, atque internecione delerent, influebant. Menesius, hæc omnia circumspiciens,retrocesit,tanto ordine,atque disciplina,vt neque trepidatio vlla, neque tumultus, exsisteret. Qui erant in subsidiis, postquam receptui signum datum est,eos,qui ex insidijs impetum,dederant, perruperũt;& Menesius, qui extremum tunc agmen ducebat,illos,qui ex opido nimis acriter instabant, singulari virtute repellebat.Sic autem se primum in castra,deinde in classẽ,recepit.Sedecim equites in hoc prœlio ceciderunt,in quorum numero fuere quidam viri, & nobilitate, & factis, illustres.Ex hostibus,vt postea compertũ fuit,ceciderunt mille & trecenti & sexaginta quinque.Ioãnes Rodericus Sala Menesius,equo interfecto,cecidit, &, ab hostibus circũuentus, parũ abfuit, quin occideretur. Duo tamẽ viri fortissimi, quorum vnus fuit Ioannes Homo, qui iam ex India reuersus in Portugaliam fuerat,alter Iacobus Fernandus Faria, eũ e media cæde,hostibus partim cæsis, partim dispulsis,eripuerũt. Is equum Ducis,qui illius equũ transí-

Ioan. Menesij ad bellum Azamorense profectio. Annus 1508

Azamoræ oppugnatio.

Zeiami perfidia.

Mauroru in Lusitanos in sidiæ.

Lusitanorum acies.

Prœlium ter restre.

Cæsorum numerus.

Ioannis Rodersici pericu lum.

Soluta Azamorę obsidio

transixerat,tunc Fariæ manu perempti, nactus, periculum euasit. At Menesius,cũ animo Zeiami perfidiã,& fraudes,reputaret, & munitiones,atque præsidia ciuitatis animaduerteret,intelligeretq. fieri non posse, vt cum ea classe opidum tantis præsidijs munitum expugnaret, minime terendum in obsidione tempus existimauit.Anchoris igitur solutis, vela fieri iubet. Verum,cum æstus essent, propter Lunæ decrescentis rationem, languidiores, ita, vt flumen naues alueo sustinere non posset,& nautæ etiam trepide oras soluerent, & anchoras vellerent,factum est, vt aliquot nauigia vadis allisa mergerentur, & hostes vnã nauem longam in sicco destitutam circumsisterẽt,& triginta remiges occiderent:qui tamen,antequam caderent,duodeuiginti ex hostibus interemerunt. nauis autem fuit ab hostibus incensa.Menesius vero,educta in altum classe, in fretum Gaditanum cursum tenuit. Quod non humano cõsilio, sed Diuino motu, & instinctu, factum fuisse, postea a multis sapientissime iudicatum fuit.Quin etiã Zeiami fraus,& Regis Emmanuelis in illa classe comparanda celeritas, & Azamoræ alieno tempore,& paruis copijs oppugnandæ parum sapiens cogitatio, non absque cælestis numinis prouidentia,quę Emmanuelis rebus fauebat, susceptа fuisse videbatur. Si enim illa omnia sic non euenissent, maxima a nostris clades accepta cum maximo dedecore fuisset, ante quam quisquam auxilium rebus in vltimum discrimen adductis afferre posset. Menesius, ex Azamoræ finibus egressus,in freto Gaditano naues aliquot hostiles cepit, & Ioannem Rodericum Salam Menesium, Regis Emmanuelis iussu,in opido, quod Alcassarem appellant, quod Lusitano etiam præsidio tenebatur,Ducem,& Præfectum constituit.Dum autem hæc gerebat,rumore dissipatum fuit,Fessensem Regẽ,vt Arziliam obsideret,cum maximis copijs aduentare. Fuerat autem exercitus illius tanta dissimulatione coactus, vt nemo id futurum conijcere posset, ante quã acies explicatas, & maximis munitionibus, & bellicis instrumentis armatas adspiceret. Habebat autem sub signis equitũ viginti millia,peditum vero millia centum atque viginti.Arziliæ præerat Vascus Coutignus,Dynasta Borbensis.Cum vero Fessensis Rex mœnibus appropinquaret,Coutignus aliquot Mauros ex insidijs capiendos curauit,vt ex illis intelligeret,an ipse Rex adesset. Quo facto,cõperit & Regis ipsius animũ, & exercitus magnitudinem,& reliqua omnia,de quibus se fieri certiorem conueniebat. Itaque litteras cõfestim ad Odoardum Menesium,qui Tingitanæ ciuitatis præfectus erat, & ad Ioannẽ Menesium,qui oras illas cum classe peragrabat, dedit, quibus significauit, quantum periculũ immineret.X I X. die mensis Octobris, anno a CHRISTO nato M D V I I I. Rex Fessensis exercitum ad vrbem admouit. Sequenti die, tormentis muros quatere,propugnatores dẽ sis sagittis obruere,testudines,& scalas admouere, muros exscindere parat. Erant tunc in opidi præsidio quadringenti tantum viri,qui hostium impetum fortissime,vt poterant,repellebant. Fuit oppugnatio ea die ad noctem continuata. Sequenti die,nostri opidum circumsessum,stationes munitas, aggeres excitatos,tormenta disposita,acies instructas,adspiciunt. Ad hæc, ne nauibus in vrbem aditus esse posset, hostis stationes crebras in litore muniuit,& vineas excitauit,& dolia,quæ tormentis opponeret, tellure, & arena,compleuit,tormentaq. ordine collocauit.quibus nostros,si auxilium afferre vellent, propelleret. Multi præterea,scorpionibus,& balistis, & fistulis ferreis, vt stantes in muro configerent, collimabant; &, cum primum aliquod caput, aut quod uis aliud membrum,eminebat, in id tela conijciebant,ita,vt nemo auderet in muro consistere. Ad hæc,testudinibus admotis, muros suffodere incipiunt, tanta celeritate, vt,cum sesis integri succederent,& opus non esset momento temporis intermissum, eadẽ die magna pars ipsius muri corrueret.Per eã partem hostes irruerunt. At Coutignus,cum equitibus quinquaginta, in eos inuectus, eorum impetum sustinebat.Sed,cum sagitta brachium illius transfixum fuisset, in arcem se contulit,Georgiumque Barretum, generum suum, interim reliquit, qui hostes, quamdiu ipse curaretur,insita virtute,reprimeret.Sed dum ij, qui cum hostibus prœliabantur, eorum multitudine obruerentur, & Ducem abscessisse cognoscerent, in arcem confugiunt. Erat valde miserabilis mulierum plangor, & eiulatus,& militum trepidatio,& eorum omnium perturbatio,cum nemini,in tanta,& tã repentina calamitate,consilium,& ratio, aut consistendi,aut fugiendi, aut fortiter, & animose moriendi,consisteret.Hostes,omnes, in quos impetum ferebant, crudelissime necabant, & pueros infantes ad saxa,atque rupes, allidebant, mnltaq. facinora summæ cuiusdã immanitatis in senes, & pueros, & virgines, sine vllo vel ætatis, vel sexus, discrimine, faciebant. Cum omnes vndique in arcem concurrerent, & alij alios in introitu præpedirent,clamores in cælum editi, & querimoniæ eorum, qui ingredi nequibant, & mulierum vociferationes, quæ,parnos filios complexæ, non sibi,sed liberis,misericordiam, cum multis lacrymis,implorabant,eos,qui arce tenebantur,exanimabant. Cupiebant enim miseris opitulari,sed nullo modo poterant. Tandem,cum hostes magna vi fugientes insequerentur,& arcem ingredi contenderent, maximo cum labore fores occlusæ sunt, & multi in hostium potestate relicti: a quibus crudelem in modum interfecti fuerunt. Tunc hostes, ad prædam conuersi, vrbem diripiunt.

Bellum Arziliense.

Fessæi exercitus.

Arziliæ obsidio.

Oppugnatio

Lusitanorum præsidium.

Arzilia capitur.

Lusitanorum fuga.

Hostium in deuictos immanitas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioannis Menesij subsidiũ Arziliæ ſero miſſum.

Huius cladis nuntius fuit Meneſio confeſtim allatus, qui iam Arziliam properabat, & naues alias, & Duces, adſciuerat. Vbi vero ad portum peruenit, ingredi ſtatim voluit; ſed fuit ſalo, & tempeſtate, prohibitus. Eſt enim portus ille, maxime cum ventus increbreſcit, valde, propter breuia, periculoſus, & infeſtus. Hærebat præterea, cum neſciret, an arx eſſet iam ab hoſtibus capta. Si enim in hoſtium poteſtate fuiſſet, intelligebat, inconſideratiſsimę temeritatis eſſe, in terram ingredi, vt, parua illa manu conſtipatus, cum maxima hoſtium multitudine, ſine vllo fructu, dimicaret. Tribus ita diebus in anchoris conſtitit, cum in tali caſu, quid optimum factu eſſet, explicare non poſſet. Duos deinde homines e ſuis familiaribus, quibus plurimum confidebat, in

Rara duorũ Meneſij familiarium virtus.

ſcapha egregie inſtructa, quæ remis plurimũ valebat, per fluctus illos immiſit, qui ad arcẽ (ea namque mari imminebat) accederent. Illi, non modo per fluctus, atque ſolum, maximo cum vitæ diſcrimine, verum per medias flammas, & denſas pilas, in eos vndiq. ex propinquis ſtationibus emiſſas, inuehuntur, & arci, inuitiſsimis hoſtibus, appropinquant. Id vbi, qui erant in arce, conſpexerunt, e feneſtra vexilla Regia cum Regijs inſignibus oſtenderunt, &, voce maxima, Portugaliæ nomine ſæpe repetito, conclamarunt. Mulieres paruos filios, quos vlnis geſtabant, in eorum adſpectu proponebant, vt eos, qui foris erãt, ad miſericordiam, in extremo rerum diſcrimine, tribuendam vehementius incitarent. Coutignus præterea, cum litteris cera circumlitis, homines natandi peritiſsimos ad Meneſium miſit, ex quibus poſſet intelligere, quanto in periculo verſaretur. Illum præterea admonebat, quo ordine rectius poſſet in arcem præſidia, & commeatum, cuius penuria valde laborabant, inferre. Meneſius, in humiliores naues, quæ in vadoſo portu tutius conſiſtere poſſent, milites imponit. Et, per præconem, omnibus, qui erant criminibus alligati, propter quæ, ſecundum leges, erant vel morte, vel exſilio, multandi, veniam, & impunitatem, ſi poſtridie, in litus egreſsi, rem ſtrenue gererent, pollicetur. Primo deinde, qui in terra veſtigiũ poſuiſſet, quingentos nummos aureos, in virtutis, & audaciæ præmium, proponit. His ita conſtitutis, poſtridie, æſtum ſecutus, naues remis agi, & incitari, præcepit. Coutignus, qui ex arce hæc conſpiciebat, vt erat inter eum, & Meneſium conſtitutum, equites triginta, equis inſidentes, & reliquos præterea equites, quorum virtuti multum fidebat, pedibus ex arce per poſticum egredi iuſsit, vt noſtris in egreſſu opem afferrẽt. Id erat ſignum, quo Meneſius admonitus, copias erat in terram expoſiturus. Itaque primum tormentis omnibus ignẽ admouere, & pilas in hoſtes emittere præcepit: quo facto, hoſtes ingenti fremitu, & ſtrepitu, & multorum exitio vehemẽter exterriti, litus deſerũt. At ex noſtris quantum quiſque poteſt enititur, vt primus in terram deſiliat. Alium enim auri præmiũ, alium impunitas propoſita, multo plures exſpectatum decus ad periculum adeundum inuitabat. Primus tamen, qui in terram egreſſus eſt, Triſtanus Meneſius fuit, qui ſcapha Ioannis Roderici Salæ Meneſij vehebatur: quem Ioannes Rodericus, & Henricus Meneſius ſecuti ſunt. Poſt illos Ioannes Homo, ſcapha ſimiliter inuectus, in terram deſcendit. Ex primarijs autem Ducibus, qui primus terram attigit, fuit Ioannes Maſcaregnas, equitum leuis armaturæ Magiſter. Hic, cum iam litus eſſet a Chriſtianis occupatum, hoſtes accurrunt, & in prœlium ruũt, quod magna vtrimque contentione commiſſum fuit. Multi occiderunt, plures tamen vulnerati ſunt, donec tandem ceſſere. Noſtri ſtationem, quæ proxima erat, oppugnarunt. Qui ex arce fuerant egreſsi, ſtrenuam operam in eo prœlio nauarunt. Sex tormenta, quæ erant in ſtatione collocata, in arcem importata ſunt, & ducenti milites cũ tormentario puluere, & telorum, & armorum vi, & commeatu, bellicisq. munitionibus, immiſsi. Hos Ioãnes Maſcaregnas agebat. Hoc ſubſidio, animi eorum, qui obſidione premebantur, mirifice confirmati ſunt ad obſidionem tolerandam. Erant enim, cum caſus ille præter exſpectationem acciditſſet, ab omnibus rebus imparati, quæ ſunt ad obſidionem ſtrendam neceſſariæ. Et homines erant fame, ſiti, labore, peruigilio, confecti, multiq. vulneribus impediti, vſque adeo, vt vix eſſet quiſquam, qui telum vibrare poſſet. Dynaſta Tentugalenſis in ipſo litore fuit ictu glãdis plumbea grauiter admodum ſauciatus, ita, vt cogeretur Tingim, vnde conſcenderat, reuerti. In prœlio cecidit Emmanuel Coutignus, & Ioannes Pimenta, & alij præterea viri fortes, quorum eo die virtus ſpectata valde fuerat. Meneſius Regem Emmanuelem, per litteras, admonuerat, vt ſubſidia ſumma celeritate compararet. In Bæticam præterea nuntios miſerat, per quos auxilium poſtularat. Petrus autem Nauarrus, qui tunc magnum in rebus bellicis nomen obtinebat, claſſem Regis Fernandi, cuius ipſe præfectus erat, ad Calpẽ, in Guebaltarifenſi portu, collocarat. Ab eo etiã Meneſius opem obnixe contenderat. Omnes certatim ad auxilium afferendum ſe comparabant. Arx interim ſummis viribus oppugnabatur, neque dabatur aliquod obſeſsis laxamentum. Qui primus e Bætica tulit auxilium, fuit nobilis quidam vir, cuius nomẽ ſcriptum minime reperio, qui tũc in Xariſio ius, nomine Regis, adminiſtrabat. Is nauem militibus, & armis, & cõmeatu, omnibusq. rebus ad bellum neceſſarijs, incredibili celeritate comparatam, adduxit. Et, cum hoſtes, excitatis aggeribus, ita muniti eſsent, vt ex tormentis, quæ erãt in arce conſtituta, nullum detrimentum

Prœlium terreſtre.

Tentugalenſis vulneratus.

Meneſij ad diuerſos litteræ.

Subſidia e Bætica miſſum.

Stratagemata.

mentũ acciperent, is, oram immunitam præteruectus, in eo loco conſiſtebat, vnde caſtra hoſtium immunita conſpiceret. Inde tormentis quamplurimos necabat, magnumq. tumultum in Regijs caſtris faciebat, &, cum illi tormenta in eum conuertebant, tanta ſe inde celeritate proripiebat, vt omnes hoſtium conatus, qui nauẽ illins deprimere cupiebant, inanes redderet. In illos rurſus ſecuros incitabatur; tãtumq. damnũ his artibus hoſtibus inuexit, vt cogeretur Rex caſtra mutare. Petrus autem Nauarrus, vt erat vir in rebus gerendis acer, auxilium afferre minime diſtulit. Ducebat autem ſub ſignis ter mille & quingẽtos milites. De belli autem gerendi ratione cum Meneſio deliberat. Vtrique viſum eſt, Regis Feſſenſis caſtra quamprimum adoriri: quod in ſequentem diem diſtulere. Rex, vbi conſpexit auxiliũ obſeſsis aduenisſe, non de obſidione diutius cogitandũ exiſtimauit. Itaque opidum incendere iuſsit. Erat in illius caſtris vir quidam valde nobilis, quem Meneſius pugnãdo ceperat, & captiuum humanitate ſingulari tractauerat: qui, poſtquam redemptus fuit, multa de Meneſii virtute, & benignitate, commemorare ſolebat. Is a Meneſio per nuntium poſtulauit, vt ſibi faceret illum ſalutandi potẽſtatem. Ea impetrata, ad Meneſium, viginti equitibus ſtipatus, recta contendit. Ibi, cum multus ſermo vltro citroque habitus amanter eſſet, tandem Maurus inquit: Magnũ profecto cumulũ tuis ſummis laudibus addidiſti, cum tali tempore huic vrbi contra Regẽ potentiſsimum auxilium attuliſti. Maximo præterea beneficio Arziliã tibi deuinxiſti, niſi. n. tũ affuiſſes, arx profecto a noſtris iam præſidijs teneretur. Sed tam præclarũ facinus nullo modo, niſi a præclara iſta virtute, quæ in te ſemper eluxit, confici potuiſſet. Ad hæc Meneſius: Quod aliquid lucis huic vrbi in rebus aduerſis attulerim, pertenuis mea laus rem bene conſiderantibus eſſe videbitur. Hoc enim non tam mihi, quam Regi præſtantiſsimo, e cuius diſciplina homines multo me meliores prodire ſolẽt, adſcribendum arbitror. Veſter Rex eſt, qui gloriari merito debet, quod vrbẽ Regis Emmanuelis non ſolum aggreſſus ſit, (quod ipſum erat in laude nõ mediocri ponẽdum) ſed eam armis occuparit. Itaque, quod muros diſturbarit, quod vrbem ceperit, quod arcem oppugnet, id laude ſempiterna dignũ cenſeo; quod vero faces in ædes priuatas injecerit, & ædificia intra muros inflammare inſtituerit, id neque Regium, neque decorũ, exiſtimo. Bellum adhuc integrum eſt. Si victoriã ſibi proponit, cur tam male rebus ſuis conſulit, vt vrbem, qua ſe breui potiturum confidit, flammis abſumat? Si victoriam deſperat, cur doloris ſui pœnas a tectis expetit? Num ideo tantum exercitum comparauit, vt bellum parietibus, atque tignis, inferret? Non, inquit Maurus, Regis noſtri humilis, atque demiſſus animus eſt, ſed excelſus, atque plane Regius. Nec vt domos euerteret, ſed vt bellum cõtra Regem virtutis gloria præcellentem gereret, exercitum coegit. Si nõ fuerit aſſecutus quod optabat, nemo poterit illum merito vituperare. Principis enim officium, qui ad Regiã laudem adſpirat, eſt, magna, & ardua, moliri. Victoria vero non in hominũ virtute, ſed in Dei conſilio, & moderatione, conſiſtit. Quod vero ad ignem attinet, confirmare tibi plane poſſum, eum, imprudente Rege, coniectum fuiſſe. Itaque cum primum illum conuenero, & ei rẽ aperuero, dabit operã, vt ignis confeſtim extinguatur. Maurus continuo diſceſsit: &, iuſſu Regis, incendium fuit, maxima hoſtium induſtria, reſtinctum. Multi ſuſpicati ſunt, in eo Mauri comitatu ipſum Regem fuiſſe. Meneſiũ namque videre maximo opere cupiebat. Nomen namque illius apud Saracenos ipſos erat cum admiratione celebratũ. Rex tamẽ, cum cerneret, arcem, iam firmo ſatis præſidio munitam, expugnari difficillime poſſe, & auxilia vndique, illius tuendę gratia, conuenire, & claſſem e Luſitania intra paucos dies affuturam, & arcem, propter Hiſpaniæ vicinitatẽ, eius cõdicionis eſſe, vt, ſi primo impetu minime caperetur, eſſet valde periculoſum multis diebus in illius obſidione commorari, noluit diutius in eo certamine tempus, abſque vllo fructu, conſumere. Nocte igitur illa, obſidionem ſoluit, & Alcaſsarem, Quibirium verſus, iter inſtituit. Sequẽti die, Meneſius, ſignis explicatis, cum omnibus copijs, vrbem ingreſſus eſt: cui Coutignus, & illius vxor, & omnes ciues, qui erant in arce, illi obuiam, cum ingenti lætitia, prodiere, atque, tamquam parẽti, qui omnibus vitam dederat, gratias egere. Emmanuel interim, cum primum nuntium de aduentu Regis Feſsenſis accepit, erat Eboræ. Quo audito, nullam moram interponendam exiſtimauit, quin ipſe per ſe opido ſubueniret. Itaque litteras eadẽ die ad omnes Portugaliæ vrbes, & ad viros Principes, & vniuerſam denique nobilitatem, dedit, & omnes litteris euocauit, &, quæ potuit, ſubſidia, continuo in Algarbienſe Regnum miſit, vt inde, quamprimum poſſent, in Africam tranſmitterent. Poſt quattuor autem dies, ex litteris alijs Meneſij intellexit, ciuitatem eſse captã, & arcem obſeſsam, & in ſummas anguſtias adductam. Hoc cum accepiſſet, equũ ſibi, pernicitate mira præditũ, inſterni præcepit; tãtaq. celeritate iter in Algarbium ſuſcepit, vt, ſeptem tantum, aut octo ad ſummũ, comitibus circumſeptus, in viam ingrederetur. Dies vero, atque noctes, iter ita continuabat, vt vix vllum tempus reficiendi corporis gratia ſibi ſumendum exiſtimaret. Cernebat enim, momento temporis maximas in alterutram partem inclinationes fieri; ideo periculoſum nimis eſse in rebus bellicis, occaſionẽ vllam rei bene gerendæ prætermittere. Elapſam nam-

Subſidium Petri Nauarri.

Opidum incenſum.

Meneſij cum quodã Mauro colloquiũ

Arcis Arziliẽſis obſidio ſoluta, & quare

Res Europeę

Emmanuelis in rebus gerẽdis ſumma celeritas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

que temporis opportunitatem reuocari non posse. Timidi,& ignaui hominis esse,præteritam facultatem fruſtra lamentari;fortis autẽ & industrij,nihil, quo res in tempore fieri cõmode posset,elabi permittere.Præterea,summũ esse Regis flagitium,in rebus afflictis suos ope sua presenti destituere,eos presertim,qui Regis ipsius gratia,erant in extremum discrimen salutis inducti.His cogitationibus stimulatus, tantam in via celeritatem susciepit, vt in montibus,qui Algarbium a reliqua Lusitania distinguunt, equus, in quo insidebat, exanimio labore concideret, & repente moreretur. Ibi vero fuit illi nuntius allatus de auxilijs,quę Arziliã cõuenerãt, & de presidijs,atq. munitionibus, quæ in arcem,hostibus fruſtra repugnantibus,inducte fuerant.Ipse tamen nihil de alacritate susciepta remisit.Verebatur enim,ne,cuniculis crebris,qui in arcem,vt audierat,agebantur,arx ipsa corrueret, nisi fuisset mature subuentum.Peruenit tandem Balsam,si ea est ciuitas, quæ hodie ab incolis Tauira nominatur. Hoc autem Regis studium rei gerendæ flagrantissimum, & hæc incredibilis alacritas,& diligentia,tanto studio Portugalenses inflammauit,vt vndique certatim equites, & pedites concurrerent. Sic factum est, postquam Balsam peruenit, vt intra dies quinque, supra viginti millia militum in eam ciuitatem confluerent. Importata præterea sunt Olysippone tormenta,& commeatus, & munitiones,& naues quamplurimæ,vt ille iuſserat,adductæ, quæ vt celerrime rebus omnibus instruerentur, summa vigilantia contendebat.Cum autem conscendere vellet,litteræ sunt allatæ,quibus continebatur,obsidionem esse solutam,& Regem, desperatione fractũ, exercitum dimisisse. Ipse nihilominus transmittere statuebat. Sed consilio eorum,qui nomine prudentiæ insignes esse videbantur,fuit ab ea sententia deductus. Si obsidionem, inquiunt, soluere vis, ea iam soluta est; si Africam subijcere paras, nondum hic eas copias habes,quibus id aggredi possis.Non decet tãtum Regem,id susciperę,quod vel minime necessarium est, vel exsequi cum dignitate non possit.Transmissio in Africam tunc laudabilis erit,& prædicanda,cum id,cuius causſa trãsieris, efficere cum gloria magna potueris. Aliter enim,non decus,sed ignominiam, tibi comparabis. Nunc vero, hoc tuorum decus, quo Rex Africæ potentissimus illis cesſit, est ad tuum nomen,atque decus, merito referendum.Quanta namque opinio excitanda iure de tua virtute sit, ex eo conijci poreſt, quod per tuos Rex Fessensis pulſus cum ignominia est, & obsessi magna cum tua gloria liberati. Hoc igitur nomen,tibi,opera tuorum,partũ, deformabis, ſi aliquid, in quo hominum opinioni non respondeas, gesseris. Hoc autem a te nõn exspectari debet,ſi in Africam signa inferas,vt,cum Mauris,signis collatis,vno aut altero prælio cõfligas,sed vt vniuersam Mauritaniam sub ditionem,& imperium, subiungas. Si igitur hominum exspectationi minime satisfeceris, gloriam tuam nonnulla labe dedecoris inquinabis. At nunc eas copias nõ habes,quibus tantũ facinus aggrediare.Postquam redieris,& opes omnes, quæ ad eam rẽ gerendam necessariæ fuerint,parueris, tum demum licebit tibi in Africam, cum dignitate,transire.Aliter enim, consilium temerariũ existimabitur;& offensio,ſi aliquid secus, quã oportet, acciderit, haud mediocrem nomini tuo maculam dedecoris inuret.Eiusmodi consilijs hominum non valde laudis militaris studio flagrantium,ab ea mente destitit: in qua ſi tunc perstitisset, maximum sibi decus comparasset.Erat enim tũc mirifica facultas oblata. Nam in Mauris neque fidei religio, nec in Reges vlla pietas, nec pudor vllus vigebat, qui eos valde a dedecore,& flagitio, deterreret. Armis autem pars eorum maxima carebat. Erant præterea Reguli permulti acerbo inter ſe odio dissidentes.Qui plus armis poterant, humiliores iniurijs quamplurimis opprimebant; iniuria vexati, insidias in potentiores comparabant.Ad hęc accedebat,quod gens,nouitatis appetens,quamprimum occasionem sibi dari inconstantiæ suæ, atque perfidiæ, demonstrandæ conspericeret, non erat dubium,quin eam confestim arriperet; minimo que pretio corrupta,facillime Principes,& patriam,proderet. Regio vero, ad alendũ exercitum,omnem commeatum abunde suppeditaret.Est enim valde fertilis;& homines,pecuniæ cupidi, libenter vndique cum annona, & vario ciborum genere,conuenirent,quamuis regionem vastari,& exuri, cernerent. Si vero clementer, & moderate, nostros vti victoria conspexissent,dubium certe non erat,quin illa benignitatis species eos facillime ad studiũ Emmanuelis alliceret.Itaque omnia,quod ad hostes attinet,erant in eo statu, quem Emmanuel optare debuisset. Contra vero, in Portugalẽsibus summa fides, insignis in Regem caritas,acerrimum bellandi studium,& incredibilis bellicis in rebus audacia.Adde,quod tũc temporis erant tanto animorum ardore, atque impetu, concitati, vt omnes ferme nobiles suis sumptibus vellent pro parte sua operam, & industriam, in tam præclara contentione consumere. Quod ſi Regis, omnibus cariſsimi,festinatio,qua tãto studio,& alacritate,in extremam Lusitaniæ partem se contulit,vt suis opẽ afferret,tanto studio Portugaliam vniuersam concitauit,vt intra paucos dies tot hominũ millia ad eum se tanta alacritate conferrent; quid futurum fuisset,ſi is tũci in Africam cum eo exercitu traiecisset?Deinde facilis, & expedita, ex Hiſpania Bætica in Africam transmiſsio, dubium nõ est,quin maximam ex ea regione multitudinem ad auxilium ferendum concitaret. Cum vero in bello ad-

Balsam forte Tauira.

Nouus Africani belli apparatus.

Belli Africani ad Emmanuelem oratio dissuasoria.

Dissuasorum belli Africani reprehensio, & Regis instituti commendatio.

lo administrando omnia rerum opportunitas,& occasio, gubernet, nullaq. præstantior occasio dari posit ea,quæ militum ardore,& hostium metu,continetur;iudicari merito potest, omnia tũc Emmanueli feliciter cuẽtura fuisse, ſi tanto suorum ardore contra hostes, infelici euentu perterritos, vti voluisset. Postremo, quod caput est, optimi Regis pietas, atque religio,quæ illum stimulabat,vt longin qua etiam bella,religionis gratia, susciperet, effecisset, vt omnia illi ex animi sententia sue cederent.Quamuis tamen hæc ita sint,Regis animum,qui ad tantam gloriam adspirabat, laudandum; consilium eorum,qui eum a tanto studio dignitatis abstraxerunt, reprehendendum arbitror.Sed,vt ad intermissam orationem redeamus, quamuis Rex a sententia sua,qua transmittere statuebat,suorum consilio deductus fuisset,reliqua,quæ gerenda videbantur,summo studio perfecit.Arziliam namque militum præsidia,& maximum commeatum,misit,& fabros præterea quamplurimos, qui ædes dirutas, & mœnia collapſa, reficerent,& arcem multo fortius munirent.Habebatur enim tunc opidum illud, propter campestris regionis opportunitatem,& fertilitatem, & propter illius situm, firmissimum oræ illius maritimæ, quæ Lusitanorum præsidijs tenebatur,propugnaculum. Petro autem Nauarro sex millia nummorum aureorum dono misit: quod munus ille accipere nullo modo voluit. Se namque dixit Regis Fernandi causſa,cuius stipendijs alebatur,gesisse,quę gesserat, ab illoq. tantum laboris, & industriæ suæ sibi præmium polliceri, cuius erat alumnus. Idem fecit Prætor Xarisienſis. Ambo tamen postea multis ab Emmanuele beneficijs affecti fuerũt.At Menesius,postquam naues,cum præsidijs,& munitionibus,Arziliam peruenere,in Lusitaniam reuersus,fuit ab Emmanuele,cum laudibus,suæ virtuti debitis, honorifice, & amanter, exceptus. Hoc eodem anno, cum esset inter Emmanuelem, & Ioannam, Fernandi, & Isabellæ filiam, orta disceptatio de regionum limite, qui fuerat a Ioanne Rege Portugaliæ, & Castellæ Regibus, designatus, intra quas cuilibet ex Regibus liceret, absque alterius iniuria,Saracenos expellere, & regiones etiam incognitas occupare, fuit ea contentio, summa æquitate partis vtriusque, decisa: & Emmanuel maxima Mauritaniæ parte cesſit, quæ videbatur ad illius terminos pertinere, & Regibus Castellæ armis occupandam permisit:Ioanna vicisſim de iure, quod existimabat in Aethiopia retinere, decesſit, cum eam regionem Portugaliæ Regibus assignatam esse cognouisset. Sub eiusdẽ anni finem misit Emmanuel in Aethiopiam ad Congui Regnum multos viros,religionis, & sanctimoniæ fama præstantes, qui CHRISTI disciplinam multo diligentius gentibus illis traderent, & regiones illas clariore lumine perfunderent. Et hæc quidem sunt,quæ in Africa, & Lusitania, hoc eodem tempore gesta sunt. Quæ Tristanus Cugna, cum in Indiam nauigaret, in cursu gesserit, quas vrbes aut expugnarit,aut armis adortus fuerit, & quo modo tandem ad Zacotoram naues appulerit, & arcem a Caxemensi Rege ædificatam ceperit, & in ea Norognam præfectum reliquerit,deinde in Indiam cursum tenuerit, & quo modo in Lusitaniam redierit, exposuimus.Quid autem,post illius ab Alfonso Albuquercio digressum, Alfonsus ipse designarit, & quas res gesserit,explicare nondum licuit. Is igitur fuit a Tristano Cugna relictus, vt cũ ea classe, cuius præfectus erat, illud mare, quod ad Arabiam felicem pertinet,peragraret,& naues hostiles omnibus,quibuscumque posset, incommodis afficeret. Sed, cum esset animo maximo, se indignum putauit, instar piratę,prædas spectare,& non multo maiora, & altiora,moliri. Itaque Armuzienſe Regnũ oppugnare constituit. Armuzium autem est insula intra ostium sinus Perſici, non ita lato mari a Carmania disiuncta. Nomen autẽ duxisſe videtur ab Armuza,antiqua Carmaniæ ciuitate,cuius hodie nomen oblitteratum,cũ memoria antiqui splendoris,euanuit. Et fortasſe hæc insula fuit Armuzæ antiquæ Colonia,& iccirco inde nomen obtinuit. Ambitus illius decem & sex passuum millibus continetur. Est autem ostio sinus propinqua: a Carmania vero duodecim millibus passuum distat: ab Arabia autem,ea parte, qua Carmaniam respicit, quadraginta millibus. Insula est nimis arida, & sterilis; & solum adeo macrum,vt nihil omnino,quod ad vsum vitæ valeat,vel natura, vel hominum cultu,proferat. Perennibus aquis omnino caret. tres tãtum putei in insula procul a ciuitate sunt. homines cisternis vtuntur: &, cum reliqua omnia ex vicinis insulis,& ex Carmania, & Arabia, ad victum idonea importentur, aqua etiam ex ijsdem locis in eam afferri solet. In ea modicus collis assurgit, qui sulphuris magnam vim in vno latere,in altero autem salis multitudinem in lapides densatam, gremio continet. Duos portus habet tutisſimos: vnus ad occidentem Solem, alter ad orientem, pertinet. Hi duo portus lingula, quæ in mare longius excurrit, diuiduntur. Horum portuum commoditatem secuti mercatores ex India, Perside,& Arabia,& e quamplurimis alijs regionibus, eam insulam frequentare cœperũt. Ea tandem frequentia,& celebritate, factum est,vt ciuitas ædificaretur in planitie sita,quę progressu temporis, ad summam amplitudinem peruenit. Viæ sunt latæ, & directæ,ædes magnificæ, & cenaculis sublatæ, & tectorijs pulcherrime factis excultæ. Regia est nõ modo ad habitandum amplisſima, verum & ad vim hostium propulsandam munitisſima. Solis ardores sunt vehementisſimi: in quibus propul-

Arziliæ instauratio, & nouum præsidium.

Emmanuelis in Petrũ Naarrum, & alios liberalitas.

Disceptatio de finibus regundis inter Lusitanũ, & Hiſpanũ Reges.

Religiosi in Congui Regnum missi.

Res Iudicæ.

De rebus gestis Alfonsi Albuquercij.

Armuzij insulæ descriptio.

Collis, sale abundans, & sulphure.

Armuzienſis ciuitas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

propulsandis omnis lautorum industria, multiplici modo, & ratione, consumitur. Incolæ sunt, maxima ex parte, Arabes, atque Persæ, Mahumetisq. superstitione constrictati. Ardent libidine, amoribus indulgent, obtrectatione laborant: mulieres, ne ab alienis viris conspici queant, faciem velare compellūtur. Homines vt plurimum specie liberali præditi sunt. Musicen summo studio colunt, vestibus elegantissimis excoluntur. Arma frequenter exercent, litteris libenter incumbunt, historijs mirifice delectantur. Homines doctrina præstantes in summo honore habent; illisq. assidue operam dant, &, illorum disciplinis eruditi, summum decus existimant. Respublica est commodis legibus adstricta. Omnia, quæ veneunt, pondere veneunt. Summum flagitium est apud illos, fallacibus vti ponderibus. Eum enim, qui per libram atque lancem fallit, omnem generis humani societatē euertere censent, &, vt ciuilis iuris hostem, terrimum, exsecrantur. Insula vero, cum nihil omnino proferat, quo vel homines ali, vel ornari, possint, tantis tamen fructibus, & frugibus, & cibis, atque delicijs, affluit, vt vix vlla regio sit magis omnibus rebus, quæ ad victum, & elegantiam vitæ, pertinent, abundans. Nullæ namque sunt vitæ deliciæ, vel in Arabia, vel in Perside, vel in India, vel in quacumque alia regione, e qua naues in insulæ portus inuehantur, quę non cum multis opibus in eam importentur. Ita fit, vt, cum nihil ex se ipsa gignat, multis tamen regionibus opimis rerum omnium abundantia præferatur. Reges e portorijs ingentes sibi opes pepererunt, imperium deinde late propagarunt, ita, vt multis insulis, & vrbibus etiam nō paucis, in Carmania, & Arabia sitis, imperarent. Exercitus satis magni illorum sumptibus alebantur. Sed tandem, cum eorum ministri ad summas opes peruenirent, & tyrannidem vehementer affectarent, & ipsi Reges otio, atque luxu, diffluerent, factum est, vt Regium tantum nomen penes Reges esset; ministri porro Regni opibus ad suum scelus, atque flagitium, abuterentur. Hic erat Regni illius status eo tempore, quo Albuquercius illud sub Emmanuelis imperiū subiungere cogitauit. Itaque xx. die Augusti, anno a CHRISTO nato MDVII. e Zacotora profectus in Arabiæ promontorium, quod Rozalgatem appellant, (antiqui regionum explicatores, Corodamum nominabāt) aduectus est. Duces, quos secū ducebat, erant sex homines in rebus bellicis spectati, & cogniti, quorum hæc nomina fuere, Franciscus Tauora, Emmanuel Tellius, Alfonsus Lupius Costa, Nonius Vascius Albica strensis. Exercitus erat quadringentorum septuaginta militum. Cum hac tam exigua classe ad Regnum illud opulentissimum expugnandum signa in eas oras inferre constituit. Arabiæ igitur oras prætereuectus, cum ad primum opidum, quod ad Armuzij Regnum pertinebat, (Calaiates appellatur: est autem id intra sinus introitum) naues appelleret, pacem incolis obtulit, ea condicione, vt classi commeatum præberēt. Inde, in opidum aliud aduectus, quod appellant Curiatem, cum militēs cibū sumere vellent, se delusos adspiciunt. Nam in vasa, in quæ Calaiatenses commeatū intulisse simulauerant, sordes ingesserant, & in summo varia ciborum genera collocarāt, vt nostris, illa vana specie, commeatus illuderent: cuius quidem fraudis postea debitas pœnas exsoluerunt. At Curiatenses, non dolis, sed armis, cū nostris agere, maluerunt. Erat enim ibi quidam Regis Armuziensis præfectus, vir impiger, qui portum fossa, & vallo, munierat, & ea præsidia collocarat, quibus se confidebat multo maiores copias facillime repulsurum. Ea confidentia, cum Albuquercius ei pacem obtulisset, illam repudiauit. Albuquercius igitur, re prius cū Ducibus alijs communicata, & copijs eo ordine, qui conuenire videbatur, instructis, in terram egressus est. Hostes, qui illum litoris aditu prohibere nitebantur, erant ad tria millia. Fuit atrox prœlium commissum: nostri tamen, hostes pellunt, & vallum deinde expugnant, & in opidum tandem irrumpunt, idque iam præsidio nūdatum impune diripiunt, &, subiectis ignibus, inflammant. Naues præterea, tam quæ in anchoris erant, quam quæ in litus subductæ fuerant, incendunt. Inde in aliud opidum eiusdem Regni multo maius, & opulentius, inuecti sunt. Id Mascate nominatur. Abest autem a Curiate quadraginta passuum millia. Est autem in planitie sirum, & duobus montibus, qui illud vtrimque muniunt, incluſum. Montes, in litus opidi procurrentes, portus aditū perangustum efficiunt. Incolæ fossam latam a monte in montem perduxerāt, & aggeribus, & duplici vallo, munierant. Valli, atque fossæ, aditus, quos ad vsus ciuium maritimos in ea statione fecerant, erant duo, ijq. nimis angusti. Albuquercius tamen, in portum ingressus, cum opidi præfecto pacisci tur, vt exercitui commeatum, nomine tributi, subministret. Parabatur autem commeatus, cum subito dux Regis Armuzienſis cum præsidio aduenit, præfectumque, quod commeatum promiserat, male accepit, totaq. se ciuitas ad resistendum comparauit. Erant in armis ad quatuor millia virorum. Albuquercius, vbi, quod hostibus consilium esset, animaduertit, vrbem per totam noctem tormentis acerrime verberare, & mœnia concutere, præcepit, vt non solum mœnium ruinas ederet, verum & hostes formidine perterritos peruigilio fatigaret. Die sequenti, aciem triplicem instruxit: vnā Francisco Tauoræ attribuit, cui præcepit, vt cum Antonio Costa valli partem extremam, quæ ad vnum ex montibus pertinebat, oppugnaret. Similiter, vt in aliam partem munitionis

Litterarū studium.

Iustitia.

Rerum abūdantia.

Armuzienſis Regni potentia.

Bellum Armuzinum.

Corodamū Arabię Prom nom. Rozalgates.

Albuquercij duces militū res.

Calaiates opidum.

Curiates opidum.

Calaiatenſiū dolus.

Mascate opidum.

Pactio cum Mascatēsibus rupta.

Mascatis oppugnatio.

nis eiusdem ad alterum montem spectantem Ioannes Nonius, & Antonius Campensis cū acie secunda irrumperent, imperauit. Ipse Tellium sibi socium adsciuit, vt cum acie tertia munitionem mediam aggrederetur. Primus Tauora, cum socijs, in terram egressus, ad partem sibi assignatam contendit: &, quamuis pilæ, & sagittæ innumerabiles in nostros acciderent, illi tamen hostes repulerūt, & faces in vallum coniecerunt, quibus excito protinus incendio, hostes eam partem deserere coacti sunt. Albuquercius iam vallum medium nimis acriter oppugnabat. hostes vi summa resistebant. Neque segnius, qui alteram valli partem fuerant aggressi, rem gere bant. Nostri, tandem, vallum transgressi, hostes fundunt, & fugientes insequuntur: opidū capiunt, diripiunt, & incendunt. Octo tamen e nostris in prœlio ceciderunt. Inde, aliquot primum diebus ad corpora e labore nimio reficienda datis, Albuquercius soluit, & in aliud opidum Regni eiusdem, quod Soar appellabatur, inuectus est. in eo arx erat munita. Illius tamen præfectus, cum fama de vastitate, quę fuerat repugnantibus illata, regiones illas peruasisset, se repente dedidit. Ex eo opido profectus Albuquercius, in aliud se contulit, Orfazamum nomine, muris, & tormentis, munitum, in quo dux erat sane fortis, & multum bellicis in rebus exercitatus: qui tamen nullo modo ciues continere potuit, quin, vbi primum anchoras demitti cernerent, de fuga cogitarent. Igitur ea nocte, quæ post classis aduentum secuta est, cum omnibus bonis, quæ inde asportare potuerunt, præcipiti fuga se se in montes proximos proripuerunt. Postridie vrbs spoliata, & incensa fuit. Hoc erat vltimū Arabiæ opidum, ad Septemtriones spectans, quod Armuzij imperio in illa ora continebatur. Inde autem cursum in ipsam insulam conuertit. Erant in portu naues permultæ Saracenorum, rebus omnibus, si pugnandum esset, instructæ. Albuquercius duces in prætoriam nauem, cui ipse præerat, accersiuit, vt de belli gerendi ratione consultaret. Cum variæ sententiæ fuissent, tandem id fuit communi consilio decretum, ciuitatem oppugnari minime posse, ante quam naues aut captæ, aut depressæ fuissent. Armuzium namque communem Saracenorum omnium patriam existimari: proinde fieri non posse, vt, si viderent vrbem illam incommodis vexari, id negligerent. Vrbis illius propugnaculum non mœnibus, sed classe, contineri. Itaque classe deuicta, facilius multo fore bellum, quod erat contra Armuzium gerendum. Hoc consilio comprobato, anchoras iaciunt. Albuquercius, per nuntiū, Regi continuo significauit, se non vt malum aliquod machinaretur, sed vt pacem cum illo faceret, eo naues illas appulisse. Pacem vero non alia ratione constitui posse, quam Regis Emmanuelis salutari imperio in illis oris egregie confirmato. Eam namque virtutem, & benignitatem, Emmanuelis esse, vt multo præstantius esset ad vitæ securitatem, illius imperio subdi, quam multis gentibus imperare. Imperium namque sine disciplina salutari, odiosum, & inuisum esse, multisq. periculis, & fortunæ procellis, obnoxium. At Regis optimi, & inuictissimi, disciplina, & patrocinio, vitæ, atque salutis, firmamentum contineri. Si vellet in Regis Emmanuelis fidem, & clientelam, recipi, fore, vt, contra omnes hostium insidias, tutus, & incolumis, permaneret. Secus autem, opus esse sibi armis experiri, quod cōsilio obtinere minime posset. Rex, fama rerū, quas Albuquercius in illo cursu gesserat, exterritus, se pacis cupidum simulauit, & simul ad illum vnum e suis domesticis, cum litteris, atque muneribus, misit. Is, litteras cum accepisset, munera repudiauit. Nulla enim ratione munus se accepturum dixit, antequā pax firmaretur. Rex ad pacem se propensum asserebat. Id tamen de die in diem differebat, vsque eo, dum classis, quam ille exspectabat, in portum introiret. Interim Lusitani quidā, fide illius freti, in vrbe vagabantur. Sed, vbi classis, cum magna militum multitudine, portum subiuit, Rex Lusitanios omnes, qui erant in vrbe, comprehendi continuo præcepit. Naues interim maximas secundum litus collocari, minores autem in altum deduci iussit, eo consilio, vt, si Lusitani in naues impetum darent, rates, ex alto in nostras naues inuectæ, eas circumuenirent, vt nullum eis, vndique vehementer oppugnatis, perfugium relinqueretur. Insequenti die, cum Albuquercius ordinem cerneret, quo classis hostium erat instructa, percepit eos ad pugnandum paratos esse. Pugnam vero minime detractauit. Itaque, solutis anchoris, in naues in portu collocatas impetum fecit. Id conspicatus Coiea tarus, (hoc enim nomen erat præfecto, qui ratibus præerat) in altum euectus, mutata velificatione, cursum in nostras, vt eas a tergo circumueniret, inflexit. A nostris acre iam certamen erat cum nauibus, quæ vrbis aditum tutabantur, institutum, & fumi densa nebula, vndique tormentorum flammis excitata, adspectum cunctis ademerat. Coieatarus, opportunitate caliginis vtens, propius accessit. Itaque non solum pilis eminus emissis, verum & sagittis, & iaculis, res ab hostibus admodum strenue gerebatur. Tanta autē vtrimque contentione dimicatum est, vt terra dehiscere, & cœlum tenebris obduci, videretur. Rex e turri præcelsa certamen, animo valde curis anxio, spectabat. Multæ mulieres graidæ, horrendo tormentorum strepitu, perturbatæ, abortione conflictatæ sunt. Tandem, cū multæ naues dissipatæ fuissent, reliquæ se fugæ mandarunt. Nostri igitur, illo periculo, quod ex alto impendebat, liberati, multo libe rius contra naues, quæ in aditu portus consistebant,

Mascare, capta, direpta, & incensa.

Soar opidum deditum.

Orfazamum captum, & incensum.

Consultatio debellādo Armuzio.

Albuquercij ad Armuziensem Regem nuntius.

Fraudulenta pacis simulatio.

Classis hostilis.

Albuquercij pugna naualis.

Pars hostilis classis fugata.

Altera pugna.

Universidad de Deusto
Biblioteca

stebant, depugnabant. Hostes tamen, qui in illis erant, acerrime rem gerebant. Nihilominus tamen nauis, qua Princeps Regni Cambaiensis heres, qui Armuzium proximis illis diebus aduectus fuerat, & ex ea periculum acri animo propulsabat, demersa est. Altera deinde Melichiazij nauis similiter depressa fuit. Reliquæ naues erant iam multis in locis dissipatæ, ita, vt hostes permulti, desperatione salutis inducti, in mare desilirent, vt nando cædem effugerent. Albuquercius militibus in scaphas festinanter impositis imperauit, vt omnibus, qui natabant, cædem afferrent. Naues, quæ fugere potuerunt, summa celeritate in fugam conuersæ sunt. Vna tamen constitit, cuius nauarchus erat vir singulari animo præditus. Nostri, in illam ingressi, neminem reperiunt. Hostes enim se se in sentinam abdiderant. Nostri, cum suspicarentur omnes excessisse, paucis in naue relictis, naues reliquas fugientes insecuti sunt. At hi, qui se occultarant, repente ex infima nauis parte prosiliunt, & multi paucos circumsistunt. Hi suorum opem magnis vocibus implorant, & interim acriter in repentino illo discrimine pugnant. Qui opem inuecti scaphis afferebant, non tam cito subuenire potuerunt, quin nostri prius vulnera permulta ab hostibus acciperent. Hostes ipsi partim concisi, partim metu in mare præcipitati sunt: maxima eorum pars in fluctibus interfecta fuit, pauci nando in litus euaserunt. Tanta autem cædes hostium fuit, vt mare sanguine redundare videretur, & fluctus ipsi, in sanguinis colorem versi, spectantibus terrorem injicerent. Hoc certe constat, tantam fuisse hostium trepidationem, postquam rem inclinari conspexere, vt, conuertis arcubus, se ipsos sagittis configerent. Itaque maximus numerus hostium intersectorum fluctibus electus in litus fuit, sagittis transfixus, cum a Lusitanis nulla sagitta mitteretur. Georgius Barretus, qui in nauem illam, vt opem circumuentis afferret, ingressus fuerat, cum cerneret eam prope vrbem consistere, &, tormentis aptissime dispositis, instructam esse, eisdem tormentis hostilibus vrbem quatere, & mœnia, quantum fieri posset, disturbari, præcepit. Cum iam hostis nullus appareret, in naues hostium sæuitum fuit. Multæ depressæ, multæ flammis exustæ sunt. Quo facto, vrbem propius Albuquercius accessit, ita, vt Regiæ appropinquaret. Qui in Regia consistebant, quamuis essent stupore vehementer oppressi, vt sagittis nostros propellerent, contendebant. Albuquercius, & Menesius, & quidam alij viri nobiles, vulnerati sunt. Inde, oram illam præteruectus, Albuquercius, quamplurimas alias naues exusit, donec ad quandam stationem peruenit, quæ ad Carmaniam spectabat, in qua centum & octoginta naues, quæ nondum in mare fuerant deductæ, consistebant: quæ omnes ferme flammis absumptæ sunt. Templum etiam in suburbano magnis sumptibus exstructum, & religione Mahumetana consecratum, excitato incendio, deflagrauit. Nostri sic studio certaminis efferebantur, vt in vrbem inuadere properarent. Eos tamen Albuquercius continuit. Erant enim pauci admodum, & labore nimio defessi: in ciuitatem vero magnus numerus militum confluxerat. Prælium horis octo continuatum fuit. E nostris decem desiderati, supra quinquaginta vulnerati sunt, inter quos Gaspar Diazius vexillifer exstitit, cui manus dextera vno ictu præcisa fuit. Ex hostibus circiter duo millia hominum ceciderè. Hæc victoria magnum metum hostibus iniecit; sed multo grauiorem turbationem illis afferebat inflammatio nauibus illata. Vita namque, & salus insulæ, nauibus continebatur; quibus subla tis, vastitas, & interitus, imminebat. Rex igitur, re prius in consilio deliberata, per duos Saracenos, vsu rerum peritos, & auctoritate graues, quorum vnus appellabatur Coiebeiramius, alter vero Abdala, qui erat Hispanus, Granata oriundus, ab Albuquercio pacem petijt, & humiliter, atque demisse, postulauit, vt errori suo veniam impertiret. Se namque, temeritate adolescentiæ, & hominum perditorum consilio, in eam fraudem deductum fuisse. Satis iam pœnarum dedisse, & malis eruditum ita fuisse, vt sperandum esset, semper se in officio futurum. Itaque libenter imperium Regis Emmanuelis agnoscere, & tributum, quod imperatum esset, pendere velle. Deinde Albuquercium obsecrabat, vt sibi loco parentis esset. Se namque ei perpetuo pietatem non minorem, quam si esset illius filius, præstiturum. Admonebat deinde, vt animaduerteret sapienter, quam rem gereret. Armuzium iam ad ditionem, & imperium, Emmanuelis pertinere. Si igitur insulæ vastitatem, & inflammationem, inferret, bonam partem imperij Portugalensis interituram. Insulam namque esse hominum frequentia celebrem, opibus abundantem, & ita Persidis & Arabiæ, regionibus imminentem, vt, qui eam teneret, facillime posset imperium dilatare. Insulæ vero firmamentum in nauibus esse constitutum, ita, vt, qui naues exureret, interitum sempiternum insulæ illius commodis esset illaturus. Vt enim (dicebant illius legati) arbor, excisa radice, protinus exarescit; ita Armuzium, excisis nauibus, quibus, vt radicibus, alitur, atque sustinetur, interibit. Si igitur opes tui Regis augeri, & amplificari, desideras, opus est, vt insulam conserues, e cuius incolumitate magnus ad eius imperium cumulus accedet.

Lusitanorum victoria.

Hostium cædes.

Classis hostilis depressa, & incendium.

Cæsorum, & vulneratorũ numerus.

Legatio Regis ad Albuquercium, de pace.

Prætc-

Præterea, quemadmodum maximos imperatores, quorum nomen est immortalitati consecratum, virtute, atque factis egregijs, imitaris; ita clementiæ exempla, qua non minorem admirationem gentibus, quam victorijs, attulere, tibi ad imitandum proponas. Hoc enim sibi ad nominis immortalitatem præclarum existimabant, vt, quos virtute deuicerant, misericordia conseruarent. Sic autem, cum, virtutis magnitudine terrori hostibus essent, humanitatis laude cunctos mortales ad studium sui nominis excitabant. Quod ad virtutem attinet, tantum facinus edidisti, vt sis cum omnibus summis Ducibus comparandus. Reliquum est, vt, quemadmodum in bellis inuictus semper exstitisti, ita, parta victoria, a nemine te clementiæ, & humanitatis, laude vinci patiaris. Quare, cum iam dignas erroris pœnas pertulerimus, fac, vt, malis innumerabilibus perculsi, & abiecti, tua benignitate recreemur. Maximi namque hominis est, in summa felicitate imbecillitatis humanæ memoriam retinere, & hominibus in summa calamitate constitutis ignoscere. A te igitur, per numen sanctissimum, quod colis, per dexteram istam tuam semper inuictam, petimus, & obsecramus, vt misericordiam afflictis tribuas, & errori Regis adolescentis, quem valde temeritatis suæ pœnitet, ignoscas, & ignem, quamprimum fieri poterit, exstingui permittas. Quod si feceris, non solum laudem Ducis fortissimi, verum & gloriam Principis humanissimi, consequeris, & opibus Regis tui multum prospicies. Ad hæc Albuquercius respondit, se moleste ferre, quod non multo prius cum hac legatione ad eum venissent. Quod si fecissent, non tantum damni factum fuisset. Irent igitur, & ignem festinanter exstinguerent. Se namque fidem dare, eos nullum interim incommodum a nostris accepturos, dum naues reliquas, in quas nondum incendium peruaserat, ex imminenti clade proriperent. Quod vero ad pacis condiciones attineret, se responsum postea daturum. Cum hoc responso Coiebeiramius ad Regem reuersus est. Abdala vero fuit obsidis loco retentus, & ignis, absque vllo impedimento, singulari multorum industria, & sedulitate, restinctus. Postridie, fuerunt a Rege missi Principes ciuitatis, inter quos erat Noradinus: sic enim appellabatur, qui Regis nomine ciuitatem, patrijs institutis, & moribus, regebat. Per hos cum Albuquercio pax firmata fuit. Pacis condiciones hæ fuerunt. Vt Zeifadinus, hoc nomine secundus, Armuzij Rex, stipendiarius Regis Emmanuelis esset, & ei, tributi nomine, singulis annis, quindecim aureorum num morum millia penderet; &, præter hæc, ipsi Albuquercio, pro impensis in id bellum factis, soluerent quinque millia: Vt Rex assignaret locum in vrbe, quem Albuquercius vellet, in quo posset arcem ædificare. Huius pactionis litteræ fuerunt in aureis laminis insculptæ, Arabica, & Persica lingua. Persicum exemplum, vt penes ipsum Regem seruaretur; Arabicum, vt ad Emmanuelem mitteretur. His pactionibus firmatis, & obsignatis, Rex ab Albuquercio postulauit, vt ei vnum vexillum, Regis Emmanuelis, patroni sui, insignibus illustratum, mitteret; cuius admonitu, discederet, Regem absentem, cui se addixerat, debita fide, & pietate, venerari; & vt intelligerent omnes, eum in illius patrocinio latere, cuius tam clarum apud quamplurimas nationes nomen esset. Vexillum, ab Albuquercio missum, cum maxima ciuitatis totius lætitia, & faustis acclamationibus, quasi felicitatis perpetuæ signum, exceptum fuit, & in Regia turri collocatum. Albuquercius deinde, e naui egressus, in Regiam concessit, quæ erat instrata peristromatis aureis, & bombycinis. Rex illum magni amoris significatione complexus est; multusq. sermo de pace fuit ab illis institutus; quam iterum iureiurando valde sancto, & religioso, confirmarunt. Inde, cum se rursus in classem Albuquercius reciperet, Rex munera ad illum misit satis ampla, Regisq. magnificentia digna. Balteus erat ex auro factus, multisq. gemmis maximi pretij distinctus; & sica, cum vagina, ex auro, & gemmis, simili ratione, perfecta; & quattuor anuli, in quos erant gemmæ eximij splendoris inclusæ; & equus miræ pulchritudinis, & pernicitatis, ephippio, & phaleris valde pretiosis, instratus. Duces etiam reliquos muneribus elegantissimis affecit. Albuquercius illum vicissim remunerauit donis, atque monilibus, opere singulari perfectis. Itaque persuasum erat omnibus, nihil esse posse illa pace constantius. Lusitani igitur, egressi, in domibus, quas Rex illis designarat, sine vlla suspicione fraudis, habitabant. Aliquot naues fuerunt in litus, vt reficerentur, absque vllo metu subductæ. Arcis fundamenta continuo iacta sunt. Albuquercius, cum Saracenorum mores exploratos, & cognitos, haberet, &, quanta perfidia vti solerent, intelligeret, prope locum, vbi arx ædificari incipiebat, in lingula litoris ipsius turrim excitauit, in qua tormenta disposuit, quibus, si Saraceni opus impedire conarentur, eos dispelleret. Omnes Lusitani certatim operam strenuam nauabant: nullum erat generis, & dignitatis, discrimen: qui plus laboris in illud opus insumebat, is nobilior habebatur. Albuquercius instabat acriter operi, & laborãtes vrgebat, eorumq. laborem & laudibus, & sermonis vrbanitate, leuabat; & frequenter admonebat, totam firmamenti, & securitatis, rationem in

Albuquercij ad legatos responsum.

Pax cum Armuzio inita, eiusq. leges.

Vexillũ Emmanuelis, ao Armuziis sũma cum lætitia susceptũ.

Armuzienſis ad Albuquercũ munera.

Arcis Armuziensis initiũ.

eo

Universidad de Deusto
Biblioteca

eo positam esse, vt opus summa celeritate perficeretur: vt, si Regem fœderis percussi pœniteret, fidem frangere si vellet, postquam arx munitissima ceruicibus suis impenderet, minime posset. Ipseque, vt exemplo reliquis esset, operi etiam plerumque manus admouebat. Rex materiam, opera suorum, abunde subministrabat. Et, quia, vt fit, seditiones inter Lusitanos, & Armuzienses, excitabantur, ne nostris iniuria a ciuibus inferri posset, Noradinus, quadringentis militibus stipatus, summa Regis ipsius voluntate, præsidio nostris erat. Duo filij Noradini de Regis nece coniurauerant, &, detecto scelere, antequam pœnas darent, aufugerant. Vnus appellabatur Delamixa, alter Zerafus. His Albuquercius, propter singulare studium, quod in Emmanuelem præseferebant, a Rege veniam, & reditum in patriam, impetrauit.

Duorum Noradini filiorũ in Regem coniuratio.

HIERO-

HIERONYMI OSORII LVSITANI DE REBVS EMMANVELIS REGIS LVSITANIAE INVICTISSIMI VIRTVTE ET AVSPICIO GESTIS LIBER SEXTVS.

Persica ad Armuzium Regem legatio.

DVM hæc geruntur, duo legati Armuzium aduecti sunt, vt tributum Ismaelis nomine, qui tunc Persidē, & quāplurimas orientis Solis regiones imperio deuinctas, continebat, quod Armuzij Rex, vt alij permulti Reges stipendiarij, ex fœdere debebat, exigerent. Erat Ismaelis, quē Sophum cognominabant, princeps inter Saracenos omnibus artibus illo loco dignis excellens, qui, propter ingenium, & industriam, cum se primum religionis nomine venditaret, deinde magnum virtutis specimen in bellicis rebus ostenderet, ad summas opes perue nerat, imperiumq. latissime propagarat. Armuzij autem Rex, vt alij permulti, metu, & imperio, coactus, tributum illi pendebat. Tũc igitur, cum legati tributum peterẽt, Rex, animo suspenso, & anxio, quid sibi agẽdum esset, explicare non poterat. rem ad Albuquercium retulit. Is eum sine cura esse iussit. Itaq. legatis, per vnum e suis comitibus, de aduentu, & de valetudinis firmitate, gratulatus est. Deinde eos admonuit, ciuitatem illam, & Armuzij Regnum, Regis Emmanuelis esse, belli iure subactum, & Armuzij Regem in fidem Emmanuelis Regis præcellentissimi receptum, ita, vt sibi necesse esset iniuriam ab illo propulsare. Quod vero ad tributum attinebat, se tributum, Regis ipsius nomine, continuo soluturum. Ferculum deinde, in quod tributum erat impositum, coram legatis ipsis euolutum fuit. Erant autem in ferculo globi ferrei, & sagittæ, & hastarum cuspides, & ferreæ fistulæ. His explicatis, & in legatorum conspectu propositis, adiecit is, quem Albuquercius miserat, Hoc est tributum, quod Emmanuel, Portugaliæ, & Algarbiorum, & Indiæ, & Armuzij Rex, pendere soletijs, qui a Regibus sibi subditis tributum exigunt. Hoc responso, legati, quamuis minime ferendam iniuriam Ismaeli, Regi omnium potentissimo, factam esse clamarent, & minas etiam iacerent, inanes tamen in patriam redire. Arx interim ad tantam altitudinem peruenerat, vt, præsidio relicto, defendi facile posse videretur. Duces vero molestissime ferebant, se diutius in eo opere detineri. Animo namque reputabant prædas, quas agere e nauibus hostium potuissent, si circa Arabici sinus introitum mare illud peragrauissent. Ardentes igitur cupiditate, consilium ineũt, vt, nomine Regis, ab Albuquercio contendant, vt, arcis præfecto, quem vellet, relicto, inde discederet. Postulatum hoc scribunt, & nominibus obsignant; & obtestantur, ne contra Regis imperium vellet diutius tempus in eo opere conterere, ad quod efficiendum iussus non fuerat. Aderat scriba cum postulato, vt fidem scriptis faceret, illum, si postulato non satisfaceret, officium prodidisse. Is, postulatum, de manibus scribæ cum accepisset, legere noluit, sed sub lapidem, qui erat in arcis limine, ad eam rem paullo altius machinæ sublatum, abdidit. Hac contumelia Duces offensi, ad Coieatarum, qui maximum apud Regem locum obtinebat, adeunt, eumq. admonent, Albuquercium nihil eorum, quæ contra Regem Armuzij gesserat, ex Emmanuelis Regis imperio gesisse; sed hominem, effrenata mente præditum, & præter modum, & rationem, laudis appetentem, ea molitum fuisse, quæ fortasse non mediocrem essent offensionem animo moderatissimi Regis allatura. Nec enim Emmanuelem velle, vt nostri Regibus, a quibus nullas iniurias accepissent, bellum inferrent. Id Coieatarus cum ab illis accepisset, lætitia incredibiliter elatus est. Existimauit enim, sibi licere minore cum periculo fraudes machinari. Itaq. ad Albuquercium accedit, eumq. post longum sermonem vehementer admonuit, vt classẽ inde deduceret. Illius enim me-

Albuquercij ad Persarum legatos responsum.

Hostile ferculum.

Ducum Lusitanorum aduersus Albuquerciũ conspiratio.

Lusitanorum ad Coieatarum de Albuquercio querellæ.

Coieatari in Albuquerciũ fraudes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tu, mercatores eo naues minime cum mercibus, vt ante solebant, appellere. Et ob eam causſam Regis vectigalia, quę maxima ex parte in portorijs consistebant, imminui, ita, vt tributum, quod fuerat impositũ, soluere, propter rei familiaris angustias, minime posset. Dabat prꝛterea fidem, se perfecturum, vt arx, illo absente, perficeretur, & ita muniretur, vt Albuquercius ipse cupiebat. Albuquercius ad ea sic respondit, vt intelligeret Coieatarus, illum ab instituto cõsilio minime discessurum. Itaque alia via concinnare fraudes instituit. Quinque nautas pecunia corrupit, vt Albuquercium desererent, in quibus erant quidam, qui tormenta ænea conflare sciebant. His autem in continentem traductis, iussit omnia, quæ ad tormenta conficienda pertinerent, large subministrari, eosq. victu lautissimo, atque muneribus, deleniri. Id cum Albuquercius comperisset, misit ad Regem, & ad Coieatarum, qui nautas sibi continuo tradi postularet. Respondent illi, homines minime comparere. Se tamẽ operam daturos, vt eos, si laterent, extraherẽt, & ad illum mitterent. Post triduum, per nuntium, significant, homines ex insula in continentem traiecisse. Se tamen curaturos, vt inde abducerentur. Interim vero hi, summo studio, tormenta partim ænea, partim ferrea, faciebant. Coieatarus, homo quietis impatiens, & fraudulentus, arma comportari, milites adduci nocte, ne res palam fieret, iubebat; & bellum tanto silẽtio, & calliditate, comparabat, vt, quamuis Albuquercius sagax, & callidus, esset, id odorari non posset. Tandem Saracenus quidam, nomine Abrahemus, illi rem totam aperuit; atque demonstrauit, quosdam Lusitanos Duces Coieataro causſam illius sceleris attulisse. Id Albuquercius admiratus, Deo summas gratias egit, Saracenumq. admonuit, vt omnia, quæ posset explorare, ad illum continuo deferret: se namque perfecturum, vt cum debito prꝛmio large, atque munifice, cum amplificatione dignitatis, afficeret. Deinde, per nuntios, Regem, & Coieatarum, admonebat, ne vellent fœdus, tanta religione percussum, propter quinque transfugas, violare. Deum, qui est iusiurandum negligentibus infensus, metuerent, & belli renouandi materiam, contra interpositã fidem, prꝛbere nollent. Illi iurant, se de hominibus illis, quo in loco essent, nihil certum habere. Albuquercius Duces ad consilium euocauit. Fuere, qui dicerent, non esse sapientis Ducis, bellum, quinque perditorum hominum causſa, cum salutis, atque dignitatis, certissimo periculo, moliri. Se namque ad modum paucos esse, belliq. proximi laboribus attritos; hostes autem innumerabiles. Si quidquam fuisset in contentione suscepti temere certaminis offensum, multo maius dedecus illum subiturum, quam fuerat illud decus ex insigni victoria comparatũ. Fore uamque, vt multi victoriam fortunæ, ruinam temeritati, tribuendam merito iudicarent. Nõ esse vires Lusitanas, cum essent exiguæ, temere distrahendas, &, sine graui causſa, in summum discrimen inducendas. Quare censebãt nihil fieri posse dissimulatione sceleris, atque conseruatione pacis, antiquius. Constitueret porro in arce prꝛfectum cum prꝛsidio, & ipse cum classe discederet. Hoc ille consilium accipere noluit. Neque enim erat e sana mẽte depromptum, neque sapienter de bello statuebat. Erant enim iam in ciuitate auxilia, vndiq. cum multis armis, & tormentis, & bellicis instrumentis, inuecta. Nemo erat inter hostes, qui de conseruanda pace cogitaret. Nihil erat in illis simplex, nihil non mendacio, & scelere, & calliditate, subnixum. Ducẽ cum prꝛsidio in arce nondum perfecta, neque satis adhuc munita, relinquere, non erat hostes coercere, sed suos hostibus prodere. Arcem vero tanto labore fundatam prorsus omittere, summum dedecus, & minime sapiens consilium, videbatur. Timiditatis enim erat, incepto desistere; stultitiæ autem summæ, hostium opes munitione illa, Lusitanorum opera, & contentione, perfecta, confirmare, ne facile deinde, si opus esset, ciuitatem, arce illa defensam, exscinderent. Consilio ita minime comprobato, nuntios ad Regem iterum misit, qui idem ab illo obnixe postularent. Cum vero nihil impetrasset, & eiusdem Saraceni, qui illũ de instituto scelere certiorem fecerat, indicio percepisset, arma in certum locum comportari, milites vndiq. conuenire, stationes muniri, & in illis prꝛsidia disponi, & tormenta collocari, nocte vna Lusitanos omnes cum rebus omnibus, quæ maioris pretij erant, in classem recipi, iussit. Hæc cum fieri Rex animaduertisset, detectam fraudem esse cognouit, & iccirco minime dissimulandum, aut rẽ differendam, ratus est. Armati igitur vndiq. prodeunt, prꝛsidia concurrunt, tormenta in nostros aperte dirigunt, milites concursantes feritatem oculis, & adspectu, denuntiant. His rebus excitatus Albuquercius, Duces in scaphas descendere, & propius vrbem accedere, & mœnia tormentis quatere, prꝛcepit. Coieatarus naues, quæ in anchoris erant, in portum subducere imperauit, ne a Lusitanis capi, & incendi, possent. Lusitani confestim accurrunt, & naues, coniectis ignibus, inflammant. Nullum diem intermitti patiebatur Albuquercius, quin tormentis quam plurimum damni mœnibus inferret. Sed, cum hoc belli genus illi nimis lentum videretur, aliud excogitauit, quo multo vehementius hostes affligeret. Iussit. n. summa diligẽtia mare custodiri, ne quidquam cibi in vrbem importari aliũ de liceret. Emmanueli Tellio Barreto, & Antonio Campensi, & Alfonso Lupio Costæ, hoc munus assignauit. Illi, quamuis inuiti, imperata conficiunt. Rates aliquot capiunt, & ad

Lusitanorum & Armuzinorum in Albuquercium de recta conspiratio.

Albuquercij cũ Ducibus consultatio.

Consiliũ Ducum, ab Albuquercio, quæ repudiatũ

Bellum Armuzienſe ſecutum.

Classis hoſtilis incenſa.

Armuziũ oppugnatur.

Inhumanum Albuquercij facinus.

ad Albuquercium adducunt. Is facinus edidit inhumanum, & illius rebus gestis indignum. Omnibus enim, qui erant nautæ, aut sagittarij, aures, & nares, atque manus, prꝛcidi; reliquis, prꝛter aures, atque nares, medium pedem secari, iussit. Eos deinde in terram deduci prꝛcepit, & admonuit, vt Coieataro dicerent, idem supplicium subituros omnes, qui annonam in vrbem inferre conarentur. Erãt hostes vehementer exterriti; ciborum penuria ciues afflictabat; plebs tumultuari incipiebat; fames, atque sitis, eos premebat. Multi igitur ad Regem adeunt; de clade, quæ illos vexabat, maxima voce conqueruntur; & iratis prꝛcibus ab eo contendunt, vt vel pace, vel quacumque alia ratione posset, illorum malis remedium prꝛsens adhibeat. Secus enim, sibi opus esse remedium tantis miserijs inuenire.

Armuzienſium ira te ad Regem prꝛces.

Reſponſum Regis.

Ad hæc Coieatarus, (Regium enim est apud barbaros, aliena semper vti lingua, & in infantia grauitatem positam arbitrari) Regis nomine, respondet, quod ad depellendam sitim attineret, cisternis ipsius vrbis, & puteis, qui inde quattuor millibus passuum aberãt, in loco, quem Terumbaquem appellant, posse ciuium sitim facillime restingui. Ciborum autẽ copiam tantam esse in vrbe, quanta satis esset ad bellum tolerandum, vsque eo, dum classis maxima, rebus omnibus instructissima, quam propediem affuturam confidebat, portum insulæ subiret. Essent porro bono animo. Se namque vincula Lusitanis illis omnibus iniecturum, vt viui pœnas improbitatis, atque perfidiæ, luerent. Hac inani spe, ciuium a se furorem, & impetum, prꝛsit. Re autem vera, nec in cisternis, nec in puteis, erat aqua, qua tanta multitudo sustentari posset; & cibo rum erat extrema quædam inopia. Albuquercius, vt hostes grauiore cruciatu vexaret, & citius ad deditionem compelleret, obstruere puteos Terumbaquenses instituit. Itaque negotium dedit Georgio Barreto, & Alfonso Lupio, vt puteos obturarent. Hi, scaphis inuecti, oram legunt, octoginta militibus stipati. Barretus sex viros nobiles, & in rebus gerendis industrios, in terram exposuit, qui viderent, an arte quadam possent aliquem hominem corripere, e quo, an putei essent custoditi, cognoscerent. Hi duos homines capiunt, e quibus intellexere, puteos seruari a Duce, nomine Cidehamer, qui sub signis viginti quinque equites, & ducentos pedites sagittarios, habebat. Hoc cũ Barretus acciperet, remis, quantum fieri potuit, accelerauit, vt, in terrã, cum omnibus copijs, egressus, ante lucẽ (erat enim nox) hostes inopinantes opprimeret. Quod quidem sic euenit. Nostri enim hostes dormientes offendunt, ducem interimunt; &, prꝛter paucos admodũ, qui semisomnes exciati profugerant, omnes interfecti sunt, & putei, hominum, & equorum, cadaueribus oppleti. Ne autem cadauera extrahi possent, Albuquercius Laurentio Siluæ, Castellano, viro valde nobili, & in armis acerrimo, imperauit, vt cum viginti militibus puteum custodiret. Is cum ab hostium multitudine circumuentus esset, Albuquercius, qui semper rebus omnibus intentus erat, & inde tunc non procul aberat, cum centum & quinquaginta viris, accurrit. Hostes erant permulti; Rex hortator, & spectator, aderat. Coieatarus admonebat suos, vt in eo certamine vitam omnium conti neri perspicerent. Instant illi; nostri, multitudine pene obruti, retrocedunt; quos hostes acriter insequuntur, & multos conuulnerant. Albuquercius erat vndiq. telis impetitus: Delamixa, cui Albuquercius veniam, & reditum in patriam, consecutus fuerat, multo acrius, quam reliqui omnes, in nostros ferebatur, donec, tormento grauiter ictus, se a cædendo, & a persequendo, continuit. Albuquercius eo die maximum vitæ discrimen adiit. Litus erat prope: id fuit in causſa, vt nostri omnes, prꝛter vnum ex Albuquercij domesticis, qui in prꝛlio cecidit, euaderent. Maxima tamen eorum pars vulnerata discesſit. Mare tamen summa vigilantia a nostris obseruabatur, ne commeatus vllus inuehereturꝛ. Multitudo a Rege misericordiam implorabat; se diutiusfamem, atque sitim, tolerare nõ posse, dicebat. Nollet, paucis obtemperando, ciuitatem vniuersam morte acerbissima conficere. Hęc clamoribus, & interdum etiam minis, & eiulatu valde lugubri, cum multis lacrymis, agebant. Hos Coieatarus aliquando verbis lenibus, aliquando etiam minis, a Regis aditu, & cõgressu, repellebat. Sed malum illud iam tolerari non poterat: itaque necesse erat, deditione tandem miseriæ, quæ vrbem premebat, finem imponi. Sed, in hoc rerum statu, res accidit dedecore sẽpiterno dignissima. Duces enim, quamuis essent & nobilitate, & factis, egregij, odio parum iusto sui imperatoris exæcati, cum bellum prope confectum esset, fidei, & insitæ nobilitatis, obliti, Albuquercium, sub quo militabant, repente deserunt, &, passis velis, in Indiam inuehuntur. Hi fuerunt, Emmanuel Tellius, & Alfonsus Lupius Costa, & Antonius Campensis. Cum igitur Albuquercius cerneret, copijs ad hunc modum deminutis, se non posse bellum diutius sustinere, discesſit inde fremens, & indignabũdus, quod victoria, non hostium virtute, sed suorum flagitio, de manibus erepta fuisset. Est non procul insula, ad idem Regnum pertinens: Queixume nominatur. in eam delatus, in opidum nomine Arbez inuasit, & ducem cum multis militibus occidit, locumq. spoliauit. Maximus autem ex prꝛda commeatus fuit in naues impositus. Ibi, cum certior factus esset, arcem Zacotorã esse in maximas angustias, propter annonæ penuriam, adductam; bello enim premebatur, per quod commeatus in arcem inuehi minime licebat) & simul ac-

Pugna terreſtris.

Delamixæ ingratitudo.

Albuquercij periculum.

Armuzini populi queri-moniæ.

Turpiſſima Luſitanorum Ducũ ab Albuquercio defectio.

Armuziũ obſidione ſoluũ.

Queixume inſula.

Arbex opidũ ſpoliatum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cepisset,septuaginta nauium classem ex intimo sinu,qui Persidis extremo ex ea parte termino definitur,soluisse, vt Armuzio opem afferret;vidit,sibi, tum vt classis cõgressum deuitaret, tum vt Lusitanis afflictis subsidio occurreret, non esse diutius in ea regione cunctandum. Prius tamẽ,quam inde discederet, in aliud opidum eiusdem insulæ Queixumensis inuectus est. Appellabatur Homeal. Erat autem magnis præsidijs munitũ. Atrox prælium commissum fuit: opidum tamen,cũ magna hostium cæde,captum, & direptum est,& duces hostium cæsi. E nostris autem vnus nauta desideratus fuit, & duo Saraceni, qui sub Albuquercio stipendia faciebant;Ioãnes Nouius vulnus accepit. Inde,cum Nouium in Indiam dimisisset, in Zacotoram peruenit. Illius aduentu,fuit bello finis impositus: hostes enim,metu perterriti,fugerunt. Cum vero hostes ab illo pacem peterent,illam,ea lege,concessit,vt certum numerum boum,& arietum, in arcem,nomine tributi, singulis annis inferrent. Vt autem abundantiore commeatu arcem muniret, Francisc̃um Tauoram in Melindem, rei frumentariæ comparandæ gratia, misit. Ipse vero in Goarda fumense promontorium concessit. Tauora cum in Melindensi Regno imperata faceret, Iacobus Melius, & Martinus Coelius, qui in Mozambique hiemauerant, in eundem portum aduecti sunt. Qui relicti in Melinde fuerant, vt ad Aethiopiæ imperatorẽ deducerentur,adhuc ibi commorabantur, eo quod neminem Rex Melindius nancisci potuisset,cuius fidei recte committi possent. Itaque in naues recepti sunt. Tres igitur illi nauarchi ad Albuquercium se contulere:in via autem nauem vnam cepere,quæ spoliata primum, incensa deinde fuit. Alteram autem nauem Albuquercius ipse ceperat, qui horum nauarchorum aduentu mirifice delectatus est. Erat autem in naui, quæ in manus Albuquercij inciderat, Saracenus quidam, ex Arabia, vsu rerum peritus, qui apud Aethiopiæ Imperatorem diu versatus fuerat, & gentis mores, & regionis instituta, cognouerat. Hunc ad Regem Emmanuelem Albuquercius misit,vt omnia,quæ scire cupiebat, illi diligenter explicaret. Tres autem illos,qui ad Aethiopię Regem mittendi erant, in opidum, non procul a promontorio situm, induci præcepit.qui inde eo,quo missi fuerãt, absque vllo incommodo peruenere. Rex, qui tunc imperium tenebat,Dauid appellabatur, mater autem Helena, quæ, propter prudentiæ non vulgaris opinionem, eo quod Dauid adhuc puer esset,Regnum gubernabat. Hi,cũ Emmanuelis litteras accepissent, incredibilem lætitiæ significationem dederunt,& legationem ad Emmanuelem decreuerunt; cuius sententiam alio in loco referemus. Hinc profectus Albuquercius, in Zacotoram delatus, hiemem traduxit. Inde,cum primum per anni tempus licuit, vigesimo die Augusti, Calaiatem versus iter instituit, vt simul, & quæ in Armuzio, post illius digressum, euenerant, intelligeret,& Calaiatẽsibus doli patrati pœnas imponeret. Ibi,cum naues ab incolis conspectæ fuissent, duo Saraceni, homines opibus, & auctoritate, præstantes, lintre inuecti sunt,& nauem prætoriam sine vllo metu conscenderunt. Existimabant enim,illas naues e Lusitania tum primum ad eas oras appellere; neque scire posse, quæ in Armuzio gesta fuerant;& intelligere cupiebant,quid in Lusitania de rebus Indicis ab Emmanuele designatum esset. Hi vero, cum Albuquercium cognouissent,& intelligerent eam fraudem,quã Calaiatensis præfectus conflarat, exanimati metu, conciderunt, & suppliciter admodum misericordiam implorarunt. Ille veniam ea condicione promisit,vt vera de ijs rebus,quæ scire cupiebat,enuntiarent. Illi,se id facturos, spondent. Ab illis autem cognouit,& quantis opibus Armuzium esset munitum,& simul intellexit, eundem ducem, qui fraudem fuerat machinatus,in opido esse,idemq. munus obire. Hoc vbi percepit,in portum inuehitur: hostes cum ipso duce protinus, vt resistant, accurrunt. Sed,paruo certamine,in fugam conuersi sunt;in templumq. litori propinquum se trepide recipiunt. Templum fuit repente captum. Hostes expulsi, in vrbem contendunt. Lusitani illos statim insecuti sunt, vsque eo, dum in opidum compellerent: quod statim oppugnare cum vellent, fuere ab Albuquercio prohibiti. Nox enim appropinquabat, & viæ erant angustæ, & ædes excelsæ, e quibus poterant hostes in nostros, lapides, & tela, contorquere:quod si fieret in tenebris,nõ mediocre periculum nostris imminebat. Ea igitur nocte in templo substitit. Cum vero diluxisset,in opidum inuasit. Hostes inde,formidine perturbati,confugerant. Nostri ad prædã conuersi sunt. Ibi, cum Albuquercius diebus aliquot commoratus esset, dux impiger, nomine Zafaradinus, cum mille viris acribus, vna nocte,in nostros impetum, silẽtio noctis, intulit:quos non imparatos,vt suspicatus fuerat,offendit. Ea namque erat albuquercij disciplina, vt vix quidquam illi posset inopinato contingere. Itaque,magno cum damno,atque dedecore, repulsi sunt. Hic rursus, Albuquercius, odio gentis inductus,simile exemplum immanitatis edidit illius, quod in Armuzio præbuerat. Omnibus enim,quos viuos cepit, aures, atque nares, amputauit. Opidum deinde, & templum, quod erat excellenti opere factum, & viginti septem naues, quæ erant in portu, flammis exusit. Inde, aquatione prius in cursu cum magno periculo facta, Armuzium contendit,vt oculis vrbis statum, & munitiones, vsurparet, & simul aliquod damnum ciuibus inferret. Ibi, cum propius naues appelleret, arcem, quam

Homealis opidi expugnatio, & direptio.

Albuquercius Armuzienſi Regno discedit.

Saracenus ad Emmanuelẽ missus.

Emmanuelis legatorum ad Aethiopiæ regem aduẽtus.

Duorum Saracenorũ Calaiatensiũ cũ Albuquercio congressus.

Pugna cũ Calaiatensibus.

Calaiate ciuitas, capta, & directa.

Zafaradini in Lusitanos impetus.

Albuquercij in uictes immanitas.

Armuzinum bellũ redintegratum.

quam ille fundarat, duplici contignatione sublatam, & tormentis egregie munitam, conspexit. Vrbem tamen tormentis concussit, & naues aliquot intercepit; &, quibus signis potuit,odium,quod in Coieatari,& reliquorum, perfidiam animo continebat, exprompsit. At Coieatarus ad illum litteras Almeidæ misit, quibus Coieatarum admonuerat, Albuquerciũ, obsque Regis Emmanuelis iussu, bellum Armuzienſibus intulisse. Sibiq. summopere displicere, quod damni factum fuerat. Se libẽter Emmanuelis nomine,cuius vice in regionibus illis vniuersis imperium tenebat,pacem,& amicitiam,cum illo firmaturum. Ex his litteris Albuquercius non mediocrem molestiam cepit. Nihilo tamen secius vrbem, & aliquot opida, quæ erant in illius ditione,damnis quamplurimis affecit. In continentem deinde traiecit, opidumq. Habande(sic enim appellant,vnde aqua in insulã ferebatur) incẽdit;& puteos,ne aquatio deinceps illa fieret, tellure multa completos obstruxit; & in duos Ismaelis Persarum imperatoris duces,qui,vt præsidium afferrent mercatoribus, qui cum maxima camelorum multitudine commeatum,& varias merces, importabant,inuasit. Et, acri prælio commisso,duces interfecit, & illorum copias, quæ erant quingentorum militum,partim cæcidit, partim in fugam compulit. Iacobum vero Meliũ in insulam,Laram nomine, misit,vt alios similiter puteos obturaret. Omnes enim aquationes impedire volebat, vt vrbem siti conficeret. At Melius, cum, Albuquercij iniussu, aliquid laude dignum gerere vehementer expeteret,fraude Saracenorum inductus,in hostiles rates incidit; qui tamen, quantum potuit, animo satis acri, hostibus in se immissis repugnauit. Sed tandem ipse,cum nouem hominibus Lusitanis, interfectus est. reliqui autem, velis secundo vento plenissimis, euaserunt. Rebus ad hunc modum gestis, Albuquercius in Indiam nauigauit, & in Cananoris portum ingressus est tertio die Nouembris, Anno a CHRISTO nato MDVIII. quo tempore iam,vt dictum est, Laurentius Almeida, in prælio contra Sultani duces inito, tormentis dilaceratus,occubuerat. Sub id tempus accepit Almeida litteras ab Emmanuele Rege, quibus illum in Lusitaniam reuocabat, atque præcipiebat, vt Albuquercio imperium traderet. Erat autem ille comparandæ classi vehementer intentus, qua Mirhocemum inuaderet,& ab hostibus de filij nece pœnas expeteret. Prius tamen,quam in hostes iret,septẽ naues, quæ erant in Lusitaniam profecturæ, diligenter instruxit: e quibus duæ in alto mersæ sunt,quinque incolumes in Lusitaniam peruenere. Deinde cum ea classe, quam parauerat, Cananorem petijt. Ibi,in medio belli totius apparatu, Albuquercius interuenit, qui fuit ab Almeida, cum non mediocribus amoris signis,exceptus. Et postridie illum in prandium accersiuit; atque,post epulas,ei litteras Emmanuelis ostendit, quibus præcipiebat, vt in Lusitaniam rediret, & Albuquercio eandem prouinciam moderandam relinqueret. Se deinde ostendit esse paratissimum ad ea, quæ Rex præscripserat, exsequenda. Sed eo anno id fieri commode non posse. Nam classem illam esse iam a se magnis laboribus, & sumptibus, instructam, quibus erat bellum Myrhocemo,atque Calecutiensibus,qui se cũ illo coniunxerant,illaturus; neque iustum videri,illum, quod instituerat, minime perficere, & sui doloris vlciscendi munus alteri delegare. Ad hæc Albuquercius respondit, Almeidam non recte se gerere, si non præscripto Regis obtemperaret. Quod vero ad hostes attineret, se id bellum, si illi classis, quæ parata iam erat, traderetur, ita gesturum, vt Almeidam muneris ei commissi minime pæniteret. Id Almeida se facturum negauit. Inde simultas orta vtriusque animum ab altero alienauit; & Lusitani in duas factiones diuisi; quidã ad Almeidam, alij autem se se ad Albuquercium, contulere. Ita factum est, cum omnibus esset hoc studium, vt odium inter duos viros optimos,& singulari virtute præditos, excitarent,vt inter eos minime conueniret. Vterq. autem,cum esset laudis appetens,titulum belli illius confecti vehementer expetebat; & ideo,eam gloriam sibi præripi alterius partis studio, & contentione, molestissime ferebat. Ita tamen erant animis dissidentes, vt nec armis,neque maledictis, inter se contenderent. Immo, cum Almeida iam vellet inde proficisci, vt cum hostium classe confligeret, Albuquercius operam suam obtulit, &, per communes amicos,Almeidam obsecrauit,vt se in id bellum duceret. Almeida gratias illi fummas egit;sed æquum non esse dixit, vt is,ante quam esset a tanta belli contentione,& a maris etiam iactatione, refectus, laborem illum susciperet. Quiescret porro,& se ad alia bella non minus periculosa,quæ erant illi, postquam imperandi munus susciperet, administranda, pararet. Albuquercius, cum se ab illius belli societate prorsus exclusum cerneret,Cochimum profectus est, & ibi cum nonnulla indignitatis illius, vt interpretabatur, offensione constitit. At Almeida cum classe vndeuiginti nauium soluit inde duodecimo die mensis Decembris eiusdem anni. Erãt in classe mille & trecenti milites Lusitani,& quadringenti Cochimenses. In cursu aũt Onoris orã prꝛeteruectus,naues aliquot Calecutienses quæ erãt in portu,incẽdi iussit:quod nõ absq. multo sanguine partis vtriusque fieri potuit. Inde, cum primũ in Anchediua aquationem fecisset, in portum Dabulis cursum direxit. Ea namque ciuitas ad Zabaij,qui Goæ regnabat, ditionem pertinebat. Zabaius autem cum Mirhocemo, & Calecutiensi, & reli-

Habande opidũ incensum.

Lusitanorum de Persis victoria.

Lara insula.

Melij cædes.

Ann. a Christo nato 1508

Almeida in Lusitaniã reuocatur.

Simultas inter Almeidã, & Albuquercium.

Lusitani in duas factiones diuisi.

Duorum ducum ambitio

Almeidæ in Calecutienses expeditio.

Dabule opidum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quis Lusitani nominis hostibus, societatem coiuerat,& Sultanum litteris ad bellum Lusitanis inferendum sollicitarat. Id autem Almeidam mouerat,vt vrbem illam, si fieri posset,exscinderet.Porro autem Pelagius Sousa, vnus ex Ducibus, aquationis, & commeatus gratia, se se a reliqua classe disiunxit,& in terram egressus est.Cum vero illius milites incolas iniurijs affecissent, incolæ, iniurijs irritati, cum vicinitatis vniuersæ opem imploras-
Pelagij Sousæ cædes, & sociorum fuga. sent, impetu in nostros facto, ducem interemerunt. Reliqui vero, cum ducem occisum adspicerent, se fugæ mandarunt. Pelagium multi dicebãt temeritatis pœnas luisse,quod, imperatoris iniussu, in terram, absque vlla graui caussa,descendisset.Nec enim tãta erat penuria, vt illi necesse esset imperium Almeidæ non exspectare. At Almeida, cum prope Dabulis portum consisteret, præmisit ea nocte, qui portus altitudinem diligenter explo-
Dabulis descriptio,& status. rarent. Ciuitas ad radices montis amœnissimi iacet.Est autem ampla, & ædibus magnificis exculta, in planitie sita; & erat tunc firmo, atque valido,præsidio firmata. Præfecerat illi Zabajus Saracenum, impigrum ducé, qui habebat sub signis sex millia militum, in quibus erant quingenti Turcæ.Erant præterea in intimo portu naues non paucæ, tormentis, & armis, & militum præsidijs,instructissimæ. Dux tantum & sibi, & copijs, confidebat,vt vxorem,ex omnibus, quas habebat, carissimam, in vrbem accerseret, & eos, qui erant in vicinis pagis, euocaret, vt victoriæ, quam sibi pollicebatur, spectatores esse possent. Sequenti die,cum æstus accederet,& secundus etiam ventus a puppi naues impelleret, Almeida, solutis anchoris,passisq. velis, in portum ingressus est. Triremes præibant;
Almeida Dabulem adnauigat. humiliores deinde naues sequebantur; altiores agmen postremum claudebant. Scaphæ erant expeditæ, in quas,cum tempus flagitaret,nostri desilirent,vt in hostes in terra consistentes irrumperent. Hoc ordine, cum Almeidam hostes aditu arcere non possent,ipse cum acie prima,signis explicatis, terram occupauit. In turrim egregie munitam aciem
Prœlium cũ Dabulẽsibus. dirigebat, cum dux ciuitatis, cum omnibus copijs,more gentis, instructis,illi, obuiam processit. Nostri tanto animorum ardore in hostes inuecti sunt,vt,impressione facta,ducem, & multos homines primarios, occiderent, & reliquos in fugam verterent. Cum vero se se
Dabulæ capta. in vrbem reciperent, nostri, in eorum tergis inhærentes, in vrbem simul irruerunt. Fuit
Lusitanorum in victos sęuitia. tunc in omnem sexum, & ætatem, sæuitum, vsque adeo, vt neque feminis, neque pueris infantibus, quos matres complexu, in extremo illo vitæ spiritu,artissime continebant, vl la condicione parceretur. Multi, pro redemptione,auri,& argenti,magnam vim, & gemmas,& pretiosam supellectilem, cum miserabili luctu,& multis lacrymis,offerebant; quorum tamen preces neminem e tanta multitudine ad misericordiam inflexerunt. Fuit cædes ad Solis occasum continuata. Almeida,ve ritus, ne, nostris in vrbe dispersis, & in cæde, atque præda, furenter occupatis, discrimen aliquod, vt fieri plerumque solet, vbi militaris disciplina negligitur, impenderet, signum receptui dedit,& se,cum omnibus suis copijs, in templo quodam satis amplo continuit, & multos, qui se excellentius in eo prœlio gesserant,equestribus ornamentis affecit.Sequenti die, militibus prædam concessit, quæ fuit maxima,ita,vt milites non possent, rapiendi cupiditate,ab vrbe diuelli. Quod animaduer tens Almeida,clam submisit, qui partem ciui
Dabulensis ciuitas, spoliata, & incensa. tatis incenderent. Itaque, cum flamma per ædificia continentia peruaderet, omnis ciuitas cum delubris, & mœnibus,& rebus maximi pretij,deflagrauit. naues omnes similiter exustæ; & multi etiam ciues, qui latitabant, flammis absumpti sunt. Denique,ex tãta multitudine, quæ præter milites eo conuenerat, pauci admodum in montes euaserunt. E nostris sedecim desiderati, ducenti vero vulnerati sunt. Almeida signa etiam in montes intulit; multa castella, atque villas, exussit; hostes, qui illi multis in locis occurrerunt, partim cæcidit,partim fudit, atque fugauit; armenta,& pecudes,ad commeatum classis, ab-
Almeidæ victoria. duxit. Ad hunc modum profligatis hostibus, in classem reuersus est,vbi litteras a Melichiazio, & a Lusitanis captiuis, accepit. Litteræ autem Melichiazij officij plenissimæ videban
Melichiazii ad Almeidã litteræ. tur;& de redemptione Lusitanorum ostendebant, ea,quæ Almeida vellet, illum libentissime facturum.Lusitani vero significabant,se se a Melichiazio commode rebus omnibus haberi.Petebant tamen,vt de eorum redemptione,dum hostis eam lenitatis, & mansuetudinis,speciem præseferebat,cum illo pacisceretur,ne,si ab eo res abiret,multo difficilior eorum liberatio foret. Vt autem compertum postea fuit,ea legatio non tam Almeidæ conciliandi, quam illius explorandi, ab homine callidissimo instituta fuit. His literis Almeida,non litteris,sed rebus ipsis,respõsum, pro dignitate,dare constituit. Tormentis igitur, & rebus alijs, quas nostri ceperant, in naues
Cæsorum numerus. impositis,inde soluit,quinto die Ianuarij Anno MDIX. Et,oram illam præuectus, tributa,quæ in locis illis ex fœdere debebantur, exegit. Tandem in fluuium delatus est, qui per Cambaiæ regnum in mare influit. Fluuiũ
Maim,fluu. appellant Maim. Ibi vidit, in opido peruetusto, maximum, & amplissimum, templum, & campum latissimum, in quo erant sepulcra innumerabilia. Cum ab incolis scisciteretur, quid infinita illa mortuorum monumenta de
Herculis militum sepulcra. signarent;responderunt illi,qui sapientes existimabãtur,antiquissimis regionis illius scriptis,atque monumentis,contineri,Herculem in Indiam,cum maximo exercitu,penetrasse; & in

& in eo loco bis cum Rege quodam potentissimo,collatis signis,cõflixisse, & vtroque prœlio superatum fuisse. Vt autem tam præclari facinoris memoria sæculis innumerabilibus conseruari posset,institutum ab antiquis fuisse,vt locus ille,in quo milites Herculis cecidерant,religione consecraretur, & illa sepulcra inuiolata permanerent.Hæc quidem illi prædicabant:quibus quanta sit habenda fides, liberum sit ei,qui velit,iudicare. Almeida,inde profectus,Dium vela dare iussit.Ibi Mirhocemus,cum in altum naues educere, & cum Almeida mari aperto dimicare, constituisset, quamuis Melichiazius id consilium minime probaret,omnes duces confestim iussit ex an
Mirhocemi Classis. gustijs prodire. In Mirhocemi classe erãt tres constratæ naues ingentes, & tres aliæ rostratæ,sex triremes,quattuor Cambaienses,& lõgæ Melichiazij naues,quarum iam mentio facta fuit. Calecutienses vero parones erant etiam permulti.Erat denique numerus hostilium nauium supra centum.Milites,quos Mirhocemus adduxerat,& armis,& animis,præferoces, victoriam sibi certissimam pollicebantur. Idem animus erat in reliquis nationibus, quæ cum illo societatem coiuerant.
Spes,& odium, illos acriter stimulabat, vt & libertatem tuerentur,& gentẽ inuisam exstin
Christianorum quorundam in Lusitanos hostilis animus. guerent.Quod vero indignissimum fuit, non minus ardoris in Christianis quibusdam, qui eadem classe vehebantur, erat ad manus cum Christianorum classe conserendas, quam in illis,qui, propter religionis odium, Christianum nomen exstinctũ cupiebãt.Hi erant partim Veneti,partim Dalmatę,qui triremes ductabant. Variæ deinde fuerunt imperatoris
Mirhocemi ad milites cõcio. vtriusque cohortationes, cum Mirhocemus milites,rerum ab illis gestarum commemoratione, imperij amplitudine, & Saracenorum omniũ libertate, Christianiq. nominis odio, & spe opum, atq. munerum, quæ omnia vno illo prœlio cõtinebantur,excitaret.Viderent præterea,socios spectatores esse. Si vincerẽt, se laudem sempiternam adepturos; si victi essent, dedecus,& ignominiam,subituros, nulla temporis vetustate delendam. In illo prœlio Indię imperium,sociorum salutem,& libertatem, eorumq. qui dimicarent, dignitatem nullis sæculis interituram consistere. Almei-
Almeidæ ad milites oratio. da vero Christi nomen, religionis sanctitatẽ, sectæ Mahumetanæ scelus, commemorabat; neq. solum spem amplissimę dignitatis,& gloriæ,verum & cæleste præmium, proponebat.
Dicebat præterea, omnem salutis spem vna virtute contineri.Si victi eo prœlio essent,reputarent animis, esse se hostibus innumerabilibus circumsessos, qui metu tenebantur, ne conceptum odium in nomen Christianum expromerent.Hoc autem metu sublato,fore, vt vndiq. ruerent,vt CHRISTI memoriam in illis regionibus delerent.Subsidia esse longin qua, hostes autem circumfusos. Nullum fore tutum in calamitate receptum, fidem vbiq. lubricam,fraudem ad fidem violandam paratissimam.Iccirco, quod fortium virorum esset,cogitarent,eo prœlio esse omnibus aut cũ magna gloria vincẽdum, aut cum magna virtutis significatione moriendum. Referebat deinde filij Laurentij,omnibus carissimi, necem,ad cuius vindictam omnes, qui dolorem non mediocrem ex casu illius exceperãt,acriter incitabat.Confiderent porro, Christi numen, pro cuius gloria præcipue dimicabant, affuturũ. His,& alijs eiusmodi,verbis Almeida,Lusitanos,satis sponte sua concitatos, ad certamen acuebat. Deinde vela fieri iubet.
Sed, cum ventus remitteret, & hostes ex angustijs egressos in statione teneri animaduerteret,& ipse substitit tantisper,dum rursus cũ æstus reciprocatione ventus increbresceret. Sed,cum citius,quam sperabat,ventus paullo vehementius inflaret, sublatis dolonibus, signoq. dato,hostibus appropinquauit, ita tamen, vt tantũ interesset inter classẽ vtramq. spatium,quantum sat esset ad certamen tormentis eminus gerendum. Longius enim progredi non potuit, propterea quod nondum æstus accesserat; & timebat, ne naues in vado, quod inter vtramq. classem inerat,afflictarentur; & hostes idem fecerunt. In vrbis muris,& in turri,quæ mari imminebat,erant tormenta magna apte dispositа. Cum igitur hostes,& nostri, iam essent in vrbis ipsius adspectu constituti,ex muris, & e turri,& e classe, innumerabiles globi iaciebantur. Nostri
Prœlium nauale. vicissim vehementissime hostium classem oppugnabant.Certamen fuit tenebris intermissum. Almeida,quamuis statuisset,in acie pri-
Lusitanorum acies. ma,cum naui sua,in Mirhocemi nauem inuadere,precibus nauarchorum ab ea mente deductus fuit. Dicebant enim,fore,si is aliquod discrimen adiret, vt classis, & imperio illius destituta,& imperatoris sui periculo perturbata, ordinem ab eo præscriptum desereret, vt illi subueniret.Ille consilio paruit,quamuis id moleste ferret.Sed videbat, aliter rem fieri commode non posse. Itaque Nonio Vascio Pereiræ id munus assignauit, vt in Mirhocemi nauem inueheretur, eiq. viros acres ad rẽ gerendam attribuit;Georgium vero Melium Pereiram subsequi iussit.Nauarchus quilibet ea nocte ordines diligenter instruxit. In qualibet enim naui opus erat,secundum puppim, atque prorã,& vtrumq. latus,acies quattuor instrui,& cuilibet vnum ducem assignari. At Mirhocemus, cum Almeidam ad confligendum acriter animatum perciperet,consilium Melichiazii,quod ante repudiarat, sequi constituit. Itaque vadum transire noluit, immo retro classem deduxit,vt vrbis auxilio multo tutius,atque confidentius, cum nostris dimicaret.Nam fore cõfidebat,vt e muris ex propinquo posset grauius damnum nostris importari, & auxilium, vbi opus esset, ex vrbe sum-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nostilis acies

summitti. Classem autē hoc ordine instruxit. Naues suas, quas sex fuisse diximus, in acie prima collocauit. Binas autem naues ferreis vinculis inter se collocari præcepit, ita, vt tribus in locis binæ naues coniunctæ, & inuicem alligatæ, ad opem sibi ipsis mutuo ferendam consisterent. Ipse in media acie nauem, qua vehebatur, colligauit. Post has naues ad hūc modum deuinctas, trirenes, & naues longas, cum paronibus, vt subsidio, quoties opus esset, occurrerent, & per media interualla in nostros inuehi, &, quoties necesse esset, retrocedere possent, vt nauium maiorū præsidio munirentur, constituit. Naues autem Cambaienses, prope vadum, secundum litus, vt primum impetum sustinerent, consistere iussit. Postridie, signo, quod conuenerat, dato, Nonius Vascius Pereira, vt Almeida iusserat, vela facere præcepit; quem Georgius Melius, negligētia magistri sui, non continuo subsecutus fuit. Reliqui omnes, eo ordine, quo iussi fuerant, inuehuntur. Melichiazius, cum nostros proue hi cerneret, e turri, tormentis omnibus Lusitanam classem verberare præcepit. Tormenti autem vnius ictu decem viri, qui in naui Pereiræ veli maximi sinum, vt vento vehementius impleretur, contrahebant, occisi sunt. Nihilo tamen secius Pereira progeditur, vt in nauium Mirhocemi manus ferreas iniiciat. Id Mirhocemus animaduertens, nauem, quā alligatam tenebat, laxari iussit, vt, cum Pereira eius nauem adortus esset, illum altera ex parte aggrederetur, vt ancipiti prœlio distētum facilius opprimeret. At Pereira, cum id cerneret, ingens tormentum, quod erat secūdum aquę summam faciem collocatum, in hostilem illam nauim, quæ se a prætoria disiunxerat, conuertere præcepit. Quo facto, globus tanta vi coniectus in hostilem nauē fuit, vt vtrumque latus parte infima perforaret. Quo facto, hostes, dum, ne nauis ea parte, quam vulnerari conspexerant, aquam admitteret, metuunt, omnes in alteram se confestim conferunt, &, coniectis sarcinis, aliquātum deprimere conantur, vt, eius lateris inclinatione, periculum lateris aduersi declinarent. At, cum ea pars, in quam propendebant, non minus laboraret, (quod illi prorsus ignorabant) factum est, vt nauis subito mergeretur. Iacobus Petreius, vt erat ab Almeida constitutum, triremi prouectus, Pereirā præibat, vt fundum exploraret. Cum vero periculū a vado impendere perspiceret, dato signo, Pereiram admonuit, ne vlterius tenderet. Pereira velis demissis subtitit. Quod cernens Mirhocemus, in illum ferociter inuasit. Nauibus ad hunc modum harpagone deuinctis, nimis atrociter fuit vtrimque pugnatum. Nostri tamen, in nauem hostis ingressi, eos paul

Pugna naualis.

Henrici Machiadi cædes

latim cedere compellunt. Hoc in certamine Henricus Machiadus, vir egregie fortis, occubuit. Hæc in nauis foro gerebantur. At superdēsos funes pice oblitos, qui reticulari supernę a prora in puppim pertinebant, aliud prœlium non minus periculosum gerebatur. Nostri enim maximo cum labore eo conscendebant, quibus hostes acerrime resistebant. Interim nauis hostium rostrata, a reliquis diuulsa, in aliud nostræ nauis latus inuecta, auxit vehementissime laborem, in quo nostri versabantur, & periculum multo grauius inuexit. Pereira, cum id cerneret, multo ardentius dimicabat, vt, cum ex ea parte, qua hosti resistebat, impetum hostilem reprimeret, ad alterā partem se conferret. Sed, cum, vt aliquid laxamenti caperet, buculam sibi detraxisset, fuit sagitta guttur illius transfixum. Victoria tamen adhuc in neutram partē inclinabat. Frāciscus Tauora, periculum, in quo nostri versabantur, animaduertens, in Mirhocemi nauē inuasit, &, latus alterum acriter oppugnans, milites, qui in funium retem seanderent, immisit. Pondere porro, factum est, vt, reti perfracto, omnes, qui e superiore loco dimicabant, in forum deciderent. Quo facto, pugna recruduit. Hostes tandem partim cædūntur, partim se se in mare deijciunt. Qui erant in naui rostrata, quæ se cum Mirhocemi naue coniunxerat, cum milites, & nautas, maxima ex parte cæsos, & ipsam nauem multis in locis laceratam, & armamenta conuulsa, perspicerent, se in fugam dederunt; &, cum nemo iam esset, qui nauem gubernare posset, æstus ipsius impetu, in litus eiecti sunt. Reliqui duces Lusitani, dum hæc geruntur, nō minus impigre rem gerebant. Nam Petrus Barretus aliam Mirhocemi nauem pugnando cepit; similiter & Antonius Campensis nauem rostratam expugnauit; & Georgius Melius, vbi primum se expedire potuit, in naues Cambaienses impressione fecit, & Petrus Canus in aliam rostratam nauem tanto impetu innectus est, vt, ante quam eam iniectis manibus ferreis alligaret, in retis ipsius contignationem, cum triginta & octo militibus, insiliret. Qui in foro versabantur, nostros ex inferiore loco vulnerabant; nostri vero, reticulatis illis funibus impediti, gladijs vti non poterant. Quod Canus animaduertens, desilire cupiebat, vt in nauis foro cum hostibus manum consereret. Itaque, cū per ostium ingredi vellet, caput immisit, quod vno ensis hostilis ictu præcisum repente fuit. Nauis alia, vt nostris in maximo periculo cōstitutis opem afferret, acceleraurit. Cuius aduentu, nostri liberati, & hostium nauis capta, & omnes hostes ferro cōcisi sunt. Almeida prœlij spectator aderat, &, quid opus esset factu, decernebat, & tormentis interim rem acerrime gerebat, ita, vt vnā magnam nauem, & aliquot longas naues, & parones nōnullos, deprimeret. Melichiazius copias identidem e terra submittebat, vt, cū fessis integri succederent, nihil de prœlij contentione a suis remitteretur. In litore præterea,

Lusitanorum discrimen.

Pereiræ guttur transfixū

Cano caput præcisum.

terea, ense districto, concursabat, &, quem e prœlio fugientem viderat, aut occidebat, aut vulnerabat; reliquos in certamen redire, morte proposita, compellebat. Nostri tandem, hostes maxima contentione prosligarunt, tantumq. eorum numerum interfecerunt, vt fluctus in sanguinis colorem verterentur. Qui primi, effusa fuga, se se ab imminēti clade proripuerunt, Calecutienses exstitere, qui in altum prouecti repente sunt. At Melichiazij naues longæ, cum Mirhocemi trirembus, se se in intimum portus illius sinum, atque flumnis ostium, receperunt. Eas insecutus Roderi cus Suarius, qui humilioris cuiusdam nauis præfectus erat, cum duas triremes cōiunctas adspiceret, cursum per angustum illud inter vtramq. spatium interiectum tenuit, &, in earum medio constitutus, ex vtroq. nauis suæ latere, anchoras demitti in eas, imperauit, & ita alligatas, cumprimum hostes aut occideret, aut in mare desilire cogeret, remulco ad Almeidam traxit. Vna tamen nauis reliqua erat, quæ adhuc expugnata non fuerat. Erat enim altissima, & munitissima, & coriis crudis, vt, si nostri in eam ingredi vellent, eorum vestigia labarent, obducta; & similiter, si faces conijcerent, incendium excitari non posset. Milites in ea dispositi erant permulti; & ad periculum propulsandum viribus, & animis, & armorum exercitatione, paratissimi. Vtrumq. autem latus erat tanta crassitudine, & firmitate, præditum, vt nullis globorum ictibus vulnerari posset. Tandem, cum nostræ naues illam circumsisterent, & diu atq. vehementer oppugnarēt, demersa est, & propugnatores se in mare demiserunt. Nostri, eos nantes celotibus insecuti, in fluctibus occiderūt, ita, vt pauci admodum euaderent. Prœlium a meridie in noctem protractum fuit. In quo ex hostibus circiter quattuor millia ceciderunt; in quorum numero fuere illi Sultani milites, quos Mamaluchos appellabāt. Ex octingentis enim duo tantum atq. viginti cladi superstites exstitere. Mirhocemus, cum, ne Melichiazius voluntatem cum fortuna commutaret, & illum Almeidæ proderet, anxie formidaret, ad Cambaiæ Regem se, incredibili celeritate, contulit. Tres naues ingentes, cū multis paronibus, atq. longis nauibus, depressæ; duæ naues rostratę, duę triremes, & quattuor aliæ magnæ naues captæ sunt. Erat in captis nauibus magna tormentorum, & armorum, vis; magnus pecuniæ, ex auro, & argento, conflatæ, numerus; vestes præterea stragulæ, partim aureæ, partim bombycinæ, & gossipinæ, pulcherrime factæ. Præda fuit militibus diuisa; e qua Almeida nihil attingere voluit. E nostris in prœlio duo & triginta ceciderunt, ter centi autem vulnerati sunt. Naues autem Lusitanæ tantis locis dissipatæ, atq. conuulsæ, fuerunt, vt esset necesse multum tempus in classe reficienda consumi. Victoria fuit præclara. Quam tamen Paulus Iouius, cum de Sultani classe hac in Indiam cōtra Lusitanos delata narraret, silentio suppresit, iratus videlicet, quod, cum Lusitanæ historiæ scribendæ munus Ioanni, huius nominis tertio, Lusitanię Regi, venale proponeret, Rex optimus nō illum muneribus Indicis, ad res Lusitanorum virtute gestas monumentis illustrandas, inuitauit. Erat autem exercitus hostium ex tam diuersis gentibus conflatus, vt in classe multi libri Latino & Etrusco, & Dalmatico, & Gallico, & Hispano sermone conscripti inueniretur. Tria etiam Sultani vexilla capta sunt. Almeida, quāuis res illi ex animi sententia procederet, ne tamen classis ea nocte aliquid incommodi pateretur, eam ab vrbe longius abduxit. At Melichiazius, postridie, ab illo pacem, per litteras, petiit; crimenq. suum in casum, atque fortunam, transtulit, cuius vi fuerat in tantam fraudem impulsus. Errati vero sui veniam suppliciter implorabat; fidemq. dabat fore, vt deinde nemo vel in officio diligentior, vel in amicitia tuenda cōstantior, erga Lusitanos inueniretur. Se namq. & eorum in armis virtutem expertum esse, & in societate conseruanda fidem ex testimonijs multorum cognouisse. Itaque minime commissurum, vt mallet cum suo damno, atq. dedecore, virtutem deinceps experiri, quam fidei, cū vtilitate, & dignitate, constantiam. Deinde commemorabat, quanto vsui posset Lusitanis esse, si amicitiam illius non aspernarentur. Has litteras attulit Saracenus, nomine Cidealle, natione Granatensis, Almeidæ valde notus, iam ex eo tempore, quo is in Granatensi bello sub Rege Fernando militauerat. Almeida respondit, se pacem non daturum, nisi & Lusitanos captiuos, & Mirhocemum, cum Sultani militibus, & naues hostium, quæ ex prœlio euaserant, sibi traderet. Melichiazius vero, per eundem Saracenum, respondit, se Lusitanos quidem, & naues, sine vlla cunctatione, traditurum. Mirhocemum vero fugisse, neq. se, vbi is esset, exploratum habere. Et, quamuis eum tum in potestate haberet, nullo tamen modo in se tam immane facinus admissurum fuisse, vt homines, quos in fidem receperat, hostibus eorum proderet. Nec enim id officium esse hominis in armis educati, qui facile turpi vitæ honestam mortem anteponeret. Almeida libenter assensus est. Lusitani redditi, & hostium classis tradita, e qua triremes, Almeidæ iussu, protinus incēsæ sunt. Nec enim erat tunc is militum, & nautarum, & remigum, numerus apud illum, quo posset eas triremes instruere. Pacis fœdere firmato, Almeida misit inde Antonium Norognam, cum duabus nauibus, & multiplici commeatu, in Zacotoram, vt arcem presidio firmaret. Tristanum autem Agaum, in illo portu, cum duabus hostium nauibus, reliquit, cui negotiū dedit, vt commeatu, & tormentis, quæ ceperat,

Lusitanorum victoria.

Robustissimæ nauis expugnatio.

Cæsorum numerus.

Mirhocemi fuga.

Præda.

Paulus Iouius notatus.

Exercitus hostilis.

Melichiazij de pace legatio.

Almeidæ responsum.

Melichiazij fides.

Pax cū Melichiazio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tributum vi diis impositũ

rat, & alijs munitionibus in eas impositis, Cochimum susciperet. Ipse vero, inde profectus, oram illam omnem, quæ inter Dium, & Cochimum, interiecta est, ita peragrauit, vt omnibus Regibus, atq. Dynastis, tributum imperaret, & per fidos coerceret, omnesq. sub Regis Emmanuelis imperium, atq. ditionem, subiungeret. Petro autem Barreto, & Garsiæ Sousę, atq. Martino Coelio, naues assignauit. quibus mare Saracenis infestum redderent. Cananorẽ deinde petiit, & in arcis conspectu sacinus barbarum, & immane, fecit, quo magnam partem decoris sui, bonorum iudicio, deformauit. Nam Sultani milites, quos iure belli ceperat, qui, tamquam serui illius, non solum dominatu, verum etiam patrocinio, tenebantur, partim suspendere, partim tormentis dilacerare, iussit. Ibi tum, dum suos a labore reficeret, & vrbis statum firmaret, diebus paucis commoratus est. Inde, Cochimum delatus, a Rege & a Lusitanis omnibus, cum ingenti lætitia, & gratulationibus, exceptus fuit. Interim vero, perditorum hominum opera, factum est, vt odij seminarium, quod inter illum, & Albuquercium, institutum fuerat, adolesceret. Nam, qui Almeidæ factionem sequebantur, illum hortabantur, & admonebant, ne Indiæ procurationem homini temerario, & insano, committeret. Esse quidem illum nimis acrem, sed illius furore, & amentia, fieri posse, vt omnia parta decora de manibus elaberentur. Illi autem præcipue, qui eum in Armuzienſi bello deseruerant, vt proprium flagitium hominis indigna vituperatione defenderent, illum accusabant, quod, Regis iniussu, bellũ inutile, & periculosum, sumpsisset; quod gentem, a qua incommodũ nullum acceperat, armis euertendam suscepisset; quod cũ parua admodum classe, cum classe maxima, & instructissima, sine vllo consilio, & rationis moderatione, confligisset; quod Regis Emmanuelis dignitatem, & hominum, quos imperio continebat, salutem in maximum discrimen intulisset. Dei quidem beneficio factum fuisse, vt periculum illud, quod intentum omnibus illius temeritate fuerat, euasisset. Per illũ vero omnibus, qui ea classe vehebantur, fuisse pestem, & exitum, comparatum. Non enim esse rerum exitu, sed consilio, quo res instituebantur, de Ducis aut sapientia, aut temeritate, iudicandũ. Quod si fieret, nemini dubium esse, quin Albuquercius eo munere, quod illi Rex Emmanuel commiserat, indignus haberetur. Si Regis, inquiunt, offensionem times, magis metuere debes, si sciens homini temerario, quod Rex ignorabat, prouinciam tanto sanguine partam commiseris, quam is sit continuo funditus euersurus. Rex, si illum per litteras admoneris, consilium tuum, vt concijcere licet, comprobabit. Quod si non fecerit, non est animi magni, magis iniustam Regis indignationem, quam indignum Lusitanę gentis exitum, cũ ipsius Regis detrimento, & dedecore, pertimescere. Ad hæc, hominis infatigandis hominibus immoderationem criminabantur; & iocis etiã immodicis, & maledictis, absentem vexabant. Hæc omnia Albuquercius, per homines non minus ad serẽdas discordias natos, intelligebat, qui illius segnitiem obiurgabant, quod tantam cõtumeliam tam molli animo pateretur, & non, vt ius suũ obtineret, summa ope contenderet. Homines, inuidia rerum, quas ille gesserat, insanire, vsque eo, vt etiam Regis imperium contẽneret, & contra leges, & instituta patriæ, & reuerentiam Regi debitam, scelus supplicio dignum machinarentur. Iret porrò, & publice ab Almeida contenderet, hominumq. fidem implo raret, iusq. suum modis omnibus persequeretur, armisq. etiam, si ita necesse esset, Almeidam Indiæ possessione, quam, vt apparebat, occupare nitebatur, expelleret. His dictis stimulatus Albuquercius, cum Almeida in arcẽ se reciperet, & illum ad epulas inuitaret, Almeidæ conuiuium aspernatus, magnis vocibus arcem sibi cõtinuo tradi postulat; illiusq. postulati publicum testimonium multorum nominibus consignatum, quod ad Regem deferatur, si Almeida non præscripto Regis obtemperaret, a scribis sumere contendit. Almeida, cum se paratum esse diceret ad prouinciam tradendam, iramq. illius sedare conaretur, seq. frustra in eo contendere cerneret, & ea de causa, ne tumultus fieret, vereretur, Albuquercium Cananoris duci, & in arce diligenter custodiri, iussit, ita tamen, vt omnes ei, debiti personæ illius, honores haberentur. At Emmanuel cum iis interim curis excubabat, vt Indię possessionem firmo præsidio retineret. Cũ igitur intellexisset & Camponis Sultani potentiam, & illius in Christianum nomen odium, & opem, quam Sultani duobus Rex Calecutij, & litteris, & operibus, ostendebat, classem non mediocrem parauit, qua Indiæ præsidia stabiliret. Ea autem erat nauium quindecim, in qua mille & quingenti milites Lusitani vehebantur. Classi autem præfecit Fernandum Coutignum, virum, & nobilitate, & virtutis opinione, præstantem, qui Regijs castris metandis præerat. Huic autem negotium dedit, vt Albuquercio Indiæ prouinciam moderandam traderet, & Almeidam in Lusitaniam redire cogeret. Is autem soluit Olysippone duodecimo die Martij, Anno MDix. Mense vero Octobri, in Indiam peruenit, & naues ad portum Cananoris appulit; cuius aduentu Albuquercius lætitia incredibiliter elatus est. Erat enim ei & sanguinis propinquitate, & amicitiæ non vulgaris ratione, coniunctus. Inde profectus Coutignus, secum Albuquercium Cochimum perduxit. Fuit autem ab Almeida valde honorifice, & amãter, exceptus. Is autem dedit operam, vt inter Albuquercium, & Almeidam, pacem con-

Almeidæ in captiuos immanitas.

Lusitanorum de Albuquercio querella.

Albuquercius cõtra Almeidã ab inquietis incitatur.

Albuquercii cum Almeida contentio.

Albuquercij captus.

Classis Lusiana 15. nauium in Indiam missa.

Annus a Christo nato 1509

Fernãdi Coutigni in Indiam aduentus.

Pax inter Almeidã, & Albuquercium.

conciliatet: quod non illi admodum difficile fuit. Repulsus enim malis vtriusq. partis suasoribus, necesse erat, cum vterq. eorum esset probitate non mediocri præditus, & idem sibi, quamuis sententia, & ratione dissimili, proponeret, vt non grauate alter cum altero in gratiam rediret. Itaque, instructa classe, quæ erat in Lusitaniam ventura, Almeida prouinciam Albuquercio tradidit, & nauem conscendit, nec in terram egredi postea voluit. Albuquercius autem omnia, quę ad illius commeatum, & vsum, pertinebant, officiose, & diligenter, administrauit. Almeida ad hunc modum profecto, Coutignus litteras Regis Emmanuelis Albuquercio legendas dedit; quibus continebatur, vt vterque, coniunctis viribus, Calecutium exscindere, & Regẽ opibus euertere, niterentur; & in eo Albuquercius Coutigni sententiam sequeretur. Albuquercius confirmat, se numquam officio hominis gratissimi defuturum. Pergeret porro; & illius opera fidenter, perinde, atque si gregarius illius miles esset, vteretur. Ambo de bello Calecutiẽsibus inferendo cum Rege Cochimensi deliberant. In primis placet, Coiebiquium (is erat in Lusitanos egregia voluntate propensus, & Calecutij domicilium habebat) clã accersiri, vt ex eo cognoscerẽt, qualis eo tempore Calecutij status esset. Ex eo perceperũt, Regem Calecutij tunc abesse, eo quod bellum cum Rege quodam finitimo gereret; vrbem tamẽ esse, & armis, & hominum multitudine, & fortium militum robore, munitam. Dum vero bellum summo studio, & contentione, parant, Vascus Silueira appulit. Is, a Lemio, qui cum classe Arabicum mare peragrabat, litteras afferebat, quibus Prætorẽ admonebat, vt sibi milites, & naues, in supplementum mitteret. Esse namq. copias immunitas, & classem etiam fluctibus, & naufragiis, magna ex parte, debilitatam. Respondit Albuquercius, id se curaturum, postquam Calecutio rediret. Silucira se socium ad bellum illud libenter adiunxit. Erat enim vir militari virtute præcellens, multasq. res memorabiles in bellicis rebus effecerat. Sub idem tempus, Eboræ natus est Emmanueli Regi, ex vxore Maria, filius, quem Altonsum nominauit, qui, sacerdotijs amplissimis ornatus, & in Cardinalium Collegium cooptatus, singulare specimẽ religionis, & probitatis, & magnificentiæ, præbuit. Hoc eodem anno, cum pirata quidam Gallus, nomine Mondragonius, nauem ex India venientem cepisset, & Emmanuel, per legatũ suum, de hac iniuria, apud Galliæ Regem, conquestus fuisset, & nauem, cum opibus, quæ in eam fuerant impositæ, sibi frustra restitui postulasset, quattuor naues parari iussit, quibus Odoardum Paciecum præfecit. Is vero, qua celeritate potuit, in Mõdragonium inuectus est; quem in ora Callaica, vbi Finem terræ nominant, offendit, qui certamen minime detrectauit. Fuit vtrimque, acerrima contentione, dimicatum. Paciecus tamen nauem vnam piratæ depressit, & tres cepit, ipsumq. piratam vinctum ad Emmanuelem traxit. Qui, cum omnia, quæ ceperat, restituisset, fidemq. dedisset, se fore semper regi Emmanueli deditissimum, neminiq. Lusitano iniuriam deinceps illaturum, custodia liberatus, in patriam reuersus est. At, in India, classe, summa industria, intra breue tempus, instructa, Coutignus, & Albuquercius, Calecutiũ profecti sunt, cum duobus millibus Lusitanorum militum, & Indis militibus sexcentis. Classem in portu constituunt, & de belli gerendi ratione deliberãt. Hic Coutignus ab Albuquercio primam aciem sibi assignari postulat. Addit, deinde, Tu, qui es in India, inter tam feroces gentes, diu mansurus, satis amplam gloriæ segetem paratam habes. Mihi, qui sum breui in Lusitaniam rediturus, non est, cur hanc laureolam inuideas; maxime cum tantis necessitudinibus implicati simus, vt nihil alterutri esse debeat ab alterius communione seiũctum. Huic Coutigni postulato Albuquercius non libenter assẽsus est. Hominẽ enim norat acri quidẽ animo præditum esse, sed mente præcipitem, & parum in rebus maximi momenti gerendis, quid incidere posset, consilio prouidentem. Rebus autem omnibus ad egrediendum paratis, prima luce sequentis diei, Albuquercius, & Coutignus, in terram, cum instructis copiis, descendere conantur. hostes summa vi resistunt. stationes, namq. munierant, validaq. in eis præsidia collocarant. Aedes autem quasdam Regias, quæ inde non procul extra ciuitatem aberant, & tormentis, & telis, & milium multitudine, compleuerant. Inde & ex stationibus densæ glandes plumbeæ, & ingentes pilæ, in nostros iaciebantur: quod vbi Albuquercius animaduertit, Fernandum Coutignum admonuit, minime tutum exitum in terram fore, si, coniunctis ita confertim copijs, per medias stationes, e quibus nullum frustra in nostros telum emitteretur, egredi niterentur. Itaque præstare, diuisis militibus, qua quisque primum parte posset, terram occupare. Cum id Coutigno placuisset, vterque eorum, ab altero disiunctus, locum speculatur, quo posset commodius in terram descendere. Albuquercius, cum se expeditum cerneret, scaphas, & celoces, remis vehementer incitari præcepit; & in terram ea parte, quam petierat, egressus, in hostes, qui illum aditu prohibere conabantur, irrupit; &, acri prius prælio commisso, eos fudit, fugauitque; proximumq. vallum & munitionem, per medias flammas, aggressus, excidit. hostes in Regias ædes se, trepida fuga, receperunt. Qui erant in ædibus, occurrunt, conferti nostros excipiunt. Fit atrox prælium, multi cadunt, plures vulnerantur. Nostri tandem, hostes in fugam pellunt; Regia illa domus expugnatur, &

Almeidæ ex India discessus.

Bellum Calecutiense.

Res Europeę Alfonsus Emmanuelis natus.

De Mondragonio pirata, capto, & dimisso.

Lemii ad Albuquercium litteræ.

Res Indicæ.

Contigni ad Albuquerciũ oratio.

Veiitario.

Pugna terrestris.

Regia ab Albuquercio capta, & incensa.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& flammis tandem absumitur. At Coutignus, qui multo lentius mouerat, cum iam in terrā egressus fuisset, & vallum oppositum superasset, horrendo tormentorum strepitu, & flammis, admonitus, intellexit, Albuquercium cū hoste constixisse: quod molestissime tulit. Itaque, dolore, & ira cundia, flagrans, Albuquercium maledictis omnibus insectatus est, Perfidum altero quoque verbo nominans, nempe, qui contra fidem primus in hostes inuasisset. Albuquercius, vbi id accepit, ad illum recta contendit, & se, quantum potest, oratione moderata, purgat; dicitque, bella, multis in locis, non anticipato consilio, sed incidentibus inopinato rebus, administrari. Se non potuisse milites continere, quin opportunitatē oblatam arriperent, & in hostes violenter irruerent. Qui si consistere vno in loco voluissent, magnum fuisset eis periculum ab hostibus, illorum cunctatione ferocius incitatis, adeundum. Præterea nondū esse debellatum. Illudq. velitationem, non iustum prælium, fuisse. Integrumq. adhuc bellum restare, ex quo posset insignem gloriam consequi. Se illi omnia debere; & iccirco minime conuenire, vt secus de se existimaret, quam de homine maximis illius beneficiis obligato, & referendæ gratiæ cupidissimo. Maius enim se dignitatis pōdus in animo grato, atque beneficiorum memore, quam in victoria, collocādum existimare. At Coutignus, ira vehemēter excæcatus, nec vllam satisfactionem accepit, neque quidquā, illo præsente, de maledicendi contentione remisit. Tum, Gasparem interpretē inclamans, ait, Duc me in vrbem Regiam, atque adeo in Regias ipsas ædes, quas hodie flammis exuram; vt intelligi possit, quam vanus sit eorum sermo, qui Regum Indorum opes, atque vires verbis exaggerant, vt ipsi aliquid gessisse videantur. Cupio cum viris in ipsa vrbe media decertare. Hos namque, qui tam subito victi sunt, adduci non possum, vt credam viros extitisse, Albuquercius conuicia patienter tulit, & temeritati repugnare non potuit; illum que, non quod consilium probaret, sed quod hominem absque flagitio deserere nō posset, secutus est. Ciuitas namque euerti alia ratione, cum muris non esset cincta, potuisset, arboribus ante præcisis, e quarum densitate maximum periculum militibus nostris erat intentum; & agris antea peruastatis; & exercitu non raptim, sed explorato, ex omnibus locis, in quibus insidiæ latere poterāt, educto. Coutignus tamen, nullo, qui nomē aliquod in bellis obtinuisset, consulto, duobus tormētis, quæ acie præcederēt, in currus spositis, signa protinus inferre iussit. Misit deinde, qui Albuquercium admoneret, sibi in animo esse in vrbem inuadere, Regiasq. ædes incendere. Illi vero liberum esse, quidquid liberet, efficere. Habebat autem sub signis Lusitanos milites octingentos, & aliquot præterea Cochimensium militum auxilia. Albuquercius, quamuis hominem cerneret in pestem ruere, subsidijs antea in litore constitutis, & duce Antonio Norogna cum subsidijs relicto, cum sexcentis militibus, in eam viam, quam fore infaustam, & infelicem, augurabatur, ingressus est. Hostium tamen prius munitiones, & naues, quæ in anchoris consistebant, incendi, & hostilia tormenta cum reliquis instrumentis bellicis in naues Lusitanas imponi, & scaphas, & celoces, diligentissime custodiri, iussit. Coutignus, duce Gaspare, in Regias ædes, tandem, non absque certamine, peruenit. Naires enim conferti in illum incursabant, deinde se summa celeritate recipiebant. Conglobati rursus impetum faciebant: deinde, cum nostrorum vim minime sustinerent, se se præcipiti cursu a cæde, & exitio, seducebant, aliquot e nostris vulnerabant, & ex illis tamē multi cadebant. In Regia certamē multo periculosius initum fuit. Multi namq. eo conuenerant, vt, pro Regis nomine, quod ab illis valde sanctum habetur, pro illius opibus, quę erāt innumerabiles, pro ciuitatis totius incolumitate, quæ ædium illarum defensione contineri videbatur, præsenti animo dimicarent. Nihilominus tamen ædes expugnatæ, & milites ad prædam conuersi sunt. Emmanuel Pazagna, vir strenuus, & in bellis exercitatus, cum milites cerneret spoliorum cupiditate dissipari, Coutignum admonuit, vt eos recipi, & in ordinem rursus cogi, festinanter imperaret. Grauius enim periculum imminere, quam ille suspicaretur. Nec enim hostes tam facile ædes deseruisse, nisi ea mente, vt in dissipatos, & oneribus impeditos, inuaderēt. Coutignus ad hæc respondet, se exploratum habere, nec in Saracenis, qui Calecutium incolebant, nec in ipsis militi bus Calecutiensibus, qui ætatē in armis contriuisse videbantur, quidquam roboris inesse. Se velle conquiescere tantisper, dum se a labore reficeret. Lusitani interim, & ordinis, & disciplinæ, prorsus obliti, arma deponebant, & in ædes irruebant, vt opibus onerati discederēt, passimque, sine vllo metu, per omnes vias, & compita, vagabantur. At hostes vndique confluebant, & iam ædibus Regijs appropinquabant, cum Albuquercius ad ędes accessit, in quas tamen ingredi noluit. Per nuntium tamen Coutignum admonuit, vt receptui signum daret: magnum enim certamen immineret. Respondit Coutignus, vt is milites in ordinem reuocaret, atq. præcederet; se continuo illum secuturum, cum primum Regias ædes, quas incendere iusserat, flammis absumi perspiceret. At Albuquercius iam eo tempore erat ab hostibus acriter oppugnatus, & multi ex acie illius erant vulnerati. Itaq. in litus copias subducere confestim instituit. Vulnerati præibant; sani, atq. valentes, vt subsidio illis essent, sequebantur. Coutignus, duabus horis in Regia consumptis, postquam omnia

Coutigni de Albuquercio querella.

Albuquercij purgatio.

Coutigni prælium.

Regia capta.

Consilium bonum male repudiarum.

Cæca Coutigni temeritas.

Redintegratum prælium.

Regia incensa.

omnia inflammari vidit, egressus est. Hostes autem, bifariam diuisi, partim in Albuquercium, partim in Coutignum, impetum dant; multos conuulnerant, multos etiam sagittis, & gladiis, interimunt; atque tandem Coutignum circumsistunt, qui quidem acri animo vim hostium, vt poterat, in extremo illo vitæ discrimine, repellebat. Albuquercius, vt opē illi afferret, enixe contendebat: Sed milites, metu perculsi, Ducis imperium detrectabāt; & aditus erat iam ad Coutignum multitudinē hostium, qui illum circumuenerant, interclusus. Coutignus vero, cū prius in crure maximum vulnus accepisset, tandem concidit, & cum illo Emmanuel Pazagna, & alij itē permulti; qui tamen, ante quam extremum spiritum ederent, genibus in terra nixi, hostes vulnerarunt, & quosdam etiam interemerūt. Cum Coutigno non pauci viri nobiles a circumfusis hostibus interfecti sunt, inter quos Vascus Silueira fuit; qui, e vallo, vt illi opem afferret, desiliens, priusquam vulneribus multis confossus occumberet, tres, qui illum audacius fuerant aggressi, necauit. Albuquercius vero, cum omnibus, qui ex acie Coutigni ad illum confugerant, cedebat: sed via non erat admodum lata: vtrimque possessiones erant fossa, & aggeribus, munitæ: hostes tela in nostros ex aggeribus intorquebant. Cum ita tetum nullum frustra in aciem confertam accidere potuisset, factum est, vt multi, vulneribus icti, concidrent. Albuquercius secundum sinistrum brachium grauissimum vulnus accepit; & sagitta similiter in cerui cem illius immissa, eum in summum vitæ discrimen induxit. Postremo, ingenti saxo, quod quidam ex hostibus in pectus illius coniecit, percussus, absque vllo sensu decidit. Fuit tamen continuo sublatus, & scuto, cum labore, atque periculo maximo, delatus in situs, vbi subsidia fuerant; illius opera, constituta: quæ cum hostiū impetum represissent, tutum nostris receptum præbuere. In hoc prælio ciderunt ex nostris octo & septuaginta milites, in quibus permulti nobiles, rebus gestis illustres, numerati sunt. Hostibus tamen non incruenta victoria constitit. Mille namque centum & triginta ex illis cecidere. Et, præter hos, quingenti & septuaginta homines flammis in ædibus Regiis absumpti fuerant. Respirauit Albuquercius, Cochimumq. reuersus, a medicis, quamuis de illius vita spem deponerent, curatus, pristinam sanitatem recuperauit. Dein de classes duas, quæ erant in Lusitaniam redituræ, diligenter instruxit, & militarem disciplinam constituit. Hic casus Coutignum, virum animo excelso, non tamen sapiente, præditum, vita priuauit. Sed longe funestius exitium Almeidam sustulit. Antequam enim promontorium Bonæ spei superaret, & ab illo nō procul abesset, aquationem facere constitut. Quidam e nostris, qui in terrā egressi fuerāt, incolarum consuetudine familiarius vsus, omni metu sublato, in eorum opidum, qui inde quattuor millibus passuum aberat, concessit. Hi hominē bene acceptum dimiserunt, & ingenti ariete, in amicitiæ signum, donarunt. Is ad Almeidam refert, gentem esse singulari humanitate, & simplicitate, præditam, & multis pecorū gregibus abundare. Almeida illum cū aliis duodecim hominibus in opidū remisit, vt oues, & boues, quibus, classis indigebat, coemerent, & gentes illas barbaras muneribus, quæ apud illos in pretio sunt, ad consuetudinem, & familiaritatem, alliceret. Incolę eos ad epulas inuitarunt, & muneribus, quę tellus illa fundit, affectos, cum gregibus, quos emerant, dimiserunt, & humanissime profecuti sunt. In via factus est illis obuiam homo quidam, cum arietibus, vt eos cū muneribus, quę nostri afferebant, etiam vt alij fecerant, commutaret. Hic quidam ex nostris, hunc, inquit, per vim abducamus ad Almeidam, vt, cum humaniter tractatus, & vestibus excultus, ad suos redierit, eos nobis artiore consuetudine, & familiaritate, conglutinet, vt, cū nostri huc aquatum venerint, secure, & cū emolumento, se se a labore, & iactatione, reficiant. Consiliū placet. Itaque in hominem insiliunt. Is clamorem ingentem sustulit: opidani festinanter accurrunt: hominem e nostrorū manibus extorquent, eosq. saxiss, & lapidibus, cædūt, male q. multatos eijciūt, & gregibus etiam spoliant. Hi, reuersi, ne id eis fraudi esse posset, rem longe aliter, atque acciderat, Almeidę retulerūt. Res consultatione digna permultis vita est. Si enim crimen illud impunitum dimitteretur, fore, dicebant, vt numquam eo posset quisquā, aquationis gratia, naues appellere, quin male acceptus abiret. Gentem enim illam feram, non, nisi malo coactam, officium facturā. Itaque iniuriam vindicandam, & gentem imposito supplicio coercendam esse, ne in posterum simile facinus moliri auderet. Contra, quidam disputabant, non esse temere bellum cum gente fera gerendum. Iniuriam leuem esse, & magis contemptu, quam vltione, dignā. E victoria præmium nullum vel decoris, vel vtilitatis, exspectari: ex offensione magnum discrimen dedecoris imminere. Præterea, nō constare, quorum culpa id, de quo nostri conquerebantur, accidisset. Credibile autem esse, vt incolæ, nostrorum insolentia, & temeritate, prouocati, non prius iniuriā intulissent, sed illatam repulissent. Alii vero in eo perseuerabant, quasi in ea vindicta salus, & dignitas, Lusitanæ nationis ageretur. Eoq. rem adduxerunt, vt Almeida, ea gratuitate, & dignitate, vir, annos sexaginta natus, rerum gestarū gloria circumfluens, sine vlla graui causa, cum gente moribus, & vitæ consuetudine, belluarū simillima, bellum susciperet. Itaque de media nocte in scaphas desiliēs, in terrā cum cētum & quinquaginta militibus egreditur.

Coutigni periculum.

Barbarorum erga Lusitanos hospitalitas.

Malum consilium.

Lusitanę ac cici discrimē

Consultatio de bello cum Barbaris gerendo.

Cæsorum numerus.

De Almeidę exitio.

Infaustum Almeidæ cum Barbaris bellum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Petrus Barretus, & Georgius Barretus, qui primam aciem ducebant, in opidum ante lucem peruenere. Inopinatoq. gentem adorti, terrorem præbuerunt. At opidani continuo opem, sublatis clamoribus, implorant. Accurrũt vndique permulti, cũ facculis è corio crudo confectis, in quibus vim lapidum congesserant, vt nostros, qui iam cum præda redibãt, obruerent. Gestabant præterea iaculà innumerabilia non longa, quibus erant cuspides hamatæ, trium palmorum longitudine præfixæ. Hæc, magna lacertorũ vi conjecta, nostros grauissime saucìabant. Homines sunt nigri, capillo, vt reliqui Aethiopes, crispo, & adusto, facie deformi: in bellis, gestibus truculentis, vt ferociores appareant, vtuntur. Tunc vero, adspectu truculento, & gestibus horrendis, & dissonis vocibus, metum incutere nitebantur. Nostri, re inopinata perculsi, retrocedunt, & se ad Almeidam, qui, Regio signo, vt opem afferret, explicato, in opidũ venebat, recipiũt. Is, non vtenius cunctandum ratus, in litus se conferebat. At scaphæ fuerant inde subductæ in locum alium magis tranquillum, vnde consensio facilior apparebat. Almeida in eum locũ iter instituit. Greges erant in agmine medio, reliqui, qui agmen cogebant, hostes a tergo ægre sustinebant. Illi tamen in principio non ita grauiter nostros vrgebant. At, vbi, auxilijs vndique confluentibus, copias suas amplificatas adspexerũt, edito clamore, greges vnum in locum compulerunt. Sic enim pecudes, & arméta, assuefaciũt, vt illorum vocibus aut moueantur, aut subsistant, aut eo properent, quo illi iubẽt. Itaque neque longius abibant, & nostros interdũ impediebant. Hostes, gregibus ad hunc modum conseruatis, in nostros ferocius irruunt, & postremum agmen carpunt, ordinemq. disturbant. Almeida, cum cerneret multos adhuc in pecoribus abigendis occupatos, gregem dimittere, & e medio agmine confestim expellere iubet. Deinde copias illas exiguas in vnum cõpulit, vt conferta facilius hostium impetũ repellerent. Quod longe secus accidebat. Nam, cum hostes in cõfertum agmen lapides, & tela, coniicerent, & nostri inermes, eo quod gentem contempserant, prodiissent, illi vulnera grauissima nostris infligebant, cum interim nostri hostibus nocere nullo modo possent. Nam, cum essent illi summa celeritate præditi, facillime poterant cursu se se a clade proripere, & rursus eadem celeritate in nostros incursare. Nostri erãt summa lassitudine prepediti: æstus enim eos adurebat, lassitudo conficiebat, ita, vt vix plantas in arena ardentissima altius impressas euellerent. Tantaq. erat in plerisque debilitas, vt in vestigio consistere nõ possent. Multi, formidine perterriti, dissipari coeperunt. Hic Georgius Melius, qui erat vnus ex Ducibus, & Albuquercii partes fuerat in India secutus, ad Almeidam conuersus, inquit, Vellem, vt hi, qui se tibi in India venditabant, hoc in loco non innoxios criminando, sed pro salute tua capita sua in discrimẽ offerendo, amore, quo te complecti simulabant, ostenderent. At Almeida, Parum, inquit, tempestiua cõmemoratio. Quin tu ista, quæ tempus minime flagitat, omittis, & illud Regium vexillum tueris, ne, si in belluarum istarum manus veniat, Regis clarissimi nomen ludibrio sit. Nam, quod ad me attinet, tot annis, & tot vitiis, cooperti sum, vt, si mors hoc in certamine mihi oppetenda sit, ea nec immatura, nec immerita, possit existimari. Hæc dicens, vexillum Melio tradidit. Deinde, cum rursus hostium impetũ sustinere voluisset, hostis quidam, conjecto iaculo, guttur illius transfixit. Quo facto, is, dolore vehementer afflictus, & viribus omnino destitutus, ita procubuit, vt, genibus flexis, & oculis sublatis, manus in cælum tenderet. Ita que, illo signo insitæ religionis, in extremo illo spiritu, ijs, qui cum illo erant, ostenso, cecidit, vir probitate, & liberalitate, & rebus gestis immortalitate dignis, admirandus: qui tamen, quod valde luctuosum fuit, nonnulla decoris macula actæ vitæ decus adspersit, cũ tam temere leuium hominum sermonibus inductus, in id se discrimen iniecit, e quo nullũ præmium vel dignitatis ad sui nominis gloriam, vel vtilitatis ad patriæ fructum, polliceri vlla ratione poterat. Consilij pœnas acerbissimo casu luit; & simul exemplo suo mortales humanæ imbecillitatis admonuit, ne nimis præsenti felicitati confiderent; cum animaduerterent illum, cuius in bello Granatensi tam clara virtus exstiterat, qui maximos in India exercitus fuderat, qui Campsonis, Aegypti imperatoris, opes infregerat, & debilitarat, qui multis Regibus frenum iniecerat, a paucis hominibus, neque moribus, & in stituris patriæ cultis, neque armis, & militari disciplina ad decus eruditis, sed inermibus, atque nudis, & non multum a belluarum immanium feritate distantibus, occisum, & eorum pedibus proculcatum. Eo, vt diximus, interfecto, nostri diffugiunt. Laurentius tamen Brittius, & Martinus Coelius, mori in vestigio maluerunt, quam Almeidam insepultum deferere. Hi fugientes magnis vocibus compellant. Quam, inquiunt, rationem in Lusitania vestri Ducis, o viri immemores dignitatis, & ingrati, reddetis? Illum, qui vos tãtis auxerat beneficijs, in discrimen induxistis, inductum prodidistis, & nũc insepultum deseritis? Cum vero clamando nihil proficerent, in hostes cõuersi sunt; eorumq. multitudine circumfusi, lapidibus, & iaculis, & fustibus, oppressi, conciderunt. Quinque & sexaginta Lusitani in hac infausta, & infelici, pugna interfecti sunt: in quibus erant duces vndecim, viri magnanimi, maximisq. in rebus cogniti: qui, cum per medias flammas, per pilas innumerabiles, per tela, per gladios, sine vlla formidinis

Prælium.

Melii cũ Almeida disceptatio.

Humanæ fragilitatis exemplum.

Almeidę mors.

Lusitanorum fuga, & cædes.

Cæsorum numerus.

nis significatione, ruentes, maximum terrorem hostibus intulissent, & insignes victorias contra innumerabiles hostes adepti fuissent, tunc a paucis hominibus inermibus, atque nudis, interfecti, & spoliati fuerunt. Creditum est, illos, eo quod se se insolentius in prosperis successibus extulissent, & victoria non moderate, sed nimis interdum crudeliter, vsi fuissent, eas pœnas Diuino iudicio pertulisse. Nostri se, maximo cum labore, in scaphas recepere. Georgius Barretus, & Georgius Melius, postquam hostes discedere cognouerunt, in terram egressi sunt, vt mortuos sepelirent: quos omnes nudatos inuenere. Funus non exsequijs, sed lacrymis, curatum fuit. Accidit hic acerbissimus casus Kalend. Martij, Anno MDX.

Annus a nato Christo, 1510.

Naues inde profectæ, Olysipponem incolumes peruenere: cladisque nuntius insignem Regi mæstitiam, & vniuersæ nobilitati mærorem, & luctum, attulit. Quid interim, dum hæc omnia gesta sunt, Iacobo Lupio Siqueiræ acciderit, est hoc loco referendum.

De rebus gestis Iacobi Siqueiræ.

Is soluerat Olysippone cum nauibus quattuor, quincto die Aprilis, anno salutis MDVIII. In insulam vero sancti Laurentij peruenit quarto die Augusti: quam secundum eam partem, quæ spectat ad Austrum, peragrauit, & aliquot nautas, qui fuerant in comitatu Ioannis Gomecij Abræi, reperit: a quibus intellexit, Abræum, vt dictum est, dolore, & mærore, contabuisse. Inde in Cochimum delatus est, & ab Almeida (adhuc enim imperium tenebat) fuit honorifice, & amanter, exceptus. Almeida illi nauem vnam, cum sexaginta hominibus, in supplementum exiguæ illius classis, attribuit. Huius nauis erat nauarchus Garsia Sousa. Cum iis quinque nauibus, in insulam, quam olim Taprobanam, modo Zamatram appellant, peruenit. Ea est æquinoctiali circulo subiecta, & aureæ Chersoneso, e parte, quæ ad Austrum pertinet, opposita. Patet in longitudinem milliaribus nongentis & sexaginta. Latitudo vero illius non supra ducenta & quadraginta passuum millia dilatatur. Regio est mira fertilitate prædita, Regnisq. multis distincta, varijsque nationibus, quæ inter se moribus, & institutis, dissimillimo ritu, dissident, frequentata. Quidam enim Mahumetis sectam sequuntur: quidam simulacris dediti sunt. Alij adeo immanes, & feri sunt, vt humanis carnibus vescantur. Alij rursus moribus humanis excoluntur, & benignitatem præseferunt. Abundat ea insula plurimum auro, cuius gratia in eam mercatores vndique commeant. In eam insulam delatus Siqueira, naues in portu Regni, quod Pedir appellant, cõstituit, & per legatum pacem cum Rege firmauit. Idem fecit in alia ciuitate, quæ Pacem nominatur, quæ inde octoginta millia passuum aberat. Inde Malacam, quæ est in continenti, Septemtriones versus, cuius explorandæ caussa missus ab Emmanuele fuerat, traiecit. Ea est in aurea Chersoneso ad ostium fluminis non valde magni sita. Erat autem tunc celeberrimum Orientis emporium: quattuor millibus passuum in longitudinem patebat: latitudine erat perangusta. Arboribus, & varijs fructibus, abundat: frugibus, & rebus alijs ad victum pertinentibus, importatis vtitur. Fluuio, qui mediam vrbem interfluit, distinguitur: vtraque tamen vrbis pars inter se ponte coniungitur. Aedes, & vrbis mœnia erant magnifice, & eleganter, exstructa. Gens est colorata, & moribus, atque vitæ cultu, ad humanitatem propensa. Lingua adeo suauis existimatur, vt omnes finitimæ regiones, & insulæ etiam, quæ commercium cum ea ciuitate vllum habent, valde ad vrbanitatem, & elegantiam, pertinere arbitrentur, linguam, & orationem, ciuitatis illius vsurpare. Gens est vestitu, & cultu, lautissima: musicis oblectatur: in bello tamen est acris, & quæ facile pro decore, & dignitate, mortem oppetat. Pertinebat hæc ciuitas olim ad Regnum latissimum, & opulentissimum, quod Siam appellant. Rex enim Siamensi Regi parebat. At, cum ex portorijs ingentibus summas sibi opes comparauisset, & maiores quosdam diuitiarum magnitudine spiritus assumpsisset, a Siamensi Rege defecit. Hanc deinde libertatem partim armis, quibus Siamensi ferociter obsistebat, partim muneribus, quibus illius consiliarios, vt Regem a bello deterrerent, detinebat, facile tuebatur. Rex erat Mahumetanus, & Mahumetes etiam, vt nomen cum secta consentiret, appellabatur. Siqueira classem in portu collocauit. In anchoris autem in eodem portu quattuor Sinarum naues forte constiterant. Sinæ, vbi nostras naues conspexere, Siqueiram adeunt, & cum illo sermonem humanissime conferunt. Illorum autem humanitate, & vrbanitate, Siqueira captus, familiaritatem cum illis libentissime contraxit, vsque adeo, vt, in eorum naues ingressus, nullum officium amicitiæ confirmandæ necessarium prætermitteret. Rex misit portorii ministros, qui percunctarentur, quæ gens illa esset, aut cuius rei gratia iter in eas oras suscepisset. Siqueira respondit, se ex occidentis Solis extremis terminis a Rege clarissimo missum esse, vt cum eo Rege, de cuius amplitudine multa perceperat, amicitiam firmaret. Confidere se, illud amicitiæ fœdus vtilissimum vtrique Regi futurum. Id, vt signis intelligi potuit, fuit Regi, & illius patruo, qui Regnum administrabat, longe gratissimum. Putabant enim valde ad Regii nominis amplitudinem pertinere, cum Regibus externis, tanto terrarum interuallo disiunctis, societatem coire, nomemque suum per occidentis Solis re-

Siam Regnũ

Malacensis Regis ad Siqueiram nuntii.

Lupius Taprobanã primus accedit

Pedir Tagro banę regnũ.

Pacem op. Malacam, Siqueira accedit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

giones, cum nonnulla sui decoris celebritate, peruagari: & simul, ex Lusitanorum commercio Regis Malacensis opes amplificatum iri, confidebant. Itaque Rex ad Siqueiram viros primarios de suo comitatu misit, qui ei nomine illius omnia fuerunt, quæ ad commodum, & dignitatem, Emmanuelis pertinerent, large polliciti. Fuit deinde constitutum, vt Siqueira vrbem ingrederetur, vt coram de pace cum Rege commodius ageret. Fuit is a Rege, cum multis amoris signis, & honorificis etiam cirimonijs, de more gentis illius, exceptus. Ibi, cum de pace ageretur, fuit ab vtroque statutum, vt pacis conditiones per internuntios tractarentur. Pax denique fuit inter vtrumque facta, & sollemni iureiurando sancita; & domus confestim Roderico Araugio, qui Regis Emmanuelis negotia erat in ea ciuitate gesturus, attributa. Nostri igitur, omni metu soluti, in vrbe dispersi vagabantur. At Sinæ, cum nostrorum securitatem, & confidentiam, animaduertissent, Siqueiram admonuere, ne tantam fidem Malacensibus haberet. Gentem esse falsam, atque fallacem, & fraudibus, atque perfidiæ, sceleribus adstrictam. Simul atque nostros incautos, & nihil hostile suspicantes, adspicerent, eos omnes oppressuram. Boni Ducis officium esse, suorum salutem in vigilantia sua, non in aliena fide, sitam arbitrari. Saracenos tantisper fidem retenturos, dum, se nihil posse nostris nocere, confiderent. Vbi vero sibi occasion em data tam aliquid cum fraude gerendi viderent, eam minime prætermissuros. Humanitatem esse laudabilem: nimiam in aliena terra confidentiam vituperandam, maxime vero, cum hominibus, ex fraude, & mendacio compositis, fides adiungitur. His, & alijs eiusmodi, sermonibus, Siqueiram nauarchi Sinarum admonebant, vt insidias præcaueret. At is, & fœderis sacramento, & specie beneuolentiæ, quam Malacenses præseferebant, & postremo, quod, natura, id, quod felicem successum interturbare potest, non facile euenturum suspicamur, non modo Sinarum monita neglexit, verum multo confidentius & Lusitanos in vrbe versari, & Malacenses in nauibus suis negotiari, permisit. Interim vero mercatores, partim ex insulis ad Austrum sitis, partim ex ea Indiæ parte, quam Indus alluit, Regem, nostrorum formidine perterritum, ab eorum coniunctione distraxerunt. Dicebant enim, nostros esse piratas cunctis nationibus infestissimos. Per simulationem vero probitatis fraudes machinari, & illis ipsis, cum quibus fœdus amicitiæ feriebant, pestem, & exitium, moliri. Multas ciuitates euertisse, multis gentibus libertatem, & opes, eripuisse, & illis, qui non permitterent arces in eorum ciuitatibus ædificare, crudele bellum intulisse. Arcium vero ædificationem co pertinere, vt libertate primum omnes, qui eos admittebant, spoliarent, deinde bonis omnibus, per summum scelus, euerterent. Nullam denique esse nationem, vel tanta omnia rapiendi cupiditate furentem, vel tam immanibus moribus, & institutis, efferatam, quæ esset cum Lusitanis auaritia, & crudelitate, conferenda. Non verbis, sed factis, esse credendum. Interrogaret omnes mercatores de illis malis, quæ vel in India, vel in Arabia, atque Persside, a Lusitanis gesta fuerant. Prudentis autem Principis esse, alienis malis admoneri, ne in similes calamitates incideret. Vnum autem periculi depellendi remedium esse, gentem, antequam maiores opes assequeretur, opprimere. Sero namque facultatem prætermissam eos lamentari, qui, quamdiu licet, securitati suæ minime prospiciunt. Lusitanos esse admodum paucos, & inermes, & imparatos, atque fœderis confidentia, in vrbe, tamquam in patrio solo, versari. Eos itaque de medio tolleret, vt, paucorum internecione, reliquis aditum in eas oras intercluderet. His, & eiusmodi, sermonibus, Regem, iuuenili temeritate præcipitem, & in fraudibus enutritum, & religione a nostris maxime dissidentem, facillime a Lusitanis abalienarunt. Huius autem consilij auctores præcipui fuere Nahodabeguea Cambaiensis, & Vtetimutaraia Iaouensis, qui opibus, & potentia, & gratia, apud Malacenses, inter omnes, qui in ea ciuitate negotiabantur, excellebant. Hi vero, non oratione tantum, sed muneribus etiam, Regis patruum, penes quē erat totius Regni moderatio, (Bendaram appellabant eum, qui munus id geredat) corruperunt, vt fidem datam violaret, & Regem in eandem fraudem impelleret. At eorum consilijs vehementissime repugnabat Lansamana, rerum maritimarum præfectus. Nullum enim grauius periculum intendi decebat eo, quod ex violata fide communibus rebus immineret. Deum enim, quem nihil latere posset, iurisiurandi neglecti, atque religionis violatæ, vindicem fore. Ad hæc accedere fraudis, atque mendacii, dedecus, & turpitudinem, quo nullum detestabilius, ad Regis nomen macula sempiterna deformandum, excogitari posset. Præterea, Lusitanos, se compertum habere, omnia, quæ gesserant, iure gesisse. Ab illis enim tantum, qui fœdus fregerant, pœnas, vt æquum erat, exegisse. Homines namque esse in fide tuenda constantissimos, & in perfidia vindicanda, & iustissimis pœnis animo maximo repetendis, acerrimos. Itaque præstare eos imitari qui eorum societate hostium iniurias facile propulsabant, quam eos, qui illatis iniuriis sibi ipsis causſam iustissime cladis afferebant. Hæc Lansamanæ sententia nō potuit vllo modo Regem a decreto iam scelere renouare. Itaque statuit Siqueiram cum reliquis ducibus

Pacis fœdus inter Malacēsem, & Lusitanos.

Sinarum ad Siqueirā admonitio.

Mercatorum de Lusitanis querellæ apud Malacēsem Regem.

Consiliū de tollēdis e medio Lusitanis

Lansamanæ pro fœdere conseruando oratio.

Regis Malacensis perfidia.

bus interimere. Quod vt commodius fieret, ædem maximam ex ligno prope pontem exstruxit, & Siqueiram ad conuiuium, quod in ea domo instruendum curauerat, inuitauit. Is Regis tam propensam in se, vt apparebat, voluntatem non aspernatus est. Erat tum Malacæ Persis quædam Mahumetana, quæ hospitium publice, certa pecunia, præbebat. Apud eam diuersabatur sartor quidam Lusitanus, qui Persicam linguam probe nouerat. Is, linguæ communione, in maximam mulieris familiaritatem venerat. Ea, cum insidias, indicio cuiusdam hominis sibi valde familiaris, percepisset, per sartorem a Siqueira postulauit, vt eam ad colloquium se creto admitteret. Vitam namque illius, & dignitatem, agi. Siqueira monita mulieris irrisit. Illa vero, cum idem iterum atque tertio a Siqueira contenderet, & nihil proficeret, omni periculo contempto, sartori insidias detexit. Is Siqueiræ omnem rationem sceleris, vt instituta erat, aperuit. Vbi igitur dies conuiuio præstituta venit, Siqueira, morbi simulatione, periculum declinauit. Itaque, cū hæc sceleris via minime processisset, aliā excogitarunt. Siqueira querebatur, quod aromata, & merces reliquæ, quas in naues, vt mercatores reliqui faciebant, imponeret, sibi minime pretio traderentur. Rex, mercatorum importunitate, id, se imprudente, factū esse confirmabat. Se daturum operam, vt postridie Siqueiræ postulatis cumulate satisfaceret; illumq. admonet, scaphas omnes præsto ad litus haberet. Interim naues humiliores armis complere, & arma cibis varijs, & omni genere commeatus, occultare, iussit. Hominibus deinde armatis, vt arma cultu, atque veste, mercatorum contegerent, imperauit. Habitu igitur mercatorum, tamquam cibos venderent, erant in Lusitanas naues ingressuri, vt, simul atque signum (id autem fumo dandum erat) in vrbe sublatum conspicerent, Duces imparatos aggrederentur. Erat autem constitutum, vt signum non daretur, ante quam scaphæ, vt onera acciperent, in litore consisterent, vt simul & naues exinanitas, & scaphas in litore, sine vlla sceleris suspicione, constitutas, adorirentur. Postridie, qui se mercatores esse simulabant, cū animaduerterent, scaphas omnes, præter vnam, ad litus accedere, ipsi nauigia sensim in naues dirigunt. Sceleris Principes erant ijdem, qui fuerant consilij auctores. Ij, cum nauium lateribus appropinquarent, interrogarunt, an vellent vel fructus, vel cibos, emere. Pretium, quod petebant, erat vilissimum. Nostri, & ciborum, quibus indigebant, copia, & pretij vilitate prouocati, homines in naues admodum libenter admittunt. At Garsia Sousa, cum multo plures, quam par erat, in nauem suam ingressos animaduerteret, eos omnes abire iussit, & repugnantes armis eiecit. Deinde Fernandum Magallanum in scapha sua, quæ sola cum reliquis ad litus missa non fuerat, ad Siqueiram misit, qui eum admoneret, ne gentem perfidam in nauem suam ingredi permitteret. Conuiuij recordaretur, quod proximis illis diebus a Rege instructum mortifero veneno fuerat. Siqueiram eo iam tempore octo ex hostibus circumdederant, qui signum exspectabant. Ipse vero schachorū ludo vsque adeo intentus erat, vt Magallani oratione ludendi studium non intermitteret. Nautam tamen vnum e nauis magistris, malum scandere, & e carcheſio scaphas speculari iussit, an iam mercibus onustæ redirent. Magallanus ad Sousam redijt, vt illi opem (erat enim paucis admodum stipatus) afferret. At magister e carcheſio conspexit vnum ex Malacensibus, qui in prætoriam nauem admissi fuerant, a Siqueiræ tergo sicam distringere, alterum vero ex aduerso oculis innuere, ne approperaret: nondum enim signum datum esse. Siqueira, & qui cum eo ludebant, sic erant affixi ludo, vt non animaduerterent, se solos esse hostibus octo circumuentos. Hic, cum nauta, e carcheſio, maximis vocibus Siqueiram, vt vitaret insidias capiti imminentes, inclamaret, Siqueira, sane perturbatus, arma popoſcit: accurrunt vndique ij, qui relicti in naui fuerunt: hostes, re inopina perculsi, in nauigia sua desiliunt. Idem reliqui, qui naues alias circumsistebant, effecerunt. Qui enim ex improuiso nostros adoriri cogitabant, & signum exspectabant, cum viderent nostros arma certatim corripere, sibi fuga consulendum existimarunt. Illis vero a nostra classe diuulsis, signum in vrbe sublatum fuit. In nostros, qui in vrbe vagabantur, acerbe sæuitum est. Viginti tantum in Roderici Araugij domum se receperunt. Franciſcus Serranus, qui etiam in vrbe versabatur, scapham nactus, clademeffugit. Siqueira consilium habuit. Fuere, qui dicerent, iniuriam illam esse protinus vlciscendam, & naues omnes, quæ erant in portu, Sinarum nauibus exceptis, inflammandas, & vrbem tormentis acerrime quatiendam. Sed id fieri commode non poterat. Multi namque fuerant ab hostibus interfecti: reliqui erant admodum pauci: & duæ scaphæ fuerant ab hostibus captæ. Præterea, ratio ineunda videbatur, quemadmodum Araugius, & qui cum eo erant, aliqua pactione in libertatem vindicarentur. At Bendara, veritus, ne Siqueira portum subiret, ad Araugium peruenit, eumque bono animo esse iussit, fidemque dedit, ei, se viuo, neminem nociturum. Rex, cum Bendara deinde nuntium ad Siqueiram mittit, qui eum admoneat, facinus illud, imprudente se, fuisse a perditissimis hominibus admissum. Cuius quidem illos pœnas daturos es-

Insidiæ Regis in Lusitanos detectæ.

Siqueiræ in summo periculo securitas.

Alterę in Lusitanos insidiæ.

Hostium fuga.

Lusitanorum clades.

Siqueiræ de Malacēsibus consultatio.

Detectus dolus.

Regis per nūtios purgatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

se. Vt hostium igitur vindictam oculis vsurparet, in vrbem amicam, & perhospitalem, iniret. Se namque nullum hominis amantissimi officium, & munus, omissurum. Araugium, & Lusitanos reliquos, esse liberalissime tractatos, quos omnes se traditurum confirmabat, si is vrbem ingredi vellet. Siqueira respondit, Lusitanos ante liberos sibi traderet, vt, eo pignore, facilius in animum induceret, eum reliqua omnia bona fide præstiturum. Id cum Rex facere nollet, immo hominem varijs fraudibus ludificare cogitaret, & nauigandi tempus abiret, Siqueira Indiam intra Gangem petiuit; duas in eo cursu naues hostiles cepit; e classe autem sua nauem vnam, hominum pænuria coactus, incendit. Aliam autem nauem vadisallisam amisit, ita tamen, vt nemo eo naufragio periret. Sic tandem ad promontorium Cori peruenit. Ibi, cum accepisset, Almeidam, cuius ille partes secutus fuerat, in Lusitaniam profectum esse, & Albuquercium Indiæ prouinciam moderari, metuens illius offensionem, in Lusitaniam nauigauit.

Siqueiræ in Indiam reditus.

HIERONYMI OSORII LVSITANI DE REBVS EMMANVELIS REGIS LVSITANIAE INVICTISSIMI VIRTVTE ET AVSPICIO GESTIS LIBER SEPTIMVS.

Albuquercius, cum statueret Armuzium petere, classem viginti trium nauiũ instruxit, in quibus erant Lusitanorum duo millia, & aliquot præterea auxiliares ex Indis militibus assumpti. Cum vero Baticalam peruenisset, Timoia pirata, qui tunc Emmanuelis imperium sequebatur, & in parua quadam insula Onori obiecta consistebat, ad Albuquercium se contulit, eumq. incepto deterruit. Vehementer namque se Ducis sapientissimi consilium admirari dixit, qui longinqua bella cum maiore periculo, & minore fructu, sumere, quam propinqua cum multo maiore laboris præmio suscipere, mallet. Præterea, non esse sapientis, hostem a tergo potentem impunitum relinquere, cui liberum esset, in Lusitanos illius ope destitutos inuadere. Goam, & propter insulæ situm, & vrbis opulentiam, & regionis vicinitatem, & hostis audaciam, esse illi prius expugnandam, quam aliquid aliud moliretur. Admonuit præterea illum de belli apparatu, in quẽ Zabaim dalcamus, Goæ princeps, & dominus, totis viribus incumbebat. Viginti enim naues maximas ædificabat, & naues etiam longas ornabat; mille Turcas, acres in bello viros, stipendijs alebat, & alios præterea milites permultos mercede conducebat, eo animo, vt nostros aggrederetur, & imparatos opprimeret. Nihil igitur vel ad salutem prouidentius, vel ad dignitatem præclarius, cogitari posse, quam consilium hostis anteuertere, &, antequam classis illa in altum deduceretur, ex improuiso Goam adoriri. Esse præterea rei bene gerendæ occasionem Diuinitus oblatam. Nam Zabaimdalçamum, post Zabaij patris mortem, eo quod multi Principes incontinenti ab eo defecerant, esse bellis molestissimis implicatum, & in continentem traiecisse, vt rebelles domaret. Ea autem de caussa coactum fuisse, maximam exercitus sui partem eo traducere, vt citius bellum conficeret. Operam deinde suam Timoia pollicitus fuit; sibiq. nihil optabilius esse dixit, quam vitam, si opus ita fuisset, pro Regis Emmanuelis dignitate profundere. Albuquercius, hac oratione permotus, consilium habuit. Omnes Timoiæ consilium comprobarunt. Albuquercius igitur, cum Goam oppugnare constituisset, Timoiam præmisit, qui terra arcem Zabaimi, in opido Zintacora egregie munitam, armis inuaderet. Ipse vero Goã petiuit. Vix aũt classem in ora collocarat, cũ Timoia ad illum peruenit; &, arcẽ esse iã a se funditus euersam, & flãmis absumptã, exposuit. Classis aũt Timoiæ erat quattuordecim longarũ nauiũ, armis & tormentis, & bellicis munitionibus, instructissima. Goa est insulæ, & vrbis, cõmune nomẽ. Fluuius ingẽs, in duas partes in mare influentes diuisus, insulã efficit. Ambitus illius millia passuũ circiter vigintitria cõtinet. Vrbs erat cincta muris, & munita turribus, & tormentis permultis, atque varijs, instructa: ædes amplę. Cæli tẽperies, & regionis amœnitas, & portus securitas, multos mercatores in uitabat, vt libẽter in ea domicilia collocarẽt. Emporiũ erat valde frequens, & opulentũ. Vigebant in ea armorũ studia; multiq. milites, partim equites, partim pedites, Zabaimi stipẽdijs alebãtur. Vestigijs namque patris insistens, oẽs, quos in bello virtutis specimen præbuisse nouerat, ad se congiarijs vberrimis alliciebat. Insula multo maiorẽ, quã pro illius magnitudine, hominũ multitudinẽ sustẽtare potest. Est. n. dẽsis arboribus valde fructiferis vestita, abũdat varijs frugibus, pecora innumerabilia nutrit, variaq. alimẽta profundit, & aquas multas, atque perẽnes, habet. Tẽpla ritu Mahumetano erãt maximis sumptib. ædificata, & prouẽtibus etiã, quibus sacerdotes alerẽtur, opulẽta. Nemini aũt licebat ĩ insulã ingredi, priusquã in aditu aliquo nomẽ suum, & patris,

Timoiæ ad Albuquercium de bello Goæ oratio.

Bellũ Goẽse.

Zabaimi arcis expugnatio.

Timoiæ Classis.

Goæ descriptio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tris,& patriæ,ſcripturæ magiſtris in quinque locis,quibus in inſulam facilior erat tranſmiſſio,conſtitutis,exponeret:qui etiam hominis colorem, & ſtaturam, & ſigna, litteris conſignabant. Accidit porro, poſtquam inſula in Luſitanorum poteſtatem peruenit, vt, dum Luſitanus quidam domus altiora fundamenta iaceret, Crucem ex ære factam reperiret: quod maximo argumẽto fuit, eam fuiſſe olim a Chriſtianis habitatam. Albuquercius vero primum omnium Antonium Norognam, & Simonem Andradium, & Simonem Martinũ, quorum naues humiliores erant, & remis incitari,& in vadis conſiſtere,poterant, præmiſit,qui turrim quandam,quę noſtris damnum inferre poterat,oppugnaret. Ijs autem Georgium Fogazam, Hieronymum Teixeiram, Georgium Siluciram, & Ioannem Nonium, & Garſiam Souſam, ſcaphis egregie munitis inuectos, comites adiunxit. Magiſtro autem claſsis vniuerſæ præcepit, vt fundum explora ret,& videret,an maiores naues poſsẽt, abſq. naufragij periculo,portum ſubire.Timoiæ vero imperauit, vt aliam turrim, in qua erant ſimiliter & tormenta, & præſidia militum diſpoſita,in continente non procul ab inſula ſitam,acriter impugnaret. Omnes impigre ſibi commiſſum munus exſequuntur. præſidia namque,armis partim cæſa,partim in fugam coniecta; & turres captæ, & incenſæ ſunt: & magiſter renuntiat, nullum eſſe a vado periculum. Inde, Albuquercij juſſu, vlterius progreſsi, opidum inſulæ, Pangin nomine, ſatis magnum,& militum non exigua copia munitum, inuadere parant. Hoſtes accurrunt, vt noſtros aditu prohibeãt. Fit atrox prælium: hoſtes tandem fuſi, fugatiq. ſunt, & opidum coniectis facibus exuſtum. Poſtridie Albuquercius naues humiliores miſit, quæ ſe cum Norogna coniungerent. Maiores enim naues,propter malaciam,ſubſtitere.Ipſeq. in triremem, cui prærat Iacobus Fernandus Begienſis,ingreſſus eſt. Ibi Saraceni quidam ad illum ſupplices adeunt; ſe Cambaienſes eſſe dicunt, & Goam rei gerendæ gratia conueniſſe, & Melichiazij fœdere contineri: orare, & obſecrare, vt fœderatos, atque ſupplices, inſita fide,& benignitate,conſeruaret.Eos Albuquercius in fidem recepit. Quærit ab illis deinde,quo in ſtatu ciuitas ipſa ſit. Narrant illi,maximum eſſe metum ciuibus iniectum.Seditiones etiam inter Principes excitari. Multos namque,propter exiguum militum numerum, deditionem facere velle: quoſdam vero illis,qui hoc animo eſſent, acriter aduerſari. Ad reſiſtendum porro neque conſilium, neque mentem, in alterutra parte conſiſtere. Albuquercius, ne, vi propius illata, eos, qui diſsidebant,inter ſe conuenire cogeret, & ſimul, vt, vrbe citius in poteſtatem redacta,liberior ad reliqua,quæ animo deſignarat,exſequenda relinqueretur, eoſdem Saracenos legatos ad ciuitatis Principes mittendos eſſe, duxit.Legationis ſententia hæc erat. Se,non vt exitium Goenſibus importaret, ſed vt eos a dominatu duriſsimo ad imperium multo clementius adduceret, eo claſſem appuliſſe. Si in deditionem redigi vellent, ſe omnium libertatem tuendam ſuſcipere, & vt ſuis legibus, & ea religione, qua a pueris imbuti fuerant,vitam inſtituerent,ſi Chriſtianam ſequi nollent,facile permiſſurum;& tertiam præterea partem tributorum, quæ Zabaimo pendebant,remiſſurum;ea tamen lege,vt milites illius poteſtati traderẽtur,vt de eis,quod optimum illi videretur,ſtatueret. Ciues condicionis accipiunt. Aliqui tamen,cum aliquot militibus, aufugerunt. Rebus ad hunc modum conſtitutis,ſequenti die,qui fuit XVI. Februarij, anno ſalutis MDX. Albuquereius in vrbem ingreſſus eſt. Vrbis, & arcis, & munitionum omnium, & armamentorum, poſſeſsionem, nomine Regis Emmanuelis,occupauit; fidemq. a ciuibus accepit,eos fore ſemper imperio Emmanuelis obſequentes, neque ab illius vmquam fide diſceſſuros.Erant in mœnibus, & armamentis, quadraginta ingentia tormenta ex ære facta; e minoribus incredibilis multitudo;maxima pilarum,& tormentarij pulueris, vis; & reliquarum munitionum tanta copia, vt admirationem commoueret. Erant in ſtatione nauali naues maximæ quadraginta, celoces ſedecim,& longæ præterea naues quamplurimæ. Erat præterea in Zabaimi ſtabulis non mediocris equorum, qui fuerãt e Perſide,& ex Arabia, aducti, numerus. Ad has commoditates accedebat varius, & multiplex,commeatus.Albuquercius,ne vrbs tãtæ celebritatis parum firmo præſidio muniretur, in ea hiemare conſtituit.In locis, quibus aditus in vrbem patebat, præſidia diſpoſuit: vrbis cuſtodiam Antonio Norognæ, arcis præfecturam Gaſpari Paiuæ,commiſit;Regiæ facultatis procurationem Franciſco Corũnelo tradidit.Magiſtratus deinde,qui anno næ,qui ædibus,& vijs,præeſſent, qui communi conſilio res ad victum publicum neceſſarias adminiſtrarent, delegit; ordinemq. ciuilem ſingulari temperatione conſtituit. Saracenos,& alios, qui portorijs, & vectigalibus, aliunde importatis,præfuerant, minime(ſic enim temporis ratio flagitabat) muneribus priuandos eſſe duxit.Promiſſa cumulate præſtitit; &,vt omnium in ſe popularium animos alliceret, operam ſtrenue nauauit. Mulieres, & virgines,quæ in Zabaimi ædibus,in quibus ipſe habitabat, aſſeruabantur, ab omni petulantia militari cuſtodiri diligẽtiſsime iuſsit. Legatum deinde ad Narſinguæ Regẽ mittere inſtituit: &,Regem etiam Vẽgaporenſem, qui Narſinguæ Regi parebat, per cuius Regnum legatus iter facturus erat, vt ad ſuas partes alliceret, operam dandam eſſe ſtatuit. Legatus fuit Gaſpar Chanoca, qui Biſnagã, vrbem

Christianiſmi veſtigia, Goæ reperta.

De turrium duarum expugnatione, atque incẽdio.

Pangin opidum incenſum.

Saraceni aliquot in deditionem accepti.

Albuquercij ad Goenſes legatio.

Goæ deditio Anno a Chriſto nato 1510.

Mira bellico rũ inſtrumentorũ vis Goę reperta.

Goenſis Reipub. conſtitutio.

Albuquercij ad Narſinguẽ ſem Regẽ legatio.

vrbem Narſinguæ maximam, & opulentiſsimam,totiusq.Regni metropolim,in qua Rex plerumque cõſidet,peruenit: vbi fuit a Rege, cum magnis honoribus,acceptus. Regis Armuzienſis familiares, atque domeſticos, qui in ea vrbe negotiabãtur, muneribus affectos dimiſit. Iſmaelis,Perſarũ Regis, legatos,qui Goam, vt negotia magni ponderis cum Zabaimo tranſigerent,conuenerant,humanitate ſumma proſecutus eſt. Ad ipſum deinde Ismaelem legationem decreuit. Legatus appellabatur Rodericus Gomezius Carualioſa, qui Armuzij a Coieataro, ne ad Iſmaelem peruueniret,veneno ſublatus fuit. Vrbem deinde muniuit: naues,quæ erant inchoatæ,perfecit:vectigalia locauit.Timoia redemptor exſtitit.Dum hæc geruntur,res noua præter opinionem incidens, Albuquercium, ne,alijs curis omnino vacuus, Remp.optime conſtitueret,impediuit. Nam quidam viri nobiles illi vehementer aduerſari cœperunt, atque primum illius actionibus obtrectare, clamculũ omnia facta illius irridere, &,ſiue virtutis inuidia,ſiue inſita temeritate,& inſania, nomẽ illius maledictis inſectari. Deinde audacius, ne rem Luſitanam in ſummum diſcrimen induceret, obteſtari. Vrbem illam eſſe magnã, hoſtibusq. innumerabilibus circumfuſam,neque poſſe tunc ab imminentibus periculis vlla ratione defendi.Hieme nullam opem aliunde,propter aduerſas tempeſtates, afferri poſſe. Opes Zabaimi ingentes eſſe:odium finitimæ gentis in noſtros acerbiſsimum. Fidem ciuium, qui ſe dediderant, fluxam, & neque ſponte, ſed metu, & terroribus,expreſſam. Si hoſtes hieme, quod eis facillimum foret, fluuium traijcerent,obſidionem ſuſtineri nõ poſſe.Eſſe igitur vrbem præſidio nudandam, neque,propter vllius ambitionem,omnes Luſitanorum copias hoſtium immanitati prodendas. Ad hos cum alij quidam ſe aggregarent, & Albuquercij nomen apud multitudinẽ deferrent,& publicum etiam teſtimonium ſumerent,ſupra nongentos homines Luſitanos Albuquercio aduerſarios, & infeſtos, reddiderunt. His rebus cognitis, Albuquercius, vna nocte,tumultus auctores,ad clamdeſtina colloquia in vna domo coactos,oppreſsit,& in cuſtodiam tradidit. Illi ſimulant,ſe in illius poteſtate futuros. Is,cum eorum ope indigeret, ab eis fidẽ accepit, eorumq. erratis ignouit. Aliquos tamen ex eis poſtea dimiſit,ne ei grauiorem moleſtiã manendo exhiberent,quam diſcedendo afferre potuiſſent. Alij, contra fidem datam,eum deſeruerunt.Hæc indigenas minime latebant;& exploratores omnia Zabaimo per litteras nuntiabant. Interim Dynaſta quidam,ex ijs,qui rebus Luſitanis ſtudebant,litteris Albuquercium admonuit, exercitum ingentem a Zabaimo comparari;vicinos Principes ad auxilium accerſiri; bellum, quod Zabaimus gerebat, æquabili compoſitione finiri;vrbes eorum,qui in Luſitanos voluntate propendebant,vaſtari. Albuquercius ſocijs opem afferre conabatur; ſed tanta erat hoſtium multitudo, vt fruſtra in eo laborem, & ſtudium,conſumeret.Id,quod reliquũ erat, ſumma vigilantia facere nitebatur,vt hoſtes inſulæ aditu prohiberet, & vrbem tutaretur. Sed ratio vtriuſque muneris gerendi erat difficilis,& impedita. Nam Luſitani erant pauci,& magna eorum pars ab Albuquercio, ſermonibus eorum, qui diſcordias excitauerãt, auerſa.Ciues,cum quibus pacem fecerat,non ſuſpecti tantum, verum Principem ſuum non obſcuro ſtudio repetentes: aditus in inſulam neque pauci, neque difficiles. Itaque eodem tempore erat Albuquercio, vt & ſuos in officio contineret,& Goenſium proditionem caueret,& hoſtium multitudini diuerſis in locis reſiſteret,ſumma vigilantia laborãdum. Aditus inſulæ primum foſſa, & vallo, muniuit; & in ijs,quæ potuit, præſidia diſpoſuit; & duces, quorum virtuti confidebat, ſingulis præfidijs aſsignauit.Locus vnus,qui erat magis,quam reliqui,munitus, (incolæ Benaſtarin appellabant) erat oppoſitus illi parti continentis, quam iam Pulatecamus,Zabaimi dux,caſtris occuparat.Vir nobilis,nomine Garſia Souſa, ſtationi illi fuerat ab Albuquercio præpoſitus. Is candidum vexillum ab hoſtium caſtris ſublatum conſpicit. Quod cũ cerneret, aliud ſimiliter vexillum candidum tolli præcepit. Id erat ſignum ſecuritatis ei, qui vellet propius accedere. Vir deinde ex colle,qui hoſtiũ caſtra tegebat, in litus deſcendit. Illæ vero ſunt æſtuarij, atque fluminis,anguſtiæ,vt ſermo vtrimque ab ijs,qui in vtroque litore conſtituti ſint, haberi facillime poſsit. Is igitur Souſam voce maxima compellabat,ſeq. Luſitanum eſſe, & Ioannem Machiadum appellari,dixit, & vnum ex exſulibus illis, quos Capralis in Melinde reliquerat.Inde profectum, Dium perueniſſe, & ſub Melichiazio ſtipẽdia feciſſe. Maiore deinde congiario a Zabaio, Goæ Dynaſta,Zabaimi patre,conductum,ſub illius ſignis militaſſe:qui illi, cum eum Turcã exiſtimaret, militum præfecturam conceſſerat.Seque,quamuis Turcam eſſe ſimularet,revera,mente,& intima fide,numquam a Christi religione diſceſsiſſe. Itaque animo Chriſtiano, & amore in patriã debito, perſuaſum, eo deſcendiſſe, vt Chriſtianos admoneret,vt impendens omnibus diſcrimen declinarent. Zabaimum habere ſub ſignis ſupra quadraginta hominum fortium millia; tam multisq. tormentis,atque bellicis inſtrumentis, abundare, vt Luſitani illius vim, & impetum, diu minime ſuſtinere poſſent. Quo circa ſe Chriſtianos hortari, & admonere, vt, antequam hiems exitum intercluderet, ex inſula diſcederent. Souſa homini gratias agit,& rem omnem Albuquercio, per nuntium, exponit. Albuquercius, id hoſtium calliditate fieri ſuſpicatus,

Albuquercij ad Sophum Perſarum Regem legatio.

Tumultus auctores capti, ac mox dimiſſi.

Zabaimi bellum aduerſus Albuquercij.

Albuquercij munitiones, & præſidia.

Securitatis ſignum apud Goenſes.

Ioannis Machiadi de rebus hoſtilib. indicium.

Zabaimi exercitus, & inſtrumẽta bellica.

Universidad de Deusto
Biblioteca

catus,quo terrorem noſtris inijcerent, admonitionem contempſit; indignumq. ſe prorſus exiſtimauit, antequam experiretur, an inſulam tueri poſſet, ex ea decedere. Pulatecamus vero, cum animum Albuquercij obſtinatum perſpiceret, vt in aditum irrumperet, excogitauit. Itaque rates coniunxit, &, ne ratibus noceri tormentis poſſet, ſtationem in fluminis oſtio, vallo, & foſſa, validoq. præſidio, muniuit. Noſtri, cũ id animaduerterent, vt ſtationem hoſtium expugnarent, ſummo opere cõtenderunt. Sed, cũ in eo fruſtra pugnarent, Albuquercium admonent, operam in ſtationis oppugnatione fruſtra conſumi. Albuquercius eo ſe, cum equitum turmis, contulit; &, hoſtiũ munitionem conſpicatus, ducibus præcepit, vt ab oppugnatione deſiſterent, & in eo tantum induſtriam ponerẽt, vt hoſtes aditu prohiberent. Se namque confeſtim cum maioribus copijs affuturum, & Norognam cum minoribus nauigijs in mare miſſurum, vt ſic demum ſtatio facilius expugnaretur. Idem reliquis Ducibus, quibus alios aditus tuendos aſſignarat, imperauit. In vrbem reuerſus, dat operam continuo, vt parua quædam nauigia, quibus Goenſes vtebantur, quæ remis impelluntur, (Cotias autem appellabant) in vnum locum conueniant. At omnes Cotiæ erant ad hoſtes clam tranſmiſſæ, vt illis copias in inſulam, maiore cum facilitate, traijcerent. Id vbi reſciuit Albuquercius, eum, cuius id opera factum fuerat, confeſtim occidi, præcepit. Interim hoſtes, ſumma vi, vt in inſulam penetrarent, contendebant. Sed noſtri tam acri animo reſiſtebant, vt eos ſemper a conatu repellerent. Tandem Pulatecamus, cum deſperaret, ſe die in inſulam tanta virtute defenſam ingredi poſſe, nocte ſe id facilius effecturum exiſtimauit. Noctem pluuiam, & caliginoſam hiems enim inſtabat, exſpectauit, qua noſtri, tempeſtate, & imbre, præpediti, neque tormentis vti, neque omnibus locis occurrere, poſſent. Cum igitur ea nox, quam optabat, adueniſſet, quæ fuit decimo ſeptimo die Maij, Zufularimum, virum impigrum, & in rebus bellicis adminiſtrandis intrepidũ, cũ mille delectis hominib. in inſulã ratibus inuehi, & Benaſtarinũ petere, iuſsit. Melichium vero Cufforgium, qui Goenſi exercitui præfuerat, iuſsit alium aditum, Zancalinum nomine, qui inde non procul aberat, Cotijs, quas ad eam rem parauerat, aggredi. Se, cum reliquis copijs, vt eis ſubſidio occurreret, tranſmiſſurum. Zufalarimus, quamuis & noctis ſilentio, & tempeſtatis opportunitate, vteretur, noſtros perpetuo vigilantes latere non potuit. Hoſtes tamen, cum eſſent tanto plures numero, & in noſtros, tenebris, & pluuijs, impeditos, &, in quam primum partem accurrerent, non ſatis explicantes, irruerent; & eodẽ ſimul tempore vtrumque aditum oppugnarent; terram tandem occuparunt, & noſtros ex ſtationibus expulerunt. Quod tamen non, abſque ſumma armorum contentione, fieri potuit: in qua aliquot vtrimque ceciderunt, in quibus Garſia Souſa fuit. His rebus ita geſtis, ij, qui expulſi fuerant, cum alijs, qui aditus aliquos cuſtodiebant, in vrbem ſe receperunt. Albuquercius vero, cum Goenſibus militibus, quibus ſe vſurum dixerat, parum fideret, vt ciuitatem eorum inſidijs (iam enim inter ſe de prodenda ciuitate coniurauerant) liberaret, omnes iuſsit abire: quibus ſimulate eam curam dedit, vt Benaſtarini aditum armis tuerentur; ſeq. dixit illis opem confeſtim allaturum. Nec enim de omnibus pœnas ſumere poterat; &, hoſtes intra muros verſari, periculoſius exiſtimabat, quam cum omnibus in campo confligere. Illi continuo ſe ſe cũ Pulatecamo coniungunt. De mercatoribus tamen, qui remanſerant, (eos enim, a quibus minus timebat, eijcere noluit) quæſtionem habuit, & quendam, Mircazemum nomine, opibus, & exiſtimatione, Principem, cum nonnullis, qui ſocij coniurationis exſtiterant, capitali ſupplicio affecit. Pulatecamus vero in loco caſtra poſuit, qui duobus paſſuum millibus ab vrbe diſtabat. Inde crebras in vrbem excurſiones faciebat. Albuquercius naues, quæ in ſtatione erant, per Iacobum Fernandum Fariã, virum fortiſsimum, incendere præcepit. Sed incendium fuit continuo ab hoſtium multitudine reſtinctum. Vrbis muri multis in partibus laborabant. Eas omnes Albuquercius ſtationibus firmare conſtituit. Octo ſtationes muniuit, easq. octo ducibus cuſtodiendas cũ præſidijs aſsignauit. Nauigium deinde in mare deduci iuſsit, vt Cochimum, quam celerrime fieri poſſet, nuntiaret diſcrimen, in quo ipſe, cum omnibus Luſitanis, verſaretur, & Georgium Siluium, atque Hieronymum Teixeiram, (hi erant ex illis, qui turbas contra illius acta conciuerãt) ad ſubſidium euocaret. Quod illi, ſiue odio Albuquercij imbuti, ſiue deſperatione quadam ſalutis occupati, facere neglexerunt. Pulatecamus, interim, propius accedens, vrbem ſummis viribus oppugnabat: noſtri ſumma etiam contentione reſiſtebant. Antonius Norogna, in vrbis parte, quæ erat muris propemodum nudata, magna namque pars illius diruta fuerat, ex ſtatione, cui præerat, hoſtium impetum egregie ſuſtinebat. Cum vero hoſtes pertinacius inſtarẽt, ipſe, aperto oſtio, copias eduxit, &, impreſſione facta, hoſtium impetum repreſsit. Verum, cum ſe recepiſſet, magnum periculum adiuit. Ea die fuit vrbs tribus horis, omnibus partibus, acriter oppugnata, ſed multo acrius defenſa, ita, vt cogeretur Pulatecamus copias, ne plus damni acciperet, quam inferret, a muris abducere. Inſequenti nocte, in loco propelitus, in quod naues reficiendas ſubducere mos erat, ſtationem vallo muniuit, & in ea tormenta cum valido præſidio diſpoſuit. Prima

Cotiæ, Goensium nauiculæ, clã ad hoſtes auectæ.

Pulatecami irruptio in Goam irrita.

Altera eiuſdẽ irruptio, & Luſitanorum fuga.

Albuquercij ſtratagema.

Quæſtio de proditoribus habita, & eorum ſupplicium.

Goæ præſidium.

Albuquercio negatũ in diſcrimine a ſuis ſubſidium.

Vehemens Goæ vrbis oppugnatio.

ma deinde luce, vrbem, ea parte, quam Arius Siluius tuebatur, acerrime verberare, & omnes ſimul vrbis partes oppugnare, iuſsit. Sed hoſtes etiam ea die cum non mediocri damno repulſi ſunt. Noſtri tamen erant iam eo tẽpore, & laboribus, & vigilijs, & vulneribus, & reliquis incommodis, quibus obſeſsi, omniumq. præſidio deſtituti, circumueniri ſolẽt, afflictij in primis autem Albuquercius. Qui tamen, cum eſſet grauiſsimis curis implicitus, omnia maximo animo perferebat. Et nũc conſolando, nunc obiurgando, aliquando ſpem ſalutis afferendo, & ignominiæ metum proponendo, iacẽtes animos excitabat, exemploq. ſuo ad laborem, & audaciam, multos incendebat. Nullum enim impigri interdum militis, & ſummi ſemper ducis, officium prætermittebat. Machiadus interim, cuius ante mentionem fecimus, clam ad illum ex hoſtium caſtris venit, atque indicauit, Pulatecanium de incendenda illius claſſe cogitare. Cum hęc cura illum vehemẽter ſollicitum haberet, Georgius Cugna, & Frãciſcus Pereira Coutignus, Franciſcus Souſa Manzias, & alij quidam, qui fuerant diſſenſionis concitandæ Principes, inſtant, vrgent, obteſtantur, publicum teſtimonium petũt, rem eſſe perditam clamitãt, vrbem continuo deſerendam eſſe dicunt, plebem eiuſmodi verbis exanimant, ita, vt non facile poſſet Albuquercius ſtatuere, eſſent ne magis hoſtes, quam ciues ipſi, homines præſertim nobiles, qui multitudinem ad defectionem ſollicitabant, metuendi. Hæc tamen omnia ſingulari alacritate, & prudẽtia, curauit. Claſſem enim vigilantia ſua incolumem ab incendio conſeruauit; & tumultus oratione grauitatis plena compeſcuit. Attamen Zabaimus, omnibus copijs in inſulam traiectis, (fuerat enim Pulatecami litteris adſcitus) caſtra prope vrbem collocauit. Saraceni vero, qui in vrbe relicti fuerant, & fidem metu ſimulabant, vbi Zabaimi caſtra conſpexere, arma corripiunt, & in noſtros inuadunt. Ibi Albuquercius, cum & hoſtis potentiam, & mœniũ infirmitatem, & quorundam parum firmam fidem, & hoſtes inteſtinos, ſcelere, & odio, furentes, adſpiceret, in arcem, cum omnibus copijs, ſe continuo recepit. Zabaimus, nemine repugnante, in vrbem introiuit; omnesq. ſine vlla cunctatione, animi neruos intendit, vt noſtris exitum intercluderet. Arx fluuio imminebat. Alueus fluuij erat profundus, & anguſtus. hunc alueum primum molibus obſtruendum curauit, ne noſtri nauibus per illum inuehi poſſent. Itaque nauem maximam in alueo conſtitutam perforauit, vt mergeretur, vt ita nullum pateret noſtris effugium. Deinde machinas, ex arida materia, ſulphure, & pice, oblitas, comparauit, quibus in noſtram claſſem immiſsis, eam incenderet, & ſic demum arcem, omni ſpe ſalutis ciſa, armis expugnaret, & Luſitanos in eam incluſos internecione deleret. Hæc omnia cum Brachmanæ cuiuſdam exploratoris iudicio, quem ad id munus Timoia in hoſtium caſtris verſari iuſſerat, Albuquercius intellexiſſet, ſtatuit noctis ſilẽtio ex arce copias educere. Et, quando altũ petere, propter hiemem, non poterat, in portu claſſem collocare, & inde bellũ continenter gerere cũ Zabaimo, conſtituit. Deinde, cum ver appeteret, cum maiore nauium, atque militum, numero, rurſus ad vrbem oppugnandam accedere. Primum tamen prætoriæ nauis magiſtrum miſit, vt exploraret, an inter merſam in alueo nauem, & litus ipſum, eſſet aliquod ſpatium, per quod naues egredi tuto poſſent. Magiſter renuntiat, exitum non fore difficilem. Albuquercius igitur, cum primum centum & quinquaginta Saracenos, qui proditionis conuicti, & vinculis alligati, fuerant, interfici iuſsiſſet, arma, tormenta, munitiones, æs, & ferrum, inſtrumenta bellica, & commeatum multiplicem, & Zabaimi mulieres, atque virgines, & quoſdam Saracenos fœderatos, atque poſtremo milites, in naues imponi præcepit; ipſe omnium poſtremus prætoriam nauem conſcendit. Id tamen tanto ſilentio fieri nequiuit, vt hoſtes eorum profectionem non ſentirent. Norogna enim armamentarium, pice, & ſulphure, & oleo, refertum, incendi præcepit. ſlammis ad hunc modum vehementer excitatis, hoſtes, quod fieret, intellexerunt. Itaque ſubito ad litus cum armis ac currunt. Atrox ibi prælium ortum eſt, in quo maxime Antonij Norognæ, Hieronymi Limici, & Emmanuelis Lacerdæ, & aliorum virorum nobilium, qui cum valida manu hoſtium impetum ſuſtinebant, virtus enituit. Sic autem factum eſt, vt omnes Luſitani naues conſcenderent, quamuis eorum multi ſauciati e prælio abirent. Ad hunc modum Albuquercius ex vrbe diſceſsit, trigeſima die Maij, cũ illius poſſeſsionem tribus menſibus cum dimidio tenuiſſet. Ad opidum deinde, quod Rapãdar appellant, ſecundo curſu delatus, ibi hiemem traducere ſtatuit. At Franciſcus Souſa Manzias, illius iniuſſu, vt ſe ſe ab illius ductu ſegregaret, altum petijt: ſed, fluctibus, & aduerſis tempeſtatibus, eo relatus, vnde ſoluerat, fuit ab Albuquercio nauis præfectura ſpoliatus. At Zabaimus, cum per exploratores accepiſſet, Albuquercium velle in fluuio hiemem trãſigere, primum eum locum, in quem noſtros, aquationis gratia, conuenire nouerat, quem Bardes appellant, vallo muniuit, in eoq. tormenta, & fortium militum præſidia, vt noſtros aquatione prohiberent, diſponenda curauit. Huiusq. ſtationis præfecturã Melichicufo Gorgio dedit. Pãgini vero caſtellum, quod eſt ad fluminis oſtium, diligentius refectum, atque munitum, valido etiam præſidio confirmauit. Et, quia caſtello collis imminebat, e quo poterat damni quamplurimum ijs, qui illud cuſtodiebant, inferri, Pulatecamo imperauit,

Luſitanorum difficultates.

Albuquercij magnanimitas.

Luſitanorum quorundam contra Albuquercium tumultus.

Albuquercius cũ ſuis in arcem ſe confert.

Zabaimus Goa potitur.

Albuquercius cum ſuis arcem deſerit.

Atrox prælium.

Albuquercius ad opidum Rapandar in hiberna ſe cõfert.

Manſig. deſectio punita.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Albuquercius stationē mutare coactus.

perauit, vt, cum tribus millibus militum, collem insideret. Ex illis munitionibus multos e nostris vulnerabant, ita, vt cogeretur Albuquercius inde soluere, & classem in ea parte constituere, quam æstuarium, inter insulam nomine Diuar, & continentem, reciprocationibus interfluit. Ibi rursus hostes festinanter vndiq. conuenere, vt alias munitiones excitarent, nostros telis, atque tormentis, obruerēt. quamuis autem nostri locum sæpe in varias partes commutarent, incommoda tamen vitare nullo modo poterant. Præcipue eos tamē fames, atque sitis, (iam enim commeatus eos defecerat) excruciabat. Famem tamen piscatione, vt poterant, quandóque depellebant. Sitim vero, cum, propter imbres immodicos, quibus amnis amplificatus in mare influebat, aquæ maris fuissent in dulcedinē versæ, ipsius æstuarij aquis exstinguebāt. Nihilominus fames in dies ingraueſcebat. ea compulit Albuquercium, vt Antonium Norognā, cum Menaique, (erat is ex ducibus Indicis, qui in fide manserat) in Charamensem, & Diuarem, insulas, non lato inter se mari disiunctas, mitteret, vt inde commeatum aliquem classi suppeditarent. Is, cum in insulas descendisset, multo prius suorum sanguine profuso aliquot vaccas abduxit. Cum tamen eos fames supra modum vexaret, & spes omnis deficeret, quidam plebeij homines, fidei prorsus immemores, & Christianæ religionis obliti, ad hostes nando transfugerunt, qui Zabaimo, quibus difficultatibus Albuquercius esset implicitus, indicarunt. Hic rursus, Machiadi indicio, certior factus est Albuquercius, Zabaimum machinas ingentes instruere, quibus ad classem admotis, in nauibus ignem implicaret. Machinas deinde classem octoginta nauium subsequi iussam, vt nostras naues partim ambustas incendio, partim dissipatas formidine, deprimeret. Albuquercius, hoc nuntio conturbatus, animum in omnes partes versabat, vt illud malum, quod impendebat, aliqua ratione repelleret. In primis autem statuit experiri, an arcem Panginensem, vnde grauius illi damnum, quam ex reliquis hostium munitionibus, imminebat, expugnare posset. Consilium temeritatis, & amentiæ, plenum videbatur, cum paucis hominibus, ijsq. fame confectis, arcem multiplici tormentorum genere, & multorum hominum robore defensam, capere conari. Sed fames, & desperatio, quæ plerumque homines mortis contemptores, & in audendis, atque sustinendis, vitæ periculis valde pertinaces, & ea de caussa inuictos, multis in locis efficit, hominem in eam mentem impulit, vt id consilium susciperet. Itaque Norognam, & Simonem Andradium, cum centum hominibus, ea parte, quæ ad occasum Solis spectat, in collem, quem Pulatecamus insidebat, præmisit, qui illum præsidio distinerent, ne opem suis afferre posset. Simonem vero Martinum iussit Septemtriones versus angustias itineris cuiusdam, quod ex colle in arcem ferebat, custodire, vt Pulatecamum similiter, si occurrere suis vellet, angustijs occupatis, impediret. Ab australi plaga, propius ostium fluminis, Iacobum Fernandum Begiensem, cum trireme, & Alfonsum Personam, cum naue longa, constituit, vt inde tormentis castra perturbarent. Ij, quibus curam dedit, vt a fronte, & a tergo, arcem aggrederentur, in duas erant acies distributi. In vna Emmanuel Lacerda, Sebastianus Miranda, Nonius Vascius Albicastrensis; in altera Hieronymus Limicus, Arius Siluius, Georgius Fogacia, Ioannes Limicus, Fernādus Petreius Andradius exstitere. His ita constitutis, tanto silentio profecti sunt, vt ne pulsum quidem, & incitationem, remorum quisquam auribus vsurparet. Prima luce in terram descendunt. Ibi, cum omnes certatim, alacritate incredibili, quod sibi fuerat imperatum, conficerent, & Albuquercius tubis, & tympanis, & tormentorum fragore, & sublatis clamoribus, signum pugnę proponeret, hostes exterriti, atque semisomnes, inopinatoq. terrore perculsi, fugam faciunt. Sic autē euenit, vt vno temporis momento & arx, & castra, Pulatecami expugnarentur; & hostes, de somno suscitati, non quo modo repugnarent, sed quemadmodum se fuga ab imminenti clade proriperent, cogitandum arbitrarentur. Nec enim in animum inducebant fieri posse, vt nostri, tantis difficultatibus impediti, tantum facinus suscipere auderent, nisi fuissent auxilijs aliunde accersitis confirmati. In hoc prælio ex hostibus ducenti & quinquaginta ceciderunt: nec enim licuit fugientes longius insequi, quam securitatis ratio flagitabat. e nostris quattuor desiderati sunt. Tormenta omnia, quæ fuerant in arce, & castris, dispositа, in naues traducta fuerunt, & opidum direptum, & commeatus in naues importatus. Hæc res cum præter exspectationem accidisset, vrbem terrore compleuit, & Zabaimū perturbauit. Itaque, ne nostri rursus ad vrbem copias adducerent, extra ciuitatem turres excitauit, multa loca muniuit, vt facilius nostrorum impetum ab vrbe repelleret. Pacem deinde per Ioannem Machiadum ab Albuquercio petijt. Machiadus autem Albuquercium admonuit, ne pacem, nisi condicionibus vtilissimis, daret. Zabaimus enim nuntium acceperat, Narsinguæ Regem, cum maximo exercitu, ad ciuitatem, quam in continenti Zabaimus expugnarat, quæ Taracol appellabatur, & ad ditionem, & imperium, Narsinguæ pertinebat, appropinquare. Præterea timebat, ne classe nostra vectigalia sibi detraherentur, portorijs sublatis, maxime vero ex equis, qui ex Perside, & Arabia, Goam adnehebantur. Albuquercius, quia nolebat ijs fœderibus alligari, quæ illum impedirent, quo minus licite posset

Lusitanorum difficultates, & præcipue fames.

Christianorum aliquot perfidia.

Zabaimi in Lusitanos machinationes.

De Pāginensis arcis, & Castrorū Pulatecami expugnatione.

Cæsorum numerus.

Zabaimi perturbatio.

Zabaimi legatio ad Albuquercium, de pace.

Taracol ciuitas expugnata.

posset iterum Goam armis inuadere, eas pacis leges scripsit, quibus Zabaimus, si dignitati, & vtilitati, suæ prospicere vellet, assentiri non poterat. Sic Albuquercius hiemem traduxit, vt non modo cum hostibus, atque fluctibus, rerumq. omnium penuria, verum & cum suis, sæpe conflictaretur. Accidit eo tempore, vt mulieres, quas ille diligentissime seruari iusserat, vt eas vel in Lusitaniam ad Reginam Mariam mitteret, (erant enim eximia pulchritudine) vel Christianis sacris initiatas apud Lusitanos matrimonio stabili collocaret, animos hominum quorundam nobilium indomita cupiditate parum honestæ libidinis inflammarent. Huius flagitij monitor, & impulsor, quidam Rodericus Diazius, scribæ filius, qui mulierem vnam Saracenam ex illis adamabat, eiq. iam sæpius assueuerat, exstitit. Itaque omnes clam in naui prætoria nocte ad mulieres, Albuquercij imperio neglecto, ventitabant. Is, vbi id resciuit, hominem suspendere iussit. Homines nobiles, qui socij criminis fuerant, ad illum adeunt, & obnixe precantur, vt illi misero veniam tribuat. At, cum is eorum postulata reijceret, illi querelis, & conuicijs, rem expedire contendunt; propter quæ necesse fuit, eos in custodiam dari. Postea vero, cum Albuquercius cerneret, se, in tanta virorum penuria, eorum opera carere non posse, illos custodia liberari præcepit. Fremunt illi; tantamq. hominibus ea nobilitate præditis illatam contumeliam indulgentia illa compensari minime posse. Se nolle e custodia vllis condicionibus emitti, sed artissimis etiam vinculis alligari, vt ita, ferro vincti, in Lusitaniam deducantur, & apud Regem Albuquercij nomen deferant. Is, vbi hoc accepit, eos insanire permisit, honoribusq. priuauit, eorumq. præfecturas alijs viris nobilibus attribuit. Machiadus interim, qui omnia, quæ ab hostibus gererentur, diligenter explorabat, Albuquercium admonuit, classem octoginta longarum nauium a Zabaimo comparari, quibus illum ex improuiso aggrederetur. Albuquercius non exspectandum putauit, dum classis omnibus rebus instructa in nostros inuaderet: immo, ante quam omnes naues in mare deduci possent, illam vt inopinato opprimeret, excogitauit. Antonium Norognam decem celocibus instructissimis in eas inuadere iussit; duas præterea triremes, & vnam nauem longam, cum vno parone, præmisit, vt in certo loco consisterent, & insidias in terra collocarent, quibus aliquem ex incolis interciperent, ex quo possent hostium consilia perscrutari. Cum vero diu exspectarent, & nemo in illos incideret, progressi sunt vsqueo, dum vrbem tormentis attingere liceret. Quidam ex ducibus, nomine Ioannes Gondisalui, vrbem præteruectus est; deinde se ad triremes sine vllo damno recepit, quamuis hostes in illum ingentes pilas, atque glandes, emitterent. Tandem Norogna, cum celocibus, & scaphis, appropinquauit. Cū vero cerneret a tergo triginta parones, qui ex Diuarensi insula, duce Zufalarimo, in classem illius ferebantur, & alios, quos ex vrbe remis impelli videbat, classem in duas partes distribuit. Habebat autem in classe trecentos viros, summa audacia, & militari virtute, præditos, in quibus erant illi, qui e custodia emitti noluerant. Qui tamen, Norognæ studio ducti, non vt duces, sed vt milites, voluerāt illi in eo certamine operam nauare. Norogna classis partem iussit naues propius vrbem constitutas adoriri; ipse cum reliqua classe in Zufalarimum inuectus est. Zufalarimus certamen minime detrectauit. A cerrime vtrimque, & diu, dubia victoria, dimicatum fuit. Sed tandem, cum hostes permulti caderent, Zufalarimus, conuersis proris, classem in terram subduxit. Idem fecere reliqui, qui cum ducibus alijs prælium inierant. Similiter enim naues in listus incredibili celeritate subduxerunt. Pugna iam prope vrbem in Zabaimi conspectu gerebatur. Norogna cum Zufalarimum auidius insequeretur, Zufalarimi nauis impegit. Simon Andradius, & Fernandus Petreius Andradius fratres in eam insiluerunt: hos alij tres secuti sunt; &, in hostes ferociter irruentes, omnes fugere compulerunt. Cum autem Norogna, vt opem quinque illis hominibus afferret, qui in nauem insiluerant, in eam ingredi conaretur, & pedem iam in nauis latere poneret, sagitta e muris emissa sinistrum illius crus repente transfixum est: quo vulnere is in scapha sua concidit. Scapha a longa naue, corporis succussu, diuulsa est. In ea trepidatione, dum omnes certatim, vt Norognam e certamine deducerent, nitebantur, nemo illis quinque viris, qui fuerant in hostili naue relicti, suppetias afferebat. Aestus decesserat, & nauis in sicco destituta facultatem præbuit hostibus nostros inuadendi. Sed tanta Andradiorum fratrum virtus exstitit, vt Zabaimō admiratione ingentē efficeret, & tres socios, qui cum illis in naué irruperāt, egregie tuerētur. Neque scaphæ, neq. celoces, accedere poterant, propterea quod alueus, propter æstus decessionē, vix scaphas sustinebat. Magister vero nauis, cui Ludouicus Coutignus præerat illū admonuit, vt scaphā exonerare iuberet, se nāque cū solis septē nautis velle Andradios ab imminēte clade deducere: quod factū sine vlla mora fuit. Cū tamē magister naui appropinquauit, iā Begiēsis ad eandē nauē accesserat, vt magistrū, & nautas, ab hostiū incursione tutaretur. At, cū magister in scapha viros accepisset, Begiensis, vt hostilē nauē remulco traheret, summa ope nitebatur. quā tandē, cū cerneret se frustra cōtendere, dimisit. Eo prælio multi ex hostib. conciderūt. Nostri cū præclara victoria reuertissent ni mors Norognæ eos oēs ingēti mæstitia conturbaret. Nā post

Lusitani aliquot, captiuā rū amore capti.

Lusitanorum in Albuquercium ob captiuas cōtumacia, vinculis, & dedecore punita.

Io. Gondisalui audacia.

Præliū nauale.

Hostiū fuga.

Quinque Lusitanorum audacia.

Norognæ crus transfixum.

Egregia Andradiorū fratrum virtus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tres dies e vulnere mortuus est. Fuit illius funus cum multis lacrymis non Albuquercij tantum auunculi, qui illum nonsecus, atque si filius esset, amabat, sed exercitus vniuersi, procuratum. Erat enim non solum virtute singulari præditus, verum etiam moribus commodissimis ornatus, &, propter naturæ clementiam, omnibus carus, atque periucundus.

Insigne hostis de Andradiorum virtute testimonium.

Zabaimus Andradios fratres, per nuntios, summis laudibus effecit, eisq. operam suam, & opes etiam illis paratas fore expositi. Se namque virtutem, in quocumque hominum genere elucere perspiceret, vehementer admirari. Itaq. illos, propter ea facinora, quæ ab illis geri conspexerat, non hostes, sed amicos, arbitrari. Illi eadem vrbanitate respondsum Zabaimo dederunt. His rebus gestis, Zabaimus in continentem transmisit, vt Narsin quæ copijs occurreret. Inde tamen, per interpretes de pace rursus actum est. Sed nihil inter eum, & Albuquercium, conuenire potuit. Albuquercius inde (iam enim per anni tempus licebat) Anchediuam cursu petere, & inde Cananorem proficisci, constituit, vt classe reficeret, & ægrotos, atque vulneratos, a morbis, & laboribus, quibus fuerant afflictati, recrearet. Sed, antequam promontorium, Rama nomine, superaret, quod ad Goæ oram pertinet, quinque naues Lusitanas in alto cõspicatus est. Ex illis quattuor erant classis, cui præerat Iacobus Mendezius Vasconcelius, cui Emmanuel imperauerat, vt Malacã peteret. Reliqua erat ex Fernandi Coutigni classe, quę Mozambique hiemauerat. Hoc supplemento nauium, & hominum, fuere Lusitani mirifice confirmati. Dum hæc in India geruntur, in Africa hæc acciderunt. Nonius Fernandus Ataidius, Arzilia cum copijs egressus, in Benguanemẽ, Regis Fessensis præfectũ, incurrit, eumq. prœlio superauit. Hostes partim cæcidit, partim captiuos cepit, ipsq. præfectus in prœlio interfectus est. Vascus vero Coutignus Borbensis comes, & Arziliæ præfectus, similiter in alios Fessenses duces, quos imparatos, & nihil hostile suspicantes, esse, per exploratores, intellexerat, inuasit, & multos occidit, & quosdam etiam viuos cepit, magnamq. pecorum, & armentorum, prædam abegit. Barraxa vero, & Almandarinus, (hi iam enim sub Fessensi Rege militabant, & inter illius præfectos multum reliquis, opibus, & opinione virtutis militaris, antecellebant) excitis alijs ducibus, cum valido exercitu, vsque ad Arziliæ portas excurrerunt; sed nihil, quod memoria dignum esset, effecerunt, immo tres equites amiserunt. Fessæ Rex cum magno rursus exercitu Arziliam obsidere conatus est. Sed, cum intellexisset, Arziliam esse tunc & militum copia, & commeatus abundantia, atque munitionibus, instructissimam, obsidionem soluit. Iterum Barraxa, cum Almandarino, & nonnullis alijs ducibus, ac magna equitum multitudine, Arziliam peruenit. Fernandus Castrensis, iuuenis singulari virtute præditus, vt primus omnium in hostes inuaderet, acceleranit. Sed, cum portæ, præfecti iussu, clauderentur, is, cum vno tantum famulo, foris relictus est. Speculatores, & exploratores, erant autem ij numero decem, qui in ciuitatem confugiebant, se cum illo coniungunt. Ibi, cum Castrensis, equo calcaribus incitato, in hostes inuasisset, fuit hostium multitudine circumuentus, & occisus. Reliquis autem, portis apertis, fuit auxilium allatum, & omnes, multis prius vulneribus acceptis, in opidum admissi, & hostes repressi, & portis rursus occlusis, a pugnandi contentione depulsi. Eodem anno Georgius Vieira, triginta & duobus equitibus stipatus, excursionem fecit, & in Cidem Hametum, præfecti Alcassaris Quibirij filium, incidit, qui centum equites ducebat. Prœlium continuo summa contentione pugnatum, hunc exitum habuit, vt Vieira, & alij multi, acerrime dimicando, conciderent, reliqui caperentur, & pauci, equorum pernicitate, se se ab illa clade subducerent. Franciscus Portugalensis, qui postea Viminosensis Dynasta fuit, cum quinquaginta equitibus suis, & alijs quadraginta, quos illi Coutignus adiunxit, in pagum inuasit, & multos occidit, & alios viuos cepit. Sed, signo ab hostibus dato, cum hostium multitudo vndiq. in eum irrueret, maximum vitæ discrimen adijt. Nam lapide ita per ussus fuit, vt sensibus oppressis concidisset, nisi fuisset Aluari Branchensis opera suffultus. Aliquot viri nobiles in ea pugna ceciderunt: ipse tamen Portugalensis sedecim ex hostibus cepit, & Arziliam cum victoria reuersus est. Eodem anno Emmanuel quattuor classes instruxit. Vnam, cuius mentio facta est, cui præerat Iacobus Mendezius Vasconcelius; quæ soluit Olysippone septima die Martij. Altera erat nauium septem, cui præfecit Gundissaluum Siqueiram; quæ decimo septimo die mensis eiusdem Olysippone profecta est. Et hæ in Indiam missæ sunt. Tertia porro classis erat trium nauium. Nauarchus fuit Ioannes Serranus, cui Rex negotium dedit, vt insulam Sancti Laurentij peteret, & pacem cum Regibus illius nomine firmaret, & si quid videret in ea insula, quod esset æstimatione dignum, naues oneraret. Quarta classis fuit nauium supra triginta, quibus præfuit Nonius Fernandus Ataidius, (proximis enim illis diebus in Lusitaniam venerat) vt cum ijs Sasimũ peteret, eamq. ciuitatẽ Regis nomine cũ imperio teneret. Quo modo Vasconcelius in Indiam peruenerit, expositum est. Siqueira vero, vna naue amissa, saluis tamen hominibus, ad Cochimi portũ reliquas naues appulit, & inde cananorem profectus est, eo quod intelligeret, ea tunc in ciuitate Albuquercũ considere. Serranus vero, post varios casus, in Sancti

Fernandi Castrẽsis mors.

Infelix Georgij Vieirę excursio.

Fræcisci Portugalẽsis periculum, & victoria.

Siqueiræ naufragio Indica.

Serrani nauigatio.

Subsidium Albuquercio missum.

Res Africanæ.

Lusitanorum de Fessensibus victoria.

Arziliæ breuis obsidio.

Rama promontorium.

cti Laurentij insulam delatus, Australem illius oram peragrauit; cum aliquot Regibus amicitiam iunxit; nautam vnum ex illis, qui cum Gomecio Abreo relicti fuerant, in naues accepit; a quo intellexit, non esse vllum laboris præmium, & emolumentum, propter quod multum tempus in ea insula perlustranda consumeret. Inde igitur, varijs tempestatibus agitatus, in Indiam iter instituit. At Vasconcelius, postquam portum Goæ subijt, Albuquercium salutauit, & ei litteras Emmanuelis tradidit, quibus iubebat, vt omnia, quæ essent Vasconcelio necessaria ad cursum, quo Malacam petiturus erat, illi præberet. Hic fuit cõmuni consilio decretum, nullam rem esse Goẽ si bello præuertendam, dignumq. negotium, cui Vascõcelius interesset. Quod vero ad Malacam attineret, non esse opus illud tanti ponderis, atque momenti, quattuor tantum nauibus efficiendum. Goa expugnata, tunc demũ fieri posse, vt Vasconcelius multo pluribus nauibus iter illud adeo periculosum susciperet. Vasconcelius libenter assensus est. Inde in Anchediuam delatus Albuquercius, Franciscum Pantojam in Zacotoram, cum oneraria naui, commeatu plena, dimisit, & Antonium Norognam, alium eiusdem nominis, alterius sororis filium, qui tunc, vt dictum est, Zacotorensi arci præerat, per littetas euocauit: ad Lemiũ vero litteras dedit, quibus per Goense bellum sibi minime licuisse confirmabat, naues, quas illi fuerat ante pollicitus, in supplementum mittere. Inde Onorem petijt, quo in loco Timoia illi, cum fructibus, & commeatu, obuiam prodijt. Ibi Vasconcelius litteras Emmanuelis amanter scriptas Timoiæ dedit, quibus sibi grata esse significabat omnia, quæ gratia illius egerat, scq. daturum operam, vt illum officij, cum tanta fide præstiti, minime pæniteret. His litteris Timoia multo vehementius in studium Regis incitatus, fidem dedit, se nullo vmquam in loco famuli fidelissimi officio defuturum. Albuquercius, inde Cananorem aduectus, cum Rege, in loco, prope litus, ad colloquium destinato, orationem habuit, qua Regem multo magis ad amicitiæ fœdus conseruandum, & promissis, & sermonibus, amantissimis adstrinxit. Inde Ducem, nomine Simonem Martinum Caldeiram, misit, vt cum tribus nauibus oram Calecutij custodiret, ne nauis vlla ex Arabia posset portum ingredi, aut Calecutio soluere, quin ab illo caperetur. Idem Garsiæ Sousæ munus, cum alijs tribus nauibus, assignauit. Gaspari vero Paiuæ, vt oram Goensem cum tribus etiam nauibus similiter obseruaret, imperauit. A Vasconcelio autem petijt, vt cum quattuor nauibus reliquam illius Indicæ regionis oram peragraret. Omnes imperata conficiunt, & aliquot naues capiunt. In vna rẽ perti duo Iudęi fuerunt, qui, ad Christi religionem conuersi, interpretum munere cum summa fide perfuncti sunt. Dum hæc administrantur, accepit Albuquercius nuntium de Regis Cochimensis morte, quem supra retulimus singulari fide fœdus cum Lusitanis ictum conseruasse, atque postremo se se ab omnibus Regni negotijs abstraxisse, vt in tẽplo dijs, quod reliquum erat vitæ dicaret. Huic sororis filius, de gentis more, successerat. Erat autem in more positum, vt, si Rex aliquis, religione tactus, se Regni administratione abdicaret, vt in templo aliquo ab humanis tumultibus secreto, vitam in religione consumeret, post illius mortem, is, qui in locum illius successerat, cogeretur Regni procurationem relinquere, & in idem templum gratia religionis immigrare; vt, quemadmodum in Regno auunculi successor exstiterat, ita religionis etiam hereditatem, quamuis inuitus, adiret. Is deinde, ad quem Regni hereditas legibus veniebat, Regnum occupabat. Id fiebat, quoties Rex aliquis, voluntate sua, se regnandi munere, religionis gratia, priuabat. Porro autem, eo tempore, quo Odoardus Paciecus Regis Calecutiensis impetum reprimendum susceperat, is princeps, qui erat in Regno successurus, ab auunculo defecerat, & se se cũ Calecutiensi illius hoste coniunxerat. Ea de causa fuit successionis iure spoliatus, & alius eodem propinquitatis iure, qui illi succederet, adscitus. Is autem, qui se ad Calecutiensem nefarie, & flagitiose, contulerat, cum auunculum mortuum intellexisset, cœpit cum consobrino vehementer agere, vt Regno illi cederet, & religioni seruiret. Rex, consilio cum nostris habito, qui nullo modo patiebãtur, hominem perfidum, & sceleratum, & perennem Lusitani nominis hostem, in Regni sede, quę erat in Lusitanorum tutela, atque patrocinio, collocari, consobrini postulata contempsit. Is vero, qui Regnum petebat, cum religionem negligi cerneret, & regnandi cupiditate flagraret, magno exercitu, quem illi Calecutienses Rex attribuit, stipatus, in Cochimensis Regni fines inuasit. Id vbi Albuquercius resciuit, Cochimum petijt, & Regni opes firmauit, & viros fortes, qui hostibus obsisterent, ad custodiam Regis amici reliquit. Hoc autem metu, qui Regnum armis petebat, abscessit. At, postquam Albuquercius Cananorem reuersus est, rursus integrato bello, Regni fines oppugnare constituit. Sed, cum Nonius Vascius Albicastrensis, & Laurentius Morenus, illi, acie instructa, obuiam processissent, & prœlium initum fuisset, hostes fusi, fugatiq. sunt, multiq. in acie cæsi, & ipse princeps vix euasit. Sub idem tempus venit ad Albuquercium legatus, a Rege Cambaiæ missus, qui, Regis sui nomine, significauit, diu sipatum rumore fuisse, Albuquercũ classem, vt in Arabicum sinum penetraret, apparare. Si ita esset, Regi gratissimũ fore dicebat, si in transcursu aliquem illius portum peteret,

Regis Cochimensis mors.

Mira Cochimensium Regũ in Regni successione consuetudo.

Bellum Cochimense.

Cambaię Regis ad Albuquercium legatio.

Vasconcelij res gestæ.

Goense bellum, communi Lusitanorum consilio decretum.

Varia munera, Ducibus ab Albuquercio præscripta.

Emmanuelis ad Timoiam litteræ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in quo possent ambo de pace deliberare. Afferebant preterea litteras a Lusitanis quinquaginta, qui apud Cambaiæ Regem captiui tenebantur. Hi, cum Alfonso Norogna, Zacotora soluerant. Coorta vero tempestate, cum navis in ora Cambaiensi frãgeretur, Norogna, & reliqui, qui, tabulis nixi, se in mare præcipites demiserant, fluctibus hausti fuerant. At, qui se in ipsa lacera naui tenuerũt, cum æstus omnino decessisset, pedibus in terram euaserunt; & ab incolis capti, ad Regem q. perducti, sunt. Hi ab Albuquercio petebant, vt eos, quacumque ratione posset, in libertatem asseret. Responsum Regi, quale ad voluntatem illius confirmandam conueniebat, datum est; & captiui, spe libertatis ostensa, recreati. Eo tempore iam Albuquercius classem instruxerat triginta & quattuor nauium. Ducebat autem in ea classe mille & quingentos Lusitanos, & trecentos milites Indos. Cananore autem profectus, ad Onoris portum appulit. Ibi Timoia, illi obuiam factus, exposuit, vrbem Goam fuisse, post illius discessum, stationibus, & vallis, atque fossis, tormentorumq. multitudine, egregie munitam; præsidia vero esse supra nouem millia militum, in quibus erant Turcæ quamplurimi. Ducebat autẽ Timoia eo tempore filiam Reginæ cuiusdam, quæ in regione Gozompensi, quæ erat sedibus illius finitima, regnabat. His nuptijs, vt debitis honoribus Timoiam afficeret, Albuquercius interfuit. Consilio deinde habito, statutum fuit, vt Timoia in insulam e continenti traijceret; tres autem naues, quas habebat, cum Albuquercij classe coniunxit, earumq. præfecturam Medio Rao, cuius virtuti multum fidebat, attribuit. Is, in portum inuectus, eum terrorem præsidio, quod Panginum muniebat, iniecit: timetus enim casus illius, quem repenti no Albuquercij incursu subierat, homines valde perculerat, vt in vrbem se trepide reciperent. Aliqui tamẽ capti, & ad Albuquercium perducti sunt: ex quibus cognouit, quo in statu res Goenses essent. Iactis deinde anchoris, Hieronymum Limicum, & Ioannem Limicũ, fratres, & alios nonnullos duces, præmisit, qui propius vrbem, secundum litus, accederent, qui, maximo cum periculo, mandatum proti nus exsecuti sunt, atque renuntiant, vrbem esse munitissimam, & præsidia militum, vt apparebat, firmissima. Nihilo tamen secius Albuquercius ad eam oppugnandam se comparat. Et, quia ea mente erat, vt omnem rei bene gerendæ rationem in celeritate poneret, sequenti die, quæ fuit vigesima Nouembris, eam adoriri cõstituit; præsidia, quæ erant in stationibus dispositæ, armis expellere; deinde, castris positis, & stationibus munitis, muros quatere, vsque eo, dum aliqua pars muri corrueret, qua nostri possent in vrbem irrumpere. Sed longe felicius ea oppugnatio, quam is in principio suspicari poterat, illi processit, vt statim videbitur. Ea nocte triremes, atque naues humiliores, præmisit, & ducibus imperauit, vt, sine intermissione, vrbem tormentis verberarent, vt hostes somnum capere non possent, & ita postridie peruigilio confectos opprimeret. Is de quarta vigilia in scapham descendit: idem reliqui omnes duces effecerunt; & summo silentio, cum primum diluxit, in terram copias exposuit, & acies diligenter instruxit. Ipseq. cum Lusitanis quingentis, & Indis trecentis, in stationẽ, quæ ad Septemtriones spectabat, inuasit. Reliqui duces aliam stationem, quæ litus custodiebat, aggressi sunt. Limici fratres, & Lacerda, & Begiensis, & alij nõnulli duces, cum trecentis militibus, in eam stationis partem, quæ ad vrbem pertinebat, impetu ferũtur. Vascõselius, & Paiua, quibus idem munus erat assignatum, cum ducentis militibus, in stationem mediam impetum faciunt. Andradij fratres, Arius Siluius, & alij similiter ordinum ductores, eam partem, quæ ad Timoiæ æstuarium (sic enim appellabant) protendebatur, oppugnandam suscipiunt. Qui erant in statione, tormentis nostros propellere cõtendũt. Sed id frustra fuit ab illis tentatũ. Nostri enim, neq. pilis, neque glãdibus, neque globis ingentibus, deterreri potuerunt, quo minus ad stationem, hostibus inuitis, appropinquarent. Erat in porta, quam nostri Sãctæ Catherinæ nominant, dux quidam hostium, vt subsidia, vbi esset opus, submitteret, & ipse, si ita necesse fuisset, occurreret. Is, vbi rẽ cominus geri perspexit, &, quo impetu Lusitani in hostes incitarentur, animaduertit, ex vrbe plures copias euocauit. Accurrunt multi, quorũ aduentu pugna recruduit. prælium atrox, & nimis horrendum, committitur. Hostes multis partibus nostros numero superabant: nostris tamen cæleste numen affuit. Itaque munitionem, ea primum parte, qua Limici rẽ gerebant, expugnant. Idem reliqui faciunt. Hostes in fugam versi sunt. Nostri, eorum tergis inhærentes, ita se cum illis agglomerarũt, vt, cũ hostes portas occludere vellent, id eis per nostros minime liceret. Dionysius nãque Fernandus Melius primus ingressus est, hastamq. magna crassitudine transuersam obiecit, vt discussas fores distineret. idem alij fecerunt. Hostes nihilominus, vt fores occluderẽt, summopere contendebant. fuit res summi certaminis. Hostes. n. in eo vitã, & salutẽ, suam vertistatuebãt, si, foribus occlusis, aditu nostros arcerẽt. Nostri, se subito victores fore, cõfidebant, si fores apertæ manerent. Itaque modo hostiũ magno conatu abducebãtur, modo Lusitanorũ cõtentione discludebãtur. Tandẽ, cũ eas nostri, maxima quadam vi, hostibus frustra repugnãtibus, impulissent, Tredecim primi, qui ad portam acerrime pugnarant, repulsis hostibus, vrbem, militari audacia, præcipites, inierunt. Hostes cedebant, ita tamen, vt,

Albuquercij Classis 34. nauium.

Timoiæ nuptiæ.

Albuquercij de Goę oppugnatione consilium.

Stationes aliquot Goensiũ oppugnatæ, & Lusitanorum victoria.

Prœliũ atrox

Goæ expugnatio.

Tredecim Lusitani Goam irrumpũt primi.

Lusitanorum in vrbe periculum.

vt, cedentes, vim sagittarum, atque telorum, in nostros immitterent. E tectis deinde, & a fenestris, lapides demissi nostros perturbabant. Hostes, conferti, in eos iam perturbatos inuaserunt. Arius tamen Siluius, & Mẽdesius Alfonsius Tingitanus, deinde Fernandus Petreius Andradius, & Emmanuel Cugna, & Antonius Garcesius, cum militum turmis, suppetias attulerunt. Redintegrato prælio, hostes in fugam passim effusi sunt; & quidam in Zabaimi ædes se trepide receperunt; alij, diuersis vijs ingressi, se fugæ mandarunt: quod fuit in caussa, vt nostri rursus, persequendi studio, dissiparentur. Viginti, eos, qui in Zabaimi domum confugerant, insequentes, magnũ discrimen adierunt. Hostes enim conferti eos aggressi sunt. Vascum Fonsecam, & Vascum Coelium, qui furentius in eos irruerant, occidunt. Hieronymus Limicus, cum multum sanguinis profudisset, & vires illum omnino defecissent, concidit. reliqui, illorum casu perterriti, cedunt. Ibi Mendesius Alfonsius, & Arius Siluius, clamoribus magnis, Lusitanos, ad pugnam acerrime reuocandam, cohortati, tanto impetu in hostes inuaserunt, vt, impressione facta, eos prosternerent. Alij deinde Lusitani, in ædes ingressi, magnum ad debellandum momentum in ea pugna suis attulerũt: in quibus Ioannes Limicus fuit. Is tamẽ, cum fratrem iacentem, atque spirãtem, cerneret, victus amore fraterno, substitit. At frater, Perge, inquit: nec enim decet, te, in tali tempore vlla perturbatione victum, officium hominis fortis omittere. Nullus te ex casu meo dolor attingat. Officio namque meo perfunctus, occumbo. Ioãnes, quamuis dolore cruciaretur, verbis tamen fratris morientis, cui is vitam dare non poterat, admonitus, in hostes eo furentius irruit, quo grauius illum mors fratris amantissimi sollicitabat. Erat ante vestibulum ædium ipsarum campi non angusti planities, & inde collis modicus assurgebat. In eo campo res gerebatur, cum multi equites, atque pedites, ex Zabaimi ædibus, quæ erãt amplissimæ, confluentes nostros circumuenere; & omnes occidissent, ni Vasconselius cũ suis copijs interuenisset. Hic enim, acie instructa, cum in vrbem ingressus esset, hostes cedentes insequebatur, ita, vt numquam eos, quos ducebat, dissipari permitteret. Ibi, cum in hostes circumfusos impetum daret, duces hostiũ in collem copias subduxere, atque, cum nostrorum paucitatem animaduerterent, cõfirmati, rursus in nostros inuecti sunt. Nostri, oppressi multitudine, sensim cedere compelluntur, & scalarum gradus, qui erant instar theatri, Zabaimi ædibus coniuncti, conscendunt. Ibi, rursus, cum se parumper a labore refecissent, & hostes diu sustinuissent, in eos impetum tulerunt, quasi tunc recentes prælium inirent. Multos cæciderunt, inter quos fuit Aethiops quidam, vir fortissimus, qui equo insidebat. Is, vbi decidit, Emmanuelis Lacerdæ famulus quidam equum cepit, eumq. Lacerdæ tradidit. In eo prælio Lacerda sagittæ vulnus secundum malam grauissimum acceperat. Hastile sagittæ decciderat, ossi ferrum inhæserat. Magna vis interim sanguinis ex vulnere profluebat. Illum tamen neque sanguinis emissio, neque doloris magnitudo, ab ardore dimicandi retardabat. Itaque, cum equum adscendisset, in equites octo tam fero citer inuectus est, vt eos in fugam compelleret. Hostes reliqui multum de feritate pristina remiserunt. Primum vix resistunt; deinde cedunt; postremo, effusa fuga, vitæ prospiciũt. Tanta vero fuit trepidatio, vt multi se e muro præcipitarent. Albuquercius interim, qui, vt alteram stationem in loco procul a mari munitam oppugnaret, in aliam viam fuerat ingressus, editum collem superauerat. Ibi, cũ tormentorum fragorem, dissonas voces, clamores ingentes, & muliebres eiulatus, auribus accepisset, vnum e suo comitatu misit, qui prælij statum ei renuntiaret. Attamen animus hominis acer, & moræ totius impatiens, & in omnem rerum occasionem semper intentus, responsum exspectare non potuit. Itaque ad vrbem gradum celeriter intulit. Ibi, cum multi ex hostibus ex vrbe profugissent, in illum inciderunt. Prœliũ ibi rursus nimis atrox exortum est. Hostes enim erant acres, & numero superabant; & fugæ dedecus, & indignatio, & vrbis tunc repetendæ desperatio, eos ferociores efficiebat. Nostri, quia reliquis prælijs in vrbe commissis non interfuerant, ne socijs virtute inferiores esse viderentur, incredibili ardore dimicabant. Maxima tandem hostium parte cæsa, reliqui in fugam versi sunt. Albuquercius, in vrbem ingressus, primum summas Deo gratias egit, cuius præsenti numine debellatum fuisse constabat. Quod enim signum clarius præsentiæ Diuinæ dari potuit, quam intra sex horas vrbem maximam, armis, & tormentis, fortiumq. militum præsidijs, hominumq. multitudine, refertam, a tam paucis hominibus expugnatam fuisse? Quod vt maiore admiratione dignũ sit, illud certe cõstat, tanta pertinacia a quibusdã hostibus in ædibus Zabaimi eo die pugnatũ fuisse, vt, cum nostros eorum misericordia vehementer inflecteret, neque solũ vitam, & libertatem, verum & virtutis illius præmium, polliceretur, maluerint in vestigio mori, quam vitã ab hoste, quod valde ignominiosum reputabant, accipere. Supra tria hominum millia in vrbe cæsa dicũtur. E nostris quadraginta desiderati sunt, inter quos Hieronymus Limicus, Vascus Fonseca, Cosmus Coelius, Antonius Vogadus, Antonius Garcesius, Aluarus Gomecius, & Petrus Gomecius Limicus exstitere. Plusquã trecẽti Lusitani vulnerati sunt. Albuquercius, veritus, ne nostri, pugnandi auiditate, hostes lõgius insequerẽtur, & ea ra

Rara Limici magnanimitas.

Lusitanorum in vrbe discrimen.

Hieronymi Limici mors.

Lacerdæ virtus insignis.

Albuquercij cum hoste fugiente prœlium.

Lusitanorum eximia victoria.

Hostiũ quorũdam virtus militaris.

Cæsorum, & vulneratorũ numerus.

Prudes Albuquercij factũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

tione palantes in aliquod se discrimen, vt fit, vbi victoria homines insolentes, & disciplinæ prorsus immemores, plerumque facit, iniicerent, omnes vrbis portas claudere repente iussit. Deinde, per otium, suburbia, (sic enim se facturum, incolarum sceleribus offensus, iurauerat) coniectis facibus, inflammari præcepit. His rebus gestis, Timoia, cum exercitu trium millium hominum, peruenit, moramq. suam purgauit, & Albuquercius satisfactionem accepit. Et, quamuis aliam caussam iustiorem non haberet, negotij confecti celeritas eum omni suspicione criminis liberabat. Aliud tamen esse credo in caussa fuisse, cur ille copias in tempore afferre nequiuerit. Non enim erat æquum, vt belli partem aliquam, quod numine CHRISTI præsentis administratum fuerat, homines, ab illius sanctissimis sacris abhorrētes, sibi vindicare, & in gloriæ societatem se offerre, ratione aliqua nite-
Præda Goensis. rentur. Præda fuit, armorum, tormentorum, & munitionum, & commeatus, & longarum nauium, multitudo. Nihil enim fuerat in vrbe relictum, nisi quod ad vrbem tutandam pertinebat. Albuquercius omnes Saracenos ex vrbis finibus eiecit. Reliquis, qui non erant Mahumetanis institutis imbuti, in insula habita-
Constitutio Goēsis Reip. re permisit, dummodo tributum, quod Zabaimo soluebant, Regi Emmanueli integre penderent. Publice deinde mercatoribus edixit, se omnibus, qui Goam cum equis, & mercibus, ingredi vellent, impunitatem daturum, & summa fide eos ab omni iniuria, & maleficio, tutos conseruaturum. Emmanuelem vero Cugnam Cananoris arci præfecit; Roderi-cum Rabellum, qui Cananoris arci præfuerat adsciuit, vt illum arci Goensi præponeret. Fernandum Petreium Andradium, Petrum Fonsecam Castrensem, Antonium Salam, iussit mare Goense peragrare, & omnibus mercatoribus, qui Goam peterent, tutum receptum præbere. Georgio autem Botellio, & Simoni Alfonso Bisacuto, vt Calecutiense marē nauibus suis infestum redderent, imperauit. Quilibet eorum sibi commissum munus exsequitur. Andradius nauem vnam Armuziensem, quæ vnde esset prorsus ignorabat, eo quod vela demittere nollet, persecutus est, vsque eo, dum illa in Dabulis portu impinge-
Dabulis turris expugnatio. ret. Dabulis præfectus, tormentis, e turri, quæ portui imminebat Andradium repellere conabatur. At ille, in terrā egressus, turrim expugnauit, eamq. disiecit; & tormenta, quæ erāt in ea disposita, in nauem suam imposuit. Botellius in nauem maximam Saracenorum inuasit; quam cum diu oppugnasset, dilacerauit; magnaq. præda potitus, nauem, quia nauigare minime iam poterat, omisit. Albuquercius vectigalia diligenter exercuit, & ciuitatis statum, & formā Reip. collocauit; & aliud deinde opus immortali memoria digni, contra multorum sententiam, suscepit. De quo antequam disseram, non alienum erit, quo sententia Albuquercij ab Almeidæ sententia discreparet, paucis exponere. Vterque enim eorum, cum esset animo maximo, & singulari virtute præditus, idem sibi proponebat; sed non idem cōsilium sequebatur. Vtrique enim erat propositum, pro Christi religione, & pro Regis Emmanuelis amplitudine, vitam, si opus ita fuisset, in quoduis maximum vitæ, & salutis, discrimen inferre, & gloriæ, & immortalitati, seruire. Sed alter ab altero in hoc dissentiebat, quod Almeida minime tutum putabat, vrbes expugnare, ne videlicet distractæ Lusitanæ vires, imbecille redderentur. hoc autem erat illi decretum, mare tenere. Id enim statuebat, eum, qui maris imperium possideret, Indiæ totius potestatem assecutum. Itaq. maris erat illi antiquissima cura; &, dum vnā tutissimam stationem nauibus haberet, reliqua omnia contemnebat. Fieri enim non posse existimabat, vt tantum militum in supplementum e Lusitania singulis annis mitteretur, vt firmis præsidijs arces multas munire liceret. Quod si quis id facere tentaret, eum Lusitanos omnes, qui, viribus coniunctis, hostibus terrorem incutiebant, dispersos hostibus esse prodituru. At Albuquercius, maiore quadam spe, quam animi excellentis altitudo afferre solet, non præsentis tantum securitatis, sed futuri etiam imperij, quod amplissimum fore confidebat, consilia intimis animi sensibus agitabat. Nec vt piperis magnus numerus annis singulis in Lusitaniam importaretur, sed vt imperij fundamenta iacerentur, excogitandum censebat. Et, quo auxilia magis longinqua erāt, eo colonijs pluribus oras Indiæ occupandas statuebat, vt, varijs Lusitanæ gentis seminarijs passim institutis, exercitus in India conscribi possent. Mare vero citus in India conscribi possent. Mare vero citius tutum arbitrabatur ijs, qui terra simul opes suas nequaqaam stabilirent. Classem maximam vnica tempestate deleri posse; at opibus in terra comparatis classes reficiendi, & maris imperium recuperari, non esse difficillimum. Periculosum deinde statuebat, in angustum locum classem Lusitanam includi, maxime vero, vbi macrum, & sterile, solum esset, parumq. idoneum ad exercitum in hibernis alendum. Itaque eos, qui Cochimi, aut Cananoris, Regno opes Lusitanas satis firmari posse confidebant, inter tam multos sempiternos Christiani nominis hostes, & tam occasionibus ad perniciem Lusitanis afferendam opportunis intentos, parum tempori consequenti prospicere censebat. Non enim esse tutum locum, qui se vno tantum niteretur, sed in quem e locis pluribus auxilia, cum opus esset, mitterentur. Eam vero locorum occupationem maris imperium non imminuere, sed potius amplificare. Quo enim classis plures receptus, & stationes, haberet, eo minore cū periculo

Albuquercij, & Almeidæ collatio, in Indiæ administratione.

culo nauigari, & faciliorem materiā ædificandis nauibus multa loca, quam vnum, prebere. Postremo, ei, qui non Indiæ possessione hominis vnius ętate, sed ęternitate, si fieri posset, tēporis esse definitā cuperet, condendā esse ciuitatem statuebat, quæ sobolē multiplicem procrearet, ita, vt nō semper esset necesse temporibus difficillimis, ex auxiliijs e Lusitania missis pendere; quæ sæpenumero, in longissima, & difficillima, nauigatione, vel morbi multiplices imminuunt, vel fluctus, & tempestates, exhauriunt, vel hiemes intercludunt, vel labores immensi debilitant. Quam prudenter autem id ab eo fuerit excogitatum, rerum exitus, multis post illius obitum annis, facile cōprobauit. Cum enim Solymanus, Turcarum imperator, Aegypti rectorem, cum maxima classe, in Indiam misisset, vt Lusitanos possessione pelleret, & is arcem Diensem obsessam teneret, multisq. diebus maxima tormentorum, & armorum, contentione vehemēter oppugnaret, quamuis plurima detrimenta a nostris, qui in arcis præsidio manebant, accepisset, non tamen tam cito obsidionem soluisset, nisi certior factus esset de magnitudine classis, quæ, contra illum Goæ comparata, Dium petebat. Neque rursus, cum Rex Cambaiæ eādem arcem, cum maximo Turcarum auxilio, sex mensibus obsessam tenuisset, tam facile a Ioanne Castrensi, qui tunc in India, Ioannis Regis nomine, imperium administrabat, victus, atque superatus fuisset, nisi Goa maximum ad eam victoriam, atque multiplex instrumentum, suppeditaret. Ad eam namque magnitudinem ciuitas peruenit, vt facillimū sit, in ea iustos exercitus conscribi, & classes magnas ædificari. Id Albuquercius sapienter animaduertens, ea ciuitatis fundamenta iecit, quibus nixa, non facile de statu conuelli posset. Cum vero Lusitanas mulieres non haberet, quod vnum remedium inueniebat, eas, quas bello ceperat, Christianis sacris expiatas, apud Lusitanos milites matrimonio collocabat, eisq. possessiones in ea insula, Saracenis iure detractas, assignabat; eosq. multis fauoribus, atque præmiis, ad eas nuptias alliciebat. Sic factum est, vt, instar Romuli, qui vrbem Romam condidit, aut Theſei, qui ciues Atticos e pagis in vrbem compulit, aut aliorum, qui vrbium fundatores exstitere, illius vrbis, quam armis, atque virtute, cepit, condi-
Res africanæ. tor appellari posset. Dum hæc in India geruntur, in Africa hæc euenere. Ataideus vrbem Safinium, Regis Emmanuelis nomine, tuebatur; & crebris excursionibus Mauros exterre-
Maurus quidam, apud suos sanctus habitus, capitur. bat, multasq. ex illorum bonis prædas agebat. In primis autem Maurum quendam, quem regi, qui Mauri, vt virum religione, atque sanctimonia, præstantem, Diuinis propemodum horibus afficiebant, qui castellum, in quo domicilium collocauerat, præsidiis validis munierat, viuum cepit, & castellum expugnauit, multosq. partim cæcidit, partim captiuos abduxit. Tanto denique terrori multis esse cœpit, vt opida, atque pagi, & vniuersæ vicinitates, & præfecturæ, pacem peterent, & leges acciperent, & imperata tributa persoluerent. Verum, cum gens sit natura fallax, & sanctissimæ religionis ignara, facillime ab aliis Mauris inducta, fidem fregit, & bellum summo studio contra Christianos comparauit. His alij innumerabiles adiuncti sunt. equites erant ad quinque millia; pedites supra sexcenta millia fuisse dicūtur. Decimo tertio die Decembris, Anno M D X. Safinium obsidere incipiunt. Vigesimo tandem atque tertio die mensis eiusdem, positis castris, obsidionis opera perfecerunt. Multas namque turres excitarunt, multas stationes fossa, & vallo, munierunt, & tormenta in locis aptissime disposuerunt. Ataidius, cum primum, bellum parari, per exploratores, intellexisset, Emmanuelem Regē per litteras, admonuit, nauemq. in insulam, quam appellant Materiæ, continuo misit, vt auxiliū inde conquireret. Insulæ præfectus Simon Gūdisaluus Camara non aderat: in Lusitania nā que apud Regem versabatur. Vxor illius, cum esset animo virili, & mentem viri (erat enim ille vir egregie fortis, & liberalitate singulari præditus (exploratam haberet, incredibili celeritate, & maximis sumptibus, auxilia comparauit, quibus præfuit Emmanuel Norogna, eiusdem Camaræ germanus frater. Ataidius stationes distribuit, & singulas stationes viris nobilibus, in rebus bellicis spectatis, cum certo numero militum, tuendas assignauit, nullumq. officium vigilantissimi ducis in vrbis munitione prætermisit. Ipse sibi eam militum copiam, quā potuit, reseruauit, vt cum ijs, locis omnibus, præsertim, quibus periculū grauius intendi videretur, occurreret. Vt autem melius hostium castra speculari posset, cum equitibus trecentis & septuaginta, & peditibus centum, & tormentis aliquot, carpentis impositis, vrbē egressus, in edito colle, in specula, constitit, pugnæq. signum, si vellent hostes manum conserere, eo in loco proposuit. Cum hostes se continuissent, copias in vrbem reduxit. Vigesimo tertio die mensis eiusdem, hostes oppugnare instituunt. Fuit autem ea oppugnatio vehementissima. Erat enim maxima hostium multitudo. Viri nobiles, & acerrimi duces, non hortatores tantum aderant, verum & ipsi, vnde maximum periculum imminebat, eo se intrepide conferendo, vt reliquos exemplo suo incenderent, summopere contendebāt. Scalas admouebant, testudines applicabant, vt, illis tecti, muros subruerent; sagittarū, atque pilarum, multitudine, vt nostros obruerent, laborabāt. At nostri, sagittis, & glandibus, & vasis tormentario puluere refertis, ignitisq. telis in eos emissis, non mediocrem cædem ediderunt. Quadringenti namq. ex illis eo die interfecti sunt. Postridie Ataidius,

Albuquercii laudabile institutum in constituenda Goensi ciuitate.

Maurorū perfidia in Lusitanos conspiratio.

Safinii obsidio.

Ataidii vigilantia.

Safinii oppugnatio vehementissima.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dius, octo tantum equitibus circumsæptus, egressus est, vt aliquē ex improuiso caperet, ex quo hostiū consilia explorare posset. Quod tamen, eo quod minime lateret, exsequi nequiuit. Itaque, duobus hostibus, qui in illū inciderant, interfectis, in vrbem reuersus est. At hostes, cum animaduerterent, se non posse diu, propter ingentem multitudinem, quæ non facile sustentari, atque regi, poterat, in obsidione perseuerare, statuerunt totis viribus experiri, an vno impetu vrbem expugnare liceret. Trigesimo igitur eiusdem mensis die, tanta vi in vrbem inuaserunt, tantaq. telorum multitudine, & armorum contentione, eam, per omnes murorum partes, aggressi sunt, vt multi stationes, in quibus dispositi fuerant, metu perturbati, desererent. Ataidius tamen, omnibus locis occurrens, vbi hostes acrius præliabantur, eo se cōferebat, & alios quidem e suis ratione confirmabat, alios laudibus accendebat, & subsidia identidem, vbi maxime nostros vrgeri conspexerat, ex ea, quam habebat, copia submittebat, & manu etiam strenui militis interdum officio fungebatur. Cum vero ea parte, quæ ad mare pertinebat, murum vehementius oppugnari cognouisset, ibi constitit, vt præsentia sua facilius impetus hostium repelli posset. Hostes, absque vllo metu, scalis alia ex parte muros adscendere, alio vero in loco machinis subruere, omnia tentare, atque periclitari, quo eodē die possent vrbe potiri, & nostros internecione delere. Tanta tamen vi fuere de omni conatu depulsi, vt oppugnatione desisterent; cū quattuor horis sine vlla intermissione in ea perstitissent. Ea die supra sexcentos amisere. Reliqui, formidine perterriti, obsidionem tre pide soluunt. Vltimo die mensis Decembris eiusdem Anni, tanto tumultu castra hostium mota sunt, vt fuga potius, quam profectio, videretur. Ataidius, cum equitibus quadringentis, & peditibus centum, vt postremum agmē carperet, accelerauit. Aliquot eorum occidit, & nonnullos captiuos abduxit. Eos lōgius insequi noluit, ne, tanta multitudine freti, in eū, ab vrbe procul abductum, incurrerent. Hac obsidione soluta, multi Mauri rursus, ex vicinis populis, Emmanuelis imperio se se subdiderunt. Ataidius, quamuis quietis esset impatiens, & aliquid semper animo moliretur, quo posset in hostes pestem, atque perniciem, comparare, tamdiu tamen exspectauit, dum illa multitudo dimitteretur. Postquam vero copias illas dimissas accepit, statuit in aliquā hostium prefecturam ex improuiso inuadere. Cum autem, Mauri cuiusdam indicio, percepisset, in locis quattuor passuum millibus disiunctis (Almedina vero opidum est Mauritaniæ munitissimum, quod Safino, Septemtrionem versus, triginta duobus millibus passuū abest) esse quinque hostiū prefecturas, in quas, nihil tūc hostile suspicantes, inuadere posset, secundo Ianuarii die, Anno MDXI. cū equitibus quadringentis & triginta, & centum peditibus, minoribus tormentis armatis, nocte profectus in locum peruenit. Hostes vero non offendit. Exploratores autem misit, vt specularentur, quo absc̄sissent. Illi, re diligenter explorata, renuntiant, eos inde passuum duobus millibus abesse. Sedes enim frequenter mutant. Itaque Emmanuelem Norognam, quem diximus vrbi obsessę opem loco fratris attulisse, præmisit cum centum & octoginta equitibus, qui illos prælio distineret. Andream vero Caldeiram, & Ioannem Freitam, (hi enim peditibus præerant) illum subsequi iussit, vt subsidio, cum opus esset, occurrerent. At Norogna, cum inuenis, & supra modum cupiditate laudis incensus, esset, subsidia exspectare noluit, sed tantam celeritatem suscepit, vt se ab illis magno interuallo disiungeret. Id conspicatus Ataidius, Emmanuelem Ceruariam, cum equitibus triginta, subsidio misit, cui mandauit, vt Norognam retraheret. Metuebat enim, ne se præcipitem in aliquod summum discrimen inijceret. At Ceruaria, cum ad Norognam accederet, eum iam cum hostibus commistum animaduertit. Itaque Ataidium, per equitem, admonuit, prælium esse iam, summa vtrimque contentione, susceptum. Hoc audito, Ataidius, cum equitibus quindecim, vt opem celeriter afferret, approperauit: Aluarū vero Ataidium reliquas copias instructas adducere iussit. Res interim erat in magnum discrimen adducta. Eques vnus, Aluarus Rodericus Azeuedius nomine, hasta transfixus, interierat. Bernardus Emmanuel, vir fortissimus, Regis cubiculo præfectus, graui plaga cōmus, Regis cubiculo præfectus, graui plaga cōtusus, ex equo decciderat. Maurus, qui illū straverat, brachio illius altum vulnus inflixerat, & Bernardi hasta, quam ceperat, Christianis, qui iacenti opem afferebant, maximo animo repugnabat, & facinora in armis edebat. Georgius Mendezius Ataidius Algarbiensis, in Maurum incurrens, equi ipsius, quo vehebatur, impetu, Maurum strauit: qui continuo cæsus fuit; & Bernardus Emmanuel, cuius sensus omnes plaga vehementer stupefecerat, e terra sublatus, & in equo impositus, & ad locum, vbi maiores copiæ relictæ fuerant, perductus. qui tamen, antequam plagā illam accepisset, magnam cædem fecerat. Erat enim mente parum sana, sed in armis acerrimus. Prælium vero, quamuis non sapienter commissum fuisset, exitum tatis felicem habuit. Hostes enim, antequam Ataidius interueniret, fusi, fugatique, multi occisi, & centum capti sunt, & præda non mediocris abacta. Ataidius iam se cum Norogna coniunxerat, cum non ita procul hominum multitudinem conspicatus est. Id quod futurum erat suspicatus, omnes copias, iam enim aduenerant, diligenter instruxit. Hostes erant, armis, & animis, ad consligendum paratissimi. Numerus fuit

Annus a christo nato MDXI.

Ataidii in Mauros excursio.

Norognæ temeritas.

Lusitanorum victoria.

Lusitanorum victoria.

Lusitanorum discrimen.

Obsidio soluta.

Altera Saphiis oppugnatio.

Almedina, Mauritaniæ opidum.

equitum quadringentorum, mille peditum. Hi in nostros tanto impetu inuecti sunt, vt parum abesset, quin acie perturbarent. In equū Ataidii tres hastæ magnis viribus emissę protinus adhæserunt. Is, vt alium equum assumeret, retro cesit. Iacula interim, lapides, & sagittæ, & equitum concursatio, strepitum horrendum edebant, & non pauci vulneribus concisi cadebant. Ataidius, in prælium reuersus, Ioannem Hominem, cuius semper virtus in prœliis eluxerat, & famulum quendam suum, honesto loco natum, pedibus (illorum enim equi iam interfecti fuerant) acriter pugnantes, animaduertit, quos ab hostibus circumfusis eripuit. Prœlium extrahebatur, & victoria neutram in partem inclinabat. Tandem, cum Ataidius maximis vocibus suos adhortaretur, omnes sic pugnandi studio incensi sunt, vt hostes supra trecentos occiderēt, & reliquos in effusam fugam compellerent: quos Ataidius insequi noluit, veritus, ne rursus hostes, copiis vndique, vt gentis mos est, influētibus adiuti, in nostros, insequēdi studio dissipatos, inuaderent. Itaque cum præda reuertere statim maluit. Sed ciuitas procul aberat; & hostes rursus, a timore refecti, cum maioribus copiis in eum inuecti sunt. Nostri eorum impetum ægre sustinebant, ita tamē, vt ordo minime turbari, quamuis hostes acriter instarent, vlla ratione potuerit. Ataidius, cum aliter summum periculum vitari non posset, omnem prædam, & impedimenta, dimisit. Fuere in hac excursione, atque reuersione, e nostris homines tredecim desiderati, equi decem & septem occisi. Alios triginta equos Ataidius interficere iussit, propterea quod, nimio labore fatigati, ingredi minime poterant, & noluit eos in hostium potestate relinquere, ne illis contra nostros vteretur. Eodem rursus Anno Ataidius, cum exploratum habuisset, quinque & viginti hostium turmas inde triginta duobus passuum millibus distare, eos adoriri constituit. Cum vero multi, partim Iudęi, partim Saraceni, in vrbem, cum mercibus, & vario commeatu, forte conuenissent, portas occludere, & custodes apponi, iussit, ne quisquā, illius iniussu, egredi posset, ne hostes de re, quam is moliebatur, admoneret. Eodem die qui fuit vigesimus, tertius mensis Octobris, primis tenebris, quadringentos equites & quingentos pedites eduxit. Agmine q. silenti, cum dilucescceret, eo, quo intenderat, peruenit, &, hostes imparatos adortus, continuo fudit; supra trecētos occidit; quingentos atque septem viuos cepit præda pecorum, & armentorum, & camelorum, tanta fuit, vt duo millia passuum occuparet. Ataidius tamen, cum via esset longa, & confragosa, & timeret, ne hostes, vndique adsciti, in eum tantis gregibus impeditum incursarent, maximā prædę partem omisit, ipse cum reliqua profectus est. Cū vero viam explorato faceret, certior factus est, Almedina trecentos equites egressos esse, vt illum aggrederentur. Is greges, & impedimenta, in medium agmen inferri iussit, & agmen postremum, in quod hostes erant impetum illaturi, firmauit. Cum hostes igitur in postremum agmen impetum ferociter intulissent, tāta vi repressi sunt, vt nō auderent deinceps propius accedere. Ataidius, absque vllo impedimento, vrbem, cum præda, cum iā nox esset, ingressus est. Cum hac ratione Mauri finitimi grauia damna frequenter accepissent, statuerunt pacem postulare, & imperium Emmanuelis accipere. Fuerunt autem multi pagani, & montani, multæq. præfecturæ, opida complura, & vicinitates, quæ sub Emmanuelis imperium, atque ditionem, subiunctę sunt, & omnibus tributum, quod quotannis penderent, imperatum. Erat autem maximus frumenti numerus, qui hoc tributo continebatur. Tantus autem metus erat hostibus iectus, vt Marrochiensibus etiam sollicitudinē non mediocrem afferret, vsque adeo, vt multi illinc in longinquas terras discederent, ne singulis prope horis cladis repētinæ nuntio trepidarent. Soli, qui fœderati, & vectigales Emmanuelis erant, securi viuebant, & fundis suis impune fruebātur. In omnibus his rebus, siue ad belli administrandi rationem, siue ad vectigalium amplificationem, pertinentibus, insignis opera fuit Iehabenta fusi, cui Rex Emmanuel, vt diximus, veniam impertiuit, eumq. donis, atque muneribus, affecit. Quid Lemio, dū hæc omnia gerebantur, acciderit, ante quam in Indiam perueniret (nondum enim id commode facere licuit) consentaneum est oratione perstringere. Is, e Garda fumensi promontorio profectus, Armuzium petiuit; ad Regemque misit, qui diceret, se eo, Regis Emmanuelis iussu, peruenisse, vt ei rebus omnibus, siue quæ ad insulæ propugnationem, siue quæ ad Regis ipsius dignitatem, pertinerent, operam nauaret. Orabat deinde, vt omnes offensas, quas ab Albuquercio acceperat, oblivione contereret, & a Lusitanis deinceps omnia amicitiæ singularis officia exspectaret. Quod autem ad insulę defensionē attinebat, se non ignorare, Regem multos Principes in inuidia furentes circumstare, contra quos cōfidebat non inutilia vmquam fore Lusitanorum præsidia. Quibus tamen, vt sine periculo in insula consideret, & facilius vrbem tueri, liceret, opus esse loco munito, qui maius, & vtilius, ipsi Regi, quam Lusitanis, præsidium afferre posset. Petebat igitur, vt fieret sibi potestas arcis illius perficiendæ, quam Albuquercius inchoauerat. Coieatarus respondet, omnia, se, quæ cum Albuquercio pacti fuerant, libentissime facturos: quod vero ad arcem attineret, nullo modo passuros esse, ad perfectionē adduci. Quindecim millia nummorum aureorum, vt fuerant cum Albuquercio depacti, soluunt: Lemium liberaliter inuitant, & Lusitanos

Aliud prœlium.

Redintegratum prœlium.

Lusitanorum clades.

Alia Ataidii in Mauros excursio.

Maurorum in Lusitanos irritus impetus.

Maurorum cum Lusitanis pax.

Res Indicæ.

De Lemii rebus gestis.

Lemii ad Armuziensē Regem legatio.

Armuzini Regis responsū.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nos omnes comiter accipiunt. Lemius,quia vires non habebat,quibus bellum inferret,pacis simulatione contentus, post duos menses (citius enim per anni tempus minime licuerat)inde discessit,& Mascatem petiit,& inde, vt superius dictum est, Vascum Silueiram in Indiam misit, qui, in classis supplementum, naues aliquot ab Almeida flagitarat. Zacotoram deinde profectus est,vbi in morbum incidit, cuius depellendi gratia (erat enim cælum regionis illius insalubre, & palustres humores infesti) in Melinden nauigauit. Albuquercius, iam enim imperium gerebat, per Antonium Nogueiram Alfonsum Norognam accersiuit, & Lemio, per literas, significauit, se, propter incommodum Calecutii acceptum, (timebat enim, ne multi, sublatis animis, contra Lusitanum nomen res nouas molirentur,)classem minuere non posse.Cum primum ipse motus comprimeret, tũc per se auxilium allaturum.Cogitabat enim in Arabicum sinum proficisci,vt cum Sultani classe, quam rumor breui venturam nuntiabat,dimicaret. Rumor tamen inanis exstitit. Sed Lemius nondum Melinde redierat. Franciscus Pereira Berredus, & Alfonsus Norogna,in Nogueiræ nauem ingressi, cum illo mare interim peragrabant, vsi prædas agerent. Vnã vero nauem maximam Cambaiẽsem, opibus maximis refertã,cepere.His opibus elati,diu tius exspectare noluerũt,sed in Indiã trãsmisere.Præterueeti Baticalam, sæua tẽpestate iactati sunt,& Cãbaiensis nauis,cũ, magistri Saraceni ductu,Dabulẽ petereat,vadis allisa,atq. perfracta fuit,& Lusitani capti sunt, & in Zabaimi potestatem peruenere.Eadẽ tempestate, cum Nogueira Cambaiæ quendam portũ ciuitatis,quam Damam appellant,subire cõtenderet, nauis illius fracta fuit, & Alfonsus Norogna,vt dictum est,eo quod se in mare,vt in litus enataret, præpropere cum nonnullis demiserat,fluctibus haustus est, & omnes,qui illum secuti sunt,eundem casum subiere.Reliqui omnes capti, ad Cambaiæq. Regem perducti sunt,de quibus iam antea diximus.Fracisco Pantoia, quem similiter Albuquercius Zacotoram miserat,cum Indicũ pelagus traiecisset, nauem ingentem, Meri nomine, cui præerat vir Cambaiæ Regi sanguine coniunctus,quæ,eadem tempestate conuulsa,iactum fecerat,intercepit, Zacotoramq. perduxit.

Albuquercii ad Lemium litteræ.

Lusitanorum aliquot aduersa fortuna

Dama opidũ

Cambaiensis nauis a Pantoia capta.

Ibi Odoardum Lemium, iam Melinde reuersum,offendit. Arci tunc Lemius Petrum Correã præfecerat.Præfectus enim morbo sublatus fuerat.Nauem vero,quam Pantoia in cursu ceperat, frustra repugnante Pantoia, Lemius ad ius suũ pertinere disputauit,eo quod in regionibus sibi ad gerendum bellum assignatis capta fuisset.Itaque nauem, & omnia, quę in ea reperit,in suam potestatem redegit. inde profectus in Indiã, ab Albuquercio magnis honoribus acceptus fuit, multaq. illius gratia effecit,quibus quemuis facillime ad studium allexisset.Illũ tamen nullo modo potuit ad rationes suas adiungere.Cum vero de consilio, quo statuebat Goam aggredi, cum illo disseruisset, Lemius operam suam pollicitus fuerat. Attamen multum de illius dignitate clam detraxerat, & laudibus illius passim obtrectauerat;Goamq. capi non posse,& ,si caperetur,nullam vtilitatem rebus Lusitanis allaturam esse,disputauerat. Multi sermonibus illis libenter aures præbuerant; & sermones ferebantur, quibus offensiones grauissimæ,& dissensiones turbulentissimæ, concitari facillime potuissent,ni Albuquercius,partim dissimulando,partim lenitate,& comitate,hominis vel ambitiosi,vel inuidi,insaniam mitigãdo,malo nascenti restitisset. Sed non tantum profecerat,vt Lemius fidem illi præstare,quã dederat, vlla condicione vellet. Nec enim illi quidquam opis ad Goæ expugnationem conferre voluerat. Sed casus quidam interuenit, quo materia omnis discordiarum amputata fuit.Naues enim e Lusitania, post expugnatã Goam, cum litteris Regis Emmanuelis, appulsæ sunt, quibus litteris Emmanuel Lemio præcipiebat, vt Albuquercio classẽ traderet, & ipse in Lusitaniam reuerteretur. De captiuis interim Albuquercius agere cœpit. In naui,quam Pantoia ceperat,eiusdem nauis dominus, nomine Alcacamus,vt diximus,Regi Cãbaiæ sanguine propinquus captus exstiterat.Huius Principis permutatione,cõfidebat Albuquercius facillimum negotium fore. Re igitur cum Alcacamo communicata, mercatorem in Cambaiam misit, qui cum Rege, de redimendis captiuis, hominis propinqui permutatione, qui maximum apud illum locum obtinebat,ageret.negotium expeditum fuit.Itaque Iacobum Corream,& Franciscum Pereiram, Rex missos statim fecit,ea condicione,vt,si res minime cõueniret, rursus ad se rediret;ad quod sine fraude vlla gerendum,illi se se,iureiurando,cõstrinxerant.Ex his intelexit Albuquercius,quo casu Norogna, sororis suæ filius,interierat. Lemius in Lusitaniã reuersus est. Albuquercius, post illius profectionẽ,graui cura liberatus(nec enim Lemius cõtineri poterat,quin illi, quibuscũque rebus posset,officeret)animo magis vacuo,Reip.cõ seruãdæ,& muneribus assignandis, incubuit. Mulieres indigenas,vt cũ Lusitanis matrimonio iũgeret,enixe operã dedit. Milites filios, eorum vxores nurus appellabat; eas domum deducebat,viros muneribus alliciebat,ita,vt multo plura, quam in illis ciuitatis nouæ (sic enim appellare licebat eam, in qua noui mores,& instituta,serebantur) initiis exspectari poterãt,matrimonia celebrarẽtur. Neque segnius reliqua oia, quæ ad vrbis munitiones, & ciuitatis ordinem,& defensionẽ,necessaria videbantur,excogitabat. Frequentes autem ad eum multorum Regum legati ventitabãt.

Lemii cũ Albuquercio simultas.

Captiuorum aliquot permutatio.

Lusitanorum cum Indis nuptiæ.

Frequẽtes ad Albuquerciũ legationes.

Alii tributa imperata deferebant;alii, vt pacem peterent,& amicitiam firmarent,veniebant:omnes operam suam in rebus omnibus, quæ ad Regis Emmanuelis amplitudinẽ pertinerent,pollicebantur.Eos non statim dimittebat.Volebat enim,vt oculis vrbis munitionem,& classis,quam tunc ornabat,apparatũ adspicerent, & totius operis, in quod mentẽ intendebat, magnificentiam sensibus vsurparent;vt,earum rerum admiratione defixi,cõstantius in fide permanerent. Illi ad eum venerabundi accedebant;& alij hominis grauitatem admirabantur, alij suauitatem, & comitatem,laudibus efferebãt.Goæ celebritas, & frequentia, cum Regis maximi curia,conferri merito poterat. Hæc omnia,quamuis in natura Albuquercii inesset, is tamen de industria omnia signis illustriora faciebat, vt maiorem sui admirationem incuteret, & ea grauitatis specie multo facilius homines in officio contineret. Hoc prætera asequebatur, cum tam cito legatos non dimitteret, vt maioribus interim copiis insulam muniret, & virtutis documenta coram omnibus, qui eo conuenerant, statueret. Zabaimus enim Idalcamus insulæ repetendę studium non intermittebat. Illius autem Dux Melichius Agriajeus in eam, magnis copiis stipatus, inuasit: qui tamen eo tempore fuit a nostris,cum strage,& ignominia,repulsus.Misit Albuquercius inde Iacobum Fernandum Begiensem cum tribus nauibus in Zacotorã, vt arcem eam, quam prorsus rebus Lusitanis inutilem,& maximis periculis expositam,iudicabat,euerteret,& Lusitanos, qui eam tuebãtur,in nauibus acciperet. Interim Iacobus Mendezius Vasconcelius ad illum adiit.Merita in eum sua commemorauit,atque petiit,vt classem,qua erat Malacam (quod sibi munus fuerat iniunctum) petiturus, instrui iuberet. Albuquercius multis verbis eum ab instituto deducere conatus est. Sibi, communi Ducum omnium consilio,decretum fuisse,minime cõuenire, vt virum tanta virtute præditum, in pestem, sine vllo fructu, ruere permitteret. Opus esse difficillimum, quod non, nisi classe maxima,confici posset. Periculosum esse,eodem tempore duas res difficillimas suscipere. Sibi iter instare, quo erat in Sultani classẽ inuasurus.Fieri non posse,vt simul classis, qua Malaca pœnas sceleris conflati lueret,instrueretur.Illum deinde multis verbis orare institit,vt secum,vt in Goa fecerat, nauigare vellet,vt, illius virtute, facilius hostes opprimeret.Eo bello profligato, se daturum operam, vt is in Lusitaniam,multis ornamẽtis,vt par erat,affectus,rediret.Hoc responso Vasconcelius grauiter offensus,sibi data esse verba,conquestus est. Et,quando tam male meritis suis esset gratia relata,se Malacam omnino,omnibus inuitis,petiturum.Ideo namque in Indiã se venisse dicebat, non vt Ducibus Lusitanis obtemperaret, sed vt Regis inuictissimi mandata conficeret. Albuquercius, cum illum in ea nauigandi sententia nimis obstinatum animaduerteret,illi, & Ducibus, qui comites illius erant,exsilii;magistris,atque nautis, extremi supplicii,pœnam proposuit, si e portu, iniussu ipsius,soluerent. Nihilominus ille, cũ reliquis Ducibus,vna nocte,anchoris solutis, e portu discessit. Albuquercius Duces alios confestim misit, qui triremibus, & scaphis, instructis illum consequerentur, atque reuocarent:si id facere recusaret,naues illius in alto mergere iussit. Ii iussa facessunt. Et,cum Vasconcelius parere noluisset,tormentis nauem,qua vehebatur, acerrime verberare instituunt,antenna mq. maximam deiiciunt, & duos nautas interimuut,& illi exitium minitantur, nisi statim in portum, vnde soluerat, rediret.Rediit tandem, & in custodiam tradi tus est:lataq.sententia fuit,vt is vinctus in Lusitaniam duceretur,& quidam ex nauarchis, Hieronymus Cernichius nominabatur, quia suasor,& impulsor,audaciæ fuerat, & acrius, quam reliqui omnes, Albuquercii imperio restiterat,securi feriretur;& magistri,qui imperium audacius contempserant, suspenderentur. Duo ex magistris continuo ad suspendiũ adacti sunt.Reliqui ducebantur. Sed,cum legatus Regis Narsinguæ,& legatus etiam Regis Cambaiæ, nobilitatis Lusitanæ precibus adducti, ad Albuquercium adiissent, & illum suppliciter orarent,vt erratis hominum illorum veniam præberet,is & omnibus, qui non dum morte affecti fuerant,ignouit, eosq. exsilio multauit; nauarchos nauium præfectura priuauit,&,exsilij gratia, in Lusitaniam deduci iussit.Sic autem imperium seuere sanxit,& humanitatis etiã partes in iudicio suscepit,& legatos Regum maximorum nõ mediocri beneficio,vt præseferebant,obstrinxit.Rebus ita constitutis, & vrbe valido præsidio munita, Goa,cum classe viginti trium nauium,profectus est. Cum vero Occasum versus, vt Arabiam peteret,cursum institueret,tempestatis aduersæ flatu, Goæ rursus portum subiit. Ibi, cum idem ventus nihil remitteret,& nauigãdi tempus elaberetur, consilio cum Ducibus habito,statuit Malacam(ad eam namque petendam ventus valde secundus erat) nauigare. Itaque Cochimum versus cursum direxit. Ibi Petrum Fonsecam Castrensem,& Menendum Alfonsum, & Simeonem Vetulum, & Antonium Salam, cum certo nauium numero, reliquit :quibus omnibus Emmanuelem Lacerdam præfecit,& illis imperauit,vt,cum primum ver appeteret, quod initio Augusti mensis aduentat, oram Calecutiensem peragrarent, & bellum Calecutiensibus, illorumque sociis,inferrent,& in Goam excurrerent, ne quisquam, dum is abesset, insulæ perniciem moliri conaretur. Rerum autem maritimarum præfecturam Odoardo Melio Serpensi

Zacotorensis arx ab Albuquercio iussa euerti.

Vasconcelii cũ Albuquercio de Malacensi profectione contẽtio.

Vasconcelius ab Albuquercio deficit.

Vascõcelii cũ Albuquercio de Malacensi profectione contentio.

Albuquercii expeditio Malacensis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pensi commisit. Inde, cum decem & nouem nauibus, & octingentis viris Lusitanis, & sexcentis Indis, vela dedit. Nauem vnam Cambaiensem in eo cursu, antequam Cori promontorium superaret, excepit. Ibi, cum classis maximis fluctibus agitaretur, vnam triremẽ amisit; homines tamen, qui ea vehebantur, conseruati sunt. Alias deinde tres naues, mercibus valde pretiosis onustas, quæ Malacã similiter petebant, expugnauit. In Zamatram deide insulam delatus naues in Pedirensi portu constituit. Rex illi continuo nauem, & Lusitanos, dono misit. Ij erant ex illis, qui Malacæ relicti a Siqueira fuerant, & inde fugientes se se in Pedirensis Regis fidem contulerant. Vnus ex illis, cui nomen Ioannes Viegas erat, Albuquercio narrauit, post Siqueiræ a Malucensi portu digressum, Bendaram Regi insidias comparauisse, & ob eam rẽ capitale supplicium pertulisse. Exposuit deinde, quo modo Nahodabeguea, qui princeps erat illorum, qui, simulacrorum superstitione cõsiliciati, a Mahumetis sacris nefariis abhorrent, ciues ad Lusitanorum perniciem sollicitarat; qui tamen cum Bendara sceleris societatem coiuerat, &, huius maleficij conscientia oppressus, aufugerat, & in Pacemensi Regno, quod eiusdem insulæ pars est, tandem constiterat. Albuquercius, pace cum Rege Pedirensi, sanctiore fœdere, confirmata, Pacemense Regnum petiit. Ibi, colloquio cum Rege habito, ab eo, vt sibi Nahodabegueam traderet, enixe contendit. Is, cum fidem daret, se illum traditurum, non modo id nõ præstitit, verum Nahodabegueam, vt subterfugeret, admonuit. Inde, fœdere similiter percusso, Albuquercius mouit, &, nauẽ, post dies aliquot, maximam conspicatus, in eam inuectus est. Qui erant in nauí, nostris acri animo restiterunt. Ex illis tamen, quadraginta cæsi sunt. Cum vero nostri nauem scandere properarent, flamma subito, vectorum opera suscitata, nostros vehementer exterruit, & a nauí longe discedere compulit. Et, vt postea compertum fuit, flamma illa, artificio quodã facta, nõ exurit, & facile, quoties eis, qui eam excitarunt, libet, extinguitur. Inde, cum classis in anchoris consisteret, nostri aliam nauẽ conspexere, quæ velis, & remis, vt aliæ multæ generis eiusdem, impelli solebant. Albuquercius misit cõtinuo duos duces, vt, scaphis innecti, eam ad illum traherent. Nautæ, metu perterriti, se se in mare præcipites eiecerunt. Nahodabeguea ea nauí vehebatur, & Malacã petebat, vt Regi Lusitanæ classis aduentũ nuntiaret, vt ea sedulitate Regem ad veniam tribuendam inflecteret. Nahodabeguea, cum nullam vitandæ cladis meritæ rationem inueniret, maluit cum famulis suis, viri fortis officio functus, occumbere, quam, supplicio suo, nostrorum oculos satiare. Itaque tanta vi repugnauit, vt nemo fuerit e nostris, qui non ex eo certamine vulneratus abiret. Hostes omnes cæsi sunt. Nahodabeguea, multis vulneribus cõfossus, ita cecidit, vt nullum sanguinem e vulneribus emitteret. Cum tamen nostri illum nudassent, & amillam ex auro factã, in quam erat lapis quidam inclusus, detraxissent, magna repẽte vis sanguinis ex illius vulneribus emanauit. Lapis ex bestiis quibusdã eruitur, quas Siamenses Cabrisias appellant, qui mirificam ad sanguinem sistendum vim continere dicitur. Nostri, progressi viterius, duas alias naues ceperunt, quarum vna Malaca solauerat. Qui ea vehebantur, Rodericum Araugium, & reliquos Lusitanos, qui Malacæ relicti fuerant, incolumes esse nuntiarunt. Tertius dies erat ab eo, quo nauis se primum armis, deinde flammis, tutata fuerat, cum eadem nauis se in nostrorum cõspectum dedit. Ex ea homines duo in paronem desiliunt, & recta ad nauem prætoriam deferuntur. Ibi, cum, accepta fide, nauem ingressi fuissent, Albuquercium eiusmodi verbis alloquuntur: Si verum fama prædicat, Imperator, adduci nõ possumus, vt arbitremur, te, si sciuisses, quam rem geramus, nauem nostram fuisse armis aggressurum. Nec enim piratæ sumus, vt sceleris conflati pœnas luere debeamus; neque mercatores, vt diuitiarum magnitudine cupiditatem eorũ, qui pecunias expetunt, acriter irritemus. Merces nostræ sunt, ea, quæ nostræ nobilitati conueniunt, arma nempe, & virtus, atque fides. Tuum vero munus est, scelera supplicio persequi, virtuti autem fauere. Nam & te Regis clarissimi, & inuictissimi, Ducem esse nouimus, &, virtutis egregię signi ficationem quam plurimis in locis dedisse, compertum habemus. Hac igitur tui nominis fama prouocati, ad te fideiter accedimus, & suppliciter postulamus, vt homini, per sum mum hominis malefici, & iniusti, scelus, bonis omnibus euerso, misericordiam tribuas. Sultanus Zeinalus Pacemense Regnum legitimo imperio continebat. Tyranni vero fraude, Regno pulsus est. Nos vero milites illius sumus, fidem, & officium, sequimur; & pro illius dignitate mori, si opus ita fuerit, minime recusamus. Nunc vero Iauam cum illo petebamus, vt auxiliũ ab incolis insulæ peteremus. Verum, cum classem istam videret, non aliã nobis opem querendam existimauit. Si enim Regis nomen alias nationes mouere potest, multo magis te ad misericordiam, qui tanta fide pro Regis tui nomine nullum vitæ periculum recusas, inflectet. Te igitur Rex noster orat, vt hanc causam, dignam tua fide, & tua virtute, suscipias, & illũ, calamitate indignissima vexatum, in Regnum restituas. Quod si feceris, res a te gestas clarius illustrabis, hominemq. gratum, & memorem, beneficio tibi in perpetuum deuincies. Hac legatione Albuquercius valde lætatus est, Regemq. primum per Fornandum Petreium Andradium,

Tres naues Malaccẽses capræ.

Bendara malefactis damnatus.

Pacemẽse Regnum.

Mira sistendi sanguinis in lapide vis.

Nauis, factii, & innoxii ignis beneficio seruata.

De alia nauí capta, & Nahodabeguæ cæde, nullo emisso sanguine.

dium, deinde per se, eo quod acceperat illum inualetudine laborare, salutauit. Pax inter illos facta, fœdusq. percussum fuit, ea condicione, vt, si Albuquercius illum in Regnum reduceret, is stipendiarius Regis Emmanuelis esset, & singulis annis certum auri pondo, pro Regni facultate, tributi nomine, pensitaret. Hacre ex animi sententia gesta, Malacam secum Zainalum perduxit. Kalẽdis Iulij, anno M D XI. ad insulam paruam, quę Malaca ictu tormenti distat, classem applicuit. Erant in eo loco naues quamplurimæ in anchoris cõstitutæ, quæ, vt se inde proriperent, metu perterritæ, festinabant. Albuquercius, cum publice testari fecisset, se nõ bellum, nisi eis, qui hostilia molirẽtur, afferre, omnibus metum abstersit. Quinque Sinarum nauarchi, qui ibi consistebant, illum adierunt, & significarunt, Regem Malacæ, cum, eum affuturum, litteris, & rumore multorum, multis ante diebus, cognouisset, se se ad bellum, summo studio, comparasse. Deinde, si bellum fieret, operam suã polliciti sunt. Se namque & Regis perfidi sceleribus offendi, & Lusitanæ probitatis studio concitari. Deinde suorum merita in Sequeirã retulerunt, vt magis fidem facerent, sibi similiter nihil antiquius officio futurum. Eos Albuquercius in cenam inuitauit. Quod conuiuium fuit a Sinis, Gallico, & Germano more, maioribus poculis, & hilaritate summa, celebratum. Postridie Rex misit, qui Albuquercium, nomine illius, honorifice salutaret, & susceptum contra Lusitanos scelus in Bendarã transferret, quem dicebat ob eam causam fuisse capitali supplicio damnatum. Se vero nihil malle, quam pacem, eamq. libentissime, condicionibus æquis, accepturum. Albuquercius respondit, se minime a pacis condicionibus abhorrere. Sed, vt intelligeret, Regem pacem velle, & scelus contra Lusitanos nefarie conflatum detestatum fuisse, esse in primis necessarium, vt Lusitanos liberos ad se venire permitteret, & bona, quæ direpta fuerant, restitueret. Ad hæc, Rex, Lusitanos variis in locis dispersos esse, dixit, & aliquot ex illis in Mahumetis nomen iurasse, quos, per religionem, Christianis tradi, minime liceret. Quod autem ad bona attineret, ea non illius sponte direpta fuisse; & præterea maximam illorum partem in Lusitanis alendis fuisse consumptã. Hæc, & alia eiusmodi, vltro citroque, per nuntios agebantur, ex quibus intelligi poterat, Regem velle Albuquercium ludificari, vt incautum, & spe compositionis erectum, opprimeret. Hæc mẽte cernebat Albuquercius, & ex litteris etiam Araugii, & ex mercatorũ quorundam sermonibus, accepit, exspectari ab illo classem maximam, qua facilius nostros, ancipiti prœlio & a portu, & ex alto, distentos, obrueret. In vrbe Rex ad nouem tormentorũ millia, partim ærea, partim ferrea, in munitionibus habebat. Et tam militum numero, quam omnibus bellicis instrumentis, erat ad bellandum paratissimus. Vt tutius tamen rem gereret, classem illam exspectare statuebat. Albuquercius vero, vt apud omnes nationes, quæ illic negotiabantur, testatum relinqueret, se inuitum ad bellum, hominis iniustissimi fraudibus, impelli, rem de die in diem differebat. Sultanus Zainalus, hoc metu fieri ab illo ratus, graui diffidẽtia laborare cœpit, & ad Regem nocte transfugit. Albuquercius, sequenti die, in domos, quæ in æstuariis erãt, & in ædificia suburbana, & in tres naues Cambaienses, viris impigris ad eam rem gerendam missis, ignem conici præcepit. Id non, absque magno certamine, fieri potuit. Incendium tamen, hostibus frustra repugnantibus, excitatum, vrbem terrore complenit. Rex, ea re conturbatus, Araugium, cum Lusitanis reliquis, statim ad Albuquercium misit; seq; nihil malle, quam pacem, asseruit, illamq. orauit, vt, incendium restingui, permitteret. Albuquercius facile precibus assensus est. Cambaienses tamen naues exuri iussit. Araugius illum admonuit, Regem fraudes, & insidias, machinari; nullam apud eum fœderis religionem sanctam fore; opes illius malis artibus, & sceleribus infinitis, amplificari. Et tunc, eo quod classem exspectaret, quam cum ea, quam in portu iam habebat, coniungeret, dilationibus nostros eludere constituisse. Rex naues multas mercatorum impediebat, quo minus e portu soluerent, vt illis in bellum, si opus esset, vteretur. Albuquercius Sinarum naues expeditas illis tradidit; eos tamen rogauit, ne prius abscederent, quã prœlium spectarent. Ad Regem deinde missit, qui diceret, si pacem fieri vellet, vt locum sibi in vrbe commodum assignaret, in quo arcem posset exstruere, ne rursus Lusitanis, perditorum hominum scelere, periculum intenderetur. Rex vero respondit, loci designationem Albuquercio se liberam permissurũ. Sed, cum nihil expediret, & fraudes, quas simulatione contexerat, occultari diu minime possent, Albuquercius rem vlterius differre noluit. Itaque, vt exploraret, quo loco commodius vrbem oppugnaret, & quibus copiis Rex eam tueretur, & ordine, quo impetum reprimere niteretur, mane, vrbem se inuadere velle, simulauit. Hac re tentata, cognouit Albuquercius, vrbis firmamentum in ponte, & in templo quodam, non procul a põte sito, consistere. Itaque ea parte vrbem oppugnare statuit. Insequenti igitur die, trireme, & humilioribus nauibus, in vrbem inuehitur. Hostes, vt nostros aditu prohiberent, vndique prouolant. Maioribus, & minoribus, tormentis, acre nimis certamen instituitur. Nostri tamen, per medias flammas, atque tela, litus occupant. Albuquercius ibi duas acies instruxit. Vnam Fernãdo Petreio Andradio, & Ioanni Limico, & aliis quibus-

Albuquercij cum Pacemẽsi Rege fœdus.

Albuquercii in Malacense Regnum aduentus.

Quinque Sinarum cum Albuquercio colloquium.

Malacensis Regis ad Albuquercium fraudulẽta legatio.

Malacensis exercitus, & instrumenta bellica.

Zeinali Pacemensis Regis ad Albuquercium legatio

Belli Malacensis in tiũ.

Suburbij Malacensis incẽdium.

Malacensis Regis technæ.

Albuquercii ad Malacensem nuntius.

Malacę vrbis oppugnatio.

Lusitanorum acies duæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dam ducibus, attribuit, qua eam pontis partem, quæ erat cum templo coniuncta, armis aggrederentur; alteram sibi reseruauit, qua in frequetiorem vrbis partem, ad quam pons etiã ex aduerso pertinebat, inuaderet. Vtrobiq. erant stationes munitissimæ, & præsidia cum tormẽtis collocata, quibus pilarum multitudo, grandinis instar emissa, nostris terrorem ingentem præbuisset, nisi contemnendi periculi consuetudo, & laudis immensa cupiditas, cum reibene gerendæ fiducia, &, quod caput est, numen CHRISTI propitium ab eorum animis metum omnino depulisset.

Prælium.

Itaque intrepide in stationes inuadunt; hostes summa contentione resistunt; vtrimq. prælium animo magno sustinetur. Hostes tandem pelluntur. Ea parte, qua Albuquercius cum copiis suis irruerat, hostes prius stationes deserunt, cosq. Albuquercius cedentes insequitur. Qui primus in stationem adscendit, fuit Simon Andradius. Alteram vero stationem Ioannes Limicus primum subijt: hostes vero similiter ea parte pulsi sunt; & nostri illos acriter vrgebant, donec ad agmen Regium peruentum est; vbi hostes, Regis presentia confirmati, constitere. Rex, castello, quod elephãtus ingens tergo sustinebat, cum aliquot e suis domesticis, vehebatur. Hunc alij elephanti, similiter instrati & armati, sequebantur. Tela e castellis frequentia decidebant. Elephanti enses dentibus alligatos gestabant; tantaq. ferocia in nostros irruebant, vt antesignani pellerentur. Fernandus tamẽ Gomecius Lemius, & Vascus Fernãdus Coutignus, minime ea re perturbati, resistũt. Cum vterq. eorum, in opposita viæ latera, qua elephantus gradum violenter inferebat, concessisset, aditum ei liberum reliquerunt. Vtrimq. deinde latera illius hastis perfodiũt. Bellua, quamuis in principio certaminis sit immanis, & efferata, est tamen doloris impatiens, & facile in suos, quouis vulnere sauciata, conuertitur. Itaque, cum elephantus transfixus vtroq. latere fuisset, rectorem, qui illi insidebat, proboscide deturbatum, proculcat. Exanimari deinde (sanguis enim illi vtrimq. profluebat) mirifice cœpit. Rex eo metu confestim desiluit. Elephantus, in suos conuersus, reliquorum elephantorum aciem perturbauit. Omnes exterriti in fugam versi sunt, neq. rursus vllis rectorum monitis, aut minis, in prœlium compelli potuere. Eo metu depulso, Lusitani multo acrius institerunt. Hostes, cum prolaribus, & focis, in Regis sui conspectu, dimicarent, fortunarumq. omnium discrimen adirent, in ferrum, incredibili pertinacia, ruebant. Rex, cum in manu non mediocre vulnus accepisset, e pugna, dolore victus, excessit, vt in ædibus suis curaretur. Id cum illius milites animaduertissent, se in collem, in quo ædes Regiæ sitæ erant, paullatim subduxere. Ibi vero conferti nostrorum impetum sustinebant. Alia vero parte res erat in magnum discrimen inducta. Albuquercius enim erat hostium multitudine circumuentus. Ioannes Limicus, præsidio, quod satis esse videbatur, in ponte relicto, vt illi opem afferret, accelerauit; tantoq. impetu in hostes inuasit, vt multi se in fluuium demitterent. Nautæ, qui erant in lembis, eos ad satietatem, sine vllo impedimento, cedebant. Albuquercius, aduentu Limici, ingenti periculo liberatus, suos ad pugnam de integro capessendam cohortatus est, & tubarum etiam concentu, vt maiorem animis alacritatem adderet, omnes excitauit, & in hostium aciem, quę viam latam insederat, impetum dedit. Hostes, quamuis principio acriter obstitissent, tandem fusi, fugatiq. sunt. Itaque, pontis parte præsidio nudata, Albuquercius continuo stationem in eodem loco, vallo, & fossa, & aggere, munijuit, tormentaq. disposuit; munitionisq. illius custodiam Nonio Vascio Albicastrensi, & Georgio Leoni, commisit. Idem in alia pŏtis parte, quæ ad templum, & Regiam, pertinebat, facere conatus est. Sed tanta vi fuit opus ab hostibus impeditũ, vt perfici nullo modo posset. Pugna a prima luce ad meridiem perducta fuit. Albuquercius tamen, ne præsidia, quæ in statione disposuerat, aliquod grauius incommodum ex ædibus vicinis acciperent, eas omnes munitiones ex vtraq. parte incendere confestim iussit. Incendium in templum vsque, & in ædes Regias, penetrauit, bonamq. illarum partem exussit. Sol in occasum præcipitabat, & nostri erant ardentissimo sole, & maxima lassitudine, ex nimio labore, confecti. Albuquercius igitur copias in classem ea mente reduxit, vt, cum primum posset, in vrbem, pluribus copijs stipatus, ingrederetur. Hostium numerus, qui in eo prœlio ceciderunt, iniiri minime potuit. Constat tamen, magnam cæsorum multitudinem fuisse. E nostris tredecim cecidere, septuaginta grauiter vulnerati fuere: quinquaginta tormenta capta sunt, & ædes non paucę direptę. Multi ea nocte mercatores ex vrbe profugerunt, & Regulus quidam, qui illis diebus Regis Malacæ filiam duxerat, neq. nouæ nuptæ blanditijs contineri potuit, quin se in fugam daret. Eo tẽpore Vtetimutaraja Iaoẽsis mercator, qui sedem, & domiciliũ, in ea ciuitate multis annis habuerat, erat opibus, & existimatione, externorũ omnium facile princeps. Is, cum illius diei certamẽ cerneret, ea nocte ad Albuquerciũ, cum muneribus, adiit, & supplices etiam preces adhibuit; fidemq. dedit, se fore semper Regis Emmanuelis ducibus ad dictum, & iussis illorum omnibus obsequentẽ. Is fuit in fidem, & amicitiã, libentissime receptus. Sinarũ vero nauarchi similiter ad Albuquerciũ de victoria gratulatũ venere, seque, si per illũ liceret, statim velle proficisci, dixerunt. Is eos commeatu iuuit, & muneribus affe-

Armatorũ elephantorũ pugna.

Albuquercij periculũ, & inimici subsidio depulsum.

Redintegratum a Lusitanis prœlium.

Pars vrbis Malacẽsis incensa.

Cęsorum numerus.

Elephãtis Regii cædes.

Elephantum fuga.

Rex vulneratur.

affectos dimisit, vnumq. Lusitanum, ex illis, qui cum Araugio Malacæ capti fuerant, qui linguam Malacensem probe nouerat, illis tradidit, qnem erant in Siamensi Regno, cum oram illam legerent, relicturi. Per hunc enim Regem Siamensem salutare, & propensam in illum voluntatem multis verbis ostendere, commodum arbitratus est, vt illum, cuius imperium erat ampliſsimum, ad Emmanuelis studium alliceret. Lusitanus, quem cum Sinis misit, Odoardus Fernandus appellabatur. Is ensem, cum capulo, & manubrio, ex auro, pulcherrime facto, & emblematis elegantissime distincto, ad Regem, cum baltheo operis eiusdem, Albuquerci nomine, deferebat. Nostri eam noctem in curandis corporibus, & rebus ad prœlium, quod instabat, præparandis, consumpserunt. At Rex alias stationes in locis, magis in intimam vrbem reductis, quibus nostri ex eo loco, quem occuparant, impetum illaturi videbantur, multo diligentius muniuit, in illoq. multo plura tormenta disposuit. In eaq. parte, in quam Lusitanos inuasuros existimauit, clauos acutissimos, e chalybe, veneno mortifero, tinctos, sub terram abdidit, vt nostri, cum vestigium imprimerent, vulnerati, conciderent, & cum dolore summo spiritum ederent. Ea namq. est veneni illius natura, vt, cum primum sanguinem attingit, in viscera repente vim suam mortiferam diffundat. Hæc omnia Albuquercius, indicio Nachetuensis, qui in Lusitanos erat voluntate propensus, intelligebat. Cum vero in pontis expugnatione maximum belli momentum statueret, hoc excogitauit. Nauis Sultani Zainalis, quam is, cum fugit, desertam reliquerat, erat maxima, & firmissima. Eam tormentis, & variis munitionibus, & commeatu etiam, instruxit, saccisq. lanicio gossipino, similiq. materia, quę mollitie sua tormentorum ictus excipit, neq. facile dissipatur, infertis, nauis latera firmauit. Ea, cum æstu deferretur, & ponti applicaretur, erat necesse, vt, arcis instar, in pontem promineret. Sed ea tempore, quo maritimi æstus, quos Lunæ cursus, & conuersio, moderatur, propter ipsius Lunæ rationem multo remissiores sunt, ad pontem applicari non poterat. Æstus autem tũc vim suam intendunt, cum Luna vel ad Solem propius accedit, vel ab illo longius abscedit. Cum vero vel maximus illius splendor imminui, vel ab exortu augeri, incipit, tunc paullatim eam vim, quę ad summum peruenerat, in dies singulos remittit. Id igitur Albuquercius exspectabat; &, quo se vehementius in dies singulos æstus incitabat, eo nauis propius pontem, summo nostrorum studio, pellebatur. Hostes interim minime cessabãt. Machinis enim multo pice, & oleo, multipliciq. materia ad suscitandam flammam accomodata, comparatis, atq. secundum fluminis naturam, æstu decedente, contortis, vt nauem flammis absume rent, enixe contendebant. Nostri vero, lembis, & scaphis, subsidio festinanter occurrentes, machinas, harpagonibus iectis, in alteram fluminis partem detorquebant. Hostes vero in nauem, nocte, atq. die, pilas ingentes emittebant. Naui præerat Antonius Abreus. Huius cum vtraq. mala glandis vnius ictu transfixa fuisset, Albuquercius illi vicarium repente substituit. Is vero, sane ferociter, Integri, inquit, mihi pedes sunt ad discurrendum, & manus firmæ ad prœlium conserendum. Neq. mihi ad cohortandum oratio deest: mentem vero ad imperandum, Dei gratia, sanam gero. Quin etiã, si in lecto, grauissimis vulneribus acceptis, decubuissem, ex eo facillime possem, quæ in rem essent, mente, & consilio, prouidere. Quare minime pariar, quamdiu animam duxero, alium in locum meum substitui. Ad hunc igitur modum, cum vicarium e naui pelleret, non segnius, quam si nullum vulnus accepisset, munere suo perfunctus fuit. At nauis tandem, cum æstus maximi essent, ponti, cunctis hostibus frustra repugnantibus, applicata fuit. Postridie, Albuquercius, ante lucem copijs eductis, in vrbẽ, sicut ante fecerat, inuasit. Prœlium ea die multo crudelius exarsit. Multi vtrimq. ceciderunt; & maxima hominum multitudo vulneribus debilitata fuit. Tandem statio, quæ templum, & ædes Regias, muniebat, a nostris capta, & hostes in effusam fugam conuersi sunt. Similiter, cum statio illa, contra quam Albuquercius copias educebat, expugnata, maximo cum labore, fuisset, hostes inde se proripuerunt. Pontem similiter Abreus omni præsidio nudauit. Ita, vno tempore, cum e naui prœlium iniretur, & quilibet hostes, pro parte sua, fundere conaretur, & diu fuisset vtrimque fortissime dimicatum, hostes omnino fusi sunt. Rex, vt opem suis afferret, cum tribus millibus hominum, elephãto insidens, accurrebat. Sed, cum omnes stationes expugnatas animaduerteret, in ædes suas concessit. Nostri illum, propter hominum paucitatẽ, insequi noluerũt. Albuquercius in templũ se contulit, iam a nostris occupatum. Illius vero custodiam illis ipsis, qui illud expugnarant, commisit. Inde in pontem redijt. In vtroq. autem pontis introitu stationes excitauit, easq. cupis terra oppletis, & ordine collocatis, atq. firme reuinctis, circumuallauit; crebraq. in illis tormenta, præsidiaq. firma disposuit. Cum vero hostes interim in nostros pilas, & glandes, immitterent, & multos opere impeditos conuulnerarent, Albuquercius duas acies instruxit, quas ducibus delectis attribuit, & illis imperauit, vt, duabus viis, ab ea, quam hostes infestam faciebant, diuersis, ingressi, eos ex transuerso adorirentur, neminiq. vitam concederent. Itaq. multi ex hostibus cæsi sunt, multo tamẽ plures se fugæ mandarunt. Albuquercius duas domus prope

Albuquerci ad Siamẽsem regẽ legatio.

Hostium munitiones.

Animositas Abrei.

Atrox prœlij.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pontem, in frequentiore vrbis parte, quam ipse sibi expugnandam sumpserat, delegit, in quarum tectis (nec enim fastigiatæ domus erant, sed ad libellam in summo constratæ) tormenta collocauit. Lembos præterea, & scaphas, cum tormentis, singulis in fluuii locis opportunis, constituit. Nondum enim debellatum crediderat, &, quasi adhuc graue certamen instaret, omnia summo studio comparabat. Sequenti die, ædes Regias oppugnare constituit. Sed Rex, proxima illa nocte, cum omnes opes, quas potuit, asportandas in mediterranea loca curauisset, aufugerat. Cum Lusitani milites in Regiam se, illius diripiendæ gratia, contulissent, eamq. exinanitam reperissent, ea re grauiter offensi, illam, coniectis vndique facibus, incenderunt. Hostes, adhuc enim supra sex hominum armatorum millia in vrbe remanebant, in nostros impetum sæpe dabant; sed, cum damnum nullum intulissent, & cladem non mediocrem accepissent, aufugerunt. Albuquercius, vico, in quo Vtetimutaraia habitabat, & domibus Ninachetuensis, & Iaoensium, & reliquorum, qui in fidem recepti fuerant, exceptis, vrbem diripiendam militi concessit. Præda ingens fuit: supra tria millia tormentorum capta sunt: armamentaria erant vario commeatu, & instrumentis bellicis, & munitionibus, referta. Hæc omnia, quæ ad classem reficiendam, & vrbem muniendam, pertinebant, miles non attigit. Et tamen quincta prædę pars, quæ ad Regem pertinebat, ducentis millibus aureorũ nummorum æstimata fuit, quamuis nec aurum, nec argentum, quod occultari potuit, miles in medium contulisset. Vnde constat, si Rex, & mercatores opulentissimi, opes suas, post primum prœlium, ex vrbe in mediterranea loca non traduxissent, tantam prædam futuram fuisse, quæ auaritiam infinitam militum satiaret. In his tamen prœlijs e nostris circiter octoginta ceciderunt. Rebus ad hunc modum gestis, Albuquercius mercatores, qui arma nostris non intulerant, vt vrbẽ incolerent, fauoribus allexit, omnibusq. libertatem, & leges suas, restituit. Saracenis, Vtetimutaraiã, reliquis gentibus; quæ simulacra colebant, Ninachetuensem præposuit; vt tamen ab illis ad Lusitanos magistratus prouocatio esset, instituit. Et, cum Regem, circiter passuum triginta millia prope flumen, quod in vrbem influebat, munitiones excitare, percepisset, manum comparauit, eoq. duces misit, qui munitiones disturbarent, & hostes dispellerent. Præda inde non mediocris abducta, & elephanti septem capti sunt. Rebus ita constitutis, in eo nervos omnes Albuquercius intendit, vt arcem ædificaret. Materiam suppeditabant sepulcra Regũ, & Principum, & ædes magnificæ belli impetu disturbatæ; operas seruorum multitudo facile præbebat; & ipse operi vigilanter instabat, ita, vt opus intra breue tempus ad tectum perueniret. Porro autem, comitate, & orationis lenitate, perfecit, vt magna hominum multitudo, vrbis colendæ gratia, vndiq. confluerent. Illis præterea leges dedit, pecuniamq. ex auro, & argento, conflandam, & cudendam, insignibusq. Regis Emmanuelis signandam, curauit; & ex stanno etiam monetam instituit; grauissimaq. pœna sanxit, siquis alio genere pecuniæ deinceps vteretur. Lassamanes, qui rerum maritimarum apud Malacæ Regem præfectus exstiterat, cum vrbem non modo captam, sed legibus, & moribus, recte constitutam, Regisq. Emmanuelis imperium optime fundatum, cerneret, Regemq. suum e vita discessisse (dolore enim confectus interierat) animaduerteret, ad Albuquercium legatum misit, per quem postulabat, vt opera sua vteretur. Se namque nõ minore studio pro Regis Emmanuelis amplitudine quouis periculum aditurum, quam pro defuncto Rege multis in locis adierat. Fuit ea legatio Albuquercio grata; dataq. fide, illum euocauit. Sed, cum multi vererentur, ne, si is in vrbem rediret, aliquod maximum munus illi committeretur, inuidia ducti, hominem per litteras absterrent, atque persuadent, Albuquercium de interitu illius cogitare. Interim Odoardus Fernandus, qui ad Siamensem Regem missus fuerat, cum Siamensi legato reuersus est. Fuerat Lusitanus a Rege comiter acceptus, & muneribus ornatus. Legationis autem, quam Albuquercio Siamensis exposuit, summa hæc erat. Regi gratissimam fuisse illius victoriam: Emmanuelis Regis imperium amplificatum cupere, & gentis clarissimæ vicinitate delectari, nullumq. se officium in omnibus rebus, quæ ad commodum, & dignitatem, Albuquercij, & Lusitanorum Ducum, pertinerent, hominis amantissimi prætermissurum. Cum hac legatione, Albuquercio dona misit, nempe aureum poculum, & ensem cum aurea vagina, & anulum, in quem erat gemma maximi pretij, satis eleganter inclusa. Albuquercius, per eundem legatum, Regis matri ampla satis munera misit. Siamense Regnum oram ferme omnem extremæ Indiæ, quæ ad ortum Solis spectat, & ad Septemtriones inflexa, sinu maximo, Sinarumque termino occidentali, definita est, amplectitur; & inde ad Occasum cum Regno Peguensi coniungitur. Promontorio autem, quod Malaca circiter centum & viginti passuum millibus abest, superato, Malacam etiam imperio, vt diximus, continebat. Duodecim millia elephantorum habere dicitur, e quibus quattuor millia semper ad subitos bellorum casus armata sunt. Ad hunc Albuquercius, vt pax sanctiore fœdere firmaretur, legatos misit, Antonium Mirandam Azeuedũ, & Odoardum Coelium, cum muneribus

Regis Malacensis fuga.

Malaccę direptio.

Arx Malacensis extruitur

Lassamanis ad Albuquercium legatio.

Siamensis ad Albuquercũ legatio.

Siamensis Regni descriptio.

Malacensis Reip. ab Albuquercio constituta ratio.

Regia

Variæ legationes, tã ad Albuquercũ, quam ab eodem missæ.

Regia magnificentia dignis. Alius deinde legatus a Ioensi Rege Malacam peruenit, cum muneribus, quæ militaris viri speciem referebant. Hastas enim continebant, & bellica facinora, quæ Rex ediderat, in stromate gossipino depicta, & ænea tympana, quibus apud gentem illam in bellis certamen acuitur. Similiter alii legati a Regibus finitimis, & a Zamatra, item a Rege Peguensi, cuius imperium, post Gangem fluuium, ad Solis occasum pertinet, & latissimis illius oræ terminis continetur. Alii Reges pacem, & amicitiam, petebant; alii, libenter se Regis Emmanuelis imperium accepturos, ostendebant. Omnes Albuquercium laudibus exornabant, &, muneribus etiam oblatis, studium nominis illius, quo erant vehementer, vt apparebat, incensi, testificabantur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIERONYMI OSORII LVSITANI DE REBVS EMMANVELIS REGIS LVSITANIAE INVICTISSIMI VIRTVTE ET AVSPICIO GESTIS LIBER OCTAVVS.

De bello Gocnſi.

DVM hæc in vlteriore India geruntur, in citeriore res Goenſes in angustias adducte sunt. Zabaimus enim Dalcamus in poſſeſsiones, quæ Regis Emmanuelis nomine in continẽti fuerant occupatæ, Puletacamum, cũ tribus millibus, militũquorum maxima pars Turcæ fuerunt, immiſit. Contra hos Melraus, & Timoia, qui Luſitanorũ partes ſequebãtur, quatuor hominũ millia, & quadraginta equites, eduxerũt. Principio quidẽ Puletacamus in fugam verſus fuit. Sed, cum copias diſsipatas collegiſſet, in hoſtes incautos inuaſit, & Melraum, atque Timoiam, in effuſam fugam coniecit. Hi ad Narſinguæ Regem, cum exercitũ maxima ex parte conciſum cernerent, & aliũ cõparare minime poſſent, ſe contulerunt. Timoja, Melrao deprecatore, a Narſinguę Rege veniam impetrauit. Deinde, contra fidem, vt rumore diſsiparum fuit, Rex illi cædem, per miniſtros, fraudulenter intulit. Hac victoria ſublatus Puletacamus, inſulam traiicere conſtituit; atque primum inſulæ habitatores ad defectionem ſollicitauit. Illi fidem violare noluerunt. Hoc fuit Criſnæ indicio (is erat inter incolas opibus, & induſtria Princeps, & vectigalia tractabat) ad Rabellũ, qui præfectus vrbis erat, continuo delatum. Is aditus inſulæ muniuit, eaq. præſidia diſpoſuit, quibus hoſtes omni aditu prohiberet. Sed, cum Puletacamus noctem vnam pluuiã, & caliginoſam, & tempeſtatibus infeſtam, obſeruaret, copias per loca, quæ magis immunita eſſe cognouerat, ratibus tranſmiſit. Duas Luſitanas naues cum tormentis omnibus cepit, milites Luſitanos, qui nimis acriter obſiſtebant, occidit. Reliqua incolarum præſidia in vrbẽ diffugiunt. Puletacamus excogitat, quo modo ea Luſitanorum præſidia, quæ erant in vrbe, foras exire cogeret, vt ita in vrbem præſidio nudatam inuaderet. Coiebiquio (is vnus erat ex incolarum Ducibus, qui vectigalia Regia tractabant) per vnum e ſuis ad copias educendas perſuadere conatus eſt. Miniſter huius fraudis, Puletacami nomine ſuppreſſo, ſic enim erat iuſſus, Coiebiquium alloquitur, &, quaſi transfuga, qui gratiam captare vellet, nuntiat, ducentos Turcas in opidum, quod Goa vetus appellabatur, inuaſiſſe. Incolas eos vndique circumueniſſe; Turcas erumpere conari. Si ſubſidium firmum mitteretur, fore, vt nemo ex Turcis euaderet. Rabellus Iacobũ Fernandum Fariam exploratum miſerat; & mane, cum acie inſtructa, vt, ſi opus eſſet, in hoſtes inueheretur, Fariam opperiebatur, cum fraudis miniſter interuenit, & ea, quæ fuerat iuſſus, expoſuit. Rabellus Coiebiquium, quid ſibi videretur, interrogat. Is, auctorem ſibi mihi nime fide dignum exiſtimari, dicit. At Rabellus, iuuenta, & audacia, reiq. bene gerendæ fiducia, & optimis ſucceſsibus, (facinora enim nõ pauca in bellis feliciter ediderat) erectus, facile in fraudem impulſus fuit. Itaque, minime ſpectato Fariæ exploratoris aduentu, cũ equitibus quinque & triginta, & Indis quingentis, egreſſus eſt. Prodiror, cum ſe quibuſdã aperuiſſet, abſceſsit. Indi, cognita fraude, ſub ſtiterant. Id Rabellus, cum multum in via proceſsiſſet, non animaduertit. Cum vero iugum collis ſuperaſſet, tredecim tantum Indis ſe ſtipatum vidit. Inde circiter mille (tot enim intuentibus eſſe videbantur) hoſtes cõſpicatus eſt. Eos autem equites quinque in ordinem cogebant. Ibi rurſus Rabellus de Coiebiquio quærit, quid ſibi videretur. Male, inquit. Transfuga minime cõparet: hoſtes ſunt multo plures, quam is nuntiarat: noſtri, metu perterriti, ſubſtitere: fraudem eſſe hominis perditiſsimi, ſuſpicari poſſumus. Iccirco in vrbem redeundum cenſeo. Ego tamen, in omni cõſilio, quod ſecutus fueris, me comitem fideliſsimũ, ſine vlla recuſatione, præſtabo. Deinde, cum Rabellus reliquos interrogaret, & nemo reſponderet, (verebantur enim, ne, ſi vtile conſilium darent, id non prudentiæ, ſed timiditati, tribueretur) Rabellus inquit, Agite, commilitones: hæc eſt dies, in qua, quantum ſit in vnoquoque virtutis, apparebit. Vir quidam nobilis, qui Emmanuel Cugna appellabatur, orationem illius excipiens, Hęc eſt, inquit, ſententia, quæ mihi maxime placet. Omnes deinde e colle deſcendunt, &, hoſtibus appropinquantes, concitatis equis, tanto impetu in eos inuecti ſunt, vt omnes in litus, vbi Puletacamus maiores copias e continente venientes excipiebat, compellerent. Tantus autem erat hoſtibus metus iniectus, vt multi, cum ſe in mare deijcerent, obruti fluctibus, interirent. Puletacamus eos ab effuſa fuga continere non poterat. Ex Indicis copijs ducenti tantum (hi autem Malabares erant) adnenerant, &, cum Luſitanis coniuncti, hoſtes metu diſsipatos inſequebantur. Hoſtes trecenti cæſi ſunt. Erant in ſummo colle parietinæ. Aedes ita corruerant, vt magna parietum pars adhuc integra permaneret. Puletacamus in eas, cũ Turcis octoginta, quorum pars pedites, pars equites erant, ſe a fuga recepit. Eos Rabellus confeſtim adoriri conſtituit. Coiebiquius Rabellum a conatu deterrere conatus eſt. Dicebat enim, Puletacamũ intus latere; homines eſſe cum illo ſane fortes, & rabie, atque deſperatione, quodlibet magnum facinus, ſi cominus res gereretur, auſuros. Itaque præſtare, eminus eos ſine vllo periculo ſagittis configere. Sibiq. illam prouinciã depoſcebat. At Rabellus, victoria inſolenter elatus, cum conſilium prudens aſpernaretur, cum equitibus quattuordecim (reliqui enim hoſtes fugiẽtes cædebant) in parietinas ingreſſus eſt, Ibi hoſtes eum duabus ex partibus aggrediuntur, & equum haſtis confodiunt, & illum ruina vehementer oppreſſum interimunt. Simili caſu Emmanuel Cugna eiuſdem temeritatis pœnas luit. reliqui ex omni parietinarum ambitu pulſi ſunt. Hoſtes eos inſequi noluerunt. Erat enim periculum, ne, ſi rurſus prælium renouaretur, propter ſuorum trepidationem, in ſummum vitæ diſcrimen incidẽret. Itaque ſatis habuerunt, eo die, duos viros primarios occidere, & reliquos a capitibus ſuis auertere. Eo die ſatis perſpectum fuit, quantum inter bonum Ducem, & ſtrenuum militem, interęſſet. Rabellus enim cum eſſet in armis acerrimus, ea temeritatis ſigna dedit, vt multi conſilium, quo fuerat ab Albuquercio Goæ præpoſitus, improbarent. Coiebiquius autem eo die laudem viri fortis, & ſapientis Ducis, obtinuit. Nam & valde ſtrenue dimicauit, & optimum conſilium dedit, cui ſi Rabellus obtemperaſſet, numquam in eam calamitatem incidiſſet. Reliqui omnes, in ordinem reducti, Goam incolumes peruenere. Ibi, cõmuni conſilio, Franciſcus Pantoja delectus fuit, qui ciuitati præeſſet. Is, in quo quidem puſilli, & angusti, animi ſignificationem dare viſus eſt, oblatum munus repudiauit. Non enim in eo ſtatu res Goenſes eſſe dicebat, vt quiſquam vir prudens ciuitatis tuendæ curam ſuſcipere deberet. Nobilitas, & ciues vniuerſi, eam prouinciam ad Iacobum Mendezium Vaſconcelium detulere. Is, cum munus animo ſane confidenti ſuſcepiſſet, omnia, quæ ad vrbis tuendæ defenſionem neceſſaria videbantur, admodum ſtrenue comparauit. Omnem commeatum, quem potuit, in vrbem intulit, munitiones inſtituit, vigilias diſpoſuit, omnia impigre, & vigilanter, adminiſtrauit. Criſna vero cum ab illo, vt intra muros cum ſuis admitteretur, enixe contenderet, id facile conſecutus eſt. Ducenti tantum Luſitani, & Indi ex fœderatis ſexcenti, in vrbe tunc inerant. His exiguis copijs erat bellum ſuſtinendum, & obſidio etiam, ſi opus eſſet, toleranda. Puletacamus vero inſulæ totius poſſeſsionem occupauit. Porro autem Benaſtarinum (eſt id opidum in inſulæ aditu, qui ad Auſtrum pertinet, ſatis ad commeatum ex cõtinenti ſubuehendum, & copias accerſẽdas, opportunum) caſtris deſegit. In eo loco arcẽ inſtituit; maxima illius fundamenta iecit; eamq. ad ſummum perduxit, & tormentis ingentibus, & omnibus belli cis inſtrumentis, atque præſidijs, egregie muniuit, vt inde tam acri bello Luſitanos vexaret, vt inſulam deſerere cogerentur. Et interim, nunc aperto Marte, nunc ex inſidijs, ciuitatem oppugnabat. Sed Vaſconcelius illum perpetuo repellebat. Frãciſcus vero Pereira Berredius, cum triginta viris Luſitanis, eo ſe contulit. Cuius aduentu, tanta erat hominũ penuria, Vaſconcelius mirifice lætatus eſt. At Puletacamus, cum bellum extra heretur, Zabaimo ſuſpectus eſſe cœpit. Neque defuit, qui nomen illius apud Zabaimum proditionis in ſimularet. Is ſororem Rozalcamo, viro Turcæ, & in rebus bellicis ſpectato, deſponderat. Eum Rozalcamum Zabaimus, cum ſex millibus militum, Goam miſit, & Puletacamo, vt illi exercitum traderet, imperauit. Puletacamus, ea ignominia grauiter offenſus, imperium Zabaimi contempſit. Rozalcamus, vt Puletacamum caſtris exſueret, ad Vaſconcelium litteras dedit, quibus dicebat, Puletacamum, Zabaimi iniuſſu, in poſſeſsiones, in continenti ſitas, quæ ad Emmanuelis imperium pertinebant, inuaſiſſe, & in inſulam traiciſſe. Se cum exercitu veniſſe, vt a Puletacamo tanti facinoris pœnas expeteret. Si Vaſconcelius illi opem afferre vellet, ſe Puletacamum intra paucos dies ex inſulæ finibus expulſurum. Spem deinde oſtendebat libertatis Luſitanis illis, qui apud Zabaimum capti detinebantur. Iij erant, qui, facto naufragio, in Dabulis litus euaſerant. Vaſconcelius fidem homini perfido cõfeſtim adhibuit. Rozalcamus, illius ope confirmatus, Puletacamum facile ſuperauit. Quo facto, tantum abfuit,

Melrai, & Timoiæ, fuga.

Goæ incolarum erga Luſitanos fides.

Puletacami rectima in Luſitanos.

Luſitanorum victoria.

Rabelli mora temere accerſita.

Coiebiquij laus.

Franciſci Pãtoiæ puſillanimitas.

Temerarium Rabelli facinus.

Vaſconcelius Rabello ſuccedit.

Goenſis inſula ab hoſtere cepta.

Zabaimi cũ Puletacamo ſimultas.

Rozalcami fraus ſuſpectæ ad Vaſconcelium litteræ.

Vaſconcelij credulitas periculoſa.

Universidad de Deusto
Biblioteca

abfuit,vt Rozalcamus in fide permaneret, vt potius Vaſconcelio ferro, flammaq. minitaretur,ſi non protinus vrbe excederet. Bellum ita redintegratum multarum difficultatum cauſſam noſtris attulit, quitamen ita hoſtiũ impetum ab vrbis mœnibus reprimebant, vt iam non auderent illi ad muros accedere. Hiems appetebat, quæ, cum ſit in illis regionibus valde ſæua, atque turbulenta, maritimos exitus intercludit. Muri interim pars magna corruit. Illa ruina Rozalcamus debel latum eſſe credidit. Itaque ad eam partem, quam muro nudatam aduerterat, copias admouit. Ibi atrox prælium cõmiſſum eſt, quod ad veſperum perductum fuit. Multi ex hoſtibus cecidere, & e noſtris etiam nonnulli, inter quos Coiebiquius, fortiſsime dimicans, glandis vnius ictu percuſſus, occubuit. Rozalcamus, cum vi ciuitatem expugnare non poſſet, aſtu vt eam caperet, ſummo ſtudio contẽdebat. Perpetuo autem tubarum concentu, & ſimulata incurſione, noſtros vigilare cogebat, ita, vt, peruigilio confecti, paſsim decederent. Ioannes Machiadus, cuius antea mẽtio nõ ſemel facta eſt, cum apud hoſtes adhuc habitu, & ſpecie Turcica verſaretur, agmen vnũ ducebat. Is Vaſconcelium, per litteras, admonuit, vt in locum, quem Arbores binas appellant, cum primum tuba perſtreperet, copias educeret. Fore namque, vt facillime turmam hoſtium, quæ cum tubicine ibi ſolita erat conſiſtere, profligaret. Factum eſt ita. Multi ea nocte cæſi; reliqui in fugam compulſi ſunt; & muri pars, quæ collapſa fuerat, incredibili celeritate refecta. Noſtri interim fame grauiſsima laborabant. Nam & hiems erat impedimento, quo minus commeatus in vrbem inuehi poſſet; & Zabaimus omnes inſulæ aditus obſeſſos tenebat, ne cibaria ex continenti importarentur. Ea fames multis occaſionem attulit Chriſtianæ religionis abiurandæ, qui ad Rozalcamum nocte cõfugiebant, & in Mahumetis nomen iurabant. Hi ſeptuaginta fuerunt, qui, fidei, & religionis, immemores, vt corpus ad breue tempus alerent, animos in peſtem ſempiternam furenter & impie, detrudebant. Inter quos quidam homo, honeſto loco natus, cui nomẽ erat Fernandus Lupius, exſtitit. At Machiadus, qui ſe ad eum diem Turcã ſimularat, cum videret homines Chriſtianos Sanctiſsimam CHRISTI religionem deteſtari, dolorem eximium capiebat. Ea vero indignitate commotus, eo tempore, quo Chriſtiani fame confecti, & in extremas angustias adducti, videbantur, vt fidem ſuam factis oſtenderet, voluit eiuſdem laboris, & ærumnæ, ſocietatem inire. Is duos filios ex muliere Saracena ſuſceperat, & vtrumque per ſe aquis luſtralibus in CHRISTI nomen expiarat. Hos ad ſe perduci iuſsit, vt ſecum in vrbem intromitteret. Quod cum exſequi minime poſſet, facinus edidit valde miſerandũ. Maluit enim in ſanguinem ſuum ſæuire, quã pueros infantes, ſecta Mahumetis peſtifera imbuendos, in hoſtium poteſtate reliquere. Itaque nocte vtrumque ſuffocauit. Mane vero caſum filiorum acerbiſsimum deplorauit, & ſuam calamitatem cum multis lacrymis lamentatus eſt; dicebatque, filios lamiarũ præſtigiis fuiſſe miſerabiliter exſtinctos. Deinde, cum fingeret, ſe moleſtiæ leuandæ gratia velle per inſulam vagari, cum Luſitanis aliquot captiuis, & cum illis, qui Chriſti religionem exſecranda perfidia violarant, ad vrbis muros acceſsit. Ibi orationem luculentam habuit, qua de vitæ breuitate, de ſempiternis ſuppliciis, de gloria immortali, diſſeruit, & omnes adhortatus eſt, vt mallent in vita miſera, & caduca, laboribus breuiſsimo temporis ſpatio definitis torqueri, quam in futura ſuppliciis ſempiternis excruciari. Orationẽ, eius nemo ex illis, qui a religione defecerant, ad aures admiſit. Ipſe vero, cum captiuis, Vaſconcelij fide, quam antea, cum primum id induxerat in animum, acceperat, in vrbem ingreſſus eſt. Eius aduentus non modo lætitiã Luſitanis attulit, ſed animos etiam illorum ad ſpem ſalutis erexit. Id enim numine Diuino factum fuiſſe credebant, quod, cum illis præſens adfuiſſet, non dubitabant, quin ſalutare præſidium eſſet intra breue tempus hominibus afflictis, qui opem illius implorabãt, allaturum. Rozalcamus vrbis oppugnatione non intermittebat. Cum vero Vaſconcelius intellexiſſet, eum in loco conſidere, ex quo ciuitatem quatere tormentis maximis imperabat, cum equitibus octoginta in illum inuectus eſt; &, cum vtrimque fuiſſet acerrime dimicatum, noſtri, tandem, impreſsione facta, hoſtes fuderunt, & ita in vrbem, ſaluis omnibus, reuerſi ſunt. Aliqui tamen vulnerati fuere. Rozalcamus, ea noſtrorum audacia perturbatus, ſpem expugnãdæ ciuitatis abiecit. Itaque, oppugnatione prorſus omiſſa, in eo pugnabat, vt noſtros fame ad deditionem cõpelleret. Vaſconcelius, aliquid audendum ratus, Franciſcum Berredium, quamuis & anni tempus, & hoſtium vigilantia ſummum periculum nauiganti proponeret, in Baticalam miſit, vt inde commeatum adueheret. Berredius, longa naue, cui præerat, euectus, imperata tanta vigilantia, & induſtria, confecit, vt, cum Kalendis Iulij Goa ſolueret, eodem menſe viginti parones, cibariis onuſtos, Goam, hoſtibus inuitis, induceret. Ad hunc modum fames depulſa, & homines recreati ſunt. Hæc quidem in Goenſi bello gerebantur. At Begienſis, vt fuerat ab Albuquercio iuſſus, Zacotoram petiit; in curſu nauem vnam cepit; & Albuquercium, vt habebat in mandatis, aliquot diebus exſpectauit. Cum vero illum ex diuturna mora minime in Arabiam eo anno nauigaturum eſſe cognouiſſet, ad Zacotoram naues appulit, & arcem

Atrox prælium.
Coiebiquius mors.
Rozalcami stratagema.
Hoſtium clades.
Luſitanorum Goæ obſeſſum fames.
Septuaginta Luſitani apoſtatæ.
Pius Machiadus.
Miſerãdum Machiadi in liberos ſæuitus.
Machiadi ad Luſitanos apoſtatas exhortatio.
Machiadus ad obſeſſos Luſitanos transfugit.
Proſpera in hoſtes Luſitanorum excurſio.
Commeatus Goam inuectus.
De Begienſis in Zacotorã profectione.

arcem diſturbauit, & homines, & tormenta, & munitiones, & commeatum, in naues impoſuit; inde in Armuzium vela dedit, vt tributum exigeret. Tributum fuit illi, ſine vlla recuſatione, perſolutum, & honores non mediocres attributi. Inde in Indiam nauigauit; & in fine menſis Auguſti Goam peruenit. Illius aduentus fuit vniuerſæ ciuitati gratiſsimus. Ducebat enim centum Luſitanos ſanos, atque bene valentes, & bellandi peritiſsimos. Principio menſis eiuſdem redierat ex inſula Sancti Laurentij Ioannes Serranus, & Pelagius Sala, qui ſimili ratione magnam lætitiã ciuibus vniuerſis attulerant. Emmanuel item Lacerda, qui, cum ſex nauium claſſe, vt oram Calecutienſem infeſtam faceret, Indicum illud mare peragrarat, cum primum per anni tempus licuit, in eandem vrbem commeatũ varium, & multiplicem, & ducentos milites Luſitanos, induxit. His præſidijs ciuitas erecta, hoſtium conatus pro nihilo putauit. Men ſe deinde Septembri, Chriſtophorus Brittius in vrbem ſimiliter aduectus eſt. Is decimo nono die menſis Aprilis Olyſippone, ductu Garſiæ Norognæ, ſoluerat. Garſia namque Norogna, filius ſororis Albuquercij, cum claſſe ſex nauium miſſus in Indiam ab Emmanuele fuerat. Quattuor ex illis in Mozambiquenſi inſula hiemauerant, duæ tantum in Indiam tranſmiſerant. Vna, cuius Arius Gama nauarchus erat, Cananorem petijt, Brittius Goam delatus eſt. Interim Rozalcamus bellum non ſeguiter adminiſtrabat. Prœlium tãdem, in quo Brittius primum agmẽ duxit, ſatis acre commiſſum eſt: hoſtes fuſi, fugatiq. ſunt, & magna eorum pars a noſtris, qui eos inſecuti ſunt, ferro cõciſa. Hoc prœlio monitus Rozalcamus, ſeſe deinde a cõſligendo continuit. Satis habebat, inſulam præſidijs tenere, & arcem ſummo ſtudio munire. Ea arce perfecta, in eam commeatum, & munitiones, conuexit, & tam valido, atque firmo, præſidio muniuit, vt nulla ciuitas, aut caſtellum, quod ad Zabaimi ditionem pertineret, eſſet cum illa, roboris multiplicis firmamento, comparandum. Duæ interim naues, a Melichiazio miſſæ, cũ magno frumenti, & orizæ, numero, Goam peruenere. Melichiazius enim, cum acciperet, noſtros inopia laborare, naues illas, vt noſtros inopia leuaret, ad Vaſconcelium miſit; ſeq. omnia, quæ in rem Regis Emmanuelis eſſent, ſumma voluntate perfecturum, multis verbis oſtendit. Melichiazio gratiæ, vt par erat, actæ ſunt, & munera etiam miſſa. Belli deinde ratio mutata eſt. Noſtri namque excurſiones in arcem Benaſtarinenſem crebro faciebãt; &, an eam expugnare poſſent, ſæpe tentabant. Dum hæc in India geruntur, Pontifex Maximus Iulius ſecundus Concilium Piſis celebrandum litteris publicis indixit. De rebus, quæ in Concilio erant Regum Hiſpanorum nomine tractandæ, Rex Emmanuel cum Rege Fernando per legatos egit. Fuit præterea negotium aliud maximi momenti, quod erat per vtriuſque legatos agitandum. Erat ſub id tempus in Caſtellæ Regno vir quidam valde nobilis, cui nomen erat Petrus, cognomento Baſtardus. Is fuerat auctor exiſtimatus diſſenſionum quarundam, quæ inter Fernandum Regem, poſt Iſabellæ vxoris obitum, cum Philippo Rege, Maximiliani filio, Fernandi ipſius genero, concitatæ fuerant. Philippo autem mortuo, cum Petrus Fernandi offenſionem pertimeſceret, in Regnũ Feſſenſe conceſsit. Ibi, cum apud Barraxam diuerſaretur, cuius tunc nomen in illa Mauritaniæ parte erat maxime & virtutis, & potentiæ, magnitudine celebratũ, ſummam cum illo familiaritatem contraxit. Barraxæ autem gratia, cum is ſe medium, per litteras, interpoſuiſſet, Fernandus omnibus Petri erratis clementer ignouit. Petrus, cum Barraxæ litteris, ad Fernandum reuerſus eſt. Litterarum ſententia huc in ſumma pertinebat, vt Fernandum ad bellum Feſſenſe plurimis verbis hortaretur. Ad id vero Barraxa operam ſuam pollicebatur, ſub ea condicione, vt Feſſæ Rex, cum eo tributo, quod Fernando viſum eſſet, ab eo crearetur. Hæ litteræ Fernando, vt præſtulit, non ingratæ ceciderunt. Itaq. Petrum, cum litteris, ad Barraxam, de eadem re, continuo remiſit. Petrus Alcaſſarem Saguerium, quæ ciuitas tuuc Regis Emmanuelis imperio cõtinebatur, ſe contulit, & ab Roderico Souſa, qui tunc illi vrbi præerat, hoſpitaliter acceptus eſt. Ibi, cum Souſa Petrum de cauſſa itineris illius percunctaretur, is ſe dixit in grauiſsimam Regis Fernandi offenſionem, non peccatis ſuis, ſed malenolorum hominum ſermonibus, rurſus inciſſe, & ideo Feſſam diſcedere. Rodericus Souſa, cum eſſet mira ſagacitate præditus, & in Petri verbis miram inconſtantiam percipere ret, & aliquid etiam ſuſpicione conſequeretur, hominem ſecum tantiſper retinuit, dum litteras, quas ad Barraxam ferebat, arte ſurriperet, atque reſignaret. Eas deinde deſcripſit, & iterum ſumma ſollertia conſignatas, in loco, vnde fuerant ſublatæ, repoſuit, hominemq. dimiſit, & litterarum exemplũ ad Emmanuelem perferendum curauit. Id quod animo Fernandus agitabat, Emmanuel indigniſsime tulit. Erat enim contra pactionem, quæ de regionum diuiſione inter illos facta fuerat. Pactionis autem illius vi Regnum Feſſenſe ad ius Portugaliæ pertinebat. Vt igitur illum ab ea cogitatione reuocaret, legatum in Caſtellam miſit. Fernandus interim claſſem maximam comparabat; &, quorſum eam inſtrueret, ſilentio comprimebat. Sed tantum dicebat, ſibi eſſe in animo, quos poſſet, hoſtes Chriſtiani nominis bello premere. Sub id tempus Fernandus litteras a Pontifice Iulio percepit, quibus idem Pontifex ſignificabat, ſe cum Venetis, & Heluetijs, & Maximiliano Cæſare,

Neua Goæ Vrbis præſidia.
Luſitanorum de Rozalcamo victoria.
Commeatus Goam a Melchiazio miſſus.
Res Europeæ & africanæ.
Petrus Baſtardus.
Barraxa Mauritus Baſtardum profugũ hoſpitio excipit.
Barraxæ ad Fernandũ catholicum legatio.
Sollers Souſæ factum.
Cõfœderatio in Regẽ Galliæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cæsare, contra Ludouicum Galliæ Regem, so cietatem coire. Maximum vero belli firmamentum Fernãdi ipsius societate contineri. Quapropter ab illo cõtendebat, vt vellet iisdem fœderibus alligari. Aliter enim Regnũ Neapolitanum, ne de manibus illius elaberetur, esse maxime formidandum. Tulit illud permoleste Fernandus, vt tamen Regni Neapolitani præsidia firmaret, se sociũ fœderatis adscribi sustinuit. Emmanuelem deinde ad eiusdem fœderis societatẽ inuitauit. Emmanuel assentiri nullo pacto voluit. Immo, cũ sub id tẽpus sex Gallicæ triremes, Duce Petro Ioane, Olysipponẽ appulsæ fuissent, is Ducem comiter accepit, & cõmeatu iuuit: quod Fernando offensionẽ haud mediocrẽ fama vulgabat attulisse. Verum has offensas & vtriusque probitas, & affinitas, oblitterauit. Classis tamen, quã Fernandus, vt in Mauritaniã transiret, instruxerat, Italicis motibus impedita, Emmanuelẽ ea sollicitudine, quæ animum illius distinebat, omnino liberauit. Eodẽ anno Henricus, Britanniæ Rex, legatos in Lusitaniam misit. Legatio nihil aliud continebat, quam singularis amicitiæ signum, & fœderis antiqui sacramentum, cognationis, & affinitatis, memoria renouatum. Dum in Europa tempus in his rebus teritur, Albuquercius nouos Malacæ motus iudicij seueritate compescuit. Vtetimutaraia, qui cum illo fœdus egerat, vt dictum est, opes summas habebat, & Regnum, cum esset intoleranda ambitione præditus, affectabat. Et iam antequam Albuquercius Malacam oppugnasset, id molitus sæpe fuerat, vt Regem insidiis pelleret, & ipse locum illius occuparet. Id tamen illi minime processerat. Id sub Albuquercio felicius se perfecturum confidebat. Ciuitatem enim externis, & longinquis præsidiis diu teneri, difficillimum fore, statuebat; &, vel propter amplissimas opes, ad quas ipse peruenerat, vel propter Albuquercij voluntatẽ, quam sibi deuinxerat, vel propter ingenij calliditatẽ, qua sibi omnia sæpenumero proponebat, imperiũ ciuitatis, ingẽti spe, & inani quadam fiducia, deuorabat. Sed, cum animaduerteret ciuitatis statum, & formam Reip. & munerum descriptionem, longe aliter, quam fuerat opinatus, ab Albuquercio collocari, & arcem munitissimam sic a fundamentis institui, vt non facile sibi foret id, quod animo designabat, efficere; aliam sibi rationem sceleris ineundam existimauit. Mahumetes Rex, dolore nimio, propter ciuitatis amissionem, vt diximus, excruciatus, obierat. Is, ad quem, eo mortuo, Regni hereditas iure veniebat, pulsus fuerat. Vtetimutaraia cum eo per litteras agebat, vt bellum compararet: se namque opibus, & clientelis, & artibus etiã, perfecturum, vt Lusitanos facile pelleret. Hæc omnia cum occultari difficillime possint, maxime vbi quisque victoris animum sibi conciliare studet, factũ est, vt vtriusque litteræ vltro citroque missæ in Albuquercij manus peruenirent. Id Albuquercius summa taciturnitate compressum cum Araugio solo communicauit. Cupiebat autem hominem comprehendere: quod, propter illius summam potentiam, fieri non poterat, nisi eum in arcem aliqua ratione pertraheret. Quod Vtetimutaraia facere recusabat. Nam, præterquam, quod illum sceleris cõscientia timere compellebat, intelligebat, de tyrannide illius apud Albuquercium frequẽtes querimonias haberi. Euenit interim, vt Persa quidam certum munus ab Albuquercio flagitaret. Respondit ille, se nemini publicum aliquod munus, nisi primarios ciuitatis viros primum consuleret, assignaturum. Principes igitur ciuitatis acciret, & tum demum se de illorum sententia, quod optimum factu esset, libentissime decreturum. Persa, cum esset Vtetimutaraiæ valde familiaris, & suspicaretur, illo ad Albuquercium perducto, se omnia, quę vellet, impetraturum, hominem, cum filio, atque genero, qui coniurationis erant participes, ad Albuquercium facile perduxit. Non enim solum officio, verum & honoris illius specie, prouocati sunt, vt minime conuentum illum vitarent. Illis ad hunc modum intromissis iniecta vincula confestim sunt, & iudicium ordine solito constitutum, & patroni, qui caussam illorum defenderent, assignati. Capita accusationis præcipua hæc erant. Quod, Regni heredem ad Regnum armis repetendum, & arcem expugnandam, & exitiũ Lusitanis afferendum, sollicitasset; quod Lasamanam ab officio, quod Emmanueli Regi præstare cupiebat, auertisset; quod illius consilio scelus in Siqueiræ pestem, atque perniciem, constatum fuisset; quod multis Lusitanis, qui cum Siqueira fuerant crudelissimæ cædis caussam attulisset; quòd, opera illius, Christiani quidam, ex illis, cum multis incommodis premerentur, a Christi religione decessissent; quod gener illius, atque filius, qui cum illo vincti tenebantur, illius auctoritate permoti, eiusdem sceleris socij, & administri fuissent. Vtetimutaraia quædam negabat, quædam vero, manu conuictus, negare non poterat. Itaque, ad misericordiam conuersus, veniam suppliciter implorabat. Tandem, indiciis, & testibus, apertissime conuictus, capite, cum filio, & genero, damnatus est. Fuit de tribus illis hominibus supplicium publice sumptum, & illorum ædes disturbatæ, ne quod exstaret in ciuitate hominum monimentum. Hoc iudicium Albuquercij laudes apud eos homines egregie cumulauit. Hominem namque esse dicebant, qui non solum in bello hostes vinceret, sed in pace tyrannidẽ iudicii seueritate, & constantia, profligaret. Et, cum hominum improborum interitu lætarentur, tum, nõ mediocri metu fracti, cogitabant, non esse sub eo homine peccandũ, quem

anglica ad Emmanuelẽ legatio.

Res Indicæ.

Vtetimutaraiæ ambitio.

Albuquercii in capiendo Vtetimutaraia Sollers inuectum.

Accusationis aduersus Vtetimutaraiam capita.

Albuquercii iudicium in perduelles.

quẽ nullius opes a iudiciorum seueritate deducerẽt. Postquã vero illud scelus vindicatũ debito supplicio fuit, insulas, quas Malucas appellant, explorare constituit. Tres igitur naues instruxit: illis Antonium Abreum præfecit, qui Malaca in fine Decembris mensis, Anno MDXI. soluit, & cursum ad ortum Solis instituit. Albuquercius vero, cum in Indiam citra Gangem redire festinaret, munus, quod Vtetimutarajæ commiserat, nempe, vt Saracenis ius administraret, ad Patecatirum, qui secũdum Vtetimutarajam opibus, & auctoritate, Princeps habebatur, continuo detulit. Is Vtetimutarajam oderat, eo quod filiam, quã amabat, illi despondere nulla condicione voluerat. Postquam vero magistratum iniuit, vehementer Lusitanorum volũtates, specie quadã probitatis, allexit. At Vtetimutarajæ vxor, cum viri cædem vlcisci cuperet, Patecatirum, & filiæ nuptijs, & promissis ingẽtibus, eo traduxit, vt bellum Lusitanis moliretur. Mulier enim, se sex millia militũ fortium illi tradituram, promisit, quibus, si vir esse vellet facile Lusitanos inopinantes opprimeret. Patecatirus, & amore, & auaritia, & ambitione, cæcatus, (non desperabat enim, modo adniti vellet, se Regni opibus potiturum) mulieris precibus assensus est. Itaque, minime procrastinandum ratus, nuptijs primum summo silentio celebratis, frequentiorẽ ciuitatis partem, coniectis ignibus, incendere festinauit, & multos incolas occidit. Albuquercius confestim occurrit, hominemq. armis expulit, & in fugam conuertit. Is, in loco, quem Opi nominant, non procul ab vrbe distante, in quo sedem, & domicilium, habebat, tandem constitit, quem valio, & fossa, & tormentis, varioq. armorum, & telorum, genere muniuit, & inde crebris excursionibus vrbis incolas sæpe perterruit. Sed Albuquercius eam ad hominis audaciam comprimẽdam industriam adhibuit, vt is, malis edoctus, facile se ab inferendo maleficio contineret. Albuquercius deinde, cum iter suscipere vellet, arcis, & vrbis, præfecturam Roderico Brittio Patalino cõmisit; quæsturam Araugio tradidit; Fernandum Petreium Andradium maritimis rebus præfecit; quæsturæ scribas instituit; Ninachetuensem incolis, qui non essent Mahumetana secta imbutis, ius dicere iussit. Incolæ hunc magistratum Xabandarem appellãt. Saracenos secundũ varias regiones distribuit, & singulis proprium rectorem, qui eos regeret, assignauit. Omnes tamen Brittij imperium sequi præcepit. Zainalus interim veniam ab Albuquercio, per nuntios, postulauit. Fatebatur autem, se, desperatione victum, ab eo desciuisse. Non enim putabat fieri posse, maxime cum bellum differri conspiceret, vt is vrbem opulentissimam ea classe, quam ducebat, expugnaret. Tunc vero, Lusitanorum virtute perspecta, arbitrari, nihil tam munitum fore, quod non eorum armis, atque virtuti, cederet. Errori veniam tribueret, & dexteram in bellis inuictã sibi porrigeret, vt testatum esset apud omnes mortales, illum non magis virtutis robore, quam clementiæ laude, præcellere. Albuquercius hominem, data fide, ad se venire iussit. Is iterum, vt se in Regnum restituat, suppliciter orat. Albuquercius, se id facturum, promisit. Verum, tempus elabi; quod si prætermitteret, iter sibi fluctibus interclusum iri. Se, postquã Goam peruenerit, & vrbis statum constituerit, operam daturum, vt eum in Regnum reduceret. Zainalus, cum sibi verba dari suspicaretur, iterum, clam, cum suis omnibus, ab vrbe discesit. Albuquercius autem, relictis in vrbe trecentis Lusitanis, in classe vero ducentis, præter Indos milites, & aliquot etiam Malacenses, quorũ fideli opera nostri vsi fuerant, cum quattuor tantum nauibus, Malaca profectus est. Cum vero Zamatræ oram præterueheretur, coorta subito tempestas illum, quem primum potuit, portum subire, & anchoras iacere, compulit. Ita tamen magni fluctus eijciebãtur, vt nullis anchoris nauis prætoria firmari posset. Factum igitur est, vt ad rupem, quæ sub fluctus latebat, allisa frangeretur. Prora continuo submersa fuit. Puppis vero, cum in saxo subsideret, e fluctibus eminebat. Aqua tamen sentinam compleuerat; & omnia, præter homines, qui in puppim se contulerant, fluctibus ipsis obruta, perierũt. Qui erant in prora, cum eam mergi conspicerent, tabulis, & dolijs, innixi, partim in Pacemense litus enatarunt, partim vero fluctibus hausti sunt. Nox erat; densa caligo, turbines, atque procellæ, tonitrua, & fulgura, terrorem cunctis iniecerant, & spem salutis inciderant; votis, & precibus, & sublatis in cælum clamoribus, veniam animis suis, cum lacrymis, & singultu, flagitabãt. Albuquercius, cum animaduerteret, puerum infantem, aquis in nauem influentibus, pene mergi, illum sublatum humeris tanti sper sustinuit, dum alia ex naui auxilium aduenire. Hæc autẽ effatus est: Huius innocentia fretus, confido, me, CHRISTI benignitate, e fluctibus emersurum. In hoc discrimine, cum e naui, cuius nauarchus erat Petrus Alpoemus, qui iuridicundo præerat, scapha demissa, & in nauem prætoriam remis vehementer impulsa fuisset, Albuquercius, & reliqui in nauem Alpoemi aduecti sunt. Georgius Nonius Leo, qui alij naui præerat, vi tempestatis a classe disiũctus est. Qui erant in alia naui, cui Simonem Martinum Albuquercius præfecerat, in qua tredecim tantum Lusitani vehebantur, & Leoni commissa fuerat, cum Ioaenses, & Malacẽses essent, Lusitanosq. omni præsidio destitutos adspicerent, in nauarchum, qui tunc graui morbo iactabatur, & in alios insurgentes, omnes trucidauerũt. Quatuor tantum nautæ, scapham adepti, in Pacemense litus euaserunt; & nauis ipsa in portũ Ti-

Malucarum explo ratio.

Ann. a Christo nato 1511

De infausta Parecatiræin Lusitanos cõspiratione.

Cõstituti Malacæ ab Albuquercio magistratus.

Xabandares magistratus.

Zainalus veniam ab Albuquerciopetit.

Malacæ præsidium Lusitanicum.

Albuquercij a Malacen. vrbe discessus.

Naufragium nauis prætoriæ.

Albuquercij e naufragio periculum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Timiamensis ciuitatis, quæ est in eadem ora Zamatrensi sita, ventis delata, & deinde fluctibus oppressa fuit. Sedata tempestate, Albuquercius institutum cursum tenuit. Hominũ multitudo, quæ in Apoemensem nauem cum Albuquercio traducta fuerat, erat valde magna, & commeatus penuria vexabatur. Nihil tamen eos acrius, quam sitis, afflictabat, qua quidem omnes fundirus interijssent, nisi duas naues, in quas incederunt, accepissent; aqua, & cibarijs, onustas. In vnam harum duarum nauium Simonem Andradium, cum quindecim viris Lusitanis, imposuit, & illius nauarchum pro obside cum aliquot Saracenis secũ retinuit. Saracenus quidam erat nauis illius magister, qui ita illam gubernauit, vt Lusitanos omnes in insulam vnam, ex illis, quas Maldiuenses appellant, quæ Calecutiensium militi copiæ referta erat, induceret: vbi omnes contrucidati fuissent, nisi hostes veriti fuissẽt ne pœnas illius immanitatis Albuquercius ab ijs, quos retinuerat, vt ius, & fas, efflagitabat, expeteret. Omnes tandem, qui euadere potuerunt, multis incõmodis agitati, Cochimum peruenere. Omnes opes amissæ sunt. nihil tamen Albuquercium ea iactura commouebat. Id tantum molestè ferebat, quod duos leones e ferro, singulari opere perfectos, & armillam, quæ sanguinem sistebat, amisisset: quę omnia, cum multis donis, Emmanueli Regi mittere destinauerat. Cochimum initio Februarij, Anno salutis MDXII. peruenit. Ibi, cum de rebus Goæ gestis certior factus fuisset, octo celoces, cum valido militum præsidio confestim in eam insulam misit, & Emmanuelem Lacerdam vrbi præposuit, seq. illi subsidium intra paucos dies allaturum confirmauit. Lacerda confestim rescripsit, non esse, cur apporaret. Ciuitatem esse munitissimã. Exspectaret e Lusitania naues, vt cum maioribus copijs posset castellum Benastarinense capere. Secus enim, se minime dignitatis arbitrari, eum in insulam nauigare, nisi copijs illis stipatum, quibus castellum expugnaret. Assensit Albuquercius, & interim animaduertit in flagitia, quæ fuerant illo absente a Lusitanis commissa. Sed nihil acerbius tulit, quam illorum opera, qui fustuarium, propter scelera, meriti fuerant, Simonem Rangelũ, quod eos reprehenderet, in exsilium pulsum fuisse; qui deinde, a Saracenis, in via, captus, & in Arabiam perductus fuerat. Eo tempore Petrus Mascaregnas, qui cum Garsia Norogna Olyssippone soluerat, Cochimum aduectus est; & nuntiauit, Norognam breui cum reliquis nauibus affuturum. Legatus præterea quidam a Rege, omnium, qui Maldiuenses insulas imperio tenebant, amplissimo, ad illum venit, & ab eo, nomine Regis sui, postulauit, vt illum in fidem, & clientelam, reciperet. Illum namque velle, Regis Emmanuelis imperio subdi, & tributum constitutum summa fide persolue-

Saracenii nauarchi perfidia.

Albuquercii iactura e naufragio.

Annus salutis 1512.

Petri Mascaregnæ in Indiam aduentus.

Maldiuensis ad Albuquercium legatio.

re. Huius prõmissi fœdus statim fuit rite percussum; & Saracenus quidam, Mamelles nomine, qui aliquot illius insulas occuparat, ex illis excedere iussus. Quod sine vlla recusatione confectum repente fuit. Hæc quidem in India gerebantur, quo ferme tempore Regina Maria initio mensis Februarij filium edidit, Emmanueli patri, specie, & forma, simillimũ, qui HENRICVS appellatus est. Eodem die, quo Princeps hic in lucem editus est, Olyssippo (in qua quidem vrbe, propter summam cæli temperiem, monstri simile est, partem aliquam niuis intueri) plurima niue conspersa fuit: quod multi sic interpretati sunt, ea niue mentis candorem, vitæ puritatem, & continentiam, virtutis eximiæ fecunditatem, quæ in hoc Principe mirabiliter eluxit, præmonstratam fuisse. Sed, vt auguria prætermittamus, hoc plane constat, in illius probitate, virture, religione, constantia, & in sanctitatis exemplo, Lusitani imperij firmamentum consistere: At in India vlteriore, postquam Albuquercius Malaca profectus est, vrbis incolæ, tam Saraceni, quam simulacrorum superstitione constrictati, qui Lusitanorum partibus studebant, exanimati metu, vagabantur. Nec enim existimabant, illo absente hostium impetum ab eorum capitibus propulsari posse. Vt autem magis anxie trepidarent, rumor emanauit, Lasamanem, cum maxima classe contra Lusitanos instructa, tantum non appropinquare. Andradius, illi, ante quã in portum intraret, obuiam eundum censuit. Patecatirus, qui omnia per exploratores nouerat cum accepissẽt, Andradium e portu soluisse, vt cum Lasamane consligeret, nocte in vrbem ingressus est; & Aphracto, cui Alfonsus Chiagnus adolescens valde strenuus præerat, cum improuiso adoriretur, cepit; Chiaignum acri terre resistentem interfecit; reliquos, qui cum illo erant, captiuos abduxit. In Aphracto tormentum ingens erat, Camelum appellant, illud etiam Aphracto connexit. Andradius, Lasamanis classem cũ minime reperisset, in portum reuersus, Patecatiri stationem oppugnare constituit. Alfonsum Personam, cum mille & quingentis hominibus Indis, & paucis Lusitanis, terra, secundum litus, ire iussit, vt eodẽ tempore terra atque mari Patecatiri munitio oppugnaretur. Ipse, lembis, & celocibus, inuectus, fluuium, æstu secundo, subijt; Georgium vero Botellium, agminis Primi Ducem, hostes acriter inuadere iussit. Andradius continuo subsecutus est. Alfonsus Persona simul e terra impetum fecit. Munitio, cum magna hostium cæde, capta, & præsidia in effusam fugã compulsa sunt. Ibi ligneum truncum, magna crassitudine, recentisanguine cõspersum, adspiciunt. Is enim, qui tormento præerat, & a Patecatiro cum reliquis in seruitutem abductus fuerat, iussus est illud in Andradium dirigere. Is, morte proposita, ne tantum in se sce-

lus

Res Europeę.

Henricus Emmanueli natus fcitur.

Res Indicæ.

Aphracta ab hoste captũ.

Munitionis Patecaririanæ expugnatio.

Eximia tormẽtarij cuiusdã magistrifides erga superiorem.

lus admitteret, mortem oppetere maluit, quã CHRISTI numen offendere. Ea re, Patecatirus, grauiter offensus, illi caput in eodẽ trũco securi præcidi cõsestim imperauit. Dum vero alij castra diripiunt, alij tormenta cum Camelo, quẽ diximus, in naues inferunt, alij stationem subiectis ignibus incendunt, apparuit repente Saracenorũ acies instructa. Hi erãt quadringenti, cum tribus elephantis ingentibus, quorũ singuli castella singula portabant. Vice ni sagittarij in singulis castellis inerãt. Georgius Botellius, cũ turma, quam ducebat, prior eo quod propius forte constiterat, in hoc agmen incurrit, suosq. admonuit, vt elephantũ, qui præcedebat, omitterent, rectorem tãtum peterent. Hi, cum viam elephãto aperuissent, rectorem, hastis vndique sublatũ, interimunt. Elephantus, rectore destitutus, constitit. Cum vero quidã, e scapha Georgij Botellij, qui tormentis præerat, elephanti cor pila percussisset, elephantus repente concidit. Hac ruina reliqui consternati diffugiunt, & Saraceni similiter in fugam versi sunt. Naues erãt in fluuio mercibus onustæ, quæ direptæ continuo fuerunt. Nostri, re bene gesta, in vrbem redierere. Patecatirus, inde digressus, quattuor passuum millia, locum alium, magis natura munitum, maiore vallo sæpsit, validioreq. præsidio muniuit. Illum deinde locum Andradius aggressus est. Primam stationem (quattuor enim erant) cepit, & incendit. Cum tamen reliquas inuasisset, tanta hostium multitudo ab eo, qui se Malacæ Regem nominabat, immissa fuit, vt nostros repelleret. In hac pugna duodecim e nostris desiderati sunt, inter quos Rodericus Araugius, & Christophorus Mascaregnas, & Georgius Garcesius, & Antonius Azeuedius exstitere. Andradius, & Petrus Faria, cũ multis alijs, vulnerati sunt. Hac victoria Patecatirus insolenter elatus, animum addidit Principi, qui ad Regnum Malacæ, vt diximus, adspirabat. Is continuo Lasamanem admonuit, vt cum classe, quam instructam habebat, se cum classibus Regis Darguimẽsis, (Regnum illud ad Austrum pertinet, & est Malacæ finitimũ) qui illi cõtra Lusitanos opẽ afferebat, coniungeret, & Malacæ portũ obsideret. Andradius, cum exploratum habuisset, Lasamanẽ in ostio fluminis, quod Muar appellatur, classem cõstituisse, eo inuectus, classem est aggressus. Prælium fuit atrocissimum, & ab vno die insequentem ductum. Lusitani tamen victoriam consecuti fuerunt: hostes partim cæsi, partim in fugam pulsi, permultæ naues incensæ sunt. Sub id tempus, tres naues, cũ præsidijs, & munitionibus, & fabris, ab Albuquercio missæ, Malacam venere. Ciuitas tamen commeatus inopia laborabat. Andradius, vt ciues ea inopia leuaret, fretum Cincapuræ petijt, (id aũt Australem, & vltimam regionis illius partem a cõtinente dirimit) & nauẽ Patecatiri maximam commeatu onustam, cepit; deinde, Malacam reuersus, Lupum Azeuedium, & Georgium Botellium, eodem iterum misit, qui inde tres alias Patecatiri naues cibarijs oneratas similiter abduxerunt. Georgius item Gomecius Cugna, e Peguẽsi Regno, (Rex enim cum Albuquercio pacem firmarat) cum alia naue, commeatu similiter referta, Malacam aduectus est. Eodem etiam tempore, Antonius Miranda, e Siamensi Regno, in quo fuit a Rege multis honoribus, magnisq. muneribus, affectus, Malacam venit. Rodericus Brittius rei bene gerendæ occasionem omittendam minime putauit. Ecirco classem apparauit, qua nostri Patecatirum, animo iam fractum, & inopia, propter amissum cõmeatum, grauissimẽ laborantem, opprimerent. Illamq. Andradio tradidit. Is, cum alijs Ducibus, in hostes ire perrexit. Primum agmen Georgio Botellio, & Petro Personæ, commisit. Ij, cum, maximo impetu, primam stationem aggressi fuissent, eã, cum magna hostium cæde, transgressi sunt; alias deinde duas expugnarunt. Hostes tandem se fuga proripuerunt. In eo prælio Franciscus Machiadus vnum elephantum occidit; alius captus, & Malacam adductus fuit; duo (quattuor enim erant) fugerunt. Eo casu Patecatirus exanimatus, in Iauenses insulas, cum opibus, & familia, confugit. Is, qui se Regẽ appellabat, in aliam insulam, ad ortũ Solis obiectam, Bintam appellant, se recepit. Lasamanes similiter, vt nostrorum congressum vitaret, mare nostris liberum reliquit. Andradius in vrbem reuersus, ciues omni molestia, & sollicitudine, liberauit. Antonius Abreus, sub idẽ tempus, Malacam redijt. Nec enim potuit insulas, in quas, Albuquercij iussu, profectus fuerat, propter aduersam tempestatem, penitus explorare. In insulam tamen, Amboinum appellant, quæ non procul a Malucis abest, delatus est, vnde Garosij pódus aliquod asportauit. Inde insulas Bãdæ (quinque autem sunt ad Austrum sitæ) petijt. Ibi tellus arbores, quæ nuces illas, quas Noscadas appellant, efferunt, passim profundit. Arbores dicuntur esse Lauris simillimæ: flores quos efferunt, aiunt florum, quos mali Persicæ ferunt, speciem, atque similitudinem, referre. Gens est agrestis, & fera: Regem se imperio, quoties eis lubet, abdicare compellunt, seniorumq. consilium, quo regantur, instituunt. Et sic varie statum Reip. commutant. Franciscus porro Serranus, tempestate similiter iactatus, in insula quadam, quæ vna est ex Malueis, & Ternates appellatur, naufragium fecit. Qui tamen ab insulæ Rege comiter acceptus, multisq. muneribus ornatus fuit. Hæc in Orientis Solis regionibus gerebantur. Cum vero Albuquercius bellum maxima vigilãtia comparasset, Garsia Norogna, qui Mozambique, vt dictum est, hiemauerat, interuenit. Duo autem Duces, quorum vnus Georgius Mellius Pereira, alter Garsia Sousa nominaba-

Prælium cũ Saracenis.

Lusitanorum victoria.

Acre prælium Lusitanorum & repulsa.

Malacæ inopia commeatu iuuatur.

Classis hostilis.

Regnũ Darguimcnse.

Muar fluu.

Prœlium atrocissimum, & Lusitanorum victoria.

Lusitanorum victoria.

Patecatiri, aliorumq. fuga.

Abrei a Malacensi itinere reditus.

Damboinum insula.

Bãdæ, insulę

Myristica nux.

Serrani naufragium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nouæ Lusitanorum classis in Indiam aduentus.

tur, qui eo anno profecti Olysippone fuerant, secundis tempestatibus vsi, cum classe duodecim nauium, similiter appulerũt. Erant in his nauibus supra duo millia Lusitanorum. Albuquercius, classe sedecim nauium instructa, Cochimo profectus est. Petrus Mascaregnas, quamuis iam fuisset in Cochimẽsis arcis præfectura constitutus, asseruit tamẽ, se nullo modo passurum, vt bellum illud se absente conficeretur. Arce interim alij commissa, in eadem classe vectus fuit. Albuquercius in cursu Cananoris arcem Georgio Melio tradidit, & dissensiones inter mercatores Saracenos, eiusdem ciuitatis incolas, & Lusitanos, summa æquitate, sustulit; deinde, Baticalam aduectus, ad vrbis præfectum misit, qui diceret, se compertũ habere, nauẽ vnam, Calecutio, cum maximo numero piperis, aduectam, quæ ad ius Saracẽni, qui emerat Simonem Rangelum, pertinebat, eamque, vt sibi confestim traderet, imperabat. Quod sine recusatione factum est; & nauis Cochimum continuo deducta. Ibi Iudæus quidam litteras a Lusitanis illis, qui, vt dictũ est, cum Georgio Quadra nauarcho a classe Lemij, aduersa tempestate, segregati, naufragium fecerant, & a Saracenis captiui detinebantur, allatæ sunt; quibus significabãt, Sultanum in ostio sinus Arabici arcem fundare, & Aden expugnare constituisse. Onorem deinde præterueeto Iudæus alius eadem nuntiauit; adiecitque, nihil fore facilius Albuquercio, quam ciuitatem illam capere, ante quam Sultanus ad eam copias suas adduceret, gentem ab eo defecisse, & offensionem illius extimescere. Iccirco facilius Lusitanorum imperium, quod clementissimum fore confidebat, quam illius tyrannidem, subiturum. Melrausibi Albuquercium cõuenit, illumq. admouit, Zabaimum xx. hominum millia conscribere, vt Benastarinum, copijs amplificatis, fortius communiret. Proinde, si vellet Benastarinum capere, properaret, antequam exercitus ille posset cum reliquo, qui opidũ tenebat, coniungi. Itaque nullam moram Albuquercius interposuit, quin statim Goam peteret, & classe Benastarinum obsideret. At, qui erant in opido, classem tormentis acerrime quatiebant; præcipue vero Camelus quidam (sic enim genus illud tormenti nominatur) plurimũ damni nauibus inferebat. Sed opera excellentis artificis, qui tormentis præerat, cum globus tormento, quod Sphæram appellant, per os Cameli missum cum horrẽdo fragore fuisset, Camelus cõtinuo dilaceratus, & nostri illius metu liberati fuere. Albuquercius vrbem, vt inde cum copijs Benastarinum veniret, & terra hostes inclusos graui etiam obsidione continuo premeret, petijt. At Rozalcamus, cum equitibus ducentis & quinquaginta, & maximo peditum numero, ex opido egressus, Goã versus iter instituit. Illi vero Petrus Mascaregnas, & Garsia Norogna, & Emmanuel Lacerda, & Lupus Vascius de S. Pelagio, & Ioannes Fidalgus, & Rodericus Gũdisaluus Camigna obuiam prodiere. Prœlium commissum fuit; hostes fusi sunt; nostri, in opidum eos insecuti, tanto impetu ferebantur, vt, hastis innixi, in muros scandere conarentur. Qui tamen acrius eo die rem gesserunt, fuere Lupus Vascius de Sancto Pelagio, & Petrus Mascaregnas. Qui opidum tutabantur, omni telorum genere nostros detrudebant. Nonnulli cæsi, & quamplurimi vulnerati sunt. Emmanuel Lacerda saxo percussus, ex equo, quo vehebatur, in terram decidit, & occisus fuisset, ni Ioannes Decius illi opem confestim attulisset. Quod si Albuquercius, qui nostros rabie quadam furentes a muris abduxit, non accessisset, magnam ea die Lusitani cladem accepissent. Nemo enim eos impedire poterat, quo minus hastis in arcem cuadere niterẽtur. Albuquercius, in vrbem regressus, post duos dies copias omnes eduxit, illis tãtum relictis, quas ad vrbis custodiam necessarias esse conspexit. Habebat autẽ tunc sub signis Lusitanorum tria millia, ad hæc, Indorum cohortes aliquot erant admixtæ. Exercitum tormẽta inuecta curribus antecedebant; teſtudines admouebantur; & omnia, quæ ad oppugnationem erant necessaria, summo studio fuerãt ab Albuquercio cõparata. Castris positis, nostri opidum & arcem terra mariq. summis viribus oppugnare constituunt. Sed erat ea oppugnatio difficillima. Opidum namque erat muris latissimis cinctum; turres admodum frequentes, e quibus densæ pilæ nocte atque die coniectæ, multis necem afferebant. Quo autẽ Lusitani vehementius rem gerebãt eo periculum grauius adibant, & omnes eorũ conatus in nihilum recidebant. Vnum tantum genus erat oppugnationis acerrimum, nẽpe fames, qua exercitus hostium erat in summas angustias inductus. In eo enim Albuquercius omnes neruos intenderat, ne quidquã cibi intro mitti in opidum posset. Omnes nãque aditus erant nauibus obsessi; & cõmeatus, qui antea fuerãt importati, propter hominum multitudinem cõsumpti. Rozalcamus, hac necessitate coactus, experiri voluit, an posset, eruptione facta, sese ex obsidione, qua premebatur, eximere. Nocte igitur, de quarta vigilia, alliquot instructas acies, cum Ducibus sane fortibus, emisit; ipse ad portã substitit, vt præsidia submitteret. Qui exierãt, nimis acriter in stationẽ, cui præerat Emmanuel Sousa Tauaris, irruperũt, ipsum Sousã fortissime dimicantẽ conuulnerarunt, & copias, quibus erat præfectus, cedere cõpulerunt, vsque eo, dũ in aliam stationẽ, cui præfectus erat Garsia Norogna, qui subsidio occurrebat, similiter inuaderẽt. Ita, cũ & fames, & rabies, eos incitaret, Norogna etiã cedere coegerunt. Petrus Mascaregnas, cũ instructis cohortibus accedens, Lusitanos dissipatos in ordinẽ recepit, & hostibus

Lusitanorum victoria.

Albuquercij exercitus.

Benastarini obsidio, & oppugnatio.

Prœliũ acerrimum.

bus animo magno repugnauit. Prœlium tanta vtrimque pertinacia commissum fuit, vt res non tormentis, nec hastis, sed gladiis, & pugionibus, & interdũ etiã lacertis, gereretur. Hostes tamen, cum vlterius progredi nõ possent, in opidum incolumes redierunt. Albuquercius, ne hostes possent deinceps eruumpere, fossam latiorem duxit, vallumq. firmius muniuit. Hostes, in extremũ discrimẽ adducti, pacem petierunt. Pax his cõdicionibus facta fuit. Vt hostes traderent omnes Christianos, qui ad eos transfugerant, & CHRISTI religionem violarant. Vt traderent præterea naues duas, quas, dum in insulam traiecerũt, in aditu Noroensi ceperant, & opidum, & arcem, cum equis, armis, & tormentis, & omnẽ præterea classem, quæ in insula consistebat. Albuquercius vero fidem dedit, se eos, cũ bonis omnibus, abire permissurum, & Lusitanis, qui religionẽ abiurauerant, necem haudquaquam illaturum. His rebus summa fide confectis, hostes in continentem traiecerunt: nostri in opidum ingressi sunt. Albuquercius in vrbem regressus est. Lusitani, qui apud Saracenos in Mahumetis nomen iurauerant, cæsi quidem minime sunt; sed, ne quisquã auderet eorum scelus imitari, illud ab Albuquercio exemplum editum fuit, quo nõ minus, quam si capitali supplicio omnes affecissent, terrorẽ multis incussit. Omnibus enim nares, & aures, & dexteras manus, & siniſtrarũ pollices, abscindi præcepit. In his fuit Fernandus Lupius, cuius mentio facta est, qui postea a classe, quæ in Lusitaniã nauigabat, in insula Sanctæ Helenæ derelictus, eam insulam admirabili sagacitate, & industria, frugibus, & oleribus, & arboribus, ita conseuit, vt, cum eo, ex India redeuntes, nostri, naues, gratia aquationis, appellũt, mire reficiantur. Albuquercius, his rebus gestis, Norognam Cochimum misit, vt classem, quæ erat in Lusitaniam profectura, diligenter instrueret; & deinde mare, quod ad Calecutij oram pertinet, obseruaret, ne vlla nauis Arabiæ egredi e portu posset, quin statim caperetur. Aliam deinde classem Garsiæ Sousæ cõmisit, qua naues omnes, quæ cũ equis e Persida venicbãt, Goæ portũ subire compellerent. Eos autem, qui portum intrabant, comiter excipiebat, & de portoriis aliquid diminuebat: qua liberalitate cõmoti mercatores, eo, cum equis, & aliis mercibus, libentissime commeabant. Sic factum est, vt portus vectigalia multo maiore pretio conducerentur. Rex Vengapor (est autẽ Vẽgapor Regio mediterranea, cum Zabaimi regione continens) legatum ad Albuquercium, de pace, misit. Nomen enim illius per omnes illas terras, cum hominum admiratione, vagabatur; & multi, ob eam caussam, Regis Emmanuelis imperium sequi volebant, vt, in illius tutela constituti, aliorum Principum tyrannidem declinarent. Legatus ephippia, frontalia, phaleras, & tegumẽta, quibus equi insternuntur, & ornantur, Regis sui nomine, ad Albuquercium deferebat. Legatio vero nihil aliud continebat, quam amicitiæ cupiditatem, qua princeps ille dicebat, se vehementer incensum esse, & bellũ cũ Zabaimo, si opus esset, facturum, & Lusitanis cibaria suppeditaturum, nullumq. officium hominis fidelissimi, quod ad Regis Emmanuelis obsequium pertineret, omissurũ. Hoc autem postulabat, vt liceret sibi equos trecentos, pretio, vt alii faciebant, persoluto, ex vrbe, singulis annis, educere. Fuit huic postulato satisfactum; & legatus honorifice dimissus. Legatũ deinde ad Narsinguæ Regem, cum muneribus, instituit, qui ab illo Baticalam, quæ erat in ora Malabarẽsi sita, Emmanuelis Regis nomine, postularet. Ora Malabarensis, Cananore incipiens, Cori promontorio definitur. Ciuitas autem Baticala ad Narsinguę imperiũ pertinebat. Quamuis autem esset parum fructuosa, & multis periculis obiecta, Emmanuelis tamen rationibus valde conducebat, eam præsidio illius cinctam teneri. Legatus fuit Gaspar Chanoca, qui iam eo, cũ legatione, missus exstiterat. Sub idem tempus Zabaimus Dalcamus duos legatos ad Albuquercium misit, & per eos, pacem postulabat, & potestatem sibi dari petebat equos emendi, quibus, in bellis contra finitimas gentes, vteretur. Id etiam concessum fuit; & Iacobus Fernandus Faria ad eũ missus, qui pacis, & amicitiæ, fœdus sub certis condicionibus sanciret. Melichiazius legatum etiam, cum naue, commeatu, & cibariis, onusta, ad Albuquercium misit, vt illi, de capta Malaca, gratularetur, &, ipsum Melichiazium perpetuo in illius potestate futurũ, multis verbis ostenderet. Is Melichiazio gratias egit, & legatũ muneribus affectũ dimisit; & commeatum, muneribus aliis Melichiazio donatis, compensauit. Legatum præterea Cãbaiensis Regis, qui Lusitanos captiuos adduxerat, muneribus similiter ornatũ, in patriã remisit. Eodem tempore fuit certior factus Albuquercius, legatum, ab Aethiopię imperatore, ad Regem Emmanuelẽ missum, a Dabulẽsi præfecto vinctum custodiri. Hoc cum percepisset, misit continuo, qui, nomine illius, a Dabulis præfecto peteret, vt legatũ missũ repente faceret. Is, sine vlla recusatione, paruit; & legatus, Goam perductus, cum sollemni põpa, & sacerdotum cantibus, exceptus fuit. Gerebat enim Crucem ex ligno Crucis illius, in quam CHRISTVS, generis humani conditor, atque liberator, sublatus fuerat, perfectã, quã Aethiopię imperator Regi Emmanueli dono mittebat. Omnes autem maxime lætabãtur, cum cernerent, in illis regionibus, tam longo interuallo ab Europa distantibus, legatum Christiani Principis, cuius fiducia erecti confidebãt futurum, vt vbique CHRISTI nomen sancte coleretur. Alium etiam legatum

Pacis cũ Rozalcamo initæ condiciones.

Albuquercij ad Narsinguæ Regem legatio.

Benastarini opidi deditio.

Singulare apostatarũ supplicium.

Zabaimi Dalcami ad Albuquercium legationes duę.

Melichiazii ad Albuquerciũ legatio.

Aethiopiæ Imper. ad Emmanuelẽ legatio.

Goensis portus vectigal, sollerter auctum.

Regis Vengaporensis, de pace, ad Albuquerciũ legatio. Vengapor regio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Armuzienſis Regis legatio

Regis Armuzienſis, cum litteris,& mãdatis, a ſe dimiſit. Dum hæc fiunt,Garſia Norogna imperata conficit,&,nauibus,quæ erãt in Luſitaniam profecturæ,comparatis,Calecutien ſe mare diligenter obſeruat.Interim Naubea darimus,Regni heres,qui,vt diximus, in Luſi tanos voluntate propendebat,ad Norognam litteras miſit,quibus continebatur, ſe,ſi Albu quercius id non aſpernaretur, inter illum, & auũculum,pacis interpretem futurum;atque perfecturum,vt noſtris, in vrbe Calecutienſi, poteſtas arcis ædificandæ fieret. Hoc Noro gna Albuquercio ſignificauit. Id fuit Albu quercio gratiſsimum. In mare enim Arabicũ nauigare ſtatuebat; & ea de cauſſa cupiebat res Indicas,omni belli motu liberatas,& opti me conſtitutas,relinquere.Pax facta fuit,& ar cis fundamenta in eo loco, vbi Regis ædes,in quas Albuquercius primus inuaſerat,exſtruc tę fuerant,iacta ſunt. Is vero,menſe Martio, Anno ſalutis M D X I I I. cum claſſe,de qua ſuo loco memorabimus,vt in Arabicum ſinum pe netraret,Goa profectus eſt.Hoc anno Barra xa,& Almandarinus, in Mauritania, earum ciuitatum,quas tuebantur, finibus egreſsi,in Mauros, Regis Emmanuelis ſtipendiarios, inuaſere;agris,& frugibus, inflammationem intulere; in agrum Arzilienſem excurſionem facientes,eum populati ſunt. Inde,in Tingita num agrum conceſſere. Odoardus Meneſius, qui Tingitanæ ciuitati præerat,habito conſi lio, quid agendum ſit, deliberat. At interim hoſtes excurrunt, manipulos in areas conge ſtos (nondum enim fruges excuſſæ fuerant) incendunt.Flamma,frequentibus in areis ex citata,noctis tenebras diſpulerat, ita, vt no ſtri hoſtium multitudinem e mœnibus adſpi cerent. Noſtri vigilare, & arma comparare, omnibusq. rebus, quæ ad hoſtium impetum repellendum, ſiue quæ ad obſidionem toleran dam vſui eſſe poſſent, prouidere . Odoardus Meneſius exploratum miſerat; &,cum primũ diluxit, quid exploratores afferrent,ad por tam,armatus,cum inſtructis copijs,exſpecta bat. Renuntiant illi,hoſtes,poſt colles,in qui bus ſpeculæ erant conſtitutæ,conſediſſe; ma gnam equitum,& peditum,multitudinem vi deri.Cum tam exiguis copijs,non eſſe ſapien tis Ducis,velle in hoſtes multitudine feroces, & ſucceſsibus elatos, incurrere. Odoardus enim Meneſius habebat tunc ſub ſignis equi tes ducentos,& pedites trecentos. Odoardus nihilominus progredi conſtituit; &,ſuperato colle, hoſtes adſpexit, & numerum oculis,vt potuit,deſignauit.Illi cedunt,vt noſtros ab vr be longius extraherent. noſtri ſenſim eos ſe quuntur. Vbi vero illi circiter duo paſſuum millia progreſsi ſunt, conſtitere; deinde cla mores ingentes edidere. Hic Barraxa, Non clamoribus,inquit, eſt,ſed viribus, agendum. Non ſunt hi homines, qui vocibus exterreri ſolcant. In virtute igitur, non in vlulatibus, eſt ſpes victoriæ collocanda. Cupio nunc,non eos,qui voces inanes fundant, ſed qui hoſtem feriant, adſpicere. Hæc vbi dixit, inſtructos equites in noſtros incitauit. Primum noſtro rum agmen, quod Petrus Leitanus ducebat, ſexaginta equites continebat,& fuerat de no ćte præmiſſum. Hoc primum hoſtium impetũ ſuſtinuit. Hoſtes multitudine noſtros obrue bant.Meneſius tamen (Leitani namque virtu ti multum confidebat,)nec exiſtimabat eſſe ſi bi hominibus,tamquam in extremum diſcri men inductis, auxilium celerius, quam ſum mæ rei conueniret, afferendum) ſenſim ibat, vt ordines, iam, propter prœlium cõmiſtum, perturbatos,aggrederetur. Itaque,cum tem pus opportunum animaduertit, pedites iuſ ſit vnum hoſtium latus inuadere, ipſe in latus alterum impetum acerrime tulit.Plus vna ho ra fuit vtrimque fortiſsime dimicatum. Tan dem,cum hoſtes ardorem illum pugnandi re mitterent, & noſtri tunc multo vehementius impreſsionem facerent, illi fugam capeſſunt. Almandarinus, (is enim, ante congreſſum, Barraxam illuſerat,quod non vocibus,ſed vir tute, cum paucis illis Luſitanis rem gerẽdam eſſe prædixerat)vt Barraxæ ſententiam com probaret,primus, cum equitibus centum, ſe fuga proripuit. Illum Leitanus inſecutus eſt, & eum aut viuum cepiſſet, aut ſaltem occidiſ ſet, niſi equites, quos ducebat, pedites hoſtiũ cædendo,fuiſſent,Leitano fruſtra eos reuocan te,nimis impediti. Barraxa viri ſane fortis of ficio functus ea die fuit . Cum tamen,Alman darini fuga,ſuos perterritos animaduerteret, ita ceſsit, vt ordinem, cedendo, conſeruaret. Eum Meneſius duodecim millibus paſſuum inſecutus fuit . Tandem,cum Barraxa copias in mõtem arta via ſubduceret, Meneſius ſuos ab hoſtium cæde reuocauit . Supra ſexcentos ex hoſtibus ea die cæſi ſunt, capti ducenti & quadraginta,inter quos fuit Almandarini pri mi agminis ductor,& Barraxę ſignifer,& mul ti præterea viri nobiles; ſigna,& tentoria ca pta, & præda ingens abducta. Ipſe Barraxa ſummum diſcrimen adijt:ex equo enim ceci dit: ſed alius ei repente ab vno ipſius equite oblatus fuit,quo periculum vitaret. E noſtris quattuor cecidere;viginti tres vulnerati ſũt. Odoardus Meneſius, re bene geſta, in vrbem reuerſus, recta cum omnibus copijs in tem plum ingreſſus, ſummas gratias Deo egit, cuius numine, & beneficio, prœlium illud pu gnatum fuerat. Nec Safinij interim præſidia quieſcebant.Mauri namque vicini, quãuis ex fœdere tributa deberent, ea tamẽ,ope Princi pum freti,qui illis animos faciebant, ſoluere recuſabãt. Præterea,illis,qui in fide permane bant,reliqui bellum frequẽter inferebãt. Ita que neceſſe noſtris erat, vel vt rebelles bello frangerẽt, vel vt ſubditos iniuria liberarent, ſæpenumero in hoſtium fines incurrere. Hoc igitur anno, Nonius Fernandus Ataidius Lu

Pax cum Ca lecutienſibus inita .

Ann. a Chriſto nato 1513

Res Africanæ.

Mauroru excurſiones .

Barraxæ ad milites oratio .

Prœlium .

Luſitanorum victoria .

Pie factum.

Safiniẽſe bellum.

Cæſorum, & captorum numerus.

Dabida opidum.

Iehabentafu ſi victoria.

Dabidenſis Princeps captus,

Pax cum rebellibus Mauris.

Luſitanorum de Areze victoria.

Victoria Luſitanorũ de Tazarotenſibus.

pum Barrigam,virum impigrum , & anteſignanorum ducem,Dabidam(is locus Safinio circiter quadraginta millibus paſſuũ diſtat) miſit,vt incolis,contra Xiatimẽſes,opẽ afferret. Dada,in edito colle , Xiatimæ imminet, prope fluuium , quem Aguz appellant . Xiatimenſes tamen tunc Dabidenſes numero ſuperabant , & plurimas illis iniurias inferebant, quas tunc Barriga perſecutus eſt. Illo regreſſo , cum Xiatimenſes exploratum habuiſſet , copias Iehabentafuſi caſtella circumire,vt tributa , quæ erant Regi Emmanueli perſoluenda, a ſtipendiarijs exigerent, octingentos equites accerſierunt,quibus eos ſe facile oppreſſuros eſſe confidebant. Iehabentafuſus,qui tunc in caſtello,quod appellãt Mirabellam,ſe cum cẽtum & ſexaginta equitibus continebat,vbi primum audiuit Xiatimenſes appropinquare,quamuis copijs eſſet inferior,cum nonnullos Dabidenſes adſciuiſſet,in hoſtes acriter impetum dedit , & fuſos inſecutus eſt . Duos viros primarios cepit, & paucos occidit.Cum tamen Dabidenſis quidam princeps, Acum nomine, hoſtes auidius inſequeretur,& ſe a ſuis longiſsime ſegregaſſet,ab Xiatimentibus captus fuit. Pauciſsimi eo prœlio ceciderunt.Arabes enim, qui Mauritaniam incolunt, cum ſint auariſsimi , propter pecunię cupiditatem,hoſtium vitæ parcunt , vt ex redemptione pecuniam comparent;& præterea , multos a ſe in bello captos eſſe,maxime omnium gloriantur. Bellum tamen hoc,& permutatione captiuorum,& veteris fœderis inſtauratione , finitum fuit , & ſtipendia Regi Emmanueli integre perſoluta.Rurſus Ataidius eundem Barrigam cum Iehabentafuſo in pagum , Areze nomine , ad radices montis,quem Ferreum appellant, ſitum,miſit,vt illũ, propter rebellionem , bello contunderent.Illi,vt imperata facerent, nocte profecti, prima luce , in pagi munitiones irrumpunt, hoſtes nonnullos interimunt , & aliquot etiam capiunt;reliqui ſe in montem , effuſa fuga,proripiunt.Noſtri,in vrbem, cum præda,incolumes,reuertuntur. Rurſus,cũ incolæ cuiuſdã opidi, quod appellant Tazarot, cum Azezenſibus fœdere coniuncti, excurſionem in Safiniẽſem agrum facerent,Ataidius, cum copijs inſtructis , egreſſus, eos fudit , fugauitque;nonnullos occidit,& exercitum incolumem reduxit . Ludouicus interim Meneſius, Ioannis Meneſij,Taraucenſis Dynaſtæ, filius,cum centum equitibus , Safinium peruenit.Aluarus etiam Norogna , cum aliis centũ equitibus,in vrbem ſimul ingreſſus eſt.Vterq. miſſus a Rege Emmanuele fuerat , vt vrbi præſidio eſſet, ita tamen , vt numquam Ataidij imperium detrectarent;ſed omnia,quæ is iuſsiſſet, alacritate ſumma conficerent.Ataidius,vt adoleſcentes , ea nobilitate præditos, exerceret,vt poſſent cum nonnulla gloria in Luſitaniam reuerti , ſtatuit Almedinam eos deducere . Eſt autem Almedina, vrbs, valde ciuibus frequens , & muris cincta . Homines ſunt agriculturæ,& rei pecuariæ,maxime dediti, & iccirco frugibus, & pecoribus , abundant;cultu tamen paullo lautiore,quã reliqui eiuſdẽ regionis Arabes,vtuntur. ciuitas erat in duas factiones diuiſa.Quidam enim Regis Emmanuelis partes ſequebantur , quidã Feſſenſi Regi ſtudebant. Vtraque autem pars factionis Principes habebat. Omnes tamen tributum ex fœdere debebant . Factio Feſſenſis , tũc,præſidio Regis intra muros admiſſo, multo potentior erat . Sic autem euenit, vt alij quidem voluntate,alij vero metu , tenerẽtur, ne tributũ imperatum ſoluerent. Ataidius,cũ equitibus quadringentis , & turma peditum, ex vrbe profectus,prima luce,Almedinæ portis appropinquauit.Hoſtes , de illius aduẽtu, per exploratores,facti certiores exſtiterant. Erant in vrbe equites ſexcenti,& pedites mille,viri fortes,& animis,& armis, ad cõfligendum parati. Ataidius eos inopinato aggredi cogitarat.Itaque,cũ ad mœnia propius acceſſiſſet,duplicẽ aciem inſtruxit . Vnam Aluaro Norognæ,vt portam,quæ Marochiũ reſpicit, oppugnaret, alteram ſibi , reſeruauit, qua cũ Ludouico Meneſio per aduerſam portam irrumperet.Hoſtes vltro portas aperiũt,& pugnandi facultatem noſtris offerunt.Prœlium exortum eſt,quod fuit vtrimque,ſingulari audacia,cõmiſſum.Noſtri primũ ceſſere . Deinde,rurſus,animis acriter incẽſis,impetum in hoſtes tulere . Victoria neutrã in partem inclinabat,cum pugna in multum temporis ſpatium protracta fuiſſet. Factum tãdem eſt, vt vtrimque libenter ſe a prœlio continerent. Ataidius copias ſuas reduxit , & hoſtes ſe intra mœnia receperunt. Ex hoſtibus tamen ſupra viginti ceciderũt;e noſtris tres deſiderati ſũt;multi ex vtraque parte vulnerati fuere. Rurſus,cũ Ataidius quietẽ minime pati poſſet,ſilentio noſtris vſus,in hoſtiũ turmas,quæ prope Almedinã,poſitis caſtris,conſiſtebant, inuadere ſtatuit.Sed, cum intellexiſſet,hoſtes eſſe iã de illius conatu,per exploratores , admonitus,quamuis iam eſſet multũ in via progreſſus , copias retraxit.Porro Arabs quidã, ei familiaris,ad illũ acceſsit, atque nũtiauit, Marochii Regẽ viã, per quam ille regredi parabat,inſediſſe,vt illum interciperet.Eo nuntio,Ataidius , ſe valde lætari , dixit , & Arabi munus,pro eo,donauit . Deinde, Abi, quæſo, inquit,Regiq. nũtia,me in campo, per totam diem,illum exſpectaturũ . Rex tamen, ſiue vt cõgreſſum illius vitaret,ſiue vt aliud,quod in rẽ magis eſſet, animo moliretur , ſiue Arabs falſum nuntiarat , viã minime inſedit, ſed in Duecalã religionẽ recta cõtẽdit, & fœdus cũ Principe,qui mõtes ditione tenebat,fecit,vt, coniunctis viribus , Luſitanis repugnarent . Ataidius,cũ diu fruſtra exſpectaret,exercitũ tandem, media ferme nocte,in vrbẽ reduxit.

Almedina vrbs.

Almedinẽſe bellum.

Prœliũ æquale.

Mauroru in Luſitanos cõſpiratio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hoc ferme tempore, Nonius Mascaregnas, cum equitibus centum, Safinium peruenit,& Ludouicus Menesius,& Aluarus Norogna fuere in Lusitaniam reuocati.Erant tunc in vrbe supra septingentos equites, cum quibus Atai dius frequenter excurrebat, & manum cum hostibus crebro conferebat, ita, vt nemo posset esse impedimento, quo minus tributa ab stipẽdiarijs exigeret. Cum vero Ataidius nosse cuperet, quid hostes agerent, quorum tum castra duodecim millibus passuũ inde aberãt, Barriga,se id exploraturum,ostendit.Itaque, Ataidij permissu, cum equitibus triginta, de nocte profectus, castra propius, cum diluxisset,accesit;sex hostes occidit, quattuor viuos cepit, tantaq. celeritate rem gessit, vt prius, quam hostes se ad illum persequendum comparare possent,ipse se in pacatum recipe ret.Ataidius igitur a captiuis intellexit,quid hostes animis agitarent,quo ordine castra posita essent,quibus copijs rẽ gerere statuerent. Sequenti igitur die, Lupum Barrigam, cum equitibus centum & quinquaginta, præmisit. Nonius Mascaregnas, cum equitibus cẽtum, illum sequebatur, vt locum opportunum insidijs,cũ copijs suis, insideret. Ataidius postremo,vt subsidio esset, cum reliquo agmine veniebat. Barriga,iussus excurrere,cũ in hostes incautos irruisset,quinque occidit, quattuor decim viuos cepit,magnam vim pecoris abegit. In hostium castris tumultuatum est, cum indignissime ferrent, se ab homine illo impune ludificari.Itaque equites quadringẽti protinus egressi sunt, & in Barrigam inuadunt. Is sensim,ordine minime confuso,cedebat,do nec ad locum, in quo Mascaregnas in insidijs latebat,peruenirent. Ibi,rursus,cũ & ipse suos in hostes incitaret, & Mascaregnas ex insidijs prodiret,prœlium tanta vtrimque audacia commissum est,vt constet,numquam, post illam vrbem captam,ad eam diem,in regione illa,pro numero militum,vel atrocius,vel pertinacius,pugnatum fuisse. Hostes enim minime perturbati,acerrime decertabant; nostri, quamuis essent de via fessi, eorum impetum egregie sustinebant; nemo tergum vertebat. Multi vulnerati sunt, non pauci ex equis deiecti, nemo tamen occisus fuit. Nostri tandem cedere sensim incipiunt:quos Ataidius,qui iã appropinquabat,excepit;& hostes subsistere. Ataidius vlterius progredi noluit, eo quod cerneret,eos,quos Barriga, & Mascaregnas, duxerant,labore nimio fractos;& verebatur, ne a castris hostium subsidia mitterẽtur, quæ nostros lassitudine confectos obruerent. Itaque,dimissa præda, vt ordinem melius conseruaret,se in vrbem recepit. Post dies octo, cum Ataidius accepisset, eundem Regem Marochij, motis castris,in promõtorio Cantimẽsi, quod inde non procul aberat,consedisse,ad vesperum, cum Rex cenaret,ex improuiso duas turmas adortus, eas cepit, & castris terrore, & tumultum,intulit,exercitumq. propere reduxit. Ibi tunc hostes accurrunt; sagittis, & glandibus, & missilibus, acerrime pugnant. Præcipue vero tanta lapidatio e superiore loco(castra enim erant in cliuo posita)facta est, vt locus lapidationis nomẽ obtineret. Nostri tamen se,cum omni præda,receperunt;hostes eos,tota illa nocte,ferociter insecuti sunt. Nihilominus Ataidius,cum eorum impetũ egre gie sustineret,exercitum, prima luce, incolumem, cum magna præda,reduxit. Captiuos enim supra trecẽtos fuisse constat. Fuere præterea capti equi complures, & cameli. Rex alium deinde locum magis munitum castris metandis cepit.Est mons editus,quem appellant Idenar. illi subiecta est campi planities, obiectis principio collibus præangusta, quæ deinceps latius panditur. In campi istius angustijs Rex castra posuit.Id cum Ataidius exploratum habuisset,vna nocte,cum equitibus quingentis, & multis etiam Saracenis auxiliaribus,qui Duce Iehabentafuso se cum Ataidio coniunxerant, in hostiũ castra profectus, cum in illos inopinantes inuasisset, castra tanto metu, atque terrore, compleuit,vt,quamuis multi. in ea trepidatione, correptis, quæ cuique fors obtulerat, armis, resistere pararent, omnes tamen, metu nimio conturbati, sese ab eo tumultu, effusa fuga, proriperent. Ipseq. Rex non exspectauit,dum equus insterneretur,sed,in eum,quem primum adipiscipotuit,insiliens, repente diffugit. In castris magna cædes facta est,ingens præda capta,maxima virorum,& mulierum, multitudo in seruitutem abducta. Inter captiuas fuit vna Regis ipsius concubina, forma excellenti, quam is vehementer amabat. Lusitani aliquot vulnerati fuerunt, inter quos Ataidius exstitit,qui in facie vulnus accepit. Non multis post diebus, Almedinenses ciues in agrum Safinienſem excursionem fecerunt, & in duobus locis insidias collocarunt. In eos tamen Ataidius explorato nostros eduxit. Prœlium fuit acre; magnisq. vtrimque viribus, pro hominum numero, commissum. Sed tandem hostes fusi, fugatiq. sunt; octo & quadraginta cæsi; e nostris tres desiderati. ne maior cædes ederetur, & equorum hostilium pernicitas, & Ducis prudentia, fuit impedimento. Nec enim permisit, vt nostri longius hostes insequerentur, ne in plures insidias cedendi cupiditate furentes irruerent. Alij deinde equites Arabes septingenti, cum per agros in vrbis conspectu discurrerent, & segetes incenderent, regressi continuo sunt. At Ataidius,vbi vidit,illos,sine vlla suspicione futuræ dimicationis, abscessisse, Lupum Barrigam, cum centum & sexaginta delectis equitibus, in eos immisit; alia deinde porta Nonium Cattum,impigrum virum, similiter cũ alia equitum turma,iussit,vt,diuersis expartibus, hostes adorirentur.Is primus in hostes inuectus est.

Exercitio in Mauros.

Idenar mons

Alia non minus felix in Marochianos irruptio.

Lusitanorum de Almedinẽsibus victoria

Atrox cum Mauris prœlium.

Lusitanorum de Arabibus victoria.

Prospera Ataidij in Marochiana castra irruptio.

est.Prœlio commisso,Lusitani,hostium multitudine, & ferocitate, vehementius oppressi, magnum discrimen adierunt. Barriga,cum suis,subsidium attulit,quo nostris animus reditus est,& impetus hostium repressus. Acerrima tandem nostrorũ impressione,hostes in fugam versi sunt; nostri, quattuor millibus passuũ eos insecuti, non mediocrem stragem ediderunt; & Barriga cum opimo spolio vrbem subiit. Hostium namque supremum Ducem, virum militaris virtutis opinione præstantem, manu sua interemit,ita tamẽ, vt ab eo congressu,quamuis victor,multis,& periculosis,admodum vulneribus sauciatus, abiret. Sed facile victoriæ decus dolorem vulnerum leuabat. Dux Iahomazende appellabatur.Illius caput, & equum, Barriga in vrbem intulit. Caput fuit hastæ mucrone præfixum, & in vna vrbis porta collocatum. Illud Saraceni maximo pretio redimere cupiebant;sed numquam id Ataidius,vlla condicione, permisit.Tandem,cum hostes,qui illam regionẽ, quam appellant Xerquiam, incolebant,fracti malis,& rebus suis diffidentes,pacem ab Ataidio petiissent,inter alias fœderis renouati cõditiones, vna fuit, vt caput Ducis illius,suis, ad honorem sepulturę,redderetur:quod tunc fuit,summa Ataidii voluntate, concessum. Erat enim is inter Saracenos, propter decora in bello parta,summis honoribus affectus, & singulari suorum prædicatione celebratus. Pax facta continuo fuit.Reliqui,Xerquiensiũ exemplo prouocati,pacem similiter ab Ataidio postularunt.Pacis sequester, & interpres, Iehabẽtafusus exstitit. Nullum grauius onus eo,quod iam antea subierant, fuit illis impositum.Ita,ea parte bello profligato, omnis illa regio fuit sub imperium, & ditionem,Emmanuelis,iterum,cum tributo æquabili, subiuncta. Ex illis Ataidius plurimos delegit, quos stipendiis aleret,vt,illis stipatus,facilius cum Marochij Rege,& Xerifio,(sic enim appellabant Ducẽ,qui,sanctitatis, & virtutis militaris, opinione, Arabibus,qui dispersi in agris vagabantur,imperabat) bellum continenter gerreet. Tantũ autem terrorem principibus illis Ataidij nomen inferebat,vt nullis munimentis se tutos vmquam fore confiderent. At Ataidius, aliorum bellorum cura liberatus, bellum contra duos illos Principes maiore studio sibi adminstrandum putauit. Itaq. Lupo Barrigæ præcepit,vt, cum centum & quinquaginta equitibus Lusitanis,& equitibus auxiliaribus ex Saracenis fœderatis,qui sub Iehabentafuso militabant, accitis, in Marochij fines inuaderet. Is igitur,cum Iehabentafuso, cum essent in loco, qui Duamus appellatur, & abest Safinio passuum millibus quadraginta octo,accepit,ad radices Atlantis montis(nunc Montes claros appellant) in campo satis patente, quem appellant Alehauz, nouem hostiũ præfecturas castra posuisse. Hoc igitur cum Duces exploratum habuissent,incredibili celeritate eo se contulerunt, ita,vt inopinantes,& incautos,aggrederentur. Supra mille ex hostibus cæsi sunt, capti centum & quinquaginta, & præda ingens eo die parta. Vlterius autem progressi, in regionem Xiatimensem impetum ferentes, non paucos hostes interfecerunt, & captiuos centum abduxerunt. Eo Xerifius, vt eandem regionem armis occuparet, inuasit. Ex illius castris equites permulti in nostros inuecti sunt. Barriga,in copiarum supplemẽtum,equites centum in subsidium missos acceperat. Prœlium satis acre commissum fuit; & diu, ancipiti victoria,dimicatum. E nostris tres equites Lusitani, & vnus Saracenus cecidere; ex hostibus viginti & quinque cæsi sunt; inter quos filius Reguli cuiusdam interfectus est.Hostes, cum se frustra contendere cernerent, in castra reuersi sunt; quos nostri insequi in castra noluerunt,ne multitudine obruerentur. Post aliquot dies, Barriga in opidum Xiatimense, quod appellant Tanli, impetum similiter tulit.Hostes,cum se in vltimum discrimen adductos cernerent, aluearia apum innumerabilia,quibus abundabant, incensa e mœnibus demisere. Nostri, aluearium flammis ambusti,& apum aculeis stimulati, oppugnatione deserere coacti sunt. Multi etiam vulnera ab hostibus accepere, ne apibus tantum ea propugnatio adscribi posset.Ipseq. Barriga,graiuiter vulneratus,abscessit.Sub idem tempus, Nonius Cugna, cum centum equitibus, Safinium, Regis Emmanuelis iussu, peruenit;& Nonius Mascaregnas in Lusitaniam reuocatus est. Aguz est opidum in ea Mauritaniæ parte, quæ ad fines Safinij vrbis pertinet. Eũ tunc locum Lusitanus quidam,cum quinquaginta Lusitanis sagittarijs, custodiebat. Eo autem se tunc Barriga,& Iehabentafusus, cũ copijs suis,contulerant.Ibi vero fuit eis nuntius allatus,Marochij Regem, cum maximis copijs, aduentare. Quem nuntium Ataidius cum accepisset,Nonium Cugnam eo,cũ equitibus ducentis, vt auxiliũ afferret, confestim misit.Ibi,cum quidam ex hostibus postremum agmen nostrorũ carpere voluissent, repressi sunt,& vnus ex illis captus est, quem ad Ataidium Barriga misit.Ab eo cũ Ataidius hostiũ consilia scisciteretur,is,astu Punico,quasdam opiniones in Ataidij sensibus inseuit, quibus inductus, suspicatus est, Iehabentafusum de nostris prodendis cogitare. Itaq. ad Barrigã scripsit, vt omnes Lusitanos confestim in vrbem regredi iuberet,& ipse, cum solis equitibus sexaginta, remaneret, atque deinde aliquid caussaretur, vt ratione ductus existimari posset,a Iehabentafuso discedere.Id Barriga,vt sibi imperatũ fuerat,exsecutus est; atq. primum alios omnes dimisit; deinde altercationis cuiusdam minime necessariæ materiã præbuit,cuius indignitate se vsque adeo commoueri

Iahomazendis, Arabum ducis pædes.

Pax cũ Xerquiẽsibus inita.

Bellum Marochiense.

Duamus.

Atlas, nunc Mõtes clari.

Alehauz.

Lusitanorum victoria.

Anceps cum Xerifio prœlium.

Stratagema Tanlensium.

Oppugnatio irrita.

Aguz opid.

Actus punit⁹. Iehabentafusus, proditionis suspectus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

moueri finxit,vt honeste videretur a Iehabentafufi societate seiungi.Solus Rodericus Castrensis, cum tribus famulis, ab eo discedere noluit. Iehabentafufus, cum indigne pateretur, eo tempore a Lusitanis destitui; grauius tamen tulit,secus de sua fide,quam meritus esset, existimari, quam in tanto discrimine relinqui.Itaque,per litteras,grauiter,de tam insigni iniuria,conquestus est. Seq. nihilominus eo die prœlium cum Marochij Rege,cum copiis,quas habebat,initurum affirmauit,vt vel illustri victoria, vel clara morte, testatũ apud omnes relinqueret, quanta fide Regem Emmanuelem coleret,& obseruaret. His litteris Ataidius inductus,ad illum rescripsit, se confestim ad illũ equites quingentos missurum. Sed,cum is nuntius, cũ duodecim equitibus, interuenit, iam Iehabentafufus manum cum maximo Regis exercitu cõserebat. Prœlium fuit atrocissimum, in quo tamen Iehabentafufus cum suis res memorabiles effecit;hostes suos fudit, maximam hostium multitudinem cæcidit;ipsumq. Regem castris exsuit; &, longius insecutus, maiorem exercitus partẽ ferro concidit.Præda fuit ingens. Erant enim castra multarũ rerũ copia referta. Ataidius,vt pollicitus fuerat, sequenti die, Barrigam, cũ equitibus ducentis, & Cugnam cũ trecentis, in illius auxiliũ misit.Sed,cũ illi aduenerunt, iã Iehabentafufus rem præclare gesserat. Tulit Ataidius permoleste,se, aut saltem Lusitanos Duces, eo prœlio non interfuisse; multiq. illum reprehenderunt,quod tam facile hominis leuissimi,& fallacissimi,sermonibus assensus fuisset,vsque adeo,vt neglectæ fidei criminationem, quod socium in tanto discrimine ope sua destitueret, minime pertimesceret.

Iehabentafusi de Marochiensibus insignis victoria.

Victoria de Xiatamensibus.

Non multis post diebus Ataidius in aliã præfecturam Xiatimensem Barrigam immisit. Prœlium atrox exstitit.E nostris duo viri nobiles, cum nonnullis alijs, cecidere: sed tandem opidum captum; & hostes partim cęsi, partim in fugam coniecti, & aliqui etiam capti sunt. Rex Fessensis, anno salutis MDXI. cum fuisset illi nuntius allatus,Tingim non esse valido præsidio munitam,& præterea negligenter custodiri,fore putauerat,vt,si illam ex improuiso adoriretur,facile caperet. Itaque maximas copias comparauerat, vt illam oppugnaret.Longe tamen aliter munitam reperit,quam suspicatus fuerat. Castra tamen posuerat,& obsessam diebus aliquot tenuerat,& quibus poterat,viribus,& machinis,oppugnauerat.Sed semper fuerat a conatu,cum graui dãno, atque dedecore, repulsus. Anno igitur insequente,vt ignominiæ maculã deleret,Arziliam exercitum adduxit,& prope vrbem castra locauit;&,cum inde hostes in vallũ, quod vrbem cingit,irrupissent, nostri intra vallum prœlium inierunt, in quo Bernardus Coutignus in hostiũ præfectum,Adel nomine, equũ incitauit,& illi cuspide oculum effodit. Iacobus Coutignus,frater Francisci Coutigni,Comitis Marialbensis, fortissime dimicans, ab hostibus interfectus fuit. Pauci vtrimque ceciderunt.& Rex,cum cerneret, frustra tẽpus ibi in obsidione conteri, domum, re infecta, discessit.Emmanuel interim,quamuis Africani belli curam non intermitteret, aliud bellũ sibi proponebat, ex quo non minorem gloriã assequeretur. Cum enim esset studio Christiæ religionis propagandæ vehementer incẽsus,id suscipiebat,vt armis Diuinis omnes impietatis opes,& munimenta,conuelleret.Itaque in India,& in Aethiopia, operam dabat, vt gentes,a CHRISTI placitis alienæ, ad illius sanctissimum cultum,sanctorum hominũ monitis,& disciplinis,adducerentur. Et,cum animaduerteret, regnum illud Aethiopiæ, quod appellatur Congo,fuisse,iam a tempore Ioannis Regis, CHRISTI disciplinis illustratum,in idem opus, vt perficeretur, incubuit. Iccirco,vt dictum est,multos sacerdotes,pietatis opinione præstantes,in illam regionem miserat,vt eos,qui nondum erant lustralibus aquis expiati,ad Christi fidem perducerent; &,qui iam Christo nomen dederant, clariore disciplina confirmarent. Sub hoc igitur tempus, hominẽ e suis domesticis, equestri dignitate præditum,ad eundem Congensem Regẽ, cum pluribus sacerdotibus,& sacris vestibus, ad rem Diuinam sanctius peragendam misit, vt eum acrius studio Christianę pietatis incẽderent.Rex,hac Emmanuelis Regis benignitate prouocatus, in Lusitaniam filium suum, Henricum nomine, cum fratre suo, & pueris nobilibus,misit,vt linguam Lusitanam,& Latinas litteras,& sanctarum rerum disciplinã, perdiscerẽt. Cum iis venit legatus quidam illius,Petrus nomine, non vulgari prudentia præditus, cũ quo Rex Emmanuel sermonem libentissime conferebat.Is,vt diutius in Lusitania versaretur, vxorem secum duxit, quæ fuit a Regina Maria multis donis, atque muneribus,affecta.Emmanuel, cum omni comitate gentem illam vniuersam ad Christũ allicere contenderet,Regis fratrem, & filium,cũ reliquis pueris, in disciplinam, viris religiosis,& eruditis, tradidit, qui eos Latinis litteris,& religionis moribus,& institutis, imbuerent.Deinde Simonem Siluium, hominem apprime nobilem, ad illum,cum muneribus, legauit.Munera vero erant, qui pulchre instrati,& phalerati,& mulæ similiter ornatæ, vasa sacra,tabulæ pictæ,infulæ,& omnia, quæ ad religionis cultum rite conficiendum erant idonea. Fabros præterea, qui templa, & Regias ædes, ædificarent. Id præterea Siluio commisit,vt ius Regium ad Lusitanos, qui in ea Aethiopiæ parte versabantur, in officio continẽdos & eorum flagitia punienda, si opus esset, obtineret.Et præterea,vt cum Rege simul ius omnibus gentibus, quæ sub Regis imperium erant, administraret. Quod vt cõmodius fieret,

Tingi opidũ a Fessensi Rege frustra oppugnatum.

Irrita Arziliæ obsidio.

Emmanuelis Regis in christianismo propagando studium.

Congẽsis Regis filius, & legatus,in Lusitaniã missi.

Emmanuelis ad Congensẽ Regem legatio.

ret, secum hominem iurisconsultum adduceret, vt ius publice diceret. Id enim ipse Rex Alfonsus ab Emmanuele per legatum summis precibus efflagitarat. Id etiam Siluio in mandatis dedit,vt,si forte, dum is apud Alfonsum versaretur,aliquis belli motus exsisteret, Regem opibus,& consilio,& manu etiam, iuuaret.Illum præterea admoneret, vt, quamprimum posset, legatos Romam mitteret, per quos auctoritatem Pontificis Maximi,& Ecclesiæ sacrosanctæ ius,& imperium, in omnibus rebus sacris agnosceret. Et, quia Petri prudentia non vulgaris esse videbatur,suadebat,vt ipse Petrus, aliquot viris nobilibus stipatus,ea potissimũ legatione fungeretur.Sed illum,suis sumptibus, Romam esse missurum. Regem præterea admonebat, vt aliquot pueros nobiles in Lusitaniam mitteret, qui cum reliquis erudirentur.Siluius,cum hac legatione profectus,secundis tempestatibus vsus, in Congense Regnum peruenit: cuius aduentu Rex, se mirum in modum lætari,significauit. Statimq. misit virum quendam primarium, illi sanguine valde coniunctum, qui Siluium salutaret, & in vrbem Regiam, quæ e portu multum distabat,vbi commodum esset,deduceret. Siluius tamen, febre correptus, antequam Regem videret, e vita discessit. Rex mortem illius admodum acerbe tulit. Aluarus Lupius,qui classis curam susceperat,in locum Siluij, vt ab Emmanuele decretum fuerat,si casus aliquis Siluium de medio sustulisset,successit.Is ad Regem,cum litteris, adiit. Litterarum sententia, præter egregiæ cuiusdam pietatis argumentum, & præstantis voluntatis indicium, nihil aliud continebant, quam vt fides Siluio, in rebus omnibus, quas Rex Emmanuel illi præceperat, vt Alfonso Regi diceret,haberetur. Litteris lectis, Aluarus Lupius earum sententiam verbis subsecutus est;& dona,quæ ferebat, in conspectu Regis explicuit.Rex vero res singulas in manus sumere,laudare,mirari,manus in cælum tendere, gratias Deo summas agere, quod per Reges,virtutibus amplissimos,& numini cælesti carissimos, fuisset e tenebris impietatis emersus, vt cęlestẽ lucem adspiceret. Regem vero Emmanuelem, non satis habere, illum tam Diuino beneficio constrictum tenere,nisi etiam præterita beneficia recentibus donis magnificentissime cumularet.Quia vero Emmanuel illi Regia insignia, quibus deinceps vteretur,mittebat,quæ pertinerent ad virtutis insitæ monumentum,& vniuersæ posteritatis ornamentũ, de ea re litteras publice proposuit,quibus testatum omnibus esset, & memoriæ etiam sempiternæ consecratum,muneris illius insti tutum,& Regiæ beneficentiæ documentum.Litteris autem his referebat,quo pacto, Regis Ioannis opera, fuisset illa regio lumine Christianæ religionis illustrata, & e tyrannide infestissimi dæmonis erepta, & quanta malignitate fuisset opus illud tã præclarum,opera antiquissimi serpentis,per quẽ primi parentes e sedibus beatissimis expulsi fuerant,impeditum.Quanta cura,studio,vigilantia, Rex inuictissimus Emmanuel,opus, quod a Ioanne Rege clarissimo inchoatum exstiterat,perficiendum susceperat. Religionis vero Christianæ disciplinam in summa referebat;& deinde commemorabat,qua ratione pater illius,opera perditissimorum hominum,a Christi fide,quam fuerat antea professus,impie,& nefarie, desciuisset, & ob eã rem in ipsum Alfonsum, maximum natu filium, quod impietatem illius imitari noluisset, se tæterrimum præbuisset.Commemorabat deinde exsilium, in quod pulsus a patre fuerat, & molestias,quas in exsilio,pro Christi nomine,cum summa iucunditate, pertulerat; & qualiter,moriente patre,cum fratre, qui Regnum,per summam iniuriam,occupare conabatur,cum solis triginta sex hominibus,Christi numine sæpius inclamato,cõfixerat,cum frater illius exercitum maximum haberet;& quo modo non copijs humanis,sed Diuinis,vt hostes ipsi fatebantur, bellum profligatum fuerat;& frater, casu etiam Diuino captus,in potestatem illius venerat,de cuius ille impro bitate, & pertinacia, supplicium iure sumpserat. Exponebat deinde, quo consilio Petrum,suum cognatũ, qui vnus erat ex triginta sex hominibus,qui illi opem attulerant,ad Regem Emmanuelem legauerat: ex quo Petro intellexerat,in Lusitania,Regis ipsius amplissimi iussu, vota,pro Congensis Regni salute, & Alfonsi ipsius fide, persoluta fuisse: quo nullum clarius exstare posset insignis caritatis indicium. Itaq. se non solum pro Christi sanctissima religione,pro templorum sanctitate,pro Ecclesiæ sanctionibus,necem,& cruciatum, si opus ita fuisset, minime recusaturum;verum & pro Regis Emmanuelis amplitudine omne discrimen salutis aditurũ. Adijciebat deinde: Vt autem magis nos Rex optimus, summisq. laudibus, in omni æternitate, prædicandus,sibi deuinciret, misit ad nos virum nobilissimum, cum muneribus, & ornamentis,quæ satis, quam propensa in nos esset voluntate,declarabant. Et, quia est in more positum, vt Christiani Reges insignia gestẽt, ad posterit atis memoriam propagandam,& maiestatem Regiam insigniter illustrandam, voluit idem Rex in hoc etiam plurimum nobis suæ benignitatis impertire.Scutum enim enim nobis misit, primum quidem Cruce signatum, vt animo recoleremus victoriam, quam Constantinus Imperator,Cruce in cælo perspecta, de hostibus suis consecutus est, ne vmquam ab animis nostris memoria victoriæ,quam similiter adepti sumus,elaberetur. Et,quia Iacobus Apostolus,cuius opem,vt Hispani faciunt,in eodem prœlio frequenter implorauimus,in acie perspectus, hostes exterruit,

Emmanuelis ad Congensẽ Regem legatus mittitur.

Congẽsis Regis de Emmanueliserga se beneficiis litteræ publicæ

Miraculosa victoria.

Insignia,Congensi Regi ab Emmanuele missa.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ruit, eiusdem Apostoli species, voluit, vt in eiusdem insignibus insculperetur. Præterea, vt amoris coniunctio, quę nobiscum cum illo est, illustri signo consignari posśit, Regũ Portugalensium insignia, quæ quinque scutis in Crucis formam dispositis continentur, reliquis signis admiscuit. Iis enim quinque scutis CHRISTI Opt. Max. vulnera designantur, quæ in Cruce, pro generis humani salute, pertulit. Cum enim Alfonsus primus Portugaliæ Rex cum quinque Regibus Saracenis, maximo exercitu constipatis, confligere in Lusitania voluisset, in cælo, vnde auxilium precibus efflagitabat, Christi speciem, eisdé quinque vulneribus illustratam, oculis, atque mente, conspexit, innumerabilemq. hostium multitudinem, Christi numine confirmatus, occidit, & ea de causśa illa insignia, ad memoriam posteritatis, assumpśit. Itaque, modis omnibus, Rex, singulari pietate præditus, cum hæc ad nos tam præclara Regiæ stirpis insignia misit, nostram posteritatem admonere voluit, vt, in bellis, non humanis opibus, sed Diuino Christi præsidio, niteretur. Pro his tantis beneficiis Emmanueli Regi, fratri nostro carissimo, gratias immortales agimus; neque solũ fratrem, & patronum, agnoscimus, sed omnes Regni opes, atque adeo vitam, pro illius dignitate, profundere, parati sumus. Qui tamẽ, quamuis omnia, quæ possumus, illius gratia faciamus, nullam tamen partem illius erga nos meritorum officiis nostris assequemur. Reliquum igitur erit, quando nos parem gratiam referre non possumus, vt Rex ille summus, atque sempiternus, in cuius honorem Emmanuel hæc tam præclara opera molitur, & efficit, illi præmium Diuinum, atque sempiternum, constituat. Nostros autem liberos, & cunctam posteritatem, obtestamur, admonemus, &, pro iure etiam nostro, iubemus, hæc insignia gestare, illis scuta distinguere, litteras consignare, signa in bellis intertexta præferre, semper animo, atque mente, recolere, quæ per illa designantur; vt, sic, memoriam, ad pietatis, & iustitiæ, recordationem, excitantes, de hostibus suis victoriam, freti Christi præsidio, consequantur. Sed, quia more etiam receptum est, vt egregia facta nobilitentur, & homines, qui meritis suis in locum altiorem adscendunt, posteritati suæ virtutis memoriam prodant; idem Rex Emmanuel alia nobilitatis insignia nobis misit, quibus genus eorum, ex illis sex & triginta, qui valde strenue se gesserunt in eo prœlio, quo, Christi præsidio muniti, fratris impetum contudimus, illustrare possem: quod etiam impulsi monitis illius exsequimur, vt hoc virtutis præmio multi ardentius in studium virtutis incitentur; vt ita non solum in hac vita contra hostiles impetus muniamur, sed etiam in futura bonis sempiternis frui possimus. His litteris in publico propositis, & in totum Regnum exemplis

Congẽsis Regis ad Pontificem Maximum legatio

earum ad Principes missis, Alfonsus decreuit, quam gratus esset in Emmanuelẽ, testificari. Petrum deinde, vt ab Emmanuele fuerat admonitus, ad Pontificem Maximum legauit. Petro autẽ duodecim viros nobiles comites adiunxit. Emmanueli vero magnã vim eboris, & munera, quibus illa Regio abundat, dono misit. Duodecim præterea nobiles pueros cum Petro in Lusitaniam venire iusśit, qui simili ratione fuerunt litteris, & moribus, instituti. Emmanuel, postquam Petrus in Lusitaniam rediit, illi, & Henrico, Alfonsi Regis filio, & reliquis viris e nobilitate delectis, omnia, quæ ad iter erant necessaria, præbere large, atque munifice, iusśit. Ii fuerunt Romæ a Põtifice, & ab omnibus Ecclesiæ Principibus, benigne, & comiter accepti. Litteras deinde Pontifici Regis Alfonsi detulerunt. Illarũ sententia hoc cõtinebat, se primum Ioannis, hoc nomine secundi, Portugaliæ Regis, opera, cũ Regno, fuisse, e potestate dæmonis, & e turbulentiśimi erroris tenebris, in libertatem, & in lucem, vindicatum. Deinde, Regis Emmanuelis studio, & sumptibus, in eiusdem sanctiśimæ religionis disciplina progressum, clarius lepræ deformitatem, qua fuerat antea deformatus, agnoscere, & priśtinum errorem, & amentiam, vehementius detestari; & pro beneficio, quo mirabilibus signis a Deo perductus, in pietatis splendorem, exśtiterat, perpetuo se Deo gratias acturũ, neque tam Diuini muneris memoriam vmquam depositurum. Sed, quoniam intellexisset, esse CHRISTI summũ in terris Vicarium, quem omnes Christiani Principes vnice colerent, & cuius iussa, tamquam cælestia, atque Diuina, sequerentur, ne se a reliquorum Principum Christianorum communione segregaret, & aliqua in re a pietatis via deflecteret, Romam filiũ suum Henricum, iã Sãctis in Lusitania litteris eruditũ, & Petrum cognatum suum, virum, cuius prudentiæ, atque probitati, valde confideret, se mittere statuisse, vt, ipsius Alfonsi nomine, Pedes illius oscularentur, & Regnum vniuersum ipsius Pontificis voluntati, & imperio, dicarent. Nec enim se vmquam vllo tempore commissurum, vt obsequio, & pietate, erga Sanctã Romanam Ecclesiam, ab vllo Christiano Principe vinceretur. Pauca deinde adijciebat, quę ad fidem legatis habendam, & postulata quędam, ad religionis causśam necessaria, facilius impetranda, pertinebant. Legatio benigne fuit accepta; & postulatis egregie satisfactum. Considerabant enim, & Pontifex, & Cardinales, gentem barbaram, & ab omni cultu humanitatis abhorrentẽ, non, nisi cęlesti quadam beneficentia, & numinis præsentiśimi dono, atque munere, in tantum pietatis studium excitari potuisse; & iccirco illas Aethiopiæ recentes, post tã multa sæcula, primitias, gratiśimis animis accipiendas esse decreuerunt. Hæc quidem Emmanuel, ad Aethiopiæ

religionem

religionem firmius sanciendam, designauit, atque constituit. Sub idem vero tempus, quo hæc gerebantur, Petrus Menesius, Alcouterẽsis Dynasta, Fernandi Menesii filius, Villæ Regalis Princeps, Septam traiecit, vt illius vrbis imperium teneret, & bellum, vt maiorum vestigia sequeretur, administraret. Interim vero Malacæ res, post Albuquercii ab ea ciuitate digressum non fuerunt adeo tranquillæ, vt non variis bellorum tempestatibus agitarentur. De quibus vt cõmodius agere possimus, necesse erit, prius de insularum quarundam situ, quę in illam bellum comparabant, pauca dicere. Taprobane, quam Zamatram appellant, ita est Aureæ Chersoneso ad Austrum obiecta, vt longius tamẽ in ortum Solis protendatur. Ad Austrum vero, vltra Zamatram insulæ frequentes adiacent. Inter quas ab occasu Zunda magnam vim piperis passim fundit. Ea vero non admodum lato mari a Zamatra disiungitur. Deinde ad ortum Solis progredientibus aliæ duæ insulæ se ostendunt, quarum prima Iaua maior, altera minor, appellatur. Omnes hæ tres insulæ regum imperio continentur. Iauæ vero præcipue sunt fertiles, & opimæ, fruges multiplices, & fructus varios proferũt, & maximam vim pecorum, & armentorum, & equorum, nutriunt. Venatu, & aucupio, mirifice redundant; piperis, & aliorum aromatum, copiam passim efferũt. Mediterranea loca homines dediti simulacris incolunt; qui maritimas oras habitant, maxima ex parte Mahumetanis institutis viuunt. Homines nudi plerumque vmbilico tenus incedunt. Multi tamẽ lautiores vestibus bombycinis, aut gossipinis, amiciuntur. Barbas euellunt; anteriorem capitis partem radunt; reliquam studiose crispant. Nullum integumentum in capite gerunt. Indignum enim hominis præstantia censent, hominis principatum, quem in capite constituunt, ali quo velamento, quasi rem probrosam, tegere. Si quis caput alicuius manu tangit, eam iniuriam armis acerrime persequũtur. Sunt in bello feroces, & intrepide se se in quoduis magnum discrimen iniiciunt. Artibus fabrilibus dediti sunt; arma, tormenta, variaq. telorum genera, singulari opere perficiunt; æs ad quoduis genus instrumenti egregie fundunt. Naues ingẽtes ędificant; astra diligẽter obseruant; & magicas disciplinas incredibili studio colunt. Siluas venãdi studio peragrãt; neque solum canibus, & venabulis, ad apros, atque ceruos, eminus confingendos, verum & accipitribus, ad volucres capiendas, vtuntur. Omnes colorati sunt; mulieres neque deformem faciem, nec obtũsum ingenium, gerunt. Eleganter excoluntur; in saltationibus non mediocrem præ se venustatem ferunt. Curribus inuectæ, cũ viris siluas, & nemora, lustrant, & venatione oblectantur. Homines, Sinarum moribus, & institutis, viuunt, a quibus se originem ducere iactant. In ea insula, quæ Iaua maior appellatur, erat quidam Saracenus, cui nomen erat Pateonuzius, ciuitatis cuiusdam Princeps, quam Iaparam appellant. Ea est in ora maritima, quæ Zamatram spectat, sita. Is, ante quã Albuquercius Malacã caperet fœdus cũ Vtetimutaraja, de pernicie, & interitu, Regis, inierat. Vtetimutaraja nãque se graues a Malacæ Rege iniurias accepisse conquerebatur; quibus offensus, se illũ Pateonuzio proditurũ per litteras asserebat. Pateonuzius, regnandi cupiditate inductus, in eo neruos omnes intendit, vt tantam occasionem minime prętermitteret. Itaque maximam classem ædificare cœpit. Septem, aut octo, annos in hac classe comparanda consumpśit: in quem vero finem id faceret, tanto vtriusque silentio cõpressum fuit, vt ne suspicione quidé vlla quisquã id assequi potuerit. Interim vero multos Malacam, cũ mercibus, submittebat, vt, mercatorũ habitu, & specie, laterent; &, cum opus esset armis, imparatos adorirentur. Hos Vtetimutaraja in vicos suos admittebat: quorum tẽpore, quo Albuquercius Vtetimutaraiam capitali supplicio affecit, erat in ciuitate non mediocris multitudo. Ita latebat hæc in visceribus Reip. pestis, vt nemo, in quanto periculo versaretur, cõiectura prospiceret. Vtetimutaraja de medio sublato, Pateonuzius nihilo secius in eadem mente perseuerabat. Classis erat maxima: is opes ingentes habebat: res Malacæ nõ ita stabilitas esse iudicabat, vt conuelli nõ possent. Itaque, cum trecentis nauibus, & hominum fortium multitudine, Iapara soluit. Fretum igitur, quod inter Iaoas, & Zamatrã, est interiectum, præteruectus, multis terrorem præbuit. Res ad Rodericum Brittium Patalinum, qui, vt dictum est, Malacæ præerat, delata est. Is Andradium in fretum illud continuo cum septem nauibus misit, vt exploraret, quẽ cursum classis illa teneret. At classis, aliud ingressa fretum, quo celerius Malacam perueniret, iam se ex freto, quod appellant Sabam, abduxerat. Andradius, cum nauarchis reliquis, in vrbem redire maturauit. Ibi classis conspecta fuit, quæ multum terroris ciuibus vniuersis incussit. Brittius tamen statuit, per se, cum vniuersa classe, dimicare. Id Andradius indigne admodum tulit. Sibi namque dicebat maritimarum rerum curã, Brittio vrbis custodiam fuisse commissam. Is igitur se arce teneret, & vrbem tueretur; sibi maris tuendi curam relinqueret. Brittius cõtra disserebat, imperium terræ, atque maris, in oris illis ad se pertinere, & iccirco, quidquid ille de rerũ summa statueret, id esse Andradio, sine recusatione, faciendum. Id cum Andradius, se minime passurum, affirmaret, vt dignitate spoliaretur, iurgio certatum est, & verborum aculeis animus vtriusque nõ mediocriter exulceratus exstitit, vsque adeo, vt

Brit-

Res Indicæ. Malacense bellum.

Tbprobane.

Zunda insula.

Iaua maior. & minor.

Iapara, Iauæ Ciuitas.

Pateonuzij in Malacæ Regem conspiratio.

Pateonuzij in Malacenses, & Lusitanos expeditio naualis.

Saba fretũ.

Brittii cũ Andradio contentio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Brittius Andradium in custodiam traderet? Sed, cum primus ille motus animi cõsedisset, Brittius, nocte illa, considerauit, non esse eo tempore talem virum, propter vllas verborũ offensiones, alienandum. Itaque misit ad Andradium, qui animum illius in se placaret, & admoneret, vt nauem conscenderet. Se namque iam illum in classe opperiri, vt victoriæ particeps fieret. Andradius, alienũ a se, in tali discrimine, iniuriæ memoriam conseruare, re putauit. Itaque imperata, sine mora vlla, confecit. Brittius arcis custodiam Ario Pereiræ commisit; ipse in triremem, armis, & munitionibus, instructissimam, ingressus est. Classis erat sedecim nauiũ. Ninachetẽsis præterea, cum mille & quingentis militibus Malacensibus, in minoribus nauigijs, vt litus custodiret, non procul a terra cõcursabat. Orto iam Sole, & hostes, vt in portum subirent, vela dederunt; & nostri, vt cum ijs in alto congredierentur, incitati sunt. Classis hostium, non multitudine tantum nauium, verum ordine, quo instructa ferebatur, non mediocrẽ nostris admirationem commouebat. Nauis, cui Georgius Botellius præerat, erat incredibili celeritate velis. Is, cum classem antecederet, in prætoriam hostium nauem inuehitur. In illum cõtinuo quindecim actuariæ naues inuadunt. Is, neque telo quidem vllo in hostiles naues immisso, in nauem, quam petebat, incurrit. Petrus Faria, vt illi subsidio esset, triremem, cui præerat, remis vehementer incitari præcepit. Ambo igitur prætoriam nauem adoriũtur. Sed ea tanta erat magnitudine, vt puppis castellum, nauis, cui Botellius præerat, carchesiũ altitudine superaret. Eminus igitur eam oppugnare constituunt. Sed tanto erat robore, & crassitudine, vt omnes globos, non minus, quam si esset e silice facta, repelleret. Cũ igitur Botellius, & Faria, perspicerent, a se tẽpus frustra conteri, & hostes illos circumuenire parare nt, se cadẽ celeritate, qua venerant, in classem receperunt. Tempus fuit in pugna velitatione non dissimili eo die consumptũ. Hostes enim ón in alto pugnare volebãt, sed, vt ad vrbẽ accederent, contendebant, vt motus excirent, & vrbem, si possent, integris viribus occuparent. Nostri, rursus, ne ab hostibus circumuenirentur, congressum in alto formidare cœperunt. Hostes, tandem, vt volebant; cũ iam Sol occidisset, in vrbis conspectu, prope terram, anchoras demisere. Nostri similiter ita classem in ora constituerunt, vt minimo interuallo a terra distungeretur. Ea nocte Brittius consilium habuit de ratione, qua prælium postridie esset incundum. Omnes autem nauarchi illum obtestari cœperunt, ne prælio interesset. Si vincimur, inquiunt, & tu ex arce poteris hostibus repugnare, & acceptum incommodum resarcire. Præterea, fidẽ tuebere: non enim, vt mari periculum, cũ maxima perniçie ciuitatis, adires, sed vt arcem ab hostium oppugnatione defenderes, fidem tuam, conceptis verbis, adstrinxisti. His coactus sermonibus, in arcẽ rediit, & Andradius in administrandi belli curam vehementer incubuit. At Saraceni Ioenses, qui in vrbe versabãtur, eadem nocte ad Pateonuzium venere, consiliumq. dedere, ne cum classe nostra cõsligeret. Fieri namque posse, vt, auxilio a Rege Bintami accersito, classem nostram, sine vllo periculo circumuentam, opprimeret, & tum demum arcem obsidert, quam fame facillime intra paucos dies in deditionem acciperet. Interim vero in Muaris fluẽta classem subduceret. Consilium placuit. Itaque prima luce anchoras moliri, & vela pãdere, iussit. Id Andradius cum animaduerteret, neque tamen, quorsum id pertineret, suspicaretur, scapha inuectus, omnes classis naues circumiit, & duces admonuit, vt, velis passis, ordine minime confuso, in hostes inuecherentur, ita tamẽ, vt nemo cominus pugnam cum hoste capesseret, sed eminus classem hostiũ crebris tormentorum ictibus verberarent, & faces etiam in naues inijcerẽt. Id omnes impigre facessunt. Quod Pateonuzius conspicatus, omnia suæ nauis vela continuo pandi iussit, &, vt omnes idem facerent, imperauit. Id imperium strenui Ducis omnes exanimauit. Existimarunt enim, illum, rebus suis diffidentem, nõ de proelio committendo, sed de fuga facienda, cogitare. Itaque se confestim in fugam dant; nostri eos insequuntur. Naues multas, tormentorũ ictibus, deprimunt, complures etiam vulnerant, & ignem in naues alias coniiciunt. Cum vero incendium esset in multis locis incitatum, hostes se in mare, exterriti flammis, demittunt; qui quidem, partim hausti fluctibus, partim concisi vulneribus, interierunt. Nostri enim, minoribus nauibus inuecti, eos natantes interimebant. At Andradius, cum cerneret hostes ita perturbatos, vt, si eo die, ante quam illi a metu reficerentur, in eis persequẽdis insisteret, bellum profligari posset, & vereretur, ne, propter pilarum, & munitionum, penuriam, incepto desistere cogeretur, ad Brittium misit, qui peteret, vt vim tormentarii pulueris, atque pilarum, in classem conuehi repente iuberet. Quod quidem factum diligẽtissime fuit. At Pateonuzius, cum classis suæ magnam partem dissipatam cerneret, quatuor naues maximas ita cum sua coniunxit, vt, cum binæ vtrimque consisterent, ipse medium locum tueretur. In eas, quod roboris erat exercitus, traduci iussit. Reliquas deinde, quæ integrę restabant, in ordinem cogi, & inter se coniungi, præcepit, vt ita facilius nostrorum impetum a se reprimerent. Statuit deinde, vt reliquæ naues eas quinque, quæ in in mari munitissimę arcis instar haberẽ videbantur, circumirent, &, quoties vrgerentur, in illud firmissimum, vt existimabat, pugnæ illius propugnaculum se reciperent, vnde rursus

Classis Lusitana.

Pugna naualis.

Luſitanorum de belli ratione cõsultatio

Saracenorum militare consilium.

Hostium fugæ, & clades.

Infaustũ Pateonuzii incẽptum.

sus possent in nostros erumpere. Hoc tamen, quod Pateonuzius existimauit sibi salutem allaturum, exitio fuit. Primum enim, reliquę naues, fortium hominum robore nudatæ, periculum arcere minime poterant. Præterea, cũ se artissime coniunxissent, necesse erat, vt nullum frustra telum in eas emissum accideret. Prœlio commisso, naues hostiles partim depressæ, partim vulneratæ, & mutilatæ, partim in fugam conuersæ sunt. Eoq. deuentum est, vt, classe hostium deminuta, iam nostri audacius reliquis appropinquarẽt, vt cominus hostes aggrederentur. Nauarchus quidã, nomine Martinus Guedius, postquã naues aliquot demersit, in nauem maiorem inuectus est; in eamq. violenter ingressus, hostes partim cæcidit, partim in mare præcipites exturbauit. Similiter Ioannes Lupius Albinjus in aliam nauẽ irrupit, hostiumq. præsidio nudauit. Hæ duæ naues incensæ cõfestim fuere. Reliqui nauarchi, cum pro se quisque, quantum poterat, acerrime decertaret, stragem maximam edidẽrũt. Solæ quinque illæ naues restabant, quæ, secundũ ventum nactę, passis velis fugere properabant. Andradius, vt tutius posset in Pateonuzii nauẽ incurrere, aliquot delectos milites ex nauibus aliis in suam traduxit. Deinde, cum in prætoriam Pateonuzii nauem inciderat, eam consequi non potuit. In quã igitur primum impetum ferre potuit, eam iectis manibus ferreis alligauit. Ea vero nauis vehebatur Temungamus, vir, opibus, & virtutis existimatione, clarus, qui, secundum Pateonuzium, in classe principatum obtinebat. In eius nauem Andradius perlatus irrupit. Frãciscus vero Melius, per proram ingressus, in hostes similiter irruit. Temungamus filium sororis suæ ducebat, virum valde strenuum, nauis etiam altissimæ nauarchum, qui, vt auunculo opem afferret, in Andradij nauem incurrit, in eamq. repente desiluit. Nemo enim illũ aditu arcere potuit, eo quod Andradius in Temungami naue dimicabat. At iuuenis, per Andradii nauem in nauem auũculi celeriter ingressus, suis subsidio fortiter occurrit. Prœlium fuit atrocius, quam suspicari quisquã fore, in re iam inclinata, potuisset. Hostes erant plures numero, & desperatio animos illis faciebat; neque tam vt mortem fugerent, quam vt non inulti caderent, acerrime pugnabant. Georgius Botellius interim, in nauem, cuius erat nauarchus Temũgami nepos, inuehitur; in eamq. conscendens, cum hostibus, qui eam tuebãtur, periculosum certamen iniit. Verũ hostes tandẽ vel cæsi, vel in mare deiecti sunt, & nauis incensa. Similiter & nauis, in quam Andradius, & Franciscus Melius, ingressi fuerant, hostibus cæsis inflammata fuit. Ninachetuensis, & Tuamus Mahumetes, qui naui, quã Iuncum nominant, præerat, ea die hominum fortium decus adepti sunt. Reliqua erat Pateonuzii nauis, cum duabus aliis: in eas Andradius inuectus, tormentis eminus eas quatere instituit. Nam, cum essent altissimę, & homines, qui eam tuebantur, acerrimi, non erat, cur sine caussa cum obstinatis in adscensu difficillimo certamen iniretur. Cum autem nostri, sine intermissione, naues hostiles verberarent, armamenta dissiparunt, & castella disturbarunt; latera, propter robur nauium, integra permanserunt. Prœlium, cum a prima luce initium cepisset, ad noctem protractum fuit. Cum vero noctis caligo tam densa fuisset, vt omnem adspectũ adimeret, Andradius anchoras iecit, ea mente, vt, vbi primum diluxisset, hostes rursus, qui, propter tenebras, inde moueri non poterant, aggrederetur. Sed tẽpestas, subito coorta, cum tonitruis, & ingenti procella, classem dissiecit; & naues summum discrimen adierũt. Parum enim abfuit, quin inter se colliderentur, vel allisæ vadis frangerentur. Tempestate sedata, cum diluxisset, Botellius, & Mahumetes, animaduertunt, se prope Pateonuziũ constitutos. Itaque prœlium instaurant; duas hostium naues supprimunt; Pateonuzii tantum nauis illa restabat, quæ globos, vt diximus, a se repellebat. Botellius tamen tãdiu in eo certamine perseuerauit, vt eum tormentarius puluis, atque pilę deficerent. Nauis autem suę celeritate fretus, vrbem petiit, vt rursus, cum munitionibus, ad idem certamen rediret. Classem vero quassatam, & quasdam naues afflictas, ex tempestate reperit. Nihilominus tamen, rebus necessariis instructus, reuersus est. Sed Pateonuzius, ventum secundum nactus, se fuga in Iaoam proripuerat. In hoc prœlio Pateonuzius nouem & quinquaginta naues maximas, ex iis, quas appellant Iuncos, amisit. Sexaginta in prœlium adduxerat, vna tantum ex illis euaserat. Longarum vero nauium, & celocium, quæ vel incensæ, vel depressæ sunt, ingens multitudo fuit. Supra octo millia hominum vel cæsa, vel incendio cõsumpta sunt. E nostris triginta desiderati sũt, vulnerati quamplurimi. Andradius, & nauarchi reliqui, cum maxima ciuium admiratione, (fuerat enim prœlium, omnium, quæ viderant, aut audierant, acerrimum) in vrbem ingressi sunt. Andradius, hoc bello confecto, in citeriorem Indiam vela dedit. Post illius discessum, parum abfuit, quin vrbs ab hostibus caperetur. Saracenus enim quidam, nomine Tuamus Maxilizius, e Bengala oriundus, vir ad fraudes concinnandas aptissimus, a Mahumete, Bintami Rege, maximis prẽmiis inuitatus fuerat, vt, quacumque arte posset, arcem Malacensem proderet. Is summam, ob eã caussam, cum Petro Persona familiaritatem contraxerat. Petrus autem Persona Regia negotia procurabat. Vectigalibus enim præerat. Maxelizius ad se alios Saracenos adsciuerat, quibus negotium dedit, vt, cum Petrum Personã occisum cernerent, continuo arcẽ, armati,

Prœlium nauale.

Hostium strages.

Atrox cũ Temũgamo pugna.

Duę hostium naues incẽsę.

Redintegratumpostridie prœlium.

Pateonuziifuga.

Hostium ingens clades.

Eximia Luſitanorum victoria.

Arcis Malacẽsis fruſtrapraeditio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ingrederentur, vt eam arcis partem, in qua Persona morabatur, quæ erat munitissima, armis occuparent, eamq. tantisper tuerẽtur, dum subsidia Bintamensis Regis, quæ ad eam rem expedita in insidiis collocata fuerant, adueniret. Nec enim dubitabat, quin in eo tumultu complures, qui Lusitanos oderãt, se socios sceleris einsdem prẽberent. Rebus ita cõparatis, cum Maxelizius a Persona fuisset, vt solebat, familiariter admissus, & Persona, post colloquium scripturæ operam daret, Maxelizius in illum incautum inuasit, mortiferumq. ei vulnus imposuit. Persona, cum se letali vulnere percussum cerneret, & proditionem meditaretur, ad ostium repente confugit, vt id, inducto vecte, clauderet, ne reliqui hostes in eam partem ingredi possent: quod, Maxelizio repugnante, cum extremum spiritum ederet, summa virtute confecit. Hostes accelerant; tumultus exoritur. Nostri, re inopinata perturbati, festinanter accurrunt; hostes, foribus obductis, exclusos animaduertunt; in eos impetum faciunt; & acriter resistentes interimunt. Deinde, foribus conuulsis, in Maxelizium inuehũtur; qui, antequam occideretur, fortissime, sine vllo fructu, dimicauit. Horum cæde fraus compressa est; & Bintami Rex pacem petiit; quæ, cõdicionibus æquis, (sic enim tempora ferebant) illi concessa fuit. Ad hunc modum pax Malacæ constituta, aliquot annis inuiolata permansit.

Iusta proditoris Maxelizii cædes.

HIERO-

HIERONYMI OSORII LVSITANI DE REBVS EMMANVELIS REGIS LVSITANIAE INVICTISSIMI VIRTVTE ET AVSPICIO GESTIS LIBER NONVS.

Albuquercii in Arabas expeditio.

DVM hęc in vlteriore India gerebantur, Albuquercius in citeriore magnam classem comparabat. Goę autem Petrum Mascaregnam præposuit; maritimarum rerũ curam Ioanni Machiado commisit; Rodericum Pereiram castello Benastarinensi præesse iussit. Classis erat viginti nauium. Ducebat autem secũ mille & septingẽtos milites Lusitanos, & mille Indos. Xviii. die Februarii, Anno salutis MDXIII. Goa soluit. Cum vero ab ora longissime disiunctus esset, & ea causa plures dies, quam existi mauerat, nauigando consumpsisset, ad Zacotoram, aquandi gratia, classem appulit. Inde in Arabiæ ciuitatem munitissimam, quæ Adena appellatur, cursum instituit. Ea est in radicibus montis editi, qui in mare lingula procurrit, sita, & vtrimque, fluctibus in sinus reductis, alluitur, ita, vt pæninsula fiat. Mons est adeo sterilis, vt nec arbores vllas, neque plantas, efferat, nempe qui sit saxosus, & præruptis rupibus in altum promineat. Aquis caret; raro admodum pluuijs irrigatur. Ex longinquo pago, aqua, per aquæ ductum, in locum, qui ab vrbe quattuor millibus passuũ distat, deriuatur. Ea vrbis aquatio est. Annona, & cibariis importatis vtitur, quorum tamẽ est incredibilis copia. Est cincta muris, munita turribus, exculta mœnibus, & ad aspectum pulcherrima. In illam mercatores e Perside, & India, & Aethiopia, & ex multis Arabiæ regionibus, sæpe commeant. Incolæ Mahumetem colunt: colore candido, & specie liberali, sunt. Homines nobiles armis exercentur, & militaris gloriæ decus ardenter expetunt. Rex alias ciuitates in mediterranea regione possidet, & milites non paucos stipendiis alit; & e suis tantum subditis in prœlium, cum opus est, duo millia equitum educit. Vrbi vero illi moderatorem, cuius virtuti multum confidit, præponere solet. Aethiops quidam, vir animi maximi, cui nomẽ erat Miramiriamus, hoc tũ munus obibat, cum ad eam Albuquercius classem applicuit. Eam vero ciuitatẽ Albuquercius capere cupiebat, vt inde Arabiam infestam redderet; & exitus classiũ, quibus Aegyptii primum, nũc vero Turcę, Indiæ minitãtur, intercluderet. Inde enim Arabici sinus ostium centũ & viginti millibus passuũ distat, ita, vt sit, intra diem vnum, facillimum, ipsas fauces, cum opus fuerit, paucis nauibus occupare. Præterea, non arduũ munus esse videbatur, inde in ciuitatẽ Heroum, quam Suez nũc appellant, vbi classes ędificari solẽt, minoribus nauigiis inuehi, & naualia flammis exurere. Quo facto, putabat Albuquercius, Indiæ imperiũ, si ita de rebus humanis loqui licet, fore sempiternũ. Verum eam oppugnationẽ infeliciter aggressus est. Primum enim, eã occasionem, quam, rumore omnium persuasus, sibi oblatã crediderat, minime nactus est. Ciuitatem enim valde munitã, & a nomine Lusitano satis alienã, reperit. Deinde, Lusitani, solitę disciplinę prorsus immemores, caussã odii acerbioris hostibus attulerunt. Res autem ad hũc modum euenit. Classis anchoris firmata, quãuis naues salo iactarentur, tandẽ constitit. Miramiriamus, vrbis præfectus, cum primum tẽpestas sedata fuit, ad Albuquercium nuntium misit, qui de illo quereret, quo animo ad illius vrbis portũ, classem appulisset. Respondit Albuquercius, se litteris, & multorũ sermonibus accepisse, Sultani classem in Arabico sinu cõparatam esse, vt Lusitanos oppugnaret. Se vero, vt homines tam longinquæ nauigationis labore leuaret, eo cursum direxisse, vt, cum ea classe, in Arabico mari congrederetur. Quod vero ad vrbem eã attineret, se non bellum, sed pacem, afferre, ea tamen lege, vt imperiũ Regis Emmanuelis acciperent, sub cuius tutela, atque patrocinio, multo felicius, quam antea, ætatem degere possent. Miramiriamus illi continuo munera satis large misit, ea nempe, quę ad classis commeatum pertinebant, & si-

Miramiriamus Adenæ præfectus.

Heroum ciuitas, nũc Suez

Adena vrbis, infeliciter oppugnata, & quare.

Miramiriami ad Albuquercium legatio, & ficta beneuolentia

Anno a christo nato 1513

Adenæ Felicis Arabiæ vrbis, descriptio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gnificauit,se Emmanuelis, Regis clarissimi, imperium libenter accepturum. In portu triginta naues in anchoris consistebant. Mercatores,& magistri,cum vectoribus, nostræ classis metu,se in vrbem receperant. Ad hos Albuquercius misit,qui diceret,vt nullũ ab eo malum metuerent,& ad naues suas redirent. Illi respondent,verba cum factis minime consentire. Lusitanos enim in eorum naues inuasisse,& nullo iure,quod eis libitũ fuisset, eripuisse,& abstulisse. Litteras deinde accepit a Miramiriamo, quibus cum illo de iniuria sibi illata grauiter expostulabat,quod mercatores illos admonuisset,vt ex vrbe discederent,vt, eorum digressu, vrbs minore præsidio muniretur. Illud enim non esse hominis,qui pacem dare vellet, sed qui bellum nefarium moliretur. His litteris Albuquercius intellexit, animum præfecti esse Lusitanis rebus infestum, quãuis id in principio dissimularet. Interim Aethiops Christianus, qui captiuus in ea vrbe detinebatur, aufugit, & nando in classem peruenit, qui nuntiauit Albuquercio, præfectum auxilia conduxisse,magnoq. studio omnia,quæ ad vrbis defensionem necessaria videbantur,comparasse. Is,cum hoc accepisset,in terram copias exposuit, & castra locauit, vt vrbem oppugnaret. Cum igitur nostri tormẽtis mœnia propugnatoribus multis in partibus nudarent,scalas muris admouerunt. Eamque ea die cepissent,si ordine,& disciplina,res gesta fuisset. Sed, cũ quilibet in eo pugnaret, vt vel primus,vel cum primis,in muros inuaderet,& multi simul per vnam scalam scandere properarent,tanta perturbatio ordinis exstitit, vt nullius imperio contineri militaris insolentia posset. Itaque scalæ hominum pondere perfractæ sunt. Eo tempore iam centum & quinquaginta Lusitani in muros adscenderant, in quibus multi viri nobiles exstitere. Garsia Sousa, cuius etiam scalæ confractæ fuerant,e pinna pendẽs, se in terram demiserat. Is,vbi animaduertit,eos,qui tã ferociter primum in muros inuaserant, casu perterritos, nolle rursus aliis scalis adscendere,suos in vrbis quandam partem duxit, vbi murus erat humilior. In murum igitur subiit,& turrim,in qua tormenta locata fuerant,occupauit. Eo confestim Albuquercius se contulit, & muri partem,antea pertusam,in qua tormenta fuerant dispositа,subruere iussit. Signifer Emmanuelis Lacerdæ continuo per eundem locum in vrbem penetrauit: illum sacerdos, Crucis signum præferens,subsecutus est,& multi viri fortes continuo subiere. Miramiriamus,vt eorum impetum reprimeret, ad eam partem, equo inuectus,accelerauit. Georgius Silueira in muro cum aliis acre prœlium ciebat. Ea parte,cum murus esset introrsus humilior,& Saracenus,secundum murum, vt iis, qui iam in vrbem ingredi parabant,obsisteret, gradũ inferret, haltã ex illius manibus extorsit. hoc tantum dedecus minime ferens Silueira,ense districto, e muro desiluit, vt in hostem inuaderet. Ibi,cum illi nemo opem afferret,interfectus repente fuit. Miramiriamus autẽ eos, qui per muri partem pertusam ingressi fuerant,maxima contentione repellebat. Nostri eo se tunc receperunt, quo se Garsia Sousa cõtulerat. Eo iam tempore multi e nostris ceciderant; complures vulnerati grauissime fuerant; & desperatio iam omnium animos occuparat. Hostes,ad turrim,in eam partem, qua Garsia Sousa consistebat, impetum tulerunt. Res cominus hastis, summa partis vtriusque pertinacia,gerebatur. Albuquercius, in litore,in quod turris illa prominebat, cũ magno animi cruciatu,periculum suorum,cui remedium afferre non poterat,spectabat. Sousa illum interrogauit,quid se facere vellet. Albuquercius funes iis, qui in turri decertabant, præberi iussit, vt per illos se e turri demitterent. Ea parte murus erat altissimus,ita, vt necesse fuerit duarum hastarũ lõgitudine,vt funes possent nostris exhiberi. Sousa indignũ genere suo,& indignũ rebus a se gestis,esse dixit,per funes,ex eo loco, in quẽ virtute cõsẽderat, vlla formidine demitti. Idẽ multi, qui cum eo tunc erant,arbitrati sunt. Itaque tanto animo repugnabant,vt hostes eorum congressum valde formidarent. Sed,cum alii lapidibus contusi, alii missilibus confixi ceciderint, Sousa sagitta secundum frontem vulneratus occubuit; reliqui,per funes demissi,periculum effugerunt. Qui vero in vrbẽ fuerant ingressi,fortissime dimicabant. Sed, cum viderent,se frustra contendere,se rursus in muros receperunt,& per scalas,quas Emmanuel Lacerda,& Ioannes Decius,muris, eorũ gratia,applicari iusserant,descenderunt. Quidã, cum se saltu deiicerent,crura perfregere. Albuquercius, postquã omnes, qui muros subierant,& euaserant,recepti sunt, in classem reuersus est. Erat parua quædã insula muris obiecta; inde classi turris imminebat,e qua crebro pilæ iaciebantur, quibus haud mediocre damnũ nostris inferebatur. Albuquercius Duces in cõsil ũ euocauit,vt de rõne,qua turrim illam exscinderet,deliberarẽt. Interim, illius iniussu, magister nauis,cui Lacerda præerat, qui Aluarus Marreirus appellabatur, nautarũ manu comparata, in terrã desiluit,turrim expugnauit, hostes cæcidit, & viginti septem ferrea tormenta in classem trãstulit,tanta celeritate, vt, antequam consiliũ explicaretur, hæc omnia confecta fuerint. Albuquercius,cũ animaduerteret,vrbẽ,sine graui suorum damno,expugnari nõ posse,& suspicaretur sibi esse cum Sultani classe confligendum, & periculosum arbitraretur,viribus in ea oppugnatione fractis,& debilitatis,prœlium,quod instabat,inire; & præterea metueret,ne nauigandi opportunitas,dum sine magno fructu in ea contentione tempus terit,effluęret, naues in altum

Miramiriamni de Lusitanis querela.

Adenæ oppugnatio.

Sousæ magnanimitas.

Lusitanorum repulsa.

Turris a Lusitanis expugnata.

Obsidio Adenæ soluta.

altum deducere iubet. Prius tamen, quam id fieret,naues hostium, quæ erant in portu, diripere,& incendere,iussit. Inde digressus,per ostium sinus Arabici in intimum sinum penetrauit. In insulam deinde,nomine Camaram, delatus est, circiter quattuor passuum millia ab ora Arabiæ disiunctam. Insula multas,atque perennes,aquas habet; siluis densissimis vestita est; & multis pecorum gregibus abundat. Incolæ, classis metu perterriti, in continentem traiecerant. Ibi septem dies in aquatione, & cibarijs vndique comparandis consumpti sunt. Ciuitatem deinde,quæ in Arabię ora sita est,nomine Iudam,petiit; sed,aduersa tempestate iactatus, in Camaram rursus rediit. Vbi,gentibus iam benignitatis specie conciliatis,hiemare,& naues reficere,constituit. Appetente vere, cum nonnullus classis rumor exsisteret, in Indiam redire maturauit. Adenam tamen inuectus,experiri voluit, an eam ciuitatẽ sine graui damno expugnare posset. Sed ea erat tunc multo fortius contra omnes hostium impetus munita. E muris, & turribus,& e montis etiam cliuo,ingentes, atque densi, globi iaciebantur. Nostri vicissim crebro muros,& mœnia, quatiebant, & multos occidebant. Turris, quam Marreirus ceperat,fuit iterum capta;& milites,qui eam tuebantur,occisi. Post quindecim dies, (ante namque,propter aduersam tempestatem,fieri non poterat) Albuquercius cum classe discessit. Sic factum est, vt, nulla re memorabili in eo cursu gesta, Dium classem appelleret. Melichiazius illum multis muneribus ad se alicere tentauit. Non tamen ita, vt Albuquercio valde confideret. Erat enim summa calliditate,& industria, præditus,& ex fraude, & mendacio,compositus;&,cum ex ingenio suo reliquos omnes fingeret,tum vero Albuquercium valde suspectũ habebat. Nouerat enim hominis ingenium; & astutiam illius metuebat; neque eum latebat, quanta cupiditate Albuquercius flagraret vrbis illius vel arte capiendæ,vel viribus expugnandæ. Albuquercius, post sex dies, inde soluit. Illum Melichiazius, cum nauigijs octoginta bene instructis,consequitur; in alto, cum ad nauem prætoriam, accepta prius ab Albuquercio fide, propius accederet, fictis verbis omnes opes suas fuit Albuquercio pollicitus. qui tamen, ne ea calliditate vinceretur, omnia se illius gratia facturum, confirmauit. Quattuor præterea Arabes captiuos (quinque enim naues Arabum in eo cursu ceperat) illi dono dedit. Fuit munus hoc Melichiazio valde gratum. Erant namque Arabes opibus, & existimatione, Principes. Melichiazius, ob eam caussam, præclarum sibi ad laudem fore putabat,si homines,ea dignitate præditi,per illum libertatem recuperarent. Albuquercius ita deinde oram illam prętereuectus est,vt omnes ciuitatum Principes summis illum honoribus prosequerentur, & ei tributa, sine vlla recusatione,persoluerent. Cum vero in Chalensi portu constitisset, Tristanum Gaam, qui fuerat ad Cambaiæ Regem missus, offendit. Is litteras afferebat, quibus Rex potestatem Albuquercio faciebat in Diensi ciuitate arcis ædificandæ. Vt autem magis amicitiam firmaret cum Tristano Gaa, legatum ad Albuquercium miserat. Inde profectus Albuquercius,ante quam Goam appelleret,aliam nauem, multis aromatibus onustam, cepit. Classis vero illa, tantis opibus, & industria, comparata,quæ,vel propter imperatoris nomen, vel propter virtutem militum, maximam sui expectationem concitarat, & multis nationibus ingentem terrorem iniecerat, hunc solum fructum tulit, vt animos, successibus elatos, sibiq. nimium præsidentes, ab ea temeritate,& insolentia, ad modestiæ studium reuocaret. Tum enim demum se vinci posse intelligere potuerunt, & partas victorias non fuisse illorum viribus, sed clementiæ Diuinæ, tribuendas. Classis enim, nulla re memorabili,vt diximus, gesta, cum non mediocri fortium hominum iactura, Goam reuersa est. Albuquercius,duas naues ex illis, quas ceperat,cum intellexisset Regis Calecutiensis esse,cum quo fœdus egerat,sine mora restituit. Arcis tamen fundamenta,quæ ex fœdere erat in Calecutiensi portu ędificanda, nondum iacta fuerant. Opus enim, partim in sita Regis malignitate, partim Lusitanorum quorundam inuidia,qui perpetuo querebantur, cum magna Lusitanorum pernicie tam multas arces ab homine temerario, & insano, fundari, fuerat impeditum. Hic a Fernando Petreio Andradio, qui tunc aduenit, de Malacensi statu, & de victoria parta, certior factus est: ex quo nuntio plurimum voluptatis accepit. Sub id tempus Ioannes Sousa Limicus, cum duabus nauibus, Goam aduectus est. Cum tribus enim Olyssippone soluerat; sed vna ex illis, cuius nauarchus Francisćus Correa fuerat,naufragio perierat. Eo legatus Regis Narsinguæ ad Albuquercium, cum nouis postulatis, aduenit. Petebat enim, vt omnes equi, qui Goam post eam diem adueherentur, illi, certo, & æquabili pretio, venirent; & Zabaimo Idalcamo potestas aliquam eorum partem emendi minime fieret. Hoc, ne fœdus cum Idalcamo factum violaretur, ab Albuquercio impetrari non potuit. Interim Rex Calecutii tempestiua morte sublatus est. Naubeadarimus autem, qui rebus Lusitanis studebat, illi succesit. Pax igitur fuit tunc optima fide,& summa vtriusque partis voluntate, confirmata. Condiciones pacis fuerunt vtilissimæ; & arx ædificari cœpta est;duoq. legati ad Regem Emmanuelem, cũ multis muneribus,ab eodem Naubeadarimo missi. Rebus ad hunc modum constitutis, Albuquercius Cananorem contendit,vt Remp.

Camara insula.

Iuda, Arabiæ ciuitas.

Altera Adenæ oppugnatio.

Melichiazii ficta erga Albuquercium beneuolentia

Cambaię Regis ad Albuquercium tũ litterę, tum legatio de pace.

Expeditionis arabicę fructus.

Ioannis Limici in Indiam aduentus.

Narsingensis ad Albuquercium legatio

Calecutii regis mors.

Pax cum Calecutiensibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

certorum hominum temeritate perturbatã constitueret,& incolarum voluntates alienatas insita benignitate,& æquitate, recuperaret. Dum hæc Albuquercius gerebat, fuit illius animo, viri cuiusdam malignitate,nõ mediocre vulnus inflictum. Gaspar Pereira, secretorum scriba,magnam auctoritatem, gratia muneris huius,habebat. Is cum Albuquercii hostibus societatem inierat, perpetuoq. illius laudibus obtrectabat. Ad Regem vero Emmanuelem scripserat,Goam esse illi,si Indiam firmo præsidio tueri vellet, omnino deserendam. Non posse vrbem illam fine maximis præsidiis defendi. Maris interim imperium deseri,& homines Iusitanos, vrbis mœnibus incluſos, multis periculis exponi. Hæc inuidi, siue sermone quotidiano cum multis, siue oratione composita cum Rege,in Lusitania perpetuo disputabant. Cum igitur Regis aures obtunderent, eo illum adduxerunt, vt litteris iuberet in India consilium de ea re ab omnibus ducibus,& primarijs hominibus, haberi: Et,si maiori parti videretur,vrbem continuo præsidio nudarent, & in hostium potestate relinquerent. His litteris Pereira incredibiliter exultabat. Consilium habitum est: &,cum in vtramque partem sententiæ dicerẽtur, vicit tandem ea sententia,quam Diuinũ numen præsentia sua cõprobauit. Nulla enim est Indiæ pars,vel quæ plures opes possideat, vel in qua Christi nomen clarius cum mirare ligionis amplificatione celebretur. Dum hæc in India fiebant, Rex Emmanuel maximam classem belli, renouandi gratia, comparauit. Quo modo Zeiami sermonibus inductus Emmanuel, Ioannem Menesium Azamorem cum exercitu misit,& Zeiamus ipse fidẽ, quam dederat,violauit,ita,vt vrbs eo tempore capi minime posset, ante dictum est. Zeiamus deinde, cum ciuitatis tyrannidem occuparet,& ciuibus infestus esset,vt opes suas Regis Emmanuelis præsidio firmaret, pacem cũ illo postea iunxit,illis condicionibus,quę Lusitanis vtiles,& illi salutares,esse videbantur. Is enim,certum tributum se soluturum,& omnibus Lusitanis,qui in ea ciuitate negotiarentur,immunitatem daturum, &, quoties Rex bellum hostibus inferre vellet, auxilium allaturum,promittebat; & Rex,vicissim,cum in fidem,& clientelam, recipiebat, vt ab eo hostium vim,si bellum aliquod contra illum moueretur,viribus,& potentia sua, propulsaret. Eam tamen pacem Zeiamus minime seruauit;& Lusitani,qui in vrbe negotiabantur, offensi illius perfidia, inde continuo semigrarũt; & Rex, vt in scelus hominis fallacissimi vindicaret, & vrbem satis opulentam in ditionem suam redigeret, classem eam instruxit, qua fortasse numquam in Lusitania maior visa fuerat.Ea namque quadringentas naues omnis generis cõtinebat. Exercitus erat circiter viginti millia peditum, & duo millia & septingenti equites, e quibus quingenti erant cataphracti. Hunc exercitũ Iacobo Brigantino,Duci, cuius prudentiæ multum confidebat,commisit. Ioannes Menesius vt secundam post illum auctoritatem haberet, imperauit.Maxima nobilitatis pars,& multi præterea viri Principes, vt Regis imperium sequerentur,& decus sibi pararent, nomina libentissime dederunt. Ipse Dux,suis sumptibus,tria peditum millia, & quingentos equites,ex quibus centum erant cataphracti, ducebat;cum quibus numerus, quem diximus, efficiebatur. Multi propriis sumptibus milites educebant, inter quos Ioannes Gundissalui us Camara, insulæ, quam appellant Materiæ,præfectus,viginti naues,& pedites sexcẽtos,& equites ducentos agebat. Rex Emmanuel Ducem admonuit,vt hostes virtute, nobiles comitate, reliquos disciplina, sibi obedientes esse compelleret; & vt exspectationi, quam de se concitarat,respondere rerum gestarum magnitudine niteretur; potissimamque victoriæ spem in Christi numine propitio collocaret. Decimo & septimo tandem die mensis Augusti, Dux Olysippone soluit. Cum tarde autem nauigaret,(nec enim ventus erat valde secundus) non tam cito, quam fore crediderat,sacrum promontorium superauit, &,Algarbii Regnum præteruectus, in Pharonensi portu, qui non multum ab Ossonoba,antiqua ciuitate,distat, classem constituit,vt copiarũ partẽ colligeret. Vigesimo autẽ Augusti die inde soluit,& vigesimo octauo classẽ incolumẽ cũ exercitu vniuerso in Azamoris ora collocauit. In fluuiũ vero,qui Azamorẽ præterfluit, eo quod vetus aduersus esset, penetrare non potuit. Iccirco Mazaganum, quod opidũ Azamore duobus millibus passuum abest,petiit,& in eo loco copias omnes exposuit.Ibi tres dies in rebus omnibus, quæ ad obsidionem necessariæ videbantur,parandis consumpsit. Hostes tamen incursabãt, & tumultum in castris interdum faciebant: &,si quos extra ordinem ferri conspexerant; interimebant. Ducesq. tandem eximii, cum quinque millibus equitum,& septem millibus peditum,aduenere,vt manum conserrent. Cum tamen castrorũ situm, & exercitus magnitudinem, & militiæ disciplinam, animaduerterent,in ciuitatem reuersi, ciues suos nõ mediocri metu perturbarunt.Itaque cõtinuo mulieres,& paruulos, & omnem gentem imbellẽ,& opes,quas habebant, &pretiosam supellectilem,ex vrbe deportarũt,& in locis tutissimis posuerunt;neque quisquã in vrbe remansit,præter eos, qui erãt vrbem defensuri. Operæpretiũ tamen erit, aliquid interim de vrbis huius situ,& de opibus,& potentia,dicere.In ea Africæ parte, quæ ad occasum Solis, extra fretum Gaditanum, & Austrum,inflectitur, est prouincia valde fertilis, & opima, quã Arabes appellant Duecalam. Per eã regionem

Caparis Pereiræ in Albuquercium indignum facinus.

Res Africanę

Zeiami cum Emmanuele fœdus.

Zeiami perfidia.

Emmanuelis in Zeiamum apparatus bellicus.

Classis Lusitana Olysippone soluit.

Ossonoba vrbs.

Mazagani opidi obsidio.

Mazagani descriptio.

Aduecala regio.

gionem ingẽs fluuius illabitur, quem Arabes appellant Omirabih:multi Asamam esse credunt. Ad huius fluuij ripas,non procul a mari vrbs hæc sita est;quæ quidem,murorum ambitu, supra quinque millia domorum continebat. Gens erat lauta;ædes amplæ,& magnifice multis in locis exstructæ. Fuit autẽ in quatuor partes distributa, quarum quælibet suũ rectorem habebat,ita tamen,vt,eo quod omnes vnum summum imperium agnoscerent, nulla inter eos dissensio,aut tumultus, exsisteret.A ger est latissimus,cuius maximam partem rusticani Arabes colunt; qui, propterea quod a luxu ciuium plurimum absunt, multo fortiores vrbanis existimantur. Ij ædes nullas habent, sed in tentorijs latissimis vitam degunt. tenuissimo victu contenti sunt,& armis frequenter exercentur. Erat autem hæc prouincia in tres partes distributa. Quamlibet autem nomen a certo genere Arabum, qui primi eam,colonis eiectis,occuparũt,nomen traxisse ferunt.Vna Xerquia,altera Dabida,tertia Garabia nominabatur. Quælibet deinde in tribus erat diuisa; quælibet autem tribus,pro gentis multitudine, tentoria in distincto loco ponebat,& peculiarem ducem habebat: quo tamen omnes cum essent inter se fœdere consociati, mutuam sibi opem, cum opus erat,afferebant. Ex his rusticanorũ turmis, facillimum Azamorensibus erat, maximam equitum,& peditum,multitudinem congregare. Sed,vt ad bellum reuertamur,Iacobus,Kalendis Septembris,Azamorem versus, exercitum instructum mouit.Petrum vero Alfonsum Aquilarem(is rebus maritimis præerat)minoribus nauibus tormenta,& munitiones, importare, fluuiumq. subire, iussit. Et, quia hostes moles maximas, & machinationes ingentes, pice, & eiusmodi materia,qua flammarum incendium concitatur, oblitas, in fluuium detrudere parabãt, vt,fluuij ipsius impetu delatæ, Lusitanis nauibus ignem implicarent; eas primum,antequam deijcerentur,in ipsa ripa fluminis disijci, & inflammari,præcepit.Ad eam rem Garsia Melius,simul cum Aquilari, & sagittarijs quamplurimis, quibus ille præerat,missus fuit. Ij,cum vrbem propius accessissent, imperata confecerunt, quamuis id hostes prohibere, & nostros tormentis propellere,conarentur.Franciscus Pedrosa, qui equitibus antesignanis præerat, exercitum, vt iter exploraret, antecesserat. In eum equitum turma sane ferociter impetum dedit,nostri fortiter restiterunt.Sed,cum hostes vndique prouolarent, & multitudine Lusitanos opprimerent, Ioannes Menesius, qui primum agmen ducebat,cũ delectis equitibus,auxilium afferre, maturauit. Hostium tamen multitudo singulis prope momentis augebatur; & recentes multo vehementius irruebant, ita, vt, fuerit necesse Borbensi Comiti,cum equitibus,vt eo periculo Menesium liberaret,accurrere.Ipseq. tandem Dux,cum instructa phalange,& paucis equitibus,vt per se subsidio occurreret,approperauit.Phalangis erat ductor Gaspar Vascius,vir valde strenuus, qui se medium inter nostrorum aciem, & hostium multitudinẽ, interposuit. Hostes, vt ordinem perrumperent, enixe contendebant; sed, tandem,cum nihil proficerẽt, retro concesserunt.In eo congressu,aliqui ex hostibus cecidere, inter quos fuit vir quidam fortissimus,cuius virtute Azamorẽses ciues plurimum nitebantur.Itaque,cum illum mortuũ animaduertissent,repente cesserunt. Appellabatur ille Cidaco.Fuerat autem summo in Regem Emmanuelem studio, & voluntate,propensus, illiusq. gratia multa gesserat; sed postea ab eo descisserat.Lusitanorum exercitus, eo ordine,quo profectus fuerat, vrbem ea nocte propius accessit. Castra,cum propter fluuium non longe a nauibus abessent, continuo locata sunt. Postridie Dux,ex classe,tormenta,testudines, & munitiones, extrahi iussit; omniaq. ordine disponi, vt muri quaterẽtur, imperauit. Meridie autem, tres hostiũ acies egressæ sunt, pugnandiq. facultatem nostris offerebant. Vascus Coutignus, Comes Borbensis,a Duce postulauit, vt sibi permitteret, prælio cũ illis in acie prima decertare: quod illi minime concessum fuit. Non enim dignitatis esse statuit Dux, excursionibus, & velitationibus, rem gerere, sed vno prælio, aut vrbis ipsius celeri expugnatione, bellum conficere. Itaque testudines muris applicare,tormentis mœnia verberare,scalas etiam admouere,continuo præcepit. His,quibus hoc præscriptum fuerat, præsidio Ioannes Menesius erat,cuius consilio hæc omnia gerebantur. Is tũc per Ludouicum Menesium, & Georgium Barretum, cum Algarbiensibus militibus, & per Ioannem Siluium, cum copijs, quas Siluensis Episcopus miserat, vt non solum impigre,sed ordine,cuncta fierent, operam dabat. Oppugnatio fuit acerrima. Nostri, testudinibus muris applicatis,muros subruere, & tormentis mœnia disturbare, cœperunt. Hostes e muris, missilibus,& pilis, & saxis, vt impetum a mœnibus repellerent,summa ope contendebant, multosq. grauissime vulnerabãt; quinetiam & trullas ignitas, & aluearia,cum apium innumerabili multitudine inflammata, demittebant, vt simul & operas incenderent, & nostros non igne tantum, sed crebris aculeis, stimularent. Cide Manzor, qui magnũ nomen in ducibus obtinebat, & multa, & præclara,decora virtutis militaris obierat,& tunc curam vrbis tuendæ susceperat,per muros discurrebat, &, vbi suos magis premi, & muros vehementius quassari,viderat,eo opẽ celerius afferebat. Nec solum voce, & imperio,verum & manibus,suos ad certamen, pro laribus, atque focis, pro religione,& libertate,virtutis exẽplo, acriter incitabat. Quamdiu

Mazaganoensis Prouincia tripartita.

Velitatio cũ hostibus.

Cidaco Mauro occiditur

Azamorensis obsidio.

Oppugnatio acerrima.

Cidis Manzoris, Azamorensiũ Prę fecti,virtus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cido occiditur.

diu igitur ille vixit, nemo erat, qui non acerrime periculum a patria propulsare conaretur. Sed accidit, vt, cum iam Sol in occasum præcipitaret, globus e campo in illius pectus emissus, illi & audaciæ simul atque vitæ finem afferret. Hostes, ingenti dolore perturbati, clamores ingentes, cum eiulatu miserabili, sustulerunt, & sic hominis illius nece consternati sunt, vt statim de vrbe deserenda cogitarent. Itaque nocte illa per diuersas vrbis portas effugerunt. Tanta autem in fuga trepidatio fuit, cum quilibet primus omnium exire contenderet, & alij alios præpedirent, vt supra homines octoginta, multitudine suffocati, ad portas occumberent. Antequam diluceſceret, Iudæus quidam, nomine Iacobus Adibius, natione Lusitanus, qui cum reliquis Iudæis in exsilium pulsus fuerat, e muris Stephanum Rodericum Berrium, virum egregie fortem, qui erat in classe, nominatim inclamauit; (illo namque plurimum vsus fuerat) a Berrioq. contendit, vt se ad Ducem, sine vlla mora, perduceret. Quo facto, Iudæus, pro tam læto nuntio, sibi, & Iudæis, qui in vrbe relicti fuerant, vitam, & securam bonorum possessionem, a Duce petijt, & impetrauit. Dux, flexis genibus, & manibus in cælum intentis, summas gratias egit Christo, cælestium agminũ imperatori, cuius numine, & beneficio, ciuitas illa, magnitudine satis ampla, ciuium multitudine frequens, opibus summis, & valido militum præsidio, munita, intra diem vnum, sine vllius cæde, in Christianorũ potestatem venerat, vt in eo loco, vbi dira Mahumetis superstitio miserorum hominum mentes infecerat, CHRISTI nomen sanctissimum prædicatione sempiterna coleretur. Rebus deinde compositis, signa Regis Emmanuelis in mœnibus constituta sunt, & ipse Dux in vrbem ingressus est. Saracenorum templum expiatum continuo, & ritu sollemni consecratum fuit, & altare festinanter exstructum, in quo res Diuina sanctissime fieret. Nostri milites, ad prædam conuersi, præter maximam frumenti vim, nihil aliud, quod esset aliquo pretio dignum, repererunt. Tite ciuitas, non multis millibus passuum Azamore distãs, hoc metu, ciuibus omnibus nudata fuit; quam Dux occupari continuo iussit. Similiter Almedinenses ciues vrbem deseruere; cuius vrbis occupandæ, firmisq. præsidijs vinciendæ, curam Dux Nonio Fernando Ataidio commisit; illius autem præfectura Iehabentafufo concessa fuit. Vtrisque autem mandauit, vt, data fide, omnes, qui a fugerant, euocarent, vt vrbes colerent, & imperium Regis Emmanuelis acciperent, solitumq. tributum penderent; & sic demũ futurum, cũ sub inuictissimi Principis tutela, & præsidio, laterent, vt impune suis bonis omnibus fruerẽtur. Ad hunc modũ vtraque ciuitas coli, & frequentari, cœpit; multoq. magis opibus, & potentia, floruit, quam ante floruerat. Vrbis captæ nuntius continuo Regi Emmanueli allatus fuit; qui, lętitia elatus, supplicationes decreuit, & vota rerum omnium Domino, cuius numine bellorum omnium momenta ponderantur, magnifice, atque religiose, persoluit. Id etiam cum Leo Decimus Pontifex Maximus, ex litteris Regis Emmanuelis, accepisset, dies festos egit, supplicationes instituit, ipseq. publice rem Diuinam, sollemni ritu, atque cærimonia, confecit; & concionator egregius oratio nem de laudibus Regis Emmanuelis habuit, quod eo tempore, quo reliqui Principes Christiani, odijs acerbissimis irritati, in mutuam perniciem ruebant, intestinisq. seditionibus hostium vires amplificabãt, solus Emmanuel pro Christi gloria bellum susciperet, & Christiani nominis hostes in India, & Mauritania, profligaret. Azamore vero motus quidam nõ apud multitudinem solum, verũ & apud eos, qui Principes habebantur, concitari cœpit. Cum viderent enim, ciuitatem munitissimã sine vllius cæde in manus Christianorũ peruenisse, non dubitabant, quin, si Brigantinus Dux, cum vniuerso exercitu, in Marrochiense Regnum inuaderet, illud totum, cum maxima nominis sui gloria, sub imperium, ditionemque, Regis Emmanuelis subiungeret. Nam, si cum parua admodum manu duces Lusitani Regem ipsum in fugam compellebant, quid esset exspectandum, si cum iusto exercitu bellum fieret? Accedebat, quod eo tempore Mauri neque tantis erant armis muniti, neque tam scienter acies instruebãt, neque ciuitates ita muniebant, vt arduum munus esse videretur, vno impetu eas exscindere. Reges vero neque magnas opes habebãt, nec erant inter se fœdere consentientes, ita, vt facile alij in alios, nõ magna mercede, concitari possent. Fraus deinde Punica, & insita in hominibus leuitas, & inconstantia, faciebat, vt, cum neque fidem sancte colerent, neque iurisiurandi religionem conseruarent, nullus eorum fidem socijs adiungeret; &, cum ex suo ingenio quisque alios fingeret, reliquos suspectos haberet, & sibi perpetuo insidias ab illis intendi suspicaretur. Quod vbi fit, ibi nullum firmum vitæ, atque salutis, propugnaculum constitui potest. Quocirca necesse erat, si iustus exercitus in mediterraneas regiones moueretur, ab ijs, qui temporibus, & successibus rerum, seruiebant, suis insidias fieri, & dolos strui, & proditionis metu quemlibet eorum perpetuo sollicitari. Nec enim dubium erat, quin multi, vt victorum gratiam captarent, principibus suis insidias machinarentur. Vt enim, gentem amoris fœdere inter se mirifice consentientem, & constanti fide conglutinatam, aggredi, periculosum nimis est; ita, homines, odijs, & fraudibus, & perfidia, dissidentes, nullum fore negotium iudicabant, armis euertere. Præterea, sic bellum administrari

Hostium fuga.

Ducis Brigãtini pietas.

Azamora capta.

S. Missæ sacrificiũ Azamoræ oblatum.

Tite Ciuitas capta.

Almedina vrbs capta.

Emma rueli Regis pium factum.

Emmanuelis laudes.

Azamoræ motui.

ministrari posse existimabant, vt nullis sumptibus duci posset. Agri namque sunt vberrimi, fruges lætissimæ, pecorum, & armentorũ, incredibilis multitudo, ita, vt commeatus affatim, si tempore bellum fieret, suppeditari facillime posset. Ad hoc accedebat, quod, cum in bello rerum opportunitas omnia moderetur, nulla maior rei bene gerendæ facultas dari posse multis videbatur. Exercitus erat iustus, milites acres, duces acerrimi, hostes exanimati: quocirca nemo dubitabat, quin, si nostri perculsis instarent, bellum, cum maxima Regis Emmanuelis vtilitate, & Christiani nominis gloria, intra breue tempus profligaretur. Hæc, & alia, in hanc sententiam vulgo iactabantur: neque deerant, qui ipsius Ducis aures eiusmodi sermonibus obtunderent. Quin etiam sacerdos quidam, qui Diui Franciſci institutum sequebatur, cui nomen erat Ioannes Chiauensis, qui postea Episcopus Visensis creatus fuit, cum in templo sacram concionem habuisset, de hac materia copiose, coram Duce ipso, disseruit, &, tam præclaram occasionem amitti, acerbissime conquestus est. Itaque, cum Dux omnium sermonibus carperetur, coactus fuit in ipso templo, monacho, qui eum ad bellum stimulabat, publice respondere. Non se ignorare dixit, nomen suum maledictis multorum passim conscindi; sed se nõ rumoribus hominum, sed ratione, & consilio, moueri. Sibi, fide, & obedientia, erga Regem, nihil esse antiquius; Regem autem, non vt in Marrochiũ signa inferret, sed vt Azamorẽ expugnaret, illum in Africam misisse. Si quippiã vltra moliretur, id se contra Regis sapientissimi imperium facturum. Si multis, inquit, mensibus vrbẽ hanc obsidione premeremus, si maxima militum multitudo prius cæsa ab hostibus fuisset, quam eam caperemus, tunc tam clara victoria putaretur, vt nemo quippiam præterea desideraret. Nunc, quia, Dei benignitate, intra diem vnum, sine vllius cæde, eam cepimus, victoria contemnitur; quasi sit præclarius, hostem cædere, quam ciues ab omni clade incolumes conseruare. Ego, contra, censeo, multo esse ad sempiternam laudẽ præstantius, ciuem vnum tueri, quam hostiũ multitudinem trucidare. Bellum non tam leue est, quam multi prædicant. Reges enim quamuis inter se dissideant, commune tamẽ, quod vniuersis impendebit, periculum, facile animos omniũ ab intestinis seditionibus ad commune malum propulsandum auocabit. Si igitur Rex Marrochiensis, & Fessensis, & Xerifius, & montiũ Principes, coniunctis viribus, nobis obstiterint, multi fortasse, qui nunc oratione feroces multitudinẽ tumultuari cogũt, in periculis constituti, trepidabũt. Solet enim hoc accidere: Vt quisque in pace furentius, & audacius, de bello disserit, ita magis in ipso belli discrimine tumultuatur, & a mẽte, consilioq. deducitur. Præterea, nõ vident, maximũ exercitum ex rapto diu sustentari non posse. Si igitur hostes voluerint, quo plures sumus, eo grauius periculum, intercluso commeatu, adibimus. Si enim fruges in agris exsisterent, tum facile fuisset, rei frumentariæ prouidere. Nunc vero, cum iam messis præterierit, & frumentum in longinquas oras asportatum sit, si hostes voluerint nos fame necare, quis illos ab eo conatu depellet? Frumento, quod habemus, intra paucos menses absumpto, quo modo bellum, quod non paucis mensibus gerendum est, administrabimus? Præterea, æstas in exitu est, & hiems intra breue tempus instabit, quæ poterit esse impedimento, quo minus tanta breuitate bellum finiatur, quãta homines audaces, & temerarij, suspicantur. Præterea, bellum hoc maximum, quod suscipiendũ, iniussu Regis, arbitrantur, Rex ipse sibi desiignauit; & nos, si desponsam illi laudem præripere conabimur, non modo imperium illius contemnemus, sed fidem illius maiestati debitam nefarie violabimus. Ego, quod ille imperauit, exsecutus sum; si fuerit opus, me vitam pro illius dignitate profundere, mori minime recusabo; &, dum illius voluntati satisfecero, quid homines de me iudicent, minime laboro. Nec enim intelligunt, quoties aliquis bellum sui Principis iniussu suscipit, offensionem esse pestiferam, & victoriam inuidiæ plenam, ita, vt necesse sit ei, qui aliquid absque Regis præscripto molitur, calumnijs innumerabilibus proximum fieri. Nunc vero nemo me calumniari iure potest. Meum officium erat, vrbem istam capere; eam, Dei clementia, cepi: celeritate summa bellum conficere; intra diẽ vnum id, non mediocri felicitate, cõfeci: exercitum incolumem reducere; id, Dei singulari benignitate, perficiam. Quo negotium & facilius, & celerius, & minore cum periculo, trãsactum est, eo clariore numinis beneficio deuincti sumus. Quocirca satius esset, Deo gratias agere, quam famam hominis officio suo præclare functi maledico dente corrodere. Hæc cum dixisset, sermonem quidem hominum compressit, non ita tamen, vt non exstẽt hodie permulti, qui doleant, maximam fuisse tunc ab illo summi decoris opportunitatem prætermissam. Ille tamen, rationibus, quas diximus, inductus, id sibi licere minime putauit. Aliud etiam incommodum interuenit, quod illum cogeret in Lusitaniam redire. Tubere namque femur alterum illius ita laborabat, vt is equo vehi non posset. Exercitu igitur commisso Francisco Portugalensi, cuius insignis nobilitas erat, iam eo tempore, cum non mediocri laude prudentiæ coniũcta, Mazaganum contendit. Balsam deinde, Lusitaniæ ciuitatem, in Algarbio sitam, traiecit, vn de Almeirinum, vbi Rex Emmanuel morabatur, se contulit; a quo fuit magnis honoribus, vt æquum erat, acceptus. Exercitus deinde magna pars reducta in Lusitaniam fuit. Rodericus

F. Ioannis Chiauẽsis ad bellũ Marrochiẽse exhortatio.

Brigãtini Ducis ad monachi suasoriã responsio in templo facta

Brigãtini Ducis in Lusitaniam reditus

Universidad de Deusto
Biblioteca

ricus Barretus,& Ioannes Menesius,Azamore relicti, Barretus,vt vrbem tueretur,Menesius, vt cum exercitu bellum finitimis gentibus inferret.Nonius Fernandius Ataidius,Safinium reuersus,institutum suum persecutus, multis in commodis Mauros agitabat.Similiter Ioannes Menesius, & Barretus, suos otio torpere,minime permittebant. Itaque Menesius, per exploratores certior factus, paganos,qui Xerquiam incolebant,in locis,qui citer triginta passuum millia ab vrbe aberāt, sine vllo metu vagari,initio Anni M D XIV. ad vesperum ex vrbe cum equitibus mille & ducentis,& mille peditibus,cum Barreto egressus,viginti & quattuor millia passuum ea nocte confecit. Inde Montem viridem(sic enim, propter amœnitatem,& frequentium herbarum,& plantarum,viriditatem , appellare solent)petierunt.Prima luce, in pagum Bencafizium inuasere. Pagus est in monte situs , qui, ab imo modice assurgens, in orbem desinit. Incolæ,partim cæsi,partim capti, partim erupe in fluuium,qui Azamorem præterfluit,præcipites iecti sunt;& opidum direptum,& exustum.Similiter Bernardus Emmanuel,& Ioannes Siluius , qui ab eodem Menesio missi fuerant, in alium pagum , quem Tafusum appellant,inuecti sunt,& pagum omni præsidio nudatum adspiciunt . Hostes enim diffugerant. Nostri igitur , quod reliquum erat , vestigijs insecuti, fluuio appropinquarunt , vbi Mauri constiterant. Multi fluuium nando traiecerant, alij natare parabant , non pauci tamen conferti pugnam minime detrectabant . Qui tamen dissipati , & in fugam coniecti, in fluuium se demiserunt ; e quibus non pauci nantes missilibus confixi fuerunt . Bernardus,inde,cum præda,profectus,se cū Menesio coniunxit;& ita,cum magno captiuorum numero,& pecorum multitudine,omnes in vrbem regressi sunt. Est in ea Mauritaniæ parte,quæ ad Austrum spectat, & cum finibus Safinicensibus continens est, prouincia, quam Heam incolæ nominant. In ea Tedneſt ciuitas est,in campi latissimi,& fertilissimi,planitie sita,in qua templum erat , hominibus illis valde sanctum , & religiosum. Xerifius in hac vrbe ædes amplas habebat , & hortos cultissimos, & nitidissimos, cum piscinis, & varijs aquarum deriuationibus , cum quibus se, cum otium erat,frequenter oblectabat . In hanc ciuitatem Ataidius inuadere constituit. Per litteras tamen Menesium admonuit , vt sibi opem afferret:rē namque dignam esse , quam ambo , viribus coniunctis , aggrederentur . Ataidius tamen illū minime exspectauit . Ex vrbe igitur quadringētos equites eduxit, sociumq. Iehabētafusum adsciuit,qui duo millia equitū,& septingētos pedites,secū adducebat.Cū vero ciuitati,quā petebāt, appropinquarent,Xerifius illis,cum quattuor millibus equitum,occurrit. Ataidius postremum agmen ducebat. Iehabentafusus, qui in primo agmine cum suis Xerifio obuiam prodierat , Ataidio spectante, sæuum,& atrox,prœlium commisit. Xerifius, tandem,victus ab Iehabentafuso,se fugæ mandauit;multi ex hostibus cæsi sunt; præda vero tanta fuit , quanta numquam antea fortasse ex vllo prœlio,cum gentibus illis inito,capta fuerat . Nam supra ducenta millia pecudum , & boum , & tria millia camelorum, equorum similiter ingentem multitudinem, fuisse constat . Ataidius , in vrbem ingressus , conquieuit.Inde vero , litteris ad Menesium datis , significauit,quo modo iam negotium confectū esset. Abest autem Azamor ab ea ciuitate citer centum & sexaginta passuum millibus ; & ea de causa fieri non poterat , vt tam cito se Menesius cum Ataidio coniungeret. Ducebat autem Menesius septingentos & quinquaginta equites , & pedites mille . Quacumque autem iter faciebat , maximi honores illi ab omnibus Maurorum præfectis , atque principibus fœderatis,habebantur.In opidum autē exiguum tandem peruenit, (Chiquerium nominant) templi Mahumetani gratia ab incolis incredibili religione celebratum . Id enim iussu Mahumetis fundatum exstitisse, vanissimi sacerdotes asserebant.Ea vero mente Menesius eo peruenerat,vt inde Marochium peteret.Chiquerium autem Marochio non plus triginta & sex millibus passuum aberat. Inde tamen Ataidium,per litteras , ad societatem facinoris ,inuitauit . Is dixit , se pacis legibus scribendis,& fœdere sanciendo , ita distineri, vt nullo modo posset tunc ab ea vrbe discedere . Marochium vero maioribus esse viribus oppugnandum;neque committendum , vt,sine vllo fructu, ille flos nobilitatis in tantum discrimen induceretur.Menesium deinde orabat , & obtestabatur , vt tunc incepto desisteret.Menesius ad Ataidium venit.Venerat interim Ataidij gener Alfonsus Norogna , cum Mauris equitibus octingentis,vt,noctis silentio,opidum,natura munitissimum, in monte arduo situm,oppugnarent . Quod factum est ; & hostes, antequam illi aduentarent , id fore suspicantes , aufugerant ; pauci tamen capti sunt.Iterum,cum iam copiæ essent multis partibus amplificatæ, Menesius instituit,vt Marochium tenderent , quod tunc expugnatum iri confidebat . At Ataidius verebatur,ne,si id fieret, maxima gloriæ pars ad ipsum Menesium pertineret. Hac ratione,vt opinio erat,impeditus Ataidius, nullo modo potuit adduci,vt itineris illius se socium præberet. Id molestissime Menesius,& omnes, qui cū illo venerant, passi sunt. Inde,cum nonnulla offensione Menesius digressus,nuntium accepit,Regem Fessensem , & Regem Mequinezium, cum maximis copijs,aduentare, vt Azamorem obsidione cingerent . Iccirco,qua potuit celeritate, Azamorem contendit . In itinere vero, litteris Roderici Barreti, quibus idem confirmabat,

Victoria de Xerifio iusignis.

Menesij subsidium.

Chiquerium opidum.

Bellum cum reiseſi, & Mequinezio, gestum.

Excursio in Xerquienses.

Ann.a Christo nato 1514

Mons viridis

Bencafizius pagus captus & exustus.

Excursio in Tafusum pagum.

Bellum cum Xerifio.

Heam Mauritaniæ prouincia . Tedneſt ciuitas.

bat , ue hementius incitatus est, vt ad institutam celeritatem aliquid addendum cogitaret.Attamē,cum admoneretur,ne eum in itinere Reges interciperent , Bernardum Emmanuelem , & alios viros nobiles , qui cum Ataidio manserant , per litteras adsciuit , & commeatum,& tela,variasq. munitiones, importari fecit . Almedinam ingressus , ab Alemeimamo , vrbis præfecto, fuit , cum summis honoribus,acceptus.Is eum admonuit,vt sibi a ducibus Fessensis Regis caueret. Hos enim, cum octingentis equitibus, & sex millibus peditum,præcedere,se compertum habere,dicebat . Inde profectus , per ciuitates fœderatas ita iter faciebat , vt semper exercitum singulari ordine instructum duceret,quasi sibi esset cum hostibus certamen singulis horis ineundum. Attamen,siue ea fama vanis auctoribus dissipata fuit, siue duces Regis Fessensis parū diligentes exstiterunt,is,sine vllo impedimento,Azamorem copias incolumes induxit . Ibi certior factus est , Fessæ Regem duos Duces cum maximis copijs in Duecalam misisse , vt eam regionem valido præsidio tuerentur. Regem vero Mequinezium, cum equitum,& peditum,multitudine,exspectari ; qui Nafe (est quidem illa Mequinezij ciuitas non ignobilis) se tenebat. In animo autem Rex Mequinezius habebat , cum ducibus Regis Fessensis Azamorem petere,vt Lusitanos obsidione vexaret. Menesius non exspectandum esse putauit , dum hostes copias omnes coniungerent. Cum igitur intellexisset , duces Fessenses in opido satis munito , quod Balbam appellant, consistere, in eos, antequam inde discederēt, inuadere constituit . Ad Ataidium vero nuntium,cum litteris,missit,quibus eum admonebat, vt vellet prœlio interesse,quo sibi non mediocre decus parare, & opus Regi Emmanueli gratissimum efficere , posset . Cum de loco inter eos,vbi erant copiæ coniungendæ,parū in principio conuenisset, tandem statuerunt, vt Seam (is locus viginti quattuor millibus passuum Balba distat)copijs iungendis deligerent.Itaque Menesius duodecimo die Aprilis octingentos equites, & mille pedites , eduxit; sequenti die,prope lacus quosdam,in planitie castra posuit. Eo die, Ataidius,cum Iehabentafufo,cum mille,& quingētis equitibus, quorum maxima pars erant Mauri , aduenere. Consilio inter duces habito, statutum fuit,vt de prima vigilia,silenti agmine,castra mouerent,vt,luce prima,possent in hostes imparatos inuadere.Ex omnibus autem copijs quinque acies instruxerunt. Primam Menesius,alteram Rodericus Barretus, tertiam Ioannes Gundissaluus Camara ducebat.In acie tertia Aluarus Carualius,& Ioannes Siluius inerāt, vt etiam,vbi opus esset, ducum officio fungerentur. Quartam aciem Ataidius,cum Alonso Norogna, genero suo, agebat . Quincta Iehabētafuso commissa fuit. Has quinque acies equitum Petrus Moralis , & Ioannes Rodericus,cum instructis peditū copijs, valido subsidio firmabant . In medio impedimenta cum tormentis aliquot , curribus inuectis , ducebantur . Menesius acies circumibat, & singulos duces de officio cōmonebat , & omnes ad decus vehementer excitabat . Orto iam sole, hostium castris appropinquarunt.Erant autē castra in planitie posita , prope montem , qui campis imminebat.Menesius designauit oculis locum , in quo erat prœlium faciendum; & ductores peditum admonuit,vt in eum locum quam celerrime possent,aciem dirigerent. In hostium castris erant supra quattuor millia equitum. Peditū vero numerus,propter multitudinem,iniri non potuit . A tergo torrens campum a monte dirimebat,qui,quāuis tunc siccus esset,tamen,propter alueum,quem torrens,imbribus auctus,in altitudinem depressa,erat hostibus impedimento, quo minus se in montem, sine periculo, reciperent . Hostes quattuor acies instruxerunt . In prima acie pedites,cum fistulis ferreis, & scorpionibus,locauerunt , vt,sagittarum,& glandium, multitudine, primam nostrarum aciem perturbarent . Menesius vero, cum tubis signum pugnæ dare iussisset , & omnes nomen Sancti Iacobi,de more Hispaniæ,conclamarent, tanto impetu in hostes inuectus est, vt, antequā, qui in acie prima constiterant , damnum aliquod (quod valde metuendum esset) inferre possent,eos dissiparet; &, cum prœlium acriter iniret,tres illas equitum acies fudit,&,vsque in torrentis alueum hostes insecutus,multos occidit.Ataidius,cui datum eratnegotiū, vt in vnam equitum aciem impetum ferret , id exsequi non potuit. Ea namque acies , quā petebat,a loco deflexerat,vt suis contra Menesium opem afferret.Itaque in pedites inuasit,quorum magnum numerum cæcidit.Menesius,cum ad torrentem peruenissent, suos continuit.Multi tamen,illius imperium contemnentes,torrentem transgressi sunt.Erat autē Menesius reliquis quidem Imperatorijs laudibus excellens, sed,propter insitam in natura manſuetudinem,in animaduertendo parū seuerus. Ob id igitur,adolescētes nobiles,animo quidem virili,sed mente parum sana,præditi,tanti viri auctoritate contineri non potuerunt,quin se, sine vllo fructu, in discrimen salutis inijcerent . Menesius Garsiam Menesium , fratris sui filium , misit , qui eos redire compelleret.Is,equo incitato,se confestim illis opposuit , & , vt se continuo reciperēt, adhortatus est . Iam plerique obtemperabant , cum Arius Tellius , iuuenis apprime nobilis , & laudis præter modum cupidus, sed,vt fama erat,temerarius,exclamauit: Non decet hoc tempore pedem referre:Mauros istos,o commilitones , vsque Fessam ferro persequamur. Hac oratione,qui iam redibant, excitati,rursus in hostes incurrunt.Garsia Menesius,cum

Balba opidū.

Lusitanorum acies.

Nafe opidū.

Hostium castra,& exercitus.

Hostiles acies.

Prœlium.

Arij Tellij temeritas.

eorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

corum impetũ cerneret, Si ita vultis, inquit, & vltra Feſſam impetum feramus. Hæc cum diceret ſe illis admiſcuit. Hanc temeritatem cum Meneſius animaduerteret, torrentem tranſgredi ſtatuit, vt fugientes (nec enim eũ latebat, quod erat eis, qui temere ruebant, euenturum) exciperet. Peditum interim aciẽ vnam præmiſit, quæ hoſtium impetum ſuſtineret. Ataidius torrentem tranſgredi noluit, ne copiarum ſuarum ordinem perturbaret; ſed in ripa conſtitit, vt inde hoſtes, ſi tranſire conarentur, repelleret. Iehabentafuſus huic incommodo opitulari nequiuit. Cũ enim Mauri, quos ducebat, hoſtes fuſos animaduerterent, prædandi cupiditate cæci, ducem reliquerunt. At hoſtes, qui ſe in montem receperant, vbi paucitatem eorum, qui illos perſequebantur, animaduertere, in eos conuerſi tanto impetu fuerunt, vt in effuſam fugã compellerent. Maxima eorum pars temeritatis pœnas luit. nam ab hoſtibus cæſi ſunt, inter quos Arius Tellius, & Garſia Meneſius exſtitere. Qui fugientes inſequebantur, cum animos iam a prima illa conſternatione recepiſſent, & illo ſucceſſu, qui præter opinionem acciderat, elati fuiſſent, tanto impetu in Meneſium incurrerunt, vt eum cogerent in aduerſam torrentis ripam copias reducere: quod non, ſine multorum ſanguine, cõfici potuit. In hoc prœlio equites plus quinquaginta ceciderũt, & ſupra centum vulnerati ſunt. Ex hoſtibus, vt poſtea compertum fuit, duo millia & ſexcenti interfecti fuerunt, in quibus vnus ex ducibus illis ſummis fuit, quos Rex Feſſenſis cũ imperio miſerat. alter ex equo decidit, & a ſuis, cum eſſet iam in ſummo vitæ diſcrimine conſtitutus, ereptus eſt. Septem duces alij ceciderunt; ſupra quattuor hominum millia vulnerati ſunt; captiui ducenti & octoginta fuerunt. In ijs fuerunt vxores, & filij eorum ducũ Xerquienſium, qui prœlio interfuere. Victoria illuſtris, & clara, fuiſſet, niſi eam iuuentutis temeritas aliqua ex parte deformaſſet. Hoſtes, poſtquam noſtras acies coniunctas animaduerterunt, eas non ſunt auſi laceſſere. Noſtri, cum præda iam diuiſa, iuſtis itineribus, in ſedes ſuas reuerſi ſunt. Reges Feſſenſis, & Mequinezius, nondum hãc ſuorum cladem acceperant, cum obſidionis conſilium, qua Azamorem opprimere ſtatuebant, intermittendum minime iudicarent. Itaque Nazer, Mequinezij Rex, cum maximis copijs, Regni ſui finibus egreſſus, Azamorem contendit. Mahumetes, Rex Feſſenſis, non mediocrem equitum, & peditum, multitudinem illi in auxilium miſit. Rex Mequinezius, in flumine, quod Azamorem alluit, traijciendo, ſeptem dies, tanta erat hoſtium multitudo, conſumpſit. Meneſius Emmanuelem de obſidione, quam futuram credebat, per litteras confeſtim admonuit; qui, ſumma diligentia, omnia, quæ erant ad vrbem muniendam idonea, comparauit. Sed Nazer, cum accepiſſet eorum cladem, qui prœlium cum Meneſio inierant, conſilium mutauit, & Almedinæ regionem populari conſtituit. Magnam itaque vaſtitatem terris intulit, Almedinam cepit, eos, qui in prœſidijs inerant, qui Almeimamum Safinũ fugere properantem ſequi noluerant, interemit. Iehabentafuſus, cum neque copias haberet, quibus tantæ multitudini reſiſteret, & ab Ataidio, a quo auxilium poſtularat, minime firmo ſubſidio adiutus fuiſſet, (Ataidius enim obſidionem timebat, & ideo copias diminuere noluerat) Safinium ſe conferre ſtatuit. Sed primum puteos obturauit, alios beſtiarum cadaueribus inquinauit, &, frugibus etiam corruptis, infecit, vt Regis exercitum ſiti conficeret. Dum in his operibus tempus conterit, Rex illum conſequitur. Itaque prœlium vitari non potuit. vtrimque fuit acerrime dimicatum. Equites aliquot Iehabentafuſi cecidêrunt, inter quos dux fuit quidam, Benamira nomine, vir inſigni robore præditus. Ex acie Regis equites quinquaginta deſiderati ſunt; & in his dux inſignis, quem Rex Feſſenſis copijs ſuis præfecerat. Iehabẽtafuſus, in eo prœlio, ea facinora virtutis militaris edidit, vt multos admiratione defigeret. Sic igitur e prœlio diſceſſit, vt illum hoſtes non admodũ pertinaciter inſequerentur. Mille tamen camelos amiſit. Ataidius illi locum muris coniũctum aſſignauit, in quo caſtra poneret. Rex interim aquarum penuria grauiſsime laborabat, & puteos, vt ſitim leuaret, de integro fodere iubebat, & ita tempus, ſine vlla re memorabili, conſumebat. Iehabentafuſus vna nocte caſtra illius oppugnare conſtituit. Rex, ab indice monitus, caſtra in locum alium magis munitum repente mutauit. At Mauri, qui Xerquiam incolebant, cum animum illius abiectum, & demiſſum, factis agnoſcerent, & ſimul fluxam fidem animaduerterent, illum cõtemptu, & odio, dignum ſtatuerunt. In primis autem grauiter eos offendebat, quod, cũ ſe Azamorem, aut Safinium, obſeſſurum oſtendiſſet, & tantis copijs abundaret, nihil horum tenta re, propter ingentem formidinem, auſus fuiſſet. Seque, inani ſpe deceptos, a Regis Emmanuelis fide deſciuiſſe, moleſtiſsime ferebant. Itaque, vt odium expromerent, & amiſſam Regis Emmanuelis gratiam aliquo inſigni facto recuperarẽt, cum Mequinezius Rex, prope opidum, quod Tazarote nominant, caſtra haberet, contra fidem, cuius illi religionem minime norunt, in caſtra ruunt, cædẽ faciunt, copias Regis in fugam vertũt; ſupra mille hominum in ſeruitutem abripiunt, octingentos equos capiunt. Rex, caſtris exſutus, cum maximo damno, atque dedecore, in montes arduos primum ſe fuga proripuit, atque inde in Regnum reuerſus eſt. At Meneſius interim in grauiſsimum morbum incidit. Cum vero decumberet, litteras ab Emmanuele accepit, quibus

Temerarorũ infelix exitus.

Cæſorum numerus.

Luſitanorum cruenta victoria.

Bellum Azamorenſe.

Almedina regio vaſtata.

Vrbs ab hoſte recepta.

Prœlium anceps.

Benamiræ mors.

Mequinezius Rex, ſuorum perfidia, caſtris exſuitur

quibus illum miris laudibus efferebat, & promeritis excellentibus præmia illi ingentia proponebat. His litteris reſponſum nullum dedit. Nec enim iam eo tempore quidquam de hac miſera, & exigua, vita ſibi cogitandũ ſtatuebat; ſed tota mente ad ſempiternam omnibus votis adſpirabat. Itaque, rebus omnibus, quæ ad animi expiationem neceſſariæ videbantur, rite procuratis, cum inſitæ religionis, & pietatis, egregia documenta dediſſet, e corpore, quaſi ex ergaſtulo quodam, expeditus, in cælum, vt omnium opinio ferebat, immigrauit. Fuit enim vir ille non virtutis tantum militaris, & imperatoriæ, gloria præcellens, ſed laudibus etiam manſuetudinis, & lenitatis, & clementiæ, præſtantiſsimus. Erat præterea in omni genere vrbanitatis humaniſsimus. Et, cum, vitæ caſtimonia, & morum integritate, multum omnibus, qui vitam in armis degerant, anteiret, tum amoribus ſine vitæ petulantia, aut vlla verborum obſcenitate, deditus erat, ita tamen, vt in illis etiam non libidinis vllum veſtigium exſtaret, ſed ludus, ſine vllius pudoris interrimento quæſitus, appareret. Hoſtibus maximo terrori fuit, militibus autem cariſsimus, ciuitati vniuerſæ maximum ſui deſiderium, cum multis lacrymis, & luctu diuturno, reliquit. Quantum autem ingenio valeret, verſus, quos patrio ſermone componebat, aperte declarabant. Nec enim illis quidquam vel argutius, vel feſtiuius, excogitari poterat. Augurijs tamen deditus erat; & atra interdum bile ad inſaniam laborabat. Sed hanc tenuem vitiorum labem virtutis magnitudo tanto interuallo ſuperabat, vt maiora etiam vitia in tanto viro toleranda viderentur. In locum illius Petrus Souſa ſucceſsit, qui poſtea Comes Pratenſis exſtitit, & Rodericus Barretus in Luſitaniam reuerſus eſt. Hoc anno Petrus Meneſius, Alcoutinenſis Dynaſta, cum crebras excurſiones faceret, quibus Mauros perpetuo fatigabat, tum menſe Iulio in Tutuani fines inuaſit; multos cæcidit, alios captiuos abduxit. Initio vero menſis Octobris, nuntium accepit, duos Regis Feſſenſis fratres, cum decem millibus equitum, & magno peditum numero, vt Septam oppugnarent, aduentare. Claſſem præterea miſiſſe, vt terra ſimul & mari ciuitatem premerent. Hi duobus in locis ſilueſtribus inſidias poſuerunt, in quibus ipſi conſtitere. deinde quinque & viginti excurſores emiſere, vt noſtros elicerent. Hi ad ſpeculas vſque peruenerunt. Petrus Meneſius equites quindecim in eos immiſit, ipſe cum centum & quindecim equitibus egreſſus eſt, vt illis ſubſidio eſſet, cum hoſtes ex inſidijs, vt ille fore ſuſpicabatur, erumperent. Noſtri in equites hoſtium impetum dedere; illi repente ceſſerunt, vſque eo, dum noſtros in locum, quem ij, qui erant in inſidijs, tenebant, extraherent. Noſtri, inijs exploratis, ad Petrum Meneſium ſe curſu recipiunt. Hos ducenti & quinquaginta equites inſecuti ſunt. Horum veſtigijs alij permulti inſtiterunt. Petrus Meneſius, intra vallum, quod vrbem cingit, ſe continuo recepit. Hoſtes illi, qui prius ex inſidijs emerſerant, aditu valli, cum eſſent iam noſtris admixti, prohiberi minime potuerunt. Petrus Meneſius, in eos conuerſus, prœlium iniuit, quod, maxima vtriuſque partis vi, pugnatum fuit. Ex hoſtibus circiter ducenti cæſi fuerunt, e noſtris vnus tantum cecidit, ſex & triginta vulnerati ſunt. Regis interim fratres aduenium, vt vallum diſijciant, & noſtris aditum in vrbem intercludant; & claſsis etiam in terram copias exponit. Sed eo iam tempore Petrus Meneſius ſuos in vrbem reduxerat, &, foribus occluſis, conatus eorum inanes rediderat. Illi mortuos in naues cum lacrymis imponunt. Erant enim plerique iuuentutis principes, & homines, in quibus ſeniores non mediocrem ſpem felicis militiæ collocaueranr. Hoc autem tempore maximo terrori nomen Regis Emmanuelis erat apud Mauros; ſimul clementia, & æquitas, illius, in omnium ore, atque prædicatione, verſabatur. Cum igitur, ſe ab Emmanuelis ducibus bello fatigatos, & domi ſuorum tyrannide vexatos eſſe, conſpicerent, vltro ad Emmanuelem veniebant, & enixe ab eo contendebant, vt eos in fidem acciperet, illisq. tributum, quod ei videretur, imperaret, & duces, quos vellet, eis præponeret. Se namque, vſque ad extremum vitæ ſpiritum, pro illius amplitudine pugnaturos. Neque ſolum, qui vrbes incolebant, libenter in deditionem veniebant, verum etiam pagani, atque montani, cum vires ſuas infeliciter experti fuiſſent, voluntariæ ſeruitutis pactione, vitæ ſuæ, & incolumitati, conſulebant. Itaque Xerquienſes legati, gentis principes, ad Emmanuelem introducti ſunt; qui ſe, ſuaq. omnia, illius fidei, atque poteſtati, committebant; & poſtulabant, vt Xerquia prouincia a Dabida, & Garabia, diſtincta fieret, & illis Audaramen rectorem, & ducem, præponeret. Ne autem in eo Iehabentafuſum offendere viderentur, dicebant, Aduecamenem regionem, quam diximus tribus illis præcipuis nationibus inter ſe diſtingui, tantam eſſe, vt nullo modo poſſet ab vno Iehabentafuſo gubernari. Is igitur Dabidam, & Garabiam, imperio contineret, & Xerquiã ab alio rectore regi permitteret. Accedebat, quo id cum minore Iehabentafuſi offenſione fieret, quod Abderamen, illius famulus, & in diſciplinis illius educatus exſtiterat, ita, vt nemo dubitaret, quin is perpetuo Iehabentafuſo libenter obſequeretur. Hoc & ad ipſius prouinciæ pacem, & ad iuris adminiſtrandi facilitatem, & ad ipſius Regis fructum, & emolumentum, ualde pertinere. Sic enim fore, ut eos, quorum tam æquo poſtula-

Meneſij mors

Meneſij mores, & ingenium.

Petrus Souſa, Meneſij ſucceſſor.

Septenſe bellum.

Prœlium.

Mauorũ deditiones, & fœdera cum Emmanuele.

Xerquienſis ad Emmanuelem legatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

to satisfeciſſet, in officio promptiores contineret, & tributum, quod pendere volebant, facilius exigeret. Fuere legati comiter accepti, & quod poſtulabant, benigne a Rege conceſſum, ea tamen lege, vt, quoties omnes illæ tres Duecalæ partes vires ſuas coniungerent, Iehabentafuſum ſummum ducem agnoſcerent, imperiumq. illius, ſine vlla recuſatione, ſequerentur. Sanxit etiam lege Rex, ne quiſpiam ab vna in aliam tribum tranſiret, ne perturbatio, & confuſio, fieret, & aliquis ea de cauſſa motus conciretur, qui bello materiam ſubminiſtraret. De ijs rebus ad Ataidium, & ad Petrum Souſam, qui Azamorem tenebat, litteras dedit; & Iehabentafuſus eam prouinciæ diſtinctionem facile comprobauit. Eodem anno Nonius Fernandius Ataidius Iacobum Lupium caduceatorem in Xerquiam miſit, qui frumentum imperatum a colonis exigeret, & illud Azamorem deportandum curaret. Id Lupius exſecutus, cum Mauris, qui frumentum iumentis impoſitum ferebant, Azamorem recta contendit. In itinere facti ſunt illi obuiam equites ſexaginta, qui Azamore veniebant. Mauri, cum opinarentur, eos hoſtili animo prodiiſſe, arma repente corripiunt, & prælium animis obfirmatis offerunt. Lupius ſe medium interpoſuit, & caduceatoris officio functus eſt. Vix tamen Mauros placare potuit. Dicebant enim, ſe non Souſam, ſed Ataidium, agnoſcere: cum Ataidio namque, & non cum Souſa, pactionem de frumento importando feciſſe. Lupius tamẽ eos, quoad fieri potuit, ad lenitatem inflectere contendebat. Illi vero dicebant, Petrum Souſam, poſtquam Azamoris curam ſuſceperat, illis minime ferendas iniurias intuliſſe. Iccirco equites illi ſexaginta frumentum Azamorem ſubuehendum curarent: ſe namque in eam ciuitatem minime pedem illaturos. Cum tamen Lupius multa orationis lenitate vſus fuiſſet, non modo eos mitigauit, verum eo perduxit, vt Marochiũ ſub illius ductu contenderent. quadringentos & viginti tres equites ex illis delegit; &, cum viginti & ſeptem Luſitanis equitibus inde profectus, poſtridie in turmas hoſtiles, quæ Marochio quattuor millia paſſuũ aberãt, inuaſit, & aliquot occidit, tres & quinquaginta viuos cepit: ingens præda pecorum, & camelorum, abacta fuit. Marochium tandem accedunt; & ipſi Mauri, Regis Emmanuelis nomine ſæpius conclamato, hoſtis vrbis portas percutiunt. Marochij Rex, re inopinata perturbatus, vt eorum impetum repelleret, egreſſus eſt. Illi fortiſſime reſiſtunt, & quattuor equites occidunt, & ita incolumes, cum præda, in locum, vnde profecti cum Lupio fuerant, reuertuntur. Ibi præda diuiſa, Mauri, cum gregibus, in Xerquiam rediere. Lupius, Safinium cum captiuis ingreſſus, admirationi quamplurimis fuit.

De tumultu quodã inter Mauros exorto, & ſopito.

Lupij in Marochienſem agrũ eruptio.

Facinus enim videbatur incredibile, hominem plebeium, & caduceatorem, tantum audere, vt cum tam exiguis copijs, & ijs maxima ex parte ſuſpectis, eo penetraret, quo Ataidius ipſe, dux fortiſſimus, cum a Meneſio ad eiuſdem facti ſocietatem inuitaretur, peruenire dubitarat. In huius anni exitu Rex Emmanuel tres legatos ad Leonem Decimum Pontificem Maximum, cum muneribus Regia magnificentia dignis, inſtituit. Princeps legationis Triſtanus Cugna fuit. Collegæ, duo iuriſconſulti, magnæ apud Luſitanos auctoritatis, exſtitere. Vnus Iacobus Paciecus, alter Ioannes Faria, nominabatur. Per illos Pontifici ſacras veſtes ex auro, cum multis gemmis opere excellenti perfectis, dono miſit. Vaſa præterea ex auro, atque monilia maximi ponderis, & pretij, veſtibus adiecit. Opus erat eiuſmodi, vt, cum materia nihil pretioſius excogitari poſſet, artificium tamen ipſam materiam multis partibus ſuperaret. Miſit præterea elephantum Indicum miræ magnitudinis, qui non ſolum Romæ, vbi homines, poſt inclinatam Romanæ maieſtatis amplitudinem, illud animal numquam oculis adſpexerant, ſed quacumque gradum inferebat, nemo circumſluentem vndiq. turbam, admiratione obſtupefactam, ſubmouere poterat. Panthera etiam venatica miſſa fuit: quod munus haud ſcio, an olim Romæ Aediles, cum ludos magnificentiſsimos apparabant, &, præter alias immanes beluas, pantheras etiam in publicis ſpectaculis exhibebant, præſtare potuerint. Ea namque manſuefacta, non in circo cum beſtiarijs, ſed in ſiluis cum apris, atque ceruis, prælium committebat; & principibus, qui venationibus oblectantur, plurimum voluptatis afferebat. Ea inſidebat equi Perſici tergo, integumentis auratis eleganter inſtrati. Equum regebat Perſa, venator eximius, qui, ad id munus obeundum, ab Armuzij Rege, cum equo, & panthera, miſſus fuerat. Triſtanus Cugna, cum eſſet vir & nobilitate, & auctoritate, & exiſtimatione, non vulgari præditus, tum proprijs ſumptibus eam legationem exornandam ſuſceperat. Ducebat autem ſecum tres filios, & cognatorum copiam, amplamq. familiam; quibus ſtipatus, non abiecti Principis ſpeciem præſeferebat. Legationis ſcriba Garſia Reſendius, vir non mediocris apud Regem auctoritatis, erat. Nicolaus Faria, qui equis Regijs curandis præerat, agebat equum pulcherrimum, ephippijs aureis, & phaleris aureis, emblematis, & gemmis maximi pretij diſtinctis, inſtratum, & ornatum, qui etiam Pontifici donandus erat. Duodecimo tandem die menſis Martij, anno MDXIV, legati in vrbem hoc ordine iter inſtituerunt. Familiæ veſtibus admodum eleganter excultæ

Res Europæ.

Magnifica Emmanuelis ad Leonẽ X. Pont. Max. legatio, ac munera.

Panthera venatica.

Ann. a Chriſto nato 1514

præcede-

præcedebant. Panthera, tergo Perſici equi, quem Perſa regebat, inſidens, & elephantus cum rectore ſequebantur. Nicolaus Faria, equo, quem diximus, inuectus, poſt elephantum interuallo modico diſiunctus, primum illud agmen cogebat. Nobiles deinde viri, qui comitatu ſuo legationi non parum dignitatis adiungerent, loco ſuo progrediebantur. Poſt illos, caduceator Luſitanus, cum inſignibus Regijs, legatos antecedebat. Deinde Triſtanus Cugna ſequebatur, cuius vtrumque latus legati reliqui claudebant. Fuerunt a Cardinalium domeſticis, deinde a Principum legatis, multisq. principibus, antequam in Vrbem ingrederentur, omnibus honoribus excepti. Ad vrbem cum accederent, vrbis Præfectus, cum Pontificibus, & ipſius Pontificis Maximi domeſticis, atque familiaribus, obuiam prodijt; Pontificisq. nomine orationem habuit, qua legatis de aduentu gratulatus eſt; omniaq. Regis Emmanuelis, clariſſimi Principis, officia, qui pro Chriſti nomine, & religionis ſanctitate, perpetuo dimicabat, illi gratiſſima, vt merita illius poſtulabant, perpetuo fore, dixit. Reſponſum pro dignitate redditum ab illis eſt. Romani deinde deſignatores aduenere, & ordinem pompę illius inſtruxere. Omnia interim tubarum cantibus, & tibiarum ſymphonia, & concentu, perſonabant. Nullus fuit princeps, qui non ordine a deſignatoribus conſtituto, legatos deduceret. Heluetiorum etiam agmen inſtructum eos antecedebat. Turba, vndique, viſendi gratia, confluens, omnes viarum aditus obſtruebat, ita, vt vix, fuſtibus coercita, cederę, & locum dare, vellet. Cum ad molem Hadriani ventum eſſet, tormentorum ingenti ſtrepitu ciuitas vniuerſa tremefacta fuit. Fumi tandem caligine diſpulſa, cum Pontifex e feneſtra ſpectaret, elephantus acceſſit, &, ter genibus flexis, & demiſſo corporis habitu, venerabundus, illum ſalutauit: quod non mediocrem admirationem ſpectantibus incuſsit. Tum, proboſcide, in dolium ingens, aqua refertum, immiſſa, aquam hauſit, qua omnes, qui in feneſtris altioribus inſidebant, adſpergeret. In plebem deinde conuerſus, eam aqua, quaſi ludum exhibere vellet, immodice perfudit. Cum hac pompa fuerunt ea die legati in hoſpitium deducti. Vigeſimo vero die menſis ciuſdem, legati, eadem hominum frequentia, & celebritate, in Pontificis ædes deducti ſunt. Pontifex, in ſublimi ſede, veſtibus ſacris cultus, vt fit, eos exſpectabat: Cardinales in ſedibus ſuis conſidebant. Legati, primum Pontificis Pedes oſculati ſunt. Alij deinde, ordine a deſignatorib. inſtituto, idem officium præſtitere. Triſtanus deinde Cugna litteras Pontifici Regis Emmanuelis obtulit, quæ publice lectæ ſunt. Eæ nihil aliud continebant, quam poſtulatum, vt legatis fides haberetur. Tum Iacobus Paciecus egregiam orationem habuit, quam ita voce, & actione, luculenter expreſsit, vt non mediocrem ea die laudem eloquentiſsimi oratoris aſſequeretur. Pontifex reſponſum Latine, verbis luculentiſsimis, & eleganter, & grauiter, dedit; Emmanuelisq. nomen, & Luſitanæ gentis virtutem, laudibus ſummis exornauit. Poſtridie, legati in viridarium, quod poſt Pontificis ædes in Vaticano monte conſitum eſt, intromiſſi ſunt. Eo in loco eos iam Pontifex exſpectabat. Ibi munera accepit, quorum fulgorem, & artificiũ, admiratus vehementer eſt. Inde, in hortũ, vt elephantum, & pantherã videret, (non.n.facile elephanto erat in ſuperiorem ædium partem, vnde in viridarium exitus patebat, ſcandere) continuo deſcendit. Ibi voluit ſpectare, qua ratione panthera venaretur. Fuerunt igitur ad illum beſtiæ perductæ. Panthera repente a venatore, qui eam regebat, immiſſa, in illas inſiluit, easq. celeritate incredibili iugulauit. Non multis poſt diebus, legati poſtulata Regis Emmanuelis explicuerunt; quorum pars ad communem reip. Chriſtianę ſtatum, pars ad ipſius Regis commodum, & emolumentum, pertinebat. Quæ ad communem bonum ſpectabant, erãt hæc, Vt indictum Concilium continuaretur, illiusq. decreta ſancirentur; vt ſacerdotes a vitæ luxu, morumq. licentia, ad continentiæ, & ſanctimoniæ, diſciplinam reuocarentur; vt opera daretur, qua Principes Chriſtiani ab inteſtinis diſcordijs ad bellum contra Turcas conſenſione ſumma, comparandum traducerentur. Hæc omnia poſtulata, non eni.n temporis erant, repudiata ſunt. Reliqua ſingulari benignitate conceſſa fuerunt; nempe, vt tertiæ, atque decimæ partes vectigalium, quæ alendis ſacerdotibus, & ſacris vſibus, deſtinata ſunt, in belli, quod in Mauritania gerebat, ſumptus illi tribuerentur; vt bona pars eccleſiarum, (ſic enim, trito iam ſermone, Templorum bona nominare ſolemus) cum monachorum etiam quorundam vectigalibus, in vſus eorum, qui in Chriſtianæ militiæ ordinem cooptantur, conuerteretur; vt diplomata ſcribi iuberet, quibus ijs, qui vellent bellum Africanum pecunia iuuare, cæleſtia beneficia, e Chriſti theſauris deprompta, large tribuerentur. Quæ quidem largitas hominum reprehenſione carere non potuit. Vt enim Rex, hominum cupidorum importunitate victus, id a Pontifice contenderet, æquum tamen eſſe dicebant, vt Pontifex eſſet in largiendo reſtrictior. Sacra enim vectigalia tanta religione non ſolum apud homines Diuinis legibus adſtrictos, ſed etiã apud Græcos, & Romanos, & Aegyptios, & complures alias nationes, munita fuerunt, vt, qui ex illis partem aliquam attigiſſet, grauiſsimum in ſe ſcelus admiſiſſe exiſtimaret, vix vllis piaculis eluendũ. Et vera religione dicebant multo magis continendam eſſe hominum Chriſtia-

Legatorũ in vrbem ingreſſus, & põpa.

Elephantus Põt. Max. veneratur ſiexis genibus.

Emmanuelis ad Põtificem Max. poſtulata.

Pont. Max. erga Emmanuelẽ notata largitas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

norum cupiditatem; neque committendum, vt, propter immanem quorúdam auaritiam, quæ nullis finibus arceri poteſt, ſacra profana fierent. Decimæ quidem, atque tertiæ ſacrorum vectigaliam partes, olim Alfonſo nono, & poſt Alfonſo vndecimo, conceſſæ definito tempore fuerunt. Verum. ſed illorum patrimonium fuerat a tutoribus diſſipatum; & influentes barbarorum copiæ, in Hiſpaniam irruentes, erant tunc templorum omnium ſanctitatibus, & ſacris etiam vaſis, iure, atque merito, repellendæ. Rex Fernandus ſimiliter, & Iſabella, cum eſſent, propter Portugalenſe bellum, ſumptibus exhauſti, & bellum eis iuſtum, & religioſum, contra Granatenſes Saracenos, inſtaret, merito videntur eadem Pontificis benignitate ſuſtentati. Id tamen Alfonſus primus, Luſitaniæ Rex, qui, cum tenues admodum opes poſsideret, Saracenos innumerabiles, opibus, & potentia, feroces, maxima, atque diuturna, belli contentione e Luſitanię finibus expulit, numquam vt faceret, in animum induxit. Neque Sancius, illius filius, qui, cum bellum duriſsimum Saracenis Bæticam incolentibus inferret, prope Hiſpalim, Betim fluuium eorum ſanguine tinxit. Neque Ioannes, hoc nomine primus, qui, profligato, quod cum Caſtellæ Rege geſſerat, bello, Septam vrbem expugnauit. Nec Alfonſus quinctus, qui Tingim, & Arziliam, & Alcaſſarem, armis, atque virtute, cepit. Nec Ioannes ſecundus, cuius non ſolum in bello Hiſpanienſi contra Fernandum Regem inuictiſsimum admirabilis virtutis lumen eluxit, ſed etiam in Africano bello clariſsimum ſpecimen egregiæ virtutis exhibuit. Si exemplis erat agendum, quando, quod exemplo fit, iure etiam fieri plerique iudicant, multo magis erat exemplis domeſticis, quam alienis veſtigijs, inſiſtendũ. Deinde, illi, qui ſacris rebus, permiſſu Pontificis, manus iniecerunt, excuſationem egeſtatis habuere. At Emmanuel tunc tantis opibus circumfluebat, vt omnes Principes, a quibus ortum ducebat, longiſsimo interuallo ſuperaret. Quod ſi illi, quibus ea pecuniæ ſacræ ſumma donabatur, totam vitam, vt olim in ſacro bello, pro CHRISTI ſanctiſsima religione, conſumerent, recte videretur illud munus a Rege poſtulatum, & a Pontifice conceſſum. Sed illud incommodum acceſsit, quod in litteris Pontificis, legatorum opera, qui ſacræ pecuniæ lucris inhiabant, adiectum fuit, vt illa vectigalia non modo pro CHRISTI religione militantibus, ſed quacumque alia ratione bene meritis, a Rege donari poſſent. Hoc introitu ad hominum cupiditatem patefacto, factum eſt, vt vectigalia ſacra multis in locis hominibus lautiſsimis, qui non ſolum numquam hoſtis vultum adſpexerunt, ſed, illata Africani belli mentione, contremiſcunt, donarentur. Poſtremo, quod Rex, hominum ſermonibus inductus, ſibi propoſuit, conſecutus minime fuit. Maritimas enim Mauritaniæ ciuitates facillime tueri, & nobilitatem opibus ampliſsimis deuinctam tenere, & ærarium, demptis ſumptibus, amplificare, cupiebat. At, poſt illius muneris conceſsionem, nec Africæ bellum eadem felicitate geſtum fuit; & nobilitas maiore inopia conflictari, & pluribus querellis vti, cœpit; & Regis ærarium, quo plures vectigalium acceſsiones fiunt, eo ſumptibus minus neceſſarijs, & caſibus interdum acerbioribus, exhauritur. Sumptus quidem ſacræ pecuniæ moderatos, & hominibus, qui non militiæ ſacræ nomen vſurpant, ſed pro religione ſanguinem profundunt, attribuos, laudandos cenſeo: tantam largitionem ex ſacris vectigalibus in luxum multorum hominum, qui numquam gladium ſtrinxere, fieri, minime ferendum arbitror. Sed, vt eo, vnde deflexit oratio, reuertamur, Legati, rebus ex animi ſententia confectis, cum litteris ipſius Pontificis, valde propenſæ in Emmanuelem voluntatis teſtimonium continentibus, in Luſitaniam redierunt. Emmanuel tertias, atque decimas, ſacrorum vectigalium remiſit: quod illi non mediocri laudi tributum fuit. Pontifices, & ſacerdotes, illi, pro tanta benignitate, centum & quinquaginta nummorum aureorum millia, tribus penſionibus, obtulerunt. Litteræ, quibus animi eorum, qui certo pecuniæ numero bellum Africanum iuuare vellent, expiarentur, & multis præterea beneficijs, quæ ad numinis offenſas oblitterandas valerent, afficerentur, miniſtrorum auaritia, & improbitate, grauiſsimas offenſiones attulere. Fuit tamen, Emmanuelis iuſſu, in miniſtros animaduerſum; & omnes, vel humano iudicio, vel Diuina vindicta, talem exitum vitæ habuerunt, vt intelligi poſſet, numen Diuinum fuiſſe hominum cupiditati, qui ex hac functione non mediocrem ſibi pecuniam comparabant, vehementer infenſum. Summa pecuniæ, quæ ex ſacerdotijs erat in vſum militiæ conferenda, & CHRISTI, vt appellant, militibus aſsignanda, fuit viginti millium nummorum aureorum, qui circiter bis centum auri libras efficiunt. In ijs etiam Emmanuel moderationem adhibendam cenſuit. Primum enim Abbatias omnes, præter paucas, quæ iam, eiuſdem militiæ obtentu, ab hominibus, qui numquam militauerant, occupatæ fuerant, ea tyrannide liberauit. In reliquis ſacerdotijs æquos iudices adhibuit; &, vt omnia cum moderatione fierent, operam dedit. Sed iniuriæ ſatellites, atque miniſtri, tantam induſtriam adhibuerunt, vt nihil ex æquo, & bono, fieret. Sic enim, æſtimatione ſua, annuos fructus, qui erant militibus addicendi, attenuabant, vt vix vllis fructibus ſumma expleri poſſet. Sacerdotibus vero non fructuum vllam partem, ſed certam pecuniæ ſummam, relinquebant; & ita paullatim eos poſſeſsionibus exturbabant.

Bonorum Eccleſiaſticorũ abuſus.

Auctoris hac de re ſententia.

Sacrarum indulgẽtiarum abuſus, quo modo vindicatus.

Sacræ pecuniæ ſumma.

turbabant. Cum vero fructus annui venirent, & eorum pretium ſingulis annis augeretur, milites autem ditiores fierent, ſacerdotes in eadem perpetuo egeſtate relinquebantur. Sub id tempus alia quædam legatio ad Emmanuelem Regem peruenit, quæ fuit illi gratiſsima. Quo modo vir quidam Armenius, Matthæus nomine, ab imperatore illius Aethiopiæ, quæ ſupra Aegyptum eſt, ad Emmanuelem miſſus fuerat, expoſuimus. Eũ Albuquercius honorifice acceptum, & beneficijs ornatum, in Luſitaniam miſit. Duces, quibus Matthæus commiſſus fuit, odio Albuquercij inducti, (dicebant enim, illum eſſe ſcurram, atque prælitigiatorem, & Albuquercium inſanum, & temerarium, qui homini leuiſsimo fidem habuiſſet) eum multis iniurijs affecerunt, neque ſicut legatum, ſed tamquam vile mancipium, acceperunt. ob quam rem fuere in cuſtodiam dati, vt, pro ratione maleficij, pœnam debitã luerent. Qui tamen poſtea fuere, legati eiuſdẽ precibus, e cuſtodia liberati. Quæ autem fuerit huius legationis occaſio, eſt paullo altius repetenda. Rex Ioannes ſecundus, vt dictum eſt, ardebat cupiditate incredibili Indicæ regionis penitus explorandæ. Cum vero accepiſſet, eſſe quendam Chriſtianum Imperatorem, mira ſanctimonia præditum, qui Indias imperio cõtineret, eumq. Presbyterum Ioannem appellari, & cerneret ſæpenumero ſacerdotes Chriſtianos Aethiopas, qui Romam venerãt, & Galliam, Hiſpaniamque, peragrabant, ſuſpicari cœpit, eos ex ea Indiæ parte profectos eſſe, in qua Presbyter ille Ioannes (ſummum enim ſacerdotium cum imperij Regij maieſtate obtinere dicebatur) Regnũ poſſideret. Ipſiq. ſacerdotes, cum interrogarentur, an Rex illorum ſacerdotio ſummo præditus eſſet, & an Ioannes Presbyter appellaretur, & an illorum patria terminis Indiæ contineretur, haud abnuebant. Putabant enim, ſi ea ſuſpicio penitus in Chriſtianorum animis inſedisſet, fore, vt ipſi multo humanius a noſtris acciperentur. Nemo tunc erat ijs litteris præditus, vt, quantum inter vtramque regionem intereſſet, diſtinguere poſſet. Ioãnes igitur, cum de hoc Presbytero Ioanne multa percepiſſet, exiſtimauit, ſibi vel ad nominis decus, vel ad religionis fructum, vel ad Indiæ perueſtigandæ facilitatem, nihil optatius cadere poſſe, quam cum hoc Chriſtiano Principe fœdere coniungi. Iccirco varijs temporibus homines Arabicæ linguæ peritiſsimos, magnis præmijs, inuitauit, vt eas regiones perluſtrarent. Inter hos exſtitit quidam, nomine Alfonſus Paiua, & alter, cui nomen erat Ioannes Petreius. Hi, profecti e Luſitania, Anno ſalutis MCDXXCVI. Aegyptum, mercatorum habitu, peragrarunt, atque inde Adenam peruenerunt. Ibi, cum intellexiſſent, in ea Aethiopiæ parte, quę ſupra Aegyptum eſt, eſſe ſummum quendam Principem Chriſtianum, cuius imperium eſſet latiſsimum, & cui multi Principes obtẽperarent, ſuſpicati ſunt, illum eundem eſſe, cuius cognoſcendi gratia miſsi a Ioanne fuerant. Sed eos Indiæ nomen interturbabat. Miſsi namque fuerant, vt Chriſtianum Indiæ Imperatorem, nomine Presbyterum Ioannem, conuenirent. At nec imperium, neque nomen, neque ſacerdotij dignitas, in Aethiopiæ Regem conueniebat. Cum igitur inter ſe, quid optimum eſſet, deliberarent, viſum eſt, vt Ioannes Petreius in Indiam nauigaret, & videret, num qua mentio in oris illis Presbyteri Ioannis exſiſteret; Paiua in Aegypto Thebis Petreio præſtolaretur. At verum fuerat, Chriſtianum quendam Principẽ, nominis eiuſdem, ſecta Neſtorianum, in mediterraneis Indiæ locis, ampliſsimum imperium tenuiſſe; qui tamen fuerat Scytharum armis oppreſſus, & Regnum illius occupatũ, cuius iam nomen erat oblitione ſepultum. Chriſtiani tamen non pauci in locis illis reſederant, Neſtorij tabe contaminati. Itaque Ioannes Petreius, cum fine fructu tempus a ſe conteri videret, in Aegyptum redijt, vt cum Paiua, quid vtrique agendum eſſet, deliberaret. Ibi duos Iudæos Luſitanos reperit, cum Regis Ioannis litteris, ad illum, atque Paiuã, datis. Sed Paiua, vt Iudæi aſſeruerunt, iam obierat. Iudei Armuzium (ſic enim Ioãnes imperauerat) petiere; Petreius, varijs regionibus peragratis, in montem Sinai, vt ſepulcrũ virginis Catherinæ inuiſeret, ſe contulit; &, inde Adenam reuerſus, Zeilam, & Zeila ad Aethiopiæ imperatorem ſe tandem contulit. Nec enim dubitauit, cum non alium Chriſtianum Principem in regionibus illis reperiret, quin is eſſet, ad quem miſſus a Ioanne fuerat. Rex Alexander appellabatur, qui, Ioannis litteris, lætitia incredibiliter elatus eſt, Petreiumq. ſingulari humanitate tractauit. Sed accidit, vt is Rex tũc e vita diſcederet, antequã ad Ioannem reſcriberet. Cum vero nullum filium ſuſcepiſſet, frater quidam illius, Nau nomine, in Regnum ſucceſsit. a quo numquam Petreius impetrare potuit, vt ſibi in patriam redire liceret. Hoc Rege defuncto, filius illius, cui Dauid nomẽ erat, Rex creatus eſt; qui tamen in eo perſeuerauit, vt nullo modo Petreium e Regni ſui finibus abire permitteret. Ingenio enim hominis, vt veriſimile eſt, Reges inducti ſunt, ne fructu prudentiæ, & ſagacitatis, illius, carere vellent. Is igitur, cum reditum in patriam omnino deſperaret, vxorem duxit, & filios ex ea ſuſcepit, ſtabilemq. ſedem in illa regione neceſſario collocauit. Sed, progreſſu temporis, cum Vaſcus Gama primum in Indiam iter aperiret, & regiones illas exploraret, cum deinde Luſitanæ claſſes, & Duces fortiſsimi, in Indiam venirent, & inſignes victorias adipiſcerẽtur, fama nominis Luſitani per omnes illas oras, cũ hominũ admiratione, vaga-

Aethiopica ad Emmanuelem legatio, eiusq. occaſio.

Rumor de presbytero Ioanne Imp. Chriſtiano.

Primi Aethiopiæ, & Indiæ hoc ſæculo luſtratores.

Alexãder Aethiopię Rex.

Nau Rex.

Dauid, Aethiopũ Rex.

Universidad de Deusto
Biblioteca

batur;&,cum ad Dauidis aures peruenisset,& ex Petreio intellexisset, gentem illam Lusitanam eandem esse, a cuius Rege is missus exstiterat,miro studio incitatus est, vt legatum ad illum mitteret. Erat autem Rex adhuc puer; & Helena, illius auia, singulari prudentia femina,Regnum,nomine illius,administrabat.Consilio igitur cum ea communicato,decretum fuit,nihil fore,vel ad nominis claritatem,vel ad religionis sanctitatem,vtilius,quã Principi, virtute clarissimo, & religione sanctissimo, singulari amicitiæ fœdere copulari. Ad eam autem legationem Matthæum,quem diximus,natione Armenium,religione Christianum,virum non vulgari prudentia præditum, qui diutissime apud Reges illos versatus,cum nõ mediocri probitatis, & industriæ, laude, fuerat, delegere, qui munus id obire, pro dignitate, posset. Cum illo veniebat Aethiops quidam,adolescens, summa nobilitate, vt mores nostros, & institutа, perdisceret. Hi fuerunt ab Albuquercio ijs honoribus accepti, quos supra retulimus, & a Ducibus ea immanitate tractati,quam exposuimus. Fuit Olysippone legatus ab omni nobilitate, & a Pontificibus,cũ maxima significatione Christianæ caritatis,in Regiam deductus,& ab ipso Rege satis benigne, & comiter, acceptus. Post triduum fuit admissus, vt summam legationis exponeret.Is prudenter,atque diserte, muneri sibi cõmisso satisfecit; & litteras Helenæ Reginæ,quinque bullis aureis consignatas,Regi detulit;deinde Crucem e ligno Crucis,qua Christus, pro generis humani salute, mactari sustinuit,Regi, nomine Principis sui, donauit. Hanc Emmanuel,obortis lacrymis, venerabũdus,accepit;summasq. gratias Deo egit, quod in longinquis illis regionibus, hostium immanitate vastatis, Christianæ religionis,& pietatis,semina conseruasset. Alteras deinde litteras, arundine aurea inclusas, eduxit,quas Dauid Rex ad Emmanuel em derat. Omnes hæ litteræ erant Arabica, & Persica,lingua conscriptæ. Sententia illarum hæc erat.Principio quidem, Rex, trium personarum distinctionem,vna natura,& Diuini tate, coniunctam, debita veneratione prosecutus, Regi Emmanueli salutem, & felicitatem,precabatur. Deinde, gratias de epistolis, ad Reges Aethiopiæ missis, agebat; & suam potentiam, & opes, exaggerabat, quibus confidebat futurum, si Rex Emmanuel mari, ille vero terra in Mahumetanam nationem inuaderent,vt impii,& scelerati,Mahumetis nomẽ, ex omni memoria hominum, euellerent, & CHRISTI Sepulcrum in libertatem vindicarent.Matthæi legati auctoritatem constituebat;& Crucem, quam Rex ipse, in amoris signum,mittebat,e ligno Crucis,in quam generis humani liberator sublatus fuerat,perfectam fuisse confirmabat; ad societatem belli,atque pacis, Emmanuelem inuitabat, & ius etiam connubii libenter offerebat. Nihil enim sibi gratius fore dicebat,quam illam amoris coniunctionem,& religionis consensionem, matrimonii etiam fœdere sacrosancto,inter vtriusque Regis liberos icto, confirmari.Laudabat postremo facinora, quæ in India Regis Emmanuelis Duces ediderant; eaq. dicebat,non absque CHRISTI præsentia,gesta fuisse;&,vt quod instituerat,ad exitum perduceret, hortabatur. Lectis litteris, Emmanuel Matthæum in hospitium deduci, & illi omnia copiose præberi,iussit.Locus autem hic postulat,vt de huius Christiani Principis imperio pauca dicamus. Regnum illius a Septemtrione,Aegypti finibus; ab Austro, montibus Lunæ terminatur; ab ortu, mari, quod per hostium Arabici sinus influens, ad Heroum ciuitatem pertinet,definitur. In occasum vero latissime protenditur,ita,vt cum gentibus atro colore,& crispo, & adusto, capillo, quæ ad Aegesimbam regionem pertinent,coniungatur.Montes tamẽ multos in illius Regno Saraceni tenent, qui illi non obediunt. reliqui Principes illi parent; & multi, tributi nomine, ei non mediocrem auri vim singulis annis pendunt.A Lunæ montibus Nilus exoritur,qui,inde varios lacus, & insulas, efficiens,Aegyptum interfluit, vsque eo,dum per Alexandriam in nostrum mare influat. Multi in ea regione montes editi, & excelsi, contineri dicuntur, vndique prærupti, aditu perangusto, adeo, vt vnus tantum homo per ostium penetrare possit.In summo autem fastigio sunt miræ planities latepatentes, aquæ perennes, pabula,& fruges lætissimæ, amnes pellucidi,pecorum,& boum,multitudo, aluearia,e quibus vis ingens mellis exprimitur.Regio ,maxima ex parte, est fertilis, & opima; multisq. auri, argenti, & æris,metallis abundat;equos nutrit; gossipij copiam ingentem profert;vino caret, sed incolæ potionẽ e melle,& aqua,conficiunt, potu iucundam,& corpori valde salubrem.Medicis, atque pharmacis, raro admodum vtuntur. Gens tamen est supra modum ignaua, &, propter ingentem desidiam,& artificum pænuriam, telluris bonitate frui nescit.Rex cum finitimis gentibus continenter bella gerit, & ideo vrbes non incolit, sed in castris perpetuo ætatem degit. Tanta autem est hominum, & tabernaculorũ, multitudo, vt castra circiter duodecim millibus passuum in longitudinem pateant, & totidem in latitudinem. Eo autem ordine locantur, vt, quamuis crebro mutentur, facillimum sit cuiuis, castrorum vias oculis designare, & in hominum, quos conuenire velit, tentoria, sine vllo errore, peruenire, & principes, quos velit, adire, & tamquam in vrbe notissima versari. In castris septem parœciæ sunt;& singulis parœciis sacerdotes præfecti, qui sacra peragunt, conciones habent, subditos disciplinis instituũt,& rebelles pœnis

Helena,Dauidis Regis auia, Legatũ ad Emmanuelem mittit.

Legationis Aethiopicę, & munerum ad Emmanuelem explicatio.

Aethiopici imperij descriptio.

Nili fontes.

Aethiopum mores.

pœnis a flagitio deterrent,& ad Christianam moderationem frequenter erudiunt. Vrbes regionis exiguæ sunt,ædes humiles,muri fragiles;templa tamen magnifica,& monasteria maximis sumptibus ædificata. Rex se, tamquam numen cæleste,coli faciebat; vultum ne Principibus quidem apertum, nisi statis diebus,ostendebat.Illis,qui eum conuenire volebant,aliquando pedem tantum,aliquando vero manum,demonstrabat; reliquam speciem Regis intueri, nefas existimabatur. Cum vero respõdere volebat,interruntiis vtebatur, & e cortinis, quasi ex aditu oraculum ederet, responsa per interpretes edebat.Sed hæc ineptissimæ Diuinitatis ementitæ fabula,postea quam Lusitani gentibus illis, in vltimum discrimen adductis, opem attulere, & morem Christianorum Regũ exposuere,derisa fuit. Iam nunc Reges intueri,iam illos alloqui, iã audire licet. Quod vero ad religionem attinet,multa ab Hebræis desumpta conseruant. Mares octauo ab ortu die circumciduntur, & feminis etiã aliquid amputatur, vt non omnino in circumcisę videantur.Quod dicunt se facere,non quod in circumcisione vim aliquam ad salutem constituant, sed vt Abrahami, & aliorum sanctorum Patrum, exemplum sibi ob oculos proponãt, &,illo monumento commoniti,acrius,& ardentius,in similis sanctitatis studium incitentur. Quadragesimo deinde a circumcisione die,mares;octogesimo autem feminæ, salutaribus aquis expiantur; & Eucharistiam eo die infantes initiati in mica panis assumunt.Singulis annis diẽ,quo CHRISTVS,a Ioanne aquis Iordanis ablutus,Baptismi sacramentum instituit, eiusdem lustrationis renouatione,celebrant; & tamẽ asserunt, vnico tantum Baptismo peccata deleri, reliquas lustrationes,quotannis instauratas,corpus tantum tingere, animum vero non expiare; se tamen id facere,vt CHRISTI Diuinum beneficium,qui,vt nostras sordes elueret,sanguinem,& aquã, e latere suo profudit, sæpius in memoriam redigant. Feminæ,si mares ederint,quadraginta diebus; si feminas, octoginta, a templorum liminibus arcẽtur.Sacerdotes vxores ducunt,si vxores decesserint, cælibes permanent,& summa castimonia vitam peragunt;&,si adulterio se contaminauerint, aut post vxorum mortem aliqua se libidine commaculauerint,sacerdotio priuantur.Ante quam rem Diuinam faciãt, aliquot diebus ab vxoribus abstinent,vt, libidinis impuritate,dierũ numero,sublata, sanctius CHRISTI sanctissimum Corpus immolent, & attentius de rebus Diuinis cogitent, & sic facilius perlitent.Monachis vxorem ducere,nefas. Nemini,nisi nudis pedibus, ingredi in templum licet.In fanis,flagitium est,ridere, fermocinari,deambulare, aut aliquid denique meditari,quod non ad cælestia,atque Diuina,referatur.Cum ieiunãt,vsque ad Solis occasum nec edere quidquam,neque bibere, solent. A cibis,quos antiqua lex vetabat,abstinent.Flagitia sacerdotibus sæpenumero cõfitentur. Sub vtramque speciem Eucharistiam sumunt.Monachi Antonium Aegyptium auctorem religionis habent. Pontifices a Rege creantur. Patriarcha a monachis deligitur,& a Patriarcha Alexandrino confirmatur.Multa sunt, in quibus Iudaicis ritibus,atque cerimoniis,adhærescunt;quamquam affirment, se non illis, sed CHRISTI tantum virtute, atque meritis,inniti. Multos dies festos agunt. Sanctos homines hac vita perfunctos colũt,atque venerantur. Hi sunt Aethiopum Christianorũ mores, quorum Imperator Dauid legatum, quem diximus,ad Regem Emmanuelem misit.At inuidi,& inimici,Albuquercii,legati auctoritatem apud Emmanuelem, imprimis sermonibus, eleuabant, eumq. omnia finxisse contendebant, vt, quantum de illius fide detraherent,tantum Albuquercius,qui eum orarat, de prudentiæ existimatione deperderet.Hoc anno Albuquercius Georgium Albuquercium Malacam misit, vt eam cum imperio obtineret;& Rodericum Brittium Patalinum,cui iam tempus eiusdem muneris illi cõmissi exactum fuerat,Goam reuocauit.Georgius Albuquercius,Zamatram præteruectus, ad Pacemensem portum naues appulit,vbi intellexit, Regem contra Principem Regni sui, qui ab illo defecerat,bellum moliri. Lusitani, eo quod Rex fœderatus esset, illi opem attulere,& hominis rebellis exercitum fudere.Inde Malacam profecti sunt. Post aliquot menses, Georgius Albuquercius ab Albuquercio Prætore litteras accepit, quibus imperabat, vt, Ninachetuense dignitate deiecto, Regem Cãparensem Bendaram crearet. Regnum illius erat angustum, & ad Austrum pertinebat. In munere vero Bendaræ tanta dignitas inesse videbatur,vt Camparensis Rex, qui suum Regnum,eius muneris obtinendi gratia, reliquebat, se non mediocri dignitatis accensione cumulatum putaret.Quid vero Albuquercius secutus sit, vt Ninachetuensem honore priuaret, incertum est. Vel enim munus sibi creditum male gesserat, vel homines,illi subditi,nouitatem illius contemnentes,ab Albuquercio petierant,vt alium sibi rectorem,qui sanguine Regio esset,assignaret, vel quacumque alia de causa,sic statuit,vt,Ninachetuense amoto,Rex Camparensis,qui singulari studio Lusitanũ nomen colebat,illud munus obtineret .Georgius Albuquercius Regem Camparẽsem accersiuit. Georgius Botellius, cum esset Regis amicus,vt illum deduceret,in Regnum illius,cum biremi,concesit. Eo tempore Rex Bintamensis Camparensem obsidione premebat. Botellius a Georgio Albuquercio auxilium,per litteras, postulauit, vt Regem amicum obsidione liberaret. Is continuo Frãciscum Melium,cum nauibus quattuor,& Lusitanis,

Aethiopię regum arrogantia, & affecta Diuinitas.

Aethiepũ religio, & sacri ritus.

Sacerdotũ cõiugium.

Templorum veneratio.

Ieiunia,confessio,cõmunio sub vtraque specie.

Sanctorũ veneratio.

Res Indicæ.

Ninachetuensis, dignitate spoliatus.

Camparensis Regis obsidio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sitanis centum,& septingentis Malacensibus, auxilio misit. Botellius, hoc auxilio fretus, per ostium fluminis, quod Camparensem regionem iuxta fluit, penetrare constituit. Cum vero suburbiis appropinquaret, stationem munitissimam, quam Linguę Rex, est enim Lingua ciuitas illi Regno finitima, excitarat, (is enim eam a Bintamensi Rege prouinciam suscepe rat, vt Regem Camparensem euerteret) oppositã reperit. Quo autem nostri magis progrediuntur, eo flum ẽ angustius, & alueus profundior, & ripæ altiores apparebant. Erat igitur periculum, ne, cum vndique ripæ nauibus imminerent, hostes saxis, atque missilibus, nostros opprimerent. Itaque Botellius belli genus mutandum censuit. Fauces namque, quibus in mare flumen erumpit, nauibus obseruãdas esse putauit, vt vel intercluso commeatu, hostes fame vexaret, vel in locum commodiorem ad dimicandum eliceret. Conuersa igitur biremi, retro concessit. Rex Linguæ, cum nauibus octoginta, & sex millibus hominum, in nostros inuehitur. Botellius in naui, qua Rex ipse cũ nobilitate ferebatur, pilis frequẽtibus emissis, eædem magnam facit, & ingentem terrorem præbet. Nauis clauda, atque mutilata, cum se transuersam suis opponeret, (ita namque hæsit in imo, vt nullo modo remis agi posset) exitum nauibus reliquis interclusit. Botellius, harpagone coniecto, in illam insiluit: hostes acri animo restitere. Omnes tamen vel cæsi, vel exturbati sunt. Aestus decedebat; hostiles naues nec progredi, eo quod Regia nauis obstaret; nec regredi, quod æstus esset impedimento, poterant. Erant igitur adeo constipatæ, vt nullam in partem mouerentur. Franciscus Melius in ostio fluminis classem habebat; & Regis impetus, non solũ ob id, quod valde repentinus exstiterat, sed etiam propter varios fluminis flexus, & ripa rum altitudinem, animaduerti non poterat. Cum tamen tormentorum fragorem, & armorum strepitum, auribus accepisset, eo se contulit. In nauemq. Regiam transcendit. Inde nostri, ex aliis in alias transgressi, cum primas hostibus nudassent, & in alias deinde eodem impetu peruasissent, hostium stragem ediderunt. Linguę Rex, metu conturbatus, aufugit. Rex Camparensis Ducibus ingentes gratias egit; & ex litteris, quibus Bendara creabatur, magnam voluptatem cepit. Regia nauis, quæ impegerat, extracta, atque refecta fuit. Eam Melius Camparensi Regi concessit, qua Malacam veheretur. Ex reliquis hostium nauibus quasdam eduxit, reliquas incendit. At Ninachetuensis, cum accepisset, Regem Camparẽsem accersiri, vt munere Bẽdaræ fungeretur, eam contumeliam minime ferendam esse statuit. Itaque tabulatum editum, & oblongum, colũnis fultum, exstruxit; illudq. tapetibus, & peristromatis, instrauit, multisq. floribus, & odoramentis, adiersit. Se vero vestibus auro fulgentibus, & gemmis clarissimis, ornatum, & cultum, in hominum conspectum dedit; & per gradus in tabulatum adscendit. Erat in loco inferiore pyra, e x odoratis lignis instructa, & incensa. Cum Ninachetuensis, hac tam insolita specie, ora multitudinis vniuersæ in se conuertisset, ignorantis, quorsum illa omnia tenderent, orationem sane lugubrem habuit. Cõmemorauit enim merita, quibus Lusitanam gentem, ante quam Malacam caperet, obligarat; quæ post vrbem captam Regis Emmanuelis gratia gesserat; quanta constantia in fide data permanserat; quanta virtute, ne fidem falleret, maximum multis in locis vitæ discrimen adierat. Eam vero sibi, pro tantis meritis, a Lusitana gente gratiam relatã, vt illius senectutem tanto dedecore deformaret, quantum nemo, qui decoris aliquo studio duceretur, pati vlla condicione posset. Spoliari ñaque se a Lusitanis dignitate, qua fuerat a Lusitanis ipsis affectus; & debitis honoribus priuari; dignumq. iudicari, qui extremam vitæ partem in dedecore, & ignominia, cũ omnium mortalium derisione, consumeret. Se nũ quam honestati vitam prætulisse; immo, vitã deserendam esse, depellẽdi dedecoris gratia, secum semper statuisse. Iccirco nũc libenter, ne in se tantum dedecus admitteret, mortem cum vita commutarurum. Hæc cum diceret, se in pyram præcipitem dedit. Omnibus genus illud mortis indignum, & miserandum, visum est, cum animis reputarent & hominis erga Lusitanos merita, & fidei in omni rerum statu constantiam, & calamitosum extremæ senectutis exitum, qui multorum animos horrore perstrinxit. Dum hæc Malacæ gerebantur, Albuquercius legatum ad Regem Cambaiæ mittere decreuit; de cuius Regni situ, & telluris fertilitate, & moribus gẽtis, in primis pauca dicẽda sunt. Cambaiæ Regnum, est prima Indiæ pars, ad Solis occasum, quæ Aracho siæ terminis definitur. Eam fluuius Indus, vnde India nomen duxit, interfluit. In eũ, ab Ortu, & Occasu, fluuii complures illabuntur. Sinus ingens, in quem Indus influit, Canticolpus a scriptoribus antiquis appellatur. Regionẽ tanta fertilitate prædita esse, perhibent, vt paucis iugeribus incredibilis hominũ multitudo ali, atque sustentari, possit. Fruges varias, sacchari magnam vim, & fructus multiplices, effundit. Pecora, & armenta, innumerabilia nutrit. Oram maritimã, maxima ex parte, Saraceni, mediterraneam regionem homines dediti simulacris, colunt. Est gens quædã acris, quæ montes incolit; quæ, postquam Reges Mahumetis disciplinis imbui cœperunt, abillis desciuit. Homines Resbuti nominantur, & cum Regibus sæpe bella gerunt. Mercatores sunt ditissimi; vectigalia Regis amplissima; milites externi vberrimis a Rege congiariis alliciẽbatur, & ita fiebat, vt Cambaia patriæ quædam communis exsistimaretur.

Lingua ciuitas.

Ninachetuensis ad populũ Malacensem lugubris oratio.

Volũtaria Ninachetuensis mors.

Cambaię regni descriptio.

Prælium nauale cũ Linguę Rege.

Linguæ Regis fuga.

Cambaiensis Rex Bendara creatur.

Funebris Ninachetuensis apparatus.

Resbuti.

Dium

Dium ciuitas

Dium est ciuitas huius Regni, in insula quadã parua, exiguo sane freto a continenti disiuncta, quæ, propter portus bonitatem, multos vndique mercatores ad commercium allicie bat, ita, vt fieret emporiũ valde celebre, opibusq. multis opulentum. Albuquercius in ea insula arcem ædificare cupiebat, &, vt ea sibi potestas fieret, multis officiis animum Regis ad suam amicitiam pellicere contendebat: quibus Rex id, vt ante dictum est, concedere statuit. Verum Melichiazius, vrbis illius præfectus, in eo verti gentis libertatem, & saluté, iudicabat, & iccirco erat impedimento, quo minus arx ædificaretur. Melichigupius fuit vir quidam primarius, qui multum apud Regem gratia, & auctoritate, poterat. Hunc sibi beneficiis deuincire Albuquercius statuit, vt, fauore illius, id, quod cupiebat, multo facilius impetraret. Melichigupius, litteris, spem ostendit, illumq. admonuit, vt ad Regem legationem decerneret. Albuquercius Iacobum Fernandium Begiensem, cum legationis administris, & viginti prætorea Lusitanis hominibus, qui illius comites essent, legatum instituit.

Albuquercii ad Cambaiensem Regẽ legatio.

Surrate ciuitas.

Surrate ciuitas est in portu sita, quę in intimo sinu, in quem Indus influit, definitur. Ea vero ad Melichigupii ditionẽ pertinebat. In eam aduectus legatus, a ciuitatis rectore, & a primariis ciuibus, multis honoribus acceptus fuit. Cum vero intellexisset, animum Regis esse a Melichigupio dissidentẽ, & tota legatio Melichigupio nixa fuisset, parũ abfuit, quin e vestigio reuerteretur. Fuit tñ, ne id faceret, a ciuitatis illius Principibus ỹpeditus. Multi namque, Melichiazii odio, negotiũ Lusitanorum bene confectum cernere cupiebant. Itaque legatum ad spem meliorem erigunt, & illi tres & triginta equos attribuunt; & prę terea currus assignant, quibus supellex vehe retur. Milites præterea cum illo mittunt, ne eum quispiam violare auderet. Vnde quatriduo Champanellum, quæ ciuitas est Regni illius ampla & egregie munita, peruenit, vbi Melichigupium offendit; a quo fuit satis honorifice, & hospitaliter, exceptus, & admonitus, vt diligentissime Melichiazii, viri scelestissimi, dolos, & insidias, præcaueret. Ibi tribus diebus, in conuiuijs, & hilaritate, consumptis, fuit a Melichigupio commeatu, & præsidiis, instructus, & admonitus, ne vmquam diuerteret, nisi apud quem dux, quem illi ad custodiã corporis dedit, ostenderet, vt sine periculo diuersari posset. Aliter enim eum maximum discrimen salutis aditurum. Inde Madauam, (in ea tunc ciuitate Rex morabatur) modicis utineribus profectus, petiit. Rex, in lecto decumbens, illum comiter excepit: is vicissim Regẽ, more Lusitano, salutauit. Et idem reliqui Lusitani fecerunt. Omnesq. vestibus, & pecuniis, donati sunt, & in hospitia deducti, multisq. muneribus affecti. Quod autem ad arcem attinebat, sic erat iam, Melichiazii oratione, ab ea mente deductus, vt nullo modo id, quod iam concesserat, confirmare vellet. Se namque dicebat vel Surrate, vel Bombaimo, vel Naimo, vel Doubezii, quę ciuitates in ora illius Regni maritima sitæ erant, arcis ædificandę potestatem facturum: in Diensi vero ciuitate, quo minus id permitteret, se iustissimis caussis impediri. Begiensis igitur ab illo, re infecta, discessit, ita tamen, vt nec se parum liberaliter acceptum, neque mediocribus beneficiis ornatum, ille, aut qui cum illo missi fuerant, queri merito possent. Rex ampla etiam munera ad Albuquercium deferri iussit. Begiẽsis, cũ his donis, & amplo commeatu, e Cambaia profectus, Goam reuersus est. Albuquercius vero classem eo tempore summo studio comparabat; eamq. rumor erat in Arabiam instrui, cũ re vera Armuzium petere cogitaret. Sed, vt, quod in animo habebat, maiore silentio premeret, & Armuzii Regem ab omni eiusmodi suspicione deduceret, Petrum Albuquercium, fratris sui filium, cum classe quattuor nauiũ, in Goardafumense promontorium misit, vt interim Arabas bello vexaret. Ibi, cum bonã partem ætatis consumeret, ingentes prædas egit; decemq. naues Arabum, multis, & pretiosis rebus onustas, cepit. Inde, vt fuerat iussus, Armuzium cõtendit; & a Rege Terunxa, qui tunc regnabat, (frater namque illius Zeifadimus decesserat) tributum postulauit; & arcis ædificandæ facultatem petiit, &, vt fœdus cum illius fratre percussum confirmaret, enixe contendit. Rex ex tributo decem tantum millia nummorum aureorum soluit; seque, difficultatibus implicatum, non plus soluere tũc posse, confirmauit; sed operam daturum, vt, intra certum tempus, fidem suam liberaret. Arcem vero exstrui minime se permissurum, asseruit. Quod vero ad fœdus, attineret, se libentissime id confirmaturum. Rebus ad hũc modum constitutis, Petrus Albuquercius in insulam, quam Baharem appellant, quæ intra sinũ Persicum Arabiæ adiacet, & a faucibus fluminis Eufratis, iam cum Tigri cõiuncti, circiter quadringentis millibus passuum distat, nauigare constituit. Id enim a patruo in mandatis acceperat. Rex illum ab eo consilio deducere conatus est. Nauigationẽ enim, propter vada, & cæcos scopulos, periculosam esse, dicebat; & cælum, propter humores palustres, corporibus humanis vehementer infestũ. Nihilo minus tamen ille nauigationem instituit. Cũ vero ab insula, quam petebat, non procul abesset, tempestate iactatus, in aduersam regionem, quæ Persidis imperio continetur, in Raxelis portu constitit. Ibi Ismaelis, Persarum Imperatoris, quem Sophum appellabant, ducem, nomine Mirbuzacam, reperit, qui viginti naues Regis Armuzii ceperat. Is nuntium ad Mirbuzacam continuo misit, qui diceret, Armuzii Regẽ esse Regis Emmanuelis stipendiarium; seq. minime permissurum, vt ei, qui in Em-

Champanellum ciuitas.

Mandaua ciuitas.

Cambaiensis Regis ad legatos Lusitanos responsio.

Petri Albuquercii in Arabas bellum.

Armuziensis Regis ad Albuquercii postulata responsio.

Bahare insula

Universidad de Deusto
Biblioteca

in Emmanuelis præsidio lateret, iniuria vlla fieret. Iccirco illũ amice rogare, (nec enim bello repetere æquum esse, quod verbis se impetraturum confideret) vt sibi omnes naues restitueret. Id Mirbuzaca, siue metu perterritus, siue naturæ lenitate ductus, repente concessit. Cum his nauibus Petrus Albuquercius, Armuzium reuersus, naues Regi donauit; & sic animum illius ab omni cogitatione sinistrę suspicionis abduxit; vt nihil minus suspicaretur, quam malum aliquod sibi a Lusitana classe cõparari. Petrus, Armuzio profectus, Goã petiit, quo tempore patruus instruendæ classi summis viribus intentus erat. Attamen, antequam Goa solueret, Ioannem Gondissaluũ Albicastrensem ad Zabaimum Idalcamum legauit; a quo petebat, vt sibi in continente loca tribueret, quæ munitionibus firmaret, si vellet sibi potissimũ tolerabili pretio equos addici. Legatum deinde alium ad Narsinguæ Regem misit, Antonium Sousam, vt ab illo peteret, vt sibi in ora Indiæ, quæ ad Occasum pertinet, Baticalam vrbẽ concederet. Legati a Principibus humaniter accepti, multisque muneribus ornati sunt. Negotia vero, quorum caussa missi fuerant, minime confecerunt. Itaque Goam, re infecta, rediere.

Albuquercii ad Zabaimũ legatio.

Eiusdem ad Narsinguensem legatio.

HIERONYMI OSORII LVSITANI DE REBVS EMMANVELIS REGIS LVSITANIAE INVICTISSIMI VIRTVTE ET AVSPICIO GESTIS LIBER DECIMVS.

EODEM anno quinque naues, Olysippone profectę, Goam incolumes peruenere; in quibus legatus, quem Armuzii Rex ad Emmanuelẽ miserat, etiam venit. Albuquercius Cochimum petiit, vt classem, quæ erat in Lusitaniam profectura, compararet. Inde Goam reuersus, in exitu Februarii mensis, anno salutis MDXV. cum omnia, quæ ad Indiæ statum firmandum pertinebant, singulari prudẽtia confecisset, Goa soluit, cum septem & viginti nauium classe; ali quot prẽterea nauigia cum Indis militibus ducebat. Cum ad Mascatis portum naues applicuisset, intellexit, res Armuzii non ita esse stabilitas, vt non valde de Regis animo, & de rectorum fide, dubitaret. Aquatione facta, & cibariis comparatis, Armuzium contendit. Rex, re inopinata perculsus, vt animum illius ad benignitatem inflecteret, summo studio laborabat. Itaque, per vnum e domesticis suis, qui Acem appellabatur, illum salutauit, eiq. de felici nauigatione gratulatus est; se, ciuitatem illam, vniuersasq. Regni sui opes, Regis Emmanuelis esse, dixit; & Albuquercium admonebat, vt, perinde, atque si in Lusitania esset, omnibus illius regionis facultatibus vteretur. Albuquercius respõdit, se Regem in loco filii habiturũ, si verbis facta responderent. Aliter enim periculum denuntiabat. Nuntio dimisso, Albuquercius minores naues insulã circumire iussit, & speculari, num quæ naues ad bellum instructæ Armuzium penetrare cõtenderent. Si vero in eis aliquid hostile perspicerent, milites, si se dedere recusarent, occiderent, deditos autem ad se viuos perducerent. In hoc negotio duo dies consumpti sunt, cum interim nuntij vltro citroque commearent, cum Rex Albuquercium verbis placare conaretur, Albuquercius vero Regi, si non imperata conficeret, excidium minaretur. Legatum tandẽ, quem Rex ad Emmanuelem miserat, & in ea classe veniebat, accepta fide, dimisit. Is autem erat natione Siculus. Fuerat autem in pueritia a piratis captus, & Mahumetis disciplinis imbutus. In Lusitania vero, religione tactus, sectam Mahumetis exsecratus, ad CHRISTI fidẽ cõuersus fuerat. Nicolaus Ferreira deinceps appellari voluit. Huic ne fraudi esset apud impium Regem CHRISTI nomen, priusquam Albuquercius a se dimitteret, effecit. Postulata, quę Ferreira, Armuziẽsis Regis nomine, detulerat, hæc erant. Primum, vt Emmanuel tributum impositum Regi Armuzien si remitteret. Esse namque illum exhaustum, propterea quod classes Lusitanæ metum mercatoribus iniicerent, ita, vt non auderent Armuziũ, merces, vt soliti erãt, importare; & ea de caussa portoria, in quibus maxima pars vectigalium consistebat, sublata funditus esse; neque sibi quidquam esse reliqui, vnde facile summam illam conficeret. Petebat præterea suis subditis facultatem in Indiam nauigandi; & similiter omnibus nauibus, quæ ex India Armuzium peterent, eandem facultatem postulabat. Ne præterea naues Lusitanæ in Armuzium nauigarent, ne terrorem externis hominibus incuterent, & vectigalia ex portoriis tollerentur. Præterea, vt, tamquam subdito, (illum enim patronum, & dominum, libenter agnoscebat) æquitate, quæ a tam claro Rege exspectanda erat, naues, & merces, sibi ereptas, soluere iuberet. Postremo, vt omnes Armuzienses, qui captiui detinebantur, libertate donaret. Responsum est, Regem Emmanuelem, si Armuzii Rex in fide permaneret, & arcem in vrbe ædificari permitteret, dimidiam tributi partem illi remissurum. Nauigandi vero facultatem Armuzienſibus, & illis, qui Armuzium nauigabant, liberam concedebat, dũmodo merces, lege lata prohibitas, nõ importarẽt, aut ne illorum nauibus mercatores ex illis partibus, quæ bellum cum Lusitanis gerebant, aduenirent. Postulatum vero, quo petebatur, ne classes Lusitanæ in Armuzium nauigarent,

Annus Christi nati 1515. Albuquercii in Armuzium nauigatio.

Armuziẽsis legationis summa capita, & ad ea responsum.

Armuziẽsis legati e Lusitania reditus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rent,repudiatũ fuit. Id enim nihil aliud erat, quam Emmanuelì imperium ciuitatis illius adimere. Similiter,quod petebat, vt id, quod ab illis, qui fidem violarant, belli iure captũ fuerat,restitueretur,derisum fuit. Libertatem vero captiuis reddere iubebat. Albuquercius obsidem adolescentem primarium,Raix Norandini nepotem, prius ad se perduci imperauit,quam Ferreiram dimitteret. Rex Armuzii,Ferreiram, si licuisset, crudeliter accepisset, quod Mahumetanam sectam fuisset exsecratione sollemni detestatus. Litteras tamen Emmanuelis,cum veneratione debita, in manus sumpsit, & cum Ferreira sermonem non libenter contulit. Sequenti die, Albuquercius ad Regem misit,qui denuntiaret,si pacem velet,vt illi locum,in quo arcem exstrueret, confestim assignaret;& præterea partem ciuitatis, in qua is cum suis habitare commode posset,illi cõcederet. Sibi namque esse in animo, octo,ad summũ nouẽ,menses in ea vrbe consumere. Rex,metu eximio perculsus,omnia cõcessit. Dixitque,se tãtum Albuquercii probitati confidere, vt non dubitaret, quin illi patria pietate consuleret; Norandinumque, cũ fœderis solleni ritu sanciendi potestate,misit. Fœdus continuo factum, & iureiurando confirmatum fuit; & Rex aureo torque ab Albuquercio,& vexillo cũ Regis Emmanuelis insignibus, donatus: quod ille in ædibus suis, in pacis, & amicitiæ, signum, & voluntariæ seruitutis auctoramentum, constitui, iussit. Arx in eodem loco, vbi prius inchoata fuerat, ædificari cœpit. Hoc tempore Ismael, Persarum Rex, cum armis plurimum posset, tum religionis specie multos mortales in sui admirationem traduxerat. Is originem suam ad Allem,& Mahumetem,referebat. Alles, vt multi referunt,frater patruelis, atque gener, Mahũmetis exstiterat. Filiam namque illius, nomine Fatimam,vxorem duxerat. Porro autem,post Mahumetis mortẽ, cum illi in principatu succesisset,Mahumetis le gem multis in locis immutauit. Quædam enim sustulit,nõ pauca etiam adiecit, alia nouis interpretationibus ita correxit,vt noua quædam lex gẽtibus illis videretur. Sic factum est, vt,dũ quidam Mahumetis, quidam vero Allis disciplinam sequerentur, Mahumetis secta, in duas partes diuisa, gentes religione dissidentes, odiis etiam,quod consequens erat, discinderet. Persæ namque, qui Allem secuti fuerant, reliquos, Mahumetis disciplinis infectos, vt homines impuros, & Diuinæ legis ignaros, a consortio suo repellebant. Arabes cõtra, Persas, vt desertores, atque legis Diuinæ corruptores,detestabãtur. Alle vero e medio sublato,Hocem,illius filius,& dignitatis, atque nefariæ religionis heres,exstitit,& eundem exitum vitę habuit: veneno namque periit. Alius deinde illius frater,eodem nomine,disciplinã eandem vsque ad extremum spiritum vitæ retinuit. Huic duodecim filii fuere, quos Persæ viros diuinos,atque Deo, propter egregiæ religionis,& pietatis; studium,valde caros arbitrantur. Vnus tamen,qui plurimum inter omnes excelluisse putabatur,appellatus fuit. Muza Caim, Post horum hominum memoriam, Allis nomen apud multas nationes in obscuritate latuit; Homaris disciplina, qui Mahumetis religionem summo studio conseruauit, inuiolata permansit,donec tandẽ Sophi, Muza Caimi stirpe propagatus,cum primum sapientiæ,& religionis, ostentatione multos ad sui studium allexisset,tum armis eam sectam, quam sequebatur, esse veram Dei legem, demonstrare summo studio concupiuit. Cum igitur illi nationes multæ nomina darent, euenit,vt Allis decus e tenebris emersum videretur, & nomen illius exstinctum reuiuisceret. Is,pro linteis spiris, quibus Mahumetani caput intexerant,pileos,e lana constipata colore viridi cõfectos,& senis vtrimque gradibus distinctos,eo artificio,vt vel protendi,vel cõtrahi, possint, ad tegendum caput,instituit, quibus ii,qui Allis disciplinis adherẽt,ab aliis Mahumetanis,qui Allis memoriam odio prosequuntur,internosci facillime possent. Hoc autem numero duodenario, quo pileos distinxit,memoriam filiorum,quos Hocem susceperat,conseruare decreuit. Huius tandem satu propagatus Ismael;Aidaimi filius, qui Sophi nepos exstiterat, variis casibus exercitus, & sapientiæ opinione,& eiusdem religionis,quã diximus,patrocinio, tantum nomẽ fuit apud Persas consecutus, vt omnes libentissime illius imperio subderentur. Fuit enim singulari animi magnitudine,& liberalitate,præditus; multasq. victorias adeptus, imperii fines latissime protulit;& cum Selymo, Turcarũ imperatore,conflixit;ad easque tandẽ opes peruenit, vt nec ipsi Selymo cedendum arbitraretur. Is,cum ditionis amplificandę curam susciperet, tum etiam religionis propagandæ miro studio tenebatur, & partim precibus, partim minis,vt multi pileum illum gestarẽt, & Allis institutis, & precationum formulis, quas idẽ in scriptis reliquerat,vterentur, operam enixe dabat. Ea autem de caussa legatos ad Regem Cambaiæ, & ad Zabaimum Idalcamum, decreuerat, vt eos in sententiam suam traduceret. quod illi tamen facere noluerunt. Cum vero, litteris multorum,& rumore omnium, intellexisset, quanta virtute, & industria, Albuquercius præditus esset, & quas res in India, & Armuzio, gessisset;a illius nomen hominum prędicatione, & celebritate, per omnes Persidis, & Arabiæ, regiones versaretur, quamuis Albuquercius Armuzium ab imperio illius auertisset, famam tamen illius fuit non mediocri studio prosecutus. Est enim hoc in Persis insitum,vt ex antiquis monumentis accepimus, vt, in quocumque hominum genere virtutem elucere perspexerint,

Fœdus cũ Armuzienſi Rege.

De Ismaelis Sophi genere, institutio, imperio, rebus q. gestis.

Hocem venenо necatur.

Ismaelis Sophi in propaganda sua secta studium.

rint,eam summo studio celebrent,vsque adeo, vt hostes etiam, quos armis acerrime persequuntur, laudibus summis afficiant. Cum igitur Ismael legatum ad Reges Indiæ, vt dictum est, misisset, in primis illi negotium dedit, vt Albuquercium nomine illius salutaret, seq. libentissime omnia, quæ ad illius dignitatem pertinerent, facturum ostenderet. Legatus Coiealeamus appellabatur. Is, post honorificæ salutationis officium,ab Albuquercio postulauit, vt legatum ad Ismaelem mitteret. Esse namque illum, amicitiæ cum Lusitanis, quorum virtutem admirabatur, iungendæ cupidissimum. Albuquercius ex salutatione, & consilio, voluptatem non mediocrem accepit. Existimabat enim, eo fœdere Armuzii statum confirmari facillime posse.

Albuquercii ad Ismaelem Sophum Legatio.

Itaque legatum, nomine Michaelem Ferreiram, ad illum misit. Legatus fuit ab Ismaele summis honoribus acceptus, & omnibus Principum legatis, qui apud illum versabantur, ante latus. Ismael cum illo sermonem iucundissime conferebat, & de moribus, & institutis, Lusitanorum, de gentis indole, de Regis Emmanuelis virtute, multa percunctabatur, & cũ summa voluptate Ferreiram (erat enim vir prudens, atque disertus) audiebat. Ferreiræ tandem sermonibus allectus, hominem primarium, Bairimbonatum nomine, ad Albuquercium legauit;qui cum Ferreira Armuzium venit eo tempore, quo Albuquercius, arce potitus,illi perficiendæ intentus erat. Is, cum eam legationem multum ad auctoritatem nominis Lusitani confirmandam,& imperium ciuitatis illius firmius stabiliendum, pondus habituram arbitraretur,eam magnifico quodam apparatu audire constituit. Itaque, in foro, prope Regias ædes, vt Rex, & Regij omnes spectare possent, sublimem tabulationem instituit, & eam peristromatis insterni, & in illa sellas collocari, præcepit. Ibi, splendido cultu ornatus, & nobilitatis turba circumfusus, legatum excepit;qui, cum, propter illius famam, iam eum veneratione valde dignum arbitraretur, tum in illius conspectu,cum vultus grauitatẽ,& caniciem,& oculorum obtutum, quæ omnia acrem animi vim denuntiabant,oculis adspexisset,parumper, quasi attonitus quadam admiratione, conticuit. Deinde legationem luculentis verbis exposuit; & litteras, quas ad Regem Emmanuelem, & Albuquercium, cum muneribus afferebat, obtulit. Albuquercius. munera,vt ab omnibus viderentur, explicari, continuo præcepit; idq. responsum legato dedit, quo & Ismaeli debitum honorem dedisse, & propriæ dignitatis memoriam non abiecisse, videretur. In summa vero,legatio nihil aliud, quam virtutis, & magnificentiæ, laudes, & non vulgaris amoris officia, continebat. Albuquercius intra paucos dies legatum libera liter acceptum, & muneribus ornatum,dimisit; & cũ illo legatum aliũ virum nobilem, qui Fernandus Gomezius Lemius appellabatur, ad Ismaelem,cum litteris,& muneribus,vicissim misit; cui etiam mandata credidit, quæ valde ad vtilitatẽ nationis Lusitanę conducebant. De qua legatione plura alio in loco dicemus. Dimissis legatis, Albuquercius,in arce perficienda, & in vrbis statu constituendo, summam industriam adhibebat. Et,quamuis persentiret,multos in vrbe hostilia machinari,& consiliis eorum occurreret, ita tamen se gerebat, vt nemo facile suspicari posset, cum aliquid odorari. Verum, qui moliebantur insidias, conscientia sceleris oppressi, sibi metuebant, & præsidia comparabant. Sed hoc commodum erat,quod Zeifadimus, Armuzij Rex,& Coiecatarus, qui Regis nomine Regnũ administrabat, & erant Albuquercio animis infesti, & inimici, mortem obierant. Raix Nordinus, qui Coiecataro successerat, Zeifadimum veneno sustulerat,&,Zeifadimi liberis exclusis, Torunxam, illius fratrem, Regem creauit. Nec enim dubitabat,quin,si Torunxa regnaret, nomen quidem Regis penes ipsum Torunxam esset, Regni vero potestatem, & iurisdictionem,ipse perpetuo retineret. Cũ tamen Nardinus senio confectus esset, & molestissimis iam negotiis expediri cuperet, in nepotem quendam suum, Raixhamed nomine, quinque & triginta annos natum, virum acrem, & animosum, munus, & potestatem suam transtulit, vt ipse, Regni procuratione liberatus,Regni opibus alieno labore frueretur. At Raixhamed locum illũ apud Regem, tam firmis præsidiis obsessum, tenuit, vt non modo Regnum,sed Regem ipsum,acerbo dominatu premeret. Omnia speculatoribus erãt plena,ita,vt Rex hiscere nõ auderet, ne,si qd, quod Raixhamedium offenderet, enuntiaret, oculis,aut vita, priuaretur. Ausus tamen semel fuit post fœdus factum, tyrannum apud Albuquercium immanissimi sceleris accusare. Id Albuquercius secretum tenuit. Iterum deinde per Alexandrum Araidium, qui, propter linguarum notitiam, interpretis munere,& officio,fungebatur, Albuquerciũ admonuit,se vinctum teneri,& oculis multorum obseruari,ita, vt non auderet rebus Regis Emmanuelis,perinde,atque cupiebat, inseruire. Hamedius interim clam Lusitanis aduersari, opus modis omnibus impedire,multa machinari, quibus hostilem animum, quem verbis tegebat,factis indicaret. Præterea,vt Regem a fide Emmanuelis auerteret, pileum,cum Allis precationibus,& institutis,ab Ismaele missum,sumere coegerat,vt, eo signo, se Ismaeli prorsus addictũ,ostenderet. Hæc omnia cum Albuquercius explorata penitus haberet, eũ occidere decreuit. Sed id aperta vi fieri commode non poterat,ne graue bellum,& intestinũ,excitaretur:arte erat vtendũ. Itaq. se egregie in illũ animatũ,simulabat: & quibuscum-

maelem Sophum Legatio.

Raixhamedii Armuziẽsis tyrannis.

Albuquercii in Raixhamedium insidiæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

que rebus poterat, illi satisfaciebat, vt eum metu liberaret. Tum per Alexandrum Ataidium, interpretem, & Petrũ Alpoem, qui tunc a secretis erat Regi, sibi illo opus esse conuento, nuntiauit, vt arcana quædam, quæ erant e Rep. & ad Regis Emmanuelis statum pertinebant, cum illo, & cum Hamedio, communicaret. Locum ipse deligeret, vbi id colloquiũ fieri posset. Aedes amplæ, arci, quæ ædificabatur, coniunctæ, in quibus Simon Andradius habitabat, delectæ sunt. Constitutum ab vtra que parte fuit, vt Albuquercius, cum solis ducibus, sine vllis armis, conueniret; & Rex simi liter, cum certo nobilium virorum inermium numero, se in conuentum illum daret. Regi tãtum, & Albuquercio, permissum fuit, vt vterque armigerum cũ gladio duceret. Reliquis Lusitanis, atque Persis, qui in litore consistebant, nec erant in ædes ingressuri, licebat armis accingi. Albuquercius, ea nocte, quę diem cædi destinatam præcesserit, secreto duces euocauit; quod in animo habebat, aperuit; &, vt arma vestibus abderent, admonuit. Postridie, ante lucem, in terram descendit: perpetuo nãque se in classe tenebat; in litore copias instruxit; aliquot duces cum exercitu reliquit; ipse, cum reliquis, in ædes ingreditur. Nordinus Regias copias in litore similiter instruxit; Regemq. in ædes deduxit. Ipse vero Hamedius, tectus armis, Albuquercium, quem imparatum eo venturum opinabatur, interficere cogitabat. Itaque intrepide se se in Albuquercij cõspectum dedit. Albuquercius illum comiter accepit. Tum illud, quod in mutuo amicorum congressu dici solet, Satis ne saluæ? &, an Rex statim vẽturus esset, interrogauit. At ille, cum oculos in duces, qui Albuquerciũ circumstiterant, coniecisset, quamuis arma vestibus abdita minime vidisset, suspicari cœpit, eos armatos esse. Augurio igitur diei funesti perturbatus, pedem retulit; Regemque, iam ædes ingredi parantem, ne vltra progrederetur, admonuit. Albuquercium enim cum armatis hominibus stare. Nihilominus Rex ingressus, Hamedium antecedere, more solito, coegit. Garsia Norogna fores occludi iubet, ita, vt magna pars eorum, qui cũ armis, vt Hamedio subsidio essent, veniebant, exclusa fuerit. Excluſi indignari, & tumultuari, ianuamq. cædere, cœperunt. Constitutum fuisse, querebantur, vt Prætor Lusitanus, & Rex Armuzienſis, pari suorum numero constipati, venirent: nunc vero Prætorem cum omnibus suis intra domũ consistere, cum Rex quatuor tantũ viris stipatus intrarit, & reliquis aditus intercluſus fuerit. Albuquercius interim Hamedium accusare cœpit, quod arma gestaret, & ea, vt deponeret, imperauit. is, suorum auxilio fretus, (nondum enim excluſos esse cognouerat) gladium strinxit. Albuquercius, & Lupus Vascius de sancto Pelagio, cum reliquis ducibus, accurrunt, hominemq. multis vulneribus concidunt. Rex, cum illum interfectum cerneret, metu propemodum exanimatus est. Albuquercius vero, illum hilari sane vultu complexus, admonuit, vt timorem omitteret. Hactenus, inquit, tyranni huius scelere, Regis tantum nomen obtinebas, cum re vera liber nõ esses, sed viri perditissimi dominatu vehementer oppressus. Posthac & liber, & Rex eris, & tuo iure vti perpetuo poteris. Interim, qui fores quatiebant, minime cessabant. Cum vero accepissent Hamedium occisum, & per auersam ædium partem in litus eiectum, idemq. Regi accidisse suspicarentur, ianuam perfringere parant. Nostri duces, cũ parte copiarũ, accurrunt. pars enim reliqua, vt Regis copias, si aliquid molirẽ vellent, impediret, relicta fuit. Eorum aduentu, furor illorum, qui ianuam cędebant, repressus est. Instabant nihilominus, & principes, & reliqui cives, vt sibi Regem suum incolumem redderẽt. Aliter enim, se ædes illas continuo inflammaturos, minabantur. Rex, ab Albuquercio, in superiorem ædium partẽ, vnde ab omnibus posset conspici, deductus, omnes bono animo esse iussit. Nullam sibi a Lusitanis iniuriam allatam, sed singulare beneficium tributum. Se tunc & libertate donatum, & in Regni possessionem missum, vt suos æquitate, & humanitate debita, gubernaret. Fuit deinde capite sancitum, si quis ex illis, qui armati fuerant, aliquid hostile moliretur. Modafarius tamen, interfecti tyranni frater, clamoribus maximis, in Lusitanos, & in Regem, acriter inuectus, in ædes Regias se, cum armatis hominibus, contulit, quarum custodia Alli, illius fratri, commissa fuerat. Ibi se munire constituunt. Cum tamen Rex illis exitium, cum atroci supplicio, ni continuo ex ædibus excederent, constitueret, & Albuquercius, terror non mediocris, accederet, accepta prius fide, ne illis, quod gesserant, fraudi esset, ædes vacuas reliquerunt, & intra certũ tempus, quod illis præstitutum fuit, cum eiusdem factionis hominibus, & cum cognatis, & clientibus, & non mediocri familia, & cum bonis omnibus, ex insula, atque adeo e totius Regni finibus, emigrarunt. Ad hunc modum pestifera, & perniciosa, sentina, quæ vndique scelestissimi hominis arte confluxerat, ex vrbe exhausta fuit. Ipse namque tyrannus copias paullatim in vrbem adducebat, quibus Lusitanos vrbis possessione pelleret, & ciuitatem Ismaeli, Regi Persarum, traderet. Albuquercius, magna cura liberatus, ciuitatis statum constituit, a Rege, & a ciuibus, fidem accepit, quã iureiurando cõfirmauit, illos perpetuo in Regis Emmanuelis potestate futuros. At interim in Africa res a ducibus Lusitanis laude dignæ gerebantur. Iehabẽtafusus primum Ataidium admonuit, esse quaĺdam hostium turmas, quæ non procul Marochio castra locauerant, quæ facillime capi possent. Ataidius Lupum Barrigã eo, cum

Raixhamedii cędes.

Modafarij tũ multus.

Res africanę

Lusitanorum in mauros ad Marochium excursio.

cum centum equitibus, misit. Is cum Iehabentafuso copias iunxit; sed turmæ castra mouerant, & in opido frequenti, prope Atlantem montem sito, consederant. Barriga Ataidio, per litteras, significauit, maioribus copijs opus esse. Is generum suum, Alfonsum Norognam, eo misit. Iehabentafusus equites mille ducebat. Hostium turmæ erant quadraginta, in quibus, præter peditum multitudinem, maximus erat equitum numerus. Turmæ e loco discesserant. Nostri illas vestigiis persequuntur. Barriga primum agmen ducebat, in quo erant equites centum & quinquaginta; qui, postremum agmen hostium consecutus, in eos inuasit. Hi, quamuis acri animo principio resisterẽt, coacti sunt tandẽ se ad suos, qui antecesserãt, reciperẽ ibi rursus hostes, multitudine feroces, in nostros impetũ tulere. Norogna, & Iehabẽtafusus, occurrũt. Prœliũ fuit atrox, & ita par, vt diu neutro victoria inclinari videretur. Hostes tamẽ postremo fusi, fugatiq. sunt; ingens numerus cæsus, quinginti capti, ouiũ viginti millia, & mille boues, cum camelis quadringentis, abducti. Hostes, vbi se ab illa fuga, & trepidatione, refecerunt, auctis aliquo supplemento copijs, rursus in nostros inuadunt. Prœlium redintegratum eundem exitum habuit. E nostris tamen tres Lusitani, & aliqui Mauri cecidere. Reliqui cum præda in vrbem reuersi sunt. Arziliam tunc Ioannes Coutignus, Vasci Coutigni, Comitis Borbensis, filius, loco patris tuebatur. Is fuit egregie fortis, & in rebus gerẽdis industrius. Cum vero excursionem vsque in montem, quem Farrobum appellant, facere decreuisset, cẽtum & quadraginta equites eduxit. Cumq. a monte non procul abesset, speculatores illi renuntiarunt, præfectos Larozij, & Moleihamaris, cum Barraxæ quodam filio, in campo, cum equitibus octingẽtis, versari. Hos ea mente profectos, vt Arziliæ, & Tingi, agris vastitatem inferrent. Cum his Coutignus congredi statuit, &, ob eam caussam, ne sine pugna discederent, locum, quo erant transituri, cum suis insedit. Prœlium atrox, & sæuum fuit, & diu par. Erant enim hostes viri valde fortes, & gloriæ cupidi; nostris rursus tota spes salutis erat in virtute constituta. Hostes tamen postremo in fugam conuersi, supra bis centum cæsi, vnus & quadraginta capti sunt, in quibus fuere quidam, & nobilitate, & existimatione, principes. Spolia fuerunt equorum, & ornamentorum, quæ nobilitatis illius erant. Sub idem tempus Mauri Xiatimenses (erant enim stipendiarij) a Nonio Fernandio Ataidio auxilium postularunt, quo Xerifium, a quo grauia detrimenta diebus illis acceperant, a finibus suis repellerent. Is Barrigam, cum equitibus quinquaginta, illis auxilio misit. Barriga, cum Xiatimensibus, Farrobij montis iuga superauit: quo in loco fuit illi nuntiatum, Xerifium in tabernacula turmæ vnius inuasisse, eaq. diripuisse, & nonnullos Xiatimenses interfecisse. Barriga, vt postremum eius agmen carperet, accelerauit; aliquot cæcidit, vnum tantum cepit; reliqui se receperunt; quos Barriga, propter suorum paucitatem, insequi noluit. Ab Ataidio tamen, per vnum equitem, qui vulneratus e pugna discesserat, supplementum postulauit. Ataidius alios equites quinquaginta subsidio misit. Dux eorum fuit Georgius Mendezius Ataidius. Xerifius cũ mille & sexcentis equitibus, vt nostros inuaderet, festinauit. Barriga duplicem aciem instruxit. Primam eam Georgio Mendezio Ataidio, & Petro Barrigæ, commisit, ipse sibi secundam aciem reseruauit. Idem Mauri fœderati fecerunt. Xerifius omnes copias hoc ordine distribuerat. Agmen medium, cum equitibus septingentis, Abedelquibirius, ipsius Xerifij patruelis, agebat; sinistrũ latus ipse tenuit; dextrum alij duci, cui multum confidebat, assignauit. Acies media se continere non potuit, quin in primam nostrorum aciem rueret; &, cum multitudine superaret, eam circumuenit, ita, vt nostri in orbem pugnare cogerentur. Lupus Barriga, in eos, qui nostros circumierant, impetum dedit. At Mauri fœderati duplicem hostium aciem acri prœlio sustinebant. Fuit magno tẽporis spatio acriter vtrimque dimicatum. Petrus interim Barriga Abedelquibirium, medij agminis ductorẽ, equo vehementius incitato, infesta cuspide transfixit. Illo mortuo, qui sub illius signo pugnabant, cedere incipiunt. Cum nostri acrius insisterent, eos fuderũt. Lupus Barriga, cum illam aciem fusam cerneret, in Xerifij agmen incurrit; ex quo Xerquius Bentagogimus, vir primarius, in Pelagium Rodericum, fortiter dimicantem, inuectus, eum ex equo deiecit; &, cum illum stratum interficere conaretur, Lupus Barriga, vt ab imminenti cæde Rodericum eriperet, in Bentagogimum equum incitanit, & illum hasta confodit. Similiter, cum Bentagogimi filius accurreret, vt patri subsidio esset, fuit ab eodem Barriga transfixus. Sic factum est, vt, in eodem loco, duobus hostibus occisis, ciuem vnum ab interitu vindicaret. Hostes postremo in fugam compulsi sunt. Nostri, eos, longo sane spatio, insecuti, non magnam cædem ediderunt. Hostes enim equorum pernicitas eripuit. Supra centum tamen cæsi fuerunt. Ataidius, hoc successu Barrigæ stimulatus, aliquod egregium facinus moliri cupiebat; & Iacobi etiam Lupij virtus, qua, cũ paruis admodum copijs, ad Marochij portas excurrerat, eum sollicitabat, vt in Marochiũ inuaderet. Duces igitur Maurorum fœderatos admonuit, vt certo die in armis essent: nam se daturum operam, vt magnum decus, cum non mediocri præda, sibi compararent. Quod autem animo destinabat, nemini aperire voluit. Lupus Barriga, Ataidij nomine, duces Mauros, vt parati cum armis essent,

140. Coutigni in Mauros ad Farrobum mõtem excursio.

Prœliũ atrox

Bellum cum Xerifio.

Lusitanorum victoria.

Universidad de Deusto
Biblioteca

excitabat. Cum vero intelligeret, Xerifium in castello, quod Amagorem appellant, se tenere, ab Ataidio auxilium popoſcit, quo Xerifium imparatum opprimeret. Ataidius nepotem ſuum, Aluarum Mendezium Ceruariã, cum equitibus ducentis, & quinquaginta peditibus, qui erant ferreis fiſtulis, atque ſcorpionibus, armati, confeſtim expediuit. Ceruaria, octo itineribus factis, ſe cum Barriga coniunxit, qui iam Maurorum copias coegerat.

Amagor caſtellum.

Caſtellum Amagor erãt in arduo monte ſitum, & rupibus vndique munitum, & duobus fluminibus, qui illum vtrimque alluebant, incluſum. Agri caſtelli ipſius erant adeo late patentes, vt ſupra centum pagos ambitu ſuo cõtinerent. Noſtri, prope caſtellum, cum iam Sol in occaſum præcipitaret, caſtra poſuerunt. Equites, e caſtello egreſi, cũ fœderatis Mauris manum conſerunt, eoſq. loco pellunt. Noſtri Mauris auxilium cõfeſtim afferunt, & hoſtes fugere cogunt. Poſtridie, caſtellum obſidione cingere decernebant. Sed Barriga, certior repente factus, Xerifium profugiſſe, equũ rurſus adſcendit; & idem reliquos facere iuſſit; atque primum vallum, quod caſtellum cingebat, oppugnant. Hoſtes, qui relicti præſidio fuerant, ſumma vi reſiſtunt. Noſtri bis intra vallum prœlium cõmiſere, & bis ab hoſtibus repulſi ſunt. Poſtremo, cum magnam impreſſionem facerent, irrumpunt, & hoſtes cædunt, qui, metu, ſe præcipites e rupibus eiiciebant; quorum multi, lacerati; multi, acutis arborũ ramis confixi, fœde perierunt. Tanta vero rabie quidam dimicabant, vt, cum ſibi moriendum eſſe viderent, (non enim ſe dedere volebant) ne equi in manus noſtrorum venirent, eos ex præruptis rupibus exturbarent. Ferro bis centum cæſi ſunt, ſupra mille vero in ruina dilacerati; capti ſunt quadringenti, inter quos Xerifii patruus exſtitit, & equi centum & quinquaginta. Præda tanta fuit, vt tres dies fuerint in ea ab opido in caſtra deportanda cõſumpti. Victoria, pro numero militum, fuit inſignis; pro qua Luſitani gratias Deo ſummas egerunt, & confeſsi publice ſunt, eam nõ humanis viribus, ſed Chriſti numine, atque beneficio, partam fuiſſe. Non multis poſt diebus Barriga, Iehabentaſuſi opibus adiutus, caſtellũ cepit, quod Algaballum appellabant; prædamq. non mediocrem fecit; & Ataidium litteris admonuit, vt aliud caſtellum, (Algelũ nominabant) in quod ſe Xerifius poſt fugam contulerat, aggrederetur. Ataidius copias, quas potuit, eduxit; &, cum a caſtello octo millibus paſſuum abeſſet, vltra progredi noluit, & in vrbem, cum copiis ſuis, regreſſus eſt. qua ratione motus id fecerit, incertum eſt. Xerifius caſtellum deſeruerat. Cum vero intellexiſſet, Ataidium pedem retuliſſe, & ipſe in caſtellum redit. Barriga deinde, Ataidii iuſſu, ſpecus, in arduo, & excelſo, loco, inter rupes ingẽtes abditos, in quos hoſtium vis magna confluxerat, aggreſſus fuit; ſed ab hoſtibus cũ dãno repulſus eſt: aliquot enim e noſtris cæſi, & quidã etiam præcipites e rupibus eiecti ſunt. Interim Barriga, a Mauris fœderatis inuitatus, idem caſtellum oppugnare cõſtituit. Sed, cum in itinere tumultum auribus acciperet, multos ad ſe fugientes conſpicatus eſt. Ii erãt ex Mauris fœderatis, quos hoſtes cædebant. Barriga eos excepit, &, in hoſtes inuectus, illos in fugam cõpulit, & duodecim paſſuũ millibus inſecutus eſt. Non procul aberat a caſtello, quod petebat, cũ multi, illius ductu, & imperio, neglecto, extra ordinẽ furenter egreſi, in hoſtes ruunt. Hoſtes vndique prouolãt, & eos circumueniũt. Barriga ſubſidio occurrit: prœlium fuit periculoſum, in quo ſedecim equites Luſitani, & non pauci Arabes, e ſociis interfecti ſunt; ipſeq. Barriga ex equo deiectus, & vulneratus, in hoſtiũ manus peruenit. Suorũ dein de præſidio, aut potius numinis Diuini præſẽtia. (ſic enim homines interpretabãtur) ex hoſtium manibus euaſit, & in equũ hoſtis victoris, qui iã ceciderat, inſiluit. Et ſic ille, cũ ſuis, male ab hoſtibus acceptus, in caſtra reuertitur. Poſtridie, quamuis ex vulnere laboraret, in caſtellum inuadere ſtatuit: in via magnas prædas egit, propius caſtellum caſtra poſuit. Ibi tres dies, propter vulnerum dolorem, conquieuit. Illum ibi cõmorantem hoſtium multitudo ex improuiſo adoriri conſtituit. Barriga certamen minime detrectauit; hoſteſq. primo impetu in fugã coniecit: longius, inſidiarũ metu, inſequi noluit. Poſtridie, motis caſtris, tã prope caſtellum tabernacula locari fecit, vt modicus tantum collis, & exiguũ flumen, inter caſtra, & caſtellũ, intereſſet. Poſtridie acre prœliũ cõmiſſum fuit. At Mauri, qui ſub Barriga militabant, montium Principem, qui caſtello opem afferebat, in iugo cõſpiciunt. Hoc metu perturbati, confeſtim, effuſa fuga, prorumpunt: ſoli Luſitani relicti ſunt. Barriga, in anguſto itinere, hoſtium impetum acri animo ſuſtinuit. Qui ſugerant, cũ hiems ſumma, & perfrigida tempeſtas eſſet, & tabernacula, in quę imbris vitandi gratia, ſuccederent, non habebant, obriguerũt. Gens enim eſt frigoris impatiens; & erant etiã, labore, & rerum pœnuria, confecti, ita, vt ſupra quingentos homines cõſtet ea nocte frigore mortuos fuiſſe. Sic autem factũ eſt, vt, dum, metu mortis, caſtra, quibus ſeruari potuiſſent, turpiſſime deſerũt, in mortem fœdam, cũ inſigni dedecore timiditatis, inciderent. Poſtridie, Barriga, ordine profectus, multos in agris pãlates excepit; &, cũ vndique multis in locis hoſtes in illum impetum facerent, eos ſemper, inſigni virtute, repulit. Sic copias in vrbe, paucis hominibus, qui ordines deſeruerãt, amiſſis, incolumes reduxit. Ataidius interim, eiſdem curis anxius, Marochiũ petere ſtatuebat. Barriga Maurorũ Principes, Ataidii iuſſu, ad ſocietatem eiuſdem facinoris incitarat. Petrus Souſa, Azamoris præfe-

Xerifii fuga.

Amagoris oppugnatio.

barrigæ aduerſa pugna.

Barrigæ prœlium aduerſũ

narrigęvicto ria.

Maurorum ſoo. inſignis calamitas.

Marochienſe bellum.

prẽfectus, fuit ab Ataidio ſimiliter inuitatus, vt itineris, & laboris, & gloriæ, ſocius eſſe vellet. Is, cum eſſet vir egregie fortis, & laudis prẽter modum cupidus, ſe ſocium libenter adſcripſit. In locum huic rei deſtinatum omnes cõueniunt. Souſa ducentos equites, Ataidius trecentos eduxerat. Dabidæ præfectus, cum ſexcentis equitibus, Garabiæ dux cum equitibus mille, Xerquiæ vero dux cum octingentis, aduenerant. Ab eo loco, vigeſimo ſecundo die meſis Aprilis, anno MDXV. profecti ſunt. Itinera ſingulari ordine faciebant, & non, niſi explorato, caſtra mouebant. Regio multis in locis eſt natura fertilis, & cultu nitida, & aquis irrigua, ita, vt oculos intuentium nõ mediocriter oblectaret. Tandem ad vrbem accedunt. Cõſilio habito, decretum fuit, vt vrbem ea porta, quæ Feſſenſis appellatur, oppugnarent. Sed neque tormenta, neque machinas, neque munitiones, nec alia denique, quibus vrbem maximam, & hominum multitudine refertam, oppugnarent, ferebant. Nec in aliũ finem eo copias adduxiſſe putabantur, quam vt gloriari poſſent, ſe vſque ad Marochii portas ſine vllo impedimento copias adduxiſſe, vt ea audacia hoſtium animos frangerent, Mauritaniæq. debellandæ facilitatem principibus Luſitanis oſtenderent. Hoſtes ſane perturbati ſunt. Credebant enim, multo maiores copias ſubſequi. Ataidius copiarum ſuarum medium agmen ducebat. Xerquienſes, & Dabidenſes, ſiniſtrum illius latus, dexterum vero Garabienſes, claudebant. Souſa duas e ſuis copiis acies inſtruxerat. Tum ipſi, primum Arabes in vrbis portas incurſant. Hoſtes, ea porta, quæ Feſſenſis appellatur, erumpunt. Illi multitudine, noſtri virtute, ſuperiores erant. Tamen, cum hoſtes innumerabiles influerẽt, & recentes feſsis ſuccederent, noſtri in maximo periculo verſabantur, & ægre molem prœlii ſuſtinebant. Cidemeimamus, grauiter vulneratus, euaſit. Lupus Barriga, dum inter hoſtes incautius verſaretur, ſuit ex equo deiectus; ibique occiſus fuiſſet, ni Petrus Barriga illi opem attuliſſet. Aliqui vtrimque ceciderunt. Prœlium ita quattuor horis continuatum fuit, vt victoria neutram in partem incli naret. Ataidius tamen, atque Souſa, cum animaduerterent, hoſtium exercitum ſubſidiis identidem ſubmiſſis amplificari, neque paucos laſſitudine debilitatos poſſe infinitæ multitudini, in proprio ſolo, pro mœnibus, pro ſalute patriæ, pro omnium vita fortiſſime dimicanti diu repugnare, copias ſenſim, & ordine minime confuſo, in fluminis, qui vrbem prætterfluit, anguſtum vadum ſubducere incipiũt. Cum tamen vrgerentur, impetu ſæpe in hoſtes conuerſi, eos cedere cogebant; deinde eo, quo intenderant, exercitum paullatim deducebant. Vadum erat adeo anguſtum, vt non, niſi bini, aut ad ſummum terni, tranſire poſſent. Hoſtes interim multo acrius inſtare, & vehementius vrgere, multo maiore impetu ferri cœperunt. Quod ſi a noſtris in eo periculo tumultuatum fuiſſet, maxima profecto clades accepta fuiſſet. Sed Ataidius a Souſa poſtulauit, vt ipſe in agmine primo curam eorum, qui vadum tranſibant, ſuſciperet, & eos in ripa rurſus inſtrueret; ipſe in poſtremo agmine hoſtes maximo cum labore ſuſtinuit. Sic factum eſt, vt omnes copiæ traducerẽtur, e noſtris multi vulnerati diſcederẽt, nemo tamẽ occideretur. Ex fœderatis Mauris ad duodecim ceciderunt. Vt enim in noſtrorum conſpectu ſuæ virtutis ſpecimen egregium darẽt, in hoſtium cuſpides irruebant. Traductis copiis, cum noſtri iam a fluuio duobus millibus paſſuum abeſſent, & hoſtes indigniſsime paterentur, noſtros auſos fuiſſe, cũ tam exigua manu, ad vrbis opulentiſsimæ, in qua imperii domicilium collocatum fuerat, muros accederẽ, vt inſignis ignominiæ maculam delerent, fluuium traiecere: quod facere non poterant, cum noſtri in ripa inſtructi conſiſterent. Vbi igitur illos abeſſe conſpexerunt, ipſi, cum copiarum parte, noſtrorum veſtigia perſequuntur. Abidenſes, & Garabienſes, & Xerquienſes, cum nonnullis Luſitanis, in eos impetum ferunt, & breui certamine fundunt, fugantque, & paucos occidũt; inter quos fuit Feſſenſis quidam dux, qui ferocius noſtris minatus fuerat, & acrius prœlium inierat. Noſtri, modicis itineribus, ita viam faciebant, vt cõmode in Arabum pagis, & opidis, & ciuitatibus, diuerſarentur, & vndique ad eos cum muneribus commearent, &, quaſi maximam victoriam adepti fuiſſent, illis de tam felici reditu gratularentur: quamuis bellum maximo animo, non tamen ſapiente conſilio, ſuſceptum fuiſſe videretur. Mons Farrobius viginti paſſuum millibus Arzilia diſtat. Eſt autem cum herbidus, & amœnus, & arborum, & nemorum, varietate diſtinctus, tum arduus, & excelſus, & multis in locis natura munitus. In cliuo montis, ea parte, qua in Arziliæ conſpectum prominet, erat ingens pagus, quem Alubiliam appellabant, vnde frequentes excurſiones in agrum Arzilienſem fiebant, quæ fruges, & ſata, vaſtabãt, & prædas etiam cum captiuis frequenter abigebant. Ioannes Coutignus pagum euertere cupiebat: ſed, cum nõ tantas copias haberet, quantis erat opus, opem ab Adoardo Meneſio, qui Tingi præerat, poſtulauit. Is ſe cum illo coniunxit. Deinde, cum prima luce ad radices montis accederent, hoſtes, illos conſpicati, minime pertur bati ſunt; immo, ſine vllo tumultu, per deuexum montis deducti, in noſtros impetum fecerunt. Meneſius, vna ex parte, in quã ſe ſub mõte abdiderat, Coutignus e ripa fluminis, quã occaſioni intentus inſederat, in illos, qui iam in medium agmen inuaſerant, inuecti ſunt. Illi cedunt, noſtri montem ſubeunt. Hoſtes, & multitudine, & locorum aſperitate, & ſtatio-

Prœlium periculoſum, & anceps.

Cedunt Luſitani, ſeruatis ordinibus.

Mons Farrobius.

Aliubilia pagus.

Expeditio in Aliubilienſes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis valido sæpimento, freti, nostros in principio cõtemnebant. Qui tamen eos cædere non desistunt, & in pagi munitiones compellunt, & intra vallum irrumpunt, hostesq. per aduersam portam in fugam effusam coniiciunt. opidumq. diripiunt, & inflammant. Montem deinde peruagati, vicos exurunt, pagos euertunt, templa disturbant, ædes perantiquas, & ædificia, diruunt; totiq. monti vastitatem, & inflammationem, inferunt; & sic demum, re ex animi sententia gesta, reuertuntur. Hoc eo dem anno, Rex Emmanuel, cum in animo haberet, Mauros, hostes nominis Christiani sempiternos, acriore bello vexare, multis arcibus oram maritimam obsessam tenere statuebat, vt vndiq. hostibus immineret, & Fessense Regnum facilius armis oppugnaret. Hac cupiditate cũ teneretur assidue, de hominibus Africæ peritis quærebat, quem locum magis opportunum arci ædificandæ iudicarent. Illi fluuium Mamoram, (olim Subur appellatus est) latum, atq. profundum, qui in Atlanticũ mare, per ostium, quod Arzilia circiter centum passuum millia distat, influit, eam opportunitatem habere confirmant. Nam fluuij faucibus montem imminere, in cuius fastigio posset arx ædificari, commeatum, & munitiones facillime in eum locum subuehi, in fluuium, propter aluei profunditatem, maiores naues intrare posse, dicunt; portum esse tutissimum. Locum præterea ad inferendum bellum aptissimum: nam ab ostio fluminis Fessam non ita multis passuum millibus abesse. Rex misit, qui fundum fluminis explorarent. Illi, qui missi fuerant, eorum sententiam, qui locum eximie laudarant, comprobant; & fluuium maiorum nauium capacem esse dicunt. Rex igitur classem ducentarum nauium instruendam curauit. Exercitus octo millia hominum, præter fabros, & nautas, continebat. Classis præfectu ram Antonio Norognę, viro nobilissimo, com misit; & successorem illi Nonium Mascaregnam, si is aliquo casu sublatus fuisset, instituit. Multi viri nobiles in ea classe fuerunt; quorum tamen pars magna, luxu, & lasciuia, diffluens, magis nobilitatis arrogantia tumebat, quam militaris disciplina patiebatur.

De classe in Mauritaniã, Arcis condendę causſa, missa, eiusq. successu infelici

Exercitus etiam erat tironum. Soluit classis Olysippone, xiij. die mensis Iunij: vigesimo tertio mensis eiusdem ad ostium fluminis appulsa fuit. Tum Norogna Berrium cum nauigio, cui præerat, misit, qui in fluuium intraret: exlatere vno Petrum Bentesium cum longa naue, ex altero alium ducem nomine Carinum cum altera longa naue constituit. Hos Antonius Saldania secutus fuit. Reliqui deinde duces, ordine, vt iussi fuerant, subierunt. Vbi eo ventum est, vbi arx ędificanda erat, locus rem acutius considerantibus minime placuit.

Mutatur arcis condendę locus.

Habito igitur consilio, locum alium delegerunt, non ita procul a fluminis ostio disiunctũ, quo naues facilius penetrare, &, quæ erant necessaria, conuehere, possent, & vbi, propter crebros fontes, aquatio semper facilis esset. Nec enim semper aquatio, propter æstum maritimum, qui salsas aquas inducit, ex fluuio fieri poterat. In loco igitur, qui omnium iudicio commodissimus visus fuit, arcem instituũt; atque primum fossam, altitudine decem pedum, & latitudine quindecim, perducunt; qua, cum se æstus incitaret, aquam admitterent, si vellent; &, si rursus vellent, eam eiicerent. Acies instructæ locum præterea muniebant; & castra ita posita fuerunt, vt commode impetum hostium propulsaturæ viderentur. Sed locus hoc incommodum habebat, quod ei montis supercilium immineret. Nec enim fastigium montis occupari poterat, quod longius a fluuio, quam oportebat, abesset; & locus, quem delegerant, erat altiori loco subiectus, vnde non missilibus tantum, verum, & saxis ingentibus deuolutis, non mediocris pernicies afferri poterat. Præterea, vt admoniti tunc a multis fuerũt, hieme, cum fluuius, imbribus auctus, intumescit, super loca etiam, in quibus arx exstrui cœpit, effunditur: quod inuecti limi, atque cœni, reliquiæ demonstrabant. Hostes loca superiora occuparant, atque valido sæpimento munierant, tormenta frequentia disposuerant, omniq. missilium, & pilarum, genere decertabant, no strisq. graues molestias inferebant. Rex Mequinezius, cum tribus millibus equitum, & triginta millibus peditum, aduenit. Rex deinde Fessensis, cũ multo maiore exercitu, eo venire maturauit. Ducebat autem supra centum ho minũ millia. Prælia interim nõ leuia fiebant. Sed, cum hostes, & loco, & multitudine, superarent, superiores semper e prælio discedebant. Vno autem prælio e nostris mille atque ducenti cæsi sunt. Naues tamen nostrę, cum fluminis aditum liberũ haberent, & nostris subsidio erant, & castra hostium tormentis infesta faciebãt. Hostes, vt naues Lusitanas aditu prohiberẽt, prope fluminis ostium stationem instituũt, quam fossa, & vallo, muniũt; firmaq. multorum hominum in ea præsidia disponũt; vndiq. tormentis naues, quæ intrare volebãt, aut dissipant, aut, ne ingredi auderent, impediunt. Norogna, vt hoc impedimentum vitaret, hoc excogitat. Nauem ingentem densis tignis corroborat, lana saccos infercit, quibus molibus obiectis hostium globos excieret. Hæc nauis, in fluuio, contra hostium stationem oppositа, tutum reliquis humilioribus nauibus transitum præbebat. Hostes tamen, cum dies, atque noctes, sine intermissione, nauem quaterent, eam dilacerarunt. Hac mole disiecta, nostri exanimari metu cœperunt. Exercitus erat imminutus; commeatus deficiebat; nullus erat dies, quin aliqui ab hostibus interficerentur: res erat in extremo discrimine constituta. Interim litteræ ab Emmanuele ad Norognam deferuntur, quibus,

Delecti loci incommoda.

Hostiũ in Lusitanos molimina.

Lusitanorum magna clades.

Norognę stratagema.

Extremũ Lusitanorũ discrimen.

litteris, quas de ea re Norogna ad Emmanuelem dederat, respondebat. Litterarum sententia hæc erat; vt, si ei, & reliquis ducibus, arx illa inutilis videretur, eam desererent; & exercitum, antequam maius incommodum acciperetur, in Lusitaniam deportarent. Id cum non eo silentio fieret, quo conueniebat, & hostes id sentirent, nostris acriter institere. Duæ acies, in superiore loco, vt hostium impetum sustinerent, erant oppositæ. Vnam Rodericus Melius, alteram Christophorus Leitanus, vir acer, & in rebus bellicis enutritus, agebat. Acies, quam Melius ducebat, cum hostes eam valde premerent, per loca præcipitia ruebat, & alij alios sese in fuga præpediebant; hostes maximam cædem ediderunt. Leitanus aciem per montis amfractum instructam duxit, donec ad fluuium peruenit. Sed tãta erat iam in castris trepidatio, tantusq. metus animos omnium occuparat, vt nemo posset vllius ducis imperio, aut auctoritate, ab effusa fuga cohiberi. Multiq. metu, cum se in flumen deijcerent, aquis, & cœno, demersi, honestæ mortis metu, turpem vitæ finem subierunt. In nautis similiter tanta trepidatio fuit, vt, eorum culpa, centum naues, ad litus afflictatæ, perierint. Aliæ namque alias impediebant, & inuicem collidebantur, &, in litore tãdem fractæ, hostium crudelitati homines exponebant.

Trepidatioin castris Lusitanicis.

Non defuere tamen quidam viri fortissimi, qui in eo tumultu facinora memorabilia ederent; inter quos virtus Bernardi Emmanuelis longe reliquis antecelluit. Is hostibus se opposuit; eorumq. impetum repressit; multos ab effusa fuga continuit; & in hostium cędeversatus est; & in causſa fuit, ne multo grauior clades acciperetur. Nostri, tandem, in naues recepti sunt, quamuis quidam viri nobiles nauium aditu multos arcere niterentur, ne ipsi, nauibus pondere grauatis, discrimen adirent. Periculum enim in terra, fuga; in nauibus, immanitate vitarũt. Circiter quattuor hominum millia ab hostibus cæsa dicuntur. Arce præterea cum tormentis, & munitionibus, & captiuis, hostes potiti sunt. Nostris tamen exitum, qui erant in statione, interclude re non potuerunt. Huius cladis, & dedecoris, Emmanueli nuntius allatus, illi magnum dolorem inusit. Gratias tamen Deo egit, quod ab eo debitas peccatorum pœnas in hac vita exigere voluisset. Is enim fuit, qui secundam, & aduersam, fortunam moderare semper ferendam arbitraretur; & omnia, vt Christianũ Principem decebat, ad iudicium numinis Diuini, quod falli non potest, pie reuocaret. Hac tamen plaga, nulla, eius ætate, calamitosior accepta fuit; in quam multi dedecoris infamiam patientius fortasse, quam decebat, pertulerunt. Numquam enim operam dederunt, vt eam notam claris factis eluerent. Hoc anno Rex Emmanuel multorum inuidorum calumnijs aures præbuit. Hæc enim pestis, quæ plerumq. apud reges magnas bonorum strages edit, Emmanuelem etiam in eam fraudẽ impulit, vt Albuquercium suspectũ haberet. Eo tempore Albuquercius omnem ferme orã Indici maris, quæ Indo fluuio, & Cori promõtorio, definitur, sub Emmanuelis imperium subiunxerat; Malacam etiam adiecerat; Regnũ Armuzij armis ceperat, & prudentia stabilierat, Emmanuelis nomen latissime propagarat. Nec enim nationes illæ credebant fieri posse, quin Rex, qui ducẽ tam insigni virtute præditũ haberet, esset Diuinis etiã virtutibus ornatissimus. Et, quo status erat amplior, eo maiorẽ de illius amplitudine opinionẽ receperant. Et rex ipse optime erat in Albuquercium animatus. Sed inuidi perpetuo aures illius obtundebant, hominemq. aliquando demẽtiæ, & temeritatis, aliquãdo vero ambitionis minime ferendæ, atque adeo proditionis, insimulabant. Postremo Regi persuaserũt, Albuquercium ad tyrãnidem adspirare, velleq. Indiam vniuersam sibi subdere. Esse namque cognatis, & clientibus, innixum; principibus Indis, propter virtutis opinionem, carissimũ; opes illius esse ampliores, quã status hominis legibus adstricti ferret. Animos enim in mediocribus opibus enutritos, imperiũ pati posse; in summis vero, insolẽtius, quam ius, & fas postulat, efferri. Quid, si, inquiunt, vt est vir singulari astutia, & calliditate, subnixus, Zabaimum Idalcamũ ad suas rationes adiunxerit? Quid, si cũ Narsinguæ Rege societatẽ inierit? Quid, si reliquos Indię Reges ad se aggregauerit? Non erit ei facillimum, a fide deficere? Hoc saltem assequetur, vt Emmanuelis Regis nomen contemnatur, & Albuquercij imperium omnes libenter accipiant. Hi sermones, cum essent valde frequentes, & importuni, maximaq. vi, & industria, iacerentur, Albuquercius, meritis, & innocentia, fretus, quamuis optime sciret, nomen suum multorum inuidia lacerari, numquam, quomodo calumniã refutaret, excogitandum censuit. Improborum namque sermones factis egregijs facillime retundi putabat. Se vero ea gessisse, & his operibus animi sui fidem confirmasse, censebat, vt, in India positus, nõ magno negotio inuidiæ flammam, quæ in Lusitania inuidorum ingeniis excitabatur, virtutis exploratæ, & cognitæ, fama restingueret. Verum, cum accusatores sine vllo defensore, qui eorum perditis conatibus occurreret, accusationem instituerent, eo rem deduxerunt, non quidem vt Rex illum non satis magna laude dignum arbitraretur, sed vt saltem ab India reuocandum statueret. Itaque Lupium Suarium Aluarengam illi substituit. Cum eo Matthæum, Dauidis, Aethiopiæ Regis, legatum, dimisit, & alium ad eundem Regem legauit, vt pax, & amicitia, artiore vinculo firmaretur. Legatus exstitit Odoardus Galuanus, vir nobilis, & multis in rebus magni ponderis spectatus, & cognitus.

Bernardi Emmanuelis virtus.

Insignis Lusitanorum clades.

Emmanuelis Regis constantia, & moderatio.

Res Indicæ.

Albuquercius in Lusitaniam reuocatur.

Emmanuelis ad Aethiopũ Regem legatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tus. Aluarenga, cum classe tredecim nauium, & mille, & quingentis Lusitanis hominibus, Olysippone soluit, septimo die Aprilis, Goāq. peruenit secundo die Septembris. Inde, rebus ordine constitutis, Cochimum petijt, vt classem, quæ erat in Lusitaniam profectura, compararet. Hoc anno, septimo die mēsis Septembris, Emmanuel filio auctus est, cui fuit Odoardi nomen impositum. Is natura mitis, & clemens, exstitit, musicis, & venationibus, deditus, vniuersis, propter benignitatem, & humanitatem, carus, atque perincundus; qui, si non immatura morte sublatus fuisset, multas vtilitates, insita probitate, & industria, communibus rebus afferre potuisset. Hoc anno Malacæ grauis casus, atque valde miserabilis, Abedallam, Camparis Regem, qui tunc, vt dictum est, Bendaræ munus obibat, de medio sustulit. Rex Bintami, illius socer, eum vel ferro, vel veneno, tollere cupiebat. Cum hoc ei minime processisset, (erat enim Abedalla, propter æquitatem, & mansuetudinem, omnibus egregie carus, & munere sibi cōmisso summa cum laude fungebatur) alia via illi pestem, atque perniciem, inferre cōstituit. Itaque suis negotium dedit, vt aliquot Malacensium naues caperent, & in Bintamum adducerent. Illi impigre, quod imperatum fuerat, exsequuntur. Is tunc suos, qui iussa confecerant, asperis verbis accipit, quod iniuriam ciuibus suis intulissent. An, inquit, ignoratis, me Regem esse Malacæ, & hos, quos captiuos abduxistis, mihi subditos esse, neq. secus a me diligi, quam si eos omnes genuissem? Spero equidem, Abedallam, quem ego non generum, sed filium, arbitror, propediem in meam potestatem Malacam, vt constituit, redacturum; & tunc apparebit, quantum inter Lusitanorum tyrannidem, & mei imperij moderationem, intersit. Hos enim, vt filios, omnes, cum singulari humanitate, tractabo, quos Lusitani dominatu durissimo oppressos tenēt. Gener enim meus Abedalla, prudentia, qua valet plurimum, id, quod mihi promisit, cumulate præstabit. Hæc vbi dixit, captos cibo, & potu bene acceptos, & muneribus affectos, missos fecit, omniaq. illis bona restituit; suisq. ducibus atrociter minatus est, si quid simile in posterum contra ciues vrbis Malacæ designarent. Id homines verum esse crediderunt. Et, vbi Malacam reuersi fuere, sermo primum occultus inter nonnullos haberi de eadem re cœpit. Deinde, sparso latius rumore, res ad Georgium Albuquercium, vrbis præfectum, delata est. Bartholomæus autem Perestrellus, quæstor Regius, qui paucis illis diebus ex India citeriore Malacam aduenerat, cum Ninachetuensis filijs erat vsu, & familiaritate, coniunctus, multaq. illorum gratia faciebat. Illi patris mortem vlciſci summopere cupiebant; & ideo, quod erat rumore dissipatum, oratione confirmabant; & asserebant, id se multorum litteris, & argumentis clarissimis, exploratum habere, Abedallam, de vrbe nefarie prodenda, cogitare, & societatem sceleris cum Rege Bintami coiuisse. Perestrellus Georgium Albuquercium admonuit, vt impendens periculum præcaueret, & proditorem, ante quam id, quod animo destinabat, efficeret, capite damnaret. Is filios Ninachetuensis accersit. Illi rem sane confidenter asserunt; nihil clarius esse, confirmant. Albuquercius, quamuis esset vir probus, non ita tamen sapiens erat, vt intelligeret, nō esse temere in re capitali fidem inimicis habendam. Et, siue quia valde periculum metueret, siue quod facinus illud præclarum fore putaret, hominem, summa potentia præditum, & nomine Regis, vt nihil aliud esset, ornatum, occidere, non procrastinat. Abedallā accersit, sceleris insimulat, testimonia, quæ hostes in illū dixerant, exponit. Perestrellus, vehemens accusator, instat, & vrget. Abedalla fidem Albuquercij implorat; & obtestatur, ne se, hominem innocentem, summe in Lusitanos officiosum, Regisq. Emmanuelis studio flagrantem, hostium crudelitati dedat. Tempus sibi dari postulat, dum Regis Bintamensis fraudem, & inimicorum calumniam, & suam innocentiā, testibus, & argumentis, aperte demonstret, se ex vinculis velle causſam dicere. Ad hæc, obsecrabat, ne nomini Lusitano tantum dedecus, supplicio hominis innocentis, inureret, quo odium in se multorum hominum concitaret. Hæc ne est, inquit, gratia, quam meis in Lusitanam gentem meritis referendam censes, vt, supplicio meo, crudelitatem Regis Bintamensis, sempiterni vestri nominis hostis, expleam? & ij, qui, propter meam in Regem Emmanuelem fidem, me immani odio persequuntur, lætitia exsultent? Quid aliud enim expetit Rex Bintami, nisi vt ego, quem suorū ferro, quem veneno, quem multis insidijs, occidere nequiuit, manibus Lusitanorum, propter quos meos deserui, & odium in me hominis malefici acerbissimum concitaui, interimar; & illi, in quorum me fidem contuli, doloris illius, quem vir improbissimus cepit, vltores exsistant? Eadem namq. opera fieri cernit, vt illius immanitatem satietis, & homines a studio vestri nominis auertatis, & apud multas nationes odio sitis. Quid enim dicent ij, qui me a Regno meo per vos deductum conspexerunt, vt vestris beneficiis ornarer, & præsidiis contra hostes meos munirer, cum viderint, me tam subito de statu meo concidere, & ipsorum opera, quos hostes, vestri nominis gratia, desumpsi, ad supplicium detrudi? Quare te, per fidem, per religionem, per humanitatem, per reliquas virtutes, quas vnice colis, oro, & obtestor, vt mihi respondendi facultatem tribuas. Et tum demum, si proditionis conuictus fuero, nullum supplicium recusabo. Hæc quidem cum Abedalla diceret, & suppliciter postularet, non potuit homi-

Res Europæ.

Res Indicæ.

Crudeles Bintami Regis in Abedallā generum insidiæ.

Abedallæ ad criminationes respōsio.

Falsa in Abedallam testimonia, & calumniæ.

nem natura mansuetum ad aliquam humanitatis partem traducere. Itaque, sine vlla cunctatione, homo innocens, Regio splendore præditus, in forum deductus, inspectante populo, cum multorum luctu, & querimonia, securi percussus fuit. Qui tamen, dum ad supplicium ducebatur, manus in cælum tēdebat, & numen implorabat, vt in eos, quorum calumnijs ipse, contra ius, & fas, interimebatur, animaduerteret. Post decimum & septimum diē Perestrellus celeri morte absumptus fuit: quod multi ad numinis vindictam retulere. Abedallæ vero supplicium tantam multis offensionem attulit, vt multi mercatores, & ciues, Malaca excederent, atque passim, quacumque se conferebant, omnes homines a Lusitanorum commercio deterrerent. Nihil esse apud Lusitanos tutum; nullam fidem ab hominibus conseruari; illis ipsis, qui rebus illorum inseruirent, esse tandem crudele supplicium, indicta causſa, subeundum. Ninachetensem, nulla offensione interposita, honore deiectum, & ea de causſa, post tam multa officia, sibi mortem consciuisse. Regem Camparensem, crudelem in modum, cōtra ius, necatum fuisse. Cū huiusmodi sermonibus omnia complerent, factum est, vt, cum mercatores in vrbem accedere non auderent, non solum vectigalia tollerentur, verum & Lusitani, cum ciuibus, qui relicti in ciuitate fuerant, summa rerum inopia, atque adeo fame, vexarētur. Sed Georgius Botellius, a Georgio Albuquercio missus cum duabus nauibus, omnes illas circumquaque regiones peragrauit, qui, cum esset, & propter virtutē notus, & propter vsum Regum omnibus familiaris, facile a multis Regibus, & Principibus, impetrauit, vt mercatores rursus Malacam merces, & cibaria, conueherent. Dum Botellius summam in commeatu comparando diligentiam adhiberet, Rex Bintami Regem Siacæ (ea regio est ad Austrum, in eadem ora, sita, quam fluuius eodem Siacæ nomine interfluit) per litteras admonuit, vt sibi Botellij caput offerret. Quod si faceret, se ei filiam, insigni specie, magna cum dote, collocaturum. Id Siacæ, Rex, cum ad illū Botellius diuerteret, præmio nuptiarum allectus, facere constituit. Sed accidit, vt, cum illius quidam domesticus, qui fuerat a Botellio captus, & sine vllo pretio dimissus, proditionem, quæ parabatur, intelligeret, vt Botellio gratiam referret, scelus indicaret. Rex Bintami præterea duodecim naues instruxit, & ducibus imperauit, vt Botellium, Malacam redeuntem, si vitaret insidias, interciperent. Georgius Albuquercius, vbi id comperit, nouem naues ornari iussit, & Francisco Melio præcepit, vt Botellio opem afferret. Nihilominus Rex, cum id ex speculatoribus accepisset, alias quattuor & viginti naues instruxit, quæ cum Melio decertarent. Hæ naues, cum duodecim, quæ præmissæ fuerant, acre cum Melio prælium commiserunt. Qui tamen classem hostium profligauit, maximumq. numerum hominum occidit, & cum insigni victoria Malacam reuersus est. Victoria tamen nō incruenta fuit. Nam septem & triginta Lusitani mortui sunt; & magnus etiam Malacensium numerus occisus fuit. Botellius, similiter, periculo liberatus, cum vario, & multiplici, commeatu, Malacam redijt. Sub idem tempus, Georgius Brittius Malacam venerat, vt vrbi præesset. Successor enim Georgio Albuquercio missus ab Emmanuele fuerat. At Prætor Albuquercius, Armuzij, post Hamedij mortē, Reipstatum egregie collocarat; ciues æquitate, & mansuetudine, sibi deuinxerat; ipsum Regem multis ad se beneficijs allexerat; nationes exteras ad commercium, specie benignitatis, inuitauerat. Multi Persidis, & Arabiæ, Reges, ad illum legatos, cum muneribus, miserāt, vt cum eo pacem firmarēt. Neque defuere principes, qui, solo videndi hominis studio, de quo tam præclaram famam multiplicis virtutis acceperant, Armuzium contenderent. Interim rumore dissipatum fuit, Sultanum ingentem classem instruere, qua Armuzium debellaret. Albuquercius, etsi non valde rumori fidē habebat, id tamen consilio prætendit, vt, sine Regis offensione, arcem firmius muniret, & ciuitatem præsidio, ne a fide deficere posset, omnino nudaret. Dixit enim, omnibus vrbis tormentis sibi opus esse, vt facilius hostes, qui exspectabātur, ab vniuersa vrbe propelleret. Itaque tormenta, & munitiones, ex vrbe, & ædibus Regijs, in arcem deportandas curauit. Reges autem cęcos in Indiam, ne, propter multiplicem Regum prolem, in vrbe motus oriretur, misit. Quindecim enim Reges oculis orbati a Regni procuratoribus, in ædibus Regijs, cum vxoribus, & liberis, inclusi seruabantur, quibus omnia ad victum necessaria Principes, qui Regis nomine Regias opes pro libidine tractabant, large præbebāt. Hoc erat præmium, Regibus a maleficis hominibus constitutum, quoties iure Regio liberius, quam rectores ipsi vellent, vterentur. Præfecti namque, tyrannide constituta, ex hac Regia stirpe puerum deligebant, cuius nomine Regni opes in suam potestatem redigerent. Hic vero, in Regia sede locatus, si aliquid moliri cum Regia libertate vellet, oculorum adspectu priuabatur; & alius in locum Regis cæci, eidē calamitati, si liber esse vellet, obnoxius, vt Regium nomen obtineret, assumebatur. Hæc autem tyrannidis minime ferendæ materia inter ipsos tyrannos dissensiones pestiferas excitabat, & causſam ipsi ciuitati sæpenumero grauissimę cladis afferebat. Hos Reges cæcos, partim vt memoriam tam immanis sceleris exstingueret, partim vt turbulentissimæ dissensionis materiam amputaret, Albuquercius Garsiæ Norognæ commisit, vt eos in Indiam deportaret: vbi iubebat, vt eis omnia

Iniusta Abedallæ cædes.

Victoria huius.

Lusitanorum per Indiā infamia.

Insidiæ Botellio structę.

Siacæ Regnū

Naualis Lusitanorum victoria.

Armuzienſis Regni constitutio, Alb. auctore.

Albuquercij stratagema.

Quindecim Armuzij Reges excęcati.

Horrenda tyrannis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nia magnifice præberentur,quæ ad victum,& elegantiam Regiam,pertinerent. Sed,in hoc tam felici rerum omnium,vt homines iudicare poterant,ſtatu, Albuquercius,aut ſenectute,aut nimio labore,confectus,in lętum morbum incidit, qui in dies ingraueſcebat. Cum igitur ſibi mortem appropinquare iudicaret, arcis præfecturam Petro Albuquercio, cuius virtutem,& ingenium,multis in locis perſpexerat, & quem nouerat eſſe & Regi Armuzienſi,& ciuitati vniuerſæ, cariſſimum,præfecit;eumq. ad fidem, & vigilantiam,& æquitatem,luculentiſſimis verbis excitauit.Res autem Armuzij eo ordine conſtituit,vt non facile perturbari,& a ſtatu dimoueri,poſſent.Multa etiam,quæ ad Indiæ ſtatum firmandum vtilia videbantur,effecit. Animum vero ſuum ſacris ſanctiſſimis expiauit;& teſtamentum fecit;nec aliquid prætermiſit, quod ad religionem procurandam, & rem ſuam conſtituendam,aliqua ex parte,pertineret.Mira deinde eum cepit cupiditas in India moriendi. Vrbem præterea Goã, cuius ipſe conditor erat, adſpicere,antequam e vita diſcederet,vehementer optabat. Regem deinde, per Petrum Alpoem, ſalutauit; fidemq. dedit, ſe illi loco parentis,quamdiu in vita maneret, futurum. Petrum deinde Albuquercium, quem Armuzij in arcis, & vrbis, cuſtodia relinquebat, illi vnice commendabat. Se tamen ſpem magnã habere dixit,fore, vt,vbi primum ex eo morbo, ſi ita Deo viſum eſſet, emergeret, Armuzium rediret, vt illi poſſet amorem, quo eum proſequebatur, officijs oſtendere.Rex, illius deſiderio,lacrymas profudit;reſponditque,ſe illum perpetuo in loco patris obſeruaturum, operamq. daturum,vt a nemine,ſtudio, & pietate,erga Regem Emmanuelem, vinceretur. Ea tamen ſpe, interim, quam illi Albuquercius oſtendebat,Armuzij repetendi ſe mirifice ſuſtentari. Hoc facto,Albuquercius,vt ſalutationes deuitaret,(omnia namque humana officia faſtidierat,) nauem conſcendit,& vela fieri iuſsit. Cum ab vrbe quattuor paſſuum millibus abeſſet, reliquos claſsis nauarchos, qui non tam cito ſoluere potuerunt, biduo in anchoris exſpectauit.Eo Rex Armuzij rates, cum multis fructibus,& commeatu, & muneribus ,ad illum miſit. Ille legatos hilari fronte,& vultu, & cũ humanitatis egregiæ ſignis, accepit; officia Regis amantiſsimi eſſe ſibi gratiſsima, confirmauit; & legatum, & nautas,atque remiges bene acceptos, & muneribus ornatos, a ſe dimiſit. Oram vero Indiæ

Nuntius, Albuquerqio de ſucceſſore allatus.

prætereuectus,nauis quędam parua ad nauẽ illius acceſsit. Illa vehebatur nuntius,cum literis,quas Cide Alles, & quidam Iſmaelis legatus Dio ad illum ſcripſerant; quibus nuntiabant,Lupum Suarium Aluarẽgam ab Emmanuele miſſum fuiſſe, qui illi ſuccederet,& illum (quod eis facinus indignum videbatur) in Luſitaniam reuocaret. Quod ſi is parere nollet, Regum ſuorum opes offerebant, quibus facillime tantam a ſe iniuriam propulſaret.Is animum gratum habuit,officium aſpernatus eſt.Et tamen,non mediocri animi perturbatione commotus, (intelligebat enim, eam ſucceſsionem inuidorum opera conſtitutam fuiſſe)ſe continere non potuit,quin,ſublatis in cælum manibus, exclamaret: Pro, CHRISTE ſancte ? inquit : quo me pacto poſſum ijs moleſtijs, quæ me circumuallant, expedire ? Si Regi ſatisfacio, in hominum odium incurro; ſi hominibus cõſulo, in Regis offenſionem incido. Ad aras,grumoſe ſenex, ad aras,inquam, confugiendum. Hæc autem verba ſæpe repetebat;vt appareret,eum grauibus eſſe curis exulceratum. Deinde, ſibi laborum omnium finem inſtare, prænuntiauit. Tãdem,vbi ad ſe redijt, Certe,inquit,mecum ſtatuo,Regem feliciſsimum diuinitus de multis rebus admoneri,& hanc ſucceſsionem nõ, niſi motu,& inſtinctu, numinis, ab illo conſtitutam fuiſſe.Morior enim. &, ſi hoc tempore ſucceſſorem illius conſilio delectum non haberem,potuiſſet Indiæ ſtatus periclitari.Hæc ille cum dixiſſet,animo conquieuit.Quo vero magis progrediebatur, eo morbus erat infeſtior. Litteras interim perbreues ad Regem Emmanuelem in hanc ſententiam dedit: Has poſtremas litteras,cum frequenti ſingultu, & reliquis mortis certiſsimæ ſignis, ſcribo. Filium vnicum habeo: quem peto, pro meis in Tuam Maieſtatem,& amplitudinem, præſtantibus meritis,tua magnificentia,& benignitate,complectare. Quæ tua cauſſa geſſerim,opera ipſa teſtificabuntur.His litteris,vacillante manu, cum magna difficultate, conſcriptis, omnem rerum humanarum memoriam prorſus abiecit; & totam mentem ad res Diuinas animo recolendas, & veniam flagitiorum a Diuina clementia poſtulandam, conuertit. Cum vero multa mente recoleret, tum vero locum Ioannis, quo CHRISTI cruciatus exponit, ſibi crebro legi faciebat; crebrisq. gemitibus,& alijs eiuſmodi ſignis, ſe ea lectione mirum in modum recreari, demonſtrabat. Cum oram Goæ legeret, famulum celoce celeriter inuehi præcepit, qui ex vrbe ſacerdotem, quo plurimum fuerat in rebus Diuinis vſus,euocaret.Is vbi venit,totam cum eo noctem, in rebus, quæ ad ſempiternam vitam pertinebant, attentiſsima cogitatione pertractandis,conſumpſit;& ſic ante lucem ex ergaſtulo corporis emigrauit. Vbi fuit in vrbẽ de illius morte nuntius allatus,non ſolum Luſitani ſe lamentis dediderunt, ſed Saraceni etiam, & gentes reliquæ a noſtris ſacris alienæ,plangore,& eiulatu, vrbem compleuerũt; Tanta namque erat humanitate prędituſ, vt vtrum magis multi illius virtutem metuerent, an bonitatem amarent, eſſet explicatu difficillimum. In primis autem, ius æquabile colebat, & fidem violatã acerrimę puniebat, neminiq.

Albuquercij oratio pathetica.

Poſtremæ Albuquercij ad Emmanuelẽ litteræ.

Alf Albuquercij mors.

Biuſdem mores.

neminiq. iniuriam fieri patiebatur. Fuit inſigni pudicitia. Vxorem numquam duxit; filiũ vnicum ex ancilla ſuſcepit. Erat in laboribus tolerandis acerrimus, ita, vt homines nimio interdum labore fatigaret: quos tamen, magis exemplo,quam propoſitis minis, ad labores excipiendos excitabat. Calumniatoribus erat infenſus,adeo, vt nemo auderet alicui ius nomen apud illum falſo deferre. Conſilio plurimum valebat;incredibili celeritate, quæ ſta tuerat,exſequebatur. Erat veritatis amantiſsimus;vanitatem,& mendacium, odio acerbo perſequebatur.Iniurias ſibi illatas animo maximo ferebat. Iracũdia interdum efferebatur, ita tamen, vt, in medio iracundiæ ardore, dictũ iaceret,(erat enim acutiſsimus) quo omnes,qui vultum illius extimeſcebant, a nimia conturbatione ad hilaritatem, & riſum, ſæpe traduceret.Nõ erat alienus a litteris;&, cum otium erat,lectione ſacrarum præcipue litterarum oblectabatur. Vtrum magis belli, an pacis,artibus excelleret,incertũ eſt. Sic enim bellum adminiſtrauit, vt merito ſummus imperator haberetur. Sic Remp. multis in locis conſtituit,vt ſummus etiam Reip.moderator exiſtimari iure poſſet. Itaque omnes,qui tunc Goæ ſe tenebãt, in illius morte ſe patre amantiſsimo orbatos eſſe querebantur. Fuit e nae, cum incredibili pompa, eductus, & exſequiarum ſingulari magnificentia ſepultus: quamquam fletus,eorum ſpiritum, qui funus procurabant,ſæpius intercluderet. Eius morte nuntiata, luctus per oram Indicam peruaſit;multos Reges, & Principes, mærore afflixit.In primis Xuranda, Armuzij Rex, animi dolorem multis lacrymis,& veſte lugubri, demonſtrauit. Rex Emmanuel illius mortem acerbe tulit, filiumq. illius ad ſe continuo venire iuſsit.Appellabatur ille Blaſius Albuquercius. Rex,ne tanti viri nomen ex animis elaberetur,ei patris nomen indidit,& pro Blaſio Alfonſum vocari præcepit. Eum vero, vt parentis merita poſtulabant, multis muneribus affecit, & ſplendidis etiam nuptijs ornauit.

Exſequiæ Albuquercij.

Res Europeę

Fernandi Regis Catholici mors.

Annus a Chriſto nato 1516.

Sequenti anno, alio funere Principis inuictiſſimi vniuerſa Hiſpania luctu deformata fuit. Rex enim Fernãdus,cuius nomen eſt immortalitati, propter egregia facta, conſecratum, in pago, quem Madrigaleium appellant, qui ad ciuitatem nomine Trigillium pertinet, graui morbo erat implicitus. Eũ Emmanuel, per Ioannem Rodericum Salam Meneſium, ſalutauit, & de valetudinis eius ratione certiorem ſe fieri iuſsit.At Rex Fernandus die vigeſimo tertio Ianuarij,anno ſalutis M D x v j. mortem obiit. Vbi id Emmanuel, per Meneſij litteras, reſciuit, litteras ad Reginam illius vxorem,quam Germanam appellabant,& ad Fernandum, Philippi filium, Fernandi Regis nepotem, & ad reliquos Caſtellæ Principes, quæ doloris indicium,& officij,& amoris, argumentum continebant, continuo miſit; & Meneſium, vt verbis litterarum ſententiam vberius ſubſequeretur,admonuit, &, quæ vellet,vt cum illis ageret,diligentiſsime præſcripſit.Tum litteras ad Rodericum Fernandium Almadam, virum ſumma prudentia prædituũ, quitum Antuerpiæ Regis ipſius negotia gerebat,dedit,quibus præcipiebat,vt eum de rebus omnibus,quæ vel in Gallia Belgica, vel in Germania fierent, admoneret, vt ad temporis conditionẽ conſilia Regni dirigeret. Tum ad Maximilianũ Imperatorem,Caroli auum, cui Carolo,Philippi filio,Caſtellæ Regnum,iure hereditatis, obuenerat, legatum decreuit. Is Petrus Correa fuit,qui, prudentiæ nomine, non mediocrem apud Regem locum obtinebat.Summa legationis erat,vt Carolus Iſabellam,Regis Emmanuelis filiam,vxorem duceret,& rurſus Leonoram, cum Ioanne illius filio,matrimonio copulari vellet. Legatus comiter acceptus eſt: litterarum humanitas, & officiũ, fuit Imperatori gratiſsimum. Petrus tamen Correa,cum nihil eo tempore tranſigi poſſet,Regis Emmanuelis permiſſu,in Luſitaniã redijt. Hocanno, Leo decimus Alfonſum, Emmanuelis filium, in Cardinalium Collegium cooptauit. Et Regi etiam conceſsit, vt Iſabellæ,Dionyſij,Portugaliæ Regis,vxori, fęminæ ſanctiſsimæ, cuius Diuina virtus fuerat admirandis ſignis a CHRISTI numine comprobata,honores in Luſitania publice, vt reliquis Diuis, haberentur; & vt equitum Iacobenſium,& Ciſtercienſium,magiſtratus,abſq. ipſius Pontificis Maximi priuilegio,ei,cui Reges Portugaliæ vellent, aſsignarentur. Hæc omnia propenſa Pontificis ipſius in Emmanuelem voluntate, & opera, & induſtria Michalis Siluij,qui tunc apud Pontificem Emmanuelis legatus erat, & ipſi Pontifici, propter ingenij magnitudinem, gratiſsimus, conceſſa ſunt.Dum hæc gerebantur, Lupus Suarius Aluarenga munus difficillimum adminiſtrabat. Albuquercio nãque ſucceſſerat,ad cuius virtutem adſpirare non poterat. Attamen non ſegniter rebus gerendis incubuit.In primis autem,Coulamum legationem decreuit,quæ pacem cum Regina,quæ tunc Regnum, filij pueri nomine, qui in illius tutela erat, gubernabat,æquis condicionibus firmaret. Condiciones autem fuerũt,vt illa templum, nomine D. Thomæ Apoſtoli dedicatum, quod Saraceni eo tempore,quo Antonio Salæ necem attulerant, diſturbarant, ſuis ſumptibus inſtauraret,& templi vectigalia reſtitueret,& octogintа millia pondo piperis, probonis, quæ Luſitanis erepta fuerant,perſolueret; & vt, antequam cum Saracenis tranſigeret, Luſitanas naues expediret,& omnibus, conſtituto pretio,piperis numerum, qui in eas poſſet imponi,ſine vlla fraude,venderet.Claſſem,quę erat in Luſitaniã profectura, comparauit; pacem cũ Calecutij Rege,quę fuerat ab Albuquercio facta,confirmauit; Cananoris motus,qui fuerant

Emmanuelis ad Maximilianum Imp. legatio.

Iſabellæ Canonizatio.

Res Indicæ. Suarij res geſtæ.

Legatio ad Coulamensẽ Regem.

rant excitati, compescuit. Dum Goam reuertitur, tempestas subito coorta eum Anchedinam petere compulit. Inde Alexium Menesium, cum octo nauibus, vt oram Arabiæ perlustraret, & inde Armuzium classem in hiberna deduceret, misit. Goam reuersus, cõsilium iussu Regis Emmanuelis habuit, vtrum expediret vrbem diruere, & insulam omni præsidio vacuam hostibus relinquere, an potius esset magis e Rep. eam tueri. Non enim Albuquercij inuidi cessabant, illi non solum viuo, sed manibus etiam illius, atque adeo sepultis reliquijs, dolorem inurere; &, vrbem illam esse communibus rebus inutilem, oratione contendere. Nam, multis post annis, in eo perseuerabant, vt laudibus illius oblatrarent, & omnia, quæcumque gesserat, nullo consilio gesta fuisse contenderent. In consilio tamen decretum fuit, Goam esse firmo præsidio confirmandam, & vrbem omni ratione muniendam: quod ipse Suarius, sententia sua, confirmauit. Cochimum deinde reuersus, classem, qua in sinum Arabicum penetraret, instruendam curauit. Fernandum Petreium Andradium in Sinam (sic enim Emmanuel imperauerat) cõtinuo misit. Is, cum tribus nauibus, Zamatram contendit; &, ad Pacem naues appellẽs, Regem, de suo aduentu, per Ianimum Rabelotum, quem ibi reperit, certiorem fecit. Ille Rabelotum, & hospitaliter, & honorifice, cum summis honoribus, accepit. Pax fuit inter illum, & Andradium, Emmanuelis nomine, constituta; & locus, in quo Lusitani arcem ædificarent, assignatus; inde Malacam petijt. Commeatu, & rebus alijs comparatis, in Sinam nauigare instituit; sed, tempestatis aduersæ reflatu, Malacam redire, coactus fuit, vbi Raphaelem Perestrellum, qui e Sinarum regione veniebat, offendit; a quo de Sinarum moribus, de legibus, & institutis, de mansuetudine in hominibus insita, multa percepit. Georgius Brittius, Malacæ præfectus, Henricum Lemium, in Martabanum, Peguensis Regni portum, misit, vt inde commeatum conueheret. Est autem Pegu, latissima, & fertilissima, regio, in India vlteriore, vltra Gangem, ea parte, quæ ad Solis occasum spectat, sita, quæ inde Malacam procurrit, & orientem Solem versus, mare, quod ad Sinam, ex quadam parte, pertinet, attingit. Is nauẽ, quæ ex Peguensi portu soluerat, vi cepit. In eodem vero portu consistentem Saraceni, quorum nauis capta fuerat, latrocinij, & immanitatis, insimulant. Rex classem comparat, qua nauem dominis reddere compellat. Lemius tribus diebus prælium sustinuit; naues non paucas depressit; multos homines occidit; sed naufragium tandẽ fecit. Nauis enim erat peruetus; &, tormentorũ contentione conuulsa, & dissipata, vim aquæ admisit; & ita demersa repẽte fuit. Ipse Lemius, eũ sexaginta Lusitanis, scapha, & lembo quodam, Samatram contendit. Sed, scapha, & lembo, tempestate disiectis, & ad litus allisis, octo & viginti Lusitani fluctibus hausti sunt; reliqui, cum Lemio, in Pedirense Regnum se contulerunt, vbi fuerunt a Rege cum singulari humanitate tractati. Alexius autem Menesius, tempestatibus impeditus, quo minus diu Arabiæ oram peragraret, Armuzium se contulit, vbi omnia Suarij mandata summa diligentia confecit; &, cum primum per anni tempus licuit, in Indiam reuersus est. Dum hæc in India geruntur, Emmanuelin Lusitania propagandæ religionis studium nõ intermittebat; &, cum intelligeret, in Aethiopia Congi regionem quotidie magis Christi disciplinis illustrari, vt opus præclare institutum rectius absolui posset, sacerdotes alios ad Regem Alfonsum, cũ libris, & muneribus, quibus hominem multo acrius studio religionis incenderet, misit. Rex, eo tempore, quo sacerdotes, & Emmanuelis famuli, qui simul missi fuerant, in Congi fluuium penetrarunt, aberat, bellis implicitus contra Reges stipendiarios, qui ab illo defecerant. Fuere tamen interim nostri, in opido, quod Sonum appellant, satis benigne a Regijs accepti. Rex, bello ex animi sententia confecto, rediens, sacerdotes, cum amoris eximij signis, excepit; Emmanuelique, pro tantis beneficijs, immortalem gloriam precatus est. Nostri sacerdotes virtutem ipsius Alfonsi Regis in cælum laudibus efferebant. Erat enim in sceleribus vindicandis acer; & in egentium inopia subleuanda benignus, in Regni opibus stabiliendis industrius, in moribus, atque vita, continens, in religionis studio sanctus, atque tam insigni pietate præditus, vt cælum semper intueri videretur. Siue enim ius diceret, siue cum populo ageret, siue belli consilium, siue pacis iniret, semper Deum in oculis, & conspectu, proponebat, omniaq. ad illius gloriam referebat. Litterarum ludos aperire iubebat, magistros magna mercede conducebat, vt pueros non litteris tantum, sed multo etiam magis studio pietatis imbuerent. Ipse vero tempus, quod illi a negotio publico vacabat, in litteris consumebat. Euangeliorum sententias innumerabiles, & prophetarum oracula, in ore semper habebat. Nam &, lectione perpetua, multum in sanctarum litterarum studio profecerat, &, quæcumque a sacerdotibus audierat, in illius memoria penitus infixa permanebant. Frequentes ad populum conciones habebat, quibus illum ad pietatem, & religionẽ, ardenter incitabat. Erat ingenio acri, & memoria firma præditus. Quinque libros Lusitanarum legum cum diligenter euoluerat, legum quidem sapientiam, & ordinem, atque disciplinam, Reip. laudauit; sed, rebus etiam minutissimis leges certas inuentas esse, non facile probabat. Itaque, hanc legum exactissimam diligentiam irridens, de Lusitanis quæsiuit, quæ nam pœna esset ijs, qui in terra

Publica de Goa ciuitate consultatio.

Pax inter Pacẽsem Regẽ, & Lusitanos.

Martabanum portus, Pegu Regnũ

Lemij prælium, & naufragium.

Res africanę.

Christianismi p Aethiopiam incrementum.

Alfonsi Congensis Regis laudes.

Iudiciũ congensis regis de Lusitanã Nomotheſia.

terra pedem ponerent, statuta. Regem vero Emmanuelem tanta absens fide colebat, vt sæpe diceret, se nullam esse de rebus humanis voluptatem percepturum, antequam in Lusitaniam veniret, vt, ad Emmanuelis pedes prouolutus, illi se totum addiceret. Quod enim cælesti luce frueretur, quod verum Deum coleret, quod ad immortalem vitam adspiraret id totum esse Emmanueli, Regi clarissimo, atque sanctissimo, in acceptis referendum. Eodem anno, Frãciscus Vallesius, Galliæ Rex, legatum ad Emmanuelem misit, cum litteris, officij plenissimis. Petebat autem ab illo, vt se societatis fœdere, quam tunc cum aliquot Principibus in aliorum perniciem faciebat, alligari permitteret. Emmanuel respondit, sibi Regis potentissimi voluntatem semper fore gratissimam, & omnia, quæ salua fide, & Christiani Regis officio, posset, causa illius libentissime facturum. A bellis tamen, quæ Christiani Principes inter se gerebant, vehementer abhorrere. Sibi namque in animo esse, Saracenis, si posset, perniciem, & interitũ, machinari. Christianis vero Principibus bonam mentem, & animorum concordiam, cum bonorum omnium amplificatione, precari. Sub id tempus tres Sarmatæ, viri apprime nobiles, in Lusitaniam, Emmanuelis visendi gratia, venerunt. Illius namque fama illas regiones, cum hominum admiratione, peragrabat. Tempore enim, quo reliqui Principes Christiani, huius tanti nominis obliti, acerbissimis odijs stimulati, in mutuam perniciem ruebant, &, furore cæci, opes hostium, qui Christianis opibus imminebant, in dies amplificabãt, erat illius Regis laus illustrior, qui pacem cum Christianis Principibus vnice colebat, nec vllis præmijs allici poterat, vt cum vllo Principe funestissimi belli societatem iniret, & tanto studio bellum in Africa, & India, contra Christiani nominis hostes compararet. Ad hæc, addebant, iter in nationes vltimas apertum, Indiam subactam, multas Orientis nationes sub imperium subiunctas, maximas Arabum, & Persarum, & Aegyptiorum classes deuictas; neque tam illustres victorias humanis viribus, aut vlla valde magna potentia, consecutum; sed, vt conijci potest, Christum, cui ille tota mente seruiebat, pro illius amplitudine dimicare. Hæc, & alia multa, in hanc sententiam cum vulgo iactarentur, apud Regem Sarmatiæ, qui eodem studio bellum continenter cum Turcis, & reliquis Christianæ religionis hostibus, gerebat, & nobilitatem in armis, & optima disciplina, continebat, præcipue laudabantur. Hoc tres illos adolescentes nobiles incitauit, vt, e tam longinquis terris, in Lusitaniam, illius videndi gratia, venirent; & simul ab illo peterent, vt eos manibus suis equestris dignitatis insignibus ornare vellet. Sibi namque omnia in armis feliciter euentura confidebãt, si a Principe tam diuinis virtutibus ornato eam dignitatem adipiscerentur. Quod petebant, impetrauerunt; ipsiusq. Regis manibus ornati, & instructi, multisq. muneribus affecti, in patriam rediere; &, quacumque iter faciebant, Regis ipsius virtutem, & magnificentiam, summis laudis efferebant. Hoc anno, cũ Rex Fessensis crebras excursiones in agrum Arziliæ fecisset, & multas prædas abegisset, ciuitas in magnam carnium penuriam redacta fuerat. Ioannes Coutignus, vt hoc incommodum resarciret, in opulentum pagum, prope Alcassarquibirium situm, qui, propter itineris longinquitatem, nihil sibi a Coutigno metuebat, cum duc entis & quinquaginta equitibus, cum tota nocte iter fecisset, ante exortum Solis inuasit; hostes nec opinantes oppressit; quinque & quinquaginta tantum (reliqui enim diffugerant) captiuos abduxit; mille boues, cum multis equis, & pullis, abegit; eaq. omnia, cũ maxima difficultate, propter fluuiorum altitudinem, qui ea nocte (imber enim maximus, & turbulenta tempestas, exstiterat) supra modum creuerant, Arziliam duxit. Præfectus Alcassarisquibirij, repente, cum trecentis equitibus, illius vestigijs institit. Sed imbres prælium diremerunt. Vix Coutignus pontem quendam transierat, cũ aquæ, quæ campos inundauerant, pontem operuerunt. Hostis vero, metuens, ne, si vlterius pergeret, reditus sibi minime pateret, reuersus est. Crebris eiusmodi excursionibus Coutignus hostes finitimos exterrebat, & agris populationes inferebat; quibus irritatus Fessensis Rex, maximum exercitum comparauit, vt Arziliam obsidione premeret. Triginta equitum millia, & peditum supra septuaginta millia, coegit; cum ijs armatorũ copijs, & multis tormentis, & munitionibus, Arziliam cõtendit; eamq. vallo, & fossa, cinxit; & crebras dein de turres excitauit; tormentaq. disposuit; & vrbem vehementissime quatere cœpit; & cuniculos, quibus muros subrueret, instituit; operamq. enixe dedit, vt, antequã auxilium obsessis afferri posset, vrbe potiretur. Coutignus tamen, cum de illius aduentu certior factus esset, Noniũ Ribertum, qui Regis Emmanuelis negotia in Hispania Bætica procurabat, & tunc se Malacæ tenebat, admonuerat, vt sibi confestim multa, quæ ad obsidionem tolerandam necessaria videbantur, mitteret; Emmanuelemq. per litteras de Regis Fessensis aduentu certiorem fecerat, copias distribuerat, stationes ducibus assignarat, eas partes, quibus maius periculum imminebat, præsidio firmiore munierat, suos ad propugnationem multis verbis incẽderat. Omnes erãt in vrbis defensionem acriter incitati. Riberius nihil cunctatus est; sed ea, quæ Coutignus postulat, continuo misit. Ioãnes Mascaregnas, equitum leuis armaturæ Magister, duas repente naues instruxit, in quas centum & viginti e-

Trium nobilium Sarmatarũ, Emmanuelis videndi causſa, in Lusitaniam profectio.

Res Europẽę Gallica ad Emmanuelẽ legatio.

Res Africanæ

Io Coutigni excursio.

Arzilienſe bellum.

Arziliæ obsidio, & oppugnatio.

Subsidia Arzilienſibus missa.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quites,& pedites,qui nauibus vehi poterant, imposuit; eiq. se comitem Nonius Mascaregnas frater adiunxit. Alij duo fratres eorum, nempe Emmanuel Mascaregnas,& Antonius Mascaregnas, Arziliæ sub Coutigno militabant. Ij cum Arziliam peruenerunt,iam vrbs viribus summis oppugnabatur.Nonius Riberius milites ducentos Malaca misit; duces duo viri nobiles erant,qui,propter sua in Regem Emmanuelem merita, ab eo beneficijs summis ornati fuerant.Cum ijs alij veniebãt eisdem rationibus adstricti; quos omnes Coutignus singulari comitate, & multis honoribus, excepit, & illis stationem assignauit, quam insita virtute tuerentur. Interim nec nocte neque die ab opere cessabat;fossas trãsuersas, quibus cuniculos exciperet, duci,muros quassatos reficiebat, alios intra veteres muros excitari,faciebat. Franciscus Doria, Genuensis,frater patruelis Andreæ Doriæ,cuius tantum nomen in rebus maritimis exstitit, operibus præerat:huic Rodericus Sousa, cognomento Cide,socius adiunctus erat. Hi singulare in ea obsidione specimen virtutis, & industriæ,dederunt,ita,vt in oculis,& sermone, omnium versarentur. Reliqui, quantum poterant,officio suo fungebantur, &,singulari audacia,omnibus se periculis exponebant. Hostes nullum obsessis laxamentum dabant. Erat autem hoc in Regis Fessensis animo penitus insitum, vt,si non intra paucos dies Arziliam expugnaret, obsidionem solueret, ne desidendo tempus frustra consumeret. Hoc illum stimulabat, vt oppugnationi perpetuo acriter, & vehementer, insisteret. Itaque alij sagittis,& glandibus,vt mœnia propugnatoribus nudarent,contendebant,alij tormentis assidue muros quatiebant; alij, perfectis iam cuniculis,muris vasa tormentario puluere rerta subijciebant; fessis deinde recentes, & integri, succedebant, ita, vt res in vltimum discrimen adducta videretur. Nostris tamen nec animus interim, nec industria, ad repugnandum deerat; nec vllis telis, aut obiectis terroribus, loca sibi assignata deserebant, & inde, vt hostes summa contentione propellerent,laborabant. Multi tamẽ interim vtrimque cadebant. In hoc statu vrbs erat,cum Rodericus Barretus,cum nauigijs duodecim,ex Algarbio aduenit. Huius aduentu tantus obsessis animus additus est,vt confiderent,se facillime in murorum ruinis,si mœnia omnino corruerent, cum hostibus aperto Marte congredi, aut intra cuniculos manum conserre, posse. In hac classe,ex eodem Algarbij Regno Garsia Melius sexcentos viros acres eduxit; & alij præterea ex Algarbiensi nobilitate nõ mediocria auxilia rebus cõmunibus attulerunt. Quin etiam nautæ,ex eadem Lusitaniæ parte, non tantum nauigandi laude præstantes,verum & bellandi artificio non mediocriter eruditi,in vrbem obsessam nauibus ingressi,fortium hominum officio functi sunt. Maurus interim quidã captiuus ad hostes transfugit; & Fessæ Regi nuntiauit, vrbem esse validiore præsidio, quam ille suspicari posset, firmatam. Is,hoc nuntio perturbatus, obsidionem soluere voluit; sed fuit ab Rege Mequinezio,fratre suo,ne id faceret,impeditus. Iacobus interim Lupius Siqueira,cum nauibus triginta,iussu Emmanuelis, aduenit; & sic tandem Reges, sublata obsidione, discesserunt. Coutignus eos equites, qui tunc Arziliæ inuenti fuerant, eduxit, & hostium agmen postremum carpsit, & nonnullos occidit, & aliquot etiam viuos cepit. Hoc tempore Ioannes Gondissaluius Camara, insulæ Materiæ præfectus, grauem sibi iniuriam a Rege Emmanuele factam,querebatur;qua offensus,insulam,& domicilium,& opes, & vectigalia,deserere, & alias sibi extra Lusitaniæ ditionem sedes deligere,parabat. Iurisdictionem enim insulæ, quæ fuerat maioribus suis attributa, sibi ereptam,aut,quod idem valebat,imminutam fuisse,dicebat: quod minime ferendum esse iudicabat.Cum vero,ex insula profectus,in Algarbium aduersis tempestatibus iactatus esset,& Arziliam obsideri intellexisset,septingentos milites magna mercede conduxit, & summa celeritate Arziliam contendit.Sed,eo iam tempore,Reges castra mouerant;qui tamen redituri multis, cum maiore apparatu, videbantur. Nobilitas,quæ tunc Arziliæ morabatur, sumptibus exhausta, in Lusitaniam redire properabat. Eos Coutignus retinere non poterat. Hoc Camara animaduertens, duplex militibus stipendium proposuit; sequtempus omne, quod Coutigno videretur, in ea vrbe mansurum asseruit; neque commissurum,vt vllo in loco quisquam suum erga Deũ, & Regem,officium desideraret.Hoc exemplo multos homines nobiles in vrbe retinuit. Hæc non indigna relatu esse statui, vt intelligi posit, quorsum Lusitanorum querellæ erga Reges suos erumpere soleant.Vt enim delicati filij de parentum iniuria sæpe conqueruntur; ita Lusitana nobilitas, leuibus interdũ causis irritata,de Regibus, a quibus enutrita est,graues querimonias habet. Attamẽ, in ipsa rei indignitate, cum id casus postulat, opes suas,Regum caussa, libenter effundit, & vitam in discrimen salutis injcit. Camara vero, postquam officio suo perfunctus cum dignitate fuit, Hispalim concessit,vnde fuit ab Emmanuele litteris,benigne,& amanter,scriptis, reuocatus. Sub idem tempus, in morte Ataidij, fortissimi viri, iactura insignis facta est.Apud hũc nonnulli Arabes Oleidemetenses in Marochiensis Regni finibus constituti, qui tributũ Emmanueli Regi pendebant,questi sunt,quod Arabes quidam Xerquienses eorum agros vastarent,& grauissimas illis iniurias inferrent.Ataidius autem fœdere adstrictus erat,ad vim, si quis eis inferre maleficiũ vellet,

Aliud subsidium. Arzilia obsidione soluitur.

Io.Camaræ ex indignatione officiũ erga Emmanuelem Regẽ singulare.

Nouum Arzilienſium subſidium.

Bellum Marochienſe.

vellet,omni contentione propulsandam. Ij vero Xerquienses, contra quos fœderati Ataidij opem implorabant, erant viri nobiles, & animosi, & in rebus bellicis exerciti, qui stipendiarij Emmanuelis fuerant, & tamen ab eo defecerant, & vltra Marochium castra moueraut,& finitimos agros vastabant,multisq. iniurijs Mauros, Regi Emmanuelis subditos, opprimebant. Ataidius,qui eos explorarent, continuo misit.Exploratores,illos ad radices montium, qui Clari nominantur, castra posuisse,referunt. Decimo igitur nono die Maij anni eiusdem MDXVI. Ataidius, cum equitibus quadringentis & triginta,& paucis peditibus,ex vrbe profectus est,ita tamen, vt, quo intenderet, nemo suspicari posset. Cum vero circiter triginta passuum millia progressus esset, ad Dabidenses Mauros peruenit: tunc Garabienses etiam Mauri copias suas adduxerunt. Mauri,qui cum Ataidio inde profecti sunt, ad quattuor equitum millia fuere. Inde interram, quam Alguz appellant, peruenit. Est autem ea tellus plana,& summa fertilitate prædita, & Marochiensi agro finitima, quã flumen,quod Alguz appellant,alluit. Ibi Arabum mulieres,& imbellẽ turbam,reliquit; primisq. tenebris profectus, eo peruenit,vbi Rahus Bẽxamutius,qui erat vir fortissimus,magnumq. in ducibus nomen apud Arabas obtinebat,castra fixerat.Ibique,cum ex improuiso hostes adoriretur,nemo fuit, qui resisteret. Cædes ingens edita fuit; solus Benxamutius cum paucis euasit. Ataidius cum maxima præda regredi cœpit. Primum agmen Lupus Barriga ducebat; Aluarus Ataidius Regium signum præferebat;ipse subsidijs aciem postremam firmabat. Cũ vero Marochio quattuor passuum millibus abesset,aliquot horis, in loco satis amœno, (æstus enim erat ardentissimus) cum exercitu, conquieuit. Ibi Rahus Benxamutius, cum octoginta equitibus, castris obequitauit. Tum, Arabas,cum Lusitanis fœderatos,nominatim compellans, admonuit,vt occasionem tam præclaram ne præter mitterent.Si Christianos istos,inquit,occiditis, Mahumeti rem gratam facietis, gentem vestram tyrannide liberabitis, religionem a vobis violatam Lusitanorum sanguine expiabitis, & nomen virtutis egregium, propter tam præclarum facinus, obtinebitis. Agite, fratres;agite,commilitones;cras Safinium recuperabimus; perẽdie Azamorem capiemus; Lusitanorum memoria, ex Mauritaniæ finibus exterminata, vestrum nomen ab obliuione vindicabit. Cum hæc maximis vocibus diceret,nostri, eo ordine, quo instructi fuerant, progrediebantur. Fœderati nullum ei responsum dabant,immo cum præda ad primum agmen se conferebant, vt a periculo longius abessent. Vxor quædam illius,Hota nomine, singulari specie,& pulchritudine,femina, quã is perdite amabat,capta ferebatur,quæ illum nominatim inclamauit. Is continuo substitit. Illa a ducibus facultatem postulauit cum viro colloquendi. Cum id impetraret,Rahe,inquit, Benxamutie, quoties mihi dixisti, te, neme captiuam duci conspiceres,maximum vitæ discrimen aditurum? Captiuam modo ducí vides;& id tamen pateris? Vbi nũc est amor pristinus? Vbi data fides? Vbi virtus eximia, quam tibi frequenter arrogabas? Is ad hæc, Dies,inquit,longa est;victoria, in numinis Diuini beneficio; virtus, in brachij mei robore consistit. Illa vero puluerem manu in altum proiecit; tum addidit, Verborum tuorum fidem aura dispellit. Abi igitur, & alia vxore, quam mihi longe,vt video,præponis,vt lubet fruere. Ego interim, vel de tua perfidia,vel de timiditate, quorum vtrumvis turpius viro sit,non facile dixerim, perpetuam querimoniam habebo. Is sibi continuo calceum detraxit,eumq. in illam coniecit.Hoc autem signo, vt in more gentis positum erat, se fidem, quã dederat, minime violaturum, confirmauit. Deinde,ad equites suos cõuersus, multa, cum lacrymis,& luctu, disseruit, vt eos ad misericordiam alliceret. Si, inquit, vos amor vmquam afflixit, si decus ad contemptum mortis incitauit,si vitam meam caram habuistis, opem vulneri,quod mihi amor infixit, afferte;periculum a me dedecoris eximij propulsate; vitam meam ab imminenti fato defendite. Hanc enim mulierem si captiuam duci videro,diu vitam cum tanto dolore, atque turpitudine,retinere non potero. Cogitate præterea,quantis Mahumetem, prophetam sanctissimum, meritis obligabitis; si pro lege illius prœlium inieritis. Hæc cum diceret, eos ad certamen acriter incitauit; & ipse, in agmen postremum inuectus, prælium atrocissimum iniuit,ita,vt nostri illius impetum ægre sustinerent. Alfonsus Norogna tunc in postremis hostem magna virtute repellere contendebat.Huic Ataidius subueniens,Noli,inquit ridens, Mauros meos, quos multis laboribus alui,internecione delere. Par enim est,vt aliquot in semen relinquamus. Abi igitur in primum agmen, ego postremam aciem tuebor. Gener,inuitus,atque recusans,imperio tamẽ coactus,in agmẽ primum discessit. Ataidius equum alium(is enim,quo vehebatur,erat nimia lassitudine confectus) adscendit: tum sic hostes sustinebat,vt ordinem minime perturbari permitteret: ita deinde agmen cogebat, vt interdũ esset opus, acie conuersa in hostes impetum dare.Hoc cum non semel fieret,Rahus guttur illius nudatum conspicit: lorica namque ea parte dissoluta fuerat.Itaque pilo maxima vi coniecto guttur illius trãsfixit; & ita vir egregie fortis, qui tam multas clades hostibus intulerat, vno ictu concidit,ruinaq. sua nostrorũ aciem perturbauit.Incidit enim continuo tumultus, quo nostri miserandum in modum periere. Quidam enim Alfonsum

Alguz terra.

Lusitanorum victoria.

Rahi Benxamutij ad Lusitanorum fœderatos oratio.

Hotæ Mauræ cũ Raho Benxamutio maritoquium.

Rahi Benxamutij ad equites suos oratio.

Prœliũ atrocissimum.

Ataidij cædes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tumulus Lusitanorum, & calamitas ex eo grauissima.

Norogham, quidam Alfonsum Ataidium ducem deposcebant. Tantaq. partis vtriusque contentione certatum fuit, vt, quasi in tranquillo statu reip. cum ciues, ambitione præcipites, seditionem concitant, ita illi in tanto discrimine dissiderent; vsque adeo, vt parum abesset, quin, hostibus relictis, ipsi inter se funestissimum prælium, cum insigni furore, & amentia, committerent. Hanc perturbationem Mauri fœderati cum cernerent, cum hostibus se, vt Rahus admonuerat, coniunxerunt, vt tantę prædæ participes fierent. Sic autem Lusitani ferme omnes, & insito furore, & sociorum scelere, aut cæsi, aut capti sunt: inter quos Alfonsus Norogna exstitit, qui cum

Alf. Norogne cędes. Maurorũ victoria.

alijs viris nobilibus occisus fuit. Hac victoria elati Mauri, plurimum rebus suis confidere cœperunt; & quidam ab Emmanuele desciuerunt, alij vero suspensis animis, quid casus deinde ferret, exspectabant. Nec enim credebant, viri tam fortis interitu, alium inueniri facile posse, qui rem Lusitanam ea virtute defenderet. Rahus, cum insigni victoria, & decore, & maxima præda, &, quod ille rebus omnibus anteferebat, cum vxore carissima, discessit, ita, vt eum omnes admirarentur, & virtutem illius in cælum laudibus efferrent. Vxor tamen illi amoris gratiam, exemplo memorabili, retulit. Nam, post hanc victoriam, cum

Amor, & fides coniugalis eximia.

Xerisius cum Fessæ Rege prælium commisisset, Rahus ab hoste, quem fugientem persequebatur, occisus fuit. Hostis enim conuersus, equo concitato, Rahum hasta transfixit. Hota viri funus cum multis lacrymis, & eiulatu, procurauit, & corpus illius in sepulcrum, magnis sumptibus exstructum, intulit. Deinde nouem se diebus a cibo, & potu, continuit; & sic tandem spiritum edidit; & suis mandatum dedit, vt se cum viro sepelirent. Indignum namque statuit, a viro, quem vnice amarat, &

Rahi mors.

a quo ardenter amata fuerat, aut morte, aut sepultura, diuelli. Emmanuel, cum ei de morte Ataidij, & de exercitus clade, fuisset allatum, Nonium Mascaregnam, virum impigrũ,

Nonius Mascaregnas Ataidio suffectus.

illi successorem designauit. Eo tempore, quo illa clades accepta fuit, Iehabenta fusus in Lusitania versabatur, negotijs implicitus. Qui, vbi casum miserabilem resciuit, non mediocrem ex eo dolorem accepit. Id autem illum præcipue angebat, quod metuebat, ne Rex Emmanuel, Maurorum scelere offensus, reliquis deinde nullam fidem habendam censeret: quo facto, cernebat, maximam rei bene gerendæ facultatem funditus interituram. Hoc

Iehabẽta fusus ad Emmanuelem Regem oratio.

cum metueret, Regem obtestatur, ne, propter aliquorum perfidiam, de reliquis spem prorsus abijciat. Nullam esse gentem, ex qua non sępenumero homines conscelerati, atque proditores, exsistant. Quod si, inquit, improborum scelus aliorum hominum fidem suspectam fecerit, quo se conferent Reges? Cuius tandem operibus vti poterunt? Quam rem; hominum auxilio destituti, ex animi sententia gerent? Qui enim nemini fidem habet, nemini negotium vllum committet. Abdat se igitur in siluas, & Regni procurationem omnino deserat, opus est, qui vniuersos homines, propter nonnullorum perfidiam, auaritiæ, & proditionis, insimulat. Vt igitur nihil esse potest nimia crudelitate dementius; ita nihil excogitare possum diffidentia miserabilius. Fateor equidem, scelus immane eorum fuisse, qui socios prodiderunt, &, auaritia obcæcati, eis, quibus auxilium afferebant, crudelissimam necem attulerunt. Verum non omnes sceleris eiusdem participes exstitere. Duces enim constat innoxios fuisse, qui, quantum in illis fuit, suos a scelere infando cohibuerunt. Multi præterea, quanta fide amicitiam Lusitanorum coluissent, in morte, qua nullum certius argumentum esse potest, aperte demonstrarunt. Nam cum Lusitanis ab hostibus occisi sunt; & ij, qui se scelere contaminarunt, numquam id fecissent, nisi, propter Lusitanorum in deligendo duce amentem, & pestiferã, dissensionem, merito rem perditam esse prospexissent. Itaque, cum salutis desperatio ex vna parte eorum animos occupasset, & ex altera spes ingentis vtilitatis ostensa fuisset, superauit species vtilitatis honestatis splendorem, ita, vt mallent cum lucro viuere, quam cum fide mortem oppetere. Non purgo sceIus; immo censeo, vt iure Regio vtaris, & de sceleratis debitum supplicium sumas. Vtrumque enim Regium munus est, & virtutis merita debitis ornamentis afficere, & seuere in admissum scelus animaduertere. Sed hoc demonstrare volo, non omnes in scelere fuisse, & intempestiuam seditionẽ improbis caussam aperte sceleris attulisse. Quare spes est, si proborum opera vti volueris, &, quod est nonnullorum temeritate contractum, seueriore disciplina correxeris; fore, vt, quod est damni factum, cum ingenti lucro resarcias. Fides mea multis in rebus satis perspecta, & cognita fuit. Vt enim tuæ dignitati seruirem, meis infensus, & inimicus exstiti, & pro tua amplitudine nullum vitæ periculum recusaui. Quare, si officia mea tibi grata sunt, te suppliciter oro, vt mihi, cui, antequã meam in te fidem rebus exploratam habuisses, multa credidisti, nunc, postquam meis laboribus, atque periculis, quanta religione fidem colerem, documentum dedi, multo maiora committas. Confido enim, futurũ, vt opera mea multo plures Mauri ad nomen tuũ adiungantur, quam fuerunt illi, quos metus simul, atque cupiditas, ad breue tẽpus a tui nominis studio disiunxit. Hæc cum sæpe, & ardẽti studio, dixisset, Emmanueli persuasit, vt vellet illius opera Maurorũ voluntates, metu perculsas, ad spẽ rursus Regiæ benignitatis excitare. Itaque cum Petro Mascaregna, qui tunc Safinium proficiscebatur, Iehabenta fusum etiam misit; qui in exi

tu

tu mensis, Iulij Safinium naues, cum præsidio militum, cum armis, & munitionibus, appulerunt. Iehabenta fusus litteris continuo fœderatorum ducibus aduentum suum significauit. Hi, maximis lætitiæ signis, quam gratus esset omnibus illius aduentus, passim demonstrabant. Erat enim ille egregie fortis, & bellandi peritissimus, ita, vt omnes, qui sub illo militabant, quasi ad exploratam victoriam ducti fuissent, valde confidenter in hostes impetum facerent. Multi ex Mauris fœderatis, accepta prius fide, (timebant enim, ne, propter Ataidij cædem, aliorum scelus sibi fraudi esset) in vrbem venerunt: quos omnes Nonius Mascaregnas scelere liberauit. Hi, multis promissis, fuerunt in studium Regis Emmanuelis multo acrius incitati. De supplicio eorum, qui scelus immane fusceperant, dubitatum in consilio fuit. Erat enim ingens multitudo. De omnibus supplicium sumere, erat difficillimum. In paucos commune omnium scelus vindicare, iniquum videbatur. Præterea, timor erat, ne, si tunc aliquid acerbius in animaduertendo fieret, tumultus orirentur, & multorum animi a nomine Regis alienarentur. Quare visum fuit, supplicium in aliud tempus magis commodum reseruari; & omnes sceleri affines interim dissimulanter notari, vt, aliquo prætextu, paullatim

Antonius Emmanueli nascitur.

absumerentur. Hoc anno Regina Maria filium peperit, cui fuit Antonij nomen impositum. Sed puer mortem statim obijt, & Regina ex partu grauiter, & periculose, laborauit. Sub idem tempus, vna nauis ex his, quas

Caruela Lusitana capitur a Mauris.

Caruelas vocant, quæ e Lusitania ex Algarbij regno Arziliam veniebat, fuit, antequam in Arziliæ portum intraret, a piratis Mauris capta. Lusitana classis, quæ in portum subducta fuerat, propterea quod æstus decesserat, illi opem afferre non potuit. Franciscus Soueralis, vir fortissimus, qui ea vehebatur, antequam in prælio multis vulneribus confectus occumberet, res memorabiles effecit; octo & viginti viri, atque mulieres capti sunt. Non multis post diebus Gundissaluus

Gundissalui Vascij captiuitas, & illustre martyrium.

Vascius itinerum ductor, vir animi maximi, qui, cum fuisset Maurus natione, & religione Mahumetanus, impiam superstitionem exsecratus, ad Christi se nomen, & fidem, adiunxerat, in Tingitanam vrbem se contulit, vt, opera summi cuiusdam Chirurgi, crus, quod illi in bello confractum fuerat, sanari posset. Vix sanitatem recuperarat, cum nauem conscendit, vt Arziliam, in qua vrbe domicilium habebat, (desiderio enim magno videndi vxorem, & filios, tenebatur) repeteret. Magister enim nauis dabat fidem, fore, vt intra tres horas nauem saluam in Arzilienſi portu constitueret. Sed, cum ventus deficeret, duæ longæ Maurorum naues in insidijs collocatæ, in illam inuehuntur. Is, quamuis esset vir in armis acerrimus, non tamen arma tunc, neque præsidium vllum, quibus hostes repelleret, habebat; &, cum sibi moriendum esse necessario cerneret, si in manus hostium perueniret, in scapham desiluit, vt remis periculum declinaret. Captus tamen cum paruulo filio fuit. In nauem similiter (nemo enim erat in ea, qui resistere posset) hostes ingressi, viros, & mulieres, qui ea vehebantur, Tetuamum abduxerunt. Mulieres vim, & libidinem, a corporibus suis, lacrymis, & ingentis pecuniæ promissis, cohibuerunt. Pretio autem persoluto, omnes, cum viris, qui simul capti fuerant, in libertatem restitutæ sunt. Solus Gundissaluus Vascius, quamuis ingentem pecuniam pro redemptione illius multi viri nobiles offerrent, & Mauri essent auarissimi, non potuit in libertatem vindicari. Erãt enim hostes in illum, propter desertam Mahumetis nefariam, & impiam, superstitionem, vehementer infensi. Itaque cruciatus in illum diros excogitant; & primum filium in illius conspectu dilacerant; quem ipse, vt supplicium libenter pro CHRISTI gloria subiret, verbis exhortatur. Illius deinde manus, atque pedes, duobus asteribus fibula coniunctis, atque diuisis, alligant, & illum verberibus concidunt, & vngulas euellunt, atque, vt diutius torqueretur, ita corpus paullatim carpunt, vt non celeri morte doloribus acerbissimis finis imponeretur. Is interim omnem a corpore dolorem, nomine CHRISTI sæpius inuocato, depellebat; & illi gratias agebat, quod se tanto beneficio cumularet. Neque enim sibi clarius in hac vita munus concedi potuisse dicebat, quam vt pro illius nomine, qui tantos in Cruce, pro generis humani salute, cruciatus pertulisset, vitam cum insigni cruciatu profundere. Neque solum supplicijs oblectari videbatur, verum & supplicibus verbis flagitiorum veniam postulabat. Hostes, fidei constantia perturbati, multo grauiora animis supplicia perferebãt. Non poterant enim pati, omnes suos conatus, quos ad illius virtutem frangendam, & debilitandam, comparauerant, ad nihilum recidisse. Itaque flagrabant furore, & amentia; &, quo ille constantius in fide permanebat, & fortius cruciatus contemnebat, eo illi magis animis efferebantur, & vehementius illum nouis cruciatibus oppugnabant. Cum vero Christum in supplicijs laudari, & Mahumetis nomen lacerari perspicerent, linguã illius præciderunt; qui tamen, ipso spiritu, qui e vultu, & ex oculis, eminebat, eorũ immanitatem, & impietatem, refutabat; & clariorem triumphum tacitus ex eorum crudelitate victor agebat, quã verbis dicere potuisset. Mente enim tunc cũ Deo clarius, euulsa lingua, loquebatur, & magnificẽtius Christi numini vota persoluebat, quam si summis humanæ eloquentiæ viribus hostes exterreret. Biduo hæc cruciamẽta inuicto animo ptulit; & sic tãdem

Universidad de Deusto
Biblioteca

in cælum, e corporis vinculis expeditus, immigrauit. Is fratrem habet, qui similiter se se ad Christi nomen applicuerat, &, post aliquot annos, ab hostibus captus, in acerbissimo cruciatu, pro Christi religione fortissime tolerato, clarissimam mortem oppetiuit; & ita, fratris vestigiis insistēs, idem virtutis præmium præmium in cælo consecutus est. Dum hæc in Lusitania, & Africa, geruntur, Fernandus Gomecius Lemius, quem Alfonsus Albuquercius ad Ismaelem, Persarum Imperatorem, legauerat, cum suo comitatu, quadraginta camelis, quem Regii ad eam rem præparauerant, inuectus, quacunque iter faciebat, erat a principibus, qui Ismaeli parebant, hospitaliter acceptus. Eum autem deducebat quidam Ismaelis dux, Habraimus Bea nomine, qui, cum Carmasam peruenisset, (ea fuerat olim ciuitas valde frequens, & opulenta, &, propter rebellionem, Ismaelis iussu vastata, in cuius tamen arce militum præsidia collocata erant) Ismael eum prohibuit, ne vlterius ipsius iniussu progrederetur. Interim Ismael equos, qui in alia ciuitate alebantur, ad se perduci imperauit. Postridie, nostri, Ismaelis permissu, Carmam peruenere, quæ ciuitas est muris, & vallo, atque fossa, munita. Inde in templum, magnis sumptibus ædificatum, prope fluuium latissimum, qui tellurem varijs aquarum deriuationibus valde fertilem, & amœnam, reddit, deducti sunt. Quacumque autem iter faciebant, erant ab ducibus honorifice accepti, & omnibus rebus ad victum necessariis large, atque munifice, donati. Cū vero Caixamum peruenissent, quæ ciuitas est mœnibus egregie munita, multisq. rebus opulenta, Mirabucaca, qui tunc Ismaelis exercitum imperio continebat, (is autem Goæ Albuquercium, Ismaelis nomine, salutauerat) cum legatis Regis Daquemensis, atque Zabaimi Idalcami, qui apud Ismaelem versabantur, & cum magno equitum, & peditum, comitatu, illis obuiā prodijt. Ibi decem dies commorati sunt. Inde, corporibus iam ab labore refectis, profecti, decem iustis itineribus ad Ismaelis castra (in campo namque versabatur) tandem perducti sunt. Ante tamen, quam in castra peruenirent, Regiæ præfectus, cuius status erat amplissimus, & opes immanes, eis obuius factus est, & tantisper illos sermone periucundo, & humano, detinuit, dum illorum sarcinæ, quæ a camelis ferebantur, accederent. Tunc eorum tabernacula prope sua figi præcepit, illisq. conuiuium instrui imperauit. Vix in sellis conSederant, cum eis Ismael munera satis large in conuiuium misit. Cum ad eum locum peruenere, supra mille, vt arbitrabantur, milliaria confecerant. Regia vero castra locata erant in campi planitie, montibus excelsis, & editis, multa niue coopertis, inclusa. Numerus tabernaculorum quinque & triginta millium fuisse dicebatur; Equites supra centum millia; & magnus etiam mulierum numerus, & famulorum innumerabilis turba illis castris continebatur. Postridie, Ismael, venatum profectus, octo milla equitum duxit; modico tamen omnes interuallo ab eo distabant. Illi tantum, qui eum conuenire volebant, propius accedebant; explicatoq. negotio, cuius caussa venerant, absccedebant cōtinuo, & in ordinem reducebantur. Præfectus Regiæ dimissus est, vt legatos laute acciperet. Is, vt ornatius esset conuiuium, aliorum etiam Regum legatos inuitauit. Multis dapibus, & maxima vini copia, & cantibus, & symphonia, celebratū conuiuium fuit; omnesq. tandem, qui fuerant inuitati, vestibus bombycinis auro intertextis donati sunt. Conuiuiū fuit a diei principio ad vesperū perductū. Ismael, interim, a venatione reuersus, præter tabernaculum, vbi conuiuiū celebrabatur, transiuit. Oēs egressi sunt, vt eū salutarent. Is Lusitanū legatum aliis vestibus, atq. munerib⁹, ornauit. Nō multis post diebus legatus intromissus est, vt legationem exponeret. Ismael illūin tabernaculo, pulcherrime facto, quod auri miro fulgore splēdebat, & in loco sublimi, aureis vestibus instrato, Regibus, & Principibus, qui illi parebant, stipatus, exspectauit. Litteras hilari fronte accepit; legatū cum sociis sedere iussit; tū, de valetudine Pontificis Maximi, de statu, & amplitudine multa quæsiuit: Deinde, de Regis Emmanuelis moribus, ætate, consuetudine, de illius imperio, de filiorū numero, percunctatus est. Postremo, de Alfonsi Albuquercij morib⁹, atq. virtute, de armorū studio, de pacis institutis, nō pauca, etiā cum singulari significatione humanitatis, interrogauit. Munera deinde, quæ legatus illi, Albuquercij nomine, deferebat, accepit; &, quā grata illi essent, multis signis ostēdit. Postquā vero iucundo sermone tempus aliquod cum legato comiter insumpsit, mensam insterni, & dapes apponi, iussit; aliam vero mensam, conquisitissimis epulis exstructam, propе suam, legatis, & principibus, qui aderant, similiter apparari, præcepit. Celebratur omnium sermone conuiuium: Mahumetis interim, vinum vetantis, iussa contemnuntur; aquam vino admisceri, summum nefas existimatur; maioribus inuicem poculis inuitantur. Dux quidam instat, & vrget; &, per Ismaelis vitam, conuiuas obtestatur, vt totum vinum hauriant. Ismael maximum poculum vino plenum ostentabat; &, num satis oppletum esset, interrogabat; deinde totum, quasi præclarum facinus ederet, ebibebat. Tum se iactabat, quod ille solus tantum vini hausisset, quantum illi omnes, qui aderant, bibere minime potuissent. De mensa dapes, & vinum, si quid esset, quod suauius videretur, legatis mittebat. Multis interim iocis inter se ludebant; & omni ratione dabant operam, vt animos ab omni cura ad hilaritatem traducerent. Nullis cærimoniis, nullis mysteriis,

Res Indicæ. Lusitanici ad Ismaelem legati hodœporikon.

Carmasa ciuitas.

Carma ciuitas.

Caixamum.

Ismaelis Sophi castra.

Conuiuium Præfecti Regiæ Peficæ.

Lusitani legati cum Sophi colloquium.

Epulum, ab Ismaele Sophi Legatis præbitum.

riis, erat locus relictus. Conuiuium, cum duabus ante meridiem horis institututū fuisset, sub occasum Solis finitum fuit. Legati aliis vestibus, atque muneribus, ornati, & in taberna cula dimissi sunt. Castra interim frequenter mouebantur; sed idem semper cultus, & institutum vitæ, permanebat. Legatis tandem responderi placuit. Summa legationis tria capita continebat. Primum erat, Regem Emmanuelem cupere cum illo societatem coire, ita, vt eosdem amicos, & inimicos, haberent. Et, quia nouerat, illi cum Turcarum Imperatore, & cum Sultano Aegypti, bellum esse, se ad idem bellum opem, quam maximam posset, allaturum. Alterum caput erat, vt Ismael, ad amicitiæ fœdus confirmandum, legatos in Lusitaniā ad Emmanuelem mitteret. Albuquercium enim operam daturum, vt ij commodissime Armuzio in Lusitaniam nauigarent. Postremum erat, quo Albuquercius ab Ismaele postulabat, vt Persas, qui Zabaimo Idalcamo in bello contra Lusitanos operam nauabant, reuocaret; & deinceps eis, bellis, quæ contra Lusitanos mouerentur, interdiceret. Responsum est ad primū caput, verba cum factis minime consentire. Si Rex Emmanuel amicitiā illius expetebat, cur Armuzium, quæ ciuitas Ismaelis imperio tenebatur, & illi tributum ex fœdere pendebat, Lusitanorum armis occupari, & præsidiis suis teneri, permittebat? Quod vero ad legatos attinebat, viam esse lōginquam, & periculosam, multisq. difficultatibus impeditam. Sed se anno sequenti bellum Turcis illaturum; & famam belli, quam sperabat in Lusitaniam peruasuram, vice legatorū futuram. Bello vero contra Selymum profligato, tum demū signa in Arabiam se inferre constituisse; ad quod bellum nullius se Regis ope indigere. Si vellet Albuquercius amici officio fungi, auxilium, quod in Arabicum bellum offerebat, in bellum, quod contra Catifam, & Baharem, ciuitates in intimo sinu Persico sitas, quæ ab illo defecerant, moliri statuebat, reseruaret. Tunc enim opus sibi Albuquercii auxilio, propter Armuzii vicinitatem, fore. De militibus vero, qui sub Zabaimo militabant, sibi liberum non esse. Primum enim, milites, qui passim extra Imperii sui fines vagabantur, esse legibus solutos, imperioq. illius adstringi non posse. Deinde, sibi cum Zabaimo Idalcamo amicitiæ fœdus esse, quod sine scelere nefario violari non posset. Se tamen ad illum literas daturum, quibus hortaretur, vt Lusitanos bello minime lacesseret. Postremo, se ducibus suis, qui mare Persicū nauigabant, præcepisse, vt Albuquercium vnice colerent, illiusque voluntatē numquā offenderēt, sed omnia potius amicitiæ constantis officia illi præstarent. Reliqua vero se litteris, & sermone, quē cum legato habiturus erat, vberius explicaturum. Hæc quidem tunc respondit. Paucis autē post diebus castra mouit; & montes, qui in ambitum duodecim passuum millibus patebant, exercitu circumducto cinxit. Deinde, cum paullatim vndique bestiæ pellerentur, in campi planitiem, quam montes omni ex parte claudebant, compulsæ sunt. Tum legatum, cum sociis, & paucos præterea viros primarios, accersit; deinde sagittis maximum earū numerum confixit. Postremo, aduncum gladiū distrinxit, quo multas in duas partes vno ictu dissecuit, & quandam secundum longitudinem vno tantū vulnere discidit. Erat enim summis viribus, & singulari in armis dexteritate, præditus. Tandem, cadendi labore defatigatus, reliquis, vt bestiarum stragem ederēt, permisit. Interim vero cum legato sermonem iucundissime cōferebat; &, quo modo Emmanuel venaretur, & quo studio nemora, & siluas, peragraret, interrogabat. Deinde, quatuor millia passuū progressus, piscationi operam dedit; & ipse manibus suis retia iaciebat; & nostris pisces pugnabat, vt eos omnibus facilitatis signis ad sui studium alliceret: quod quidem non erat simulatione alIqua fraudulenter elaboratum, sed in natura illius penitus insitum. Erat enim natura clemens, & a curis tristissimis alienus, & omni genere sermonis vrbanus, atque iucundus. Inde, motis castris, in loca amœnissima, hortis, atque pomariis, ordine singulari, consita, peruenit. Cupiebat enim, vt nostri regionis amœnitatem oculis adspicerent, vt omnia laudibus in Lusitania celebrarent. Deinde, cum legatus instaret, vt se missum faceret, ab illo petiuit, vt Taurisiū concederet, & ibi eum opperiretur. Se namque velle legatum ad Albuquercium cum illo mittere. Lusitanos pecunia, & muneribus variis, affecit; eosq. Duci cuidam commisit, vt in vrbem illam deduceret. Decem autem itineribus Taurisium peruenere. Ciuitas est ædiū magnificentia, & ciuium frequentia, & diuitiarum abundantia, & telluris fertilitate, & amœnitate, illustris, & clara. Eam multi Christiani Armenii incolebāt, qui Lusitanos Christiani nominis coniunctione frequenter inuisebant; multisq. notis egregiæ cuiusdam volūtatis insitam in eos caritatem demonstrabāt. Ciuitatis autem rectores, & principes, nullū in eos officium prætermittebant. Post viginti dies, (legatus enim, quem Ismael mittere decreuerat, in grauissimū morbum inciderat) iussi sunt inde discedere, & regionem, natura fertilē, & cultura nitidam, peragrare, donec tandem Caixam, ciuitatem opulentissimam, peruenireut. Inde Zirazium quindecim itineribus deducti sunt. Hiems erat; & viæ, niuibus oppletæ, iter impediebant, ita, vt esset necesse, a multis viam, qua nostri progrediebātur, aperiri. Ex ea ciuitate Dux, cum magna equitum multitudine, vt reliqui duces, atque præfecti, in omnibus vrbibus, in quas legatus intenderat, facere solebant, obuiam illi prodiit.

Legationis Lusitanicę capita.

Ismaelis Sophi ad legationem respōsum.

Ismaelis Sophi venatio.

Piscatio Ismaelis Sophi

Taurisii ciuitas descriptio

Caixa Ciuitas.

Zirazium ciuitas.

Fucre

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fuere ibi similiter benigne, & satis hospitaliter, accepti. Vrbis Princeps interuenit; cuius aduentu festi dies agitati sunt, & nostri multo lautius, & magnificentius, epulati. Legatus, quem Ismael ad Albuquercium, cum litteris, ad Emmanuelem Regem destinauerat, eo tãdem, cũ muneribus variis, aduenit. Inter alia munera, quinque pulcherrimos equos, ephippiis aureis, & argenteis, cum emblematis admirabili fulgore collucentibus, & vestibus bõbycinis instratos, ad Emmanuelem mittebat; & auream galeam, & multa aurea, & argentea, vasa, singulari opere perfecta. Inde Larã profecti sunt; e Lara Armuzium tandem traiiciunt, eo tẽpore, quo iam Alfonsus Albuquercius obierat, & Lupus Suarius Indiam regebat. Litteræ, quas Emmanueli Ismaelis legatus ferebat, erant in hanc sententiam scriptę. Regi magno, sublimi corona prædito, maximo Principum Christianorũ decori, & ornamento, magnanimo, felicissimo Portugaliæ firmamento, Salutem. Facinora tua sunt cum rosis, odoris suauissimi iucunditate, conferenda. Has litteras scribo, vt ex illis intelligas, me tibi felicitatem, cum dignitatis amplificatione, non minus, quam si frater meus esses, optare. Velim scias, domesticum quendam meum in Indiam iuisse, vbi tuus magnus, & laudatus, & a te summo consilio ad tantũ munus obeundum delectus, imperator versabatur. Is famulum illum nostrum, & illius comites, benigne complexus est; omniaq. illius officia in eos constitere: quod ego non mediocre amoris argumenrum iudicaui. Id me mouit, vt virum e meis domesticis, & familiaribus, Soleimanum nomine, ad illum legarem, vt institutam amicitiam fortius cõfirmaret. Cupio igitur, vt mutuis litteris, & officiis, hoc amoris vinculo artius illigemur. Deus omnipotens Regiũ tuæ personæ decus, & amplitudinem, & imperium, atque familiam, sempiterno præsidio tueatur. Albuquercium vero, litteris ad illum datis, Imperatorum columen, maris Leonem fortissimũ, maximæ virtutis virum, & aliis eiusmodi titulis, illustrabat. Addebat deinde: Vt, cum Sol exoritur, illius splendor est oculis iucundus; &, vt odorũ fragrantia nares suauitate perfundit; ita res a te gestæ me singulari voluptate permulcẽt. Hoc eloquentiæ genere epistolã contexebat; voluntatemq. in illius studiũ vehementer incitatã esse, declarabat. Postremo, ab illo petebat, vt aliquot artifices sibi mitteret, qui tormenta conflare, & expolire, possent. Similiter & Mirabucaca, litteris ad Albuquercium datis, laudes illius exaggerabat, & animum suũ illius amore vehementer incensum esse testificabatur.

Ismaelis ad Albuquercium legatus, & munera.

Lara ciuitas.

Ismaelis ad Emmanuelẽ litteræ.

Ismaelis literarũ ad Albuquercium argumentum.

HIERO-

HIERONYMI OSORII LVSITANI DE REBVS EMMANVELIS REGIS LVSITANIAE INVICTISSIMI VIRTVTE, ET AVSPICIO GESTIS LIBER VNDECIMVS.

Dvm hæc gerebantur, Sultanus magnam classem comparauerat, vt rursus Lusitanos, si posset, Indiæ possessione pelleret. Ad id autem fuerat ab omnibus ferme Regibus Indiæ litteris stimulatus, qui omnes opes suas illi ad id bellum prẽsto futuras asserebant. Is, & spe, quam illi Indiæ principes afferebant, & dolore, quo illum vectigalium iactura conficiebat, inductus, (opes enim magnas Lusitanorum armis amiserat) classem viginti septem nauium instruxit. In hac classe septingenti Mameluci, in quibus totum militiæ robur consistebat, & trecenti Turcæ, mille Saraceni Tunetenses, atque Granatenses, inerant. Maximas præterea copias Indi Reges ei minime defuturas ostenderant. Tormentorum, & munitionum, erat ingens numerus. Huic classi Soleimanum, natione Turcam, rerum maritimarum peritissimum, qui longo tempore sub Turcarum imperatore stipendia fecerat, & ab eo ad Sultanũ transfugerat, præfecit. Is, ex Heroum ciuitate, solutis anchoris, in insulam Camaram cõtendit; in cursu tamen triremem vnam amisit. Mirhocemum vero, qui, post amissam ad Dium classem, duas naues, & vnam rostratam, suis sumptibus ædificarat, sibi socium adiunxit. In ea insula arcem instituunt, quã Sultanus Mirhocemo committi præceperat. In arcis structura circiter annũ consumunt. Inde, vt Adenam oppugnent, discedunt. Rex enim illius vrbis, Mirhocemi iniuriis offensus, ne cõmeatus vllus in insulam importaretur, proposita capitali pœna, vetuerat. Adenam vero Soleimanus, & Mirhocemus, diu, atque vehementer, oppugnarunt, & muri etiam partem tormentis diruerunt; sed tanta vi fuerunt a ciuibus repulsi, vt cogerentur, re infecta, in insulã redire. Inde Iudam, vt melius rei frumentariæ prouiderent, petiere. Ibi, hostili dissensione inter vtrumque ducem cõcitata, Mirhocemus, Soleimani insidiis oppressus, interiit. Emmanuel, de classis huius apparatu certior, per litteras, sibi Rhodo missas, factus fuerat. Itaque Lupo Suario præceperat, vt non exspectaret, dum ea in Indiam nauigaret, & se cũ classe Regum coniungeret, sed ipse, in Arabicum sinum delatus, eam euerteret. Suarius, vt imperata conficeret, diligentiam adhibuit. Itaque tres & quadraginta naues celeriter instruxit. Cum hac classe, in quam mille & ducẽti milites Lusitani, & mille Indi cõscripti fuerunt, Goa soluit octauo die mensis Februarii, Anno salutis M D X V I I. Zacotoram vero aduandi gratia petiit; inde Adenam, vbi hostes consistere suspicabatur, inuectus est. At illi, vt dictum est, inde discesserant. Suarius naues in portu constituit, & in vrbem globos coniecit. Tres ciuitatis principes, Mirhamiriami iussu, qui adhuc vrbis imperium tenebat, ad illũ supplices cum clauibus accedunt; & petunt, vt vrbem, Emmanuelis nomine, cui seruire deinceps summa fide, & studio, volebant, in deditionem acciperet. Is oblatam ciuitatem repudiauit. Id enim, vt dicebatur, in mandatis acceperat, ne Adenam oppugnaret, ne ve, si ea ciuitas in deditionem sponte sua veniret, possessionem illius occuparet. Verum mandata certa non possunt casibus incertis, quos tẽporum varietas, & inconstantia, gubernat, accommodari. Quocirca maximo interdũ animo opus est, ad consilium cum rerum varietate commutandum. Nam, cum animus nimis iram absentis Principis extimescit, multæ occasiones elabuntur, quas amissas postea multi sine fructu lamentantur. Quocirca Epaminondæ factum debitis laudibus ornatur, qui, cum tempus imperii, legibus definitũ, illi expletum fuisset, imperium tamen, duobus mensibus, contra leges, vt hostes bello frangeret, retinuit, cum sciret, esse sibi capitale supplicium a ciuitate constitutum. Itaque maluit vitæ periculum adire, quam nimia obedientia periculum omni cõtentione a patria propulsare.

Sultani Aegyptii aduersus Lusitanos bellum.

Mirhocemi cædes.

Classis Lusitanica.

Annus nati christi 1517

Adenæ deditio repudiata.

Adenæ oppugnatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pulsare. Quod si Suarius fecisset, ab eo Principe, cuius offensionē metuebat, fuisset non mediocribus honoribus, propter eam animi magnitudinem, affectus. Interim vero, ne, quod ciues offerebant, negligere videretur, dixit, sibi esse in animo, cum hoste confligere, propterea non posse ibi in facienda pace tempus conterere, ne, dum in condicionibus scribendis immoratur, hostes effugiant. Se breui, vt confidebat, rediturū: operamq. daturū, vt pax multo tunc commodius firmaretur. Commeatu sibi tantum, & magistris, opus esse. Ciues hoc responso lætitia incredibiliter elati sunt; eamq. voluptatem, quam ex inopinata libertate perceperunt, multis signis indicarunt. Commeatū vero large suppeditarunt; & quatuor magistros, qui mare illud Arabicum sæpissime peragrarant, Suario tradiderunt. Inde profectus, vela dedit, & Aluarum Castrensem, cum Iacobo Pereira, præmisit, vt aliquē exciperent, ex quo possent explorate cognoscere, vbi hostium classis consisteret. Pereira nauem vnam cepit: ex captiuis autem cognouit, classem hostium in Iudæ portu constitutā esse; Solimanum vero in animo habere, rursus Adenam oppugnare, & arcem Camarensem perficere, deinde in Indiam, vt Lusitanos opprimeret, nauigare. Suarius, cum ostium sinus Arabici intrare vellet, tempestate subito coorta, iactatus est, parumq. abfuit, quin classis vniuersa deprimeretur. Aluari Castrensis nauis, ingenti farcina grauata, (tria namque nauigia Castrensis coperat, & omnem prædā in nauem imposuerat) fluctibus hausta fuit; & omnes, qui in illa vehebantur, interiere. Tempestate sedata, Suarius cursum tenuit; &, antequam Iudam perueniret, duodecim ex Christiani Veneti, (hi erant fabri, qui hostium classem reficiebant, & cum septem Turcis profugerant) ad eum deducti, narrant, Mirhocemū a Solimano occisum fuisse; propterea quod eū Mirhocemus veneno tollere parabat. Classem vero in terram subductam, ciuitatem immunitam esse, infirmaq. præsidia ad vrbis defensionē constituta. Hoc accepto nuntio, Suarius accelerauit. Sed alia tempestas valde turbulenta illū a cursu transuersum deduxit. Nauis vna, cum omnibus, qui in illa erant, fluctibus obruta fuit. Tandē, cum classis ad introitum portus appulsa fuisset, nostri vlterius progredi, propter frequentia vada, non ausi sunt. Ciuitas est in ora mediæ Arabiæ interioris post sinus aditum sita. Solum est inarum, & aridum; ciues non cibariis tantum, sed aquis etiam aliūde importatis, vtuntur. Locus, propter religionem, frequentari cœpit. Inde namque vrbs, quā Mecam nominant, vbi Mahumetis sepulcrum visitur, it increbuit. Præterea, locus, eo quod in ora medio situs sit, est idoneus ad aromata, & reliquas Indiæ merces exponendas, quæ inde camelis in Aegyptum deportari solebant. Portus est, propter breuia, & scopulos admodum frequentes, infestus. Vrbs non erat ita munita, vt obsidionem sustineret. Domos tamen habebat sublatas ce naculis, & non minimis sumptibus ædificatas. Suarius Alfonsum Menesium, & Dionysiū Fernandium Melium, portus altitudinem explorare iussit. Illi, semitam esse perangustā, qua triremes possent intrare, renuntiant; sed hoc incommodum habere, quod, propter varios, & ancipites flexus, esset necesse latera crebris tormentorum ictibus exponi. Ex vrbe namque, & ex stationibus, ad eam rem præparatis, densæ pilæ iaciebantur. Habito consilio, statutum fuit, antequam tormenta, quæ erant in stationibus in litore constitutis, adactis clanis impedirent, ne hostibus vsui esse possent, non esse cum tanto periculo vrbem oppugnādam. Vt autem ii fieri posset, esse commodissimum, naues duas onerarias, & vnam rostratā nauem Mirhocemi, quæ in portu consistebāt, incendere, vt, dum hostes, ab alia cura auersi, ignem restinguere conarentur, nostri facilius id, quod cogitarant, efficerent. Ignis quidem coniectus fuit; & naues incensæ: hostes nihilominus a stationum, & tormentorum, præsidio minime deducti sunt. Itaque nostri, qui in terram desilierant, stationes oppugnare, nō sunt ausi. Classis interim magnum damnum ab hostibus accipiebat. Suarius igitur inde classem deduxit, & in Camaram cursum direxit. Sitis enim, atque fames, multum nostros vexabat, & non paucos interimebat. Insulam vero habitatoribus vacuā offendit. Omnes enim, metu, in continentem profugerant. Suarius in Aethiopiam Franciscum Gaam, & Laurentiū Cosmi m, cum illorum nauibus, misit. Qui tamen nullam ex ea regione commeatū importarunt, ita, vt, ingrauescente fame, multi perirent. Ibi Odoardus Galuanus, qui ab Emmanuele fuerat ad Aethiopiæ Regem, cum honorifica legatione, missus, senio, atque morbo, confectus, e vita migrauit. Suarius, arce, quā hostes ædificarant, euersa, ex insula discessit; & extra sinum egressus, Zeilam aduectus est. Ea vrbs, extra sinum Arabicum, prope ipsius sinus aditum, in ora Aethiopiæ sita, ciuibus frequens, & cōmercio locuples erat; ædes amplas, & editas, habebat. Gens erat e variis nationibus eo confluentibus mixta. Et sic euenichat, vt pars nigro, pars vero candido colore, multi medio inter nigrum, & candidum, distincti, in ea versarentur. Eam Suarius, vt inde cibaria pararet, fame coactus, petierat. Multitudo, classis motu, diffugit. Viri militares, vt aditu nostros arcerent, vrbis præsidio relicti sunt. Nostri, cum cernerent, armis, non precibus, neque pretio, fanum sibi depellendam esse, communi consilio vrbem debellare constituunt. Ea non erat cincta muris, aut turribus, & stationibus, vllis munita. Itaque in terram desiliunt. Primam aciem Garsia Coutignus, & Ioannes Silueira, ducebant. Postremam

Lusitanę classis ex tempestate periculum.

Iuda ciuitas, & portus.

Alia tēpestas.

Iudæ oppugnatio, frustra tentata.

Suarius in caramam nauigat.

Odoardi Galuani mors.

Zeilæ Aethiopiæ ciuitas.

Zeilæ oppugnatio.

mam Suarius, cum reliquis ducibus, agebat. Qui primi exierant, instructi, reliquas copias exspectabant. Sed, id cum lentius, quā res postulabat, a Suario fieret, ii qui in terram egressi fuerant, conuiciis exagitati, moram ferre minime potuere. Exprobrabant namque illis hostes ignominiam, in vrbe Iuda ab hostibus acceptam. Ibi non minus liberali hospitio eos accipiendos esse dicebant, quam a Soleimano accepti fuerant. Primi, Gaspar Siluius, & Arius Siluius, & Antonius Ferreira Fogaza, homines dedecoris insolentes, qui, laudis cupiditate, morte contēnebant, in hostes ruunt, reliqui omnes continuo sequuntur. Hostes vndique consuunt, & conferti impetum egregie sustinent. Nostros tamen & fames, & conuicium, & accepta ad Iudam macula, acriter stimulabat. Itaque, impressione facta, hostes fūdunt, multos cædunt, & reliquos in effusam fugam coniiciunt. Vrbs, ad hunc modum, omni præsidio nudata, nostris prædæ relicta fuit. Simon Andradius misit, qui Suario diceret, (is adhuc se in classe tenebat) illum iam tuto posse in vrbem ingredi. esse namque propugnatoribus vacuam. Id Suarius durius tulit, quam Andradius opinatus fuerat. Existimauit enim, eo quod prælio non interfuerat, sibi timidatem, & ignauiam, obiectari. Itaque hominem ob eam causſam asperis verbis accepit. Vrbs direpta fuit. Erat autem plena cōmeatu; e quo pars tantum non valde magna in naues imposita fuit, & vrbs, coniectis vndique flāmis, absumpta. Hic vnus homo Lusitanus, qui remigio celocis prærat, cui celoci Georgius Quadra præfectus fuerat, & a classe Odoardi Lemii discessus, in vrbis huius litore captus exstiterat, vinctus asseruabatur. Tum demum, vrbe direpta, in libertatem vindicatus est. Inde Suarius Adenam petiit. Ibi, malo coactus, intellexit, quod consilio prospicere rectius fuisset, non esse præsens emolumentū, spe futuri, quod in aliena fide consistit, omittēdum. Suarius enim, qui, fiducia benignitatis, quam præ se Mirhamiriamus tulerat, cibaria Zeilæ comburi iussit, eorum necessitate grauissimis se difficultatibus implicatum sensit. Cum enim Mirhamiriamus exploratum habuisset, illū in eo cursu nihil memorabile gessisse, & classem imminutam reducere, & magnam exercitus partem absumptam esse, & hominem etiam contemnere ex eo tempore cœpisset, quo claues vrbis repudiarat, acceptæ libertatis immemor, illum commeatu iuuare noluit, & aquam maligne, & auare, præbuit. Hac inopia compulsus, rursus in Aethiopiam transmisit, vt ex vrbe, quam appellant Barboram, quæ Zeila octoginta passuum millibus abest, cibaria pararet, & in illis oris aquaretur. Inde, cum hominum, & nauium iactura, & non mediocri dedecore, Armuzium petiit. Nec enim Adenam præsidio Lusitano munitam, neque Sultani classem incendit, neque Iudam expugnauit, neque Mattheum, Regis Aethiopiæ legatum, in loco Aethiopiæ tuto, vt fuerat iussus, exposuit; & classem quassatam, & homines, qui tempestatis vim, & hostium crudelitatem, & mortem, quam fames, & sitis, multis attulerat, euaserunt, multis incommodis vexatos adduxit. Antequam vero Armuzium peruenire, Alexium Menesium, qui classem, quæ erat in Lusitaniam profecturā, instrueret; & Lupum Villalupiensem, celoce, in Lusitaniam, vt, quod in ea nauigatione parum feliciter gestum fuerat, enuntiaret, misit. Celocis magister erat Petrus Vascius Vera, nauigandi peritissimus. Huius celocis aduentus maximam in Lusitania admirationē cunctis incussit, cum cernerent, adeo parum nauigium, tot maria emensum, eos fluctus, & tempestates, superasse, quibus maximē naues, omnibusq. rebus instructissimæ, succumbunt. Suarius, Armuzii rebus ordine constitutis, in Indiam nauigauit. Ibi Antonium Saldagnam, qui eo anno Olyssippone cum classe quinque nauium soluerat, ostendit. Is, vt cum maiore classe mare Arabicum obseruaret, & regionibus illis acre bellum inferret, & Fernandus item Alcasoua, & vectigalia tractaret, & quæstoribus præesset, missi ab Emmanuele fuerant. At ipsius Suarii classis, præter alia incōmoda, erat etiam dissipata. Quædam enim naues ad Melindem ventis delatæ sunt; quædam Mozambiquem petierunt; quidam vero nauarchus intra sinum Arabicum, in opidum Aethiopiæ aduectus fuit, vbi ab Hieronymo Olivieria fuit occisus. Olivieria nāque, se ignominia ab illo fuisse affectum, querebatur. Ad eam vero cædem, socium sibi quendam, virum audacem, nomine Menendum Alfonsum, adsciuerat. At eques quidam fortissimus, nomine Ioannes Rodericus Pelagius, qui in eadem erat nauī, Menendum Alfonsum in vindictam illius sceleris confestim occidit. Olivieriā autem, quod esset vir nobilis, & gratiosus, vinctum Prætoris iudicio reseruauit. Hic exitus parum felix fuit classis illius, quæ tantam sui exspectationem concitarat. Suarius autem, cum iam, vt scriptum est, pacem cum Coulami Regina confecisset, & cuperet in ea vrbe arcem ædificare, Hectorem Rodericum, virū sane fortem, ante quam in Arabiam nauigaret, Coulamum miserat, illiq. in mandatis dederat, vt Reginæ diceret, sibi opus esse domo munita, in qua Lusitani contra Saracenorum iniurias tuti esse possent; ne similem cladem illi, qua Antonius Sala absumptus fuerat, acciperent. Id Regina non grauate concessit. At Rodericus, quamuis domum se ædificare simularet, arcis fundamenta iaciebat. Saraceni, cum id animaduerterent, ciues admonebant, vt principio tyrannidis obsisterent. Arcem illam eorum ceruicibus imminere, iugūque principibus imponi; quod si vellent postea a corpore repellere, futurum, vt in ea contentione

Barbora ciuitas.

Suarii impru dens factum.

Celocis ex India in Lusitaniam aduentus.

Suarii classis incommoda.

Arx coulami sub domus pretextu structur.

Saracenorū de Lusitanis querelæ, & monita.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tentione operam frustra consumerent. Principiis obsistendum, maliq. nascentis radices euellendas. Adultam enim pestem exsecari, difficillimum. Artes Lusitanas notas esse; per speciem fœderis,& amicitiæ, dominationem quæri;domus amplioris obtentu, arces excitari;homines,nihil hostile suspicantes,liberta te spoliari, omnibusq. tandem bonis euerti.

Prudentes. His sermonibus ciues sollicitabant,& Reginæ ipsius aures sæpius obtundebant.Illa vero, cũ sciret, Lusitanos, & graues amicos,& inimicos esse, maluit amicorum fidem experiri, quam inimicorum odium periclitari. Memoria repetebat, quam pœnam Rex Calecutii perfidiæ,& inconstantiæ,pertulerat, & quantis præsidiis Rex Cochimi,propter egregiam in Lusitanos fidem, statum suum munierat.

Constantes. Itaque nullis sermonibus a fide semel data deduci potuit.Opus interim crescebat. Regina vero,cum filio,vt bellum,quod cum Rege Tranzoris (quod Regnum erat Coulamo finitimum)motum fuerat, administraret, ex vrbe discesserat. Saraceni tunc vigilantius plebem in Lusitanum nomen incitabãt, & discordias serebãt,vt tumultus oriretur, quo posset opus impediri. Sed Hectoris Roderici prudentia singularis exstitit. Sic enim suos instituit, vt, conuiciis lacessiti, nullum verbum acerbius emitterent,sed omnia moderate ferrent. Eos præterea ita continebat, vt in vrbe minime vagarentur.Cum rectoribus præterea ciuitatis familiaritatẽ contraxerat,ita,vt(sic enim Regina imperauerat) illi opes suas ad præsidium,vbi opus esset,obtulerint.Interim Regina, bello confecto,in vrbem regressa, omnes motus repressi sunt;& arx ad summum perducta. Dũ Suarius Arabicũ mare nauibus peragrabat,Goterrius Monroius, qui Goæ præfectus erat,Fernandũ Monroium, fratrem suũ, vt Suarius statuerat, in Maldiuenses insulas miserat,vt naues ex Arabia venientes excipe ret.Ioannes Gundissaluus, Albicastrensis,qui triremi cuidã præerat, cum illo profectus est. Hi duas naues Coiequii, viri potẽtissimi,multis opibus onustas,ceperũt.Ioannes præterea Monroius, cum nauibus quinque,iussus ab eo dem Goterrio fuit oram Chaulis speculari.

Hectoris Roderici prudens institutum.

Naues duæ captæ.

Nauis vna capta. Hi nauem vnam, quæ ex Arabia veniebat, in fluminis ostio, quod Maim appellant, cepere. Dux arcis in eo loco sitæ decem lõgas naues, vt in nostros inuaderẽt,summa celeritate cõparauit.Prœlium inter vtramque classem dubia victoria commissum fuit. Hostes tamen, cum graue damnum accepissent,reuersi sunt. quos nostri (pugna namque periculosa,& anceps, exstiterat) insequi noluerunt. Ioannes Monroius, vltra progressus, Chaulem petiit. Aluarus Madureira, vir Lusitanus, qui Goæ vxorem,& domicilium,habebat, metu pœnæ, (virum enim Lusitanum occiderat) in continente apud Saracenos exsulabat. Is,in eo cursu,ad Ioannem Monroium se contulit. Monroius illi fidem dedit, se illi veniam, si Goam redire vellet,impetraturum. Is,pro tanto beneficio, ingentes illi gratias egit. Cum vero ostenderet, se ob inopiam summis difficultatibus implicari,fuit,cum omnes de suo in id beneficium contulissent, ducentis nummis aureis subleuatus. Finxit tunc, se in terram descendere velle,vt vestes, quibus indigebat, emeret.tantum autem abfuit,vt redire vellet, vt potius,quantum in illo fuit, nostris interitum moliretur. Monroius, ostium fluminis, quod Chaulem alluit, præteruectus, in quindecim naues longas, quas Melichiazius ornarat,incidit. Fuit vtrimque magna contentione dimicatum. Sed, cum Monroius vnam cepisset,& propugnatores in mare, metu perterriti, desiluissent, reliquæ hostium naues in fugam versæ sunt.Madureira vero, vt probeneficio gratiam referret,ad Mirhalum,Zabaimi Idalcami ducem,adiuit;illumq.admonuit, vt in Monroiũ incurreret.Classem esse perexiguam,& facillime expugnari posse.Septem ergo longas naues instruxit, quæ cum in Monroiũ inuecherentur,eas ille inuasit,leuiq.prœlio fudit,fugauitque. Quæ tamen tanta remorum concitatione a periculo seductæ fuerũt, vt nullam Monroius capere,cum eas insequeretur,vllo modo potuerit.Sub id tempus Goa in summum discrimen adducta fuit: quod periculum,ortum a libidine,conflatum odio, & temeritate,crudelitate perfectum,atque conclusum, magnam quidem pestem,atque perniciem,attulit; maiorem tamen inferre potuisset,nisi præsenti Christi numine rebus propemodum euersis occursum fuisset. Fernandus Calderia, in Albuquercii familia educatus, Goæ vxorem duxerat. Nomen eius ad Regẽ Emmanuelem delatum fuerat, quod piraticã faceret,& sine vllo discrimine socios Lusitani nominis,& inimicos,spoliaret. Emmanuel illum ad se perduci confestim imperauit. Is in Lusitania crimina diluit, & ita famam suam purgauit, vt Rex illum in Indiam liberum, & beneficiis auctum,redire permitteret.Rediit vero in classe, qua Suarius in Indiã aduectus fuit.Naui autẽ, cuius nauarchus erat Goterrius Monroius,vehebatur.Ibi, quadam offensione non mediocri,vt Calderiæ videbatur,interposita,Calderia aspere in Monroium inuectus est,eaq. in eum maledicta congessit, quæ grauiter animum illius stimularunt. Igitur, cum Mozambiquem classis peruenisset,nauẽ, subito conduxit,& Goam ea,qua potuit, celeritate contendit. Intellexerat autem,Goterrium, dum Goæ versabatur, vxori suæ oculos adiecisse, & Henricum Taurum amoris illius impuri se satellitem,atque ministrũ, præbuisse. Tauri igitur faciem ingenti vulnere deformauit,& tibiam abscidit. hoc facto Pondam, quod opidum extra fluuium octo millia passuum Goa aberat,& Ancostami Zabaimi Idalcami ducis præsidio tenebatur,confugit. Videbat

Prœlium nauale anceps.

Aluari Madureirę ingratitudo, & perfidia.

Lusitanorum victoria.

Pugna naualis.

Periculosissimum Goæ bellum.

debat enim, se Albuquercij patrocinio destitutũ,& in potestate inuidorum relictum.Sciebat, Goterrium vrbi illi præpositum ab Emmanuele fuisse;verborum contumeliam,Tauro imposita vulnera, & reliquas offensas animo reputabat,ita, vt,saluti suæ nullum remedium adhiberi posse,quamdiu in ea vrbe versaretur,confideret. Monroius,cum illum vlcisci cuperet,ab Ancostamo contendebat,vt illum hominem, qui facinora indigna patrarat,sibi traderet,vt in eũ animaduerteret.An costamus,partim,quia Calderiam esse virum fortem,& industrium, & singulari sagacitate præditum,nouerat,& illius opera in bellis vti statuebat; partim, quia indignum boni viri præstantia iudicabat,hominem supplicem,& in fidem receptum, inimici crudelitati dedere,postulatũ constantissime repudiauit. Monroius Calderiam, quacumque ratione posset, occidere decreuit,vt & iniuriam,sibi,& Tauro,illatam,vindicaret,& Calderiæ ipsius vxore,animo magis libero,frueretur. Itaq. Ioannem Gomecium,scripturæ magistrum,hominem audacem,multis promissis oneratum,vt Calderiam interficeret,Pondam misit.Is rem sane confidenter suscipit,atque Pondam continuo petit. Simulatq. se Monroij, hominis malefici,& iniusti,iniuriis,& sceleribus,offensum,eo confugere, vt vitam suam Ancostami præsidio tueatur. Fuit ergo ab Ancostamo benigne receptus, & a Calderia liberaliter inuitatus.Accidit interim,vt Ancostamus in campũ,animi relaxãdi gratia, prodiret,& vtrũq. secum duceret.Ioannes Gomecius, cum Calderiam ab Ancostamo, quasi aliquid arcani vellet cum illo communicare, seiungeret,Calderiam ex improuiso confixit,&,admotis calcaribus,equum incitauit. Ancostamus, equites,qui illum circumsistebant,immisit.grauiter enim tulit,in suo conspectu, hominem,in suo patrocinio latentem, per summum scelus interfici.Equites hominem consequuntur, & ad Ancostamum perducunt. Qui districto gladio manu sua caput illius abscidit. Id Monroius indignissime tulit, & Ancostamum cõtra ius & fas occidere cogitauit. Itaq. ludos simulat, quorum causa Benastarimum contendit, & in pugnæ simulacris diem consumit.Primis tenebris duces admonet, vt Ancostamum interimant.Illi consilium reprehendunt, & hominem a facinore deterrere nituntur. Ille autẽ, Ancostami morte Emmanuelis Regis imperium firmari, dixit. Cum, propter Regis mentionem,nemo diutius aduersari auderet, omnes ad facinus se comparant. Lembis igitur fluuium traiiciunt, equos ephippiis detractis nare compellunt. Guterrius Monroius equitatui Fernandum Monroium præfecit, peditum aciem Ioanni Machiado commisit. Machiadus,cum primus transmitteret,homines duos ex incolis arripuit,e quibus intellexit,Ancostamum, sine vlla fraudis, aut maleficij,suspicione,incautũ in opido versari. Itaque Fernandum admonuit, vt sibi permitteret, agmine silenti Ancostamum opprimere. Fernandus, id sibi ignominiosum fore ratus, nullo modo concessit.In hac altercatione,noctis pars consumpta fuit,& ipse Fernandus nõ tanta celeritate Pondam, quãtam negotium flagitabat,inuectus est;& simul equorum fremitus multos incolas excitauit. nostrorum aduentus fuit continuo Ancostamo nuntiatus.Is,sine vlla mora, põtem(fluuius enim ea parte in terram influit,& tellurem aliquo spatio discriminat) repente traiecit,& copias in struxit. Vbi Fernandus Monroius Pondam peruenit,neminem ibi reperit. Sol iam tenebras dispulerat,& fraudes sparsa luce detexerat.Fernandus Monroius,cum se frustra labore fatigatum cerneret, reuerti voluit, & Machiadum,vt idem faceret,hortatus est.At Ancostamus,ponte rursus transmisso,in Monroium tanto impetu inuasit, vt aciem, impressione facta,dissiparet, & multos interficeret. Qui fugiebant,peditum aciem perturbarunt, & fugere compulerunt. Ancostamus partem suorũ præmisit,qui angustias, quibus nostris iter patebat,occuparet. Sic tandem,cum ancipiti prælio nostri distinerentur, Ancostamus insigni victoria potitus est.multi e nostris capti,sed multo plures occisi sũt.Machiadus, antequam occũberet,facinora edidit immortali memoria digna. Hoc facto, Ancostamus Zabaimo Idalcamo nũtiauit, rem maximam gestam esse;illum,si adniti vellet,Goa potiturum.Lusitanos fœdus violasse,& perfidiæ pœnas dignas pepẽdisse.Copiis opus esse,vt vrbs præsidio nudata, & cladis nuntio perterrita, vno ipetu caperetur. Idalcamus Zafalarimũ cũ magno exercitu in insulã confestim ire iussit. Is vastitatem, & populationem, intulit,& ciuitatẽ,inopinato malo perculsam,in maximas angustias adduxit:quã facile cepisset,nisi Ioanes Silueria,q Quiloæ hiemauerat,præter spẽ interuenisset. Nõ multo post Raphael Perestrelus,qui e Sina valde diues aduenerat,cũ esset vir egregie fortis,& admodũ liberalis,& multos sibi plurimis officiis deuinciret, cum nauigiis tribus,& militũ copia,qui illũ libẽtissime sequebantur auxilium celeriter attulit. Itaque,ducis vnius incõtinentia, & temeritate,ciuitas illa, quæ tãto labore capta,tãta sapientis ducis industria, tanta bonorũ contentione,defẽsa fuerat, extremi excidij maximũ periculũ subiuit. Zabaimus,cũ a spe vrbis capiẽdæ decideret,rursum pacẽ à Goterrio Mõroio postulauit,quã is sine recusatione cõcessit.Itaq. fœdus renouatũ fuit, & eædẽ fœderis cõdiciones litteris,& multorũ testimonijs,ad posteritatis memoriã confignatæ. Hoc anno Regina Maria,cũ grauissime,postquã vltimũ filiũ peperit, ęgrotaret,numquã ex eodẽ morbo conualuit. Vlcus in intestinis, vt medicorum erat opinio, eam vehementer afflicta-

Calderia,per insidias occisus.

Ioan. Gomecius capite multatur.

Insidiæ Ancostamo structę

Prœlium.

Ancostami insignis victoria de Lusitanis.

Pax cum Zabaimo.

Res Europę

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mariæ Lusitanorum Reginæ mors.

bat, & paullatim conficiebat. Septimo tandem die Martij, anno salutis MDXVII. extremum spiritum edidit, cum annis quinque & triginta vixisset. Octo filios, quos recensui mus, superstites reliquit. Fuit femina multis virtutibus admiranda. Erat enim moribus, & vita, grauis, facilitate, & humanitate, comis, & in omni sermonis genere moderata. Otium pati non poterat; neque Regias virgines, & mulieres, otio corrumpi finebat. Itaque, manibus suis, e lino, aut bombycinis filis, opera muliebria faciebat, & mulieres ad eadem opera magis exemplo, quam verbis, excitabat. Negotijs publicis se numquam admiscebat; summum mulieris decus in modestia, & mansuetudine, ponebat; vitæq. perturbationem statuebat esse in confusione munerum constitutam. Regis imperium verebatur; nec illum vmquam iniquis postulatis a recto deducere conata fuit. Filios, & insita caritate, & disciplinæ seueritate, in puerili officio continebat; nec permittebat, vt aliquid ludendo committerent, quod ab honestate abhorreret. Nullum, quantummis leue, puerilis flagitij vestigium in illis impunitum relinquebat. Erat in religionis cultu sancta, in gentium inopia sustentanda benigna, in virginibus alendis, atque matrimonio apud honestos viros collocandis, magnificentiam, & maternam caritatem, adhibebat. Regem mirabiliter amabat, & illi vicissim erat, propter morum commoditatem, & vitæ sanctimoniã, carissima. Aedes sacras exstruxit; multisq. signis, & operibus præclaris, insitam pietatem, & humanitatem, indicauit. Non igitur immerito acerbum sui desiderium vniuersæ Lusitaniæ reliquit. Ipseq. Rex in acerbo mærore versatus est, e quo, non debiti amoris obliuione, sed debiti officij necessitate, & insita in Deum pietate, vt negotia Regni procuraret, & suis exemplum patientiæ, & moderationis, proponeret, post aliquot dies emersit. Hoc anno Selymus, Turcarum imperator, in Syria, cum Campsone, Aegyptiorũ imperatore, quem Sultanum appellabant, collatis signis conflixit; insignemq. victoriam adeptus, Syriam vniuersam, & Aegyptum, imperio adiecit. Emmanuel, cum hostis immanis opes amplificari, & Christianos Principes intestinis odiis certare, & opes Christianæ Reip. dilacerari, perspiceret, rursus per Michaelem Siluium a Pontifice Maximo contendit, quod sæpius ante fecerat; vt, omnibus alijs curis omissis, hanc vnam susciperet, vt omnes Principes Christianos a turbulentis, atque pestiferis, dissensionibus ad pacẽ traduceret; vt ita, cõiunctis animis, hostis, qui Christianæ Reip, rebus imminebat, superbiam acri bello contunderent. Et ad eam rem omnes opes suas libenter offerebat; secumq. præclare actum fore dicebat, si in tam præclara caussa vitam in summum discrimen adduceret. Sed aures, aliis negotijs a salutari pace abhorrentibus occupatæ, locum eiusmodi postulatis minime dabãt; & Principum furor eo rem deduxerat, vt, si Pontifex summis in eam caussam viribus incubuisset, sine vllo fructu laborem suscepturus esse videretur. Est in ora Mauritaniæ, quæ vergit in Austrum, vltra Diucem fluuium, promontorium, quod incolæ Guer appellant; antiqui scriptores Herculis promontorium nominabant. Id Rex Emmanuel opido, & arce, sæptum tenebat, & valido præsidio munierat. Duces, qui illi præerant, finitimos Mauros, qui Emmanueli minime parebant, assiduis prœlijs agitabant. Præfectus erat hoc anno Franciscus Castrensis, qui, cum in Lusitaniam venisset, & discessus illius Xerifio nuntiatus esset, in Mauros, qui tributum Emmanueli pendebant, inuasit, agros vastauit, segetes exusit, & graues multis clades intulit. Huic Zaide Boagazius, dux eiusdem regionis valde strenuus, qui se ad Regis nomen adiunxerat, cum instructis copiis occurrit. Prœlium atrox cõmissum fuit; multi vtrimque ceciderunt. Victoria neutram in partem inclinauit. Xerifius, quod non hostem perculisset, indignatus, fratrem quendam suum euocauit. Is cum maxima militum multitudine venit. Itaque fratres, coniunctis viribus, in Boagaziũ inuecti sunt, eumq. magno prœlio victum in fugam cõpulerunt, opidumq. Boagazij, quod Tuil appellabãt, funditus euerterũt. Omnibus regionibus illis vastitas illata fuit. Targa ciuitas est in Mauritania, quæ ad Fessæ Regnũ pertinet, & Septa quadraginta passuum millia distat. Hanc Emmanuel capere, & vincire præsidio, statuebat, vt inde facilius Fessã oppugnaret. Itaque, mense Iulij, Iacobũ Lupium Siqueiram, cum sexaginta nauiũ classe, in Gaditanũ fretũ misit; cui præcepit, vt ex Arzilia, præter eas copias, quas ducebat, quinquaginta equites, & alios Tingi quinquaginta similiter assumeret; deinde Septam peteret, & se cũ Petro Menesio coniungeret, ac ambo simul Targam oppugnarẽt. Hoc Petrus Menesius ægre tulit. Erat enim vir animi maximi; &, muneris illius socium, & laudis, si res ex animi sententia succederet, participẽ sibi dari, cõtumelioſum existimabat. Attamen, ne Regis imperium recusare videretur, copias suas instruxit. Ambo igitur Targã petiere. Sed, cum inter illos mini me conueniret, Septam, re infecta, rediere. Siqueira, dimissis copijs, quas Tingi, & Arzilia, desumperat, cũ Ioãne Coutigno, Arziliẽ præfecto, colloquitur. Sibiq. minime ferendũ esse dicit, cũ e Lusitania, cum tam insigni classe, & tanta spe rei benegerẽdæ, delectas copias eduxisset, sine vlla re memorabili se gesta, reuerti. Orare igitur, & obsecrare Coutignũ institit, vt se duceret, vbi aliquid gereret, quo sine pudore posset in Lusitania se in hominũ cõspectũ dare. Coutignus illius precibus assensus est.

Selymi Turcæ victoria

Res Africanæ

Prœliũ atrox & anceps.

Tuil op. euersum.

Targa ciuitas Expeditio bellica in Targam.

Itaque

Excursio in Alcassaris Quibirii agrum.

Itaque ambo, cum valida manu in regionem hostium ingressi, pagos quosdam euerterunt, captiuos abstraxerunt, prædas abegerũt. Sed, cum nemo illis, cum iustis copijs, occurrisset, Arziliam rediere; &, post paucos dies, Siqueira in Lusitaniam, sibi ipsi valde displicens, reuersus est. Post hæc, Odoardus Menesius, & Ioannes Coutignus, in agros Alcassaris Quibirij, coniunctis copijs, ingressi sunt, & hominibus cædem, & agris populationem, intulerunt, & ingentem prædam abduxerunt. Præfectus Alcassaris Quibirij illis obuiam cũ exercitu processit. At illi, ne ordo, quo se recipiebant, confunderetur, maxima prædæ parte dimissa, cum reliqua progressi sunt. Hostes ita illorum vestigiis institerunt, vt congredi mini me auderent. Et sic tandem nostri incolumem exercitum cum præda domum adduxere. Nonius interim Mascaregnas, qui Safinio præerat, minime quiescebat. Cum enim intelligeret, Turmas Ganemenses rebellasse, illas improuisso adortus est, magnamq. stragem edidit, & reliquis iugum rursus imposuit. Deinde, cum, indicio Mauri cuiusdam, cuius frater apud illum captiuus detinebatur, percepisset, Dabidenses Tribus de communi omnium consilio rebellare statuisse, & liberam omnibus facultatem prædandi tribuisse, Mauri fratrem captiuum, in indicii præmium, liberum abire permisit. Petrus Mascaregnas, frater eius, tunc forte sub illo militabat. Hunc extemplo, cum Francisco Carnerio, in Dabidenses, cum trecentis equitibus, & pari peditum numero, misit. Primis profecti tenebris, viginti quattuor passuum millia cõfecerunt. Sequenti die prœlium inierunt: hostibus partim cæsis, partim in fugam coniectis, victoria potiti, & cum præda, & captiuis, in vrbem reuersi sunt. Interim, rumore constanti delatum fuit, Regem Fessæ ingentem exercitum comparare, vt Safinium obsidione cingeret, atque summis viribus oppugnaret. Rex Emmanuel, cum hoc ab ipso Mascaregna percepisset, auxilium satis firmũ misit, & homines acerrimos ad eam rẽ delegit. In primis vero Gũdissaluus Médezius Zacotus, cuius in bello eximia virtus exstiterat, maximam & Mascaregnæ, & militibus vniuersis, voluptatem attulit. Sed Rex Fessæ, siue curis alijs implicitus, siue nuntijs de ciuitatis auxilio retardatus, ab ea mente deductus est. Dum hæc in Africa, & Lusitania, fiunt, Fernandus Petreius Andradius, qui in Sinam nauigabat, fuit, vt dictum est, aduersa tempestate Malacam, vnde conscenderat, relatus. Ibi ciuitatem offendit, duorum hominum discordia perturbatam. Georgius Brittius morbo oppressus obierat. Nonius Vascius Pereira cũ Antonio Pacieco de vrbis præfectura contendebat. Pereira dicebat, sibi fuisse vrbis custodiam a Brittio, multis testibus præsentibus, traditam, quam non posset vlla ratione, absque scelere nefario, deserere. Paciecus, cõtra, disputabat, illud ab Albuquercio statutũ fuisse, vt, qui maris imperium teneret, ei, qui vrbi præesset, si casu aliquo vita priuatus fuisset, succederet. Sic enim statuerat, vt Andradius, cui maritimarum rerum cura commissa fuerat, in locum præfecti, si mortuus fuisset, substitueretur. Se tunc maritimis rebus præesse. Et iccirco eodem exemplo ius successionis ad se pertinere dicebat. Andradius, vt eam contentionem dirimeret, summis viribus adnitebatur; sed proficere nulla ratione potuit. Hoc minime præterire volui, vt intelligi posset, Diuino præsidio Orientis imperium, tantis locorum interuallis ab Hispania disiunctum, a Lusitanis hominibus, quos in rebus eiusmodi nõ ratio, sed præceps ambitio, gubernat, cum tã exiguo militum numero teneri. Nam, si intestina dissensione, in ipsis patriæ antiquæ sedibus excitata, maxima sæpe imperia de statu conuelluntur, atque funditus euertuntur; quid existimandũ est de statu in terris vltimis fundato, tantis, & tam immanibus hostibus circumsesso, & tam exiguo militum numero stabilito, cum ea in animos ambitione oppressos inuaserit? Andradius, mense Iunio, anno salutis MDXVII. cum classe nouem nauium, Malaca soluit. Decimo autem quintto die mẽsis Augusti, Tamanlabuam (ea insula Sinarũ duodecim millibus passuum a continente disiuncta est) tandem peruenit. Eo tempore, mare illud erat piratarum latrociniis infestum. Rex, vt mare tutum nauigantibus exhiberet, classem non mediocrem instruxerat. Classis præfectus nauium nostrarum formam inusitata tam vehementer admiratus est. Cum vero suspicaretur, nostros piratas esse, vt cum illis prœlium iniret, appropinquauit. Andradius nullum belli signum dedit, sed ad insulam, quã Tamam nominant, naues, omni metu solutus, applicuit. Cum vero in anchoris ibi constitisset, Sinarum dux de illo per internuntios interrogauit, quis esset, vnde veniret, cuius caussa in eas oras delatus esset. Andradius, se Lusitanum esse, Regis inuictissimi, qui in vltimis Occidentis Solis regionibus imperabat, alumnum. Eundemq. Regem, cum accepisset, Regem Sinarum esse opibus summis, atque singulari potentia, præditum, multisque Regiis ornamentis instructum, amicitiam illius vehementer expetiuisse. Confidereq. se, eam amicitiam vtrique Regi vtilem, & honestam, futuram. Sibi opus esse magistris, qui naues, sine naufragii periculo, in Cantamensi portu constituerent, vt inde Lusitani Regis legatus posset in vrbem Regiam contendere; vt Sinarum Imperatorem, nomine sui Regis, alloqueretur, eiq. litteras offeret, &, quæ in vtriusque rem essent, cum illo præsens ageret. Dux se Nantum, quod opidum Cantamo sexaginta passuum millia distat, continuo profecturum dicit, vt de illius aduentu vrbis Rectorem certiorem

Ganemensis rebellio, domita.

Victoria de Dabiensibus rebellibus.

Andradii in Sinam nauigatio Tamãlabua insula.

Zafinicẽsis belli apparatus.

Malacæ ex Ducum discẽtione tumultus.

Tama insula.

Andradii cũ Sinarum Duce colloquiũ

Nantum op.

Universidad de Deusto
Biblioteca

faceret. Andradius interim multis diebus exſpectauit. Sed, cum diuturnam illam exſpectandi moleſtiam ferre non poſſet, cum duobus nauigiis, & aliquot ſcaphis, vela dedit, & in ciuitatem curſum inſtituit, & in portu naues anchoris firmauit. Portus intimum ſinum ſubſtructio ex quadrato lapide facta terminabat, ad cuius ſummam planitiem gradibus ascendebatur. Inſula parua portui adiacebat, in qua turris exſtructa erat: in ea ciuitatis principes, inſtructo, & apparato conuiuio, hoſpites excipiebant. Tutamus, ſic enim vrbis moderator appellatur, Andradium ad epulas in eam inſulam inuitauit. Andradius ſe, morbi ſimulati excuſatione, defendit, ne inſolitis, & immodicis, cibis vti cogeretur. Hic, cum Tutamo, & reliquis vrbis magiſtratibus, ea quorum cauſſa miſſus fuerat, egit; & legatum, qui erat ad Sinarum Regem profecturus, fidei Rectorum commiſit, & ipſe in Tamam reuerſus eſt; vbi menſes quattuordecim cõſtitit. In mãdatis enim habebat, vt regionis ſitum, gentis mores, & inſtituta, cognoſceret, &, in ſingula diligenter inquirens, omnia penitus explora ret. Eo interim multi mercatores, ex variis nationibus, cum multis mercibus, & auro pręcipue, commeabant. Ab iis autem, multa interrogando, multarum rerum cognitionem non iniucundam capiebat. Præterea, Georgiũ Maſcaregnam, vt oram nauigando peragraret, cum magiſtris Sinarum peritiſſimis, miſit, vt & ipſe, quæ oculis, & fama percepiſſet, exponeret. Maſcaregna tandem reuocato, (nauigandi namque tempus inſtabat) Andradius per pręconem in vrbe pronuntiare iuſſit, vt, ſi quis aliquid Luſitano alicui crediditſſet, aut ſi aliquid per iniuriam ſibi quiſquã a Luſitanis ereptum, aut dolo ſublatum, quereretur, ad ſe veniret. Nec enim ſe ante anchoras ſoluturum, quam eſſent omnia perſoluta. Id Sinis gratiſſimum accidit, non quod de iniuriis ſibi grauiter illatis queri quiſquã merito poſſet, ſed quod mos ille Luſitanæ gentis æquitatem, & probitatem, & prudentiam, in adſpectu proponeret. Quam probitatis opinionem ſi omnes, qui in Sinam nauigarunt, tueri voluiſſent, magna in illis regionibus imperij acceſsio facta fuiſſet. Nec enim imperiũ tam viribus, quam humanitatis, & fidei, fama conſtitui plerumque ſolet. Sinarum regio eſt latiſſima: ab ortu namque Solis vltima terrarum exiſtimatur; ab Occaſu, vltimis Indiæ terminis definitur; ab Auſtro, Oceano alluitur; a Septemtrione vero, montibus altiſſimis, multa niue, & glacie, concretis, includitur. Ea parte, quæ ad Septemtriones ſpectat, ab Occaſu cum Scythis, quos Tartaros appellant, qui ad Orientem pertinent, continens eſt; cum quibus continenter bella gerunt. Scythæ viribus, Sinæ ingenio, & artibus, excellunt. Sic fit, vt ſæpe a Scythis virtute ſuperentur, & ipſi viciſſim non raro Scythas dolis, & artificio, vincant. Montes tamen, qui a Septemtrione in Auſtrũ procurrunt, Scythas a Sinis dirimunt. Valles, atque camporũ planities, interiectas, Sinæ muris latiſſimis ita muniunt, vt Scytharum impetum a ſe facile propulſent. Regio eſt maxime omnium fertilis, & abundans rebus omnibus, ad vitæ cultum, & luxum, & elegantiam, neceſſariis. Homines, qui plagã Auſtralem incolunt, colorati; qui terras Septemtrionibus ſubiectas habitant, candidiſſimi ſunt. Omnes lautiſſime viuunt; conuiuium ſcienter inſtruunt; veſtibus goſsipinis, & laneis, & bõbycinis, auro etiam intertextis, prout anni tempus poſtulat, amiciuntur; &, cum hiems maxima eſt, præſertim in regionibus Aquiloni ſubiectis, variis animantium pellibus, ad veſtes introrſum fulciendas, vtuntur. Equis eleganter inſtratis inſidunt; vitam cultui, Gallico, & Germanico, non abſimili, multis in rebus inſtituunt. Iudis, & iocis, & vini copia, frequenter oblectantur. Amoribus, atque libidini, nimium dediti ſunt. Mulieres nobiles carpentis bombycina veſte, & auro pulcherrime facto, & vndique tectis, per vrbem vehuntur. Cantibus, & ſymphoniis, & inſtrumentis muſicis, animorum curas iucundiſsime relaxant. Auguriis dediti ſunt; ſortibus euentura prædicere nituntur. Magos in honore habent; mathematicas diſciplinas colunt, & aſtra diligẽter obſeruant. In libris deſcribendis, & rerum memoria propaganda, æneis formis vti ſolẽt; quarum vſus adeo antiquus apud illos eſt, vt, qui primus eam artem excogitarit, ignoretur. Arte, & ſtructura, non parum eleganter, magniſq. ſumpribus, ædificant. Templa ampliſſima, multiſq. ſtatuis, & picturis, illuſtrata, frequentant; &, quamuis varia ſimulacra venerẽtur, vnum tamen Deum, rerum omnium opificem, & rectorem, præcipue colendum eſſe dicunt, eiq. potiſsimum ſupplices preces adhibendas. Vnius mulieris imaginem, quam appellant Nammam, quam aiunt eſſe apud Deũ ſummum humani generis aduocatam, honoribus ſummis afficiunt. Eſt aliud apud illos ſimulacrum Virginis, quam tradunt fuiſſe Regis cuiuſdam filiam, &, rerum cæleſtium cupiditate, omnes opes humanas neglexiſſe, vt Diuinarum contemplatione frueretur. In huius tutela Sinarum gentem eſſe credunt. Alius apud illos Deus ſane ſanctus habetur. Hunc hominem fuiſſe narrant fortiſsimum, atque tantis virtutibus præditum, vt miracula multis in locis ediderit. Quorum illud potiſsimũ fuiſſe dicũt, quod ſemel armatus, enſe nudo in fluuium proiecto, quaſi quodam lembo inuectus, ingentẽ fluuium traiecerit, vt ſuis, qui ab hoſtibus in prælio vehementiſsime premebantur, auxilium afferret. Hunc, ob præclaras virtutes, & egregium iuſtitiæ ſplendorem, in diuos relatum fuiſſe, cõmemorant. Multos alios diuos habent, quibus ſtatis diebus honores inſtituunt. Sunt excellentes artifices, & egregij pictores.

Nantẽſis opidi deſcriptio

Iuſtranorum probitatis exemplum illuſtre.

Sinarum regionis, gentiſq. deſcriptio.

Chalcographiæ vſus apud Sinas antiquiſsimus.

Sinarum religio.

Monaſteria.

Litterarum ſtudia

Politia Sinarum.

pictores. Aedes amplas ædificant, quibus homines religioſi, vt rebus Diuinis vacent, includuntur. Similiter & virginũ collegia, quæ religionẽ ſanctius obſeruent, inſtituunt. Litteris operam dant; qui in illis maximos progreſſus habent, maximis honoribus afficiuntur. In ſtudiis, genere antiquo ſermonis vtũtur, imperitis ignoto; quem admodũ apud nos, qui artiũ maximarum diſciplinis ſtudent, linguã Græcam, aut Latinam, perdiſcunt. Qui iuri ciuili ſtudent, in magno honore ſunt. Regem, quaſi quoddã cæleſte numen, colunt; qui tamen raro admodũ ſe conſpiciendũ exhibet. Reſp. in tres partes eſt diſtributa. Principatum ii, qui in diſciplinis, & iuris ſtudio, valde profecerunt, obtinent. Secũdus honoris gradus militibus aſsignatur. Poſtremi ordinis ſunt, qui artes fabriles colunt. In ſtudiis, quantũ quiſque profecerit, iudicio eorũ, qui maximis artibus pręſũt, exanimari ſolet. Sunt autẽ ordines horum iudiciorum gradatim inſtituti; ita, vt ei, qui infimi ordinis approbationem cõſecutus eſt, ſi velit ad altiorẽ locum dignitatis adſpirare, ſint grauiora doctiorum hominum iudicia ſubeũda. Qui plurimis, & doctiſsimis, probatus exſtiterit, is ampliores in Rep. honores cõſequitur. Sunt in ſceleribus vindicãdis acres. Nemini ſane, quamuis oculis orbatus ſit, mẽdicare permittitur. Cæci, molas truſatiles verſando, ſibi victum parant. Homines exteros difficilli me in vrbes ſuas admittũt, ne, moribus externis obliti, ab inſtitutis ſuis paullatim deducãtur. Comœdiis plurimum delectantur; & ita ſunt in Venerem propenſi, vt varias libidinũ formas excogitent. Dæmones conſulere dicũtur. Hi mores, & inſtituta, Sinarum ſunt, quæ perſtrinximus. Hos Andradius ita ſibi comitate deuinxit, vt arbitrarentur, nullã eſſe gentem officio, & fide, & prudentia, cum Luſitana conferendam. Is vero, Malacam rediens, Alexium Meneſium reperit, quem Lupus Suarius cũ poteſtate ſumma miſerat, vt diſcordiis finẽ imponeret, & vrbis ſtatũ conſtitueret; qui tunc ab Andradio claſſem recepit. Andradius in citeriorem Indiam, & inde in Luſitaniã nauigauit, & Emmanueli Regi Sinarum mores, & humanitatem, & docilitatem gentis, expoſuit; & picturas, & ſigna, ſimul oſtẽdit; quæ Emmanuelem in magnam ſpem induxerũt, fore, vt gẽs illa Chriſti cognitionem, & diſciplinã caperet. Sed hanc omnem ſpem aliquot poſt annis temeritas Simonis Andradii, viri ſane fortis, ſed temerarii, & plurimum a mente fratris abhorrentis, incidit. Is enim, cum claſſe ad Sinas aduectus, cum in principio opes in eo loco Luſitanas firmare ſtatuiſſet, & locum etiam muniuiſſet, vti iure plane Regio cœpit, deinde in tyrannidem erupit; rapuit quę voluit, intulit vim ingenuis virginibus, quibus voluit; multa præterea ſigna inſiti furoris dedit, quibus Sinæ vehementius irritati, in Luſitanos inuaſerunt; multos occiderunt, alios captiuos abduxerunt; Andradius tamẽ cum opibus ſuis euaſit. Ea fama, cum ad Regem Sinarum peruaſiſſet, legatum eiecit; qui, cum Cantamum rediret, fuit a ciuibus in vincula coniectus, in quibus exitu miſerabili vitam concluſit. Ita plerumque fit, vt, quod eſt prudẽtia conſtitutum, temeritate, & amentia, diſsipetur. Hãc quidem de Sinis explicationem ſummatim hoc in loco perſcribere coacti ſumus, ne ſępius eſſet neceſſe reliquarum rerũ hiſtoriam interrumpi. Hoc quidem tempore Leonora, Regis Emmanuelis ſoror, quæ Ioannis ſecundi vxor exſtiterat, magna virtutis fama florebat. Egentibus enim egregia benignitate conſulebat, viduas alebat, religionem multis in locis inſtaurabat; xenodochia partim a fundamentis ædificabat, partim laborãtia reficiebat. Erat præterea ſingulari animi magnitudine, & prudentia non mediocri prædita. Hæc, cum memoriam Vrſulæ, virginis ſanctiſsimæ, quæ, cum reliquis virginibus, eiusdẽ voti, atque ſanctimoniæ, ſociis, pro Chriſti nomine mortem perſtulit, & Coloniæ Agrippinæ ſepulta eſt, ſingulari ſtudio coleret, a Maximiliano Imperatore poſtulauit, vt ſibi reliquiarum eiuſdem virginis partem aliquam concederet, quam in ſacrario reſeruaret. Is vero in tegras reliquias Autæ virginis, quæ inter reliquas Vrſulæ ſocias princeps exſtiterat, illi dono miſit. Fuit illius corpus Olyſipponem delatum, & cũ maxima populi totius celebritate receptum, & in ſepulcro, in ara quadam tẽpli, quod Maria Regina in memoriam ſanctę Dei Matris ædificarat, exſtructo, repoſitũ; vbi, meritis illius, multi in rebus aduerſis numẽ Chriſti propitium ſignis admirandis experti ſunt. In India porro Suarius, cum Regẽ Maldiuenſium inſularum, & Bengalæ etiam Regem, ab Emmanuelis fide defeciſſe cognouiſſet, (multæ namque illis a Luſitanis iniuriæ poſt obitũ Albuquercii illatę fuerant) Ioannem Silueriã, cum nauibus quattuor miſit, vt alienatas Regum voluntates recolligeret. Silueria, in inſulis Maldiuenſibus, pacẽ cum Rege conſtituit; Cambaiam deinde petiit, & pacem cum Rege firmauit; inde, Cochimum nauigans, ibi tãtiſper conſtitit, dum commeatum acciperet. Inde in Regnum Bengalæ curſum inſtituit. Bengala eſt prouincia latiſsima, quam Ganges fluuius interfluit. Fluuius eſt altiſsimus, atque latiſsimus, qui citeriorem Indiã ab vlteriore diſterminat, & duobus oſtiis, inter ſe tercentum paſſuum millia diſtantibus, in Indicum Oceanum labitur. Aquæ ſunt ſalubres, & religionem poſsidere ab incolis exiſtimãtur, ita, vt multi, vel vt morbos depellant, vel vt animos ſcelere pollutos expient, illis frequenter abluantur. Regio eſt incredibili fertilitate prędita. Gẽs eſt colorata, neque deformis, nec inuenuſta; lautiſsime viuit; veſtibus eleganter excolitur; Venere, & ingluuie, multiſq. vitijs, adſtricta eſt. Præterea, fidem minime ſanctam

Andradii in Indiam, atq. inde in Luſitaniam reditus.

Simonis Andradii in Sinas maleficia

Res Europeę

De reliquiis Autæ virginis, & martyris, in Luſitaniam translatis.

Res Indicanæ.

Silueriæ in bengalã nauigatio.

bengalæ prouincię deſcriptio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

habet, dolis,& fraudibus, gloriatur. Vt plurimum simulacra colit.multi tamen in eo Regno sunt Mahumetis disciplinis adstricti. Silueira, in portum Chatingamensem inuectus, (est autem Chatingamum Bengalæ ciuitas) de suo aduentu vrbis Rectorem certiorem fecit.Rector,sibi gratissimum esse illius aduentum,simulauit, hominemq. muneribus deleniuit,seque illius gratia,omnia,quæ vellet,factu rum ostendit. Sed,cum ludificari,& mentiri, perseueraret,prælium exortum fuit. quod cũ incolarum graui damno finitum esset, & pax obsidibus datis firmata, tantã deinde humanitatis speciem præ se Rector tulit, vt Silueira,insita probitate deceptus, obsides reddiderit.At Rector,obsidibus receptis, insidias rursus struxit,vt Silueiram opprimeret.Sed,cum iterum fuisset prælio victus,veniam petiit, & pacem se velle,finxit. Tandem Silueiram Rector alius,qui ciuitati, quam Darracam appellant, a Rege Bengalæ præfectus erat, per litteras inuitauit, vt ad ciuitatis illius portũ naues appelleret. Rectorem Chantingamensem esse virum nefarium,&,propter insidias, quas ille per summum scelus intenderat, Regi pœnas grauissimas daturum. Vt autẽ magis Silueiram ad se pelliceret, munera large misit. Id autem erat Chantingamensis malitia confictum,vt facilius Silueriam imparatũ dolis opprimeret. Silueira verum esse credidit:naues in eum portum, ad quem inuitabatur,induxit.Ibi,cum in fluuium esset inuectus, Rex,a suis admonitus,tam multas in eum naues immisit, vt parum abesset, quin funditus euerteretur.Sed fraus virtute repulsa fuit.Sic tandem hostibus repressis, Silueira in insulã Zeilandam, cum classe quassata, & imminuta, (Ioannes enim Fidalgus, vnius nauis nauarchus,eum deseruerat) cursum tenuit. Antonius vero Saldagna, qui cum non mediocri classe mare Arabicũ peragrabat,aliquot prædas egit; &, cum hiems instaret,nulla re memorabili gesta,in Indiam reuersus est. Emmanuel Lacerda, qui similiter missus Dium fuerat, a Melichiazio summis honoribus acceptus,pacem cum illo fortius adstrinxit. Alexius Menesius, vt dictum est, similiter Malacam,cum trecentis hominibus Lusitanis, aduectus fuit; & Alfonsum Lupium Costam (sic enim ab Emmanuele statutum fuerat) in arcis possessione constituit; & Odoardum Melium rebus maritimis præfecit; & Antonium Paciecum e custodia liberauit. Nonius enim Pereira,propter dissensiones,quæ superius explicatæ sunt,eum in custodiam dederat.Malaca eo tempore grauissimo bello premebatur. Rex Bintami stationem,quæ fluuio Muari imminebat,tormentis,& firmo præsidio, muniuit,vt e propinquo frequentius, terra, atque mari,in nostros incurreret. Menesius Alfonsum Lupium Costam, cum trecentis Lusitanis,tribus millibus Malacensium, & multis viris nobilibus,eo misit, vt arcem euerteret. Is, cum æstus decessisset, & naues alueo sustineri non possent,æstus reciprocationem exspectabat,vt,cum rursus accederet,in fluuium inueheretur.Interim,tormentis eminus res gerebatur,& non pauci vtrimque cadebãt. Aestus vero paullatim redibat, & prælium præclare geri potuisset,nisi temeritas cõsilium perturbasset.Nam inter Alfonsum Lupium Costam, & Georgium Mascaregnam, atrox iurgium exstitit. Itaque nostri,re infecta, domum reuertuntur. Rex,cum vi aperta nihil se facturum conderet,dolos machinari cœpit. Itaque finxit, se pacis esse cupidissimum, eamq. ab Alexio postulauit.Is,cum cerneret,ciuitatem annona grauissime laborare, eã libenter concessit.Rex,multis humanitatis egregie signis,omnes sinistras opiniones ex nostrorum animis euellebat.Nostri rursus in Regem officia,quæ poterant,summa fide cõferebant.Muneribus,atque beneficiis, inuicẽ certabatur; cõmercium rerum omnium erat cum partis vtriusque vtilitate constitutũ.Hac pacis,& amicitiæ simulatione, cũ nostros cerneret esse omni metu vacuos,subito septuaginta naues, quas dissimulanter instruxerat, vt mari arcẽ quaterẽt, & supra duo millia militũ terra mitteret,vt eodẽ tempore in nostros imparatos inuaderẽt.Naues in insulã,quæ vrbi adiacet,in uehuntur,in nostros somno consopitos impetũ faciunt,multos obtruncant, in naues ignẽ coniiciunt.Ignis in nauibus(fuerat enim turbida tempestas,& imbres demissi eas madefecerant)implicari minime potuit.Fugientium clamor exoritur.Alexius excitatus, duces in insulã mittit;prælium im meridiem perductũ fuit, & hostes repressi sunt. Similiter & qui terra venerãt, cum magno ciuiũ numero, qui sceleris participes erant,arcem acriter oppugnare instituũt. Rex identidem subsidia cum elephantis submittebat; & res vtrimque summa viriũ contentione gerebatur. Sed,cum nostri meridie ex insula redirent, hostes minus pertinaciter instare, deinde paullatim cedere,postremo fugere,cœperũt.Multi ex illis cæsi,cõplures etiam capti sunt. Nihilo tamen secius Rex cũ maiore exercitu arcem oppugnare instituit. Septẽ continuos dies nostros graui bello premere cõtendit.Nostri,rursus,crebris eruptionibus illi frequẽtes plagas imponunt. Sed,quod acrius nostros afflictabat, erat inopia, atque fames, quæ in dies ingraueſcebat. Menesius tandem rationem iniuit, quemadmodum stationem illam Muarensem euerteret.Quod sine magno labore factum est.Iacõsis quidam, vir nobilis, & valde diues, cum vxore, & liberis,& amplissima familia, Malacam petierat,vt in ea vrbe domicilium collocaret. Fuerat autem cum Malacæ oram legeret,a ducibus Regis Bintamensis captus,ad illumq. perductus.Rex illum perbenigne accepit;multisq. precibus eo hominem perduxit, vt Bin-

Chatingamẽsis Rectoris in Silueriam inuidię.

Darraca ciuitas.

Malacense bellum.

Regis Bintamensis in Lusitanos insidiæ.

De Muarensis stationis expugnatione.

vt Bintamũ Malacę præferret. Interim Rex, cũ illius familiaritate delectari, multis signis, ostẽderet,multo tamẽ magis vxoris illius specie(erat enim insigni pulchritudine) delectabatur. Vt autem liberius ea frui posset,hominem a se,per speciem honoris,amandat,illiq. præfecturam certarum nauium attribuit. Is (erat enim valde strenuus)multum damni nostris inferebat.Sed,cum Regis adulterium,insignemq. perfidiam,suorum indicio,comperisset,in arcem nostram trãsfugit.Cum illo Menesius consilium, quod animo versabat, communicauit. Is ad eam rem fuit operam suam pollicitus.Itaque,cum centum & viginti viris Lusitanis,& nonnullis Malacensibus, partim terra, partim mari, a Menesio missis, hostes inopinãtes oppressit, in munitiones irrupit: propugnaculum extemplo capitur. Iaoensis, vnius tormenti ictu percussus, occumbit; aliqui e nostris occisi sunt. Emmanueli Falconi, qui terra copias agebat, crus perfractũ fuit. Nostri tamen,cum magna hostium cæde,propugnaculo potiti sunt.Supra septuaginta tormenta e munitionibus in arcem deportata fuerunt.Hoc pacto bellum ad tempus aliquod intermissum fuit, & Menesius Tristanum Menesium,vt Malucas insulas exploraret, dimisit, & ipse cum maxima Lusitanorum parte in Indiam citeriorem reuersus est. Post illius digressum,bellum rursus exarsit. Arx decem & septem dies obsessa, summisq. viribus oppugnata fuit.Hostes in duas naues sociorum, & in vnam triremem Lusitanam,faces iniecerunt. Nostri,vt ignem exstinguerent, egressi sunt. Dum pugna committitur, ignis in tormentarium puluerem nauis,cui Gabriel Gagus præerat, aduerso, & infausto, casu conlectus, nauem subitis ignibus inflammauit; & omnes, qui erant in naui, cum essent armis grauati,demersi sunt.Iacobus Mendezius,alterius nauis præfectus, tormenti vnius ictu occisus fuit. Nostri tamen ignem exstinxerunt,& hostes repulerunt. Qui,cum cernerẽt maximum damnum, quod illis nostri crebris eruptionibus inferebãt,& quam fidelem operam ciues Bendaræ ductu nostris in bello nauabant,obsidionem soluerunt. Tunc Bintami Rex a bello desistendum censuit. In his prælijs duodeuiginti Lusitani desiderati fuerunt. Ex hostibus supra quadringentos cæsi,& complures etiam capti, in quibus Dynastæ cuiusdam Siamensis filius exstitit:pro cuius redemptione pater nauem ingentem, cibarijs onustam,Malacam misit, quæ plurimum nostros, in illa ciborum pẽnuria,subleuauit.Hoc anno Rex Emmanuel Iacobum Lupium Siqueirã, vt Lupo Suario succederet, in Indiam, cum decem nauium classe, misit. Cum vero promõtorium Bonæ spei præterueheretur, piscis ingentis magnitudinis,in nauis latus,cui Ioãnes Limicus præerat,incurrit,nauemq. in alterum latus impulit,eamq. tanta vi retinuit, vt progredi nequiret.Vectores,& nautæ,se in saxum impegisse suspicabantur.Sed, cum neque compages dissolui, nec aquam admitti, conspicerent, animos a metu refecerunt; & piscis,a naue diuulsus, liberum illis mare permisit. Goam octauo die mensis Septembris peruenit: quo tempore Lupus Suarius in insula Zeilanda arcem, vt fuerat ab Emmanuele iussus,ædificabat. Id quidem,cum primum ad insulæ portum, quem Columbum nominant, appulisset,a Rege,vt sibi per illum liceret,impetrauit.Sed,cum Saraceni,vt facere solebãt, Regem ab ea mente deduxissent, factum est, vt Rex,non modo, quod sponte sua concesserat,pernegaret, verum & acre bellum molire tur. Itaque nocte stationes instituit,præsidia disposuit, tormentis nostros arcere parauit. Suarius omnes copias in terram exposuit. Prælium repente commissum fuit,in quo Verissimus Paciecus, vir nobilis, & strenuus,cũ nonnullis Lusitanis,cecidit, & multi vulnerati sunt. Hostes tamen a stationibus,cum magna multorum cæde,pulsi fuerunt. Rex veniã, & pacem,postulauit. Pax ea lege cõcessa fuit, vt non solum arcem ædificari permitteret, sed etiam, in pœnam illius inconsideratæ rebellionis,tributum Regi Emmanueli singulis annis penderet. Tributum erat, gemmarum certus numerus,& maximũ cinnamomi pondus. Suarius similiter Regi fidẽ dedit,vt semper auxilio Prætoris Lusitani tegeretur, nec vmquam bellum contra illum fieret,quin Lusitani ab illius finibus hostes arcerent. Fœdus sactum, & iureiurando sancitum, & litteris mandatum,Regisque,& Principum, & Suarij nominibus consignatum fuit. Arx deinde incolarum operis multo citius absoluta fuit, & Ioanni Silueiræ commissa: maritimarum vero rerum cura Antonio Mirandæ credita. Inde,Cochimum reuersus, Siqueiram offendit, illiq. prouinciam tradidit, & in Lusitaniam profectus est. Siqueira continuo muneri diligenter incubuit. Cristophorum Sousam,cum classe,Dabulem misit, vt eam ciuitatem, quæ ab Emmanuele desciuerat,bello domaret. Alfonso præterea Menesio præcepit,vt in Baticalam infesta signa similiter inferret.Tũ Ioanni Gomecio iussit in insula Maldiua arcem ædificare, vbi fuit a Saracenis Cambaiẽsibus occisus.Deinde,cum Goam peteret,in cursu, arcibus Calecutij,& Cananoris, diligentissime prospexit.Postquam Goam appulit,Antonium Saldagnam, pluribus nauibus auctum, in Arabicum,& Aethiopicum, mare misit,vt plurimum damni Saracenis inferret. Simonẽ Andradium in Sinam misit, qui, vt scriptum est,temeritate,& amentia, Sinas Lusitanis infestos reddidit. Antonium Corream ad Regẽ Peguensem,vt cum illo pacem, & amicitiam, iungeret, legauit. Garsiæ Salæ concessit, vt, rei gerendæ caussa, Malacam peteret. Qui,cũ eo peruenisset,Alfonsum Lupium Costã morbo

Belli Malacensis redintegratio.

Cæsorum, & captiuorũ numerus.

Iac. Lupij Siqueiræ iter Indicum.

Io. Limici nauis ab ingenti pisce retardata.

Zeilandense bellum.

Pax Zeilandensis,eiusq. capita.

Siqueiræ administratio Indica,& res gestæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bo grauiter impeditum reperit; qui, cum in citeriorem Indiam, morbi depellendi gratia, redire vehemẽter expeteret, arcem ipsi Garsiæ Salæ tradidit; &, non multis post diebus, quam Cochimum appulit, eodem morbo consumptus est. Dum hæc in India gerebantur, Abrahemus, Barraxæ filius, accepit, incolas montis Farrobij, & Benamarẽses, & reliquos eiusdem vicinitatis Mauros, multas clades a Lusitanis accepisse. Id igitur vlcisci cõstituit. Itaque, cum id, quod animo moliebatur, summo silentio compressum tenuisset, quingentos equites eduxit, & in pagis quibusdam, Arziliensi agro finitimis, ea parte, quæ Tingim spectat, in insidijs delituit. Inde Aroazium iti neris ductorem præmisit, vt campum exploraret, & omnia, vsque ad speculas, quas Alfan diquimenses appellant, specularetur. Ioannes Coutignus hunc Aroazium, virum industriũ, & sagacem, nouerat, & illius fraudes, & insidias, diligentissime præcauebat. Ea autem de caussa, numquam speculatores ex vrbe mittebat, quin illis equitum auxilium assignaret. Tunc igitur, cum homines speculatum mississet, equites simul emisi sunt. Aroazius se continuit, dũ eos in speculis constitutos animaduerteret. De ea re Abrahemum confestim admonuit. Is, silenti agmine, e latebris egressus, nostris appropinquabat. Nostri, cum primam aciem cernerent, vt se reciperent, consilium inierunt. At Mauri subsistiterunt. Fernandus Callæcus, primi agminis ductor, qui speculatoribus auxilium afferebat, cum eos subsistitisse conspiceret, in illos inuectus est. Hostes, ordine minime confuso, cedebãt, donec nostros in postremum agmen, quod Callæcus minime conspexerat, extraherent. Ibi equites nostri decem & septem ceciderunt, reliqui fugæ se mandarunt. Sed in lacus, qui iter impediebat,

Res Africanæ

Abrahemi Barraxæ ĩ Arzilẽsem agrũ excursio.

Ludouici Valentis virtus.

angustijs, quidam fortissimus eques, nomine Ludouicus Valens, nostros confirmauit, & se armatum hostibus obiecit; nec ex eo loco demigrauit, ante quã Lusitani lacus angustias pertranssirent. Deinde nostros ordine instructos domũ ita reduxit, vt inter hostes, atque nostros, eximia virtute, & dexteritate, versaretur. Cum iam se Habrahemus reciperet, incidit in illũ Antonius Mascaregnas, adolescẽs valde strenuus, cum quattuor equitibus: qui omnes capti sunt. Mascaregnas, quamuis a Rege Fessæ perbenigne tractaretur, mortem, quæ impendebat, vitare nõ potuit. Cum enim pestilentia apud Mauros desæuiret, illum confecit. Sub id tempus præfecit Emmanuel Azamori (Petrum namque Sousam reuocauerat) Aluarum Norognam, qui cum multis Mauro rum principibus pacem firmauit, & illis æquabile tributum imperauit. Rebelles vero cladibus multis affecit. Præter alias excursiones, xxvj. die Aprilis Benemezium agrũ populatus est, multos occidit, ducentos & quinquaginta captiuos abduxit, non mediocrem prædam abegit. Rursus, mense Iunio, Vascum Fernandium Cæsarem in alias Maurorũ turmas immisit, qui, cum incautos opprimeret, viuos octoginta cepit, magnaq. præda potitus, copias in vrbem incolumes reduxit. Rursus, Augusto mense, Antonius Gundisalauius, eiusdem Norognæ iussu, in Mauros pedites inuasit; qui, cum diu restitissent, victi tandem sunt, & aliqua eorum pars in seruitutem abstracta fuit. Hoc eodem mense, quidam Maurorum fœderatorum duces a Norogna auxilium petierunt, quo Enxouienses Mauros aggrederentur, & magnam frumenti copiam inde asportarent. Sed, cum ducenti hostes nostris immineren t, Mauri fœderati suspicati sunt, maximum hostium numerum in insidijs latere. hac suspicione perturbati, se in primũ agmen conferunt. Nostri in postrema acie hostium impetum sustinebant. Nonnulli ab hosti bus cæsi sunt. Reliqui cum dedecore se in vrbẽ receperunt, non culpa sua, sed eorum, qui eos deseruerant. Id tamen eis grauem diebus mul tis dolorem inusit. Hoc tẽpore, Emmanuel, varijs, & molestissimis, curis agitabatur. Videbat enim, se matrimonij vinculo liberatum & cupiebat vltimum vitæ actum in rebus præclaris, memoriaq. sempiterna dignis, consumere. Quo circa statuit in Algarbium se conferre, Regniq. administrationem Ioanni filio, & cõsiliarijs, relinquere, vt ipse, omni reliqua cura solutus, bello Mauros vexaret, atque pro pagandæ religioni vehementer incumberet. Sed ab hac cogitatione illum insidiæ multorum hominum, quos ipse non mutatione consilij, sed acerbitate supplicij, coercere debuisset, abstraxerunt. Vt enim mos hominum est, qui omnia nõ fide, sed cupiditate, metiuntur, ab illo, quem non ita diu victurum sperabant, ad Ioannem filium, a quo sibi multo maiores, & diuturniores, opes pollicebantur, paullatim deficiebant; & ætatem Principis, optima quidem natura præditi, sed fraudibus, & dolis, obnoxij, captabant. In primis vero plurimum de laudibus Emmanuelis detrahebant. Hominem esse dicebant multum de ædificijs, parum vero de Regia dignitate, cogitantem. Præterea, grauitatis immemorem esse, criminabantur, quod facillimos aditus haberet, quod sui conueniendi facultatem quibusuis hominibus daret, quod equos frequenter agitaret, quod insita facilitate nullius congressum aspernaretur. Præterea, illi crimini dabant, quod multum auri & argenti profunderet. Postremo multa Regiæ virtutis ornamenta in illo requirebant; & Ioanni persuadebãt, si vellet amplissimum in Regibus nomen obtinere, vt longissime a patris instituto discederet; neque se peruulgari, & contemni, permitteret. Erat autem Ioannes, natura clemens, atque benignus, & ad pietatis studium valde propensus. Sed tantas vires hominum perditorum sermo, cui aures assidue præbebat, habuerat,

Antonij Mascaregnæ mors.

Aluarus Norogna, Azamoris Præfectus, eiusq. res gestæ.

Res Europeæ

Insidiæ, & calumniç in Regem Emmanuelem.

buerat, non quidem, vt patrem odio persequeretur, quem pietate summa colebat, sed vt minime illius mores, & instituta, comprobaret. Itaque statuebat, longe diuersam sibi vitæ rationem sequendam esse, vt ad summum decus adspiraret. Neque deerant interim, qui persuaderẽt, nihil esse magis Regium, quam, quidquid liberet, efficere. Voluntatem namque refrenare, esse non Regiæ dignitatis, sed miserrimæ seruitutis argumentum. Cum multa eiusmodi Emmanuel accepisset, veritus est ne, si res alias agere vellet, & filium in adulatorum potestate relinqueret, ab eo contemneretur, & Regnum, improborum consilijs gubernatum, ruinæ periculum adiret. Hic metus illum ab instituta cogitatione reuocauit. Præterea, vt magis se a contemptu, & solitudine, vindicaret, se nouis affinitatibus stabilire decreuit. Iccirco a Carolo Imperatore petijt, vt Leonoram, sororem suam, excellenti pulchritudine, & probitate, feminã, sibi despõderet. Atqui prius ille, vt Ioanni filio collocaretur, enixe operam dederat; & ea de caussa Petrum Goueanum in Germaniam ad Maximilianum Imperatorem legauerat. Tunc vero sic immutatus fuerat, vt eam vxorem ducere, quam filio in matrimonium collocare, mallet: quæ res apud multos in varias reprehensiones incurrit. Sic enim dicebant: Quam rem gerit Princeps hic, in quo ad hunc diem patrium in Remp. animum semper agnouimus? At nunc multis rationibus Remp. euertit. Primum enim, Rex annos quinquaginta natus, & viduus, octo filijs oneratus, quo nam modo poterit virginem Caroli sororem, in maxima spe aliarum nuptiarum enutritam, ad nuptias parum ætati accommodatas allicere, nisi Regni opes prius effuderit? Filio namque dos magna confici potuisset. At is nõ modo vxorem indotatam accipiet, verum, contra morem, & consuetudinem, nomine dotis, Regni patrimonium vxori largietur. Præterea, necesse erit, (aliter enim fortasse vxori adolescenti minime satisfaciet) vt ad voluntatem illius Regnum administret. Postremo, quid liberis faciet? octo filios habet. Totidem poterit ex noua nupta suscipere. Regnum est angustis finibus terminatũ. Quas igitur opes poterit tantæ filiorum multitudini largiri? Quibus honoribus, aut emolumentis, Regia soboles statum suum tuebitur, ne sit ei necesse in turbam conijci, & reliquorum hominum institutis victum sibi comparare? Erit præterea ei necesse, amori seruire, vxori blandiri, & non, quo modo nomen suum immortalitati commendet, sed, quo modo virgini pulcherrimæ morem gerat, excogitare. Hæc, & his similia, vulgo iactabantur; ab his præcipue, qui domestícas illius offensiones ignorabant. Emmanuel tamen in ea mente perstitit; &, cum Carolus in Hispaniam, vt regni hereditatem cerneret, e Gallia Belgica veniret, ad illum, Aluarum Costã, qui regio cubiculo præerat, legatum misit. Legationis species salutationis nomine instituta fuerat: legationis tamẽ summa eo pertinebat, vt nuptiæ conficerentur. Aluarus Costa omnia, quæ Emmanuel cupiebat, ex animi sententia confecit. Nuptiæ pactæ sunt; dos etiam a Carolo dicta; ab Emmanuele sponsæ munera ingentia constituta; festi dies acti; & matrimonij fœdus Cæsaraugustæ, vbi tunc Carolus considebat, summa omnium lætitia, & gratulatione, celebratum. Fuit tamen necesse, cum esset cum Carolo, & Leonora, & sanguinis propinquitate, & affinitate, multis rationibus implicatus, & ea de caussa per Põtificias Sãctiones nuptiæ coniũgi mini. ne potuissent, vt, Pontificis Maximi benignitate, legibus soluerẽtur: quod factum fuit. Nuntius huius pactionis, & fœderis, ad Emmanuelem perlatus, eum gaudio ingenti cumulauit, sed nobilitatem, & multitudinem, non mediocri sollicitudine affecit. In primis vero Ioannem sollicitauit, non quod easdem nuptias expeteret, sed quod Reip. inutiles arbitraretur. Emmanuel Regni Proceres in consilium euocauit. Ibi luculentam orationem habuit, qua rationes, quæ illum ad matrimonium inuitarant, exposuit: qua quidem illi, qui aderant, aut moti sunt, aut se motos esse, ne Regis animum offenderent, simularunt. Itaque omnes, ordine instituto, illius manũ, de more, osculati, &, vt matrimonium felix, atque faustũ esset, precati sunt. Post has gratulationes, & omniũ faustas acclamationes, pestilentia Olysipponem vehemẽter afflixit; & Regem varias sedes commutare illius metu coegit. Almeirinum deinde se contulit. Inde Cratum (est autem id opidũ celebre, quod ad Hospitalensium equitum ordinem pertinet) profectus est, vt ibi Reginam opperiretur. Illa vero, multis Hispaniæ Proceribus stipata, in Regnorum confinia peruenit. Eo multi Portugaliæ Proceres, vt eam exciperent, se contulerunt. ad exiguum fluuium, Seuerum nomine, qui Portugaliam a Castella discriminat, peruentum est. Martinus Albica strensis, Villæ Nouæ Portimanensis, quod opidum est in Algarbio situm, Comes, fluuium traiecit, & Reginæ manum suppliciter osculatus est. Illũ Comes Tentugalensis, & Episcopus Portugalensis, & Archiepiscopus Olysipponensis, ordine subsecuti, eodẽ officio perfuncti sunt. Alia deinde Lusitana nobilitas idem fecit. Regina fluuium transmisit: quam Dux Albanus, & Episcopus Cordubensis, deducebant. Dux Brigantinus citra fluuium constiterat: ad duo millia equitum Lusitanorum satis eleganti cultu conuenerant. Vbi Regina in terminis Lusitaniç constitit, Dux Brigantinus ex equo desiluit, vt Reginam nomine Regis excuperet. Quæsitus ab Albano Duce, an facultatem ab Emmanuele Rege ad illud munus obeundum haberet, eam litteris publicis inscriptã, & manu

Emmanuelis ad Carolum V. Legatio de Leonoræ nuptijs.

Sponsalia cũ Leonora.

Pestilentia Olysipponensis.

Reginæ Leonoræ, in Lusitaniam deductæ, pompa & cærimoniç

Universidad de Deusto
Biblioteca

& manu Regis ipsius consignatam, ostendit. Litteræ publice, & alta voce, recitatæ sunt, & Albano Duci in officij sui rite peracti testimonium traditæ. Tunc idem Princeps catenam auream, quæ Reginæ brachio alligata erat, assumpsit, vt sic ipsam Reginam deduceret, quam Brigantino Duci tradidit, atque commisit. Hac traditione sollemni ritu celebrata, Albanus Dux, & reliqui Castellæ Principes, abscesserunt. Episcopus tamen Cordubensis, & Dynasta Tregenensis, (hi legati erant) & præterea Villæ Francæ Princeps, & equitum Hospitalensium in Castella Magister, & Montis acuti Comes, cum Regina, Cratum vsque peruenerunt. Postquam in opidum vetum est, & Regina cenauit, Rex illam inuisit; a qua cũ singulari significatione amoris exceptus fuit. Ioannes illius manum osculari voluit: quod illa nullo modo induci potuit, vt pateretur. Georgium tamen, equitum Iacobensium, & Cistercienſium, Magistrum, Ioannis Regis filium, vt Hispaniæ morem cõseruaret, ad osculum manus admisit. Deinde Archiepiscopus Olysipponensis, Regem, atque Reginam, ritu ab Ecclesia Sancta recepto, stabili matrimonio copulauit. Symphonia deinde, & tibiarũ concentus, & choreæ consecutæ sunt. Inde, modicis itineribus, Almeirinũ profecti sunt. Filij Regis obuiam illis prodiere. Principes Regij ex equis repente desiliunt, vt Reginę manum osculentur. Id illa pati noluit; immo multis in illos voluntatis egregiæ signis insitam benignitatem testificata est. Reliqui regni principes, qui nondum suũ officium fecerant, eam, solito more, salutarunt. Vbi Almeirinũ peruenere, Isabella, & Beatrix, Emmanuelis filiæ, ad scalarum gradus, quibus in Aulam adscensus patebat, aduenere; &, cum descendere pararent, Regina, ne id facere possent, acceleravit, & ad genua prouolutas subleuauit, easq. humanissime complexa est. Reliquæ deinde virgines Reginam, manus osculo, salutant: quas omnes illa admodum benigne, cũ debita tamen maiestatis ratione, resalutat. Quibus cantibus, & saltationibus, & tripudijs, dies ille celebratus exstiterit, erit explicatu difficillimum. Sequenti die, Rex, peractis sacris, aurei velleris ordinem, a Philippo, Burgundiæ Principe, fundatum, & a successoribus singulari religione retentum, cuius Princeps, atque Magister, Carolus erat, ipsius Caroli iussu, consecutus est. Hiems illa tota fuit Almeirini in summa iucunditate consumpta.

Emmanuelis cum Leonora nuptiæ.

Res Indicæ.

Inde, appetente vere, Rex Eboram concessit. Hoc anno, qui fuit a CHRISTO nato MDXIX.

Annus nati christi 1519

misit Rex Emmanuel in Indiam sedecim nauium classem, cuius Georgius Albuquercius præfectus exstitit. Non omnes tamen instituta cursum tenere potuerunt. Nauis enim, cui Iacobus Limicus præerat, Olysipponem reflatu delata est. Ludouicus Guzmanus, cum naui, cui præerat, a fide desciuit, piraticam fecit, multaq. flagitia, & scelera indigna genere suo, designauit. Emmanuel Sousa, qui nauarchus erat rostratæ nauis, cum orã Aethiopiæ, Melindem versus, legeret, & portum Mantuæ (sic enim appellant) subiret, vt commeatum ab incolis emeret, fuit in terra a Saracenis, cum quadraginta viris Lusitanis, occisus. Nauem vero, cum ad insulam, quæ non procul Quiloa distat, turbida tempestate iactata, & vadis allisa fuisset, Saraceni diripuerũt, & Lusitanos omnes, vno dũtaxat puero, quem Rex Zamzibaris in fidem recepit, excepto, trucidarũt. Georgius Albuquercius, cum nouem nauibus, Mozambique hiemauit. Quattuor tantum naues in Indiam pelagus transmisere. Interim Iacobus Lupius Siqueira omnia, quæ ad bellum Arabiæ gentibus inferendum necessaria videbantur, summa ope comparabat. Et, quia maioribus copijs indigebat nauigio, quod facile fluctus exciperet, Gundisaluum Loulensem Mozambiquem ad Georgium Albuquercium misit, cui mandabat, vt inde Arabicum sinum peteret, vt coniunctis viribus Iudam expugnarent. Cum vero Siqueira melichiazij fraudes perciperet, eumq. multis incommodis Lusitanos affecisse cognosceret, Christophorum Salam, cum trire mibus tribus, qui oram Cambaiæ infestam redderet, expediuit. quod is diligenter effecit, & cum non mediocri præda reuersus est. Similiter & Antonius Saldagna, qui circa Guardafumẽse promontoriũ oras illas peragrabat, ingẽti præda, potitus, se ad Siqueiram contulit. Subid tempus, leuis a Rege offensio ita grauiter cuiusdam viri Lusitani animum exulcerauit, vt, oblitus fidei, pietatis, & religionis, Regem, a quo educatus fuerat, patriã, quæ illum genuerat, prodere, vitamq. suam in summum discrimen inducere, properaret. Fernandus Magallanus fuit vir nobilis, & magno animo præditus, cuius antea mentio facta est. Is in India bellicis in rebus non medio cre virtutis, & industriæ, documentum dederat. In Africa similiter viri valde strenui officio functus fuerat. Olim erat apud Lusitanos in more positum, vt in Regia, qui Regi seruiebant, ipsius Regis sumptibus alerentur. Cum vero multitudo domesticorum tanta fuisset, (eorum namque filij, qui Regibus operam dabant, eundem locum retinebant; & præterea multi in Regiam familiam meritis admittebantur) difficillimum videbatur, cibos tantæ multitudini præparare. Quocirca fuit a Portugalię Regibus statutum, vt sumptum, quem quilibet erat in Regia facturus, ipse sibi ex Regia pecunia faceret. Sic autem factum est, vt cuilibet certa pecuniæ summa singulis mẽsibus assignaretur. Ea vero, cum summa tunc annonæ vilitas esset, satis homines alebat. Nunc autem, cum & hominum multitudo, cum rerum venalium pretijs, multis accessionibus amplificata sit, factum est, vt illa pecunia,

Classis 16. nauiũ in Indiam missa, eiusq. successus.

Fernandi Magallani ad cæsellę Regem defectio.

Institutũ Aulę Lusitanicę

nia, quæ olim quotidianis sumptibus faciendis late sufficiens erat, nunc perexigua fit. Cũ tamen omnis Lusitanorum dignitas a Rege pendeat, huius exiguæ pecuniæ summa, quasi multo amplior esset, incredibili studio quæritur; &, cum, in Regiam familiam admitti, valde expetendum Lusitani iudicent, tum in stipendij huius incremento summum decus statuunt. Cum enim sint apud Reges variæ famulorum classes, pro classium dignitate cuilibet Regis domestico pecuniæ numerus assignatur. Maxima classis est virorũ nobilium. Sed, cum nobilitatis etiam discrimen sit, nõ vnum congiarium omnibus ex æquo tribuitur. Sic autem euenit, vt, pro congiarij magnitudine, de nobilitate vniuscuiusque iudicium fiat, & tanto quisque nobilior existimetur, quanto illius congiarium amplius exstiterit. Hoc quidem iudicium, vt sunt res humanæ, est sæpe fallacissimum. Multi namque, ambitione, & sedulitate, consequuntur, quod est meritis, atque germanæ nobilitati, tribuendum. Attamen Lusitani, cum sint præter modum huius nobilitatis appetentes, & paruæ pecuniæ accessione nobilitatem suam augeri putent, pro hac tam parua pecunia sæpenumero, tamquam in ea salus omnis, atque dignitas, vertatur, sibi pugnandum arbitrantur. Magallanus autem, pro meritis suis, contendebat, vt congiarium illius dimidio nummi aurei singulis mensibus augeretur. Rex, ne aditum ambitiosis aperiret, id denegauit. Magallanus, offensione huius beneficij, sibi eo tempore denegati, commotus, a Rege desciuit, fidem violauit, Remp. in summum discrimen adduxit. Et, cum Reip. iniuriæ nobis tolerandæ sint, & Regum etiam, qui reip. parentes sunt, offensiones perferendæ; & cum vita, quam patriæ debemus, pro ipsius patriæ salute ponenda sit, vir audacissimus tantum dolorem ex parte vnius aurei dimidia, quæ quinque denarios conficit, sibi negata cepit, vt Remp. oppugnaret; Regem, a quo fuerat enutritus, violaret; & patriã, pro qua mori debuisset, in discrimen adduceret. Res enim eo perducta fuit, vt periculosi belli discrimen rebus communibus impenderet. Nescio autem, vnde tam barbarus mos in Resp. irrepsit. Cum enim proditoris nomen sit non modo odiosum, & inuisum, sed etiam cunctæ posteritati maculam sempiterni dedecoris inurat homines, qui fidem violare, & Reges suos, aut Respublicas, oppugnare statuũt, munera, quæ acceperant, litteris consignatis obijciunt, fidem abiurant, se ciuitatis iure spoliant, Regem sibi suas res habere iubent, sibi nihil deinceps cum patria fore commune testificantur; & tum demum sibi moliri contra patriam bellum licere contendunt. Esto. aspernare munera, si lubet; contemne patriæ benignitatem; freme, quantum voles, tibi non esse præmium pro dignitate persolutum. Fidem vero datam prodere qui potes? Grauem mihi iniuriam patria intulit. Intulerit etiam grauissimam. Sed iniuria nec in parentibus, nec in patria, vindicanda est. Omnia, quæ a patria acceperam, inquit ille, reliqui. Numquid vitam, ingenium, disciplinam, abiecisti? Minime. At hæc omnia a Deo primum, a patriæ deinde legibus, & moribus, & institutis, accepisti. Neque naturæ repugnare, neque patriam lędere, neque fidem frangere, quamuis omnibus iniurijs oneratus sis, vmquam licebit. Immo vita tibi deserenda, & grauissima supplicia subeunda sunt potius, quam fidem violes, aut officium prodas. Abiura fidem, quantum voles; perfidiam tuam publicis literis contestare; insignem memoriam sceleris infandi posteritati relinque; nullis tamen testimonijs numinis offensionem, & dedecoris sempiterni maculam, vitare poteris. In eã tamen fraudem Magallanus impulsus fuit, vt arbitraretur, si publico testimonio fidem, & Regi, & patriæ, debitam, abiuraret, licere sibi fidem prodere. Id confestim exsequi minime dubitauit, & se continuo ad Carolum contulit; eumq. admonuit, insulas, quas Malucas appellant, quæ sunt vltra auream Chersonesum constitutæ, ad limites Castellæ pertinere, & ab Emmanuele Rege, contra pactionem iam factam, vsurpari. Ducebat autem secum Rodericum Falerium, qui se Astrologiæ disciplinã tenere profitebatur, vt eandem opinionem in animo Caroli altius imprimeret. Aluarus Costa, qui tunc legatus apud Carolum erat, Carolum adijt; necessitudines commemorauit; non esse illius amplitudine dignum, aures hominibus illis præbere. Eadem namque vanitate, & scelere, quo Regem optimum violarant, multa confingere. Proditorum nomen, cum reliquis hominibus, tum præcipue Regibus, esse detestabile, & exsecrandum. Reges vero, qui illis fauerent, pestem alere, qua Regium nomẽ ex hominum memoria deleatur. Carolus, cum esset natura benignus, ab hominibus illis audiendis deducebatur. Sed ab Hispaniæ proceribus persuasus fuit, ne, vllius affinitatis obtentu, imperium amplificare negligeret. Itaque statuit, naues Magallano, quibus aliam viam in Orientem aperiret, attribui. Fœdere namque inter Regem Ioannẽ secundum, & Regem Fernandum facto, cum regiones, quas ilibet explorare, & debellare, sine alterius iniuria, posset, definitæ sunt, statutum fuerat, vt Castellani non viam a Lusitanis factam, sed diuersam, sequerentur; vt videlicet, cum Portugalenses ad Solis ortum, Castellani ad Occasum, nauigarent, orbem marium, atque terrarum, conficerent. Sic autem cuilibet parti liberum erat, cum omnes maris, atque terrarum, tractus trecentis & sexaginta partibus definiti sint, centũ & octoginta partes ad peruestigandum, atque debellandum, sibi depoſcere. Limes erat Meridianus. Sic enim appellant lineam a Septem-

Refectionis Magallanicę causſa.

Inueterati cuiusdã proditorum moris reprehensio.

Magallanide quærẽdis maiucis insulis institutum.

Lusitanię, & Hispanię Regum fœdus, de nauigationibus Occanicis.

trione

Universidad de Deusto
Biblioteca

trione ad Austrum in cælo designatam: quia, cum Sol eam attingit, meridiem hominibus sub ea regione constitutis efficiat; quæ secundum longitudinem (sic enim spatium, Ortu, & Occasu, terminatum, nominant) circiter sex & triginta gradibus Olysippone distat. Error autem Magallani, & aliorum, qui vestigijs illius ingressi sunt, quo Malucas insulas ad ius Castellæ pertinere contendunt, a multis causis originem habuit. Primum quidem sic natura comparatum est, vt, cum primum aliquod iter incognitum habemus, quod non possumus certis montibus, aut amfractibus, & notissimis signis, definire, multo longius nobis appareat; maxime vero, cum nauigamus, vbi neque montibus, neque vallibus, nec vllis certis notis, possumus spatium finire. Deinde, qui maria incognita nauigant, vt maius, & admirabilius, facinus se confecisse glorientur, spatia multo ampliora faciunt, vt, quasi ex alio mundo in hunc redierint, ingentem admirationem efficiant. Accedit, vt etiam ipsi vectores, cum Astrologiæ imperiti sint, quamuis nullam vanitatem orationis adhibeant, fallantur, & cum varijs circuitibus maria peragrent, rectum iter se tenere putent. Sic factũ est, vt, cum inter Indum fluuium, & Gangem, spatium decem graduum, qui circiter passuũ millia septingenta conficiunt, interiectum sit, Ptolemæus triginta gradibus spatium illud definierit. Vir enim doctissimus terras illas non lustrauerat; quæ a viris fide dignis, imperitis tamen, acceperat, ea monumẽtis mandabat. Illi vero, cum ab Indo ad Cori promontorium, quod in Austrum longissimo tractu procurrit, nauigarent, & inde rursus in Gangem ad Septemtriones cursum inflecterent, quasi recta via, aut paullulum ad Austrum inflexa, nauigassent, itineris spatium metiebantur. Alia etiam erroris caussa nostris obiecta est. Cum enim vltra promõtorium Bonæ spei, aliud promõtorium, quod minus in Austrum prominet, flectere secundis velis niterentur, se multo maius iter confecisse putabant, quã propter maris impetum, naues in diuersa iactantis, facere potuissent. Ea namque ora, quę in illis regionibus ab Austro ad Septemtriones pertinet, longissimo tractu protenditur. Venti autem, qui ab ortu Solis fiant, sunt anniuersarij, & statis temporibus valde vehementes. Aestus similiter, propter immensam maris altitudinem, Lunæ cursibus nimis obiectam, incitatissimi. Ergo, cum fluctus ab ortu Solis ad oras maritimas Occidentis incredibili violentia contorti, & ab oppositis oris repercussi, in Austrum, qua facilior patet exitus, incitentur, & ex illo promontorio, quo diximus, in altum longius, quam credi possit, excurrant, nostrorũ in nauigando cursum retardant. Quod nostri non intelligentes, existimabant, se multo maius spatium confecisse, quam nauigando transmiserant. Hæc omnia nostris etiam eam erroris caussam attulerũt, vt regionum terminos satis imperite designarent, & ad Ptolemæi errata, alia etiam multa parum sapienter adiungerent. Hæc tamẽ controuersia inter Castellanos, & Portugalenses, hunc fructum Portugalensibus tulit, vt spatia multo diligentius explorarent. Hoc autem fieri commode non potuit, nisi per Lunæ defectus. Cum enim Luna, orbe pleno, interiectu terræ, vt fieri necesse est, certis temporibus obscuratur, illa splendoris amissio non ijsdẽ horis animaduerti potest: necesse namque est, cum citius in India, quam in Portugalia, quæ in Occasum vergit, nocturnæ tenebræ sint, vt, quamuis ille defectus vno tempore fiat, diuersis nobis horis appareat. Horarum igitur dimensione omnis controuersia tollitur. Qualibet enim hora quindecim gradus Sol progreditur. Obseruatum autem est ab hominibus peritissimis, qui a Petro Nonio, Mathematicorum principe, ad id diligenter instructi fuerant, sex horis ab Indi fluminis ostio, ad Olysipponis vrbis situm Solis cursum terminari. Horæ vero sex, gradus nonaginta conficiunt. Ab Indo autem fluuio ad vltimos Malucarum insularum terminos, qui ad orientem Solem spectant, duo & quadraginta gradus intersunt. Hos si nonaginta gradibus adieceris, centum & triginta duos efficies. Si vero sex & triginta gradus, qui Olysippone ad Occasum secũdum lineam illam meridianam, quam diximus inter Hispaniæ Reges fœdere definitam fuisse, vt Castellani contendunt, addideris, centũ & sexaginta & octo graduum summa fiet. Itaque, secundum hanc computationem, adhuc Portugalensibus duo decim gradus explorandi restãt, qui possunt, sine cuiusquam Christiani Regis iniuria, a Portugaliæ Regibus occupari: tantum abest, vt Magallanus, vel quisquam alius, insulas illas iure, atque merito, possit Castellæ Regibus adiudicare. Hæc tamen controuersia non mediocres in Hispania tragœdias excitauit, vsque adeo, vt Reges optimos, & cognatione, affinitate, & amore, coniunctissimos, interdũ ad intestinam seditionem sollicitaret: quod totum ab improbissimi hominis scelere ortum habuit. Vt vero ad illum redeamus, cum Emmanuel hominis scelus Costæ litteris accepisset, consilium habuit. Nihil tamen consilio conclusum fuit. Costa vero Magallanum ingentibus promissis onerabat, & interdum illum in sententia fluctuare cogebat. Cum tamen maiora sibi præmia ex instituto scelere, quam ex debita fide, proponeret, aures Costę promissis occlusit. Itaque, negotijs cum Carolo ex animi sententia confectis, Magallanus, & Falerius, Hispalim contendunt. At Falerium iam facinoris suscepti pœnitebat; & intra paucos dies, mœstitia confectus, morte obijt. Magallanus, cum quinque nauium classe, & cum suprema necis, atque vitæ, in reliquos

Erroris Magallanici de Malucarũ situ caussæ, & origines.

Molucẽsis cõtrouersiæ fructus, & Molucarũ ab Olysippone distantiæ diligens supputatio.

quos nauarchos, potestate, decimo die Augusti eiusdem anni soluit, vt terras, atque regiones, quas neque viderat, neque ab alijs exploratas audierat, sed suspicione tantum eas adiri posse consecutus fuerat, perlustraret. Sed nihil est tam arduum, quod non animus magnus, desperatione stimulatus, aggrediatur. Primum, oram prouinciæ Brasiliæ præteruectus, ad Austrum, vltra æquinoctialem plagam, nauigauit. Cum vero, mense Septembri, anno salutis MDXX. tres & quinquaginta gradus, ab æquinoctiali regione ad Austrum nauigando, confecisset, fretum reperit, cui nomen Magallani impositum fuit, vt sempiternum monumentum facinoris exstaret. Sed tantum frigus Hispanos miseros excruciabat, vt multi fœde perierint. Fretum vero, vt fama est, quadraginta millia passuum in longitudinem patet. Freto superato, rursus in æquinoctialem regionem, & in cælum mitius, atque tepidius, iter instituit. Varij interim casus hominem exagitarunt. Nam nauarchi cum reliquis Hispanis ab illo desciscere voluerunt, & ei insidias intenderunt; & quidam ex illis capitali supplicio affecti sunt; & ipse tandem, in insula, quam Matam appellant, cum opem Regulo, qui ab illo auxilium postularat, attulisset, post bellum cõfectum, ab ipso Regulo occisus per insidias fuit, vt proditor proditori pœnas eiusdem sceleris irrogaret. Duæ tantum ex illa classe naues (reliquæ namque amissæ fuerant) Tidorem, quæ insula vna ex Malucis est, peruenere. Vna ex illis, octauo die mensis Septembris, anno salutis MDXXII. Hispalim appulsa fuit. Alteram vero nauem, quia, dissoluta compage, aquam accipiebat, Hispani in insulam subductam refecerunt, &, onere accepto, profecti, Septemtriones versus iter susceperunt. Cum vero commeatus illos deficeret, & multi frigore interirent, retro cursum flectere coacti sunt. Ad Malucas autem appulsi, intellexerunt, Lusitanos, in insula, quam Ternatem appellant, commorari. Itaque ad illos confestim mittunt, qui diceret, vt hominibus Hispanis, & eadem religione deuinctis, opem in rebus desperatis afferrent. Nauem esse laceram; magnam partem hominum, qui ea vehebantur, absumptam; reliquos grauissimis morbis impeditos. Antonius Brittius, qui iam insulis, nomine Regis Emmanuelis, imperabat, Garsiam Hericum, cum nonnullis nauigijs, extemplo misit. Ab his Magallani comites fuere continuo recepti, & singulari humanitate tractati. Nauis fracta fuit, & illi, Lusitanis nauibus, in Iudiam deinde in Hispaniam, rediere. Hunc exitum classis illa parum felicem habuit. Sed, vt ad ea, quæ anno salutis MDXIX. inciderunt, reuertamur, nono die mensis Februarij, Aluarus Norogna, qui tunc Azamoris præfectus erat, in eam Mauritaniæ partem, quæ Enxouia nominabatur, cum ducentis & triginta equitibus, & centum peditibus, inuasit; hostes acri prælio fudit, ducentos atque decem captiuos abstraxit. Rursus, vigesimoquinto die mensis eiusdem, octo & quadraginta passuum millia progressus, in castra Nacerbenduмæ (is erat vnus ex Enxouiæ principibus) impetum dedit; duas illius vxores, & duos filios, & vnam filiam, & multos illius cognatos, cum magna aliorum hominum multitudine, captiuos abduxit. Dum rediret, quidam Lusitanus eques facinus inhumanum, & barbarum, edidit. Maura quædam, eleganti forma, quam Nacerbenduma filio suo desponderat, armillis argenteis, magni ponderis, brachia, & suras, ornarat. At Antonius Leitanus, (sic enim eques ille nominabatur) argenti cupiditate inductus, vt illud facilius captiuæ detraheret, manus, atque pedes, miseræ præcidit. Norogna illum multis male verbis accipit, argento spoliat, in custodiam tradit, & in Lusitaniam cum dedecore redire cõpellit. Rursus, vigesima die Martij, in alias eiusdem prouinciæ turmas Norogna aciem eduxit. In via, camelorum turmam multis rebus onustam cepit; deinde, primis tenebris, montis cliuum subijt; & itineris ducem admonuit, vt eum alia qua via saxosa deduceret, ne possent hostes illius iter ex equorum vestigijs animaduertere. Duabus deinde horis ad quietem datis, postquam rursus omnes excitati sunt, triplicem aciem instruxit, primam Antonio Lupio Siqueiræ, secundam Iacobo Melio attribuit, tertiam, in qua erat maior militum numerus, sibi reseruauit. Ad hunc modum, silenti agmine, profecti, in turmas hostium ex improuiso impetum fecerunt, easq. in effusam fugam compulerunt. Trecenti tamen & octoginta duo capti sunt, & præda ingens abacta. Hostes, sublato signo, conueniunt, & auxilijs vndique influentibus, exercitus non mediocris efficitur. Nostri ordine regrediuntur. Sed, cum Maurus quidam, ex fœderatis, vir sane fortis, nomine Zale Bembarqua, in nostrorum conspectu pulchrum aliquod facinus edere statuisset, solus in hostes impetum tulit. Norogna, continuo, vt illi subueniret, aciem in hostem direxit. Primo impetu, triginta ex hostibus cæsi sunt, & vnus vir primarius captus est. Reliqui eorum, qui cecidere, casu perculsi, substiterunt. Norogna, eorum impedimento liberatus, Azamorem exercitum ordine reducebat. Fluuius erat vado transeundus. Is, vbi vado appropinquauit, ne pecorum multitudo ordinem perturbaret, & transitum impediret, magnam illius partem Mauro cuidam fœderato donauit. Transmisso cum omni reliqua præda vado, duabus horis in hostium conspectu, qui citra vadum restiterant, cum exercitu cõquieuit, & epulatus est. Exspectabat autem, an hostes vellẽt vadũ, pu-

Freti Magallanici inuentio.

Aluari Norognæ in Enxouiam excursiones.

Ant. Leitani immane facinus.

Zalę nembar quæ præclarum facinus.

Alia eiusdem excursio.

Reg. Africanæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gnæ capessendæ gratia, transire. Cum illi id facere noluissent, Azamorem exercitum cum reliqua præda reduxit. Rursus xxv. die mensis Martij, cum alias turmas hostium adoriri statuisset, in Mauros palantes incidit; quinquaginta cepit; reliqui in fugam versi, illius aduentum, per omnia compita, & mapalia, nuntiarunt. Multi continuo confluxere; & Norogna, ne cum tanta multitudine manum conserere cogeretur, Azamorem, cum captiAlia excursio uis, reuersus est. Vigesimo autem octauo eiusdem mensis die copias eduxit, quibus quasdam turmas hostiles inopinantes aggrederetur. Sed, cum in via, præter opinionem, in magnum equitum numerum incidisset, Lansarotem Freitam, cum equitibus sexaginta, præmisit, qui in hostes impetum ferret; ipse cum reliquis subsecutus est. Fit atrox prœlium; ex hostibus multi cæsi; sexaginta capti sunt; reliqui sese, effusa fuga, ab imminenti clade ptoripuerunt. Inter captiuos fuit dux quidam eximius, Arhagus nomine, qui, cum centum annos natus esset, omnia militiæ munera diligenter administrabat. Trigesimo die mensis eiusdem, Norogna, cum otium ferre non posset, opidum muris munitum, quod Siner appellabant, improuiso adortus est, illudq. vi cepit; reliquam prædam Mauris fœderatis concessit; ipse Azamorem trecentos & quinquaginta & octo captiuos abduxit. Nec ipse solum hostes crebris excursionibus fatigabat, sed duces reliquos otio torpere non sinebat. Itaque Vascum Fernandium Cæsarem, antesignanorum ductorem, cuius virtuti plurimum confidebat, in varias partes mittebat, vt hostibus quãtam maximam posset perniciem inferret. Is, eo tempore, primum quidem, cum indicio cuiusdam captiui percepissel, in loco, quem Fornignum appellant, equitum turmam, vt fruges incenderent, coactam esse, in eam inuasit; nonnullos occidit, reliquos in fugam coniecit, ducem viuum cepit. Cum vero Norogna accepisset, in agro opidi Tilensis magnam hostium multitudinem versari, vt inde in segetes irruerent, & nostros, qui in campo vagabantur, inopinato aggrederentur, in eos eundem Cæsarem immisit. Is, cum impigre imperata conficeret, equites non inuenit; cum peditibus acre certamen iniuit, qui fortissime restiterunt. Omnis enim eorum salus in virtute consistebat. Nec enim poterãt pedibus equites insequentes effugere. Cum tamen multi cecidissent, reliqui in templum quoddam, quod prope eum locum situm erat, confugerunt. Ibi conglobati, sese animo maximo tuebantur. Sed tandem Cæsar, gradibus maxima contentione superatis, primus adscendit; deinde Franciscus Vascius speculator; tertius fuit scriba quidam, cui nomen erat Franciscus Rodericus. Reliquis animus additus est, vt idem facerẽt. Itaque in supremam templi contignationem subeuntes, in hostes irruunt. Cæsar, vnum ex ijs, qui acrius resistebant, complexus, e summo præcipitauit. Tanta vero pertinacia decertatum est, vt nullus ex hostibus euaserit. Neque solum gladijs, & pugionibus, verum & lacertis, cum multos artissime vincirent, eos in terram e summo detrudere contendebant. Hoc prœlium, quamuis pro numero militum exiguum videretur, victoribus tamen in laude non mediocri positum fuit. Erant enim hostes fortissimi, & cum maxima pertinacia e loco superiore resistebant; &, in vltimo discrimine constituti, nullus eorum in deditionem venit. Omnesq. tandem in vestigio mori, quam in seruitutem abduci, maluerunt. Cæsar, paucis post diebus, ab Emmanuele accersitus fuit, vt cum classe Gaditanum fretum tueretur. Vmbre opidum est Enxouiense, in edito loco situm muris, & mœnibus, & propugnaculis, munitum; quod Azamore octo & viginti millia passuum distat. Imam vallem fluuius præterfluit, vnde collis in opidum valde accliuis assurgit. Hoc opidum Norogna ex improuiso capere summe concupiuit. Itaque decimo die Aprilis eiusdem anni in opidum inuadit; minoribus tormentis propugnatores exturbat; scalas muris admouet; mœniaq. diu totis viribus oppugnat; oppidani summa contentione resistunt. Cum autem Norogna, se frustra eo genere oppugnationis vti, conspiceret, aliud excogitauit. Viros acerrimos elegit, qui cum securibus, quamuis maximum periculum e mœnibus immineret, in portas inuaderent. Hi, neque saxis, neque missilibus, impediri potuerunt, quo minus fores cardinibus euulsas introrsum impellerent. Hoc enim Norogna præceperat, vt cardines tantum, quo citius opus absoluerent, securibus excindere conarentur. Aditu in opidum patefacto, nostri confestim irrumpere conati sunt. Hostes conglobati, acriter, & diu, resistunt. Nostri cum magna hostium cæde, tandem ingrediuntur. Hostes vero sese per cliuum deijciunt, & fluuium petunt; multi, cum per cliuum præcipites ruerent, dilacerati sunt. Magnus hostium numerus cæsus fuisse dicitur; ducenti quinquaginta & sex capti. e nostris decem tantum vulnerati fuerunt. Norogna, re bene gesta, (nec enim opidum præsidio munire, sed hostes exterrere, decreuerat, vt intelligerent, nullum sibi locum, quantumuis egregie munitum, periculo vacuum fore) copias in vrbem integras reduxit. Rursus, octauo die mensis Octobris, vt Allimaimonis (erat autem is insignis inter Mauros dux) turmas opprimeret, egressus est. Sed, cum alios Mauros obuios haberet, quos captiuos duxit, & intelligeret, se hostes iam fallere nullo modo posse, regredi mature constituit. Rursus, decimoquarto die, speculatum misit, vbi duces quidam, qui camelorum turmam, quæ Safinio Azamorem

Siner opidũ, aprum a Lusitanis.

Vascí Fernãdij Cęsarisin Mauros eruptio.

Eruptio eiusd. malia.

Vmbris opidi expugnatio.

Cæsorum, & captorum numerus.

Norognæ in Mauros eruptio.

rem agebatur, ceperant, & quendam primarium virum ex Mauris fœderatis in seruitutem abduxerant, castra posuissent. Speculatores tres Mauros capiunt, quos ad Norognam perducunt. Illi nuntiant, castra hostium quatuor & quadraginta passuum millibus abesse. Is nullam moram interposuit, quin ad illos de nocte contenderet. Sequenti die, se in latebras coniecit, ne ab hostibus sentiri posset.

Tamarochiũ opidum.

Inde, primis tenebris profectus, Tamarochiũ iter direxit. Prope namque opidum illud hostium castra posita audierat. Ibi triplicem aciem instruxit, & singulis ducibus, quid fieri ab vno quoque vellet, imperauit. Deinde explorato cum incredibili celeritate in hostes inuectus est, & eos incautos oppressit; &, illis partim cæsis, partim in fugam compulsis, castrorum partem diripuit; prædamq. pecorũ, & armentorum, & camelorum, & equorum, cum ducentis & quinquaginta captiuis, abduxit. Ne vero nostri, nimia prædandi cupiditate, dissiparentur, & interim ex omni vicinitate maxima subsidia, vt fieri solet, hostibus aduenirent, receptui signum dedit. Media nox erat, cum copias suas a castris hostium reuocauit. Hostes interim vndiq. prouolant; &, quæ cuique tela sors offerebat, festinanter arripiunt, atque primum fustes, lapides, atque missilia, torquentur tanta vi, vt maximum nostris damnum inferrẽt. Duabus horis acerrime dimicatum fuit. Interim, prima luce, nostri, quanta esset hostium multitudo, clare cernunt. Tum Norogna suos rursus instruxit, & verbis ad certamen acrius ineundum excitauit. Et, cum ex equo desiluisset, quem lassitudine confectum esse sentiebat, in alium conscendit. Res iam non lapidibus, & missilibus, sed hastis, & gladijs, acerrime gerebatur. Is autem, sensim, ordine minime perturbato, cedebat, & interdum aciem in hostes conuertebat, vt eos ab insequendo retardaret. Cum vero in hostem, nimis in lacessendo pertinacem, equum calcaribus admotis concitaret, illum hasta transfixit. Sed, cum ex hostis strati corpore hastam extraheret, fuit, secundum galeam, tã grauj plaga percussus, vt ex equo, omni sensu prorsus amisso, decideret. Vascus Fernandius Cæsar, qui iam, propter annitempus, ex classe redierat, subito accurrit. Alius item vir fortissimus, nomine Martinus Egidius, cum alijs nonnullis, opem festinanter attulit. Hi tantisper hostium impetum sustinuerunt, dum Norogna suorum auxilio recreatus, sensum paullatim reciperet, & in alium equum, quem ei famulus illius obtulerat, adscenderet. Deinde postremum agmen Ioanni Freitæ, & Regio procuratori, commisit; ipse in primum agmen, cum Regio signo, se contulit. Erat enim viribus destitutus, quibus posset in agmine postremo hostibus, qui nostris acriter instabant, obsistere. Qui erant in postremo agmine, res memorabiles effecerunt.

Norognæ victoria.

Prœliũ redintegratũ atrociter,

Norognæ discrimẽ, ex vulnere.

Nec enim solum prœlij molem inuicto animo sustinebant, verum & multos interimebant. Sole exorto, hostes grauius nostros premebant, & nostri vicissim multo acrius repugnabant. Nostri tamen, sine vlla perturbatione, prædam inuitis hostibus Azamorem perduxerunt. Ex hostibus ducenti cæsi sunt. E nostris nemo deperditus fuit, quamuis multi vulnerati, & debilitati, & quidam etiam membris capti e prœlio discesserint. Fuit hoc facinus memorabile, quod magnum hostibus metum iniecit. Aluarus enim Norogna, cum ducentis & quinquaginta tantum equitibus, & triginta quinque peditibus, ex vrbe egressus fuerat. Mauri Enxouienses quingentos equites, & magnum peditum numerum, contra nostros eduxerant. Et, quia primum ab hostibus lapidibus certatum fuerat, euenit, vt nomine lapidum diu celebratum factum illud exstiterit. Lapideam namque eam hostium incursionem milites appellabant. Hoc facto, multi ex hostibus pacem petiere, & se sub Emmanuelis imperium subdidere. Ioannes Coutignus, sub id tempus, cum in pagum maximum, in quo fortissimi equites habitabant, inuadere statuisset, ab Odoardo Menesio auxilium postulauit. Is illi centum equites misit. Eorum dux Andreas Henricus exstitit. Coutignus, primis tenebris egressus, ductoris incitia, nequiit in pagum, nisi clara luce, peruenire. Sed, cum fama præcessisset, (non potuit enim tanto silentio acies educi, vt non hostes, quo intenderent nostri, ex his, qui in agris vagabantur, explorato cognoscerent) Coutignus pagum prope desertum reperit. Maxima enim pars incolarum diffugerat. Illi tamen, qui restiterant, acriter repugnarunt. Sedecim tamen cæsi sunt, quatuor & quadraginta capti. E nostris tres ceciderunt. Coutignus inde, cum præda, commodiore via se recipere maturauit. Illa autem via, quam reliquit, Petrus Lupius Azeuedius cum equitibus septem veniebat. Hostes vero, auxilijs vndique subito accitis, in septem illos irruunt, & primum Aluarum Vasceum Tauirensem occidunt, deinde Azeuedium illi subsidio celeriter occurrentem interimunt; & famulus quidam illius, dum patronum tueri contendit, similiter occumbit. Gasparem quoque Cugnam tribus iaculis hostes configunt. His cum opem antesignanorũ ductor afferre voluisset, equus illius confossus fuit; ipseq. summum vitæ periculum adiuit; filius eius, duobus in se iaculis emissis, grauissime vulneratus fuit. Erat locus angustus, quẽ hostes petebant, vt nostris exitum interclude rent. Eũ locũ vt primus occuparet Coutignus ea via, qua iter faciebat, accelerauit. Ibi eos, qui ab hostibus se recipiebant, excepit; &, sagittarijs oppositis, hostes aliquantulũ ab insequendo retardauit. Angustiæ fuerunt, cum

Infignis Lusitanorum victoria.

Io. Coutigni excursio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

maximo labore,& ingenti periculo,superatę. Coutigno, postea quam ex eo loco egressus fuit, exploratores renuntiant, incredibilem hostium multitudinem aduentare, vt iter illius impedirent. Is cum hunc nuntium accepisset, multo celerius copias,cum præda non magna,domum reduxit. Multi quidem ex hostibus ceciderunt: ita namque nostri eorum impetum sustinebant, vt multis necem afferrent: periculum tamen fuit grauissimum. Parum enim abfuit, quin Coutignus ipse, cum omnibus suis copijs,interiret. Nō multis post diebus, Emmanuel Mascaregnas a Ioanne Coutigno sexaginta equites postulauit, quibus excursionem,quam animo destinarat,faceret. Cum his copijs egressus, in fluuium, quem Benamarensem appellāt, iter instituit. Eo deinde transmisso,montem subijt; &,cum Sol in occasum vergeret, cum non mediocri præda, & quinque tantum captiuis, domum redibat.Cum vero ad pagum,quem Benamarensium appellant,in ipsius montis lingula situm,accederet, hostium concursus vndique fit. Mascaregnas paullatim cessit,atque tandem substitit, vt eos, qui nondum se receperant,exspectaret. Interim centum sagittarij cetrati,cum nonnullis equitibus,cōferti constiterunt,& vim sagittarum in nostros immiserunt.Hic Petrus Menesius,itineris dux,Mascaregnam admonuit, vt boues, & pecorum greges,cum presidio in fluuium præmitteret. Hostes enim ripam molibus obiectis munire conari; vt transitum impedirent. Mascaregnas decem equites cum præda in fluuium misit, quibus curam dedit, vt hostes opere prohiberent. Id vbi hostes conspicati sunt, multo acrius institere. Tum Menesius, Prælium,inquit, vitari non potest. Hic enim, aut in fluminis ripa, necessario committendum est. Quocirca censeo,vt hic potius in loco liberiore,quam in fluminis trāsitu, prœliū ineas. Sententia,inquit Mascaregnas, placet. Agite,commilitones: instate,& cædite. Hæc vbi dixit,equum incitauit. Cum vero equus esset summa pernicitate, factum est, vt solus,ante quam eum quisquam consequi posset, in hostes irrueret,& vnum equitum ex equo deturbaret. Hostes,in illum repente,infestis hastis, inuecti sunt. Arma fuerunt impedimento, quo minus occumberet. Equus tamen occisus fuit. Petrus Menesius,& Antonius Coutignus,& Ludouicus Valens,primi, vt Mascaregnam ex circūfusis hostibus eriperent, equos incitarunt. Tum reliqui,tanto impetu,in hostes inuaserunt, vt aciem continuo dissiparent.Sex & septuaginta occisi sunt, & quadraginta duo capti. E nostris nemo desideratus est; multi tamen vulnerati sunt. Paucis post diebus,Rex Fessensis,cum tribus equitum millibus, in Arzilienſem agrum inuasit. Nihil eo die memoria dignū, vel ab illis, vel a nostris, gestum est;nisi mors Arroazij, viri fortissimi, cum quo Emmanuel Mascaregnas congredi cupiebat. Is tūc Habrahemi latus claudebat, cum vnius ictu pilæ plumbeæ,quam sutor quidam,qui cum fistula ferrea ex equo depugnabat,emiserat,concisus,occubuit. Similiter & sutor,alia pila ab hostibus percussus,non suto ris,sed egregij militis,mortem obijt. Hostem enim strenuum,qui multis Christianis necem attulerat,interemit. Dum hæc fiunt, Nonius Mascaregnas, Safinienſis vrbis præfectus,pace,quam cum Garabiensibus Mauris fecerat, valde fretus,nihil in illos hostile moliebatur. Cum vero accepisset, eos a fide desciuisse, id minime ferendum esse decreuit. Duo vero Mauri Garabienses illi fidem dederunt,se Ducem Fessensis Regis, qui Garabienses ad defectionem sollicitarat,occisuros. Eos,non magnis muneribus, Mascaregnas(gens enim est natura venalis, & ad facinus scelestum propensa; & ita fit,vt mediocri mercede operam suam locare solita sit) vt in promissis manerent,confirmauit.Itaque,& sponte sua, & muneribus,allecti, Ducem interfecerunt. Garabienses sedes commutabant, & sibi valde metuebant. Occiso vero Duce, cuius virtute, & consilio,nitebantur,pacem a Mascaregna postularunt, & tamen illius obedientiæ pretium aliquod petierunt. Respondit Mascaregnas, non mediocre officij pretium esse, liberam agrorum colendorum facultatem. Hoc responso minime contenti, cum mauro, Oleidambramo nomine,fœdus percutiunt. Deinde,cum prope salinas castra ponerent, Dabidenses,qui tunc in fide permanebant,acri bello vexabant. Dabidenses Mascaregnæ nuntiant, hostes in eos, die præstituta, cum magnis copijs, impetum facturos. Is ducem antesignanorum, cum equitibus septuaginta,& Zaidem, cum Maurorum acie, illis subsidio misit.Hostes,cum Lusitanos aduenisse cognoscerent, & suspicarentur Mascaregnam adesse, congressum illius formidantes, se receperunt. Dabidenses in illos inuecti sunt. Hostes,cum valde premerentur, aciem in Dabidenses conuertunt, quattuor interimunt, reliquos cedere compellunt. Sed, cum aliquot ex nostris subsidio venirent, hostes repressi sunt. Sic tunc, non magno vtriusque partis incommodo, prœlium diremptum fuit. At Mascaregnas, cum post hoc prœlium per exploratores certior factus esset, omnes copias Garabienses ad salinas castra locauisse, neque procul inde Oleidambramensem exercitum constitisse, ducentos & quinquaginta equites, & centum & viginti pedites, cum scorpionibus, & ferreis fistulis,eduxit;& septem equites Dabidenses voluit secum ducere,vt testes essent pœnarum, quas a Garabiensibus expetere statuebat.Quarto die Nouembris,huius anni,qui fuit MDXIX. post meridiem Safinio protectus est. Cum vero vigiti quattuor millia passuum progressus esset, conquie-

Mascaregnæ excursio in mauros.

Atroazij cædes.

Bellū aduersus Garabienses rebelles.

Fessensis Regis Dux proditorie necatus.

Prœlium.

Mascaregnæ periculum.

Lusitanorum victoria.

Fessensis Regis in Arzilienſem agrū irruptio.

Lusitanorum victoria.

conquieuit. Castra duodecim passuum millia aberant. Noctis igitur silentio, profectus, cum primum diluxit,acies duas instruxit;primam antesignanorum ductori assignauit, secundam ipse duxit. Itaque duabus partibus Castra tanto impetu est adortus, vt omnia terrore, & trepidatione,atque cæde,compleret.supra trecentos hostes cæsi sunt;capti centum & septuaginta & sex. Hoc metu coacti plerique sunt pacem rursus petere, & tributum, vt antea soliti erant, persoluere. Cum tamē non omnes ad Emmanuelis nomen adiungi vellent,sed,Xerifij præsidio freti, agros colerent, qui quadraginta quattuor millia passuum Safinio aberant, eos Mascaregnas etiam domare constituit.Locus, quem sibi ad habitandum delegerant, Mizquella nominatur.Ne autem fœderati,qui in Safinienſi agro castra fixerant,fidem frangere, & cum hostibus coniungi, possent, exspectauit diem, in quo mercatus, more solito, erat constituendus, in quem multi fœderati conueniebant. Cum primus mercatus dies aduenisset, is Maurorum principes,tamquam obsides, domi,per speciem humanitatis,quasi aliud ageret,sine offensione retinuit. Et, ne indicium rei vllius fieret,portas occludi iubet. Itaque, primis tenebris, cum equitibus ducentis, & sexaginta peditibus, profectus est.Cum vero octo millia passuum processisset, quattuor equites speculatum misit, & locum,in quo eū conuenturi cum indicio essent, illis assignauit. Aliquot autem horis ad quietem datis, milites excitauit;& montes,& inuia,per agra uit,ne vestigiis posset quispiam,quo ille intendebat,cōiectura prospicere. In nemus autem densum,prope fluuium,lolgum nomine,abditus,iterum cum exercitu conquieuit. Vbi vero Sol occidit, rursus iter institutum tenuit, donec ad templum Mahumetanis institutis dedicatum peruenit,quo iusserat, vt speculatores conuenirent. Ibi nemini, propter metum leonum, quorum maxima copia in illis locis erat,dormire licuit. Septima ferme noctis hora,speculatores venerūt,atque renuntiarunt, hostium castra inde passuum viginti millibus abesse.Mascaregnas viginti pedites, qui, lassitudine confecti, gradum facere nequibant, & equites decem, quibus non valde confidebat,in illo templo reliquit;reliquos pedites iussit,post ephippia,equorum tergis insidere.Iam tenebras aurora dispellebat, cum ad locum, in quo castra hostium posita fuerant, peruentum fuit.Blasius Siluius,qui primum agmen ducebat, cum cētum equitibus, vt fuerat a Mascaregna iussus, in vallem descendit.At,cum illi, qui cum Siluio ibant, agmine simplici,gradum celerius,quā par erat, inferrent, & vnus ex postremis ex equo decidisset,quindecim,vt illi opem afferrent, substiterunt. Deinde, cum Siluium sequi vellent, & is iam sese longius ab eorum conspectu remouisset,viam,quæ in collem ferebat,tenuerunt. At Mascaregnas eorum vestigijs institit. Existimabat enim, Siluium, eo fortasse quod audisset hostes locum mutasse, in eam viam ingressum fuisse.Qui in collem primi adscenderant,ingentem clamorem, atque tumultum, in valle sublatum,auribus acceperunt. Quidnam autem sibi faciendum esset,explicare nō poterant.Vnus ex eis,a reliquis ad Mascaregnam missus,& errorem aperit, &, quid illis faciendum esset, interrogat. Mascaregnas acceleravit,&,Siluium iam prœlium cum iis, qui erāt in valle,commisisse,clarissimis argumentis accepit. Tres maximæ turmæ in colle castra posuerant, & duæ similiter in valle tabernacula collocarant.Mascaregnas, cum eo iam peruenisset,veritus,ne,si opem Siluio inferre vellet,hostes a tergo vehementius instarēt,nihil existimauit commodius fore, quam proximos hostes aggredi,vt,his deuictis,tutius posset Siluio opitulari. Itaque prœlium acriter iniuit; multos occidit; viuos septuaginta cepit.Pecora,& armenta, quæ iter impediebant,ferro concidere iussit, ne quid obstaret,quo minus subsidio suis accurreret. Hostibus ad hunc modum ea parte deuictis,Mascaregnas in vallem descendere festinabat. Sed, qua parte nostrorum vestigia ferrent, ignorabat;& hostes e fuga redeuntes,qui postremum illius agmen carpere cōtendebant, illos impediebant, ne regiones agnoscerent. Sed,cum clamores,in cælum sublati,ad aures hostium,qui nostros insequebantur,peruenirent,illi,vt suis opē ferrent,occurrunt.Mascaregnas, id, quod erat,suspicatus,iter illud idē suscepit. Siluius rem præclare gesserat, multos occiderat, prædam ingentem e castris eduxerat. Sed hostes, a timore refecti, cum multis equitibus valde strenuis, qui eo, clamoribus excitati,confluxerant, eum acriter vexabant. Mascaregnas, viginti equitibus, & quinque præterea militibus, cum scorpionibus,& aliis quinque,cum ferreis fistulis, (hi omnes ex equis sagittas,& glandes,iaciebāt) & fœderatorum Maurorum subsidiis, vt gradum celerius inferrent, imperauerat. At hi Siluium,& omnes,qui eum secuti fuerant,hostibus circūuentos inueniunt.Sexaginta tantum equites Siluium stipabant.Reliqui enim abire cum præda iussi fuerant. Eo tempore Siluius tribus magnis vulneribus sauciatus erat.Garsias Decius totidem vulnera accepe rat,& equus etiam illius vulneratus fuerat. Aliquot viri nobiles, quorum equi fuerant occisi, pedibus, magno cum periculo, decertabant. Quidam Ioannis Magallani filius pedem hasta transfixum trahebat. Franciscus Nouius letali vulnere percussus erat. Antesignanorum ductor, non leuiter sauciatus, in prœlio versabatur. Quidam Mascaregnæ famulus Maurum fortissimum aggressus est, qui certamen minime recusauit. Sed, cum

Bellum cum Garabiensis rebellionis reliquiis.

Stratagema.

Siluii victoria.

Siluii socio-rumq. discrimen.

Duellum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

libenter alter alteri coniungeretur, ita copulati sunt,vt nec hastis, neque gladijs, vti possent.Lacertis acerrime decertarũt. Vterque enim eorum hostem ex ephippio detrudere conabatur.Ambo tandem in terram brachijs artissime colligati conciderunt . Alij multi erant vulneribus concisi; & res in vltimum discrimen adducta . Nostri tamen , ne inulti morerentur, operam strenue nauabant. In hoc statu res erat,cũ subsidia venerunt. Quibus nostris animus additus est, & hostes illis aliquid laxamenti dederunt. Itaque liberius, campo magis aperto,depugnabant. Mascaregnas, cum periculum, in quo nostri erant, animaduertisset,accelerauit . Mauri , cum illũ agnoscerent,multo plus,quam antea fecerãt, de pugnandi contentione remiserunt. Mascaregnas,cum iam liberũ iter adspiceret, ordine suos reduxit . Hostes a tergo ferociter instabant . Sed , cum ordo minime turbaretur, &,quoties nostri in illos equos conuerterent, graue damnum acciperent, nihil minis,& ferocitate,inuabantur . Locus erat siluestris,& aditus perangustus , & loci frequentes, arcti, & confragosi, semitis imminebant.Has angustias hostes vt occuparent,summam celeritatem susceperunt. At Mascaregnas,cum ad illas angustias ventum fuit , aciem ex vtraque parte scorpionibus, & fistulis, muniuit . Cum aliqui, ad hunc modum, sagittis, & pilis, icti, concidissent , reliqui nostros insequi destiterunt. Hoc facto,vt vulnerati curarentur,diligentiam summam Mascaregnas adhibuit. Deinde paullatim, ne vulnerati grauius afflictarentur, ad Diucem fluuium peruenit . Sequenti die, Safinium,cum captiuis,& ingenti præda , cum Sol in occasum præcipitaret , ingressus est . Ex hostibus , centum & quinquaginta cæsi sunt.Cum enim nõ liceret,propter itineris longinquitatem , eos insequi, factum est,vt non multo plures occumberent . E nostris Franciscus Nouius,in itinere,e vulnere, quod acceperat,mortem obijt. Sex dies Mascaregnas in hoc facto consumpsit:quod ingentem hostibus terrorem præbuit . Iam neque munita propugnacula dicebant,neque itineris magnitudinem eos ab imminentibus dies atque noctes cladib. tutari posse. Nihil enim esse, quod hominem , audacia summa præditum,& in rebus gerendis industrium,& admirabili sagacitate, & astutia, confirmatum,ab hostibus perpetuo vexandis retardaret.Itaq. pacem petunt ; imperium accipiunt ; obsides dant; & tributum sine recusatione persoluũt. Hæc in Africa gerebantur . In India vero, anno insequente , Iacobus Lupius Siqueira , qui Suario successit , magnam classem , vt in Arabicum sinum penetraret, instruxit . Classis erat nauium viginti sex . Milites Lusitani duo mille,& Indi mille.Mense Februario Goa soluit . Alexium Menesium , qui Indiam interim gubernaret,Goæ reliquit.Antonium autem Saldagnam cum quinque nauibus ante præmiserat , vt in Zacotora , quid in Rubro mari gereretur,exquireret.Eundem vero Saldagnam non procul a Guardafumensi promontorio offendit . Quo in loco Petrus Vascius Vera,quem Suarius inde ad Emmanuelem miserat, ad illum venit . Ab Emmanuele namque in eum locum redire iussus fuerat, in quem sperabat Siqueiram ea opportunitate temporis affuturum : quod eum minime fefellit . Vera litteras ab Emmanuele ad Siqueirã deferebat , quibus illum , vt Arabicum mare teneret , stimulabat . Aquatione in Metensi portu,qui est in Aethiopię litore,facta,in Arabicum mare cursum direxit . Nauis illius in cursu fracta fuit . Omnia,quæ illa vehebãtur, præter homines, hausta sunt . Siqueira in nauem,cuius præfectus erat Petrus Faria , trãsscendit.Cum in ostium sinus Arabici penetraret, aduersis tempestatibus impeditus, Iudã, quo intendebat, deferri non potuit.In insulã, Mazuam nomine , de communi omnium sententia,subuectus est.Ea insula Aethiopiæ intimis litoribus adiacet, & ad ditionem Regis Aethiopiæ , qui Matthæum legatum ad Emmanuelem miserat,pertinebat.Incolæ,classis formidine perterriti,in continentem traiecerant . Est in continente opidum , Archiquum nomine,quo se contulerant.Siqueira insulam petierat,vt inquireret , vtrum Matthæus verus legatus Regis exstiterat, an,vt Alfonsi Albuquercij inuidi confirmabant , vaniloquus , & præstigiator esset. Archiqui Præfectus,cum accepisset,classem Lusitanam esse,Siqueiram, per litteras,humanissime salutauit.Seq. gratias ingentes Deo agere testificatus est,quod antiqua prophetarũ oracula euentu felicissimo comprobaret . Hoc enim a viris olim Diuinis,qui in regionibus illis maximum admirandæ virtutis specimen dederãt , prædictum fuisse ; fore , vt eo tempore Christiani, terrarum,& marium, interuallis disiunctissimi , in eas oras classe peruenirent. Siqueira nuntios benigne accepit,& bombycinis vestibus ornauit; ad Præfectum vero misit vexillum sericũ, pulchre factum , in quo rubra Crux erat intertexta . Præfectus,cum signum præferri accepisset, in litus accurrit . Supra duo hominũ millia cum illo venerunt : qui omnes , cum signum Crucis in vexillo vidissent , in terram se proiecerunt , & Christi nomen, cum admirabili pietatis studio,sæpius inclamarunt,ita, vt Lusitani,qui aderant,lacrymas tenere non possent . Præfectus tandem in litus peruenit, & eo Siqueira se contulit , & Matthæus simul aderat,qui fuit ab omnibus,cum eximia gratulatione , & honoribus summis , acceptus . Post colloquium,Siqueira,cũ Matthæo,in classem redijt . Inde Petrus Gomezius Teixeira , qui iuridicundo, cũ nõ mediocri integritatis laude,præerat,Siqueirę permissu,aliquot passuum millia progressus, ad monasterium magnum

Sibute missũ subsidium.

Cæsorum numerus.

Res Indicæ.

Metensis portus.

Siqueię naufragium.

Mazua insula.

Archiquum opidum.

Aethiopiæ monachorũ caritas insignis.

gnum peruenit;& a monachis,cum admirabili significatione caritatis,exceptus fuit. Is mira de illorum religione,& abstinentia,memorabat.a quibus tamen scisciatus est , cur non Ecclesiam Romanã , quæ summum in vniuersa Republica Christiana principatum tenebat,agnoscerent.Respondent illi,se Pontificis Maximi nomen,vt par erat,debita pietate venerari;sed, quo minus Romam libere cõmearent,Saracenorum,& Turcarum, armis impediri.Eo tempore, quo Siqueira in insula commoratus est, insulã perlustrauit , & cisternas , aquationis faciendæ gratia, diuisit,& locũ,in quo arx cõmode ædificari posset , designauit . Sed nec vllus locus erat satis idoneus;& munitiones,quas naue sua ad arcem muniendã deportabat,naufragio perierãt.Portus est optimus;sed solum macrum,& sterile,& aquæ summa penuria. Ambitus vero insulæ octo millia passuum non continet.Archiqui Præfectus,ad Barnagasium (sic enim Principem ,qui regionem illam nomine Regis moderatur,& ab hostium incursione defendit,appellant) litteras statim dedit,quibus nostrorum aduentum nũtiabat. Is,sine vlla mora, magna equitum,& peditum,multitudine constipatus,aduenit. Siqueira in terram descendit , & suos instruxit; &,paullulum a litore digressus, Barnagasium exspectauit. Is vicissim ducentos equites , & duo millia peditum , ad ictum sagittæ, ordine constitui iussit.Ibi , prope litus, alter alterum humanissime cõplexus est. Multis deinde verbis vltro citroq. habitis, dum quilibet eorum alterum amoris insiti testificatione superare nititur,&,nomine Regis sui , omnes Regni opes pollicetur,bona dici pars consumpta fuit. Pace sollemni ritu confirmata , Barnagasius in opidum, Siqueira in classem,se continuo recepit. Muneribus deinde vltro citroq. missis certatum est . Siqueira tandem a Barnagasio postulauit,vt legatum, quem Rex Emmanuel ad Regem Aethiopiæ mittebat,deducendum curaret.Barnagasius id Archiqui Præfecto cõmisit.Legatus,in Odoardi Galuani locum suffectus, Rodericus Limicus fuit ; cui adiunctus erat sacerdos, nomine Frãcisci Aluarus,qui librum huius legationis edidit.Matthæus,cuius iam fides erat vniuersæ propemodum Aethiopiæ testimonio comprobata , cum illis simul ibat.Qui tamen,cum circiter septuaginta passuum millia progressi fuissent,in cœnobio,quod Bisam appellabant, mortuus est.Rebus ita constitutis, Siqueira insulam Dalazã , quæ a Saracenis colebatur,exusit ; inde vela dedit ; & Armuzium petijt ; & in Calaiatensi portu Georgium Albuquercium offendit;qui cum veniret,vt fuerat iussus,in Guardafumẽse promontoriũ , & ibi Siqueiram minime reperiret, Armuzium versus cursum direxerat. Qua ratione motus Siqueira , Iudam non oppugnarit,incertum est. Siue enim semper aduersa tempestas exstitit, siue inutilem vrbem illam Regibus Lusitaniæ fore statuit,siue quid aliud obstiterit, hoc certe constat,classem illã tantis sumptibus instructam,& ornatam, hoc vnum tantum opus effecisse , vt Matthæi fidẽ exploraret,& Lusitanum legatum in Aethiopiæ finibus,vt ad Regem deduci posset a Christianis,exponeret. In Augusti mẽsis exitu,Siqueira in Indiã nauigauit; in cursu duas Arabum naues cepit, classem ad Dium applicuit; &,cum intellexisset , vrbem esse militum præsidio,& armorum,& tormentorum,multitudine,egregie munitam,& ipse classem quassatã, & copias imminutas,duceret,(magnam enim illarum partem morbi consumpserant)quam uis in mandatis haberet,vt eam vrbem oppugnaret,id nullo modo tunc tentandum existimauit . Melichiazius aberat. Siqueira filium Melichesagam,per nuntios,salutauit;& ab eo similiter salutatus,& muneribus affectus fuit. Cochimum tandem peruenit , vbi Georgium Brittium offendit , qui hoc eodem anno Olyssippone, cum classe nouem nauium,profectus fuerat. Ex classe Siqueiræ duæ tantum naues amissę sunt . Prima fuit prætoria, qua ipse Siqueira vehebatur.Altera fuit triremis , cuius erat nauarchus Hieronymus Sousa;quæ,cum demersa fuissęt , vndecim tantũ homines euasserunt, in quibus ipse Sousa fuit. Qui cum per oram Arabiæ pedibus quadraginta passuum millia confecissent , in opidum tandem, quod ad ditionem Regis Armuzij pertinebat, maximo cum labore, peruenerunt . Ibi ab opidi Præfecto hospitaliter accepti,& vestitu culti, & pecunijs adiuti , & Calaiatẽ perducti sunt. Hoc anno res parua, si numerus militum censeatur ; satis vero magna , si magnitudo animi,qua perfecta fuit,ponderetur , apud Septã euenit.Duo piratæ fratres,qui Tetuamum incolebant , duabus longis nauibus quattuor iã annis Gaditanum fretum,& oram, quæ extra frecum in Austrum inflectitur, infestam reddiderant.Septę præerat Gomecius Siluius Vasconcelius. Vnus ex piratis inter insulas obiectas occultari voluit, vt inde in naues aliquot imparatas inuaderet. Frater interim mare speculabatur, vt fratrem,cum opus esset , admoneret. Hoc, cum Præfectus per speculatores,exploratum habuisset,duas confestim celoces instruxit. Vni Andream Vasconcelium, alteri Michaelem Siluium præfecit . Ambo erant illius filij . Locus in quo Septa sita est,in mare procurrit,ita,vt ab ortu Solis sinum efficiat.Lingua igitur , quæ longius in altum excurrit,duos vrbis ipsius portus disiũgit. Vnus enim ad Occasum , alter ad Ortum pertinet . Præfectus,cum in eo portu, qui spectat ad Solis occasum, celoces comparari iussisset, filijs præcepit , vt circuitu linguam superarent , & hostes inopinantes aggrederentur . Michaeli vero, qui iunior erat,præcepit,vt prior in hostes incurreret . Dum vero vterque se supra modum dicto parentis audientem præbet,am

Aethiopum erga Pontif. Romanum reuerentia.

Siqueira in Indiam reditus.

Barnagasicũ Siqueira con gressus.

Pacis fœdus cum Barnagasio.

Lusitanus ad Aethiopię Regem legatus.

Matthæi Aethiopum Regis legati mors.

Dalaza insula.

Lusitanicæ classis in Arabicum sinum missæ , quis fructus.

Hieronymi Sousę naufragium.

Res Africanę.

Insignis de duorum fratrum virtute historia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bo a parentis consilio deflexerunt. Iunior enim tanta celeritate celocem incitari præcepit, vt grandiorem natu fratrem minime exspectandum arbitraretur: grandior autem frater lentius, quam res postulabat, celocem remis impelli faciebat. Itaque Michael Siluius in hostium nauem, magno animo, inuasit. At hostes, cum essent numero plures, & ex maiore naue cum minore decertarent, & dux acer, & animosus, & rerum maritimarum peritus esset, & milites exercitatos in nauē imposuisset, celoces congressum facile contemnebant. Hostes autem in celocem insiliunt: fit atrox prœlium. Nostri tandem, metu perturbati, sese in sentinam celocis abdunt. Præfectus, cum certo equitum numero, per oram, vt congressum cerneret, discurrebat. Cum vero celocem ab hostibus occupari conspiceret, alterum filium clamoribus, & signis, admonuit, vt fratri cōfestim opem afferret. Sed, antequam id aduenirent, Siluius hostes e celoce armis expulerat, & se ab hostili naue, retinaculis sublatis, disiunxerat. Deinde eos, qui se occultarant, increpitos e latibulis eduxit, & a metu refecit. Tum rursus in hostes inuasit. Nauibus autē artissime colligatis, intermissa pugna recruduit. Celocis magister, hasta confossus, occubuit; quidam illius filius, simili ter occisus est; & item alius etiam, magistro sanguine coniunctus. Alius, Petrus Vieira nomine, grauiter sauciatus, decidit. Quattuor hostes deinde in celocis proram repente desiluit. Michael Siluius hastam in eos, magna vi, coniecit, & vnum ex piratis fratribus, natu maximum, occidit. Ita namque Dei præsentis auxilio hasta directa fuit, vt guttur illius trāsuerberaret. Siluius deinde aliam hastam corripit, & in tres illos, qui adhuc celocis prorā tenebant, impetum tulit, eosq. e celoce præcipites eiecit, & rursus se ab hostili naue seiunxit. Tum in puppim excurrit, & de magistro quæsiuit, quid faciendum censeret. Ignorabat enim, magistrum esse exstinctum. Tum, ad Petrum Vieiram conuersus, horribilem speciem oculis vsurpauit. Iacebat enim Vieira concisus vulneribus; & ilia ventre discisso se effudebant; & tamen Siluius, vt iunior natu maiorē, & in bellis exercitum, interrogauit, quid optimū facto iudicaret. At ille, Abi, inquit, & eos, qui se rursus abdiderunt, e latibulis expelle, & remorum vehementi concitatione te, quando solus relictus es, ab imminēte clade subtrahe. Is continuo rursus homines metu turpiter exanimatos e tenebris eduxit. At hostes, cum cernerent alios interemptos, alios vero timore necis occultatos, aliios postremo vulneribus impeditos, in celocem impetum fecerunt. Interim Andreas Vasconcelius apparuit. Hostes, cum essent pugnando defessi, & ducem amisissent, & nostros integros aduentare cōspicerent, retro cesserunt. At Michael Siluius Vieiram rursus interrogat, num hostium nauem insequeretur. Vieira eum admonuit, vt ex alto in terrā cursum dirigeret, vt hostilem nauem in vadum compelleret. Is consilio paruit. Hostes, exterriti, nauem maxima remorum vi in aduersum litus impellunt. Et, cum in mare desilirent, maxima eorum pars fluctibus hausta fuit; octo in terram enatarunt, qui, cum in Præfectum inciderent, ab illo capti sunt. Itaque, antequam Andreas Vasconcelius accederet, iam frater illius iunior rem totam confecerat. In quo, ne scio, quid magis laudandum sit; virtus ne, qua vel solus, vel cum paucissimis, qui vulneribus debilitati illum sequi minime potuerunt, tam præsenti animo hostibus ferocissimis repugnauit; an modestia, qua, in ea trepidatione, nihil sine maiorum consilio moliri voluit. Nō multis post diebus, hostes se in vrbis conspectum dederunt. Gomecius Siluius in eos impetum dedit. Illi se fugæ mandarunt. Gomecius illos longo spatio insecutus est, donec ad fluuium peruenit, quem hostes, partim vado, partim nando, transiere. Aliquot tamen ex illis cæsi sunt. Sed, cum Antonius Pereira, vir apprime nobilis, cum equo cecidisset, hostes (nōdum enim omnes traiecerant) aciem in eum conuerterunt. Michael Siluius, cum equitibus quinque, subsidio confestim occurrit. Hostes femur illius hasta transfixerunt. Sed, cum frater illius, & Petrus Mendezius, cum aliis nonnullis, aduenissent, hostes in fluuium se demisere.

HIERONYMI OSORII LVSITANI DE REBVS EMMANVELIS REGIS LVSITANIAE INVICTISSIMI VIRTVTE ET AVSPICIO GESTIS LIBER DVODECIMVS.

Ridicula de nudis equitibus historia.

ACCIDIT hoc anno res, quæ, cum a non mediocri belli apparatu ortum habuisset, in risum conuersa fuit. Rex Fessensis, cum esset vir bellicosus, & impiger, & suos in armis continere statueret, crebras in nostros excursiones faciebat. Itaque hoc anno agrum Tingitanum populatus est, & prædas non valde magnas abegit. Et, cum nemo illi obuiam prodiret, Arziliam contendit. Erat Arziliæ quidam plebeius homo, qui lento, atque diuturno morbo paullatim intabescebat. Medici præceperant, vt testudinibus vesceretur. Is, propter probitatem, erat carus vniuersis. Cum vero testudines non haberet, cōquestus est, quod vnico illo morbi remedio careret. Tum equites viginti operam suam ad eam rem polliciti sunt, modo exeundi potestas illis a Ioanne Coutigno, vrbis præfecto, fieret. Coutignus eam facultatem non grauate concessit. Illi prodeunt, & in proximum fluuiū se cōferunt; equis frena, & ephippia, detrahunt, eosq. capistris ad arbusta deligant, & hastas in terra defigunt. Tum, omni metu soluti, arma deponunt, & omnes vestes exsuunt, & toto corpore nudi in fluuium se demittunt. Erat autem æstus, & illi, cum essent natandi studio dediti, tum vt calorem depellerent, multo libentius, atque iucundius, natabant, & magnam interim vim aquatilium testudium manibus capiebant. Speculator quidam hostium, cum illos equites viginti egressos animaduerteret, multo maiores esse copias arbitratus est, quæ silenti agmine, vt fieri solebat, exirent, vt montes, & siluas, insiderēt, vt ex insidiis in hostes incautos impetum facerent; illos viginti, primi tantum agminis partem esse credidit. Id igitur ad Regem continuo detulit. Rex ducentis equitibus Hamelicem, itinerum ductorem, eundem ipsum, qui nostros speculatus fuerat, præfecit, eumq. iussit fluminis transitum, qua eos transmissuros opinabatur, obsidere. Alios ducentos equites Martino, Abrahemi auunculo, qui religionē Christianam abiurauerat, (erat enim Abrahemus mulieris Christianæ filius) assignauit, cum quibus eum alium fluminis aditum custodire præcepit. Hamelix omnes vias, quibus illos ingressuros sperauit, oculis perlustrauit; &, cum nulla vestigia reperiret, in fluuiū Dulcem (sic enim fluuius ille nominatur) se contulit. Non potuit Hamelix tanto silentio aciem ducere, quin ab Arziliæ speculatoribus conspiceretur. Itaque, ingentis tormenti ictu, qui foras exierant, admonrntur; &, qui in vrbe se tenebant, æris sonitu ad arma vocantur. At natatores egregii, cum tanta animi relaxatione, atque iucunditate, ludebant, vt vix possent, vllo tormentorum strepitu, de periculo, in quo versabantur, admoneri. Piscatio enim felicissime procedebat; & alij in alios conuicia iaciebant; omnia clamoribus, & risu immodico, personabant, cum repente hostes apparent. Nostri hastas euellūt, & nudi in equos nudos insiliunt, & in vrbem confugiunt. Hostes illos insequuntur. Nostri interdum, ita nudi, vt erant, in hostes equos conuertebant, & eorum impetum, vt poterant, repellebant. Vnus tamen ex equo decidit. Antonius Coutignus, (is fuerat Saracenus, & se ad Christi nomen, & religionem, aggregarat) vt equiti, qui deciderat, auxilium afferret, in hostē, qui reliquos antecesserat, impetum dedit, eumq. ex equo deturbauit, sociumq. iacentem manibus iuuit, vt facilius post se equi eiusdem tergo supersederet. Ioannes Coutignus, vt fugiē tes exciperet, ex vrbe, cum instructis copiis, egressus fuerat. Cū igitur agmen nudum cerneret, risu propemodum corruit. Deinde (erat enim vrbanissimus) tam multa dicta dixit, & tam facete in omnes lusit, vt omnes cachinnos tollerent. Factum vero Antonij Coutigni multis laudibus celebrauit. Postremo autem adiecit, Ne commilitones nostri hoc cultu virginibus, quibus inseruiunt, offensionem inferant,

Universidad de Deusto
Biblioteca

rant,par est,vt eos, antequam in vrbem inuehantur,contegamus.Tum quilibet partem sibi vestium detraxit,qua sociorum corpora cõ tegeret;& sic demum in vrbem, cum omnium incidentium iocis,ingressi sunt. Hamelix, cũ casum illum Regi Fessensi nuntiaret, magni illius,& omnium , qui aderant, risus consecuti sunt.Spolia deinde legit,nempe vestes,& parmas,& retia,frena,& ephippia,& vnum equũ; & sic demum Rex ille Mauritaniæ potentissimus,cum tam opulentis manubiis,domum reuersus est.At Coutignus nudis vestem,sumptibus suis, præbuit; præcipue vero Antonium Contignum munere donauit; & factum hominis publice collaudauit, vt alios ad eiusdem virtutis exemplum acrius incenderet.Hamelix,paucis post diebus, Regis iussu, vt consilia nostrorum exquireret, Arziliã rediit, & fuit cum damno repulsus. Cum rursus alia die excurreret, vnum speculatorem cepit ,ad Regemq. perduxit. Is , cum illum de opidi statu percunctaretur, captiuus,vrbem esse dixit armis,& commeatu,munitam,& militum acerrimorum virtute defensam , & ducis vigilantissimi custodia confirmatam. Tũc Rex, vrbe se potiri diffidens,exercitũ dimisit; & specula tor,intra paucos dies,ipsius Prefecti pecunia, redemptus fuit. Hoc anno Rex Emmanuel arcem in ostio fluminis,quod Tetuanum præterfluit,ædificare constituit.Carolus Rex, cũ hoc accepisset , Emmanuelem per litteras,vt tam egregium opus efficeret,adhortatus est. Est enim opidum illud,piratarum receptaculum, qui , inde prodeuntes , maria crebris latrocinijs infesta faciunt. Ad arcis situm contemplãdum , Petrus Mascaregnas missus fuit; qui altitudinem portus explorauit, situm dili gentissime perspexit,aquationis commoditatem, & facillimã arcis excitandæ, atque muniendæ,rationem fore vidit . Sed Emmanuel, ne id,quod vehementer cupiebat, exsequeretur,negotiis innumerabilibus impeditus fuit; & ob id in aliud tempus opus differendum iudicauit.Ioannes interim Coutignus, cum Petro Mascaregna , aliam excursionem , maximo cum periculo,fecit,qua, arduis montibus, & densis nemoribus,& artissimis angustijs,sine vlla hostium suspicione,superatis,in hostes inopinantes inuehitur. Eos autem primo impetu fudit,fugauitque; & ita domum , victor , cum captiuis,& præda,reuersus est.Non multis post diebus,Antonia Azeuedia,quæ nupta fuerat Iacobo Soueralio , nauem vnam ex iis, quas Carauelas appellant,conduxit,vt Tingi Arziliam peteret . Eam duo illius fratres patrueles deducebant. Vni Ioannes Coelius , alteri Arius Coelius nomen erat.In ea naui vehebatur piscator quidam , nomine Antonius Grimaldus,qui,cum ab hostibus , qui vna naue longa piraticam faciebant,cum aliis piscatoribus captus esset , e naui se demiserat , atque nando Tingim peruenerat ; & Odoardo Meneso nuntiarat,piraticam nauem iter Tetuamum suscepisse. Sic enim opinatus fuerat. Hac autem fiducia nostri citius,quam temporis occasio ferebat,e portu soluerant. Nõ multum progressi fuerant, cum in eos eadem hostium nauis incurrit.Ex hostibus octo in nauẽ nostram insiliunt. Coelii,cum Grimaldo festinanter accurrunt, & cum hostibus,qui ingressi fuerant,acre certamen ineunt;quattuor interficiunt,quattuor reliquos expellunt. Nautæ interim ita cursum dirigunt, vt hostilem nauem post se relinquerent.At hostes,cum ex ijs,qui pulsi fuerant , intellexissent, solos tres viros esse apud nostros, qui pugnarent , reliquam turbam esse mulierum, atque nautarũ, nauem suam remis, quantum possunt , impellunt,& in nostros rursus impetum dant, & ferreas manus iniiciunt . Tum sedecim armati, per proram , in nostram nauem ingrediuntur . Duo Coelij fratres , eis acri animo repugnant. Grimaldus, inermis , cum hasta , & gausapina veste, qua complicata sinistrũ brachium armauerat , cum fratribus animo magno coniungitur.Fit acrius prælium,quam si magna vtrimque multitudo manum conseruisset.Maior tamen pars hostium cadit,reliqui se rursus in nauem suam recipiunt. Dum hoc geritur , alij hostes per puppim insiliunt, qui a nautis repulsi sunt. Grimaldus focum nostræ nauis arripuit , & in hostilem nauem coniecit,&,hostibus partim inflammationem intulit,partim multo cinere conspersis,adspectum ademit. Hostes igitur se se a nostris abstraxerunt.Sagittis tamen, & pilis,eminus de certabant. Duæ naues Cantabræ , cursum illũ tenebant.Cantabri,cum prælium illud spectarent,in scaphas desiliunt,vt opem celeriter afferrent.Naues.n. eo, propter magnitudinem, appropinquare non poterant.Sed,cum illi ad nostros accesserunt,tam hostes abscesserant. Cantabri nostram nauem ad suas naues remulco traxerunt ; & saucios curauerunt; nec vllum humanitatis officium fuit ab illis prætermissum. Saucij deinde fuerunt , Odoardi Menesii iussu, Tingim deportati;nauis autem, Cantabrorum præsidio munita,Arziliam peruenit.Grimaldi vero, hominis infimi, sed animo maximo prædití , virtus inter omnes excelluit ; qui quidem multis, & valde periculosis,vulneribus laborauit.Sub id tempus,Franciscus Castrensis,opidi, quod promontorium Guerense nominant,præfectus, qui in Lusitania,suæ rei gerendæ gratia, apud Emmanuelem versabatur , in Africam redierat. Turoququum opidum erat tunc valde opulentum , & multorum mercatorum celebritate,& commercio, frequentatum. Turoququenses , tam Lusitanis , qui promontorium Guerense tuebantur, quam Mauris fœderatis , non mediocre damnum inferebant. Itaque Franciscus Castrensis copias eduxit , & Xequium Melichium, qui semper in Regis Emmanuelis fide perman-

Emmanuelis de arce quadam exstruẽda institutũ.

Prospera Coutigni, & Mascaregnæ excursio.

Pugna duarũ nauium.

Turoququil expugnatio, & Mauroru strages.

permanserat,acciuit.Nocte profectus,prima luce hostes inopinantes aggreditur , opidum capit,opidanorum stragem edit;Christianos, qui captiui erant , liberat ; magnam hostium multitudinem in seruitutem abducit. Et,quã quam nostri multos occidissent,multo tamen plures a Xequij Melichij militibus occisi sunt. Quibus enim dãnis affecti fuerant, valde meminerant , & iccirco,vt dolorem animis iniustum acri vindicta sanarent,operam enixe derunt.Hæc quidem in Africa gerebantur. In India,vt dictum est, Malaca fuerat a Bintami Rege obsidione vexata, & magnis viribus oppugnata,& in summum discrimen adducta, & Antonij Correæ(quem Siqueira Pegum miserat,& cui in mandatis dederat, vt , si opus esset,Malacæ auxilium afferret)aduentu libera ta. Correa, cum vrbem hostium metu liberã, & vario commeatu refertam, cerneret, Pegũ iter instituit,& Martabaum, maritimam Regni illius ciuitatem,secunda tempestate,peruenit. Regio est latissima , & maxima fertilitate prædita.Gemmis præterea variis, & auri,& argenti metallis abundat. Homines sunt colorati,& lautissime viuunt;vitijs valde dediti sunt,quibus effeminãtur.Maxima ex parte numina commenticia colunt,& simulacris immolãt.Sacerdotes in summo honore sunt ; ædibus amplis multi religiosi homines includuntur , qui se excellentius in studio pietatis gerere cupiunt . Similiter & virgines , alijs eiusmodi sæptis inclusæ,pudicitiam se perpetuo colere profitentur.Multis in rebus sunt Si nis,vitæ cultu simillimi.Correa,cum primum classem in vrbis portu collocauit, Antonium Pazagnam,ad Regem, qui tunc Pegu se tenebat,legatum instituit. Is,cum socijs,fuit a Rege,satis benigne,& hospitaliter,acceptus . Illis autem responsum breui reddidit, &,cum illis,sacerdotem, summæ auctoritatis hominé, (hos Rolines appellant) & alium virum primarium,qui magnum apud illum locum tenebat,Martabaum misit.Illis autem potestatem dederat pacis iusto,& æquabili,fœdere facien dæ. Pax firmata , & monumentis consignata fuit. Correa publicum fœderis testimonium , nostro more conscriptum, Peguensibus obtulit. Illi, nomine Regis, eiusdem fœderis testimoniũ in aurea pagina , vt Regibus illis mos est,cum fœdus sanciunt,inciderunt:quod Correæ similiter detulerunt . Interim illis vsus,& consuetudo tanta cum hominibus nostris intercesserat , vt Lusitani, quasi in patria communi versarentur , ita sine vllo metu per vrbẽ incederent. Cum vero secundus ventus a Septemtrione flaret,Correa,cum nauibus quinque,cibarijs onustis,Malacam rediit.Dũ Correa apud Peguenses negotia gerit , in Zamatra apud Pacemenses ingens tumultus exoritur. Vir enim quidam , regnandi cupidus, in Regem insidias comparauit,&,illo occiso,in Regnum occupauit,& quinque & viginti Lusitanis,qui ibi versabantur, necem intulit, opesq. illorum abstulit,&,quibus signis potuit, quanto odio nominis Lusitani teneretur, ostendit. Garsia Sousa,qui tunc Malacæ præerat , nauẽ vnam armis,& munitionibus,& valido militũ præsidio,diligenter instruxit, illiq. Emmanuelem Paciecum præfecit:cui præcepit,vt oram, quæ inter Pacemensem,& Axemensem,portũ interest,summa vigilantia specularetur,ne cõ meatum vllum in vrbem importari, ne ve cui quam in altum,piscandi gratia,euehi liceret. Hoc autem belli genus acerrimum erat. Gẽs enim cibis importatis vtitur,& piscatu plurimum alitur. Vtriusque igitur rei vsu prorsus impedito, necesse erat , vrbem inopia , atque fame,cruciari.Id Paciecus non segniter exsecutus est. Verum, cum aquæ recentis desiderio teneretur, scapham in terram propius vrbem misit.Ea autẽ, præter remiges,viri quinque vehebantur,qui,in fluuium subuecti,aquationem fecerunt. Deinde,secundo fluuio,nauem repetebant, cum ex improuiso hostes innumerabiles vtramque fluuij ripam occuparunt. Tum lapidum, atque sagittarum,multitudo,grandinis instar, in nostros decidit , ita, vt maximum vitæ discrimen adirent ; qui tamen,parmis tecti,cum totis viribus scapham incitarent, e ripis emersi, in altum vecti sunt. Sed,cum æstus esset aduersus,& ventus eos deferret,tres naues,humiles quidem, sed valde longæ,multorum militum capaces,quæ remis impelluntur,(incolæ Lancharas appellant)armis,& valido militum præsidio, munitæ , quibus multi nobiles homines vehebantur, scapham consecutæ sunt.Nauibus præerat Iaoensis vir egregie fortis,qui Zudamecius appellabatur.Nostri obstinatis animis decreuere mori potius,quam seruitutem pati. Deinde,cum omnem suam spem in CHRISTI numine collocassent,ad pugnam se comparant. Vnus ex quinque viris Lusitanis tonsor erat.Is,cum esset viribus summis, & animi singulari alacritate præditus , nauis prætoriæ , quæ reliquas antecesserat,& in scapham inuaserat,proram manibus arripuit. Quattuor reliqui in nauẽ conscendere: quos ipse consecutus fuit. Tantoq. impetu in hostes irruere, vt multi se,metu, in mare deijcerent. Dux suis a tergo ense districto ferociter instabat,& mortem illis, ni si fortissime pugnarent, minabatur. Et, cum nihil neque exhortando , neque minitando , proficeret, quattuor occidit.Erant adhuc hostes ancipiti metu districti. Qui enim Lusitanorum impetum sustinebant,ab illis cædebantur;illis,qui fugiebant,erat manibus ducis sui mors necessario subeunda. Tandem, postquã aliquo spatio fuit vtrimque dimicatum , omnes hostes aut ferro concisi, aut fluctibus demersi sunt. Tantus enim illis terror iniectus est,vt se in mare demitterent.Ipseq. dux,multis prius vulneribus acceptis, se in mare præcipitem dedit . Erant autem supra centum & quinqua-

Res Indicæ.

Correę in Peguensem Regnum profectio.

Pegui descriptio.

Lusitana ad Peguensem Regem legatio.

Fœdus inter Peguensem Regẽ, & Lusitanum.

Pacemensis tumultus, & ex eo belliũ.

Stupendũ fa cinus quinque Lusitanorum .

Universidad de Deusto
Biblioteca

quinquaginta,qui naue illa vehebantur.Reliquæ duæ naues, cum primæ casum oculis adspexissent,metu perterritæ,constiterunt. Sed eo tempore nostri erant ita labore debilitati, & vulneribus confecti, vt nullas ad resistendũ vires haberent. Sed eodem numine, quo fuerunt in prælio confirmati,vt tam admirandũ facinus ederent, hostes exterriti sunt, ita, vt eos aggredi non auderent. Nauis hostium capra remulco ad nauem primum,deinde Malacam perducta,& in terram subducta,& integumento contecta fuit, vt diutissime permaneret miraculi stupendi monumentum. Hostes enim,a Christi sanctissimis sacris alieni, perspexerunt,id nullo modo viribus humanis,sed Dei præsentis auxilio,gestũ fuisse.In quo multa valde miranda contigere.Primum fuit, ardor,& alacritas animorum, qua quinque viri mori maluerunt, quam hostibus in deditionẽ venire. Deinde,prælium ipsum tam felici successu confectum, vt centum & quinquaginta hostes ferocissimi,quinque virorum manibus vel cæderentur, vel metu adeo turbarentur, vt se in mare præcipitarent. Postremum fuit, ille metus duabus nauibus integris incussus, quæ non ausæ sunt in homines quinque,vulneratos, atque grauissimo labore defatigatos, inuadere. Verum eo casu dux edoceri potuit, non esse suorum sanguine ludendum. Multo namque illi honestius fuisset, aqua putrida sitim depellere,quam propriæ voluptatis caussa suos in tantum discrimen inducere. Attamen Rex Pacemensis, huius admirandi facti terrore perculsus,pacem continuo petijt; quę fuit, accepta prius satisfactione,confirmata. Nomina quattuor hominum,per quos hoc facinus editum fuit,hæc erant. Ioannes Almeida, Antonius Pazagna, Antonius Vera, Franciscus Gramaxus. Tonsoris artificium nomen viri ipsius,qui tonsor erat,occuluit.Rex autem Bintami bellum interim summo studio renouabat. Antonius Correa, contra stationem aliam; quæ in ripa Muaris fluminis a Rege munita fuerat,copias educere, & simul opidum Padum, quod Rex ipse munierat,expugnare cupiebat.Itaque, consilio cum Garsia Sala, arcis, & vrbis, Prefecto,cõmunicato, ab eo triremẽ cum celoce, & triginta minora nauigia,precibus impetrauit. Cẽtum & quinquaginta viros Lusitanos, & quadringentos Malacẽses in ea classe ducebat.Cũ his copiis, & nauibus,in Muaris fluuium inuehitur. Ripę sunt viridissimę,quas vtrimq. dẽsissimæ siluæ vestiebant,adeo multis in locis fluuiũ opacantes,vt cęli adspectum adimant. Viginti autem passuũ millia progressis,æstuariũ occurrebat. Hoc in loco Rex Bintami stationẽ duplici vallo munierat,firmaq.in ea militũ presidia collocarat, ne Lusitani possent Padũ, quo in loco ipse,belli commodius gerendi gratia,consistebat,inuadere.Ea statio fluminis aluco profundo, sed perangusto, quo erat necessario nauigandum,imminebat, & æstuarii latitudinem transuersis molibus occupabat. In medio porta inerat, qua ijs, qui Pago veniebant, aditus in fluuium patebat.Nocte vero foribus obductis claudebatur. Intra huius stationis claustra Rex naues continebat, vt facilius subitas,& improuisas, Lusitanorum incursiones, quas aperto Marte non poterat, claustrorum ope repelleret. stationis autem huius custodiam impigro viro commiserat. Correa lembo virum,nomine Georgium Mesuradum, exploratum misit. Is renuntiat,in statione magnam vim militum a Rege dispositam fuisse, ipsumq. ducem suos admonuisse, vt se ad certamen animis prępararent.Sibi namque compertum esse, Lusitanos propediem affuturos. Correa nihilo secius vltra progreditur, & prima luce stationem acriter oppugnat, & tandem cum reliquis ducibus irrumpit. Fit magna cædes, maxima tamen hostium pars ad Regem,effusa fuga,se contulit. Correa,ne hostes se possent,spatio sumpto,ærepẽtino pauore reficere,in æstuarii ipsius introitu, Odoardum Melium, cum aliquot nauigiis, reliquit, & ipse,claustris reuulsis,in æstuarium ingreditur. Sed Rex, ne id fieri facile posset,consilio multo ante prouiderat. Arboribus enim succisis, atque in fluuium vtrimque deiectis, nauium cursum impedierat. Fuit hæc res maximi laboris.Prius enim,quam nauigia progredi vltra possent,erant arbores transuersæ,quę transitum impediebant,extrahendæ. Sed tandem Correa in opidum,disiectis omnino molibus,peruenit.Rex,instructa acie,cum elephãtis,obuiam processit.Nostri,hostibus inuitis, terram occuparunt. Prælium deinde commissum fuit.Hostes fusi,fugatiq. sunt. Correa,cũ Lusitanos auidius insequi cerneret, receptui signum dedit. Nec enim regiones illas nouerat, & timuit, ne,lustris incognitis impediti, ab hostibus rursus conglobatis damnum acciperent.Opidum direptum continuo fuit,& incensum; naues supra centum, coniectis ignibus,absumptæ. Eorum,qui mortui in vtroque prælio sunt, certus numerus iniri non potuit. Constat tamen, non mediocrem multitudinẽ fuisse. Ad hunc modum Correa,rebus ex animi sententia gestis,cum præda, & multis captiuis, Malacam rediit,& fuit ab omnibus, cũ honoribus summis, perinde atque meritus erat,exceptus.Inde in citeriorem Indiam nauigauit. Rex vero Bintami, cum se, militum,& nauium,penuria,cerneret in maximas angustias inductum,in Bintamum,cum graui damno,& insigni dedecore, reuersus est, & a bello quietæ in citeriore India fuerant. Lusitani enim a Regina petebant, vt fidem suam liberaret, & ea, quæ fuerant, cum Antonius Sala interfectus est, ablata, restitueret, & pondus piperis, quod ex fœdere debebat,sine recusatione solueret. Regina, quamuis in principio fidem

Victoria plane diuina.

Pax Pacemẽsis.

Correæ cum Bintamensibus prælium.

Correæ victoria.

Coulamensis rebellio.

fidem tueri statuisset, Saracenorum tamen crebris sermonibus inducta, non modo fidem violare, sed etiam arcem capere, & exitium Lusitanis moliri, constituit. Et primum id insidiis tentare voluit. Cum doli minime successissent, apertam vim intentare decreuit. Eam Indiæ partem, quæ Coulamo finitima est, & ad Austrum Cori promontorio definitur, quam Comorim appellant, quædam Regina tunc imperio tenebat, cum qua Coulami Regina de Lusitanorum excidio coniurauit. Itaque, Reginæ vtriusque copijs, trium fratrum, qui plurimum inter Naires opinione virtutis excellebant, opera coniunctis, mense Iunio, quo mense hiemis maxima vis in regionibus illis est, bellum excitari cœpit. Supra viginti hominum millia coacta sunt. Venenum fuit in puteis sparsum, vt aquatio impediretur, & arx circumsessa, & magnis viribus oppugnata, & aliqui ex Christianis Indis, qui vrbem incolebant, occisi. Arcem triginta tantum viri Lusitani tuebantur. Ex illis quinque erant morbis oppressi: hiems erat impedimento, quo minus facile Cochimo auxilium mitteretur. Commeatus erat perexiguus, præterea pulueris tormentarij summa pænuria. Hector Rodericus, per hominem impigrum, qui se fluctibus committere minime dubitauit, Alexium Menesium, qui se tunc Cochimi tenebat, de statu, in quo res erant, admonuit. Is confestim Alfonsum Menesium, fratris sui filium, cum quinque & viginti viris Lusitanis, & munitionibus, & commeatn, Coulamum misit. Alfonsus Menesius, longa naue vectus, in arcem, cum exiguis illis copiis,ingressus est. Arcem interim hostes acriter oppugnabant; eosq. nostri singulari virtute repellebant; & crebris eruptionibus sæpe decertabant; nec tormentis tantum eminus vtrim que pugnabatur, verum hastis, & gladijs, sæpenumero prælium fiebat. E nostris aliqui cæsi sunt, multi grauissime sauciati; ex hostibus magnus numerus interemptus fuit. Tandem, cum Reginæ cernerent, arcem capi intra duos menses minime potuisse, & accepissent, Alexium Menesium magna auxilia comparare, bello finem imponendum esse statuerunt. Itaque pacem postularunt, & debitam violati fœderis pœnam,quæ illis fuit imposita,persoluerunt; & pax iterum conditionibus æquis confirmata fuit. Hoc anno percepit Rex Emmanuel ab homine curioso, & diligente, multa, quæ animum illius ad rerum magnarum studium multo acrius incitarunt. Expositum est superius, quemadmodum, dum classis Odoardi Lemij promontorium Guardafumense peragrabat, celox, cui Georgius Quadra præerat, a reliqua classe disiecta, ad Zeilæ portum appulsa fuerit. Lusitani, qui illa vehebantur,capti,& ad Regem Adenensem abducti sunt; qui eos in ergastulum detrudi iussit, in quo diutissime vitam, in extrema inopia, & mendicitate, traduxerunt. Quidam interim Rex Arabiæ, huic tyranno finitimus,illi bellum intulit, multisque illum prœlijs deuicit, maximaq. Regni parte spoliauit; & vinctos,qui ergastulo inclusi fuerant,liberos abire permisit. Ad hunc modum Quadra,cũ quinque Lusitanis, (reliqui enim, laboribus attriti, & fame consumpti, perierant)e vinculis emissus,& in libertatem restitutus est. Is vero, vt facilius eas terras,quas lustrare cupiebat,minore cum periculo peragraret, & Arabicam linguam probe teneret, (eo namque tempore, quo vinctus fuerat, illi summam operam dederat) se Saracenum esse simulauit, egregiamq. in Mahumetis disciplina sanctitatem præsetulit.Illa igitur,ficta specie religionis,quam ementiebatur,& singulari calliditate simulabat, omnium oculos in se conuertit, atque tandem ea opinione se se in familiaritatem Regis insinuauit. Erat enim Rex humanus, & religioni illi deditus. Qui, deinde, hominis ingenio delectatus, eum a se demittere nolebat.Cum vero sepulcrum Mahumetis inuiseret,Quadram secum duxit.Ibi cum accepisset Quadra, camelorum turmam ante duos dies, quam Rex in eam vrbem veniret,Damascum profectã fuisse, finxit se miro desiderio teneri sepulcra nepotum Mahumetis,quæ erant in Persida,visendi. Damasco namque faciliorem, & minus periculosam,esse in Persidem viam. A Rege igitur contendit,vt sibi faceret potestatem turmæ illius vestigijs insistendi,vt eam consequeretur. Rex illum ab eo consilio deterrere conatus fuit, tum quia non libenter illius consuetudine carebat, tum quia illum turmam consequi posse omnino desperabat. Sed, cum Quadra illum precibus vrgeret, illi non modo facultatem, quam petebat, verum & pecuniam, & commeatum, quantum ipse portare posset, attribuit.A Rege digressus, in regiones vastas, & incultas, ipsiq. prorsus ignotas, penetrauit; camelos minime consequi potuit; &, quo se conferret, penitus ignorabat. Commeatum intra dies paucos consumpsit; Soles ardentissimi illũ vehementer excruciabant; vestigia ex arenarũ ingentibus molibus vix prenimia lassitudine corporis euellebat.Cũse in tantas angustias adductum animaduerteret, oculis in cælum sublatis, maximam vim lacrymarum profudit, & flagitiorum veniam supplici ter implorauit. Inde,ope Diuina,ad locum, vnde arenæ collis assurgebat,delatus est.Cum vero collem superaret, camelum, & hominem, conspexit. Eo igitur, lætus, gradum intulit,& turmam interim aliam camelorum ad eum locum(ibi enim aquatio erat) properantem, animaduertit. Ad homines accedit; miseriam,in qua versabatur, exponit; opem ab illis efflagitat.Illi, & misericordia commoti,& specie religionis, quam is habitu simula-

Iunio mense hiemis vis maxima.

Pax cũ Coulamẽsibus renouata.

Georgii quadræ peregrinatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bat, inflexi, hominem non cibo tantum, & potu, verum & rebus omnibus necessarijs, abunde refecerunt. Illorum autem ductu, quam diu deserta loca peragranda fuerunt, & postquam ex vastitate solitudinis illius emersus est, religionis assimulatæ cultu, varias regiones perlustrauit, & oculis, atque mẽte, multa percepit, & tandem, Arabiam, atque Persidem, peruagatus, Armuziũ a Saracenis mercatoribus deductus est, vbi cultum, & personã, Saraceni deposuit, & Christiani hominis cultum, quem mente semper gestauerat, assumpsit. Vbi tamen flagitium, quod admiserat religionis impuræ simulatione, debitis lacrymis expiauit. Garsia Coutignus, qui tunc Armuzio præerat, illum vestibus, & pecunijs, atque muneribus, affecit. Qui, deinde in Indiam, ex India in Lusitaniam, veniens, Anno M D X X. ad Emmanuelem intromissus, omnia, quæ lustrauerat, & prudenter animaduerterat, luculentis sane verbis explicuit. In primis autem, quo modo Aethiopiam vniuersam, quæ supra Aegyptum est, explorauisset, & quo modo in lacum ingentem, vnde Nilus in Aegyptum influit, peruenisset; quibus moribus, legibus, & institutis, Aethiopes illi Christiani viuerent; qui situs Aegypti, qui Arabum mores, qui Persarum victus esset, exposuit. Emmanuel ex illius oratione voluptatem non mediocrem cepit. Ad eam enim, quæ in Arabia, & Aethiopia, facere designabat, illa Quadræ oratio nimis apposita videbatur. Et, quia suspicari cœpit, a Regno Congensi facilem in eum lacum, vnde Nilus erumpit, transitum fore, hominẽ, iam sponte sua satis incitatum, ad illud explorandum promisis inuitat. Illum igitur in Cõgum cũ litteris mittit, vt inde in Nili fontes iter faciat, atque inde ad Dauidem, Regem Aethiopiæ, tandem perueniat. Qui, cũm ad Congi portum delatus, deinde ad Regem perductus fuisset, exceptus benigne fuit. Itineris tamen illius explorandi facultatem, malignitate Lusitanorum, qui plurimũ apud illum Regem poterant, non impetrauit. Itaque reuersus est; &, cum iam Emmanuelẽ mortuum reperisset, Diui Francisci institutum sequi decreuit, in quo vitam sanctissime ad extremũ perduxit. Hæc exposita sunt, vt animaduerti possit, animum Regis Emmanuelis, quamuis illius corpus in Lusitaniæ terminis versaretur, orbem terrarũ peragrare, & magna semper, & nimis ardua, moliri. Ea vero ratione fiebat, vt, suorum opera, regiones incognitas, & terras vltimas, indagaret. Sed omnes humanę cogitationes momento temporis obruuntur.

Georgii quadræ ad Aethiopiæ Regem legatio.

Res Europeę Maximiliani Imperatoris mors.

Sub id tempus, Maximilianus imperator e vita discessit. De successione imperij erat apud Germanos disceptatio. Multi namq. ad Fracis cum Valesium Gallię Regẽ inclinabant, multo tamẽ plures animis in Carolum propendebãt; Galliæ Rex, donis, atque ingẽtibus promissis, nõ paucos ad sui studiũ vehemẽter allexerat. Carolum tamen absentem & educatio, (fuerat enim apud Germanos enutritus) & superioris Pannoniæ principatus, & perspecta indoles, & multorum etiam Principum affinitas, aduersus Galli munera tuebantur. Fuit autem Carolus in Germaniam, quasi ad imperium minime dubium, multorum litteris euocatus. Is, antequam ex Hispania discederet, omnium Ordinum concilium indixit, &, consilio Guilielmi Decreui, Xebrensis Dynastæ, qui illius ætatem regebat, præter pæcunias, quibus illum Hispani iuuerant, immania tributa populis imperauit. In quo quidem non merito possum Carolum cupiditatis, aut potius inconsideratę temeritatis, insimulare, cum ætatis excusationem habuerit. Pędagogum vero summa vituperatione dignissimũ iudico. Rex enim non est in altissimo illo gradu dignitatis locatus, vt acerbissimis exactionibus ciuitates sibi commissas exhauriat, sed vt earum saluti, & incolumitati, prospiciat. Si recte enim Regis nomẽ vsurpat, Pater patriæ est, & pro Reip. salute debet, si opus ita fuerit, caput in quoduis magnum discrimen iniicere, non Remp. ipsam immodicis sumptibus euertere. Fateor equidem, Regem esse subditorum opibus adiuuandum, vt Remp. tueri possit. Negotia enim infinita sustinet; æquabile ius omnibus administrat; periculum a Rep. cum necessitas postulat, armis, atque virtute, propulsat; bonis præmia pro dignitate constituit; improbos suppliciorum acerbitate coercet; patriam denique vniuersam, & ab externis hostibus, & ab intestinis fraudibus, tutam vigilantia sua præstat. Hæc quidem munera aut opere tuetur, aut, quoties opus fuerit, tuenda suscipit. Qui autem existimat, hæc tam multa munera sine maximis sumptibus sustineri posse, mentis expers est, atque vitæ communis ignarus. Et iccirco hoc, quod est communi more receptum, vt Reges populi sumptibus alantur, non est humano tantum iure, sed etiam Diuino, vallatum. Is tamen modus adhibendus est, ne, vel vt immodicis sumptibus sine vllo Reip. fructu vti possit, vel vt ad auarissimos homines, quorum cupiditas nullis opibus expleri potest, opes Reip. transferat, pecuniam cum Reip. gemitu, & querimonia, coaceruet, &, dum potentium domos immanibus diuitijs cumulare studet, tenues domos exinanire contendat; vt ita, dum falsum nomen liberalis, atque magnifici, obtinere nititur, verum iusti, atque clementis, nomen amittat. Alia deinde causa in Carolo inerat, quæ consilium illud magis odiosum, & inuisum, efficerat. Quamuis enim ad illum Regni patrimonium legitimo, & hereditario, iure veniret, erat tamen educatione, & institutis, a moribus Hispanis alienus. Quocirca erat illi in principio Hispania specie humanitatis, & benignitatis, allicienda, donec se penitus in omnium

Immane tributũ Hispaniæ, consilio Guilielmi Xebrensis imperatum, & auctoris de eo sententia.

nium animos insinuaret. Iccirco magis erat illi tunc aliquid de tributis deminuendum, quam nouum onus populis imponendum. Sed adolescens, qui insita modestia pædagogi monitis obtemperabat, & Hispaniæ mores nõ tenebat, defendi merito potest. Hominis senis auaritia, qui illum in eã fraudẽ impulit, est merito detestanda. Multi populi, nobilitatis præsidio confirmati, Caroli postulatis cõstanti animo restiterũt. Et hoc quidem actionis principium, si cum debita moderatione susceptum fuisset, haud vituperandũ omnino videretur.

Castellanorum a Carolo Imp. defectio.

Sed, cum in multitudine neque modus, neque consilium, neque ratio, cum immodicę libertatis studio ducitur, vlla sit; & multi viri nobiles se multitudini, nescio quo mẽtis errore ducti, duces, & auctores, prębuissent, factũ est, vt multæ Castellæ ciuitates a Carolo desciuerint. Carolus, in initio tumultus, in Galliam Belgicã se contulerat. In ciuitatibus, quæ a Principe suo defecerant, intestinæ seditiones excitabãtur. Maxima namque nobilitatis pars in fide permanebat; nonnulli, aura populari non mediocriter inflati, populis assentabantur. Populis, qui coniurauerant, erat decretum non Carolum tãtum Regno spoliare, sed cunctos etiã Hispaniæ Principes omnibus bonis euertere, vt libertate summa, Heluetiorum more, fruerentur. Nec enim intelligebant, id, quod apud Heluetios, ex antiquissimo tempore legibus patrijs assuefactos, cum omniũ admiratione fit, apud gentem insito naturæ fastu tumentẽ conseruari non posse. Itaque, cum plebs insita naturæ temeritate modum seruare nequeat, tum multitudo, quæ in Hispania in Caroli perniciẽ coniurauerat, tanto furore, & amentia, flagrabat, vt, quasi iã omnia illis essent ex animi sententia constituta, ferro, & flamma, omnibus, qui Principum partibus studebãt, acerrime minarentur. Interim rapinæ, cædes, incẽdia, horribiles armorum fremitus, terrorem passim incutiebant. Antonius Fonseca Metinam Campensem, vrbem opulẽtissimam, quæ Caroli partibus aduersabatur, inflammauit, & miserabili illo incendio maximas opes absumpsit. Nemini tunc in populis sapienter, & libere, loqui licebat. Si enim aliquis diceret, verum esse, libertatem modice tueri, non cum legitimo Principe ad internecionẽ dimicare, scelus illud erat continuo morte acerbissima luendum. Multis in locis, vbi caussa libertatis agebatur, neque gemitus quidem ciuis vllius liber erat. Principes, communi consilio, cum ciuitatibus, quæ minime rebellarũt, cũ discordiam sedare frustra vellent, bellum summo studio comparauerunt. Hi ad Regem Emmanuelem legatos miserunt, vt auxiliũ aduersus rebelles ab eo postularent. Simul & Hispaniæ populi, qui a Carolo desciuerant, cum se videret in extremo discrimine constitutos, ad eundẽ Regẽ legatos misere. Summa legationis hæc erat, se tantis iniurijs vexatos exstitisse, vt nõ potuerint vllo modo tam indignas contume-

Rebellių institutum ab auctore notatum.

Furor seditiosorum.

Bellum ciuile Castellanum.

Castellanorum ad Emmanuelem legatio.

Emmanuelis ad rebellesre sponsum.

auxilia Castellæ Principibus præstita.

Rebellionis Castellæ cuẽ tus.

Res Africanæ Mascaregnæ cum Iehabẽdafuso dissidium.

Iehabehtasfi de rebellibus victoria.

Vasci Fernãdi Cęsaris cũ duabus Maurorum nauibus pugna, & spera.

lias perferre. Se ciuitates, & mœnia, & arces, atque denique rerum suarũ omnium potestatẽ, illi tradituros. Orare deinde, & obsecrare, vt Regnũ illud opulentũ, ipsius Emmanuelis studio vehemẽter incensum, suscipere vellet, & iniurias immeritis illatas vindicare. Emmanuel munus oblatũ repudiauit; & legatos admonuit, vt discerent fidem erga Reges conseruare, & modum cupiditati statuere. Illam controuersiam Caroli benignitate tolli facilime potuisse, si populorum rectores non ita ferociter populorũ caussam suscepissent. Et prętera grauiter illos accusauit, quod, cũ in principio furori caussam publicæ libertatis obtenderent, postea publice de dominatione populari dimicarẽt. Si vellent errorem agnoscere, & veniam a Carolo postulare, se ad eam cõpositionem libenter operam suã polliceri. Quod vero ad oblatum Regnum attinebat, se numquam vllum imperii additamentum fide, & officio, antiquius habiturum. Principum autem legatis, operibus magis, quam verbis, respondendum existimauit. Itaque eos tormentis, & munitionibus, & pecunia, iuuit. Prœlio tandẽ commisso, populi rebelles, armis Principum superati, & rebellionis auctores capti sunt. Ioannes Padillia, Antonius Zamorẽsis Episcopus, Petrus Pimintellus, & Maldonadus, & alij quidam viri nobiles, & quidam etiam, quos ex infima plebe ad honores popularis furor euexerat, qui principes coniurationis exstiterãt, capitali postea supplicio affecti sunt: multitudini vero venia tributa. Hoc anno, cum Iehabentafusus in offensionẽ Nonij Mascaregnæ, operarũ multorum, qui Iehabentafusum oderant, incidisset, & id Mauris, qui sub illo militabãt, notum esset, multi Mauri Dabidenses, & Garabienses, ab illo defecerunt, & quidam etiam illũ spoliarunt. Mascaregnas prętera nomen illius apud Emmanuelem proditionis insimulauit. Ille vero, per litteras, atque legatos, a Rege postulauit, vt, quanta fide in officio debito versaretur, examinare vellet. Se, si aliquid, postquam ad nomen illius adiunctus fuerat, secus designasse compertum fuisset, quam fides postularet, nullum supplicium recusaturũ. Rex postulato illius, æquitatis plenissimo, satisfecit; & Mascaregnę præcepit, vt hominem fauore, & auxilio, complecteretur. Cum igitur is a Mascaregna opem contra eos, qui defecerant, postularet, Mascaregnas illi equites sexaginta, & pedites nonnullos, auxilio misit. Hoc auxilio fretus, (id enim testatũ esse apud omnes volebat, se Regis Emmanuelis auxilio minime destitutum esse) copias suas eduxit, cum hostibus manum conseruit, &, parta victoria, eos sibi rursus dicto audientes esse compulit, & omnes tumultus, qui orti fuerant, virtute, & æquitate, compressit. Eodem ferme tempore Vascus Fernandius Cæsar, cum naue vna fretum Gaditanum, Regis Emmanuelis iussu, peragrabat, & hostes multis incommodis afficiebat. Duæ vero longe na-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ues,hostium,rerũ successibus elatæ, (magnas enim prædas egerant) & militum,& tormẽtorum,copiis, multisq. munitionibus,instructæ, in Cæsa rem inuehuntur.Is nauis prorã in eas confesti m dirigere iussit.Dux vnius nauis,cũ animaduerteret,quã alacri,& confidenti animo Cæsar in prælium iret, i lius congressum formidauit,&,mutata velificatione,ab institu to cursu deflexit.Alterius autem nauis Præfectus , cum se a socio desertum cerneret,simile consilium sequi statuerat; sed id per Cæsarem minime licitũ fuit.Eum enim tormentis,quocumque voluerat,impellebat;& pertinaciter, quamuis mare turbidum ingentes fluctus eijceret,insecutus est,vsque eo,dum nauem in litus compelleret.Tum in lembum,quẽ ad similes casus e puppi colligatum ducebat,insiluit, & ijs,quos in naui relinquebat, imperauit, vt antequã illum cum hostibus commisceri cernerent,a pilis in hostes emittẽdis minime cessarent.Hostes in terrã euadere nituntur, Cæsar eos insequitur. Atrox prælijs initur. Multi ex hostibus cadunt. Cum reliqui fugam capesserent, & in manus Petri Aluari Caruallij, viri fortissimi , qui Alcassaris Seguelij , Regis Emmanuelis iussu,Præfectus erat,& tormẽtis excitus occurrerat , inciderent , omnes capti sunt.Cæsar,parte prædæ capta,rursus in nauẽ se recepit. Non multis post diebus cũ ipso fre to versaretur, sex in illũ biremes inuectæ sunt. Hostes Cęsaré capere vehementer optabant; &,cum illum euadere posse minime crederẽt, præ lætitia clamores ingentes ediderũt. Deinde,sagittis,& glandibus,& globis ingentibus, eum obuere conati sunt. Atque primum Cæsar eos,ne ad suam nauem accederent,tormẽtis acerrime propellebat; & variis velificationibus eorũ conatus eludebat ; & interim multos interimebat:quo factum fuit, vt illi multũ de animorum alacritate remitterent. Quod cum is animaduertisset,in tres naues,quæ iunctæ consistebant , (aliæ namque,ventis exclusæ,non ita facile accedere potuerant) inuasit. Hostes in illum similiter impetum dederunt. At is,cum ingenti tormento ignem applicari præcepisset,vni ex biremibus, maximo globo a prora in puppim secundum latus emisso,remos deterũt.Hostes biremem claudam,& mutilam,intra se recipiunt,&,quanta celeritate possunt,in ea trepidatione reparant.Tum omnes simul iunctæ Cæsarem circumueniunt. Is, cum animo maximo nunc ad prorã , nunc ad puppim , nunc in vtrumque latus,accurreret, & præsidia magnis vocibus excitaret , & crebris tormentorum ictibus maximum damnũ inferret,multo difficilius certamen,quam hostes suspicati fuerant,effecit.Tandem,tormẽti vnius ictu, magna pars remigum in vna biremi dilacerata fuit.Hostes,cũ cernerent multos cæsos esse,& duas biremes dissipatas,Cæsaremq. nullo modo,nisi cum grauissimo damno capi posse,certamen omiserunt.Cęiar,cum esset ea natura,vt nullo labore frangi posset, eas insecutus est.Verum,cum nauis illius velis,naues hostiles remis impellerentur,& ventus illum deficeret , eas consequi minime potuit,& ita voti cõpos Malacam petiit, vt mortuos sepeliret , & sancios curaret. At Azamore periculũ non mediocre fuit Lusitanis, opera cuiusdam Mauri valde potentis,intentum. Benaduxera fuit,in Mauritania,virtutis opinione,& potentia, clarus; & opibus , & existimatione,princeps.Is sub signis habebat supra mille & quingentos equites, & peditũ non mediocrem multitudinem , Fessensisque Regis imperium detrectabat: ea de caussa bellum cum illo gerebat. Cum vero magno prælio victus fuisset,litteras ad Norognam, Azamoris Præfectum,dedit , quibus dicebat , se velle sub imperio Regis Emmanuelis contra ipsius Emmanuelis hostes perpetuo militare. Norogna , voluntatem minime aspernatus , horminem ducentis equitibus stipatum in vrbem admisit,& quibus potuit honoribus affecit, & aliquot ducibus Xerquiensibus eorum voluntate præposuit. Is,vt magis animum suũ apud omnes testaretur,Ferem fratrem suum in Lusitaniam, ei multis muneribus,ad Emmanuelem misit.Emmanuel illum perbenigne in fidẽ recepit , & muneribus affecit , & fratrem etiã beneficijs ornauit , hominemq. promissis ornatum in Africam dimisit.Iacobo autem Melio præcepit , vt duobus illis fratribus opem , cum opus esset,afferret, vt coniunctis viribus acrius bellum molirentur. Itaque Melius cum Fere Azamorem cõtinuo profectus est;neque multos post dies cum equitibus septuaginta quinque , & nonnullis peditibus se cum Benaduxera coniunxit;qui,cum mille & centum & viginti equites eduxisset, in locum, vnde fons Diucis fluminis erumpit, qui Azamore centũ & viginti passuum millia distat,tandem peruenit.Ibi turmas hostiũ duas & triginta aggressi,magnam hominũ cædem faciunt, quadringentos & octoginta duos abducunt,& cum ingenti præda post mensem Azamorem reuertũtur, & incredibilem lætitiam cunctis attulerunt,qui propter diuturnam moram illos perijsse crediderant. At Benaduxera,cum se in gratiam Fessensis Regis restitui vehementer expeteret;clã per amicos suos id,quod cupiebat,assecutus est,ea lege,vt, quos posset Christianos, ad ipsum Regem dolo perduceret. Id autẽ Aluarus Norogna suspicione consecutus est.Itaque,cum Benaduxera ab illo sepe,& importune,postularet, vt Iacobum Meliũ secum mitteret,(fore namque,si id fieret, vt præclarum facinus ederet)id numquam impetrauit. Id tamen Norogna tacitum tenebat,&, antequam rem explorate cognosceret, in hominẽ non esse animaduertendum statuebat:non tamen illi,quem signis inconstantem,atque perfidiosum , opinabatur , esse quidquam temere credendum indicabat. Et interim , ne animum illius offenderet, honestis excusationibus vtebatur. Benaduxera , hac spe dejectus , & simul

Eiusdem cęsaris cum 6. biremibus prælium.

Lusitanorum ex Benaduxerę proditione in Azamorensi vrbe periculum.

Benaduxera cum hoste pacto

& simul metuens,ne aliquid emanaret,Mazaganum se contulit,&,Antonium Lacteum,qui opidi præfectus erat,allocutus,petiit, vt ei ali quot equites concederet;se pulchrum facinus moliri. Aluarum Norognam ad eã rem equitum bonam partem esse missurum. Sed bellũ , quod instabat,maioribus esse copijs gerendũ, vt citius , & minore cum periculo , conficeretur.At Antonius Lacteus, cũ doli fuisset ignarus,&, propter rem,quam Benaduxera gesserat,ei fidem habendam iudicasset,illi quindecim equites , & nonnullos pedites,attribuit. Benaduxera,cum circiter septuaginta passuũ millia , cum suis copijs, & Christianis militibus,confecisset,fratri mentem suam aperuit; dixitque , se Regis Fessensis gratiam recuperasse,malleq. principi,cui erat natura,& religione coniunctus,quam Regi a moribus,& institutis, illius abhorrenti seruire. Vt vero illius animum sibi artius deuinciret, illos ei Christianos, quos per dolum abduxerat , esse traditurum. Sperare namque se, futurum,vt pristinas offensiones eo munere prorsus oblit teraret.At Feres, Si vultũ, inquit, Regis optimi adspexisses , numquam certe animũ induxisses,vt tam scelestum facinus obires. Vbi fides? Vbi fœderis sacramentum? Vbi tã singularis humanitatis, & magnificentiæ, memoria? Ideo te Princeps ille clementissimus eiectum recepit,& tam multis muneribus auxit , vt illum , nulla offensione interposita , proderes ? Non refert, quam parum illi noceas , sed quã propensum ad nocendum animum geras. Parvis enim rebus malitia summa perspicitur. Qui enim quindecim equites Lusitanos fidei tuæ commissos per summam perfidiam in miseram seruitutem abducis , certe,si vires haberes,ipsum Lusitaniæ Regem,contra fidem , & iusiurandum, omnibus fortunis euerteres . Deinde, quam parum gratus tuus aduentus Regi Fessensi futurus sit, parum sapienter animaduertis. Tu ab illius fide desciuisti;tu bellũ illi diuturnum intulisti ; victus, spoliatus , eiectus , te ad Regem Emmanuelem , tamquam ad miseriæ extremæ perfugium , confugisti . Nunc rursus ab Emmanuele deficis. Quo modo igitur is tibi credet,a quo toties fidem nefarie violatam esse comperit? Vetus dictum est,Regibus gratam esse proditionem in suam vtilitatem commissam, proditoris tamen nomen inuisum. Sed esto. Regem Emmanuelem contra fidem deseris. Ad Regẽ Fessensem, qui te odio immani persequitur,& fidem sanctam non habet, transfugis:perfidiæ saltem insigne monumentum detestare. Regis Emmanuelis vexillum geris, vt , quoties homines in vexillum,quod erat amoris, & beneficentiæ,signũ , adspexerint , toties illis tui sceleris in mentẽ veniat? Tabernaculum pulcherrime factum ab Emmanuele donatum fers,vt quoties illud collocari iusseris,toties homines perfidię tuæ recordentur?Captiuos per insignem perfidiã abductos geris;vt numquam, quamdiu hi nobiscũ versati fuerint, homines sceleris tui capiat obliuio?Fac igitur,quod a Christianis fieri audio. Cũ enim a Rege discedunt,ne ingrati animi crimen publice suscipiant,omnia bona,quæ ab illo acceperunt , illi remittunt , ne secum perfidię monumenta circumferant.Omitte signum istud,ne scelus in apertum proferat. Tabernaculum desere,quod perfidiã occulere nequit . Christianos liberos abire permitte,ne a cælo, atque terra,proditionis testimonium sumant.Hæc cum Feres libere,& animose,diceret , fratris animum non mediocriter irritauit:parumq. abfuit, quin manus consereret. Sed,cum Benaduxera multo potentior esset, iunior frater illi repugnare non potuit.Cum illo tamen egit, vt signum,& tabernaculum Emmanueli referri iuberet,& Christianos saluos redire permitteret.At,cum fratres ad Regem Fessæ peruenirent,Rex eos nõ admodum hospitaliter accepit.Vtrique enim caput abscindi iussit. Illos enim , quod multũ nobilitate,& opibus,excellerent,& metueret, ne defectione rursus illi molestiam exhiberẽt, de medio tollendos esse statuit. Et interim eã caussã obtendit, quod Benaduxera Lusitanos cum vexillo,& tabernaculo,abire permiserit, & quod Feres a fratre,vt id faceret,enixe contenderit. Dum hæc in Africa geruntur, in India Siqueira classem magnam instruxit, quã Dium oppugnaret.Melichius Saca, Melichiazij filius,quamuis Siquetra, quorsum illã classem ornaret,summo silentio tegeret,eam contra Dium comparari suspicatus est. Tum,partim, vt Siqueirã ea specie moderationis emolliret,& a studio bellandi deduceret,partim,vt animum illius explorare posset , familiarem quendam suum nomine Camallum, ad illum , cum litteris officij plenissimis,& cum muneribus satis amplis,legauit.Siqueira,gratum sibi esse aduentum legati,vultu,atque verbis,ostẽdit,seq.Melichij Sacæ,& patris illius,valde stu dioſum esse finxit. Camallus tamen,cum esset acutus,& callidus , in quem finem classis illa parata fuisset,sagaciter odoratus est; & Melichium Sacam , & Hagamahamedium , cuius consilio ciuitas innitebatur,admonuit, vt vrbem firmo præsidio munirent. Quod illi diligentissime fecerunt.Siqueira,classe, quæ erat in Lusitaniam profectura , rebus omnibus instructa , & expedita , consilium cum ducibus , quos secum erat ducturus,habuit:quibus animum,quo classem illam instruxerat,vt Emmanueli satisfaceret,aperuit,illosq. ad tam præclari facinoris societatem adhortatus est.Illi cõsilium laudant,seque ad bellum illlud satis promptos , atque paratos, esse demonstrant . Is supra octoginta naues ornarat, tria Lusitanorum millia , & mille Naires , conscripserat , duces egregie fortes elegerat , ita , vt ea classe numquam ad illum diem neque maior , neque rebus omnibus instructior , ab vllo In-

Benaduxera fratri proditionem aperit.

Feris ad fratrem dissuasoria proditionis oratio

Dignissimũ proditorum supplicium.

Res Indicę.

Melichii Sacæ ad Siqueiram legatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lusitanorum ad Diesē bellum apparatus, & profectio.

diæ Prætore comparata fuerit. Initio Februarij mensis, Anno M D X X I. Siqueira classem ad oram Diensem appulit. Melichius Saca illum continuo per legatos honorifice salutauit,& largis muneribus affecit. Et tamen,quasi aliud ageret,Fernandum Martinium Euangelium cum nonnullis Lusitanis, qui in vrbe negotia gerebant,tamquam obsides,in custodiam dedit. Siqueira,se Armuzium petere, simulauit,vt quosdam motus sedaret;sibiq. Euangelio,& reliquis Lusitanis,opus esse dixit,qui Regis Emmanuelis negotia procurarent. Melichius Saca,& Hagamahamedius,eos nec alibi rem melius gerere, neque lautius diuersari,dicebant. Seq. libenter hominibus Lusitanis obsequi,vt,illo saltem signo,constare posset, nullam vrbem fore magis imperio Regis Emmanuelis addictam. Siqueira Melichium Sacam ad colloquium inuitauit. Is cum Hagamahamedio in locum ad eum sermonem delectum cum præsidio venit. Oratio Siqueiræ eo pertinebat,vt ostenderet,se Reip. constituendæ gratia Armuzium nauigare, & interim eo classem applicuisse, vt vrbem sociam, & amicam,inuiseret,& a Melichiazio peteret, vt sibi arcis ædificandæ facultatem concederet,vt Lusitani, qui in ea versabantur, tutius negotiari possent. Melichius Saca respondit,Lusitanos non minus secure in ea vrbe, quam in patria,versari. Quod vero ad arcem attineret, se id,parentis iniussu,nullo modo permissurũ. Siqueira tum Sacam admonuit,vt sibi Lusitanos redderet. Saca vero respondit , eam insignem contumeliam fore,si homines Lusitani, qui commode in vrbe fœderata , multisq. rebus ad fidem conseruandam adstricta , negotiabantur,ab illo, quasi ab homine perfidioso, & inimico , maxime cum classis instructissima in portu consisteret, peterentur. Id enim posse videri ex altera parte,diffidentiæ,ex altera,timiditatis argumentum. Si Siqueira nõ crederet, Lusitanos posse sine vllo periculo in vrbe amicissima vagari, sinistram suspicionẽ de amicis recipere,qua nulla maior contumelia hominibus amicis imponi posset . Se vero, si illi Siqueiræ postulato , quamdiu classis esset in portu,satisfaceret,turpissimi timoris significationem daturum. Itaque sine vllo effectu sermo habitus est. Siqueira consilium cum

Siqueirę cũ ducibus consultatio.

ducibus habuit. Cum variæ sententiæ diceren tur,tandem constitutum fuit, non esse illo tẽpore vrbis oppugnationem tentandam. Esse namque situ,& artificio,munitissimam,& maximo militum numero firmatam. Rem esse in aliud tempus differendam; nec esse eorum salutem,qui in custodia tenebantur,temere negligendam . Cum sententia in vulgus emanaret,milites fremere , vociferari , Prætorem & duces liberius accusare minime destiterunt.

militum fremitus querellæ de Siqueira.

Iam robur illud Lusitanæ virtutis extinctum. Duces plurimum de quæstu,& compendio,parum de dignitate,& officio,cogitare. Iam Lusitanis militibus insitæ virtutis declarandæ a ducibus locum minime dari. Prętoris flagitio fieri, vt, qui antea cunctis Orientis nationibus terrori fuerant , eo tempore despicerentur. Multi,inquit,in vrbe milites sunt. Quando id præclari duces compertum habuerunt? postea,quam pugnę tempus appropinquauit? An id non multo ante exploratum esse oportuit? Postquam tanta classis , cum tam fortiũ militum numero,& tantis sumptibus,huc aduecta est,& oppugnationis tempus instare videtur, nunc ignauiæ , & timiditati , sapientiæ nomen obtenditur. Factum igitur est,vt consilij tempus audacia,& temeritas,occuparet, virtutis locum timiditas , nomine prudentiæ occultata,sæptum teneret. At inquiunt, Lusitanorum saluti,qui in vrbe versantur,est consulendum: quasi vero non multo pluribus Lusitanis erat in vrbis munitissimæ oppugnatione moriendum. Et tamen eo metu duces contineri minime potuerunt , quin ad vrbem oppugnandam accederent. Et non intelligunt, etiam eorum,qui in custodiam trãditi sunt,salutem virtute nostra,& non timiditate,contineri. Nam , si hostes arma nostra timuerint, eis minime nocebunt ; si nos contemnere cœperint,eos iniuriis omnibus lacerabunt. Hęc, & alia eiusmodi conuicia,milites, vt est homi num genus liberum,& audax, & ad maledicẽtiam propensum , vulgo iactabant . Accesit alia suspicionis occasio , quæ grauius animos eorum irritaret. Euangelio , obsidibus primũ datis,permissum erat, in classem venire. Is,cũ periculum rebus suis imminens mente prospiceret, quoties in classem se conferebat , pecunias,quas fecerat, & variam supellectilem importabat. Idem reliqui Lusitani faciebant. Rumor confestim emanauit,Siqueiram pecunia corruptum belli consilium omisisse. Eam nam que pecuniam belli redimendi gratia a Saca missam fuisse, criminabantur. Siqueira, cum se frustra tempus in eo loco terere videret,Ar muzium petiit,& alium interim locum nõ pro cul ab vrbe arci ædificãdæ designauit. Inde tamẽ prius Alexium Menesium Cochimum misit,qui,dum ille abesset,imperium administraret. Georgium Albuquercium Malacã,Georgium Brittium in Malucas insulas, Raphaelem Peresstrellum in Sinarum regionem, misit;Iacobum vero Fernandium Begiensem , & Nonium Fernandium Macedum , & Emanuelem Macedum in ea ora reliquit, vt, per speciem comparandi commeatus , quem Cochimum subueherent, amicitiam simularent, dum Lusitanos , qui erant in vrbe , cum opibus , quas parauerant , in naues reciperent, & tum demum ciuitati aperte bellum indicerent . Vtrumque facillimum fuit . Vrbis enim rectores , postquam classis e portu soluit, sine recusatione Lusitanos , quocumque illis libuisset, abire permiserunt , & illis , qui in alto sine vllius classis metu versabantur , non

Fraudulenta consilium.

erat

erat difficile bellum denuntiare . Fuit tamen consilium reprehendendum . Quorsum enim attinebat , cum omnis Lusitanæ gentis robur erat procul amotum , & cum non maximum damnum hostibus inferri poterat , bellum indicere ? An , vt hostes interim maiora præsidia compararent, & fortius statum vrbis stabilirent? Sic autem fieri necesse erat,vt,qui vrbem minus munitam cum tanta classe se expugnaturum minime sperarat , eam multo maiore præsidio firmatam , cum classe aliqua ex parte deminuta , oppugnare multo minus auderet. Deinde,cum eo tempore bellum denuntiatum fuit , dari sermo potuit illis,qui dicerent , vrbis oppugnationem non consilio , sed metu , prorsus omissam fuisse . Postremo tunc non admodum speciosa caussa potuit obtendi , quæ Lusitanos iniuriæ suspicione liberaret. At,postquam Siqueira Armuzio rediret , vt se rediturum affirmauerat , & vrbem, nihil omnino certum, & exploratum,de bello suspicantem offenderet,caussam facilius reperiret,qua honestius,atque prudentius,bellum cum opibus summo studio collectis inferret . Goa, sub id tempus , erat in summo periculo constituta . Cum enim Siqueira maximam

Summũ Goę periculum.

classem instruere, & ornare, constituisset, fuit necesse , vt vrbis præsidia diminueret. Id Zabaimum Idalcamum minime fallebat . Tempus igitur aduenisse ratus,quo Goam recuperaret,maximum exercitum comparauit. Attamen Crisnara , Narsinguæ Rex , cum illum odio acerbo, & immani, persequeretur,& timeret,ne, si is Goam occuparet, amplificatis viribus,aliquid hostile moliretur, illum acerrimo bello a conatu deterrendum esse constituit. Aliam deinde mouendi belli caussam habuit. Timuit enim,ne,si Zabaimus Idalcamus Goa potiretur,omnes equi ex Perside, & Arabia, illius potestate continerentur . Vt igitur bellum acrius , & attentius , geri posset , ipse per se illius rationem administrare,& prælijs interesse , decreuit. Fuit ab vtroque in terris Goæ finitimis,exercitu maximo,summis viribus, acerrima contentione, euentu vario,dimicatum . Narsinguæ tamen Rex, insigni victoria potitus, multas Idalcami ciuitates expugnauit,& prefecturas varias sub imperium subiunxit,in quibus præfecturæ Balagatenses exstitere, quibus erat grande vectigal impositum . Sed , cum esset Rex opulentissimus, earum præfecturarum possessionem non tanti faciendam existimauit,vt eam cum equorum commercio conferendam censeret. Vt igitur ad se Lusitanos alliceret,legatum ad Rodericum Melium,qui tunc Goæ præfectus erat,misit,qui diceret,se libenter præfecturarum Bagalatensium possessione Regi Emmanueli, quem in loco fratris habebat , cessurum . Si enim nihil malle,quam fœdus cum Emmanuele ferire,& amicitiam firmare,vt intelligi posset,nihil copulatius in vita futurum. De eadẽ

Narsinguæus ad Goæ præfectum legatio.

autem re, se,cum primum Siqueira Armuzio rediret,legatos missurum,qui fœdus illud solemni ritu sancirent. Interim vero ipsum Melium admonebat , ne cunctaretur , sed statim mitteret , qui præfecturas illas occuparet , & firmo præsidio tueretur . Hoc nuntio Melius valde lætatus est . Eadem namque opera imminentis belli metum labore alieno depulsum, & vectigalia Regis Emmanuelis amplificata,cernebat. Regi vero gratias egit,& munera large misit,& ipse,cum Lusitanis equitibus ducentis , & cum Indis peditibus septingentis,in præfecturam Salsetensem profectus est,quam desertam reperit . Ibi , cum , paucis diebus,gentem ad commercium allexisset, & statum aliquem constituisset , & præsidia necessaria disposuisset,præfecturæ, atque porto rio,Rodericum Iusartem Melium , sui fratris filium,præposuit. Similiter,cum præfecturas, Pondensem,atque Bardensem, derelictas esse cognouisset , Iusartem iussit eas occupare . Victoria de Idalcamo.

Post duos vero menses, cum Iusartes accepisset,duos Idalcami duces,cum valida manu,vt illum opprimerent , aduentare , de ea re patruum admonuit , qui confestim per se auxilium attulit, & hostes, prælio inito,profligauit. Deinde,cum quæstionem habuisset de ijs, qui cum hoste consenserant,centum & triginta viros primarios Goam abduxit . His autẽ tanquam obsidibus retentis,pax aliquo tempore rata fuit. Per id tempus,in insula Zeilandensi, tumultus contra nostros, eorum culpa, & importunitate,concitatus fuit. Lupus Suarius,vt scriptum est superius,ad Columbi portum,qui eadem insula continetur , arcem instituit. Lupus Brittius, qui post Ioannem Silueriam illius arcis præfectus exstitit,eam tandem denuo a fundamentis excitauit. Primum enim ædificium , propter nimiam festinationem,eo quod graue periculum immineret, & calx nulla reperiretur,e luto, & lapidibus, temere congestis exstructum fuerat . Itaque ad eam rem Brittius quadringentos fabros , & materiam multiplicem,aduehi iusserat. Arce ad summum perducta, nostri insolentius efferi,incolas iniurijs afficere, magnum decus in illis vexandis reponere, cœperunt . Illi,vicissim , contumelijs irritati , commeatum subtrahere , maligne omnia præbere , & omnes, quos solos inueniebant , plagis afficere , & in rebus omnibus hostilia machinari . Brittius iniurias ab incolis illatas dissimulabat ; & suos, ne quidquam in eos hostile molirentur, continebat . Interim vero rectores , per nuntios,admonebat, vt suos a maleficio deterrerent . Milites autem fremebant , & Brittium ignauiæ , & timiditatis , insimulabant , quod tam indignas contumelias pateretur ; & ei frequenter instabant, vt malo cogeret homines suum officium facere ; & quotidiano conuicio ab eo contendebant, vt incolas acri bello contunderet . At Brittius, cum cerneret,si

Zeilandensis tumultus.

bellum

Universidad de Deusto
Biblioteca

bellum moueret, ruinam fore funestissimam, victoriam valde periculosam: futurum namque erat, vt, cibarijs omnino subtractis, is, cũ Lusitanis, qui sub illo merebant, in extremam inopiam adduceretur, & mortis tristissimæ periculum subiret: militum tamen importunitate victus, maluit illorum temeritati satisfacere, quam recta ratione munus sibi commissum moderari. In quo sane perspicitur, quanto sit difficilius, & illustrius, falsam deoris opinionem contemnere, quam in hostium mucrones irruere. Multi namque, qui facillime corpora sua pro patriæ salute hostium telis obijciunt, falsæ infamiæ metu, quantum in illis est, patrias euerterunt. Vnde concludi potest, illum vere Magnanimum esse, qui non modo mortem minime formidat, verum & inanes multitudinis opiniones pro nihilo putat. Brittius igitur, ne in hominum imperitorum vituperationem veniret, in veram reprehensionem temeritatis incurrit. Nã, post meridiem, tempore, quo incolæ, sine vlla formidine, propter æstum grauissimum, qui terras illas adurebat, in domibus suis quiescebãt, ex arce centum & quinquaginta milites Lusitanos eduxit, in homines imparatos inuasit, opidum cæde & terrore, compleuit, & incolas in fugam compulit. Illi, postquam in campo conglobati, & a repentino pauore refecti sunt, cogitare cœperunt, se vxores, & filios, in opido, omni præsidio nudatos, reliquisse. Itaque rursus in opidũ reuersi sunt, & conferti in nostros impetum fecerunt. Nostri, multitudine oppressi, pedem retulere, triginta vulnerati sunt. Reliqui magnam fortasse cladem accepissent, nisi hostes faissent flammis impediti. Brittius namque, vt eorum impetum retardaret, viam, quæ in arcem ferebat, incendere iussit. Cum autem rumore dissipatum fuissent, tantam esse hominum Lusitanorum insolentiam, & feritatem, vt pauci numero in alienis terris cõstituti, nullius iniuria prouocati, perniciem illis, apud quos hospites erant, inferre conati fuissent, omnes ad facinoris illius vindictã acriter stimulati sunt. Supra viginti hominum mill a ad arcis excidium conuenere. Illam igitur obsidione cingunt, ingentes fossas perducunt, aggeres excitant, tormenta disponunt, dies atque noctes arcem oppugnant. Nullum genus erat belli, quo non, vt arcem caperent, atque diruerent, contentione incredibili, & magnis viribus, vterentur. Nostros interim non tam pilarum frequentia, quam commeatus inopia cruciabat. Quinque mensibus obsessi sunt, antequã auxilium afferri posset. Tum vero milites feroces furoris insiti pœnitebat, & frustra intelligebant, militis officium non esse, pugnandi leges ducibus suis imponere, sed strenue tantum imperata conficere. Brittius Cochimum nuntium misit, qui nuntiaret, rem esse in extremum discrimen inductam. Siqueira cuilibet arci, vt cum maiore classe nauigaret, præsidia infirma reliquerat. Alexius tamen Menesius quinquaginta Lusitanos milites in vna triremε, cui Antonius Lemius præerat, illis auxilio misit. Qui, cum, propter aduersas tempestates (hiems enim erat) tardissime nauigarent, nimis sero in arcem peruenere. Ibi, cum Lemius Brittio diceret, non esse, cur aliud auxilium exspectaret, ante quam Siqueira reuerteretur; &, si diutius exspectaret, intelligebat esse omnibus fame pereundum, omnem spem salutis in virtute collocandam statuit. Antonio igitur Lemio præcepit, vt per totam noctem e triremε hostium munitiones, & turres, vehementissime verberaret. Mane vero, cum hostes in triremem essent intenti, & nihil minus opinarentur, quam fieri posse, vt, qui erant in arce inclusi, egredi auderẽt, brittius, cum trecentis militibus Lusitanis, erumpit; in hostes imparatos inuadit; primo impetu stationes, & turres, expugnat. hostes, repentino pauore perculsi, diffugiunt. Sed, cum esset eorum magna multitudo, postquam se in vrbem contulere, verbis eorum, qui ætatẽ in armis egerant, increpiti, rursus instructi, in nostros inuehuntur. In agmine primo, præter magnum peditum numerum, erant equites centum & quinquaginta, & elephãti cum turribus quinque & viginti. Aliqui eorum dentibus enses alligatos gestabant, quibus admirabili dexteritate obuios cædebant. Quidam e Lusitanis, & multitudine territi, & elephantorum metu perturbati, cedere volebant. Sed Brittius, iam munitionibus post tergum relictis, in vrbem gradum intulerat. Is autem illis, qui ferreis fistulis armati erant, imperauit, vt omnes simul glandes plumbeas in elephantos emitterent. Elephanti, non solum strepitu, sed multo etiam magis vulneribus, exterriti, fugiunt, in suos irruunt, equites impetu immani proterunt, peditũ aciem proculcant, & in effusam fugam conijciunt. Nostris nulla iam pugna restabat. Hoc igitur tantum operis habuerunt, vt hostes insequerentur. Magnam hominum multitudinem cæ dunt, vrbem omni præsidio nudant, & vsque in densum palmetum progrediuntur. Brittius, longius insequi, minime tutum arbitratus est. Timuit enim, ne propter palmarum densitatem, ordo perturbaretur, & sic nostri ab hostibus non mediocre damnum acciperent. Itaque signum receptui dedit. Rex verο, cum cerneret magnam nobilitatis partẽ eo prælio cæsam fuisse, & Saracenos, qui præcipue belli auctores fuerant, primos omnium se in fugam dedisse, & suspicaretur sibi adhuc bellum integrum restare, quod quo magis esset diuturnum, eo maius periculum rebus suis intenderetur; & animo simul reputaret, sibi fore paullo post cum classe maxima, si obsidio extraheretur, dimicandum; inuitis Saracenis, pacem petijt, quæ (sic enim rerum condicio

magnanimus vere, quis.

Zeilandense bellum.

Arcis Lusitanæ obsidio, & oppugnatio.

Subdiuersitio missum.

Brittij eruptio.

Prœliũ redintegratum.

Stratagema.

Pax Zeilandensis renouata.

cio postulabat) libentissime concessa fuit. Fœdere igitur instaurato, atque renouato, Lusitani, maiore cum modestia inter Zeilandenses versati sunt; & illi vicissim multum se Lusitanis omnibus, vel ex animo, vel simulate, quibuscumque rebus poterant, benignos exhibebant. Dum hæc apud Zeilandenses geruntur, Armuzij contra nostros insidiæ parabantur. Quod quidem a Regis Emmanuelis benignitate sumpsit initium. Cum enim intellexisset, Reges Armuzienses suorum tyrannide oppressos exstitisse, &, postquam, vrbe capta, fuerunt, Albuquercij opera, liberati, nihilominus per eiusmodi Regios ministros vectigalia sic exerceri, vt maxima eorum pars ad eosdem, qui ea tractabant, verteretur, ne ea dein de fraus admitti posset, sibi pronidendum existimauit. Ea autem de caussa scripturæ magistros, & quæstores Lusitanos, instituit, qui Regiam pecuniam tractarent: quam tamen omnem sine deminutione in Regis ipsius vsus conuerti præcipiebat: & hoc, tantisper dum Rex ipse, cuius erat pecunia, posset animaduertere, quantum pecuniæ sibi detractum annis singulis fuisset, & clarius perspiceret, omnem suæ salutis rationem tutela, atque patrocinio, ipsius Emmanuelis contineri. Id Raix Xeraphius, & reliqui eiusdem flagitij, atque sceleris, administri indignissime tulerũt, tanto se pecuniæ fructu, quãtum domum quotannis auertebant, Lusitanorum industria, & fidelitate, priuari. Itaque Regi demonstrare conantur, illum Regis tantum nomen retinere, iure autem Regio, atque patrimonio, spoliari. Iam opertam tyrãnidem specie benignitatis institui; omnem illam pecuniam in vsum auaritiæ Lusitanæ cessuram. præstare millies mori, quam tam indignam contumeliam pati. Hæc cum frequenter ingererent, & Regis aures assiduis querellis obtunderent, illius animum, qui erat in Lusitanum nomen valde propensus, prorsus immutarunt. Re autem cum Regis socero, qui erat nomini Christiano vehementer infensus, communicata, decretum fuit, vt, postquam Siqueira Armuzio discederet, per insidias, Lusitanorum præsidia trucidarent, & arcem præsidijs vincirẽt. Sed obstabat ille metus, ne, si coniuratio parum procederet, &, quod secum agitabant, palam fieret, Mochrim aduersarium haberent, qui, Lusitanis adiunctus, hostis sane grauis, atque metuendus, Armuzienſibus esse posset. Insula, quam appellant Baharem, (quæ, haud scio, an illa sit, quam olim Icharam nominabant) est angusto freto ab Arabia disiuncta. Hæc ad Armuzienſis Regis imperium pertinebat: quam tamen Mochris, gener principis, qui Mecam vrbem summo imperio regebat, armis occuparat. Is autem non insulam tantum dominatu oppressam tenebat, verum & classem centum & viginti nauium ædificarat, cum quibus bellum Armuzij Regi frequenter inferebat. Hunc igitur, antequam meditatum scelus ederent, de medio tollendum esse statuerunt. Quod vt facerent, singularem fraudem excogitant. Nam per eos ipsos, quos crudelissime necare parabant, hostem, a quo sibi valde timebant, euertere decreuerunt. Habent hoc eorum plerique, qui dira Mahumetis superstitione infecti sunt, vt in summa fraude summum decus situm arbitrentur. Itaque ad Siqueiram adeunt, Regemq. Emmanuelem Armuzij dominum esse prædicant, illiusq. officium esse, omnes, qui Armuziũ bello vexant, armis opprimere. Mochri non satis esse, Regis Emmanuelis opes bello vastare, verum & naues omnes, quæ erant Armuzium peruenturæ, ab eo in portum illius insulæ, quam oppressam dominatu tenebat, partim vi, partim etiam humanitatis specie, compelli. Sic autem sublato portorio, maximam vectigalium deminutionem fieri. Neque iam Regem in summas pecuniæ angustias adductum, posse Regi Emmanuelitributum pendere. Consuleret igitur Regis Emmanuelis nomini, & dignitati, firmaret illius imperium; tyranni illius arrogantiam virtute comprimeret; & Regis socij, & stipendiarij, qui se totum Regi Emmanueli cum omnibus suis opibus addixerat, saluti prospiceret: vt intelligi posset, omnibus, qui clarissimo Regi seruirent, esse firmissimũ præsidium in illius tutela, atque patrocinio, constitutum. Dicebant præterea, consilio Diuino factum fuisse, vt is eo tempore, cum tam magna classe, ad eas regiones accederet. Nec enim tempus magis idoneum, neque commodiorem facultatem, ad rem ex animi sententia gerendam, excogitari potuisse. Et his qui dem sermonibus Siqueiram impulerunt, vt Mochrim bello premendum esse iudicaret. Consilium tamen habuit. omnibus visum est, bellum esse suscipiendum. Classem igitur Siqueira septem nauium Antonio Correæ, qui singulari laude Regem Bintamensem Malacæ deuicerat, cum quadringentis Lusitanis, maxima ex parte nobilibus, assignauit, qua bellum hostibus illis inferret. Huic classi Regia classis, quæ centum & quinquaginta naues actuarias continebat, adiuncta fuit. Illi autem Xeraphius præerat. In Regia classe erãt militum Saracenorum tria millia. homines, partim cetrati, & hastati, partim scorpionibus & minoribus tormentis armati, in prælium ibant. Naues erant etiam maioribus tormentis, & munitionibus, instructę. In cursu sęua tempestas subito coorta, classem disiecit. Tempestate autem sedata, Correa, & Ioannes Pereira, cum nauibus suis, in insulam peruenere, partem eam versus, in qua ciuitas, quæ insulę nomen obtinet, sita est. Vrbs est amplа satis; & ædificiorum magnificentia, & hominum frequentia, celebris. Eo mercatores vndique, propter opportunitatem commercij, libentissime commeabãt. Mochris vrbem

crebris

Armuzienſium contra Lusitanos insidiæ.

Singularis armuzienſium fraus.

Fraudulenta ad Siqueirã exhortatio belli aduersus Mochrim suscipiendi.

bellũ aduersus Mochrim

Bahare, vrbs, & insula.

Bahare insula.

Universidad de Deusto
Biblioteca

crebris ſtationibus, atque multis tormentis, (fuerat enim de claſsis aduẽtu certior factus) egregie munierat,&,propter ipſius vrbis præſidia,duodecim millia Arabum mercede conduxerat. Correa claſſem, ab vrbe diſiunctus, in anchoris exſpectabat. Quæ poſt ſex dies aduenit. Duæ tantum naues Luſitanæ deerãt, quarum vna Armuzium, vi tempeſtatis,delata,altera poſt bellum confectum ad Baharem appulſa fuit. Correa copias in terram expoſuit,acies diligenter inſtruxit, vrbem totis viribus oppugnauit;atque primum noſtri fuere ab hoſtibus ſumma vi repulſi. Correa,rurſus, cum multo maiore impetu in duas vrbis ſtationes inuectus eſſet, prælium multo atrocius initum, & longo ſpatio temporis extractum fuit. Noſtri tãdem irruperunt,& hoſtes in fugam verſi ſunt. Ex hoſtibus trecenti & triginta milites cæſi ſunt, in quibus equites triginta fuere. E noſtris quinque deſiderati ſunt, quo in numero Georgius Pereira fuit; ſeptuaginta vulnerati. Antonius Correa graue vulnus accepit. Arius Correa,frater illius, qui ex illum præferebat,cum multum ſanguinis e vulneribus illius emanaret,concidit; & ab hoſtibus interfectus fuiſſet, niſi Alexius Souſa,& Rodericus Correa, viri egregie fortes,illi confeſtim opem attuliſſent. Qui quidẽ, dum Ario ſubuenire conabantur, multa vulnera ab hoſtibus acceperunt. Xeraphius in hoc prælio ducis ſapientis officio functus eſt. Prælio enim non interfuit; & ex præda ſane frugaliter,quantum licuit, in naues deportauit: qui, ſi hoſtes cum integris copijs inſequi voluiſſet, magna ea die cædes hoſtium fieri potuiſſet. Correa tyranni ædes occupauit,vrbis poſſeſsionem nomine Regis Emmanuelis cepit,milites collaudauit, & quoſdam etiam, qui ſe excellentius in pugna geſſerant, queſtribus ornamentis affecit. Accepta deinde a Xeraphio fide, vrbem illi (Regis enim vicem gerebat)moderandam tradidit,ea condicione,vt perpetuo Emmanuelis imperium agnoſcerent. Raix Xeraphius,cum accepiſſet,Mochrim e vulneribus, poſt tres dies,quam prælium commiſſum fuerat, mortuum fuiſſe, eo, quo extremum ſpiritum ediderat, Correæ permiſſu,ſe contulit,& cadaueris caput abſcidit, vt illud gratiſsimum munus Regi ſuo deferret. Naues, quæ erant in ſtatione nauali, ſuccenſæ fuerunt. Hametus, Mochris ſororis filius,qui Catifam,alteram inſulę vrbem,tuebatur,illius poſſeſsione ceſsit, &,fide Correæ, in continentem res omnes ſuas tranſmiſit. Et ſic demum inſula in Armuzij poſſeſsionem venit. Correa Armuzium petijt,vbi fuit a Siqueira,vt meritus erat,collaudatus,& a Rege multis muneribus affectus. Scelus autem in aliud tempus dilatum. Hoc anno in Africa Iehabentafuſus, dum facinus ingens aggredi ſtuden per inſidias interfectus fuit. Xerifiũ enim bello vexare,& Marochium oppugnare,para-

Vrbis oppugnatio.

Luſitanorum victoria.

Mochris mors.

Catifæ dedi tio.

Res Africanæ.

uerat. Ad eam rem auxilium a Nonio Maſcaregna petierat. Is triginta equites tantum,& viginti pedites, illi auxilio miſerat. Et huic exiguo militum numero Rodericum Norognam præfecerat. Franciſcus tamen Melius, Alfonſus,Gomecius,Ioannes Fernandius Pretus, Ignatius Nonius, a Maſcaregna, vt ſibi cum Iehabentafuſo proficiſci in hoſtem liceret,importunis precibus impetrarunt. Cum his viginti equites præterea, & quinque pedites, egreſsi ſunt. Ne plures autem exirent, Maſcaregnas vrbis portas occludi iuſsit. Iehabentafuſus Dabidenſes,& Garabiẽſes Mauros acciuit. Leidehambrenſes,cum quibus illi conuenerat, ſimiliter euocauerat. Ij,cum eſſent infirma fide,& iter illud periculi plenum arbitrarentur,venire nolebant, &, ſi imperiũ detrectarent, ipſum Iehabentafuſum, ne in eos arma conuerteret,metuebant. Verũ,cum Iehabentafuſum dolis occidere in animum induxiſſent, ſe præſto ad illius imperium futuros eſſe ſimularunt. Atque tandem,vt cogitatum ſcelus exſequerentur, aduenerunt. Nacer Mequinezius Rex per id tempus ad Iehabentafuſum litteras dederat,quibus ſignificabat,ſe pacem cum Hameto,Feſſenſi Rege,fratre ſuo,de integro feciſſe;&,vtriuſque viribus coniunctis,obſiſti minime poſſe. Illos vero ſtatuiſſe eum euertere, niſi facinus aliquod ingne ſuſciperet, quo in Regis Feſſenſis gratiã reſtitui, & veterum offenſionum memoriam delere,poſſet. Proinde,ſi ſaperet,omnes Chriſtianos, quos poſſet, arte aliqua deluſos Regi Feſſenſi traderet. Aliter enim crederet exitium ſibi prorinus afferendum. Is litteras reſponſo minime dignas arbitratus eſt. Interim fuit illi nuntius allatus, montium Principem, ducem quendam,quem equitum turmæ præſe erat, inuaſiſſe, & ipſum ducem, & equites quinquaginta captiuos abduxiſſe, & Abrahe mum interemiſſe. Erat autem Abrahemus Azumi frater, qui multum inter ſuos opibus, & opinione virtutis, excellebat. Id cum accepiſſet Iehabentafuſus, Azumum inuiſit,vt eũ conſolaretur,& epulo funebri, quod Azumus, vt gẽtis mos eſt,fratris nomine daturus erat, intereſſet,& reliqua hominis amãtiſsimi munera præſens obiret. Chriſtianos omnes, & vniuerſam familiam ſuam, in caſtris reliquerat,& in Dabidenſium caſtra,quæ non procul aberant, tribus tantum ducibus comitatus, ſe contulerat. Dum vero abſque vlla periculi ſuſpicione epulis accumbit, tres principes coniurationis a tergo virum adoriuntur, eumq. multis vulneribus concidunt. Tres duces,quos ille ſecum attulerat, dum ei ſubuenire parant,& tortium hominum officium in re tam inopinata faciunt, a reliquis coniuratis interimuntur. Oleidehabramus in Iehabentafuſi caſtra confeſtim inuaſit. At Rodericus Norogna, & Chriſtiani reliqui ſe cum Garabienſibus Mauris repente coniungunt, & in

Occaſio cædis Iehabentafuſi.

Leidehambrenſium in Iehabentafuſum conſpiratio.

Nacri ad Iehabẽtafuſum litteræ.

Proditoria Iehabentafuſi cædes.

vrbem

vrbem proficiſcuntur. At multi ex Mauris illis,vt eſt hominum ingenium fallax,& ſubdolum,& ad euentum fortunæ mutabile, ſtatuerunt,Chriſtianos, vt armis, & equis,potirentur,occidere:ſed fuerunt per duces ſuos a ſcelere reuocati. Interim Allebembeques, vir primarius, qui, Iehabentafuſi odio ductus, Oleidehabrami partes,dum illi inter ſe aperte diſſidebant,ſecutus fuerat,eo,vbi noſtri caſtra fixerant, peruenit, & Rodericum Norognam ad colloquium euocauit. Dum, a reliquis ſemoti, ſermocinãtur, reliqui in noſtros imparatos impetum fecerunt. Multi cęſi ſunt, maxima pars cum Roderico Norogna in ſeruitutem abducta fuit: pauci autem euaſerũt. Maurus quidam,Bogima nomine,cuius vxor atque filij in vrbe morabantur, vt calamitoſum exitum nuntiaret, in vrbem cucurrit. Maſcaregnas,cum incredibili celeritate, centum & quinquaginta equites eduxit,& in caſtra eorum, qui ſcelus conflauerant,inuectus eſt, quæ inde circiter decem millia paſſuum aberant. Centum & quinquaginta occidit;ſupra ſexcentos & quinquaginta captiuos abduxit; ingentem boum, & pecorum,gregem abegit;& eo ipſo die victor hoſtium,& vindex facinoris ſceleſtiſsimi, in vrbem reuerſus eſt. Eo die, ſex equites, qui euaſerant, Franciſco Melio duce,in vrbem rediere. Poſtridie pedites ſedecim,& equites duo, pedibus ſimiliter effugerunt. Hic fuit finis Mauri fortiſsimi,&, quod exemplum probitatis apud illos raro perſpicitur,fideliſsimi,qui ad extremum vitę ſpiritum pro Emmanuelis Regis dignitate, & imperio, maxima cum laude decertauit. Hoc anno Rex Emmanuel Odoardum Meneſium Indiæ præfecit; qui, quinćto Aprilis die, cum claſſe nauium quindecim, Olyſippone ſoluit,& vniuerſam incolumem in Baticalenſi portu conſtituit, & continuo imperij ſibi commiſsi poſſeſsionem cepit. Eodem anno iã Georgius Albuquercius Malacam,Georgius Brittius in Malucum profecti fuerant; quorũ nauigatio exitus valde diſsimiles habuit. Vt autem,primum, quid Albuquercio acciderit, referamus, is Principem regno pulſum,& opibus euerſum, cuius patrem tyrannus per ſummum ſcelus occiderat, ſecum ducebat, vt in Pacemenſi Regno collocaret. Cum vero primum ad Pacemenſem portum appuliſſet,& rumore diſsipatum fuiſſet, Regis occiſi filium ea claſſe aduectum eſſe, multi clam in claſſem ſe contulere, Regiumq. iuuenem Regem ſalutauere. Tyrannus Gueinal, hoc enim illi nomen erat,vrbem foſſa,& vallo,munierat, magna militum præſidia ſuis locis diſpoſuerat, torméta varia collocauerat,vigilias diligenter agi præceperat. Audierat enim,Indiæ Prætorem eo claſſem eſſe miſſurum, vt illum regni poſſeſsione depelleret. Georgius Albuquercius ad illum miſit,qui diceret,vt Regno, quod contra ius,& fas,vſurpauerat, vero re-

Luſitanorum cladis inſignis.

Subita maſcaregnæ irruptio, & victoria.

Iehabentafuſi elogium.

Res Indicæ.

Georgij Albuquercii Malacenſe iter, eiuſq. ſucceſſus.

Georgij Albuquercij ad Pacemẽſem Tyrannum nuntius.

gni ſucceſſori cederet. Quod ſi faceret,ſe operam daturum, vt meliore eſſet cõdicione,ea, qua fuerat ante, quam Regnum illud occuparet. At tyrannus reſpondit,ſe Regnum, quod ei iure aduenerat, & ab homine malefico contra ius vſurpatum fuerat, virtute cepiſſe. Se vero libenter Emmanuelem dominum agnoſcere,& ſumma fide tributum, quod imperatum eſſet,ſoluturum. Proinde,orare & obteſtari,ne Regem, qui optimo iure in Regni poſſeſsionem venerat, & qui ſe, tot usq. Regni opes,Emmanueli Regi libenter addicebat, vellet, vllius gratia, contra iura omnia, violare. Orationibus, & obteſtationibus, huiuſmodi, vltro citroque,ſine vllo fructu, miſsis, decretum ab omnibus eſt, vt vrbs oppugnaretur. Opportune autem Emmanuel Gama Malaca, cum naue rebus omnibus inſtructiſsima, ad eundem ſe portum contulerat. Rex quidã erat Pacemenſi finitimus: Regnum Daru appellabatur. Is erat Principi pulſo ſanguine propinquus,& illius gratia bellum aſsidue cũ tyranno gerebat. Is,cum audiſſet noſtros vrbem oppugnare conſtituiſſe, exercitum, in quo ſupra tria hominum millia fuere, repente coegit, & ad Albuquercium continuo venit,& operam, & opes ſuas omnes pollicitus fuit. Albuquercius animum gratum habuit, opera vero illius ad id bellum ſe minime indigere reſpondit. Rogauit tantum, vt ſpectator adeſſet, vt videret, quo animo Luſitani hoſtẽ ferire didiciſſent. Ne autem poſt victoriam, quam ſe propitio Dei numine adepturũ confidebat, illius copiæ cum hoſtibus commiſtæ periculum adirent,eum admonuit,vt iuberet omnes ſuos capita ramis viridibus ornare, vt eo diſcrimine ab hoſtibus internoſci poſſent. Deinde aciem triplicem inſtruxit; primam Sancio Henrico, alteram Alfonſo Meneſio attribuit, tertiam vero ſibi reſeruauit. In acie illius erant Emmanuel Gama, Antonius Miranda Azeuedius, Garſia Chaignus, Hector Valladares, Franciſcus Bocarrus, & alij quidam viri nobiles, quorum virtus ſpectata multis in locis exſtiterat. Sancius primam ſtationem aeriter oppugnare inſtituit. Meneſius ne vlli laudem concederet, in locum ſibi aſsignatum feſtinanter inuaſit. Albuquercius poſtremo cum ſuis omnes ad certamen alacrius ineundum incendit. Fuit longo ſpatio varijs tormentis, & vaſis fictilibus tormentario puluere completis, atque miſsilibus, acerrime pugnatum. Cum propugnaculũ immineret, vnde noſtri non mediocre damnum accipiebant, Dionyſius Melius, Emmanuel Gama, Hector Valladares, & Franciſcus Bocarrus, ad portam accurrunt, fores effringunt, & repagula conuellunt, &, aditu patefacto, cum reliquis,qui illos ſequebantur, irrumpũt. Ad hunc modum prima ſtatio expugnata fuit. Altera ſtatio multo munitior integra permanebat. Quæ fuit,cum multo maiore periculo,ab

Tyranni reſponſum.

Pacemenſe bellum.

Stationũ oppugnatio.

ijs,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ijs,quos Albuquercius secum ducebat, & mul
to atrociore prælio,superata.Certamẽ enim
multo maius opinione, quam nostri susceperant,exstitit,adeo,vt omnes faterentur,Chri
sti præsenti numine profligatum fuisse. Quadringenti Gueinalis tyrãni domestici, atque familiares, & duo millia militũ ex illis, quos mercede conduxerat, cæsi sunt; ipse Gueinal similiter interfectus fuit; vxores,& filij capti.
Illustris Lusitanorum victoria. Ducentos & octoginta tantum Lusitanos Albuquercius in aciem eduxerat; quattuor solum desiderati sunt. Albuquercius in regni possessionem Principem heredem misit;Regẽ fœdere ad fidem erga Emmanuelem conseruandam obligauit;& tributum,quod singulis annis penderet,imposuit;arcem deinde multorum operis ædificauit.Sancium Henricum arci præfecit,& ei centum Lusitanorum præsidium attribuit;ita tandem Malacam cum incolumi classe peruenit. At Georgius Brittius
Georgij Brittij malacẽsis infausta nauigatio. cum sex nauium classe in Zamatræ portum aduectus est,ad ciuitatem, quam Dachem appellant.Rex illius ciuitatis hostili odio a Lusitanis diffidebat iam ex eo tempore, quo Alfonsus Albuquercius Malacam expugnauerat. Iccirco Lusitanos, qui casu naues ad eum portum appulerant,omnibus bonis exspoliarat. Brittius, cum id exploratum habuisset, misit ad illum, qui diceret, se vehementer admirari, cum omnes Zamatræ Reges essent Lusitanis amici, illum solum eorum amicitiã aspernari,& Lusitanos,qui ad oras illas appellebant,omnibus fortunis euertere.Se illũ hortari,& admonere,vt vellet secum,& cum Lusitanis omnibus,pacem,& amicitiam,firmare, &, in amoris instituti signum, omnia bona, quæ Lusitanis ablata fuerant, restituere. Ad hæc Rex sibi curæ fore dixit, vt in eum, penas quem illius iniuriæ culpa resideret,diligenter inquireret,& postulato satisfaceret. Interim vero,tantum abfuit, vt officium debitum præstaret,vt potius vrbem multo validiore præsidio muniret. Georgius Brittius,cum se deludi cerneret, illas exiguas copias, quas habebat,in terram exposuit.Deinde,in stationem, quæ portum muniebat,inuasit,eamq; pugnãdo cepit. Prælij principium non fuit telis,sed hastis, atque gladijs, acerrime commissum. Qui enim cum scorpionibus,& fistulis ferreis, veniebant, & erant in fronte pugnaturi, vt Brittius constituerat,nõdum,propter aduersum ventum,in terram accesserant. Hic,cum hostes fugerent, Rex,vt suis opem afferret,supra mille nobiles homines, armis egregie tectos,& sex elephantos,eduxit.At Brittius reliquas suas copias in statione exspectabat.
Io. Serrani temeritas. Ioannes vero Serranus,qui vexillum præferebat, sine vllo ad ducis imperium respectu,in hostes, qui cliuum subibant, signum intulit. Et,cum eum Brittius magnis vocibus reuocaret,voces nullo modo ad aures admisit, sed in instituta,temeritate, & amentia, fortissime persteuerauit. Idem multi eadem insania flagrantes effecerunt.Brittius,cum eos continere non posset,inuitus hominum furentium audaciam secutus est. Et, cum nostri ingentem impetum tulissent, tantam impressionem fecerunt, vt hostes in vrbem compellerent. Ita, cum iam debellatum esse considerent, in vrbem ingressi sunt, ne hostes ab illo metu resici,& recreari, permitterent. At longe secus,
Miserabilis clades Lusitanorum. quam suspicati fuerant,euenit. Nam, cum in via lata in copias,quæ Regem circumsistebãt, incidissent, pauci a multis circumuenti sunt. Qui, cum sibi moriendum esse cernerent, res admirabiles efficiebant. Primus,qui mortem oppetijt,Ioannes Serranus fuit. Quidam autem,Gaspar Fernandius nomine, vir egregie fortis,cum in elephantum, vt eum hasta trãsuerberaret, impetum ferret, ab elephanto proboscide in altum sublatus, atque ad terrã allisus,& pedibus ipsius elephanti conculcatus, interijt. Georgius Brittius deinde cecidit. Christophorus Pinctus, Ioannes Pereira, Franciscus Godizius,& alij multi similiter occisi fuere. Qui euadere potuerũt, fugæ se mandarunt. Quidam ex nauarchis, Laurentius Godinius nomine,copias suas,vt se cum Brittio coniungeret,educebat: cũ nostros fugientes animaduerteret, non exspectauit, dum illos exciperet,& hostium insequentium impetum ab illis reprimere conaretur, immo fœdissima fuga sibi consuluit: quo factum est,vt hostes vsque ad litus nostros insequerentur.
Raposi respõsum. Nondum omnes sciebant, Ducem intra vrbẽ cecidisse.Ludouicus Raposus,& Petrus Villosus, viri, qui multa decora virtutis militaris obierant,cum in ipso litore percepissent,Brittium occisum fuisse, dixerunt,sibi nullo modo tantam turpitudinem subeundam esse, vt ex prælio, in quo Dux occubuisset, euaderent. Itaque in hostes ruunt, neque cædendi finem faciunt,donec vulneribus concisi, & debilitati,concíderent. Gaspar Gallus, cui prima aci
Gasparis Galli nauis, vado impacta. es,in qua multi minoribus tormẽtis instructi veniebant,assignata fuerat,cum fluctibus, & aduerso vento,pugnauerat.Cum vero stre pitum tormentorum,quibus hostes,qui erant in statione,nostros repellere nitebantur,audi ret,nauem longam,cui præerat, remis,quantum hominum viribus, & summa animorum contentione,fieri potuit, impelli, & incitari, præcepit.Quo facto,nauis,impetu ipso,quo ferebatur,in arenæ molem, quæ sub aquis latebat,impacta, sic inhæsit, vt nec remis, neque cõtis,nec vlla nautarum industria,inde prius euelli potuerit, quam rediens æstus, aquas, quibus sustineri nauis ipsa posset, afferret. Omnes igitur nauarchi cæsi sũt,præter duos, Gallum nempe, & Godinium,qui prælio non interfuerunt:vnus,quia non potuit,alter quia fugæ turpitudinem subire minime dubitauit. In quo prælio supra septuaginta viri Lusitani nullus

nullus exstitit, qui non multis inde vulneribus sauciatus abiret. Anchoris autem solutis, e portu profecti sunt, & in portum Pedirensem se contulerunt; vbi inuenerunt Antonium Brittium, Georgij Brittij fratrem, qui communi omnium suffragio delectus fuit, vt in fratris demortui locum succederet. Sic autem fuerat ab Emmanuele decretum, vt, si
Antonius Brittius, fratri iuf fectus. Georgium aliquis casus de medio sustulisset, Antonius Malucis insulis præesset. Antonius Brittius nauarchos reliquis nauibus præfecit; deinde, in oram Pacemensem delatus, Georgium Albuquercium reperit. Itaque omnes simul Malacam profecti sunt, vbi fuerunt a Garsia Sala, cum humanitate summa, recepti. Qui arcis confestim possessionem
Res europeę Georgio Albuquercio concesit. Hoc anno Leonora Regina Olysippone, mense Iunio, peperit filiam, cui fuit Mariæ nomen impositum: quæ postea ingenio, & animi magnitudine, & opibus summis, excelluit, quamuis varijs casibus innupta in hunc vsque diem permanserit. Vt autem, quid interim
Res Indicæ. Iacobo Fernãdio Begiensi nauale prælio in India Iacobo Fernandio Begiensi acciderit, oratione perstringamus, is, eo tempore, quo Antonius Correa in Baharem missus a Siqueira fuit, in Indiam cum nauibus quattuor, eiusdem Siqueiræ iussu, nauigauit. In ora Cambaiæ duas naues cibarijs onustas, & vnam onerariam nauem satis opulentam, pugnando cepit. Melichiazius, cum prælium non procul a Diensi portu fieret, Hagamahamedium cum longis nauibus duodeuiginti misit, vt opem suis afferret. Sed eo tempore, quo is nauibus appropinquauit,iam prælium erat finitimum,& hostium maxima pars occisa. Hagamahamedius tamen acre prælium de integro cum victoribus iniuit; nauem vnam, cuius nauarchus nominabatur Gaspar Doutelus, depressit; maxima corum pars, qui eadem naue vehebantur, fluctibus demersa fuit; nauis ipsius Begiensis parum abfuit, quin mergeretur. Similiter & Nonius Fernandius Macedus summum periculum adiuit, & quattuordecim in prælio viros amisit. Cum essent nostri in extremo periculo constituti, imbres immodici, & tonitrua, & fulgura, subitiq. subita tempestate fluctus, prælium diremerunt. Begiensis, vt aquationem faceret, & rei frumentariæ consuleret, & naues iactatas reficeret, Chaulem petijt: eo Siqueira peruenit, a spe arcis prope Dium ædificandæ deiectus. Locum enim, quem is delegerat, Melichiazius munierat.
Præterea nauis ingens, quæ materiã subuehebat, incensa fuerat. In ea namque vincti Turcæ vehebantur, qui facinus incredibile susceperunt. Cum enim mortem seruituti longe
Captiuorum Turcarum facinus inauditum. prætulissent, clauorum attritu scintillas excusserunt, quibus in tormẽtarium puluerem deiectis, flamma nauem, & ipsos captiuos, cum omnibus Lusitanis, absumpsit. Alias deinde cogitationes Siqueira cum suscepisset, Odoardi Menesij aduentu, ab illis omnibus depulsus fuit. Interim Petrus Siluius, quem Siqueira Armuzij reliquerat, vt quædam negotia conficeret, in Chaulẽsem oram peruenit. Hagamahamedus cum sua classe eo se contulit, Petriq. Siluij nauem multis tormentorum ictibus vulneratam depressit.
Hagamahamedi pugna naualis. Siluius, cum maxima hominum, quos ducebat, parte, fluctibus hausus fuit. qui nando seruari potuerunt, capti, Diumq. perducti sunt. Sub id tempus matrimonium Beatricis,Regis Emmanuelis filiæ,cum Carolo, Allobrogum Duce, Olysippone celebratum est.
Res Europeę Allobrogum Ducis cũ Emmanuelis filia nuptiæ. Carolus eas nuptias aliquot ante annis ambierat, quod ad suam dignitatem valde pertinere arbitraretur, cum Emmanuele affinitatem contrahere, & quod de Beatricis forma, & pulchritudine, & de indole singulari, multa percepisset: & de eadem re ad Emmanuelem legatos miserat. Sed nihil fuerat ab Emmanuele constitutum. Legationem tamen benigne acceperat; & filiæ ætatem parum matrimonio aptam excusauerat; & interim multa de statu, & imperio Caroli, de regionis, quam iure possidebat, amplitudine, de illius moribus, & vita, clam, per homines industrios, inquirendo, eo deductus est, vt minime eam affinitatem contemnendam arbitraretur. Quod vbi Carolus sensit, legatos iterum in Lusitanam misit. Nuptiæ pactæ sunt, & matrimonij condiciones scriptæ, & classis, qua Beatrix Nicæam veheretur, (sic enim fœdere cautum fuerat) summis sumptibus, & singulari studio, comparata. Classis erat duodeuiginti nauium, in quibus erant aliquæ tantæ magnitudinis, quanta numquam in Lusitania naues vllæ perspectæ fuerant: erant etiam aliquot rostratæ, &
triremes præterea, & longæ naues. Nauarchus, qui vniuersæ classi præesset, Martinus Albicastrensis, Villæ Nouæ Portimanensis Comes, vir singulari prudentia, ab Emmanuele delectus fuit. Martinus Costa Archiepiscopus Olysipponẽsis aliam nauem summis sumptibus instruxit, qua Beatricem sequeretur.
Ex omni nobilitate fuerunt multi ab Emmanuele delecti; qui oẽs gemmis, & auro, & vestibus, atque monilibus, tam insignem speciem elegantiæ, & magnificentiæ, præseferebant, vt omnibus admirationem non mediocrẽ mouerent. Naues erant interius multo auro, & varijs coloribus, illustratæ. Festi dies, ante quam classis solueret, ludis quamplurimis agitati, & nobilitatis frequentia, & omnium gratulatione, celebrati. Neque solum elegantia vestium curæ Lusitanis fuit, sed multo etiam magis armorum, & tormentorum, ratio ab omnibus habita. Classis nono die Augusti vela dedit, in exitu mensis Septembris ad portum Nicææ appulsa, & Beatrix,cum maxima pompæ celebritate,& amo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Res Indicæ.

Lusitanorum in arce Chaulensi periculū

ris insignis argumentis excepta a Carolo, & ab illius proceribus, & vniuersa nobilitate, & multitudine, fuit. Dum hæc geruntur, in India Lusitani, qui arcem Chaulis ædificabant, (nondum enim erat absoluta, sed tantum ad primam cōtignationem peruenerat) magnis laboribus, & periculis, afflictati sunt. Hagamahamedus enim fæpenumero in Franciscū Mendozam, & Georgium Menesium, qui singulis triremibus præerant, incursabat, & non paucos interimebat: & hæc in Siqueiræ, & Menesij, conspectu faciebat, qui nullo modo, propter æstus accedentis impetum, suis opem afferre poterant. Tempus enim hostis acer, & infestus, obseruabat, quo naues, quæ remis non agebantur, ei nocere minime possent. Siqueira, cum illi iter instaret, vt Cochimo in Lusitaniam intenderet, Henricum Menesium arci Chaulensi præposuit, maritimarum rerum curam Iacobo Fernandio Begiensi dedit. Ei vero, vt mare illud tueretur, duas naues magnas, tres triremes, vnam nauem longam, & vnam præterea minorem nauem, reliquit: deinde vela dare iussit. Cum veromalacia summa nauigationem illius impediret, in ora naues suas prope Begiensis classem constituit. At Hagamahamedus, cum nullam rei bene gerendæ occasionem amittendam existimaret, cum triginta longis nauibus classem Lusitanam circumibat, eamq. multis tormentorum ictibus assidue verberabat, & illius conatus nauium suarum celeritate, & vehementi remorum impulsu, & concitatione, frequenter eludebat. Siqueira, cum se loco mouere non posset, angebatur. Begiensis, Andreæ Sousæ, qui triremis cuiusdam præfectus erat, imperauit, vt triremem suam in ostium fluminis, quod Chaulem alluit, impelleret, ne hostes, per fluuium inuecti, arcem oppugnarent. Sed Hagamahamedus, in Sousam inuectus, triremem nocte crebris ictibus oppugnauit, septem Lusitanos occidit, vulnera gra uia, & periculosa, multis imposuit. Alexius Sousa, Andreæ Sousæ frater, non leue vulnus accepit. Ad triremem tandem, vt eam retineret, suam nauem applicuit. Georgius Menesius, vt opem Sousæ ferret, accelerauit. Nihilo tamen secius Hagamahamedus, vt vtramque alligaret, summa ope contendebat. Sed Begiensis, cum triremē, cuius præfectus erat, & Franciscus Mendoza cum quatuor lembis subsidio occurrit; &, cum triremem Sousæ laceram, & dissipatam, animaduerteret, eam submoueri iussit. Deinde in triremem Georgij Menesij transscendit. Naues interim nostræ, eo quod ventus omnino defecerat, immobiles permanebant. prælium vero exarsit. Qui erant in lembis, cum non possent, aut nō auderent hostium impetum sustinere, lembos subduxerunt, vt triremis puppi se defenderent. Itaque omne certamen erat contra duas triremes institutum. Malus triremis, in quam Begiensis se contulerat, erat iam pertusus, latera multis in locis perfossa. Begiensis, cum acerrime dimicaret, & omnibus locis occurreret, optimiq. ducis, & strenui militis, munus simul obiret, exemplo suo multos ad rem strenue gerendam excitabat. Cum vero lembos non adspiceret, in puppim recurrit. Ergo, inquit, homines perditissimi, quos nec pudor, neque religio, ad officium impellit, mauultis turpiter fugiendo, ab hoste crudelissimo necari, quam fortiter, & animose, dimicando, vitam tueri. Dum hæc diceret, tormenti vnius ingentis pila latus illius percussit, loricam perfregit, & ipsius loricæ fragmenta intra lacerum corpus immisit. Cum Georgius Menesius illum cecidisse conspiceret, corpus illius integumento inuolutum a militum conspectu subtraxit, ne multi, cæde illius exanimati, a pugna desisterent. Eos autem, quos mors illius fallere non poterat, adhortatus est, ne vnius viri casu animos demitterent, immo, virtutis illius exemplo, ad simile decus aspirarent. Tum, ducis officio egregie functus, multa pertulit. At multi ex illis, qui tormentis præerant, occisi iam fuerant. Tum quilibet, pro vsu, quem habebat, eorum vice munus illud administrabat. Remiges, cum essent a Christi sacris alieni, lingua nostris ignota hostem magnis vocibus admonent, vt triremem alligent. Neminem esse iam, qui eam tueri posset, cum omnes aut mortui, aut vulneribus debilitati fuissent. Menesius, cum hoc animaduertisset, septem aut octo remiges vulnerauit, reliquos formidine perterritos in officio continuit. Hagamahamedus tamen, cum magnam suorum partem interfectam, multas naues laceras animaduerteret, prælium, ne grauius aliquod damnum pateretur, omisit. Menesius, vt ijs, qui erant in litore, & prælium spectabant, victoriæ speciem præberet, illum per aliquod spatium insecutus est. Deinde triremem, quæ omnem propemodum prælij impetum sustinuerat, multis vexillis ornauit, & tormentorum omnium fragore lætitiæ significationem dedit, quod illius ciuitatis incolis maximum terrorem incusit. Deinde, vt magis victoriæ confessionem cunctis exprimeret, ad vesperum in anchoris constitit. Postremo, sublatis anchoris, ad nauem prætoriam accessit; laceramq. triremem, & numerum eorum, qui pugnando ceciderant, ostendit. Siqueira noluit inde discedere, antequam classem reficeret; & ad Odoardum Menesium litteras dedit, quibus rei statum significauit. Classe autem refecta, maritimarum rerum præfecturam Antonio Correæ commisit, tantisperdum Ludouicus Menesius, Odoardi Menesij frater, veniret, qui fuerat ab Emmanuele mari præfectus. Rebus ad hunc modum constitutis, Siqueira Cochimum profectus est, vt se ad iter, quod erat ei in Lusitaniam

Atrox cū Hagamahamedo prælium.

niam faciendum, compararet. At Hagamahamedus sex & triginta longas naues rursus instruxit, & ita in Chaulis portum inuectus, classem in loco constituit, quo illam tutam a nostris facillime conseruabat. Hagamahamedus, cum Corream nihil mouere cerneret, ad classem illius accessit, & postquam ad ictum tormenti constitit, multis tormentis prælium instituit. At Correa tormentarij pueris inopia laborabat; & ideo, ne totum sine magno fructu consumeret, summa vigilantia prouidebat. Nostri duas turres excitarant, atque munierant, vnam ad oram, qua flumen in mare cadit, in qua specula erat, alteram propius vrbem. Hagamahamedus, cominus decertare, non satis tutum arbitrabatur. Turrim vero, quæ erat ad fluminis ostium, oppugnare constituit. Eam triginta tantum viri Lusitani tuebantur. Ducem igitur, Chilum nomine, cum quindecim nauibus, ad eam oppugnandam misit. Is ducentos viros in terram exposuit, in loco, quem rupes excelsa tegebat: qui inde in editum collem subierunt, qui turri imminebat. Hi turrim a terra acriter oppugnare, naues e mari quatere tormentis instituunt. Nostri, ancipiti prælio districti, nulli tamen loco desunt. Turris Præfectus, cui nomen erat Petrus Vascius Furmanus, dum periculum a turri forti animo propulsat, tormenti vnius ictu percussus occubuit. Simon Ferreira, & tormentorum magister, & nonnulli eiusdem muneris artifices occisi sunt. Correa interim, quamuis prælium cum Hagamahamedo tunc iniret, Rodericum Vascium Pereiram, cum septuaginta viris Lusitanis, duobus lembis immisit, vt ijs, qui arcem tuebantur, subueniret. Ij, cum in terram desilirent, in hostes, qui collem occuparant, inuadunt, eosq. loco pellunt, & in fugam conijciunt, & ferociter in litus insequuntur, & multos interimunt. Hagamahamedus vero, post prælium longo spatio protractum, cum e suis maximum numerum interfectum adspiceret, receptui signum dedit. Porro autem Correa, prælij contentione liberatus, in turrim iuit. Ibi eos mortuos, qui dicti sunt, aduersis vulneribus inuenit. Multos præterea vulneratos offendit. Parma vnius, cui Petrus Queirosius nomen erat, septem & viginti sagittis transfixa fuerat; & alius, nomine Emmanuel Cugna, similiter quinque & viginti sagittas parma infixas gerebat. Alij similiter multa signa virtutis indicabant. Dum hostes ab arcis ingressu repelluntur, triginta ex illis cæsi sunt, & alij præterea sexaginta in litore ceciderunt, præter eos, quos Pereira cæciderat. Omnes ferme, qui hoc prælio cęsi sunt, nobiles erāt, quos cultus elegantior, & armorum vsus indicabat. Inter eos Chilus, qui ad arcem oppugnandam missus fuerat, & Aethiops quidam, agminum ductor, vir fortissimus, iacebant. Mortuorum capita Correa præcidi iussit, vt ea ad Hagamahamedum, muneris parum grati loco, mitteret. Turrim vero refecit, & firmiore præsidio muniuit, illiq. Aluarum Brittium præfecit. Interim Ludouicus Menesius interuenit, cui Correa classem continuo tradidit, & inde Cochimum profectus est. At Melichiazius pacem ab Odoardo Menesio postulauit, & culpam belli in Siqueiram transtulit. Hagamahamedio vero, vt se cum classe reciperet, imperauit. Dum hæc in India citeriore geruntur, Georgius Albuquercius Bintami vrbem egregie munitam oppugnare constituit. Itaque, magna classe comparata, in eam insulam traiecit, ad vrbem castra posuit, & stationes propugnatoribus nudare instituit. Sed scalas non attulerat. Dictum enim illi fuerat, stationes, & propugnacula, propter humilitatem, transcendi facillime posse: quod longe secus esse reperit. Itaque fuit ab oppugnatione, cum damno, repulsus. Multi namque telis hostium ceciderunt, inter quos Georgius Melius extitit, qui cum Antonio Brittio in Malucas insulas nauigabat. Multi vulnerati sunt. Ita deinde se receperunt, vt hostes eos insequerentur, neque cædendi finem facerent, vlque eo, dum in scaphas, & lembos, deinde in naues, cum periculo non mediocri, conscenderent. Laqueiximena, maritimarum rerum præfectus, vt magis victoriæ confessionem exprimeret, cum nauibus viginti, classem Lusitanam persecutus est, Egidiumq. Simonem, celocis præfectum, cum omnibus, qui sub illo militabant, interfecit. Exitus igitur rem temere susceptam, vt fieri plerumque solet, infelix admodum consecutus est. At Antonius Brittius, ex eadem insula profectus, vt Malucas insulas peteret, ad Iauas in eo cursu delatus, classem in Agaciamensi portu constituit. Erat enim ea ciuitas fœderata. Aberat inde non procul insula nomine Maduram, cuius aqua laudabatur. Itaque magistrum nauis suæ eo misit, vt aquaretur. Incolæ in nostros impetum fecerunt, & lembum ceperunt, & captiuos, eo quod insita quadam temeritate, & insolentia, primi iniurias intulerant, nullo modo, nisi pretio pro redemptione persoluto, reddiderunt. Brittius, propterea quod hiems erat, nō potuit eodem anno in Malucas nauigare: & apud Hagacimenses hibernauit. Et hæc quidem in vlteriore India gesta sunt. Sub id vero tempus, Armuzij Xerafus operam dedit, vt scelus meditatum in actum tandem erumperet. Postquam enim opera, & industria, Correæ Baharemēsi insula potitus fuit, tantos ad scelestum illud facinus perficiendum spiritus assumpsit, vt, oblitus fidei, atque recentis illius beneficij, conatus omnes adexitium nominis Lusitani cōparauerit. Obstabat tamē Regis ipsius volūtas in Lusitanos propē sa, qui, etsi soceri crebris sermonib. alienatus

Turris cuiusdā oppugnatio.

Queirosij, & Cugnæ virtus insignis.

Infelix Bintami oppugnatio.

Antonij Brittij ad Malucas nauigatio.

Maduram, insula.

Armuzienſiū in Lusitanos conspiratio, atque rebellio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

a nostris exstiterat, noui tamen muneris, & beneficij, recordatio cum rursus ad fidem, vt antea faciebat, obseruandam allexerat. Hominis tamen sceleratissimi importunitate victus, & soceri auctoritate commotus, quamuis pestem sibi comparari eo scelere perspiceret, hominibus perditissimis assensus est. Die igitur ad facinus præstituta, in ædes, in quibus Lusitani habitabant, irruerunt, inopinantes oppresserunt, & domos aliquas incenderunt. Supra sexaginta ea nocte Lusitani cæsi sunt. Huius coniurationis indicium ad arcis Præfectum delatum fuerat. Sed tanta fuit hominis in tanto periculo propulsando negligentia, tantaq. suscepti muneris obliuio, vt ne commeatum quidem vllum ab obsidione tolerandam in arcem importandum curauerit. Ea tamen nocte, vt in re trepida fieri potuit, Garsia Cottignius, hoc cuim præfecti nomen erat, vt diximus, turres ducibus assignauit, & tormenta apte collocari præcepit, & aciem instruxit, quæ Lusitanos in arcem confugientes exciperet, & impetum hostium ab arce repelleret. Nostri cum ex arce egressi fuissent, in Saracenorum turbam impetum dederunt, multosq. ex illis occiderunt, & non paucos Lusitanos, qui nondum interfecti fuerant, conseruarunt. Cum vero in arcem redirent, in hostes, qui vias obsederant, inciderũt. Fit atrox prælium. Hostes odium acerbum, & immane, nostros desperatio, & indignatio, stimulabat. Illi, multitudine furenter elati, nostri, virtute freti dimicabant. Tandem, cum nostris via ferro aperienda esset, (aliter enim nulla spes salutis erat) tantam impressionem fecerunt, vt hostium aciem perrumperent, & multos interficerent, atque tandem in arcem euaderent. Omnes tamen, qui quadraginta tantum erant, vulnerati fuerunt. Cottignius ea nocte nuntium de rebellione illa, & periculo, in quo versabatur, ad Prætorem in Indiam misit. Et, quia materia ad excitanda propugnacula deerat, nauem oneratam, quæ in anchoris consistebat, exonerari, & dissolui, & omnem materiam in arcem comportari, iussit: quod non sine maxima armorum contentione, & sine multo sanguine, & aliquorum cæde, fieri potuit. Multi namque Saraceni, qui opus impedire nitebantur, occisi sunt, & aliqui etiam Lusitani ceciderunt; inter quos vir egregie fortis, Vascus Vieira nomine, cuius in ea pugna præclara virtus fuerat, occisus est. Eo vero tempore, Emmanuel Sousa Tauares, qui cum classe mare Persicum, & Arabicum, peragrabat, vi tempestatis in Mascatem delatus fuerat. Eo Tristanus Vascius Veiga nauem, Calaiate profectus, appulerat. Vrbis præfectus illis Armuzij rebellionem, & scelus in Lusitanos conflatum nuntiauit. Significauit præterea, se litteras ab Armuzij Rege accepisse, quibus imperabat, vt omnes Lusitanos, qui in eadem vrbe versarentur, confestim occideret. Quod etiam Calaiatensi præfecto, post Veigæ ab illa vrbe digressum, præscripserat. Omnes enim illius oræ ciuitates ad Armuzij ditionem, & imperium, pertinebant. Calaiatensis autem præfectus continuo paruit, & omnes Lusitanos, quos potuit, interemit. At Mascatensis, cum esset vir senex, longoq. rerum vsu peritus, & coniectura prouideret, facinus illud non esse feliciter casurum, se a cæde continuit. Veiga fuit vir neque moderatus, neque moribus, & vita, recte constitutus, tanta tamen animi magnitudine præditus, vt nullum vmquam periculum formidaret, ita, vt multi illum insaniæ, & præcipitis cuiusdam temeritatis, insimularent. Is tunc, cum inter illum & Sousam iurgium exstitisset, solus cum triginta Lusitanis Armuzium profectus est, & per mediam hostium classem, in densos tormentorum globos, & in flammas, & tela, & in sagittarum multitudinem, irruit; tantaq. virtute dimicauit, vt, omnium iudicio, vires humanas superaret. Atque tandem, cum hostium classem perrumperet, in arcem penetrauit. Præbuit facinoris illius audacia hostibus maximum terrorem, & obsessos ad spem certissimæ salutis erexit. Emmanuel Sousa ad insulam Queixumem, quæ in arcis conspectu posita est, naues appulit. Cottignius, cum a Veiga percepisset, Sousæ classem esse exiguam, & hominum præsidio non satis munitam, illum rogauit, vt simultatem deponeret, & se rursus cum Sousa coniungeret. Is, etsi vulneratus erat, Cottignij precibus obsecutus est. Iterum igitur non cum minore periculo classem hostium perrupit, & Sousam de statu, in quo arx tunc esset, admonuit. Cum igitur æstus accederet, in hostes inuecti sunt. Prælium fuit vtrimque, magna virium, & armorum, contentione, commissum. Decem hostium naues depressæ; multi interfecti, atque vulnerati fuerunt. E nostris vnus cecidit, octoginta vulnerati sunt: classis vero Lusitana ad arcis portas, hostibus frustra repugnantibus, accessit. Xerafus, cum cerneret arcem mari, propter Lusitanam classem, oppugnari minime posse, omnes vires ad oppugnationem, quæ ex vrbe fiebat, conuertit. Consilio autem Turcæ cuiusdam, nomine Mirabdelic, viri in bellicis rebus exerciti, stationem in Regijs ædibus erexit, & alteram similiter in Xenodochio Lusitano, quod inter Regias ædes, & arcem, interiectum erat, excitauit. Vnde, eo quod propius abesset, hostes plurimum damni crebris tormentorum ictibus nostris inferebant. Garsia Cottignius Emmanuelem Vetulum, & Rodericum Varellam, cum hominibus quadraginta, in eam stationem immisit. Hi stationem acriter oppugnant, parietem disturbant, violenter irrumpunt, magnamq. cædem faciunt; duotamen in eo prælio cadunt, & omnes ferme vulnerantur. Statione ad hunc modũ capta, Cottignius tormenta omnia, quæ in ea dispositafuerant, in arcem deportari præcepit. Xerafus ingens tormentum in infirma Regiarum ædium parte collocari iussit: illius ictibus, arcis portæ confractæ, atque dilaceratæ sunt. Aditum tamen illum Cottignius, obiectis molibus, obstruxit, & multa tellure compleuit. Tum e templi turre, quæ erat Regijs ædibus aduersa, tormentum excellenti artificio commisit, qui ita collineauit, vt hostium tormentum, quo fores effregerant, ictu primo dilaceraret. Hostes exterriti quidem eo casu sunt, in instituto tamen perseuerabant. Nostros cum multum fames, tum multo vehementius sitis affligebat. Homines quidam obscuri ex arce ad hostes transfugerunt; quorum indicio Xerafus accepit, nostros non posse diutius sitim perferre. Eo nuntio fretus, statuit, arcem admotis scalis oppugnare. non credebat enim, vllas vires in Lusitanis ad resistendum, propter aquæ penuriam, residere. Hoc fuit Cottignio, Saraceni cuiusdam indicio, qui ad illum transfugit, continuo delatum. At Cottignius vasa tormentario puluere cõpleta, & trabes transuersas, cum saxis ingentibus, ex trabibus aptissime colligatis, in pinnis statuit. Hostes ad oppugnationem satis confidentes accedunt; plurimis simul scalis admotis, in arcem scandere nituntur; quantum quisque potest, vt primus, vel inter primos, ad summum euadat, enititur; cum Lusitani tradibus demissis scalas perfringunt, vasa deijciunt, multos saxis interimunt, multo plures flammis absumunt; interim pilę, in confertos emissæ, maximam stragem faciunt. Xerafus receptui signum dedit, &, scalis omissis, arcem tormentis quatere sine intermissione parauit. Catapultam deinde in ædibus Regijs disponi iussit, quæ plurimum damni nostris inferre potuisset, si aliquis inter hostes esset, qui ea vti sciret. Sed hostium imperitia frustra fuit omnis opera in ea statuenda consumpta. Tandem Xerafus murum ædificauit, ea mente, vt ad tantam altitudinem perduceret, vt arci immineret, & tela, atque densas pilas, in nostros emitteret, arcemq. propugnatoribus nudaret. At nostri, Cottignij iussu, crebris duorum tormentorum ictibus murum quatiunt, eumq. lata rima findunt, multisq. locis pertũdunt. Deinde galeas fustibus subtas inter pinnas statuunt, vt armatorum speciẽ præbeant, & choreas ducunt, maximamq. recentis lætitiæ significationem dant, vt hostes opinarentur recens auxilium aduenisse. Ea vero nocte, quæ secuta est, Cottignius Emmanuelem Vetulum, & Rodericum Varellã, cum vasis puluere tormentario refertis, in murum immisit. Hi magno silẽtio ad murum accedunt, & per rimas, atque foramina vasa intra murum collocant: deinde sparsum puluerem tenui quodam limite ab aduerso muro ad arcem continuant. Deinde, postquam in arcem recepti sunt, ignem deijciunt. Flamma repente in muri ruinas, temporis momento, discurrit, vasa corripuit, incendium cum horrendo quodam strepitu concitauit, quod stationem, quæ intra murum erat, absumpsit: in ædes deinde Regias impetu peruasit. Ventus erat ea nocte vehemens, & ita euenit, vt, cum omnes accurrerent, nemo posset incendium restinguere. Neque solum ædes Regiæ, sed magna etiam ciuitatis pars incendio illo consumpta fuit. Hoc facto Xerafi, atque Regis, spes incisæ fuerunt. Viderũt namque suos conatus ad nihilum recidisse; & existimabãt, nostros nouis præsidijs confirmatos esse; & iccirco ciuitatem deserunt, & in aduersam insulam cum trepidatione traijciunt. Nostri, ne incendium vltra serperet, operam dederunt, & varium ex vrbe commeatum, & aquã præcipue, in arcem importarunt. Rex, postquam in Queixumensi insula constitit, litteras ad Cottignium dedit, quibus significauit, se valde suscepti facinoris pænitere, cuius omnem culpam in Xerafum transferebat, & a Cottignio pacem suppliciter, atque demisse, postulabat. Interim Gudisalaus Cottignius, Garsiæ Cottignij frater, ab India, cum valido præsidio, iussu Odoardi Menesij, Armuzium venit, cuius aduentu metus a nostris omnino depulsus, & omnis hostium spes prorsus abiecta fuit, & nostri, quasi iam pax instaurata esset, hostibus manuefactis familiariter vti cœperunt. Xerafus tamen, vt susceptum scelus alio scelere cumularet, cum intelligeret Regem litteras ad Garsiam Cottignium clam misisse, Xamiro, homini primario, quo plurimum vtebatur, negotium dedit, vt ipsum Regem strangularet: quod ille diligenter effecit. Illo mortuo, Xerafus Patxam Mahametxam, Zafardimi Regis filium, qui Zafardimus eo tempore, quo primum Albuquercius Armuzium venit, regnabat, Regem creauit. Quo beneficio illum sibi vehementer obstrinxit, vt multo liberius tyrannidem constitueret, & per omnium facinorum genera vagaretur. Hoc anno in Africa Ioannes Cottignius ducentos equites eduxit, & rursus, Alcassarem Quebirium profectus, iter ita fecit, vt prius omnes vias diligenter explorari iuberet. Tinanes tandem peruenit, qui locus Alcassare Quebirio quattuor millia passuum abest. Ibi in hostes inopinantes inuasit, multos occidit, captiuos quinquaginta duxit, & supra duo millia boum abegit. Præfectus Alcassaris Quebirij, cum trecentis equitibus, & ducẽtis peditibus, vestigijs illius institit. Ioannes Cottignius pedetentim, & caute, copias agebat; & ita postremum agmen muniebat, vt hostes illi parum nocerent. Transmisso autem fluuio, constitit, & hostibus pugnandi potestatẽ

Garsię Cotti. gnij negligẽtia.

Atrox cũ Armuzijs pugna.

Armuzij Regis de Lusitanorum strage decretum.

Prudenter factum.

Audaciſsimũ Veigæ facinus.

Sollers facinus.

Præclarum Veigæ facinus.

Prœlium nauale cum Armuzienſibus.

Hoſtilis ſtationis expugnatio.

Stratagemæ Cottignij.

Aliud Cottignij ſtratagema.

Xerafi, & Regis Armuzii fuga.

Miſſum Armuziẽſi arci ſubſidium.

Armuzij Rex a Xerafo necatus.

Res Africanæ.

Proſpera Io. Cottignii excurſio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fecit; &, cum illi fluuium transire metuerent, in eorum conspectu conquieuit; & cibum sibi, & militibus, apponi iussit. Inde, Arziliam, cũ omni præda, ingressus, maximam lætitiam cunctis attulit. Fames enim tunc grauissima Hispaniam & Africam vexabat. At Hamet Larozius, qui summam Alcassaris Quebirij potestatem habebat, cum se magnam ignominiam accepisse iudicaret, quod Cottignius, cum tam exiguis copijs, tam procul Arzilia, & prope Alcassarem Quebirium, Mauros tã multos occidisset, & tantam prædam abduxisset, maculam delere cõstituit. Itaque equites quadringentos Arziliam duxit. Dies erat caliginosus, & pluuius; & ideo factũ est, vt a speculatoribus minime sentiretur. Multi, lignandi gratia, ex vrbe, sine metu, exierant. qui, vbi primum hostes conspicati sunt, in iumenta confestim insiliunt, & in vrbem inuehuntur, &, sublatis clamoribus, hostium aduentum significant. Multi, qui dispersi vagabantur, in vrbem se recipiunt. Cottignius, signo dato, ex vrbe, cum copijs, egressus est. Adolescens quidam, Aluarus Nonius appellabatur, cuius pater Regiæ supellectili præerat, in agmine primo, quod Fernandus Mascaregnas, antesignanorum ductor, agebat, exierat. Eum, cum esset animosus, & liberalis, adulatores multi sectabantur. Tum quidã ex illis, Age, inquũt, facultatem tibi diuinitus oblatam ne prætermittas: nemo tibi diei huius egregium decus vllo modo præripiat. In hostes irrue: nos te sequemur. Adolescens, iuuenta, & audacia, furẽs, & adulatorum sermonibus inflatus, equũ incitauit. Mascaregnas illum reuocare conatus fuit. Sed is, cum inuidia illud fieri putaret, multo vehementius accelerauit, vt ante omnes manum cum hoste consereret. Quinque & viginti illum secuti sunt, qui tanto impetu in primum agmen hostium inuaserunt, vt eos retro cedere compellerent. Sed, cum a Larozio subsidia repente mitterentur, ipse circumuentus, atque prius, quam auxilium afferri potuit, cæsus est: cum illo quatuor alij cecidêrunt. Hostes deinde, eos, qui fugiebant, ferociter insecuti, cum in Ioannem Cottignium incidissent, terga verterunt. At Ioannes Cottignius Aluarum Nonium adhuc viuum ostendit, &, vt solatio, quod adhiberi poterat, dolorem illius leniret, elaborauit, illumq. in vrbẽ inferri continuo iussit. Qui tamen, antequam ad vrbem accederet, exspirauit. Cottignius vero Mascaregnam, cum equitibus quadraginta, vt agmen postremum carperet, præmisit. Qui, cum aliquos primo impetu deturbasset, & vnum viuum cepisset, ex eo scisciatus est, an Larozius ipse interesset. Cum Larozũ adesse intelligeret, Cottignium admouit; qui eo nuntio valde lætatus est. valde enim cupiebat. Et ipse Larozius, id se vehementer expetere, sæpius asserebat. Verum, cum animum Cottigni ad dimicandum paratum cerneret, consilium mutauit. At Cottignus, cum iam Sol occidisset, illum fugientem insequi noluit, sed quinque captiuos homines primarios abduxit, & cæsorum spolia legit, & ita victor exercitum incolumem reduxit. Nemo enim cecidit, præter illos quinque, quos temeritas in illum casum præcipitauit. Eodem fere me tempore, Henricus Menesius, Odoardi Menesij frater, vir multis disciplinis eruditus, Tingi præerat, qui multas, cum non mediocri laude, excursiones fecit; &, cum per exploratores intellexisset, Tetuani Præfectũ in agrum Tingitanum copias eductũrum, vt vastitatem inferret, & Henrico pugnandi potestatem faceret, Henricus obuiam illi processit, & in loco, quo Præfectus erat venturus, tres dies exspectauit. Quarto tandem die in vrbem reuersus est. Iam omnes ex equis descenderant, cum repente Præfectus apparuit. Pugnæ signo dato, Henricus Menesius in hostes inuectus est, illos fudit, fugauitque, &, vsq. ad noctem insecutus, multos occidit, & nonnullos captiuos abduxit; maiusq. multo damnum hostibus intulisset, nisi tenebræ noctis hostes seruassent. Duabus autem de caussis victoria fuit insignis. Prima, quia Præfectus Tetuani vir egregie fortis habebatur, & magnas copias adducebat, & Menesius cum multo minore numero militum illi confidenter occurrerat. Altera, quia fieri non crediderãt, vt homo, qui magnam vitæ partem in disciplinis varijs, & in Pontificio iure, consumpserat, tam acer in armis esset. At Vascus Fernãdius Cæsar fretum interim Gaditanum, non magno quidem militum numero, sed magna virtute, tuebatur. Cum vero ad illum biremis accederet, nauarchus illũ admonuit, quattuor naues vnam nauem Lusitanam cepisse, quam secum e prætoriæ nauis puppe colligatam trahebant. Cæsar, sine cunctatione vlla, in eas cursum instituit, quas post Calpem montem conspexit; &, cum nauem prætoriam ab alijs disiunctam cerneret, in eam nauem suam inclinauit; cumq. prope constitisset, eos, qui ea vehebantur, interrogauit, vnde essent. Illi (erãt autem Britanni) responsum nõ dederunt, sed exitium minitati sunt, nisi protinus vela demitteret. Cæsar, cũ minime solitus esset eius modi mandatis obsequi, non obtemperauit, sed ad certamen ineundum, satis se promptũ, atque paratum, exhibuit. Tormentis acriter vtrimque decertatur. Interim vero, qui erant in nauí Lusitana, funem, quo erat alligata, præcidunt. quod Britanni, eo quod essent pugnæ acrius intenti, minime perspexerunt. In hoc prælio Cæsar septem ex suis amisit, & multi præterea fragmentis scutorum, quæ hostium tormenta disipabant, erant grauiti. Germanus quidam procero corpore, & animo satis acri ad moriendum, si opus esset, præparatus, quindecim vulnera accepe-

Hameti Larozij excursio.

Aluari Nonij inausta temeritas.

Insignis Henrici Menesii victoria.

De prospero Vasci Fern. Cæsaris cum britannica ui prælio.

Eximia Germani cuiusdã magnanimitas.

acceperat, e quibus plurimum sanguinis emanabat: quem Cæsar admonuit, vt e pugna tantisper abscederet, dũ vulnera obligaret. Ego, inquit, non prius hinc discedam, quam aut moriar, aut hostes importunos vela demittere compellam. Deinde tormentum humero sustinet, & socium ignem applicare iubet: quo facto nauis armamenta ea parte, qna antenna malo alligatur, dissipauit, maliq. partem perfregit: &, cum hoc iterum, atque tertio fecisset, magnum Britannis terrorem iniecit. Alius deinde Germanus, globo a prora in pupim immisso multos interemit, & puppis partem dilacerauit. Britanni iam eo tempore viginti ex suis amiserant, & multi vulnerati discesserant. Itaque vela continuo demiserunt. Quod etiam naues aliæ, quæ, propter aduersum ventum, prælio interesse nequiuerant, effecerunt. Hoc facto Cæsar scapham demitti iussit, & Anglos accersiuit, & caussam scire voluit, cur Lusitanam nauem cepissent. Illi respõdent, se, vt eam a Maurorum incursione, qui cum longis nauibus mare peragrabant, tuerẽtur, secum trahere voluisse. Illos deinde dimisit, qui, vt se reficerent, Gades aduecti sunt. Cæsar Septam se contulit. Emmanuel vero, vt fretũ securius a piratis redderet, classem instruendam curauit, cui Simonem Cugnã, Tristani Cugnæ filium, præfecit. Hoc anno, propter nimiam in Mauritania Tingitana siccitatem, fuit ingẽs sterilitas agrorum, & inopia frugum, famesq. multos mortales absumpsit. Eo malo coacti Maurorum incredibilis multitudo, ad Regem Emmanuelem misit, qui dicerent, se velle ad Christi sanctissimũ nomen adiungi, & quibusuis hominibus Christianis, qui eos salutaribus disciplinis erudirẽt, in seruitutem addici. Concesserit hoc Rex libentissime. Tãtum studium in illo religionis exstitit, vt eo solum nomine posset facillime in fraudẽ impelli. Cõstabat tamen, eos simulate religionem inopiæ subleuandæ gratia profiteri, quã erant, vbi primum facultas aliqua daretur, indignissimis factis violaturi. Præterea, hostes immanes in intimas Lusitaniæ sedes admittere, minime tutum videbatur. Accedebat, quod erat opinio, eos pestilentiæ contagione corruptos, posse facillime Lusitaniam pestiferis morbis inficere. Quin & vniuersa Lusitania eadem agrorũ sterilitate laborabat. Siccitas enim primũ segetes multas absumpsit, postremo imbres immodici, qui mense Maio, & Aprili, deciderãt, fruges enatas corruperunt. Itaque, cũ magna Maurorũ multitudo se omnibus, qui eos alere vellet, in seruitutẽ traderet, vix erat quisquã, qui corũ opera vti vellet. Sic factum est, vt multi, egestate, & fame, cõfecti, fœde perirent. Hoc anno, Veneti cũ quinque magnis triremibus Olysipponis portum subierunt. Nauarchus erat Alexander Pisaurensis, vir patricius, qui in Rep. plurimum auctoritatis habebat. Is a Venetis legatus ad Emmanuelem missus fuit, vt cum illo pactionẽ faceret de Indicis aromatibus, quæ volebant illis certo pretio cum emolumento Regis addici. Rex legatum honorifice admodum recepit, multisq. muneribus, & ornamentis, affecit; & reliqua omnia, quæ postulabat, benigne præstitit. De aromatum vero pactione nihil transigi potuit. In anni huius exitu, Rex Emmanuel eo tempore, quo magis opibus, & imperio, summaq. nominis gloria, & celebritate, florebat, & optima, vt videbatur, valetudine, & corporis robore, & incolumitate, vigebat, in morbum subito incidit, ex quo post dies nouem, decima tertia die mensis Decembris, ex hac vita migrauit. Quinquaginta duobus annis & sex mensibus vixerat: e quibus viginti sex annis, & mense cum dimidio regnauit. In ipso vitæ fine, maxima quædam insitæ religionis, & pietatis, documenta dedit. Testamẽtum cum singulari prudentia fecit, animum sacris sanctissimis expiauit, mortis certissimæ nuntium æquissimo animo tulit, sacerdotes, qui illum circũsistebant, &, hymnis, atque precibus, ad Deum adhibitis, vota pro illius salute sempiterna faciebant, adiuuabat, & versus sacrorum carminum multis in locis memoriter pronuntiabat. Fuit in Bethlehemitico templo, quod fundarat, cum multis lacrymis, quas desiderium illius excitabat, cum Regio funere, omniumq. ferme principum, & nobilitatis vniuersæ, celebritate, in sepulcro conditus. Si vero cursum vitæ illius consideremus, hominem certe felicissimum, si felicitas vlla in rebus humanis exstãre potest, iudicabimus. Cũ esset Regia stirpe procreatus, nulla tamen in spe Regiæ dignitatis, & amplitudinis, enutritus exstiterat. Omnes, qui illum iure propinquitatis, & antiquitatis, antecedebant, variis casibus exstincti sunt. Regni vero patrimonijũ miris accessionibus amplificauit. Armuzium, Arabiæ partem, Indiam Indo, & Gange, definitam, eam etiam, quæ vltra Gangem est, extremasq. Orientis Solis regiones, imperio adiecit: terras incognitas perlustrauit. Omnia namque, quæ Lusitani illius imperio faciebant, ad illius laudem, & gloriam, referenda sunt. Nec enim Regis officium in vlla re clarius perspicitur, quam in excellentium hominum, qui res præclaras cum maxima laude moliuntur, multitudine. Rex enim est, si vere hoc nomen vsurpat, qui spiritus affert, qui animos ad laudem excitat, qui pericula subire compellit, qui denique honoribus, & præmiis, virtuti propositis, multos homines sibi subditos, cupiditate verissimæ laudis, inflammat. Vt igitur militum fortitudo imperatorum industriæ, quæ illos exercuit, & militaribus disciplinis instruxit, & promptos, & alacres ad rẽgerendam, exhibuit, adscribenda est, ita clarorum hominum laudes ad Reges optimos, qui claritatem illam honoribus debitis excitarunt, videntur esse optimo iure reuocandæ, nes

Fames in Mauritania.

Voluntaria Maurorũ prę fame seruitus.

Veneta ad Emmanuelẽ legatio.

Emmanuelis Lusit. Regis morbus, & mors.

Præparatio eiusdem ad mortem.

Exsequiæ eius, & sepulcrum.

Vita, mores, & res gestæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Duplici igitur ratione Reges suorum laudem sibi vindicare possunt, quod & primum homines ingenio excellenti maximarum rerum cupiditate inflammarint, & quod eorum opera, quos singulari virtute præditos animaduertunt, vti sciãt. Vt igitur nobilitatis effemi natæ languor, & ignauia, summum Regi decus inurit; ita nobilium virtus, & industria, illius nomen illustrat. A Regibus enim virtutes, & vitia, in vniuersam plerumque Remp. tamquam a perenni fonte redundant. Si igitur Vascus Gama tam admirabili virtute, & industria, viam in Orientem aperuit; si Odoardus Paciecus Regis temporibus illis potentissimi impetum, & arrogantiam, compressit; si Franciscus Almeida tam illustres victorias adeptus cum insigni gloria fuit; si Alfonsus Albuquercius is imperator exstitit, vt sit cum summis imperatoribus, quorum nomen est immortalitati commendatum, merito comparandus, id est maxima ex parte Ioannis secundi, & Emmanuelis, huius nominis primi, e quorum disciplinis tam præclari homines prodiere, virtutibus adscribendum. Id etiam de Ioanne Menesio, de Nonio Fernandio Ataidio, de Mascaregna & Cottignio, & alijs præstantibus ad laudem viris, existimandum est, ea omnia, quæ gessere, Emmanuelis virtute gesta fuisse. Quare minime dubito, quin si ille per se signa in Africam intulisset, omnem Mauritaniam Tingitanam facillime fuisset sub imperium subditurus. Sed ab eo consilio partim tẽporibus, partim quorundam hominum timidorum consilijs, sæpe reuocatus fuit. Quanto tamen studio Mahumetis nomen exstinguere conaretur, vrbes, quæ illius imperio, & industria, captæ sunt, & arces similiter ædificatæ, atque munitæ, declarant. Itaque felicitas illius, quæ fuit incredibilis, non est fortunæ, vt hominum vulgus loquitur, sed diuino beneficio, quod virtutibus illius fauebat, attribuenda. Fuit enim vita continens, natura benignus, religione pius, præterea mitis, atque mansuetus, & in summa grauitate comis, & perhumanus. Aditus facilimos habebat in administrando iure, & negotiis impigre gerendis, summam diligẽtiam adhibebat. Mane, & sæpenumero ante lucẽ surgebat, & rebus Diuinis operã dabat: tum in supplicium postulatis audiendis, & negotijs Reip. transigendis tempus omne cõsumebat. Erat in sermone iucundus, & non mediocri vrbanitate præditus, & admodum liberalis. Domesticorum necessitatibus summa benignitate consulebat. Milites alebat, res præclare gestas non solum laudibus, sed multis etiã muneribus, & beneficijs, prosequebatur. Egentium inopiã opibus suis egregie sustentabat. Viris religiosis, & virginibus sacris, non solũ ea, quæ ad cultum religionis, verum quæ ad domesticum vsum pertinebant, large, & munifice, suppeditabat. Erat in sceleribus vindicandis, & erratis suorum coercendis, seuerus, quãnis esset natura magis ad lenitatem, quam ad seueritatem, propensus. Musica multum delectabatur, sed non ita, vt musicæ studium illum a negotijs auocaret. In eadem domo multi fidibus pulsabant, & ad citharam canebant; & non pauci Quæstores, & Iurisconsulti, & reliqui varijs muneribus præfecti, ad illum multa Regni negotia deferebant, ita, vt simul cum honestissima oblectatione multa negotia conficeret. Erat ille quidẽ cultu vitæ lautissimus, mensaq. illius conquisitissimis epulis exstructa; verum admodum temperate cibis vtebatur. A vino semper abstinuit, & diebus solemni ieiunio consecratis, ciborum abstinentiam summa religione conseruabat. Faucbat plurimum litteris; de moribus externis multa percunctari solebat; historias libenter audiebat; quoties cibum publice sumebat, erant epulæ magis iucundo, & vtili sermone, quam coquorum artificio, conditæ. Nam cum hominibus eruditis, & cum ijs, qui varias regiones peragrauerant, sermonem libentissime conferebat. Honestissimis ludis operam dabat; pila, & frequenti venatione, cum a negotijs erat otium, & ludis equestribus, exercebatur. Sed hoc fuit in illo mirabile, quod vix vmquam tãtum eiusmodi ludis indulsit, vt non aliquid ea die, qua animum a negotijs relaxabat, quod ad Regium munus pertineret, cum ministris suis transigeret. Vel enim in siluis versaretur, in siluis præsto aderat, qui ei supplicem libellum offerret, & aliquid cum illo ageret, in quo salus Reip. verteretur. Siue celoce in mari vagaretur, in ipsa celoce ministri vehebantur, qui cum illo multa de publicis rebus cum vtilitate communi transigerent. Illius ætate, inopia in exsilium pulsa videbatur; mæstitiæ locus non erat; querimoniæ silebant; omnia choreis, & cantibus, personabant. Eiusmodi ludis aula Regia frequenter oblectabatur. Nobiles adolescentes cum virginibus Regijs in aula, si ne vlla libidinis significatione saltabãt; &, quãnis honestissimis amoribus indulgerẽt, virginibus erat insitum, neminẽ ad familiaritatem admittere, nisi illũ, qui aliquid fortiter, & animose, bellicis in rebus effecisset. Pueris enim nobilibus, qui in aula Regia versabantur, non erat licitum, pallium virile sumere, antequam in Africam traijcerent, & aliquod inde decus egregium reportarent. Et his quidem moribus erat illius tempore nobilitas instituta, vt multi ex illius domo viri omni laude cumulati prodirent. Ecclesiæ Sanctionibus alacritate singulari parebat; mores, & ritus, ab Ecclesia constitutos, summa sanctitate, & cærimonia, tuebatur. Tempore, quo memoria supplicio rum, quæ Christus pro nobis in Cruce pertulit, ritu sollemni conficeratur, a templo minime discedebat; & tribus diebus, quibus sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum erat in Sepulcri quadam similitudine conditum, vt nobis

bis memoriam nostræ salutis repræsentaret, neque vestes exsuebat, nec ab eo loco, nisi ad aliquod breue tempus, abscedebat; &, cum somnus illum complectebatur, ibi sine vllo vitæ delicatioris instrumento, parumper accubabat. Multas sanctorum hominum religiones instaurauit, fluxosq. mores ad pristinam seueritatem, & sanctimoniam, reduxit. Aedes sacras quamplurimas vel a fundamentis exstruxit, vel collapsas refecit. Sic autem religionem colebat, vt numquam studium publici iuris, & Reip. rationem, intermitteret. Sic Reip. cõstituendæ, & moribus, atque legibus, inuigilabat, vt bellicarum rerum curam nullo modo deponeret. Sic se cũ musicis, aut venatoribus, oblectabat, vt in medijs voluptatibus, salutis publicæ memoriam retineret. Itaque eodem tempore classes in Mauritaniam, & Aethiopiam, in Orientis Solis regiones instruebat, præsidia in varias partes summittebat, iuridicundo operam dabat, hominum querellis aures assidue præbebat, commissa facinora vindicabat. Tanta tamen lenitate præditus erat, vt non facile hominum cupidorum, & omnia pericula metuentium, postulatis importunis obsisteret. Id autem effecit, vt manus multorum immodice sacris rebus afferri permitteret, & transmissionem in Africam, cuius studio tantopere flagrabat, ita differret, vt mors improuisa posset omnes illius cogitationes impedire. Attamen, quamuis, vt res humanæ sunt, aliquid eiusmodi, quod reprehensione aliqua dignum videatur, in se admitteret, fuit is Princeps, multis Regijs virtutibus ornatissimus, & immortali memoria consecrandus.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIERONYMI OSORII LVSITANI DEFENSIO SVI NOMINIS.

CVM nihil sit in vita dignitate præstantius, (est enim illa virtutis splendor, & decus ad virtutis studium multos mortales alliciens,) non possum non moleste ferre, meam dignitatē contumeliis indignissimis lacerari, eo quod videant, me sequi eorum sententiam, qui censent, huius Regni opes esse ad imperium, & patrocinium Philippi Regis optimi, & inuictissimi deferendas, Hispaniamq. vniuersam vnius tantum Principis moderationi subijciendam, vt res Christianæ Reip. longe facilius progrediantur. Hoc multi ex nostris sceleſtū facinus esse clamitant; & nos quodammodo proditionis insimulant, nempe, quod, patriæ libertatis, atque dignitatis, immemores, Portugaliam Castellanis tradamus; quos illi acres nobis aduersarios fore suspicantur. Et, vt nullum aliud incommodum ex hac Regnorum coniunctione nascatur, illud minime ferendum existimant, quod inde obitum, & occasum nomini Lusitanio rebus gestis ante clarissimo, afferendum existimant. Auxit autem hāc de nomine meo apud multos querellam Antonij impetus repentinus in Regnum, quod, vt hereditarium ius, armis occupare conatur. Dicunt enim multi, nefas esse, me, vnicum filium Principis Ludouici, Regijs virtutibus ornatissimi, cuius ego alumnus fui, & cuius humanitatem semper obtinui, in Regni petitione deserere. Cum vero graue mihi sit, officium meum requiri; tum de fide parum sancte culta vehemēter accusari, est longe grauissimum. Quocirca, antequam sententiam meam pluribus explicē; me de officio, quod iudicant Antonio Principi clarissimo deberi, breuissime purgabo. Ego, patri illius me omnia debere, semper summa fide professus sum. Filio autem, si meis consilijs, & monitis, parere voluisset, non minus, quam patri, adstrictum me esse testificarer. Sed, cum pater, pro sua in me singulari benignitate, & egregia mea in illum fide, & pietate, me plurimi fecisset, & filius a perditissimis suasoribus occupatus mea consilia semper obstinate contempserit, nihil aliud illi debeo, quam lacrymas, & doloris acerbissimi sensum, quo afficior, quoties recordor illum a patre sancto, atque sapiente, degenerare, & tantam vim calamitatis in patriam, pro qua pater libentissime vitam in summum discrimen iniecisset, inuehere. Præterea, vbi salus communis agitur, omnes priuatæ necessitudines opprimendæ sunt. Antonium amo: vicem illius doleo: sed numquam, quid ille voluerit, quid appetierit, quid parum considerate designauerit, mihi cogitandum duxi. Non Principis vilius, vel libidinem, vel amentiam, mihi vllo tempore sequendā arbitratus sum, sed illius optimā rationem, & vtilitatem. Nec enim hominis, qui cupit mentem in cælo defigere, & sanguinem suum, si fuerit opus, patriæ largiri, officium est, pluris affectionem aliquā quam obedientiam cælo debitam, & patriæ salutem, æstimare. Quod attinet ad officium Antonio debitum, me satisfeciſſe æquis iudicibus arbitror: ne plura autem dicam, multorū officiorum ratione prohibeor. Nunc ad defensionem honestatis meæ veniam: quam paullo altius repetendam existimo. Multa in educatione Sebastiani Regis prospexi, quæ patriæ interitum minabantur. Nam ij, qui regendis illius moribus præerant, eum Africę totius de bellandæ studio dies, atque noctes inflammabant; sed prudentiæ præcepta, quibus bellum gerendum erat, minime tradebant. Deinde, præproperam festinationem valde periculosam fore prouidebam. itaque illum non semel admonni, vt, priusquam in Africam traijceret, Dei sibi numen propitium redderet. Nam sine Dei præsentis auxilio bellum feliciter administrari non posse. Vt autem facilius victoriam

Universidad de Deusto
Biblioteca

riam assequeretur, non tam de gloria sua, quã de gloria Diuina, cogitaret. Ratio autem, qua facilius opem Diuinam impetraret, erat in Regio munere rectissime perfungendo constituta. Intelligeret porro, nulla apud nos iudicia esse; omnia illis, qui rerum potiebantur, condonari. Huic autem vni curæ præcipue incumberet, vt in iudicijs non libido, aut cupiditas, aut ambitio versaretur. Interim vero suos in armis contineret, & pecuniam non vexatione populorum, sed parsimonia tolerabili, & prouidentia summa, conficeret. Postremo illũ adhortatus sum, vt omnem curam Africani belli poneret, antequam vxorem duceret, vt, si casus aliquis aduersus illum de medio tolleret, legitima sobole cunctam materiam belli præcideret. Hæc quidem, & verbis, & literis, & quacumque potui ratione, cum prædicerem, nihil omnino profeci; immo quorundam hominum odium in me acerbissimum concitaui. Transmisit in Africam, inde rursus litteris meis illum in patriam reuocare conatus sum; & admonui, vt tempus commodius exspectaret, dum Mauri videlicet inter se hostili, & acerbo odio dimicarent. Gens enim, cum leuis, & inconstans esset, & nullum fœdus sanctum haberet, & semper esset ad turbulenta diss idia nimis expedita, necesse erat, vt intra breuissimum tempus cruentum aliquod bellum moliretur. Litteræ quidem meæ, cuiusdam hominis malignitate, ad illum perlatæ non sunt. Eas tamen ille legit, postquam in Lusitaniam reuersus est. Postquam vero consiliũ secundę transmissionis iniuit, illum admonui, ne tam multas copias ad bellum, quod paruo admodum sumptu profligari poterat, compararet. Non esse hostium discordiam tollendã, sed alendam, & auxilium mediocre illis, qui minus possent, submittendum, vt ita paullatim omnes mutuis cædibus sese conficerent, vsque eo, dum non maxima belli contentione omnes in suam potestatem redigeret. Postquam vero in secundæ transmissionis consilio obstinatum vidi, illum per religionis sanctitatem oraui, & obtestatus sum, vt numquã amari, & a classe sua, procul abscederet. quod si fecisset, ille vita hodie frueretur, & omnis Lusitania integram a tam dira clade incolumitatem conseruaret. Sed, quorsum hæc omnia cõmemoro? Vt intelligatur, omnia mea consilia eo spectauisse, vt nemini Portugalię Regnum vlla condicione traderetur, sed per se æterni tatem, si aliqua ratio æternitatis in rebus humanis vigere potest, conseruaret. Quidnã igitur causę dicam, vt me adeo multi tã inclemẽter accusent? accusent adulatores, qui ætatem Regis teneram minime consilio firmatã, impeditam tenuerunt, ne rectissimis consilijs obediret; accusent eos, qui illi acres stimulos admouerunt, vt pauciss imis equitibus stipatus in barbariam innumerabilem temere rueret; accusent eos denique, qui tantæ stragis se auctores præbuerunt; & non me, qui, quo ad licitum fuit, illum semper admonui, vt vitaret insolentiam; neque tanti faceret gloriæ popularis insaniam, quanti patriæ communem salutem, & incolumitatem. Sed dicunt, vt omnia hucusque recte gesseris, nunc tamen facinus scelestissimum aggressus es, cum ope summa contendis, vt nomen Lusitanum ex hominum memoria deleatur. Qui enim censet opus esse, vt Lusitaniæ Regnum Philippi Regis imperio subijciatur; censet Portugalenses Castellanis hostibus illorum sempiternis in seruitutẽ tradi. O singularem amentiam, o deplorandã cæcitatem, o iudicium barbarum, & importunum? Vnicum salutis, & dignitatis, in perdita condicione subsidium, nominis interitum vocant, salutarem coniunctionem, & Christianæ caritatis pactionem, seruitutem nominãt; eos, qui in fratrum loco habere debuissent, hostes appellare minime verentur. Adeo ne sumus sanctissimæ religionis obliti, vt rebus honestissimis, & hominibus natura coniunctissimis, detestandæ turpitudinis, & odii sempiterni, nomen imponamus? Fateor equidem, post Sebastiani Regis obitum me semper hac mente fuisse, vt arbitrarer, vnicum nobis in tam dira, & tam lamentabili, strage superesse remedium, quod horum Regnorum coniunctione tenebatur. Cum autem rationes, quare id sentirem, explicuero; tum demum accedant isti sapientes, & fortes, vt alia remedia magis salutaria prudenter excogitent, & fortiter exsequantur. De iure non disputo, quod est iuris consultorum opinione controuersum. Quam quam multi ex illis, quos ego iuris peritissimos arbitror, caussam Philippo prorsus adiudicant. Sed hoc admiror, ius potissimũ a multis, qui prudentia excellere videntur, silentio præteriri. Quodnam est illud? inquies, Regni totius vtilitas. Non enim Regna constituta sunt, vt homines Reges fierẽt; sed homines, ingenio, & bonitate, præstantes, electi sunt, vt prudentia sua Regnis consulerent. Quoties igitur in Regnorum successione controuersia nascitur, illi certe anteferendi sunt, qui Regnum fortius tueri, & prudentius moderari, possunt. Quæro igitur a meis obtrectatoribus, quis inter huius Regni competitores Philippum potentia vincat, vt facilius hostium a nobis impetum propulset. Nemo est. Quem deinde inter magnos Principes inueniemus, qui diutius Remp. tractauerint, vt longo rerũ vsu peritus possit nostrã Remp. institutis melioribus temperare? Nullus est. Si igitur is tãtum opibus antecellit, & a longo rerum vsu tantam regendæ Reip. sapientiam comparauit, vt nemo cum illo conferendus sit, ex his, qui Regnum hoc ad se pertinere dicunt; cui rectius nostram salutem committemus, quã illi, qui facile potest nos ab hostium incursione tueri, & Reip. vulneribus sapientissime medicari? Præterea, num erat obscurum cunctis hominibus,

hominibus, qui non essent mentis expertes, posse facillime Philippũ omnes huius Regni opes, quas suas esse iure censet, occupare? Quę enim sunt vires nostræ, vt cum illius viribus, & potentia, conferantur. Pecuniæ nobis nullæ sunt; duces bellãdi peritissimos nõ habemus; veterani milites obierunt; tirones absque veteranis numquam magnam in bellis laudem consecuti sunt; animi multorum iacent, Africana clade perculsi; contra vero, Philippus, & magnis thesauris abundat, & duces præstantissimos habet; & veteranorum militum maximos exercitus alit; & res illius sunt florentissimæ. Quæ maior igitur temeritas esse poterat, quam velle cum Philippo armis cõtendere? Ad hæc, inquiunt, auxilium maximum ex Gallia, & Britannia, exspectamus, quo facillime totius Hispaniæ acies nobis oppositas vno impetu profligabimus. O miserã, & inanem, cõfidentiam. Primum enim, ex illis gentibus, quæ vel Philippi imperio continentur, vel sunt cum illo fœderatæ, firmum auxilium contra statum illius sperandum non est. Deinde, vt ingentes ex illis regionibus classes, vt nobis auxilio sint, adueniant, illi, qui non multo magis auxilium ipsum, quam bellum, quod profligandum suscipiunt, extimescunt, amentissimi sunt. Bellum enim, quod timebatur, ab Hispanis erat inferẽdum, quibus sumus & natura, & vicinitate, coniuncti, & ea de caussa facillime posset æquabili compositione finiri. At auxilium non prius discedet, quã amicos exspoliet. Non vident, homines, maximã illorum hominum partem, a quibus sibi auxilium pollicentur, e piratis esse consla tã? nõ tenent memoria, quantas gẽtes illæ rebus nostris calamitates intulerint? non intelligunt, eas sic mediocribus successibus extolli, & insanire, vt nec a Regibus suis regi vllo modo possint? Vt autem nihil horum sit, sed bona fide præsidium afferant, adeo ne certum habẽt homines, illo præsidio se victores futuros, vt in certos belli euentus, & Martem communem, minime formident? Sed esto, victoriam, quam appetunt, Gallorum, & Britannorum, præsidio consequantur; quæro, an præsidia sint consestim post partã victoriam reuersura, an apud nos perpetuo mansura? Si reuersura continuo sunt, Lusitaniam exspoliatam, & exinanitam, relinquent, & multo minus, quam antea, ad propulsanda pericula munitam. Si perpetuo apud nos mãsura sunt, dominos capitibus nostris imponemus feroces, & infestos, & in rebus secundis supra quã dici potest insolentes. Non de omnibus loquor, sed de ijs tantum, qui maritimas terras incolunt, & piraticã faciũt, & latrocinio gloriantur, maxime vero, postquã se pestiferis erroribus infici permiserunt. Ita denique fiet, vt, qui Hispanorum amicitiã, & fraternam coniunctionem, repudiant, homines latrocinijs, atque cędibus efferatos sibi dominos adsciscant. Summa porro demẽtia est, longinqui præsidij fiducia vicinos hostes constituere. Liquet igitur, classem, quam multi exspectãt, aut minime venturam, aut si venerit, incertam fore illius victoriam; aut, si vicerit, nos in illorum hominũ potestate futuros, qui totam rationem moderationis ignorant. Sed inquiunt quidam, Deus miracula edet, & pro nobis pugnam capesset. Rectissime dictum puto. Ea siquidem sanctitas in actionibus nostris eminet, & tam insignis fuit, post acceptã cladem, vitæ nostræ conuersio, vt sperandum sit, angelos pro nobis armatos in aciem proditu ros. Affligimur quotidie plagis; & Dei manus est adhuc ad nos acrius feriendos intenta; & nos in eisdem flagitiis cũ summa pertinacia volutamur; & tamen nobis ipsi cæleste præsidium contra ipsius Dei consilium pollicemur. Vt igitur ineptias omittamus, satis plane cõstat, nos minime posse Philippo repugnare. Hoc ita constituto, animaduertendũ est, quan tũ præstet, hoc, quod vi fieri facillime potest, sponte, & voluntate nostra fieri. Nam, si voluntate nostra Philippi dicto audiẽtes fuerimus, honestatem nostram retinebimus, & bonis nostris libere perfruemur. Nam non viribus, sed iuri, videbimur paruisse; & nemo rebus nostris manus afferre conabitur. Si victi fuerimus, erit nobis temeritatis, & amentiæ, dedecus necessario subeundum; & bona nostra erunt direptioni, & incendijs, expos ita. vt nihil interim dicam de reliquis malis, quæ sunt cædibus, atque rapinis, longe funestiora. Hic occurrit quorundam furor, atque dementia. Non est, inquiunt, ferendum, vt Portugalensi nomini interitus afferatur. Quis Portugalensi nomini interitum inferre conatur, nisi tu, si temeritate tua Regem optimum a te alienaueris. si beneficia illius tibi valde clemẽter oblata contempseris. si vicinos tuos, tecum in Hispania natos, & educatos, hostes potius acerbos, quam socios, & fratres, habere malueris? si denique hominibus tibi cõmuni totius Hispaniæ iure deinctis, & integra religione præditis, externos homines in pietatis studio parum firmos antetuleris. Non cupit Philippus Portugalẽse nomẽ, vt inquis, exstinguere, sed augere muneribus, ornare beneficijs, & benemeritos magnis honoribus egregie cumulare. Neque tibi libertatem detrahit; sed eam opibus suis augendam, atque muniendã susci pit. Intelligit, se Principe Lusitana fuisse progenitũ; aui sui Emmanuelis, Regis clarissimi, nomine gloriatur. Nouit, quo amore, studio, fide, & pietate, homines Lusitani Reges suos prosecuti sunt. Hanc egregiã virtutis indolẽ amplificatam cupit; neque vllam Hispaniæ nationem Portugalensi præferri patietur. Itaque, non tam viribus, quam benignitate, sibi certandum existimat; in eoque pugnat, vt tu multo, quam eras antea, liberior, atque

Universidad de Deusto
Biblioteca

felicior esse velis; & tamen sic eris amens, vt malis cum pernicie tua vires illius experiri, quam illius clementia cum vtilitatis, & dignitatis amplificatione frui? quid tibi adimit? quid non defert? liberas tibi terras proponit; aditus tibi ad omnes vtilitates aperit; &, qui hactenus angustijs eras intercluſus, & impeditus, quo minus posses ex meritis ingentibus ingentia tibi præmia polliceri, nunc libere poteris ad summos honores, si virtutis tuæ lumen eluxerit, adspirare. Si nobilis es, & non tam nobilitate, quam virtute, nobilitatis ipsius parente, & altrice, niteris, omnibus ornamentis isti nobilitati debitis illustrari poteris. Si honesto loco natus es, non habebit tantas vires inuidia, vt tibi aditum ad summam honestatem, & nobilitatem, præcludat. Si adhuc in plebe censeris, ius tuum contra potentium opes facillime retinebis. Præterea, si animus tibi fuerit altus, & excelsus, & magnarum rerum appetens, vbi maior spes ostè di tibi poterit amplissimæ dignitatis? vbi maximas opes intueris? an, vbi fuerint opes, si cõtentio fiat, perexiguæ? vbi non est locus virtuti, quocumque in genere hominum nitescat, intercluſus? an, vbi omnia sic sunt inuidiæ præsidijs firmata, & obuallata, vt vix possit aliquis sibi dignitatem aliquam ob magna merita polliceri. Recogita cum animo tuo, quam multi fuerint ad amplissimos honores euecti. Quare non est, cur aliquis dicat, Nos omnes odio summo apud Castellanos esse. Non est ita. Immo, si digni sumus, ab illis honoramur, & colimur, & non mediocribus muneribus digni censemur. quod nunc est multo firmius sperandum. Rex enim Philippus est omnium maiorum suorum potentissimus, & valde in Lusitanam nationem benigne faciendi voluntate propensus; & egregia beneficia nobis promittit; & se sanctissimo iureiurando constringit, fore, vt promissa summa fide conficiat; cum vero religione summa sit præditus, nefarium scelus arbitror, illius fidem in dubium vocare. Cum igitur & possit, & velit, & promisso teneatur; dubium non est, si voluntate nostra imperium illius acceperimus, quin multo meliore condicione, quam antea fueramus, futuri sumus. Hactenus probatum arbitror me non potuisse aliter sentire, atque sensi; vel, quia, necessitati parere, sapientiæ est; vel quia, vtilitatem repudiare, temeritatis. Cum igitur intelligerem, Philippo resisti non posse, & non aliud remedium salutarius imperio illius rebus, nostris excogitarem; & animo cernerem, quantis ille nos immunitatibus, & beneficijs, ornare decreuisset; non potui me continere, quin meã sententiam verbis, & scriptis, testificarer, atque libere dicerem, nos aliter saluos esse non posse. Quid enim aliud facerem? vt probatum est, nulla resistendi facultas erat. Deinde, nihil nobis neque de iure nostro, neque de nomine, neque existimatione, deperibat. Tum, quia nobis omnibus maxima spes vtilitatis, & amplificationis, hac legitima concessione erat iniecta. Postremo, quia nominis nostri in vltimis etiam terris conseruandi aliam rationem cogitare non poteram. Nec enim Indiam, & Sinarum etiam extremas oras, quas multorum Lusitanorum millia colunt, a Turcarum vi tueri, nec Aethiopiam, & insulas Oceani, quas nostri multis abhinc annis frequentissime colunt, a piratarum incursione defendere, nec maritimas Africæ ciuitates, quæ nostrorum præsidio tenentur, ab impetu Maurorum liberare licebit. Quin etiam hanc Regni Algarbiensis oram a paucis admodum Mauris, & ijs inermibus, in oculis nostris impune vexari, & multos ex nostris captiuos abduci, quotidie cernimus: tantum abest, vt regiones a nobis tanto interuallo disiunctas opibus nostris tutas, & incolumes, præstare possimus. Omnia autem hæc mala hac Regnorum coniunctione tolluntur, ita, vt nihil nobis vtilius, & salutarius, possit excogitari. Illud etiam mihi considerandum videtur, quam vtile id esset Hispaniæ vniuersæ futurum. Nec enim homini Hispano licet quidquam, quod ad vniuersæ Hispaniæ salutem pertineat, a se alienum arbitrari. Nullus est autem locus, in quo Hispanorum, virtuti non inuideatur. Videnr enim innumerabiles nationes, tam quæ ad orientem Solem, quam quæ ad occidentem spectant, inuictis Hispaniæ armis occupari; vident, Hispaniæ totius imperium extremis mundi regionibus definiri; vident, vndique opes ingentes in Hispaniam feliciter inuehi; vident postremo, Hispanorum opera Christi nomen in regionibus loco disiunctissimis, morum immanitate vastissimis, & omni cultu humanitatis, & pietatis, maxime destitutis, pie, atque sancte, coli, verissimamque religionem purissime celebrari. Id inuidia ferre non potest. Inuidia porro, vbi primum vires colligit, in res præclaras nimis furenter inuadit. Omne igitur, quod amplitudine dignitatis excellit, opus est, vt sit præsidio firmissimo munitissimum. Concordia autem nihil est vel ad opes comparandas, & augendas, vel ad eas firmissime tuendas, munitius. Quid autem magis sit ad firmandam Hispaniæ totius concordiam accommodatius hac Regnorum coniunctione, dici non potest. Ea namque discordias omnes tollet, & Hispanos omnes artissimo inter se amicitiæ vinculo alligatos continebit. Multa fuerunt in Hispania Regna armis inter se perpetuo dissidentia. Ea vero dissensione vires Hispaniæ carpebantur; & hostes Christiani nominis exsultabant; & aditus ad Christiani nominis statum sæpenumero conuellendum aperiebatur;

tur; &, vt nihil aliud dicam, Regum discordiæ impedimento fuerunt, quo minus non citius Arabes ex Hispaniæ finibus expellerentur. Quis tam diris, & exsecrandis, dissensionibus, atque discordijs, finem imposuit? Regnorum certe conglutinatio. Nam vel matrimonijs, vel legitima successione, Regnum Regno copulabatur. Quo autem maior erat Regnorum continuatio, eo magis inter Christianos Principes gerendi belli materia subtrahebatur, & omnes subditi firmissima pace fruebantur, quod magis apparebat, quoties iterum Regnorum dissidium fiebat. Veluti cum Fernandus magnus, Princeps sempiterna laude celebrandus, Regna inter filios diuisit; ex qua diuisione tantum bellum inter fratres exarsit, vt, prius quam Sancius, frater natu maximus, interiret, non posset vlla pacis condicio stabiliri. Multa Hispaniæ, & Galliæ, exempla prætereo, quibus explorate cognosci possit, sæpe numero in qualibet natione, Regnorum distinctione, innumerabiles discordias excitari, Regnorum vero eorum, quæ dissidebant, coniunctione, discordiarum memoriam sepeliri. Nõ igitur temere, postquam Rex Emmanuel Isabellam, Regum maximorum filiam, vxorem duxit, ad quam, patre defuncto, maxima Hispaniæ pars hereditate veniebat, tanta gratulatio facta est. Existimabant enim, ex ea totius Hispaniæ coniunctione pacem, qua nihil esse potest in vita iucundius, firmissimam fore; & iterum, cum Isabella, post Michaelis filij ortum, e vita discederet, cum omnis Hispania Michaeli fidem obligaret, se illum Regem habituram, postquam ad maturam ætatem peruenisset, omnes interse mutuo gratulabãtur, quod Principis illius exortu sempiternam in Hispania pacem fore confidebant. Tunc inopinata Principis illius morte illæ spes euanuerunt. Nondum videlicet aduenerat tempus consilio Diuino præfinitum, quo Hispani tanto bono fruerentur. Deus enim est, qui temporum momenta dispensat, qui Regnorum opes auget, qui Reges ad summum gradum dignitatis euehit, qui eos, cum opibus abuntur, de solio detrudit; qui dissipata conglutinat; qui coniuncta dissoluit, vt discordijs hominum scelera puniat, & improbis impedimento sit, ne sint, vt cupiunt, ad extremum in sceleris consensione conspirantes. Si igitur Deus hoc tempore summam in Hispania consensionem ad sui nominis gloriam decernit, qui sunt illi, qui consilio illius repugnare audeãt? Ettamen nostrum, inquiunt, nomen occidet. Quo modo. Nec enim Aragoniæ nomen, neq. Valentiæ, neque Nauarræ, vt reliquas nationes Philippi moderationi, & imperio subiectas omittam, occiderunt; immo & nomen retinẽt; &, spe honoris eximij proposita, ad egregium decus enituntur; & eam libertatem obtinent, quæ ab hominibus seuerioribus interdum flagitiorum potius licentia, quam moderata libertas, possit existimari. Omnis enim libertas, quæ non est seueritatis legibus adstricta, in omne plerumq. vitiorum dedecus erumpit. Sed, quam vellem essent homines Christiani magis de Christi gloria, quam de suo nomine, solliciti? Qui enim omnia ad Christi gloriã referunt, ipsius Christi præsidio nomen sempiterni decoris obtinebunt: qui proprij nominis studio, & sollicitudine, Christi gloriæ suũ nomen anteponunt, ab ipso decoris, & honestatis, auctore derelicti, & nomen amittent, & sempiterna infamia flagrabant: contra vero, qui præ Christi gloria proprium nomen contempserint, nomen clarissimi, atq. sempiterni, decoris aslequentur. Satis, vt opinor, demonstratum est, non fuisse nobis tam temerariam resistendi sententiam suscipiendam; vel, quia iure, vt arbitror, non licebat, vel; quia nullas ad repugnandum vires habebamus; vel, quia nihil nobis de iure nostro, neq. de nomine, neque de existimatione, deperibat; vel, quia maxima spes nobis omnibus hac legitima cõcessione de maxima vtilitatis, & honestatis, amplificatione erat iniecta; vel, quia summam ipem firmissimæ pacis in vniuersa Hispania continebat; vel, postremo, vt nihil dicam, quia remedium non aliud nominis Lusitani firmo præsidio cõseruandi excogitari poterat. Neq. dubitandum erat, quin hac Hispaniæ totius coniunctione summa etiam concordia inter reliquos Principes Christianos oriretur. Omnes enim, Philippi magnitudine, & auctoritate, & exemplo, permoti, facillime ab intestinis discordiis ad interitum nominis Mahometani traducentur. Cum igitur hæc omnia mihi frequenter occurrerent, poteram aliqua ratione ab hac sententia deduci? Vt autem hæc omnia fortius in animis infixa permaneant, hæc addam. Turcæ in templis suis Deum, vt dissensiones inter Christianos Principes excitent, assidue deprecantur. Id etiam omnes, qui Mahumetem, erroris sui principem, & auctorem, habent, sine intermissione faciunt. Hæretici vero, cum ex seditionibus voluptatem multis in locis excipiant, eo quod tunc licentius sementem impietatis faciunt, cum seditionibus Christianam Rempublicam diuidi, & dilacerari, inspiciunt, tum præcipue Hispaniam, in qua vident sanctissimam religionem purissime coli, cupiunt intestinis discordiis corturbari, Hispaniq. decoris lumen exstingui desiderant. Quod igitur Turcæ, quod Mahometani, quod hæretici, vehementer appetunt, num obscurum est, esse gentis nostræ perniciem, & Christianæ religionis interitum? Quod ergo hostes sempiterni Christiani nominis exoptãt, cuius grata perpetuo vota suscipiunt, id nos velle conari efficere, parum ne constat scelus impium esse, vix vllis piaculis eluendum? Qui autem hoc

Universidad de Deusto
Biblioteca

tempore hanc Hiſpaniæ totius fraternã coniunctionem diſturbare, atque diſsipare nititur, ſe ſtrenuam operam hoſtibus Chriſtiani nominis nauare conatur. Quo quid fieri poteſt immanius? Nam concordia totius Hiſpanię conſtitutra diſcordias multorum Principũ tollet, omneſq. tempeſtates inter Chriſtianos Principes exortas facillime ſedabit. Recordabuntur enim, quantam vim malorum eorum tumultus, atque diſſenſiones, in res Chriſtianas inuexerint, & quantis acceſsionibus Turcarum dominationem amplificauerint. Quis autem hoc tempore regnare in Portugalia poteſt, qui cunctis ſeditionibus finem afferat, præter Philippum, nemo eſt. Nam, & potentia, qua præcellit, omnes diſcordiarum cauſſas amputabit, & vnius tantum Principis imperium omnium ſubditorum animos vno fœderis vinculo conſtrictos ita tenebit, vt nemo ſit auſurus in cædem mutuam ruere; & ita fiet, vt omnis Hiſpaniæ virtus, atque nationum robur, in exitium impietatis Mahumetanæ transferatur. Hoc interim valde vehementer admiror, cum tam multi ſint, qui Turcarum imperium adeo late propagatum exhorreant, qui potentia illius Chriſtianæ religionis ſanctitatem violari conſpiciunt, qui tãtum dedecus Chriſtiano nomini inuſtum eſſe indigniſsime patiuntur, & vota non faciũt, vt aliquis Princeps Chriſtianus tantum opibus, & potentia, præcellat, vt non ſolum nobis metum eripiat, verum & ſummum terrorem Turcis, & reliquis hoſtibus Chriſtianæ religionis, incutiat. Hoc igitur, quod maxime optandum, quod ardentiſsimis votis adeo poſtulandũ, nobis omnibus erat, Diuinitus oblatum, cur indigne ferimus? Cur non gratiſsimis animis tantum munus accipimus? Cur non id, in quo ſalus totius Reip. Chriſtianæ conſiſtere videtur, læti complectimur? Equidem is ſum, qui hæc omnia Diuino conſilio euenniſſe putem, vti Regna hæc neceſſario copulentur, vt videlicet vnus Princeps tantum opibus antecellat, quantum ſat ſit ad Mahumetis ſceleſtiſsimum nomen ex terris vniuerſis exterminandum. Quid enim aliud dicam? quam multi Principes Luſitani nobis intempeſtiua morte ſublati ſunt? Vnus reſtabat, in quo omnis ſpes Regij nominis collocata videbatur. Is ſic ſe certis hominibus addixit, vt reliquorum omnium conſilia repudiaret; & ita factum eſt, vt numquam intelligere poſſet, quantum inter militarem audaciam, & Regis officium, intereſſet. Ergo, cum præter modum gloriam virtutis militaris expeteret, Regis gloriam, qua regendi ſcientia ſubditorum caritate eximia continetur, pro nihilo putarit. Itaque inuenis animo maximo præditus, a conſilio, & ratione, imperabiliter orbatus, ab adulatoribus proditus, ſe, atque ſuos, in exitiũ dedit, vt opibus Luſitanorum ſanguine partis Mauritaniam locupletauit. Numquã hæc tanta mala in res Luſitanas inuecta, & importata fuiſſent, niſi id Dei numen ſanctiſsimum ſingulari conſilio permiſiſſet: & hoc duabus potiſsimũ de cauſſis. Prima fuit, vt Luſitanorum inſolentiam coerceret, debitamq. pœnam ſuperbiæ conſtitueret. Non enim homines Luſitani victorias innumerabiles, quas adepti fuerant, præſentis Dei numini, ſed ſuis virtutibus, adſcribebant: neque tantum Dei laudes in rebus ex eorum voluntate fluentibus, quantum ſuas, arrogantia minime ferenda, prędicabant. Rectiſsimo igitur Dei iudicio factum eſt, vt ſuperbia humana concideret, & Dei ſolius nomen, & gloria, in ore omnium verſaretur. Altera, vt opinari licet, ratio eſt, vt omnia tandem Hiſpaniæ Regna vni Principi obtemperarent, quo nihil vtilius eſſe videtur ad impietatis nomen euertendum, & Chriſti nomen latiſsime propagãdum. Hoc igitur animo ſum, vt exiſtimem, omnes, qui Philippo, in hac Regni huius ſucceſsione, repugnauerint, non iuri tantum communi, neque propriæ tantum vtilitati, neque firmæ totius Hiſpaniæ concordiæ, verum & Diuino cõſilio, repugnare. Chriſtum optimum maximum oro, & obteſtor, ſi hæc omnia non puro, & ſimplici, animo protulerim, ipſe mihi pœnam, quæ debetur & cupidis, & ſimulatoribus, imponat. Quam ſim a cupiditate remotus, & adulatoribus infenſus, omnis vitæ curſus, & opera mea in lucem prodita aperte teſtificantur. Quare non eſt, cur quiſquam opinetur, me, cupiditate ductum, velle Philippo adulari, & aſſentari. Sed, quid opus eſt, in re tam explorata, & cognita, obteſtationibus vti? Prodeat aliquis in medium, vt primum oſtendat, quo modo poſſumus, cum ad arma ventum fuerit, Philippo reſiſtere. Facillime, inquiunt, quidam Olyſippone ſunt ſupra ſeptuaginta hominum millia, qui poſsint in aciem prodire. Sit ita ſane. Sed ſcire ſane velim, ex quo genere hominum iſta multitudo colligitur. Etiam ne bauli, & operarii, & tonſores, & ſartores, in militibus cenſendi ſunt? Quęro deinde, ſub quo imperatore meruerũt, vt putemus eos vſu longo militiæ militare roburt aſſecutos. Non egent, inquiunt, exercitatione milites Luſitani. Ea namque eſt in eorũ natura inſita virtus ad militandum, vt tirones etiam facillime quoſuis hoſtes impetu primo peruertant. Quam vellem, vt eam virtutem, quam dicitis, in Africa exponere voluiſſent, ne tam diram ſtragem noſtris illatam lamẽtaremur. Deinde, quæro, vnde pecuniæ ſuppetẽt, ad tantũ exercitum alendum: pecunijs, inquiũt, militi Luſitano opus non eſt, quoties pro vxorum, & liberorũ, defenſione fuerit decertandum. Quis liberis libertatẽ eripit? quis vxoribus inuitis vitium infert? pro liberorũ, & vxorum, defenſione, vitæ diſcrimen adire,

laudis

laudis eſt; pro eorum euerſione, & interitu, extremi furoris, & inſaniæ. Qui enim hominum fidem, & ſocietatem, ſine cauſſa repudiat, vt eos a manſuetudine in feritatem, & immanitatem, transferat, ij ſunt, qui ſuos periculis exponunt, non illi, qui libertatem omnibus, & beneficia, proponunt. pro dignitate decorum eſt mortem oppetere. Verum. Sed dignitas nõ eſt, ſine dignitate, ſine fructu in peſtem ruere. Si igitur vires non habemus, quibus Principi maximo repugnemus; ſi animi recenti clade perculſi non dum ſe a timore refecerunt; ſi nullam nobis iniuriam inferre conatur, immo beneficia maxima ſe allaturum iureiurãdo etiã ſanctiſsimo pollicetur; ſi, quod ſtudet, atque meditatur, non ſolum nobis, ſed vniuerſæ Hiſpaniæ, ſalutem, & incolumitatem, allaturum confidimus; ſi ex iſta coniunctione recte conijcimus euenturum, vt omnes Chriſtiani Principes inter ſe ſint ſumma conſenſione conſpirantes in hoſtium peſtem, & exitium; ſi poſſumus, coniectura conſequi, hanc Hiſpaniæ totius conglutinationem eſſe Dei conſilio, numine, beneficio, conſtitutam ad maximam Chriſtianæ Reip. vtilitatem; quis tam peruerſo iudicio eſt, vt meum ſtudium accuſare non deſinat? accuſent maiores noſtros, qui tam liberi animo, Regi Emmanueli cum Iſabella vxore, Regum maximorum filia, & herede vniuerſæ Hiſpaniæ, fidem obligarunt, vt omnes eorũ imperium ſequerentur, & vt Regum heredibus legitimis obedirent: accuſent eoſdem, quod Michaeli adhuc infanti, ex duobus illis Principibus orto, fidem ſuam ſimili religione dederunt, fore, vt, cum is ad ætatem maturam peruenniſſet, illum Hiſpaniæ vniuerſæ Regem agnoſcerent, & ei ſine vlla recuſatione parerent. His rationibus inductus, fateor, me Henrico Regi ſanctiſsimo litteras Farone dediſſe, quibus hortabar, ne vellet Portugaliæ Regnũ in ſummum diſcrimen extremæ ruinæ, & calamitatis, inducere. quod euenturum ſentiebã, ſi vellemus abſque viribus vllis Philippo repugnare; & cogitaret, quantam labem nomini ſuo fuiſſet adſperſurus, ſi permitteret, vt homines miſeri ferro conciderentur, mulieres militum libidine vexarentur, fortunæ diriperentur, & reliqua omnia mala paterẽtur, quæ ſolent ex infauſtiſsimo bello prouenire, quæ vis belli inuitiſsimis etiam ducibus militum licentia molitur. admonebam præterea, vt cogitaret, quam rationem eſſet ſummo iudici redditurus, ſi aliquo ſingulari amoris obtentu, Remp. vniuerſam in ſummum diſcrimen iuijceret. me namque ea mente ſemper fore, vt arbitrarer, ſi exitus belli Africani tã dirus exſtitiſſet, hunc, quem formidabamus, non minus dirum, & calamitoſum fore. Deinde, per Chriſti ſanctiſsimum numen, per illius vulnera, obteſtabar, vt huic tanto malo mederetur, & omnem belli materiam ſubtraheret. Has litteras Rex ille, ſanctimonia ſumma prędituſ, valde gratas habuit; & litteris ſuis me ſine metu eſſe iuſsit; oſtenditque, fore, ſe curaturum, vt nullus belli metus Remp. perturbaret. Poſtquam vero, illius adſcitu, Almeirinũ peruenì, quia iam audire nõ poterat, ſcriptis meis illi ſignificaui, res Luſitanas firmari non poſſe, niſi Philippo Regi ſubijceremur, maxime, cum is tam propenſam in nos benigne faciendi voluntatem magnificis promiſsis oſtẽdiſſet. idque multis argumentis, & exemplis, ex Hiſpaniæ antiquitate repetitis, demonſtrabam. Quod quidem ille gratiſsimum habuit. Cum in conſilium iuimus, his me verbis affatus eſt. Epiſcope, ex formula conſultationis, quam ſum ad vos miſſurus, intelliges, plane, quantum ſententia tua mihi placuerit. In conſilium iuimus. & omnes in ſumma ſententiam ſecuti ſumus, nempe, vt Rex ipſe res Luſitanas ita componeret, vt optima condicione, omnes, vt ius, & æquum poſtulare videbatur, Philippo ſubderemur. In his rebus omnibus Antonius Pinarius, Lelienſis Epiſcopus, ſtrenuam operam nauabat. Quo minus autem id, quod fuerat a collegio noſtro cõſtitutum, exitum reperiret, duo fuerunt impedimento. Vnum fuit, popularis furor, & amentia, quæ gloriam ſibi, vt opinabantur, inſignem ex verborum ferocia comparabat. Alterũ fuit, ipſius Regis mors, quæ omnia, quę fuerant ab illo optime cogitata, compreſsit. Veni in Algarbiũ. Verbis, litteriſq. meis rectores admonui, vt viderent, ne quid antiquius ducerent communis Reip. ſalute; &, cum nullum aliud ſalutis remedium excogitari ab hominibus ſanis potuiſſet, omni ſtudio curarent, vt vniuerſa Luſitania Regio optimi, & potẽtiſsimo, continuo traderetur. Quod quidem illi pro ſua prudentia gratiſsimum habuerunt; &, vt idem efficiant, ſummo ſtudio, opera, contentione moliuntur.

Nihil inuenio in his duodecim ſolijs cur non poſsint impreſsioni mandari.

F. Barth. de Miranda S. Pal. mag.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIERONYMI OSORII LVSITANI EPISTOLAE

AMPLISSIMO CARDINALI POLO

ROGERIVS ASCANIVS.

RAECLARA res est, clarissime Cardinalis Pole, vel nobilibus nasci parentibus, vel vetustis inseri familijs. Qui vero vna cum istis bonis rerum abundantiam, & præstantem animi indolem, secum attulerit, vt non fortunæ solum communiatur præsidijs, sed naturæ etiam exornetur muneribus, habet hic quidem ad excelsum dignitatis locum insignem sibi patefactum aditum. Sed, cum hæ commoditates omnes ad maiorum plerumq. referantur vel laudem, si erant nobiles; vel laborem, si erant diuites: faciunt illi certe multo prudentius, qui non istis alienis solum nituntur gradibus, sed doctrina crescere ad laudem, & virtute surgere ad gloriam, ac suis pedibus, non suorum vestigijs, ad dignratis fastigium peruenire, elaborant. Hanc vero rectissimam veræ nobilitatis viam, cum tu, nobilissime vir, ducibus quidem virtute, ac doctrina, comitibus etiam natura, & fortuna, cum prudēter ingressus, tum feliciter secutus sis, nunc librum tibi de Nobilitate ciuili, & Christiana offerēdum esse duxi. Auctorem huius operis, tibi, propter materiam, valde gratum; propter tractationem, periucundum, esse existimo. Ea enim scribit, quæ tu facis; & eo modo scibit, quem tu ipse sequeris: vt idem vtriusque vestrum cōsilium, atque iudicium, illius, in scribendo hoc opere; tuum, in instituenda vita, esse videatur. Nam hic liber nō cogitationes illum, & mentis tuæ consilia, sed actiones etiam & vitæ instituta, adeoq. te ipsum, tibi, tanquam aliquod illustre speculum, ostēdet, & declarabit. Docet enim, quam commodum semper fuerit omni populo, vt vel Principis sese subijciant imperio, vel prudentum tradant sese gubernationi, atque consilio. Contra, quam, nō formidinem solum, atque periculum, sed vastitatem etiam, & exitium, vulgi furores, & Catilinarum libidines, omnibus cum Regnis, tum Rebuspublicis, important, prudenter, fuse, partite, & diserte, narrat. Præterea, Regnorum, ac Rerumpublicarum, & crebras confusiones, propter iniustitiam; & subitas conuersiones, propter impietatem; & lætas, ac longas felicitates, propter humani, diuiniq. iuris conseruationem; infinitasq. alias permemorabiles res, in quibus prudentiæ tuæ cogitationes, consilia, & curæ quotidianæ excubant, & exercentur, in hoc opere persequitur: vt hic iam liber tibi non iucundus solum ad legendum, sed optatus etiam ad vsum, spero, futurus sit. In tractanda vero hac tam præclara materia, eam eloquentiæ facultatem adhibet, qua pauci quidem, mea certa opinione, post illa Augusti tempora, aut puriore, aut præstantiore, vsi sunt. Est enim in verbis deligendis tam peritus; in sententijs continuandis tam politus; ita proprietate castus; ita perspicuitate illustris; ita aptus, & verecundus in translatis; ita frequens, & felix in contrarijs; suauis vbiq. sine fastidio; grauis semper sine molestia; sic fluens, vt numquam redundet; sic sonans, vt numquam perstrepat; sic plenus, vt numquam turgescat; sic omnibus perfectus numeris, vt nec addi aliquid, nec demi ei quidquam, mea opinione, possit. Immo tam præstans artifex est, ut nec Italia in Sadoleto, nec Gallia in Longolio, plus, quam nunc Hispania in Osorio, gloriari debeat. Quod eloquen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

eloquentiæ flumen eo salubrius exsistit, quia illud totum non ad inanes rerum leuitates, & vagantes hominum opiniones, redundat, & excurrit; sed vniuersam ad veram Christi gloriam & prædicandum, & propugnãdum, emanat, ac placide fluit. Et hæc auctoris eloquentiæ, consilijq. vera laus, quamquam per singulos libros æquabiliter fusa sit, in extremo tamen, quem cõtra Nicolaum Macchiauellum Florentinum seorsum scripsit, maxime quidem abundat. Macchiauellus enim, non sano consilio, Christi optimi maximi Religionem, & improbe eleuare, & impie etiam irridere, multis bonis viris visus est. Hic igitur Osorius, tibi, propter libri istius materiam, gratus; propter eloquentiam, iucundus; propter institutum, valde pius videbitur. Qui se se ipsa re grauem Philosophum, tractatione disertum Oratorem, Religionis studio verum Christianum, esse declarat. Et hæc de Osorio. Quem iussi, vt sese in conspectum tuum nusquã quidẽ importune intruderet, sed prudenter aliquando offerret; vtq. esset apud te meo nomine, meaq. absentia, non anceps cõmodi, & vtilitatis, sed testis studij, atque voluntatis meæ. Deus Opt. Max. T. R. D. semper seruet incolumem Londini. VII. Aprilis, M D L V.

D. tuæ studiosissimus,

R. Aschanius.

ROGERIVS ASCANIVS
HIERONYMO OSORIO.

ORNATISSIME Hieronyme Osori, Meum ergate studium declarabunt istę litteræ, ante aliquot iam annos ad Reuerendissimum Cardinalem Polum a me scriptæ. Si nõ graui iactatus febri in lecto decumberem, alia mente, alia manu, ad te non scriberem. Suppetit mihi materies ad te scribẽdi largissima; De tua singulari doctrina, & eloquentia; De meo erga te amore, & iudicio; De nostra excellentissima Principe, Latine, Greceq. longe doctissima; De desiderio meo, vt aliquando videam eas aduersarias orationes Demosthenis, & Aeschinis, Latine per te loquentes. Intelligo, ex locis Platonis, per te in libris tuis de Gloria conuersis, quam tu solus hoc munus præstares. Clarissimus vir, D. Emmanuel Darauio, orator vestri Principis, me tuo nomine visit. ille ostendet tibi, quanto in periculo iam versor. Sollicitus sum, quid sit præclaro tuo libro de Iustitia cælesti. post mortẽ nunc Aloysij Priuli, fessus sum. Rogo, per humanitatem, per litteras, intelligam, te me mu tuo amare, & te litteras valetudinarias meas accepisse. Vale, in Christo Iesu. Londini, in Anglia. IV. Maij. M D L X I.

Tui studiosissimus,

Rogerius Aschanius.

HIERONYMVS OSORIVS
ROGERIO ASCANIO.

NON possum satis explicare, quam varie me affecerint litterę tuę. Quod enim erant ab homine omnibus virtutis, & eruditionis laudibus ornatissimo, magnaq. illius in me amoris indicia continebant, fuere mihi longe gratissimę. In quo vero significabant te molestissimo morbo conflictari, maximum mihi dolorem attulerunt. Si igitur me amas, da operam, vt me hac ęgritudine leues. Tamdiu enim ero de valetudine tua sollicitus, quamdiu non fuero factus certior per litteras tuas, te pristinam sanitatem recuperasse: Christum interim Iesum, qui est verus medicus, precabor, vt tibi integram salutem, cum verorum bonorum amplificatione, restituat. Exemplum litterarum, quas olim ad Cardinalem Polum misisti, admodum libenter, & cum magna quadam admiratione, legi: libenter quidem, quia ex illo, quanti me faceres, penitus intellexi; cum admiratione vero, partim, quia nihil in eo genere vberius, nihil aptius, nihil magis omnibus dicendi luminibus illustratũ fieri poterit; partim autem, quod tam illustre orationis genus ad me ornandum contuleris. Quo enim minus eas laudes agnosco, eo magis admiratus sum, quid tibi venerit in mentem, illud nescio quid, quod adolescens elucubratus fueram, tam magnifice laudare. Quamuis autem mei in te amoris magnitudo facit, vt tecum vlla in re pugnare nolim; tantaq. sit in te prudentia, vt illis, qui a te iudicio litterarum dissentiunt, temeritatis infamia metuenda sit; erat tamen pudoris mei, cum valde opinio, quam de me ipse habeo, a sententia tua discrepet, orationi tuę repugnare, & testimonium, quod mihi eruditionis, & eloquentiæ das, oratione mea refellere. Sed contineo me, ne quidquam de amore in me tuo deminuam. Cum enim vix quidquam sit, quod magis optem, quam vt me valde diligas, & intelligam, eam, quam de me habes, opinionem te mihi coniunxisse, facillime patior, tenem te igitur abest, vt in isto errore versari. Tantum igitur abest, vt aliquid contradicam, vt etiam mihi summopere laborandum existimẽ, quo ea tua magis magisq. confirmetur opinio; vt ita tandem pro illius ratione amor ille etiã, quo me amplecteris, augeatur. In quo vero Principis vestræ ingenium, & eruditionem, extulisti, magnum mihi animum addidisti, vt eam per litteras

teras salutarem, &, quam essem studio illius incẽsus, multis verbis ostẽderẽ. Nec. n. dubito, cũ illa & natura, & studio, summã humanitatis, & clemẽtię laudẽ assecuta sit, quin litteras meas benigne, & clementer, excipiat. De orationibus aut aduersarijs Aeschinis, atque Demosthenis, quas per me in Latinũ sermonem versas videre desideras, partim, quia non tantum mihi sumo, vt id præstare posse cõfidam, partim, quia multis oneribus oppressus sum, non audeo quidquam polliceri. Nostri de Iustitia libri in nostri Antonij Augustini manus peruenerunt. Spero itaque, vt illius opera brui in lucem prodeant. Sunt alia quædam a me diligenter elaborata, quæ cupio similiter edere. Hæc sunt, quæ ex me te velle scire scribis. Emanuel Darauio, consanguineus meus, officio suo egregie functus est. Neque enim solum mihi litteras diligẽtissime reddidit, sed etiã, quanti me faceres, ostendit, & morborum, in quo versabaris, cum magno sensu doloris exposuit. De meo in te amore, atque singulari studio, quid dicam? Velim enim mihi credas, me nemini concessurum, qui te vel amet ardentius, vel obseruet diligentius. Omnia igitur, quæ tibi ab homine tui amantissimo, & studiosissimo, postulanda videbuntur, a me exspecta. Nihil enim erit tantum, quod ego non tua caussa tum studiose, tum libenter, suscipiam. Vale. Olysippone. Idibus Decembris. M D L X I.

HIERONYMVS OSORIVS
AMPLISSIMO VIRO
STANISLAO HOSIO
S. R. E. CARD.
EPISCOPO VARMIENSI.

LITTERAS, quas ad me XIV. die mensis Aprilis dedisti, V. die Iulij mensis accepi: quibus incredibili gaudio cumulari potuissem, nisi mihi multa nuntiarent, quæ magis erant lacrymis, atque luctu, quam lætitiæ signis, accipienda. Dicis, te mirari, vbi litteræ meæ annum latuerint, antequam in manus tuas peruenirent: ego vero gratias illis habeo, quod anno vertente e latibulis tandem emerserint: illud indigne patior, reliquas, quas scripseram, tenebris, vt video, sempiternis latuisse. Dabo tamen operam, vt, aliarum litterarum crebritate, earum, quæ periere, iacturam resarciam. In eo vero, quod mihi de prouincia mea gratularis, equidem fateor in summis Dei beneficijs esse referendum, quod vulgo Lutheri nomen ad sceleris tantum detestationem frequenter vsurpatur. Cum enim sceleſtissimum hominem appellare volũt, Lutherum nominant; vis autẽ ipsius Lutheranæ pestis ignoratur. Itaque, etsi mihi certamen cum adulteris, cum hominibus audacibus, & facinorosis, qui mihi graues molestias exhibent, institutum est; tamen, cum recordor neminem comparere, quem Lutherus, aut Caluinus infecerit, summas Christo gratias, mihi, pro tam immortali beneficio, semper agendas statuo. aliter ingrati animi crimen effugere non licebit. Sed, si aliquis pietatis sensus resideret in hominibus; si flagitia, & scelera, mentem non multis eripuissent; si ratio non fuisset consuetudine diuturna immanitatis efferata; cuiuis facillimum fuisset hominum perditorum amentiam argumento conuincere. Quid homines miseros in fraudem impellit? Morum castimonia? At omnes nouæ religionis auctores sunt in libidinem propensi. Mansuetudo? At iam inauditis sæuitiæ, & immanitatis, exemplis simulationem mansuetudinis amiserunt. Eruditione, atque sanctarum litterarum disciplinis? At philosophiam odio persequuntur; dialecticam aspernantur; litteras sanctas ignorant; confuse, & perturbate loquuntur; conuiciorum procacitate, & gladiorum licentia, errorem pestiferum, & turbulentum, communiunt: & tamen adeo sunt impudentes, vt, Euangelium a se in pristinum splendorem restitutum esse, glorientur. Id scilicet Euangelium sancit, vt fides respuatur, vt leges negligantur, vt iura omnia proculcentur, vt insidia in principes comparentur, vt Resp. in testina seditione lacerentur. Si non aliud argumentum pestiferi erroris exstaret, tribus quilibet homo mediocri iudicio præditus eorum furorem animaduerteret. Primum est, eorum intestina discordia. Alterum, Rerumpublicarum confusio. Tertium, flagitiorum in dies amplificatio. Nec enim Euangelium discordias serit, nec Resp. perturbat, neque flagitiorum licentiam largitur. Cum vero semel prolapsa mentiendi libido præcipitat, numquam in vno loco resistit. Quo circa minime admiror, sepultas Arij reliquias in vitam reuocari, & anabaptistarum impiam sectam ab hominibus audacissimis instaurari, qui tandem eo progrediuntur, vt Deum de mundo tollere conentur. Sed, quo magis hominum furor inualescit, eo maiores gratias CHRISTO agendas existimo, qui, in tam turbidis tempestatibus, te magistrum sapientissimum in Ecclesiæ istius gubernaculo collocauit, vt contra fluctus, atque procellas, contra piratarum omnium immanitatẽ, CHRISTI nauem incolumem conseruares. Quamuis enim multorũ furor exagitet, multo tamen plures, vt confido, erunt, qui monitis, & institutis, & Diuinæ virtutis exemplis, quæ in te mirabiliter elucent, ab impietate deterriti, vitam ad veræ pietatis normam dirigant. Et, quo plures in hoc vitæ cursu labores exceperis, eo in futura vita gloriam ampliorem

pliorem consequere. Haddonus contra me stili mucronem exacuit,linguam vibrat,ingenij vim totam,vt audio,profundit.Sed ego hominis leuis,& infantis,& furiosi,conatus irrideo. Conuicia, quibus homines isti pugnant, facillime contemno.Quin etiam Christo,Domino meo,gratias agam, si pro nomine illius contumelias aliquando pertulero. Quod homines Societatis Iesu illuc peruenerint , & quod tibi operam strenue nauent,mirifice lætor. Sunt enim summis virtutibus exculti , & acriter in studiũ pietatis incitati , & multum ad pestiferas opiniones euellendas idonei.
Ego vero, Pater amplissime , cum me nomen tuæ virtutis amplissimũ ad te obseruandum, & miro amore diligendum,in principio vehementer allexisset,tum beneficijs in me tuis sic ardenter excitatus sum , vt miras in animo meo accessiones fieri censeam . Quare numquam pro te,& pro tuæ Ecclesiæ salute , & incolumitate,precari,vt admones, desistam . A me,quamuis multis laboribus,& negotiis,distinear,multa scripta sunt,quibus nescio quãdo in lucem prodire licebit.Sed,quidquid editum fuerit,ad te continuo deferetur. Vale.

HIERONYMVS OSORIVS
ROGERIO ASCANIO.

THOMAS Vuilsonius , vir ornatissimus, Reginæ vestræ Legatus , salutem mihi nomine tuo nuntiauit : quod fuit mihi gratissimum:idemq.dixit,te eo tempore,quo istinc digressus est,febri impeditum fuisse,quo minus ad me scriberes : quod mihi grauem molestiam attulit . Nec iam ob eam rationẽ, quod litterarum tuarum fructu carui , quam propter morbum ipsum , qui te tenuit , ne ad me scriberes.Quare,si me amas,fac,quam primum poteris,vt me hac cura,& sollicitudine, liberes;& certiorem facias,te pristinam valetudinem recepisse . De meis rebus, nihil aliud est,quod scribam,nisi ,me bene quidem valere,sed negotiis molestissimis implicari. Nam veni,coactus,in hanc Vrbem,eo animo, vt,cũ primum negotia,vt arbitrabar , facilia expedirem , continuo me in diœcesim meam reciperem . At, postquam huc me contuli,sic oppressus negotiis fui , vt cupiam auolare , ne, dum aliena negotia curo,mea deseram , & ob id inexpiabili flagitio me ipsum cõtaminem. Itaq. cogito , præcisis anchoris, vela facere, & eo,vnde profectus sum,cursum rursus instituere.Non deerit tamen , qui mihi in Algarbiorum prouinciã litteras tuas, si ad me scripseris,statim mittat. Vuilsonius tibi librũ dabit,quo Gualteri Haddoni laudes persequor, vt possum . Gratissimum mihi feceris , si librum diligenter euolueris. Vale.

HIERONYMVS OSORIVS

*

QVO maiorem opinionem habeo de virtute Reuerendissimæ D. T. eo magis gaudeo me illi plurimum debere. Quoties igitur intelligo , illam in me ornando multum operæ,& studij,posuisse, summopere delector; nec id tam ipso dono , atque munere , quam egregię istius in me voluntatis significatione. Dabo equidem operam, vt istorum in me beneficiorum memoriam perpetuo conseruem; omniq. officio, & obseruantia mea , prouidebo,ne vmquam Reuerendissimam D. T. multum in me amoris , & officij , contulisse pæniteat. Quamuis autem ei,qui iam sponte sua in studium virtutis incitatus est,cohortatio minime necessaria sit,amoris tamen vi stimulatus,continere me non possum, quin Reuerendissimam D. T. admoneam,vt mediocri laude minime contenta sit, sed ad summum gradum gloriæ,atq. dignitatis,aspiret . Magna siquidem est fama pietatis , integritatis , & sanctimoniæ tuæ; magnamq. tui exspectationem concitasti,quam vt sustinere possis,est tibi non mediocri cura,studio,contentione, laborandum. Nec enim tam delectat homines, cognitæ virtutis suauitatem sentire splendore,& pulchritudine illius incendi, quæ non tã in hominum rumores , quam in Diuinum iudicium,respicit;neque humana,& caduca,sed Diuina,atque sempiterna,molitur.Quare Reuerendissimam D.T. moneo,& oro,vt videat, quantis opibus ingenij,& dignitatis,& amplitudinis, abundet ; quam Diuinis a Christo Opt. Max. beneficijs instructa , & ornata sit; quo illam ipsius Christi Diuinus spiritus impellat;vt plane sentiat,omnia vitæ consilia,& studia, omnesq. illius curas , & cogitationes, esse ad Christi gloriam , & ad Ecclesiæ salutem,& amplificationem , inflammato animo conferendas . Quod si fecerit, in hac vita immortale sibi nomen comparabit , & in futura opibus immortalibus , atque Diuinis,circumfluet .

HIERONYMVS OSORIVS
IOANNI METELLO.

NONO die mensis Maij binas a te litteras accepi:quæ me voluptate incredibiliter affecerunt . Ex illis enim intellexi, te bene valere, memoriamque mei summa fide conseruare . Vtrisque autem ordine respondebo . Quod, litteris nostris admonitus, errata librorum correxeris, gratissimũ mihi feciſti.Sed postea alia multa perspexi, quibus haud mediocriter offensus fui.librariorũ nãq. impe-

imperitia, & correctorum negligentia, & curæ multiplices , quibus distinebar, in causſa fuerunt , vt libri tam multis mendis inquinati in lucem prodirent . Quod longum sermonem apud Oratorem Regis Philippi , virum rebus omnibus ornatissimum , de me habueris;quod Ascanium, quem carissimum habeo nomine meo salutaueris , te plurimum amaui.Cetilium dicis librum meum libenter legisse,quamuis indigne tulerit illum esse mendacijs asperum . Si ita est,quod nondum fateor, id vitium imprudens admisi,quod Haddonus noster non fecit . Falsa namque prudens, vt ipsi nostis,affinxit. Reginam,pro singulari illius humanitate , librum , & litteras minime aspernatam fuisse,nõ sum admiratus.Id enim intellexi , Regiam illius Maiestatem benignitatis egregiæ coniunctionem libenter adsciscere.Amicos,quibus salutem scribis,cum primum licuerit,salutabo. Primis litteris tertio die Ianuarij datis respondi: nunc ad recentiores veniam . Haddono de nuptijs gratulor;&,vt matrimonium illi sempiternæ felicitati sit,ne mentiar,exopto . Quod in me stylũ acuit,non molestè fero. Fidem vero,quam illi dedi,inuiolatam conseruabo. Dedi enim fidẽ, me,quamuis ille furenter irrueret,minime responsurum. Verum,frnoua nupta sapit,illum amatorijs illecebris,& blanditijs,ab eo consilio,pleno, vt mea fert opinio,temeritatis,auo cabit.Nec enim mulier,in delicijs Regijs enutrita,& ea forma, quam dicis, prædita, id vehementer expetet,vt illius vir, bellus præsertim , atque venustus , in litteras ardentius , quam amoris instituta patiuntur, incumbẽs, curis scribendi molestissimis intabescat. In quo aculeos nostros retundi desideras , non æquum te valde præbes.Haddonus , nulla contumelia pronocatus,me quamplurimis male dictis insectatus est. At ego conuicijs minime commotus sum. impietas,& imprudentia,mihi stomachum mouit . Is autem sum, qui tragœdias in rebus leuissimis excitari ridiculũ arbitrer;in rebus autem grauissimis, & odio dignissimis , lenitate orationis uti , facinus indignum putem . Contra multi faciunt. Nã, cum eorum dignitas aliqua ex parte minui videtur , in maledicta , & indignas contumelias,erumpunt; & digna, & indigna relatu,sine vlla moderatione , proferunt. Cum vero CHRISTI numen oppugnatur , in illis , qui pietatis causſam susċipiunt , moderationem difficillimam requirunt. At ego,neque contumelijs offendi , neque CHRISTI numen violatum negligere , Christianum munus arbitror . Itaque,vt me contumelia vexari facile patior , ita maledicta , quæ in sacrosanctam CHRISTI Ecclesiam iaciuntur,ferenda non puto . Genus dicendi in grauissimis , & indignissimis,rebus,humile,& abiectum,numquã probaui.Qui mecum viuunt,intelligũt,quam mitis , & mansuetus sim . Si vero , cum res , & causſa,postulat,solito vehementius interdum efferor , & aliquis id reprehensione dignum existimat , non valde mirabor . Numquam enim defuere,qui essent ijs,qui præclarum aliquid cum mentis ardore gerebant , infesti. Haddonum profecto non odi,immo pro salute illius vota faciam . Quod in me dixerit , vt ante sum testatus , impune feret . Quod satis ad officium meum pertinebat, effeci . Verborum autem concertationem mea persona parum dignam arbitrabor.Librum tamen illius libenter legam . Si enim inepte,& insulse,scriptus fuerit , & per illum licuerit , ridebo . Si aliud dicendi genus , ornatius, quam solebat, attulerit, non immerito gloriabor , quod stimulis meis hominem disertum reddiderim . Sed de nugis satis multa.Libri de Regis institutione, & disciplina, nondum sunt in lucem editi . Quamdiu enim absens sum,non audeo illos librarijs committere . Cum primum in lucem prodierint, & aliquis ex nostris in Britanniam,cui committi recte possint , iter habuerit,ad te continuo deferentur.Non dum a Regis nostri Legato , nec ab Ascanio nostro , litteras vllas accepi . Vale;atque statue , te a me fraterne amari .

HIERONYMVS OSORIVS

*

LItteras tuas , datas Kalendis Iunijs anni proximi,Septẽbri anni huius accepi.Emanuel enim Almada , Pontifex optimus , & tui amansissimus , cum ego abessem,& is litteras non nisi fideli tabellario committere vellet,principio officium distulit ; deinde,negotiorum multitudine districtus,sui muneris oblitus est,eo quod fortasse non valde interesse arbitraretur , quam festinanter, aut lente, litteræ mihi traderentur. Itaque menses circiter quattuordecim eo fructu humanitatis tuæ carui . Quo autem magis insignitæ amoris notæ in litteris tuis apparebant , eo tuli molestius , non simul ac primum Almada noster in Lusitaniam peruenit,eas ad me perlatas fuisse . Nunc igitur tandem tibi rescribã . Dicis,te esse ex sermone Almadę, qui me tibi depinxit , amore vehementer excitatum : in quo quidem video , esse me Almadæ non mediocri beneficio deuinctum . Oratione namque sua te , virum, & eruditione præstantem, & studio verissimæ religionis incensum,mihi conciliauit . In eo autem, quod amici officio perfungi , & in Haddonum impetum facere volueris , eo quod intemperanter in me fuisset inuectus , non tam amicitiæ, quam pietatis,studium ostendisti.Fuit igitur mihi & amicitia tua valde grata, & pietas ista longe gratissima. Nec enim tam amãdos eos arbitror, qui sunt in me egregia quadam voluntate propensi, quam qui sunt ardentissimo studio pietatis inflammati ; neque me tam obligatũ illis

Universidad de Deusto
Biblioteca

illis arbitror, qui dignitatis meæ causſam ſuſcipiunt, quam illis, qui pro Chriſti gloria pugnant. Quare, cum videam, quam acri animo in certamen iſtud deſcendere feſtines, in quo non tam ego defendendus ſum, quam Religio ſanctiſſima, contra perditiſſimorum hominum calumniam, & improbitatem, tuenda, fieri non poteſt, quin te plurimi faciam, & non vulgariter amem. Quamuis autem homo leuiſſimus ſit Almadæ libro conuictus, putauit tamen ad officium meum pertinere, illius impetum, pro mea parte, ab Eccleſia ſancta reprimere. Itaque tres in illum libros edidi, vnumque exemplum tibi deferendum curaui. Si litteræ tuæ citius mihi redditæ fuiſſent, & ex illis intellexiſſem, te in certamen idem pro Chriſti gloria venturum, non fortaſſe id ſcribendi munus ſuſcepiſſem; præſertim cum & Pontificis officium, & negotia innumerabilia, quibus eram implicatus, me a ſcribendo retraxiſſent. Sed hæc mea ſedulitas non erit impedimento, quo minus idem munus, quod eſt a nobis inſtitutum, ſit per te perfectum, omnibusque numeris abſolutum. Quare perge, vt cœpiſti; arma fidei, atque pietatis, ſume; & cum hoſte Chriſti congredere, vt coronam virtuti tuæ debitam adipiſcare. Quod vero ad me attinet, dabo operam, vt intelligas, me neque tibi, nec officio meo defuturum. Vale.

HIERONYMVS OSORIVS
STANISLAO HOSIO
CARDINALI.

AMOR meus incredibilis ergate facit, vt, quia non facile poſſum opera, ſtudio, diligentia, teſtificari, quam ſim ſtudio tuæ dignitatis, & amplitudinis inflammatus, valde diſcrucier. Binas ad te litteras diuerſis temporibus, cum eſſem in mea diœceſi, deferēdas curaui; quibus ſignificabam, me tuas accepiſſe, & tres anulos præterea alcinos, egregię tuę in me voluntatis indices, & libellum valde pium, quo furētium hominum temeritatem, & inſaniam, conuictam eſſe libentiſſime perſpexi. An vero illæ noſtræ litteræ tibi redditæ ſint, certus eſſe non poſſum. Interim Eboram me contuli, vt Concilio prouinciali intereſſem. Illo autem ex animi ſententia peracto, in hanc Vrbem veni, vt noſtros principes ſalutarem, & ſimul negotia, quædam, quæ ad Eccleſiæ noſtræ moderationem pertinebāt, cum Rege conficerem. Dedi præterea operam, vt tres libros hic in lucem ederē, quibus reſpondeo cuiuſdam Britanni maledictis, hominis quidem, meo iudicio, furentis, & ſceleratiſ, qui tamen in Britannia eloquentiæ principatum ambit, & plurimum ſibi, præter æquum, & bonum, arrogat, & aſſumit. Fuit autem in me furenter inuectus. Si me ſolum oratione læſiſſet, aut riſiſſem, aut tacuiſſem; neque meam dignitatem hominis inſani conuicio maculari exiſtimaſſem. Sed, cum ille multa probra in Chriſti Eccleſiam intuliſſet, fuit mihi neceſſario faciendum, vt illius petulantiam oratione mea comprimerem. Libros autem tibi mitto; qui ſi fuerint iudicio tuo comprobati, arbitrabor me maximum præmium fuiſſe de meo labore, & ſtudio, conſecutum. Chriſtum interim omnibus precibus obſecrabo, vt amplitudinem tuam diutiſſime conſeruet, vt non ſolum Varmienſis Eccleſia, ſed complures aliæ ſapientia & ſanctitate tua confirmentur, & conſtantiſsime Religionem & fidem retineant; vt ex omnibus multiplicem fructum in gloria ſempiterna percipias. Olyſipponæ. XXIX. Decembris.

HIERONYMVS OSORIVS

*

LITTERARVM tuarum elegantia, & humanitate, ita ſum delectatus, vt vix quidquam mihi iucundius accidere potuiſſet. Ex illis enim intellexi ingenij tui magnitudinem cum ſingulari virtute, atque pietate, coniunctam. Quod enim, contempta, & abiecta, barbarie, philoſophiam ex Ariſtotelis puriſſimo fonte hauſeris, neque tuæ mentis, & orationis, elegantiam Sophiſtarum luculenta garrulitate inquinari ſueris, ingenij magnitudini tribuo. Quod vero omnia vitę commoda gratia Chriſti contempſeris, in ſumma virtutis, atque pietatis, laude ponendum arbitror. Non te igitur, quod iſto loco natus ſis, ſed quod nobilitatem, & opes, & honores, ad quos adſpirare poteras, neglexeris, totamq. vitam, & ingenium religioni ſanctiſſimæ conſecraueris, mihi perpetuo amandum, omniq. meo ſtudio proſequendum, ſtatuo. Sed, quo magis animum iſtum laudandum arbitror, eo magis me conturbat illa cura, qua te mæſtum, & afflictum, perſpicio. Sed mirari non debes, vir ornatiſsime, ſi te ſentis inuidiæ machinis oppugnari. Quem enim vidiſti, aut audiſti, in quo aliqua præclara virtutis indoles eluceret, in quem inuidia non irruerit? Cum igitur nihil tibi vni præcipue acciderit, non eſt, cur caſum tuum adeo moleſte feras; immo gloriari debes, quod eam condicionem ſubieris, qua omnes, qui ſeſe excellentius in virtutis, atque ſapientiæ, ſtudio gerere voluerunt, aſsidue conflictati ſunt. Præterea, ea virtutis ſumma laus eſt, quod ſe contra omnia inuidiæ tela ſemper inuictam præbet, nec vllis vmquam opibus fortunæ cedit, ſed, quo vehementius oppugnatur, eo cla-

clarius enitеſcit. Quod ſi mediocris etiam virtus tantas vires habet, vt omnes inuidiæ conatus infringat, quid erit de tua præſtanti virtute iudicandum? Nec enim adduci poſſum, vt credam, te, cum humanam cognationem neglexeris, communem naturæ ſenſum oppreſſeris, animumq. tuum a corporis coniunctione ſeiunxeris, vt liberius poſsis res cæleſtes, atque diuinas, contemplari, mediocri virtute contentum eſſe poſſe. Arbitror igitur, te eodem impetu, quo humana contempſiſti, diuina conſectari. Quod ſi, vt arbitror, facis, conſequens eſt, vt ſis opibus Diuinis inſtructiſsimus. Ea igitur incommoda, quæ commemoras, non perferenda tantum, ſed etiam contemnenda, putabis. Intelliges enim, nullum malum poſſe ijs, qui ſe CHRISTO optimo maximo dedicauerunt, interuenire. Negligunt te cognati tui: at ſummus ille Dominus, & optimus pater, amplectitur. Munere tibi commiſſo deijceris: at ita multo commodius ſtudium tuum ad ſanctas litteras applicabis. Laudes tuas imminuere conantur inuidi tui: at laus, quæ ſtirpe veræ virtutis innititur, obſcurari non poteſt. Omnia itaque, quæ contra animi tui ſtatum inuidi tui nituntur, in gloriam tuam redundabunt. Non eſt igitur, cur doleas, tibi præbitam eſſe materiam excellentis tuæ moderationis in oculis omnium collocandæ. Non hæc ſcribo, quod exiſtimem, te his noſtris admonitionibus indigere, ſed vt, amore laceſsitus, amorem viciſsim erga te meum aliquo ſigno declarem. In quo vero meos libros tantopere laudas, eundem ipſum amorem, quem in litteris tuis oſtendis, libenter agnoſco. Orationes, quibus Ariſtotelis patrocinium ſuſcepiſti, ſtudioſe legam, vt ex illis fructum capiam, non vt eas animaduerſione mea aliqua ex parte coercendas exiſtimem. Nihil enim arbitror a te in lucem edi poſſe, quod non ſit omni ratione perpolitum. De Cardinali noſtro nihil tibi poſſum in præſentia polliceri, non quod parum ingenijs faueat, ſed quod tantis negotijs ſit implicitus, vt non poſsit animum a curis moleſtiſsimis auocare; hoc præſertim tempore, quo res noſtræ ſunt ita bellicis motibus conturbatæ, vt omnes propemodum artes pacis, atque litterarum ſtudia, conticeſcant. Hoc tamen polliceor, me, ſi vmquam facultatem aliquam mei ſtudij erga te teſtificandi nactus fuero, eam minime prætermiſſurum. Vale; noſque, vt cœpiſti, dilige.

HIERONYMVS OSORIVS
ANTONIO COVARRVVIAS.

QVantas ſuauitates verus, & honeſtus, amor habeat, vel ex hoc facillime iudicari poteſt, quod illa etiam, quæ natura moleſta nimis eſſe ſolent, in amore tamen iucunda ſunt. Quid enim moleſtius accidere poteſt homini honeſtatis appetenti, quam in officio ſuperari? Facit tamen ille ſingularis amor, quo virtutem, & eruditionem tuam, ſuauiſsimosq. mores, amplector, vt, cum mihi in omnibus amicitiæ officijs antecellas, facillime tamen patiar te hanc victoriam reportare. Te enim neque Salmanticæ præclara ſtudia, neque Granatæ difficillima iuriſdictio, neque Tridenti negotia grauiſsima, interpellare potuerunt, quo minus ad me ſatis officioſe, & amanter, ſcriberes. Quod ſi humanitas tua, quæ ſe in litteris oſtendit, mihi tam ſuauis eſt, quid adſpectus ipſe, quid familiaritas, & conſuetudo, quid denique conuictus, efficeret? Hoc igitur velim ſcias, me, cum ægerrime paſſus ſim, eſſe mihi viam in Italiam, & in iſtum præclarum conuentum, penitus intercluſam, tum nihil acerbius tuliſſe, quam priuari me fructu illo, quem iſtic ex tua ſingulari humanitate percipere cogitabam. Quod vero te Italia delectet, non admiror: eſt enim altrix ingeniorum, atque diſciplinarum. Atque, vtinam ea fuiſſet adhibita diſciplina, qua mores diffluentes deuinciret, & ad antiquam gloriam reuocaret. Sed neſcio quo modo omnia labuntur, & corruunt; & ab ijs, qui poſſunt communibus rebus mederi, diſſipantur, aut certe negliguntur. Quod vero non poſſunt aliud præſtare, nec hoc ſaltem efficiunt, vt lacrymis, atque lamentis, funus Reip. proſequantur. Reliquum igitur eſt, vt Diuinum auxilium maxima contentione flagitemus; quando conſtat, omnia humana defeciſſe. In quo autem eloquentiam meam laudas, quanta vis ſit tuiin me amoris, indicas, cum laudes tuas ad me transferre conaris, eaq. mihi tribuis, quæ in te mirifice conueniunt. De ſcriptis meis, quæ te ſubolfeciſſe narras, quid dicam, neſcio, niſi, me plane proditum eſſe ab homine mihi amiciſsimo, qui neſcio quid a me rude, & impolitum, viribus extorſit; atque, ne opem contra vim inclamarem, fide data, ne quid enuntiaret, malitioſe prohibuit. Ea ſi tecum ſolum communicat, non moleſte feram; ſi cum alijs, de illius iniuria conquerar; fidemq. hominis implorabo, quod contra fidem aliquid ſcriptorū meorum multo antetempus euulgauerit. Eſt enim mihi opus in manibus, quod nunc expolio: &, ne, priuſquam ſit abſolutum, in apertum proferatur, extimeſco. De bello Africano, poſſum tibi affirmare, Deum non alibi ma-

gis his temporibus præsentem opem tulisse. Obsidio igitur cum tanta strage hostium soluta,non opus humanum fuit,sed plane Diuinum.De meis rebus,quid narrem,non habeo, nisi,me barbariæ fluctibus agitari, molestissimisq. negotijs implicari, & a musarum consuetudine longius abduci,quam putaram.

In quo vero nostros homines, qui istuc profecti sunt,tãtis laudibus ornas,facis tu quidem, vt iudicium meum, quod de illorum probitate,& eruditione,faciebam,magis confirmem. Sunt enim mihi,propter virtutis opinionem, carissimi;&,propter naturæ commoditatem, & suauitatem,iucundissimi. Vale.

HIERONYMVS OSORIVS
ALOYSIO PRIOLO.

MATTHAEVS Priolo,vir omnibus rebus ornatus, mihique, propter multas ingenij suauitates,in primis carus,atque per iucundus,me hortatus est,vt ad te scriberem; & in se recepit meas litteras fore gratissimas. In quo quidem magno me sibi beneficio deuinxit. Cum enim multæ opes humanæ sint nulla ex parte cum amicitia hominum virtute, & eruditione præstantium comparandæ; tuque simul & omni virtute præditus sis, & omnibus maximarum artium disciplinis instructissimus; is certe, qui me tibi deuinxit, magno me sibi merito semper obligatum habebit. Debeo igitur plurimum Matthæo tuo, quando suscepit hoc munus,vt gratiam tuam mihi conciliaret, viamq. monstrauit qua facilius in tuam necessitudinem recipi possem.

Vt autem id me facile impetraturum confidam,multa faciunt. In iisdē enim studiis versamur;eandem disciplinę rationem sequimur; atque,vt audio,idem omnino est vtriq. propositum. Ergo,si nihil est, quod magis hominum voluntates coniungat, quam studiorum similitudo bonorum; si nulla est amoris caussa iustior, necessitudo nulla sanctior, cum ego iis artibus studeam,in quibus tu mirabiliter excellis; nihil profecto esse poterit impedimento, quo minus me in amicitiam tuam recipias,maxime vero,cum ea humanitate sis, vt barbaris etiam,& incultis,hominibus aditum ad cõsuetudinem, & familiaritatem tuam intercludi minime patiare. Accedit postremo summum illud vinculum ad animos nostros amore mutuo constringendos,quod sis,& vetustate amicitiæ,& amoris magnitudine, ita Reginaldo Polo coniunctus, vt nemo possit studia, & officia sua ad amplitudinem illius conferre, quin te simul obseruet,& diligat.

Cum igitur illum, propter excellentem illius virtutem,& singularē eruditionem, ita amē, vt maiore studio neminem amare possim, eumq. meis officiis omnibus complecti valde cupiam; necesse profecto est, vt te secundum illum proximum habeam, quem valde diligā, quem officiis omnibus comprehendam, cuius gratiam omni mihi ratione acquirendam existimem. Quare a te,vir optime, & ornatissime,peto,vt me mutuo diligas. Indignum enim erit virtute, & humanitate tua, parum in amore respondere homini tui studiosissimo. Id pluribus verbis a te non postulo, propterea quod non dubito, cum non minus humanitatis laude, quam eruditionis elegantia,præcellas, quin sis mihi parem gratiam relaturus. Hac igitur humanitate tua fretus, minime verebor efflagitare abs te munus, & beneficium, quasi ab homine iam mihi studio meo valde constricto. Proximis diebus opus absolui; magnum illud quidem, si vel libri magnitudinem, vel materiæ amplitudinem, & claritatem, consideres; si vero auctoris ingenium respicias,exiguum fortasis,& contemnendum. Attamen quantum potui, laborau, vt decem libris omnem rationem Iustitiæ cælestis explicarem, & homines studio illius incenderem & quibusdam etiam in locis eorum amentiam, qui male sentiunt; de iustitiæ pulchritudine, & sanctitate, refutarem. Nec enim pium,neque decorum, nec instituto meo consentaneum,arbitrabar,ingenium, & reliqua vel naturæ, vel disciplinæ, munera, qua omnia sunt etiam in Diuinis beneficiis numeranda,non potissimum in summum pietatis studium conferri. In præsentia vero nihil occurrebat, in quo magis vel officio meo satisfacerem, vel multorum hominum vtilitati consulerem, quam si materiam hanc parum ornatius explicarem,quam ab hominibus piis illis quidem, sed ab omni elegantia eruditionis abhorrentibus, explicari solet. An id assexutus sim, aliorum esto iudicium. Hoc tamen, testans Deum, & omnes cælites, affirmare possum, me optimo animo,studioque religionis incenso, hoc tantum munus suscepisse. Hos autem libros Cardinali Polo destinaui, vt essent mei in illum amoris obsides, & mihi facilius ad amicitiam illius quasi fores aperirent. Eos autem nullo modo foras emitti velim, nisi prius amicorum eorum iudicio, quos esse iudico doctrinæ gloria præstantes, probari intellexero. Quare a te peto maiorem in modum, vt eos perlegas; mihique, quid iudicij tui sit, per litteras explanes. Crede mihi, beneficium pones apud hominem gratum, & memorem, tibique iam debitum, & obstrictum. Vale. Olys. XX. Ianuarij. Anno M D XLVII.

HIE-

HIERONYMVS OSORIVS
CLARISSIMO VIRO
RICHARDO SCELLEO
MAGNO ANGLIAE PRIORI.

VArie sum affectus, cum tuas litteras ad proceres Angliæ datas legissem. Cum enim videam, quo tanta vis mali progressa fuerit, non possum non incredibiliter angi,& afflictari: cum rursus intelligam,insidias derectas esse, &,quod in ficta religionis specie latebat;e latebris erupisse, vt sceleratissimi facinoris immanitas manifesto teneretur, supra modum gaudeo. Nulla enim iam, vt spero, erit simulatio pietatis, quæ homines simplices,& tam perniciosæ fraudis ignaros,in fraudem impellat. Via verissimæ religionis vnica,simplex,& directa est; nullos amfractus habet,nihil præceps,& deuium,nil tortuosum & implicitum, nil lubricum,& periculosum, nihil tenebris obscuratum. Qui igitur eam constanter inierit, recta gradietur,nullumq. ruinæ periculum adibit. Qui vero ab illa in alterutram partem declinauerit, necesse erit, vt in multiplices repente vias deferatur; ut erroribus infinitis implicetur; ut exitum numquam reperiat, & ita numquam illius animus vacuus angore & sollicitudine sit.

Experiundo enim percipit se longissime ab eo fine quo properabat aberrare, & sine vllo fructu tempus in disciplina quam salutarem existimabat contriuisse. Dum igitur vnam disciplinam improbat: dum ad aliam se applicat quam similiter vsu & ratione conuictam animaduertit, dum huc & illuc varius & anceps excurrit: nullam religionis rationem in qua constanter insistat inuenire potest. Ergo dum quilibet aliorum decreta facillime conuellit,& sua tueri nullo modo potest, & tandem redigitur vt nullam religionē probandam opinetur. Sic igitur tandem fit vt vel Deum non putet,vel si putat,eum omnium rerum humanarum procuratione spoliet. Hi vero sunt, qui nullum habent cum Iudæorum natione ius,aut vllum commercium. Qui vero a Iudæis originem ducunt, vel eorum fabulis addicti sunt, ne omnes religiones funditus euertant, opinionum furibunda tempestate delati,ad Iudæorum saxa miserabiliter adhærescunt. Itaque multos eorum accepimus, qui in hæreticorum principibus numerati sunt, adeo fuisse Iudæorum superstitione darissima conflictatos, vt ne circumcisionem quidem effugere auderent. Itaque hoc plane constat, quod in hac oratione tua sapienter scriptum legi, eo magnam partem gentis perditissimæ deduci, vt vel Deum non credat, vel Iudaicis fabulis irretitam circumcisionem, & alias antiquæ legis cerimonias, amplexetur, & a CHRISTI discipliniis odio capitali dissideat. Quare prudentissime facis, vir clarissime, cum ciues tuos admones, vt insidias vitent, & intelligant, eos,qui se Christianos esse simulant,non Christianos, sed Antichristi satellites, atque ministros, existimandos. Vnde enim tantum, & tam immane, odium in CHRISTI sanctitates exsistere potuisset, nisi ex odio acerbissimo, quo Christum persequuntur, & Antichristo viam mira sedulitate curant, & muniunt? Numeras tu quidem Cranmerum, numeras Bucerum, & paucos ex illis,qui principem locum in hæreticis tenuerunt: at ego suspicor, multos alios extra Britanniam in Iudæorum numero censendos esse, qui sunt summa contentione a conatu perditissimo repellendi. Quare perge, vt facis;patriæque, quam debes,pietatem præsta;vt omnes intelligant, in hoc exsilio,neque virtutem tuam vllis incommodis retardari, neque pietatem vllo locorum interuallo teneri,quo minus Regno antiquissimo, & florentissimo, in quo natus, & educatus es,omni ratione perspicias. Atque vtinam multos eiusmodi proceres Britannia extulisset,quo citius atque felicius, antiquum splendorem recuperaret: quod minime despero futurum.

HIERONYMVS OSORIVS
STANISLAO HOSIO
CARDINALI.

NEfario scelere me alligatum consitereer,Pater amplissime,quod non statim litteris tuis, quas anno proximo accepi, responderim, si non graui quodam casu fuissem impeditus. Sed ita euenit,vt eo tempore,quo ad me perlata est epistola tua, esset mihi Siluensis Ecclesiæ cura permissa, & interim, dū exspectabatur Pontificis Maximi comprobatio, atque confirmatio, iter quoddam debitū susciperem,eo consilio, vt statim reuerterer. Cum autem redirem, & animus meus in via curis suspensus aberraret,&,quo mihi eundū esset, parum diligenter attenderet, in locum præcipitem me dedi. Ita vero concidi,vt mula, cui insidebā,resupina, pondere totius corporis,atque ruinæ ipsius impetu,sinistrū meū latus opprimeret. Ne autem miserrime perirem,singulari Dei beneficio factū est, qui me præsenti numine seruauit. Ita tamen euasi,vt sinistram tibiam fœde admodū contusam,multos menses habuerim. Ita igitur in lecto decubui,vt me loco commouere non possem. Maximos autē dolores ex curatione pertuli. Terenim fuit mihi crus ferro dissectum, ne videlicet inclusa saniescrus ipsum inficeret, & inde ad perniciem totius corporis emanaret.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Simul vero, atque vestigio hærere, & iter facere potui, Olysipponem me recepi, & ibi dedi operam, vt de more consecrarer, & me ad iter, quod instabat, accingerem. Eo autem animo huc properaui, vt hic facilius responderem. Omnis enim ora Lusitaniæ maritima, quæ ad Austrum spectat, quam nostri Algarbium appellant, mea diœcesi continetur, vnde frequenter mercatores in Galliam Belgicam nauigant, quibus me tuto litteras daturum sperabam. Sed nescio quomodo factũ est, post quam oram hanc maritimam lustrare cœpi, vt nulla hinc nostrorum hominum nauis in Galliam solueret. Nunc tandem reperi, cui litteras recte committerẽ. Sed de his hactenus. Siue enim me recte de negligentia purgo, æquitas tua omni me crimine liberabit; siue nõ recte, & tunc errato meo erit medicina confessio, quæ veniam a clementia tua, vt cõfido, facile impetrabit. Vt igitur litteris tuis longo interuallo respondeam, explicare non possum, quantum illæ mihi voluptatis, quantum dignitatis, attulerint. Voluptatem mihi quidem non mediocrem afferebant, quia erant valde amanter scriptæ, & quia nihil abs te, cuius ego mentem & summo studio venerór, & sũmo amore diligo, proficisci potest, quod non mihi iucundissimum accidat. Dignitatẽ vero, quia tanta est tuæ virtutis, & amplitudinis, & grauitatis, opinio, vt necesse sit omnibus, quos humanitate tua dignos esse reputaueris, plurimum decoris, & honestatis adiungi. Accedit, quod non solum ad me diligenter scripsisti, sed mihi munera misisti, quæ continebant præstantis istius in me voluntatis indicia. Vngulam cum Iacobo Pauio, viro amplitudinis tuæ studiosissimo, partitus sum. Principes nostri salutatione tua mirũ in modum lætati sunt. Cardinalem credo litteris tuis respondisse. Est autem ille in studium tui nominis haud mediocriter incitatus. In quo vero significas, quantum laborem sustinueris in sedandis motibus, qui fuerant in Ecclesia tua, dum tu aberas, excitati, minime miratus sum. Nam nihil tam vulgare, & vsitatum est, quam vbique, peccatis nostris, turbas commoueri; & tuæ virtutis, atque sapientiæ, proprium est, maximas etiam tempestates compescere. Illam uero particulam litterarum tuarum, qua ostendis, in locis illis, vbi Princeps es, Ecclesiæ tuæ statum quietum, & florentem esse, & in partibus illis, vbi Princeps non agnoscaris, multa turbari, non legi tantum, verum etiam cum Principibus nostris communicaui, illosq. admonui, vt vehementer obsisterent eorum importunitati, & sceleri, qui in eo pugnant, vt omnem iurisdictionem Ecclesiæ detrahant. Quod cum moliuntur, id plane moliuntur, vt simul & Ecclesiam debilitent, & perditorum hominum audaciã corroborent, & aditum ad nequitiam, & scelus, patefaciant. De me autem, nihil est, quod dicam, nisi, me hoc officio, & munere, amplissimo distineri, cupio quidem illud pie, atque sancte, &, vt vno verbo dicam, ex CHRISTI optimi maximi voluntate administrare. Sed, dum & muneris gerendi difficultatem, & meam imbecillitatem, considero, exitum sane pertimesco. Sed in tantis curis reficit, & recreat me ipsius CHRISTI spiritus, qui numquam eos, qui ad opem illius confugiunt, præsidio salutari destituit. Crede mihi, me exemplo virtutis, & sapientiæ, & præclarissimis etiam ingenij tui monumentis, multo etiam acrius excitari ad Ecclesiam pro mea virili parte subleuandam. Deum autem pro vitæ tuæ longitudine venerabor, vt diutissime possis obuiam ire sceleribus, virtutis studium incendere, Ecclesiam vniuersam clarissimis operibus illustrare. Munera, quæ cum his litteris mitto, velim ita recipias, tamquam meæ in te singularis obseruantiæ, atque pietatis, argumenta. Vale.

SANCTISSIMO D. N. PIO V.

Sanctissime in Christo Pater, atque D. N.

SI litteræ Sanctitatis T. rebus meis secundis ad me perlatæ fuissent, summo me certe gaudio cumulassent; earum tamen salutaris vis non ita facile perspici potuisset. Cum vero illas eo tempore acceperim, quo maximis morbis implicabar, illæq. me in fanitatem restituissent, & curis omnibus liberassent, dubium mihi non est, quin earum beneficium ad cælestе numen referendum sit. Vt autem morborum vim breuiter explanem, cum rem diuinam facerem, caligo quædam cum dolore grauissimo oculis meis offusa fuit, & sensus oppressi sunt; parumq. abfuit, quin repente conciderem. Accurrunt ministri, & me aquis odoratis adspergunt; &, cum interim largus ex capite sudor emanaret, respirauit, sacrificiumq. rite peregi. Iacui tamen fractus, & debilitatus, vsque eo, dum vires pristinas recuperarem, & ad munus intermissum redirem. Cum vero me sanum, atque bene valentem, arbitrarer, febri tertiana acerrime conflictari cœpi. Ex ea vix emerseram, cum varijs calumnijs hominum, odio nominis nostri flagrantium, ita vehementer oppugnatus sum, vt mihi repugnandi facultas minime daretur. Reliquum erat, vt in cælum respicerem, & summum Cæli rectorem, qui rectissimo iudicio iniuriam persequi solet, appellarem. In hoc statu eram, cum litteras Sanctitatis T. benignitatis, & clementiæ, plenissimas, accepi, quæ non solum morbos a me cunctos facillime remouerunt, verum etiam animo meo robur attulerunt, quo omnes inimicorum fraudes omnino contem-

contemnerem. Immortales igitur Sanctitati T. gratias ago; promittoque, & spondeo, futurum, vt illam inflammato semper studio prosequar; nullumq. locum meæ in eam pietatis testificandæ prætermittam. Dicis, P. Sanctissime, te admirari, quid venerit in mentem Patribus amplissimis, Sanctitatem T. in isto summo dignitatis gradu locare, vt CHRISTI vice vniuersæ Christianæ Reip. innumerabilibus malis afflictæ consuleres. Ego, contra, & illorum sapientiam laudibus extollendam arbitror, & tuam excellẽtem virtutem, vel sola ista ratione, altissima dignitatis Sede dignissimam iudico, quod ita se summittat. Solidæ namque, & expresse virtutis argumentum est, in præcelso amplitudinis gradu, de se moderate sentire; &, quo dignitas altior est, eo minus insolescere. Est enim id hominis nimis alta, & excelsa, semper intuentis; & omnia, quæ versantur in vita, pro nihilo putantis, nisi ad Dei gloriam dirigantur. Quamquam, vt in primis litteris, quas ad Sanctitatem T. misimus, exposui, cum in electione illa nec ambitio se intruserit, neque calliditas fraudem machinata fuerit, nec ulla immanis potentia se interposuerit, vt bonorum iudicium impediret, & tanta consensione fueris a Patribus sapientissimus iudicatus, qui in Sede Petri sederes, nemini dubium esse debet, quin ea electio sit ad Spiritus Sancti iudicium reuocanda. Cum igitur, non, qui se ipsum commendat, ille probatus sit, sed quem Deus commendat, & Sanctitatem T. constet Diuino iudicio comprobatam fuisse, non est iam vllum humanum iudicium ad gloriam tuam requirendum. Confido igitur, futurum, vt tua virtute, monitis, & exemplis, & auctoritate, & actionibus, sapientia tua dignissimis, sempiterni Christiani nominis hostes concidant, & vbiq. nomen CHRISTI optimi maximi sempiterna prædicatione celebretur. Vt enim quidam, humana timiditate perculsi, a fide deficiant, CHRISTI tamen fides nullis vmquam seculis deficiet; quæ te, si totam mentem tuam in gloriam illius contuleris, Diuino, & inuicto, præsidio confirmabit, vt ea, quæ moliris, feliciter effecta conspicias. In eo vero, quod Sanctitas T. mihi tam prolixe omnia de sua singulari benignitate pollicetur, quibus verbis illi gratias agam, prorsus ignaro. Atque, vt inam ad illius Pedes me abijcere potuissem, vt verbis exprimere conarer, quod nunc litteris esse iudico explicatu difficillimum. Sed, quando id non licet, quibuscumque rebus potero, animum meum studio pietatis erga te vehementer incensum testabor, & vota sine intermissione pro tua vita, & dignitate, suscipiam. Felicissime valeat Sanctitas T. quam Deus omnipotens Ecclesiæ suæ sanctissime constituendæ incolumem diutissime conseruet.

HIERONYMVS OSORIVS IOANNI FAMOIISKIO GRIMALIO REGIS POLONIAE INVICTISS. SECRETARIO.

CVM essem Olysippone, XIII. die mensis Nouembris, redditæ sunt mihi litteræ tuæ, quas vno ante anno dederas: quibus nihil mihi iucundius accidere potuisset. Tuli tamen permoleste, me tamdiu illarum suauitate caruisse. Vt autem id dolentius ferrem, accedebat, quod metuebam, ne tibi in suspicionem rusticanæ, & nimis ingratæ, negligentiæ venirem, quod tamdiu nihil respõderem. Sed culpa mea non fuit, sed eorum, qui litteras tuas mihi tardissime detulerunt. At, quas litteras? orationis ornatu cultissimas, humanitate suauissimas, amoris, & officij, plenissimas; quæ me tibi ita deuinxerunt, vt vix quid quam vehementius cupiam, quam modis omnibus testificari, quam sim in tui studium incitatus. His autem laudibus, quibus me ornas, non audeo me prorsus indignum iudicare, ne videar ab homine tam singulari dignitate, & eruditione, prædito, dissentire; & simul facile patior, te in iudicio, quod de me facis, multo plus mihi deferre, quam merear, vt ea opinio, quam de me habes, te mihi multo magis conciliet. Quid illud, quantum est? quod nomine Regis inuictissimi, summisq. laudibus ornatissimi, salutem mihi adscribis, & illius erga me voluntatem mirifice propensam esse demonstras? Quo quidem testimonio arbitror nihil euenire posse mihi ad honestatem præclaruis. Nam, cum non mediocre decus in bonorum Principum incorrupto iudicio ponendum sit, tum maximorum Regum, qualis Rex vester est, testimonio nihil poterit excogitari ad dignitatem præstantius. Scio, imperium illius esse latissimum: sed non valde Regni totius amplitudinem, sed inclytæ mentis altitudinem, admiror. Non enim Reges maximos immanes opes, sed Regiæ virtutes, efficiunt. Ei vero Regi, qui tanta cura, & vigilantia, maximarum artiũ studia cum imperatoria laude coniungit, & in eo vehementer elaborat, vt gentem decore militari valde claram, litterarum ornamentis illustrem efficiat, nulla virtus maiestate dignissima deesse poterit. De bellicis autem illius laupibus multa fama prædicat: quam cupiat autem Regnum suum præclaris artibus excolere, & ad omnem rationem virtutis, atque sapientiæ, instructum, & ornatum cernere, aduentus in Italiam tuus, vt illius iussu vtros doctissimos tecum in Poloniam duceres, qui tantum munus efficerent, facillime declarat. Itaque eũ Regẽ Stephanum esse testificaris, quẽ ego meis libris

optandum esse demonstraueram. Quamuis igitur nullum illius in me beneficium constitisset, sola tamen fama tam præclaræ virtutis impulsus, illum mihi amore perpetuo diligendum, & summo studio colendum, & obseruandum, proponerem. Nunc vero, cum tanti me faciat, vt scripta mea legere minime grauetur, & ne in castris quidem libros meos a familiaritate sua repellendos existimet, & præterea tam magnifice omnia, quibus cumque mihi fuerit opus, pollicatur; quid mihi faciendum putas? Certe, si non tanto regionum interuallo disiuncti fuissemus, omni mea opera, obsequio, vigilantia, perfecissem, vt ergaillius Maiestatem quam gratissimus esse cognoscerer. Conabor tamen, vt hoc impedimentum, ex locorum longinquitate natum, litterarum crebritate resarciam; & Deum pro illius amplitudine, & sempiterna gloria, venerabor. Nunc, hortatu tuo, ad illum scribo; & interim aliquod ad eum munusculũ concinnabo. Gratissimum mihi feci sti, quod nomine Cardinalis Varmiensis salutem mihi nuntiasti. Illius namque virtutem, & sapientiam, mirifice diligo; & illius beneficijs ita sum adstrictus, vt perpetuo sim in illius ære numerãdus. In quo vero ais, clarissimi Regis Cancellarium, nobilitate, & eruditione, præcellentem, meum nomen magnificare, & mihi plurimam salutem dicere, maximam mihi voluptatem attulisti. Nec est quidquam in vita magis expetendum, quam a viris in omni genere virtutis excellentibus approbari. Illum meo nomine plurimum saluta. Vale; tibiq. persuade, te mihi semper fore carissimum.

HIERONYMVS OSORIVS

*

NON arbitror esse hominis impudentis officium, petere beneficium ab eo, quem nullo vmquam sibi merito deuinxit: immo ea mente sum, vt statuam, esse animi ingenui, atque liberalis, indicium, onus huiusmodi non grauate suscipere; maxime vero, cum beneficium postulatur a viro, qui laude virtutis, & comitatis, excellit. Quocirca libẽtissime me tibi obstringi perpetuo patiar; &, quo magis me in hanc seruitutem adductum adspexero, eo maiorem ex ea iucunditatem percipiam. Vt autem hoc audacius facerem, auctor mihi fuit Antonius Pintus, vir omnibus rebus ornatissimus, & mihi longe carissimus, qui mihi de tua singulari benignitate omnia, quę ad meam Ecclesiam recte constituendam pertinerent, pollicitus est. Nec enim dubitabat, quin vir iustissimus, & humanissimus, admodum libenter iustissimæ, & æquissimæ, postulationi concederet. Reperi in hac Ecclesia Statuta quædam, auctoritate Apostolica confirmata; quorum vnum est, vt bini Canonicatus vbi vacauerint, in octo beneficia diuidantur: vt, ita, multiplicatis Ecclesiæ ministris, Ecclesiastica officia commodius, atque sanctius, & cum maiore publicæ Religionis ad pietatem inuitamento, celebrari possint. Hoc autem numquam effectum fuit. Nam, cum Episcopi sæpe numero abessent, publicis Regni negotijs impediti, non admodum diligenter animaduertebant, quid Ecclesiæ necessitas flagitaret. Mihi autem vsu venit, vt intelligerem, non esse opus tam multis beneficijs; vnumq. Canonicatum in quattuor beneficia diuisum Ecclesiæ huius vsum facillime supplere posse. Itaque, cum, me absente, mense Octobri anni proximi Canonicatus vnus vacauisset, per Antonium Pintum fuit postulatum a D. N. vt illum, prout erat antiquo Statuto decretum, diuidi permitteret. Is id mihi summa benigni tate concessit; negotij tamen rite conficiendi curam tibi delegauit. Antonius tamen Pintus scripsit mihi, animum tuum a voluntate eiusdem beneficij mihi conferendi haud quaquã abhorrere; sed in primis opus esse exemplo Statuti, cuius in meo postulato mentionẽ feceram. Exemplum mitto; & spem interim firmam habeo, fore, vt non in hoc solum negotio, sed in multis alijs, mihi plurimum tuæ humanitatis, & benignitatis, impertias. Quod vero ad me attinet, spondeo, atque promitto, me omni studio, vigilantia, & obsequio, operam daturum, ne vmquam animi ingrati scelere merito condemnari possim. Deum precor, vt te perpetuo incolumem, cum dignitatis amplificatione, conseruet. Vale. Siluijs. XVIII. Ianuarij. MDLXXV.

HIERONYMVS OSORIVS

STANISLAO HOSIO

CARD.

LItteras, a te decimo die Aprilis datas, initio Iunij mensis accepi, e quibus quantum fructum tulerim, explicare vix possum. Nam me curis molestissimis leuauerunt; & animum meum erexerunt, vt facilius eos, qui mihi molestiam exhibere minime desistunt, contemnã; & eo, quo intẽdit animus, vehemẽtius enitar. Iã vero, cum me non vulgaribus laudibus ornandum ducis, incredibilem voluptatem percipio. Quid enim aliud facere possum? infitiabor, me hominem esse, & minime gloriæ, quam optimus quisque sibi, naturæ præstantis admonitu, proponit, appetentem? Hoc certe fuisset stupori potius immani, quam virtuti veræ, tribuendum. Vt enim gloria inanis pro nihilo habẽda est, ita vera laus est in bonis Diuinis numeranda. At vero, quis dubitare potest, laudem, a viro amplissimo, sapien-

sapientissimo, summisq. virtutibus ornatissimo, tributam, esse verissimam; & ea de caussa omnibus, qui virtuti operam egregie nauare cupiunt, expetendam? Cum igitur videam, a te cuius amplitudinem veneror, cuius virtutem, atque sapientiam, admiror, scripta mea laudari; consequens est, vt & gaudio summo cumuler, & operam enixe dem, ne vmquam indignus iudicio tuo videar. Quamquam, vt verum fatear, non tam me gloriæ cupiditas, quam pietatis studium, incitat ad scribendũ. Quantum enim ad gloriam attinet, illi egregie me satisfeciſſe statuo. Cum enim in te, Pater amplissime, mirum virtutis specimen, & clarissimum eruditionis lumen, semper eluxerit; cum patriam tuam excellentibus meritis obligaueris; cum & monumentis sapientissimis, & pietatis exemplis, illustrissimis, effeceris, vt multi mortales, ab errorum tenebris emersi, veritatis lucẽ respicerent; & cum ego tuũ iudiciũ consecutus sim; nõ video, quid ad honestatem sit mihi præterea requirendum. Ecclesiæ typum libentissime vidi; & pro tantis beneficijs immortales tibi gratias ego. Typus autem ipse, & forma decoris sempiterni, & stabilitate Diuinæ virtutis animaduersa, me multo acrius incitauit ad dimicandum. Quidam sacerdos eruditus ex meis domesticis, & familiaribus, typum complecti carmine nixus est. An id, quod concupiuit, fuerit assecutus, ignoro. Carmen vero tibi mittere decreui; quod si fecerit, quæ tua singularis benignitas est, id boni, & æqui consulas oportet. Quod vero ad me, & rerum mearum statum, attinet, hoc anno fui morbis molestissimis impeditus. Cum primum per valetudinẽ licuit, intermissa parumper studia reuocaui. Operam namq. dedi, vt impuritatis labes resecarem; & alios quidam, propositis pœnis, a flagitijs deterrerem, alios vero concionibus ad studium pietatis allicerem. Interim tamen non leuiter oppugnor. Sed, si Deus pro nobis steterit, quis contra nos? De me nihil aliud possum hoc tempore, significare. Electus Rex vester vt sit semper felix, exopto. quod consequetur, si religionis sanctissimę propugnator semper exstiterit. Illius enim mentem Christus illustrabit, & pro illius dignitate pugnam capesset. Quod, multis argumentis adducti, fore confidimus. Vale.

HIERONYMVS OSORIVS

*

LITTERAS Cardinalis Varmiensis cũ tuis simul accepi, quæ me duplici gaudio cumularunt. Cardinali enim, viro, & eruditionis præstantia, & virtutis splendore, clarissimo, multis abhinc annis, & famæ celebritate, & illius benignitate, permotus, ita deuinctus sum, vt vix quidquam artius, & adstrictius, cogitari possit. Quamuis enim illum minime vmquam viderim, mente tamen speciem sapientiæ, & probitatis, quæ in illo mirabiliter elucet, animo cum admiratione quadam perspicio, ita, vt necesse sit, in me, & in omnibus qui verisimum decus expetunt, summum in illum amorem excitari. Omnia igitur ab illo mihi gratissima contingant, opus est. Itaque, si solum illius ad me litteræ peruenissent, eximiam mihi voluptatem attulissent. Cum vero litteræ tuæ in illarum societatem se simul obtulissent, non mediocris facta est ad lætitiã, qua sum expletus, accesio. Epistola namque tua me in tui studium incredibiliter excitauit. Ferreus namq. essem, si non tã insignis elegantia, & tam propensa in me voluntas, animum meum in tui amorem vehementer incendisset. Sed aliud accesit, quod me multo magis ad te amandum alliceret. Quid illud, inquies? amor ille singularis, quo te clarissimum virum amare, & ab illo vicissim non mediocri amore diligi, ex tuis litteris intellexi. Cum illum igitur, quem tu tam insigni caritate complecteris, omni obseruantia, & pietate, colendum suscipiam, fieri non potest, quin me libentissime ad eorum studium conferam, quos amicitia sua dignissimos esse iudicauerit. Nec enim sibi amicos esse volet, nisi eos, quibus maximas virtutes carissimas esse viderit. Quare velim tibi persuadeas, te mihi fore carissimum. Atque, vtinam mihi licitum fuisset in illis locis versari, in quibus tua, & aliorum, qui simili morum elegantia præcellunt, humanitate frui possem. Sed, quando id non est datum, cum tanta locorum longinquitate disiũcti simus, demus saltem operam, vt animorum coniunctione, & litterarum crebritate, beneuolentiæ magnitudinem testificemur. In eo vero, quod ais, tibi libros de Regis institutione mirifice placuisse, valde lętor. Nam, cum omnibus, qui opera sua in lucem edere volunt, sit euentus valde metuendus; & ea de caussa solliciti simus, quod nam futurũ sit doctorũ hominũ iudiciũ; ea cura facillime leuatur, cum illorum iudicium consequimur, quos omni laude eruditissimos arbitramur. Non igitur mediocri me voluptate perfudisti, cum librum illum, & reliquos, qui in manus hominum peruenerunt, tuo iudicio comprobari significasti. Multa quidem sunt apud me, quæ cupio similiter edere: sed multa sunt impedimento, quo minus id, quod iam dudum conor, efficiam. Nam primum quidem regio hæc, cui præfectus sum, sit, more, consuetudine, tantum abhorret a litteris, quantum extremi Garamantes ab Helicone disident. Ea autem est partim montana, partim maritima. Si me ad montes confero, rusticanis hominibus sunt aures assidue præbendæ. Si ad oras maritimas redeo, cum mercatorum auaritia sunt nobis manus perpetuo conferendę.

Adde

Universidad de Deusto
Biblioteca

Adde nunc Maurorum, & Turcarum, incursiones;adde piratarum immanitatem, & alia incommoda, quæ me frequenter a studiis abducunt. Accedit postremo onus huius Ecclesiæ moderandæ; cui est interdum necessario succumbendum. Sacra enim sunt rite facienda;diœcesis summo cum labore peragẽda;flagitiorũ radices euellendæ;mores optimi conserendi;multaq. alia suscipienda, quæ non possumus,propter virium imbecillitatem,sustinere.Quis igitur, in tantis incommodis, animũ poterit,æstu negotiorum,& barbarę consuetudinis,absorptum,colligere,& ad intermissa lõgissimo interuallo studia reuocare? Quamuis tamen his curis omnibus oppressi simus,dabimus operam,vt ad ea nos tandem referamus. Nos ama, vt cœpisti:nos te viciſsim amamus. Vale.

HIERONYMVS OSORIVS
STANISLAO HOSIO
CARDINALI.

SI in vltimis terris apud Sinas exsularem, crebrius arbitror potuisse me fieri de tua valetudine certiorem.Tabellarii enim,vel tẽpestatibus excluſi,vel negotiorum difficultatibus impediti, rarissime ad nos commeant, ita, vt annus elabatur, priusquam ad me Roma litteræ deferantur. Eram igitur valde sollicitus. Hac tamen cura nudiustertius, Antonij Pinti litteris,liberatus sum. Is enim mihi ea,quæ valde cupiebam,de valetudine tua nũtiauit,& præterea me admonuit,vt, siquid esset a nobis editum, id tibi deferendum curarem. Mea quidem sponte fuit editus liber de Regia disciplina,& institutione,in quem multum operæ,& studij, contuleram. Huius tamẽ meæ facilitatis me valde pœnituit. Nam, cum ego abessem,librarij,partim imperitia, rudimenta namque nunc deponunt; partim auaritia, cupiebant enim, vt citius ad pecuniam peruenirent,opus absoluere,totum opus mendis innumerabilibus inquinarunt. Sunt præterea multa notis minime cohærentibus perturbata, & inuersa:in quibusdam locis verba desunt,in alijs ineptissime redundant, ita, vt non mediocrem molestiam ceperim. Quamuis tamen id mihi male processerit, impediri tamen non potui, maxime cum me Antonius Pintus admoneret, quin tibi librum mitterẽ. Gratum autem mihi facies, cum fuerit tibi otium a rebus amplitudine tua dignissimis, aliquod tempus huius nostræ lucubrationis lectioni tribuere. Si enim sapientiæ tuæ testimoniũ fuero consecutus, arbitrabor me non mediocrem mei laboris fructum percepisse. Interim vero minime desistam Christum optimum maximum precari,vt vitam tuam, cum amplissimo virtutis,& sapientiæ tuæ fructu, diutissime conseruet. Vale. Villanoua Portimanensi. Anno MDLXXII.

HIERONYMVS OSORIVS
STANISLAO HOSIO
CARDINALI.

BENIGNITAS tua non satis habet ornare me beneficijs, quæ ad dignitatem meam, & gerendi muneris commoditatem, pertinent, nisi etiam illa diligenter accumulet,quibus pietatis studium acrius inflammetur.Itaque,licet pro Ecclesiæ sanctitate mori cupiam,& Crucis memoriam in mente perpetuo defixam habere desiderem,mirum tamen est, quantum mihi alacritatis ad hoc studium litteræ tuę cum sanctissimis typis addiderint. Quod vero ad explicationem attinet, poeta quidem noster,quo ingenio peruenire potuit, elaborauit. Quod conatus est, laudo;quod assequi nequiuit,ignosco. Hæc tamen explicatio,quam cum litteris accepi,clarissimum nobis lumen ita prætulit,vt omem obscuritatem sustulerit. De Christi vero Crucifixi typo, quid dicam? Nullum enim argumentum magis oppositum cogitationibus meis dari potuisset.Nam quinque libris,quos de Sapientia scripsi, qui nondum in lucem prodierunt, id ago,vt demonstrem,omnem verisimæ sapientiæ rationem Christi Crucifixi disciplina cõtineri. Mirifice igitur delectatus sum typo,quo multo acrius exarsi ad cupiditatẽ edendi operis, a me, si non admodum feliciter, at certe valde diligenter elaborati.Studium vero,quo plurimum tui fauoris, & gratiæ, in causſam Ecclesiæ nostræ contulisti, minime sum admiratus. Nam,cum minime mihi nouum sit,te libentissime nostri patrocinium in rebus omnibus suscipere, tum in hac nostræ iurisdictionis causſa,tuum munus erat,Ecclesiarum Lusitanarum iuri,certorum hominum importunitate vehementer oppresso,patrocinari.Quibus autẽ verbis pro tantis beneficijs gratias agam,non reperio. Quod si, quamdiu aliter non licet, beneficiorum multitudo singularis amoris magnitudine rectissime cõpensatur, hoc statuas velim, te a me adeo vehementer amari,vt vix quidquam fieri possit ardentius. Atque vtinã mihi aliquando liceat,omni opera,& studio,& pietate,hunc animum in amplitudinem tuam testificari. Perficiam certe,ne me quisquam, vel caritatis in te magnitudine, vel officiorum crebritate, facile superare possit. De me,nihil habeo,quod scribam,nisi, me,Dei gratia,& benignitate,bene valere;ab occultis tamen hostibus oppugnari, quibus minime resistendum puto. Certum est enim mihi, omnes defensionis rationes in Christi præsidio collocare: qua fide subnixus, omnia inuidiæ tela facillime retundam. Antonius Pintus,

Pintus,vir mihi carissimus,tractabit cum amplitudine tua negotium, valde ad rem meam pertinens. Te igitur maiorem in modum oro, & obsecro,vt illum audiat, & fauore suo prosequatur. Deum precor, vt Illustrissimam D. T. diutissime conseruet.Silusis, XIIX. Ianuarij. Anno MDLXXV.

HIERONYMVS OSORIVS
STANISLAO HOSIO
CARDINALI.

POST scriptam epistolam,quam cum hac altera mitto,occurrit negotiũ,quod non potest absque benignitate tua feliciter expediri.Vt autem illud commodius explicem,est exordium illius paullo altius capiendum. Pro tua singulari prudentia,cernis,Pater amplissime,magnam partem incommodorum, quibus Ecclesia labi cœpit, ortum habuisse ab illis priuilegiis,& immunitatibus,quibus multi,Ecclesiasticis sanctionibus soluti,poterant sibi liberam flagitiorum impunitatem, quoties libidinibus obsequi vellent, confidentissime polliceri. Auctoritate namq. Pontificum afflicta, multi in omni genere libidinis, cum proiecta audacia, & impudentia, versabantur. Erat igitur hoc malum exẽplo pestilens, contagione mortiferum, & magnitudine offensionis vehementer odiosum. Hac autem licentia muniti,non pauci sacerdotes,ex illis, qui erant militaribus religionibus adstricti, & extra sæpta in Ecclesijs sibi commissis sedes habebant,libertate ad summum ipsius religionis dedecus abutebantur.Morbus igitur erat insanabilis. Nam, etsi eorum præfecti se curaturos esse dicerent,ne illi impune peccarent, id tamen fieri commode non poterat; cum & præfecti procul abessent; & Ecclesias ordinum,vt appellant, non ita frequenter inuiserent, & suscepta interim flagitia ad multorum perniciem emanarent.Hoc tamen malum Sacrosancti Concilij decreta magna ex parte sustulerunt.Itaque,decretis promulgatis,lux Ecclesijs videbatur oblata, & pax mirifice constituta, cum subito exorta est cõtentio; cui nisi prouisum aliqua ratione fuisset, multo peiore condicione fuissemus,quam ante Conciliũ fueramus. Nam quidam primum in eo pugnauerunt, vt, captiosis interpretationibus, Concilij sanctiones eluderent. Deinde,nouas actiones susceperunt, quibus multis impunitatem darent, & Episcopos e multarum rerum possessione, in qua semper fuerant, contra rationem iuris expellerent. Quod si eorum vtilitas ageretur, non tam essent vituperandi.Sed neque Concilij decretis eorum vectigalia minuuntur;nec vllæ iniuriæ illis a nobis inferuntur; nec vlla res interuenit, ob quam de nobis conqueri merito possint.Hanc vnam vocem iactant,agi ordinis sui dignitatem,pro qua esse dicunt viris fortibus ad extremum acri contentione dimicãdum: summumq. dedecus esse minimeq. ferendum, eos,Pontificibus subiici, eorumq. seueritate coerceri. Qua quidem oratione, satis ostendunt,se non iure niti, sed inconsiderata voluntate,& rebellionis studio,gubernari. Deinde, significant,se inanem propriæ dignitatis speciem Christi gloriæ,quæ in recta Ecclesiæ moderatione consistit,longe præponere. Postremo,Ordinis nomen non recte interpretãtur; cum Ecclesiæ perturbationem Ordinem, parum sapienter,appellant. Est igitur illis persuasũ,esse pro dignitate, (nescio enim quibus tenebris excæcati Pertinaciæ Dignitatis nomen imponũt,)in hac actione,quamuis temere suscepta sit, fortissime perseuerandum. Hac igitur opinione præcipites, ruunt; & ijs, qui Episcopis subijci volunt, acerrime comminantur. Itaque Cardinalium decretis non acquieuerũt. Henrici,Cardinalis sanctissimi, iudicio stare noluerunt: pecunias etiam ab inuitis exegerunt, vt sumptus Romæ in lite minime necessaria abunde suppeditarent.Et, cum ita se gerant, sibi nominis immortalitatem pollicentur, quod pro Ordinis honore tam insignem dimicationem suscipiant.Quid Ordinem appellent,ignoro.Ego quidem Ordinem in imperio legitimo,a Christo,& Apostolis,constituto,& in salutari obedientia, ponendum arbitror. Mea igitur sententia, Ordo est, vt minores maioribus subditi sint, & Ordo laudabilis,& prædicandus,ille sit,quem ius Diuinum comprobat; quem Ecclesiæ decreta sanciunt;quem vniuersæ Reip. Christianæ status efflagitat;quo recta Ecclesiæ moderatio,& salutaris disciplina, continetur; quo omnes Christiani Episcopis suis diligenter obtemperant;& illi etiam, qui certis religionibus addicti sunt,exemplo suo,cum opus fuerit,doceant,se obedientiam, Episcopis, iure Diuino,debitam, in loco non prorsus abiecisse; vt Episcopi Pontifici Maximo subiiciantur, & omnes denique Christi sanctissimis placitis obsequantur, & illius iudicia pertimescant. Illos vero, qui hunc Ordinem oppugnant, non Ordinis, sed perturbationis, & rebellionis, & contumaciæ, vel auctores, vel saltem ministros, appellabo. Quod vero ad nos attinet, si, quod volunt, fuerint consecuti, maximis nos curis liberabunt. Licebit enim nobis,pro magna totius anni parte, otium amplexari. Id enim agunt, & moliuntur, vt multorum munerum nobis vacationem tribuant. Verum, cum nobis non tam otij nostri, quam communis vtilitatis, ratio ducenda sit; & intelligamus, quot incommoda ex hac actione, bonorum quidem hominum, sed parum sapienter animaduertentium, quam viam ad multorum flagitiorum

rum colluuionem aperiant, prouentura sint, fieri non potest, quin in magna sollicitudine simus. Si enim Pontificum auctoritas fuerit imminuta, & iurisdictio impedita, & fuerint multi in diœcesibus nostris, in quos nullo modo liceat nobis animaduertere, & ea vitiorum natura sit, vt quemadmodum Paulus ait, modicum fermentum totam massam inficiat, coniectura certe possumus assequi, vt nulla vigilãtia posimus flagitia coercere. Sed spes nos magna tenet, fore, vt hæc falsa dignitatis opinio vero iudicio solidæ dignitatis opprimatur. Res enim Romæ agitur. Concilium est, Cardinalium, ob eximiam virtutem, atque sapientiam, delectorum: eidem Concilio te præfectum esse audio. Quare non dubito, quin ea sententia proferatur, quæ non turbidis animorum motibus, sed constanti rationi, atque pietati, causam adiudicet. Hoc tantum admonebo, id agi, Vtrum Episcoporum auctoritate & vigilantia, posit audacia omnium coerceri, an potius, pro parte fere dimidia, liceat eorum, qui libere vitã degere voluerint, improbitatem metu solutam volitare. Et, Vtrum sit commodius, pacem constitui, (quod fiet, si licebit Episcopis iure suo vti) an seditiones concitari, si Pontificium ius fuerit de statu certorũ hominum inconsiderata opinione conuulsum. Hæc tecum, Pater amplissime, pluribus aget procurator noster Melchior Fonseca, vir omnibus rebus ornatissimus; cuius orationi, te oro, fidem adiungas. Vale.

GREGORIO XIII. SVMMO PONTIFICI.

Sanctissime Pater, & D.N.

MVLTIS argumentis confirmari potest, Deum, post tam multas malorum omnium tempestates, Ecclesiam singulari benignitate respexisse. Sed vix vllum firmius esse puto admirabili Patrum amplissimorum consensione, qua fuisti in præcellentissima Sede collocatus, vnde sanctitatis, atque prudentiæ tuæ lumen mirabiliter eluceret. Quamuis enim Virtus, in quocumque loco sita sit, suum splendorẽ semper obtineat, multo tamen clarius eminet, cum eum gradum dignitatis assequitur, in quo magnificentius opes suas explicet, & vberiores fructus ex communi salute percipiat. Cum igitur isto honoris gradu, in quẽ virtutum meritis adscendisti, nullus amplior in terris excogitari possit; (ad Diuinam enim dignitatem proxime accedit, vt Christi vice ius Diuinum in terris administret) consequens est, vt de sanctitate, & sapientia tua possimus nobis statum Ecclesiæ florentissimum polliceri. Confirmat autem magis hanc nostram spẽ, quod huius operis tam Diuini fundamenta præclare iacta conspicimus. Singularis enim virtus, & pietas, Pontificis sanctissimi, qui diebus proximis ex hac vita migrauit, vt sempiterna vita cum insigni gloria frueretur, in eo vehementer elaborauit, vt Ecclesiam laborantem reficeret, & studium pietatis propemodum exstinctum ardenter excitaret. Huius muneris instituti perfectionem arbitramur esse Sanctitati tuæ reseruatam, vt ex opere Diuino Diuinam etiam gloriã consequatur. Munus quidem nimis arduũ, atque difficile, est: sed, quo maior in illo fungendo difficultas exstiterit, eo laus erit illustrior, & præclarius in cælum munita via. Præterea, nullũ opus difficile potest existimari, quod Christi præsidio suscipitur, atque sustinetur; cum Diuina virtus non possit vllis opibus humanis impediri. Christi vero præsidium tibi minime defuturum, ex eo colligimus, quod illius numine, & voluntate, fueris ad altitudinem amplissimę istius dignitatis euectus. Quod autem est consilio cælestis numinis inchoatum, sperandum est, vt sit etiam benignitate eiusdem numinis absolutum. Porro autem iudicium, quo munus istud maximum, & amplissimum, delegatum Sanctitati tuæ fuit, ad Christum auctorem est iure, atque merito, reuocandum. Nec enim in eo ambitio locum habuit; nec vlla magnorum Principum gratia interuenit; neque fictæ virtutis simulatio potuit sapientissimis viris illudere: neque denique quidquam exstitit, quod tenebras Christianæ Reip. luminibus, quæ tibi summum Pontificatum detulerũt, offunderet. Restat igitur, vt intelligamus, spiritum Diuinum in eam mentem Cardinales impulisse, vt omnes te isto summo honore dignissimum iudicarent. Aliter enim fieri minime potuisset, vt deliberatio de munere, tanta dignitate prædito, a tam multis expetito, cuius cupiditate tã sæpe turbulenta dissidia concitantur, vni præcipue deferendo, intra sedecim horas, vt fama prædicat, exitum inueniret. Vnde concludi potest, te non tam ab hominibus, neque per homines, quam per Iesum Christũ, electum fuisse, vt pondus Ecclesiæ vniuersæ sustineres, &, quod erat de illius dignitate deperditum, sapientia admirabili relarcires. Consequens igitur est, vt idem, qui te elegit, nullo in loco te deserat, sed semper tibi in precibus, & votis, occurrat. Illius igitur ope confirmata Sanctitas tua facillime impetus hostiles franget, Sathanæ propugnacula dissiciet; in Ecclesia vero, quæ sunt dissoluta, conglutinabit; quæ sunt collapsa, reficiet; quæ sunt laxata, deuinciet; quæ sunt instaurata, conseruabit; operamq. strenue dabit, vt in dies magis Christi Regnum ornamentis Diuinis excultum, opibusq. sempiternis exaggeratum; videamus. Nõ tibi igitur, Pater Sanctissime, sed vniuersæ Christianæ Reip. de tanto bono gratulor. Quod vero ad officium meum attinet,

net, fide, studio obseruantia, pietate, perficiam, si vires minime defuerint, vt omnes intelligant, me nemini concessurum, qui sanctitatem tuam caritate ardentiore prosequatur. Duo autem munera mihi interim diligenter obeunda puto. Vnum est, pro illius vita preces ad Deum semper adhibere. Alterum, quidquid intellexero ad statum huius Ecclesiæ pertinere, a te considenter efflagitare. Felicissime valeat Sanctitas T. quam Deus omnipotens diutissime, cum summa totius Ecclesiæ felicitate, conseruet. Villa noua Portimanense. Idibus Augusti, Anno M D LXXII.

Addictissimus Sanctitati T.

Hieronymus Osorius,

Episcopus Siluensis.

HIERONYMVS OSORIVS LEONI CASTRENSI.

INGRATI animi crimine nullum scelestius esse puto. Iccirco sit, vt perpetuo de laudibus tuæ probitatis, & integritatis, & præstantissimæ eruditionis, libentissime sermonem faciam. Vix enim possum reperire, cui maiore beneficio obstrictus sim. Si enim tantum præstant animi bona corporis emolumẽtis, quãtum nullius oratione explicari potest, efficitur certe, vt ij, per quos fumus opes animi consecuti, sint a nobis in loco patris habendi, & omni officio complectendi, si volumus facinoris scelestissimi suspicionem vitare. Cum uero is tu sis, qui me tantis bonis affeceris, non est, cur magis facias, te a me non modo vnice diligi, verum etiam debito præconio celebrari. Tuis enim disciplinis excultus, ea molitus sum, ad quæ adspirare minime vmquam ausus fuissem. Cum enim me Græcis literis erudiendum diligentissime suscepisti, & perfecisti, vt intra vnius anni spatium Athenas inuiserem, & illos summos doctrinarum omnium principes, quos illa ciuitas aluit, ornamentisq. mirabilibus affecit, adirem, & Atticæ eloquentiæ opes admirarer, ea certe omnia, quæ postea sum, aditu illo per te facto, consecutus, tibi vni referenda puto. Si igitur sum in Aristotelis disciplina, cum nonnulla ingenij laude, versatus, si Platonis amplitudinem suspicere clare potui, si ausus aliquando fui Demosthenis vim mihi ad imitandum proponere, tu certe huius nostri ardoris auctor exstitisti. Quare minime miror, si quidquam est a nobis editum doctorum hominum approbatione dignum, te nominis nostri laude non mediocriter oblectari. Eruditionis namq. tuę partũ libentissime recognoscis. Vt tamen verum fatear, incertus sum, quod attinet ad eas laudes, quibus me ornas; quid mihi faciendum sit. Nec enim illas aspernari audeo, ne videar hominis doctissimi, atque prudentissimi, iudicium, & auctoritatem, contemnere; neque rursus agnoscere, ne in leuitatis, & insolẽtiæ, suspicionem veniam. In eo vero, quod dicis, te eloquentiæ nostræ admiratione obstupefactũ fuisse, peinde atque si Medusæ caput adspexisses; quod tua pace dixerim, male dictum arbitror. Nam nec ego Perseus sum, neque tu is, quem vlla mõstra perterreant. Nisi vero monstrum illud fuit, quod, cum nullã vmquam ingenij nostri exspectationem concitassem, illud, quod primum edidi, quo minus fuerat exspectatum, eo maiorem admirationem commouit. Vtcumq. tamen sit, & me tuum iudicium consecutum fuisse mirifice lætor; &, si quid in scribendo sum, id a Græcis accepi, ad quorum ductum tu me & disciplinis, & monitis, tuis adiunxisti. Poteris igitur in meis laudibus, si aliquid est in me, quod merito possit a viro doctissimo laudari, tuas laudes agnoscere. Hoc interim velim statuas, & te mihi esse carissimum, &, si tempus inciderit, in quo possim hanc egregiam erga te voluntatem operibus testificari, eã me occasionem nullo modo prætermissurum.

HIERONYMVS OSORIVS

*

Reuerendissime Domine.

CVM litteræ tuæ, quæ quidem mihi periucundæ fuerunt, ad me perlatæ sunt, instabat iter mihi valde necessarium, quo videlicet erat mihi bona pars huius diœcesis obeunda, vt dilapsos mores ad seueriorem disciplinam reducerem. Distuli igitur responsum in reditum meum, vt animo magis vacuo, atque soluto, respõderem. Redij tandem. Epistolam popposci ab eo, quem domui præfeceram, & cui epistolam valde diligenter asseruandam tradideram. Homo alioquin nauus, & industrius, in hac vna re turpiter negligens fuit, atq. dissolutus. tres dies in ea quærenda, sine fructu, consumpsit. Tuli permoleste, me tanti viri scriptum testimonium, quod litteris illis continebatur, amississe. Sed hoc me consolatur, quod spero fore, vt hoc incommodum futura litterarum nostrarũ crebritate sarciatur. Quamuis tamẽ litteræ illæ sint vel amissæ, vel, quod fieri interdum solet, ea diligentia reconditæ, vt tam facile reperiri nequeant, multa tamen ex illis memoriæ mandaui, ad quæ nũc respondebo. Ais, te, Romæ, cum fuisses a Cardinale Varmiense, quem, propter admirabilem virtutem, & singularem sapientiam, incredibiliter amo, in prandium inuitatus, & lector illius ad mensam Paraphrasim nostrã in Isaiam legisset,

Universidad de Deusto
Biblioteca

legisset,te quęsisse,quis ille liber esset,& a quo auctore proditus . Cum igitur nomẽ auctoris ex alijs operibus non prorsus ignotum audisses,petisse,vt liber tibi paucis diebus commodaretur. Quo facto,incidisse te dicis in locum longe aliter, atque Chrysostomus interpretatur,explicatum.Hoc mirum D.Tuæ Reuerendissimæ videri non debet.Quamuis enim omnes , qui sanctissimæ religionis studio incensi sunt , in pietatis verissimæ summa , & in fidei confessione, mire consentiant, in multis alijs locis sæpe dissident,& varios sensus, nullo tamen modo suspicioni impietatis affines , ex eisdem scriptis eliciunt.Ais præterea,me non tãtum,quantum debueram,Christianũ genus extulisse.Ad hoc facilis responsio est.Dico igitur,a nemine vmquam iure postulatum fuisse, vt supra vires contenderet. Feci, quod potui. Exornaui sanctorum hominũ nationem,quantum potui.Qui me & ingenio,& dicendi ratione , superauerint , quos non paucos esse suspicor,perficiant, quod ego,propter ingenij tarditatem, & verborum inopiam , perficere nequiui. Ais præterea , mihi multis apologijs opus esse contra multorum reprehensiones. Vnãm composui,quam nondum,propter temporum perturbationem, in lucẽ edere licuit. Si ea non aduersantium impetum compressero,vel alias meditabor,vel, quod fortasse commodius erit,conquiescam. Equidem eam molestiam a principio facillime taciturnitate vitauissem.Si enim numquam scripsissem,nemo in me inuectus vmquam fuissetSed non est hominis Christiani,& boni Pontificis, officium, magis de rumoribus hominum,quam de Christi gloria, cogitare ; & aliquo præiudicio præpediri,quominus ea libere dicat,quæ cum pietate non pugnant, & impios de statu deijciũt. Non igitur,quamuis in me multi inconsiderate ruant,ita conturbabor, vt me laboris fusce pti pæniteat. Hostes enim Ecclesiæ (liceat enim mihi apud D. T. dum me necessitas vrget,gloriari) multis in locis confixi, eorumq. væsaniam compressi. Multos a turbulentis erroribus liberaui;multos,qui in fide nutabant, atque vacillabant, in fide cõfirmaui;& armis, quibus se ab hæreticis tuerentur , instruxi;cũ nullum interim ex ore meo impium verbum emissum fuerit . Si aliquid dixi , quod non vsquequaque probetur ab illis,qui certis, destinatisq. sententijs ita sunt affixi , vt sceleſtum facinus esse clamitent aliquid asseri longe aliter,quam eorum animis fuerat inculcatum,intelligant , me sanctis tantũ litteris esse, vt me pietas facere admonet , prorsus addictum , & auctoritatem Sacrosanctæ Ecclesiæ,pro cuius sanctitate pugno,maxime,vt debeo,venerari; in controuersijs autem quæstionibus eam sequi, quæ fortioribus argumentis munita fuerit,& multo magis cum Dei æquitate,& illius sempiterna clementia, congruens. In quo vero ait , si modo mihi molestum non sit, fore,vt me de quibusdam locis admoneat, id non erit molestum, sed longe gratissimũ. Ait præterea D. T. me dixisse Regem a Peru venisse, qui socium Magis adiunxit, cum in Iudæam peruenerunt,vt cæli Regem adorarent.Numquã id dixi. Rex enim ille, si Indiæ antiqua monumenta verum testificantur,non a Peru,sed ab India a ciuitate,quam appellant Cranganor, quæ non multis millibus passuum Calecutio distat,profectus fuit , cum in illud iter ingressus est , vt se beatissimis illis Principibus gentium comitem præberet.Hæc ferme sunt,quæ memoria teneo litteris illis contenta fuisse. Nunc reliquum est,vt a D.T.Reuerendissima petam,& obsecrem,vt credat,me sibi fore,propter egregiam istam in me voluntatem , quã ex litteris tuis perspexi , semper nimis addictum , & in omnibus , quæ imperauerit, obsequentem. Christus optimus maximus te diutissime conseruet. Farone.

HIERONYMVS OSORIVS

*

QVANTA cum voluptate legerim cõmentarium tuum de turbulentissimi erroris origine qui Regnum Britanniæ florentissimum perturbauit , explicare vix possum. Breuiter enim,atque diserte, in ea caussa calamitatis explicatur : & id fuit ab historicis prætermissum,in quo totius mali initium consistit;exponitur,quod ad similis mali præcauẽdi exemplum valde salutare futurum puto. O miserrimam Regum condicionẽ . Cum enim munus sustineant,& amplissimum, & difficillimum,quod nullo modo possunt,nisi sint multorum bonorum præsidio stabiliti , feliciter administrare , ipsi plerumque bonos arcent, & improborum comitatu se circumsident , ne libere possint vllo modo suum officium facere. Nam salutares ciues contemnunt ; maleficos ad societatem obeundi muneris adsciscunt;& non adiutores,sed euersores , opibus augent ; vt Remp.cuius se parentes haberi volunt, funditus perdant; nomenq. suũ infamia sempiterna deforment. Quare nihil a te elegãtius fieri potuit hoc opusculo,quo ex illius Lanij crudelissimi,& sceleſtissimi immanitate,& impietate,doces,quã fugiẽda sit Principibus,qui Rẽp. tueri cupiunt,coniunctio improborũ;& quanta diligentia sit illis expetenda familiaritas , & consuetudo bonorum. Est & aliud exemplũ temeritatis & insaniæ , quod est cunctis sanis hominibus acerrime detestandum. Omnibus enim ferme,qui,vt adulẽtur Regibus, & illorũ cupiditatibus impurissime seruiant, religionem contemnunt , est tandem , opera eorum ipsorum Principum, quorum gratia Cæli Regem contempserunt,misere pereundũ. Quod quidem accidit illi viro nefario,qui in Archiepiscopi

piscopi nomen,& munus, inuaserat. Est igitur,vnde discant homines, ita Regibus inseruire, vt Regem Regum summa pietate colãt, & iudicia illius perhorrescant. Vale , vir clarissime ; meq. mutuo ama .

HIERONYMVS OSORIVS STANISLAO HOSIO CARDINALI.

LITTERAS tuas , XV. die Aprilis datas,non ita pridem accepi;quibus materiam,quam tractandam suscepi, mirifice laudas .Ego vero conatum meum laude dignum arbitror , si perfecero, quod valde concupiui. Sed,quis eo poterit peruenire , quo iam dudũ meus animus adspirat?Is certe , qui Crucem amplexus tota mente fuerit, & simul ingenio, & eloquentia, excellens exstiterit . A quibus laudibus tantum absum , vt me nostri status valde pæniteat. Dabo tamen operam,vt volumen describatur,vt ad te breui deferri possit. Rex noster an munera tua, quæ plane Diuina iudico, acceperit, ab ipso intelligam . In hoc enim Algarbij Regnum se contulit , vt hostibus Christiani nominis, qui stragẽ in his oris maritimis,vt rumor est,edere cogitabant,insita virtute repugnaret . Illum ego inuisam; &, quod iudicium de tuis muneribus faciat, percunctabor . Quamquam ætas illius apta minime sit ad res tanti ponderis acri iudicio examinandas,non dubito tamẽ, quin omnia, quæ a te profecta fuerint,illi valde grata;atq. iucunda sint . In quo vero tantum officia tua erga nos , Ecclesiasque nostras , attenuas , & ostendis, te nullũ magnum in nos beneficium contulisse,prætefers illustrem istã virtutis amplitudinem,& animi alti, & excelsi , magnificentiam , quæ sponte sua ita in benignitatis studio versatur,vt gratiam minime requirat. Sed,quo minus a nobis gratiam exigis,eo vehementius nos tibi excellentibus meritis adstringis.Quod autem ad me attinet,dabo certe operam, ne vmquam ingrati animi crimine merito condemner. Sed tam insignis est in multis temeritas, vt nondum nobis libere licitum sit decretorum sanctitate frui.Quid de aduersarijs meis(aduersarios enim,quam inuidos , appellare malo) hoc tempore dicam? Hactenus operam strenue dederunt,vt me variis calumniis exagitarent , nunc autem videntur,impetum nocendi remisisse. Ego tamen illos,si potero, &,si mihi fuerit oblata facultas,vlciscar. Duplici autem ratione iniurias mihi vehementissime persequendas statui. Vna, eas minime faciendo;altera,si occasionem nactus fuero,maleficia beneficiis compensando.Sic enim non conténendum triumphum duxero , & naturæ meæ minime repugnauero. Alia sunt , quæ in aliud tempus reseruanda puto. Vale,Pater amplissime,quem Deus incolumem diutissime conseruet.Balsę. XVI. die Augusti, M D LXXV.

GREGORIO XIII. SVMMO PONTIFICI.

Sanctissime D.N.

SI sacramentum illud, quo Episcopi omnes adstringimur , ad limina Sanctorum Apostolorum altero quoq. anno visitanda,religionem suã obtineret,magis erat nobis elaborandum in causa diuturnæ cessationis meditanda , quam mihi modo est in ratione huius longissimi itineris exponenda . Sed , cum ea consuetudo,propter difficultates,atque pericula,iam pridem obsoleuerit,&,Pontificum benignitate, illa cura, & sollicitudine , leuatissimus,sic sunt inuersa omnia, vt hoc iter meũ multis admirationem commoueat . Confido tamen , Sanctitatem T. consilium meum facillime probaturum. Non enim me stimuli ambitionis exagitant;non cupiditatis curæ sollicitant ; non grauiores offensiones excruciant; non denique vlli me morbi de statu conuellent; vt ea de caussa sit mihi labor otio, quies peregrinationi,periculũ securitati , exsilium patriæ præferendum.Quid ergo est? Studium certe pietatis,me,vt omnia pericula contemnerem , & sermones hominum pro nihilo putarem , adhortatum est . Sunt enim a me multa valde diligenter elaborata in communem Ecclesiæ vtilitatẽ conferenda ; quæ tamen alibi,quam Romæ , in lucem edi commode non potuissent. Nec enim patiar aliquid a me proficisci,antequam sit Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritate comprobatum . Sunt alia quædam præterea, quæ ad Ecclesiæ mihi commissæ rationes valde pertinent , quæ mihi de tua singulari , atque Diuina benignitate polliceor. His rationibus adductus , & iusiurandi etiam religione cõstrictus,in hoc iter ingressus sum; ea tamen mente , vt , vbi primum ea adeptus fuero,quæ mihi proposui,in patriam reuertar,vt in gremio Ecclesiæ meæ,cum summa iucunditate,moriar. Statim me ad Sanctitatis T. pedes contulissem,nisi primum Vrbis aditum,qui est,vt aiunt,omnibus,qui aliunde veniunt,hoc anni tempore, vehementer infestus,extimescerem.Quamquam ego non tam mortem metuo , quam huius nostræ actionis exitium perhorresco.Felicissime valeat Sanctitas T. quam Deus Ecclesiæ suæ sanctæ cum laudæ summa constituendæ incolumem diutissime conseruet. Parma. XXIV. Maij. Anno M D LXXVI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIERONYMVS OSORIVS STANISLAO HOSIO CARDINALI.

FX litteris Antonij Pinti, viri, mihi, propter singularem illius in me fidem, & officium, carissimi, his proximis diebus intellexi, te Romæ versari, atque bene valere: in quo quidem is me non mediocri gaudio cumulauit. Cum enim animum istum omnibus virtutibus ornatissimum, summaq. sapientiæ disciplinis instructissimum, amare cœpi, necesse continuo fuit, vt ardenter expeterē, fieri crebro de valetudine tua certiorē. Quod cū, propter terrarum longinquitatem, fieri non posset, curis sæpenumero distinebar. Nunc igitur gaudeo, quod sperem fore, vt frequentius de valetudine tua quos cupio nuntios accipiam. Ad nos enim Roma amicorū litteræ sæpe deferuntur. Aliud etiā fuit in caussa, cur te hoc tempore Romæ commorari valde gauderem. Quamuis enim Varmiensis Ecclesia, tuis monitis, & exemplis, instituta, & singulari vigilātia custodita sit, & in eo munere Diuinam laudem consequaris, non tamen id te impedire debet, quo minus etiam in Romanam Ecclesiam, quæ est mater omnium, & ex cuius salutari imperio, & maiestate, fructus admirabiles in alias Ecclesias deriuantur, plurimū operæ, & industriæ, conferas. Quod erat valde bonis omnibus expetendum, id, summo Christi beneficio, temporibus difficillimis, consecuti sumus, vt illum Pontificem Maximum habere mus, quem nec humanarum rerum cupiditas incenderet, nec aura popularis in sublime tolleret, neque gerēdi muneris difficultas desperatione frangeret, neque postremo sanguinis respectus ab ardentissimo cultu pietatis, & a studio communis salutis auocaret. Sed vides, Pater amplissime, quam multæ sint insidiæ illis, qui præclara moliuntur, ab eis, qui virtutis splendoreū minime sustinent, comparatæ. Quid exigāt auaritia, quid appetat libido, quid sibi proponat ambitio, non ignoras; & quo denique eorum cogitationes, & studia, qui multū de suis commodis, & parū de Christi gloria, & pietatis amplificatione, cogitant, referantur, pro tua singulari prudentia, perspectum, & cognitum, habes. Nihil igitur vtilius ab illis, qui sapientia, atque pietate, multum reliquis antecellunt, fieri posse videtur, quam opera, & consilio, Sanctum Pontificem iuuare, quo facilius insidias vitet, & impetus hominum perditorum inuicta constantia retardet, vt ita, quod sapienter institutum est, exitum felicissimum consequatur. Cum igitur tu is sis, in quem maxime, propter tuæ virtutis claritatem, omnes boni intueri debeant, plurimum gaudeo, te Romæ nunc esse, vt pro parte tua plurimum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ lucis afferas, & ita multo præclarius in cælum viam munias. De rebus autem meis, hoc tibi nuntiare possum, me in Pontificio munere fungendo non valde negligenter, atque dissolute, me gessisse. Partim enim crebris concionibus homines ad studium pietatis allicie do, partim mores fluxos moderata seueritate coercendo, hoc, Christi optimi maximi gratia, & benignitate, consecutus sum, vt conuersio multorum insignis fieret. Quod tamen tēpus e summis occupationibus eripere queo, ad scribendum confero. Itaque non pauca volumina domi compressa habeo, quæ confido nonnullam vtilitatem bonis allatura. Vltimū opus a me absolutum quinque libris verissimæ Sapientiæ rationem complectitur, quibus demonstro, veræ sapientiæ disciplinā in Christi Cruce, quæ Iudæis offensionem attulit, Græcis speciem stultitiæ præsetulit, vt Paulus noster ait, totam consistere. Quo modo autem hoc opus cum alijs in lucem cito proferatur, explicare non queo; & valde metuo, ne, si mortē, quæ numquam, vt sunt res humanę, procul abest, oppressus fuero, laborum meorum fructus intereanu. Sed aliquid excogitabo, ne videar mihi tantum, vt aiunt, atque Musis, ceciniſſe. Ab inuidis non est otium. Multi etiam mihi insidias moliti sunt; & non semel admonitus sui, vt a veneno cauerem. Semel de mea pernicie coniuratio facta est. Dei tamen propitio numine, tela omnia retusa sunt; & multos ex illis, qui in me tæterrimi fuerant, obstrictos habeo. Maior hominum pars, vt opinio mea fert, me amore complectitur. Homines quidam perfidi, quorum in me scelus beneficijs obruere concupieram, veniam namque postulauerant, nomen meum detulere; neque defuere, qui aures illis libentissime præberēt. Ego tamen recte conscientia sustentor; & ea cogitatio me præterea sollicitudine liberat, quod omnem dignitatem meam Christo commiserim. Hoc tamen tibi, Pater amplissime, affirmare possum, numquam me, etiam si curis interdum distringar, tui memoriam deponere; sed in sacrificijs pro tua salute, & incolumitate, Deum venerari.

IOANNES FAMOIIKIVS GRIMALIVS HIERONYMO OSORIO

Reuerendissime in Christo Pater, Domine colendissime.

PRoxime elapsis diebus, cum apud Illustrissimum Cardinalem Hosium, virum tui amantissimum, de præclaris ingenij tui dotibus, vitæq. integritate singulari, sermo incidisset, non potui non dolere, tui videndi potestatem (quod vnum maxime cupiebam) mihi fuisse ereptam, & quidem non tantum mea, sed ipsius quoque Serenissimi Regis Poloniæ, Domini mei clemētissimi, caussa. Qui, gentem Polonam, iam pridem bellicis laudibus ornatissimam, nouæ gloriæ cupiens accessione cumulare, dum ad euocandos ex Italia in Poloniam viros doctos me mitteret, id mihi negotij iniunxit, (quandoquidem te Romæ degere intellexerat) vt te conuenirem; verbisq. illius amice salutarem, deq. præclara eius in te voluntate certiorem facerē. Quōd quoniam coram nō licuit, per litteras saltem vt facerem, & optimi Principis voluntas, cui vel hac ratione satisfacere cupiebā, & perpetuum meum erga te studium, me incitabat. Licet enim te de facie numquam cognouerim, (quod ipsum, si mihi fortuna non inuidisset, in magna sane felicitatis meæ parte eram posituras) tamen tanta est ingenij, integritatisq. tuę fama, vt nullus sit apud nos litteris politioribus imbutus, qui non Osorij nomen suspiciat, qui prudentiam, dicendi facultatem, sententiarum grauitatem, & Diuini cultus propagandi ardens, & indefessum quoddam studium, in scriptis illius non admiretur, & laudibus in cælum non ferat. Neque vero hoc in hominibus, mediocris, aut etiam extra mediocrem maioris, condicionis, videre licet: sed faciunt etiam idem magni quiq. Principes in Rep. nostra viri, inter quos, quo altiorem Serenissimus Rex ipse Stephanus gradum obtinet, hoc maiore suæ in te voluntatis inclinatione propendet; tantamq. ei lucubrationum tuarum lectio affert voluptatem, vt ne in castris quidem e manibus libros tuos ponat; &, quantum ei per strepitus bellicos, armaq. contra CHRISTI, suosq. rebelles, hæreticos, suscepta, temporis ad quietem conceditur, id nulli libentius, quam tibi, impendat. Quo nomine est, cur & tu merito gaudeas, te laborum tuorum eum fructum reportasse, vt maximi quiq. Principes te in oculis ferant, & Serenissimus Rex meus sibi gloriosum id cum primis ducat, quod eius viri lectione delectetur, cuius insignis pietas, & eruditio, cum excellenti quadam eloquentiæ laude coniuncta, ab omnibus prædicatur. Habes certe Serenissimum Regem meum tui nominis studiosum, eum Regem, quicum animi inuicta magnitudine, reiq. militaris peritia, litterarum scientiam, morumq. suauitatem, &, quod summum est, augendæ (Catholicæ religionis studium, ita coniunxit, vt (absit inuidia dicto) nostræ ætatis Principum Christianorum nemini hac in parte concedere velle videatur. Defert is tibi promptam in omnibus gratificandi voluntatem: quem non alia ratione magis etiam tibi deuinxeris, quam si cum eo communicanda ea omnia curaueris, quæ pro iuuanda Rep. Christiana pie, eleganter, q. cōmentaris. De me porro persuadebis tibi ea omnia, quæ de homine tibi addictissimo, q. vel hoc nomine abs te amari meretur, quod in te amando, suspiciendo, & colendo, a nemine se posse superari vellet, Illustrissimus Cardinalis Varmiensis Hosius, tibi amicissimus, plurimum tibi salutem adscribi iussit, ad quem, sibi quid ad me litterarum, vel ad Serenissimum Regem Poloniæ, dare volueris, tutto mittere potes. Bene vale, Præsul amplissime; & me, quem de facie numquam nouisti, animi in te propensione cognita, fac ames, precor.

IOANNES FAMOIIKIVS GRIMALIVS HIERONYMO OSORIO

INter alios, quos nominis tui cum primis studiosos habet Polonia, vir est & generis nobilitate, & eruditione, ceterisq. præclaris dotibus, ornatissimus, Illustris, ac Magnificus Dominus Ioannes Zamoischi Sarius, Regni Poloniæ Cancellarius. Qui, quo maiora in te Dei dona elucere videt, hoc maiore suæ voluntatis inclinatione in te propendet. Salutat etiam is te plurimum; &, quoniam magnam is, virtute, probitate, doctrinaq. sua, apud Serenissimum Regem meum sibi auctoritatem comparauit, nihil magis cupit, quam eam sibi occasionem dari, qua, quanti te faciat, testatum omnibus reddere possit. Si qua in re hominis tui studiosissimi opera vti volueris, certo tibi persuadere potes, nihil ei magis gratum accidere posse. Datum Romæ. XXVII. mēsis Nouemb. Ann. Dom. MDLXXVII.

Reuerendissimæ Dominationi Vestræ addictissimus, & ad inseruiendum paratus.

Ioannes Famoijkius Grimalius,

Serenissimi Poloniæ Regis Secret.

HIERONYMVS OSORIVS STANISLAO HOSIO CARDINALI.

ACcepi diebus proximis a te litteras, præstantis in me voluntatis, & beneficentiæ, testimonium continentes; quæ vtrum plus mihi voluptatis, an sollicitudinis, attulerint,

Universidad de Deusto
Biblioteca

rint,explicare nõ possum.Cum enim videam, me a Principe, Diuinis virtutibus ornato, quem,& propter doctrinæ magnitudinem admiror,& propter vitę sanctitatem non medio criter amo,non solum amari, sed etiam beneficijs ornari,fieri non potest, quin gaudio sum mo afficiar. Cum rursus cogito, quam difficile sit, omnibus meis studiis perficere, ne parum gratus existimer,non mediocri sollicitudine cõturbor. Enitar tamen sedulo,ne in tanti criminis suspicionem venire aliquando possim.Ioannem Pelliam breui per litteras admonebo,vt omnia a me officia & postulet,& exspectet. Litteras meas, quibus tibi respondebam,non dum ad te perlatas esse,molestissime fero.Quod non statim, cum primum Cardinalis noster rescripsit, responsum dederim grauissimus casus, qui me vehementer afflixit, impedimento fuit.Quo pacto enim in via quadam in loco prærupto conciderim, quod vitæ periculum adierim, quo modo crus meum sinistrum fuerit contusum, atque multis in locis dissectum,quam multos mẽses ita in lecto decubuerim,vt me loco commouere non possem,in litteris illis, quas ad te misi,postquam in Algarbios perueni,satis explicabam. Hoc igitur in caussa fuit, cur non ita breui responderim.In quo vero mihi de Episcopatu Algarbiorum gratularis, prætefers illum amorem in me tuũ,quo vtinam aliquando dignus existimer. Sed, quam difficilis ars sit, Ecclesiam regere,pro tua singulari sapientia, & pro longo huius artis vsu, & negotiorum multitudine,satis exploratum habes.Quare vide,ne nõ sit magis,cur meam vicem doleas,quem existimare potes esse in hac saltem prima muneris ingressione molestissimis curis implicatum,quam vt de statu meo mihi gratuleris.do tamen operam,vt illi summo Pastori, quem dicis,curationis meę rationem reddam;& in eo nerues animi contendo,vt partim admonendo,partim etiam coercendo,homines legibus solutos adstringam,& libidinum vinculis alligatos, e vinculis eximam, atque ad officium reducam.In quo quidem munere fungendo,si aliquid proficio,certum habeo,id non opera, & industria,mea fieri,sed illius gratia, & beni gnitate,qui, vt suorũ animis maculas inustas elueret, sanguinem in Cruce profudit.Gens, quam moderandam suscepi, est numero multiplex,moribus intemperans, & magis ad arma propensa, quam ad disciplinam accipiendam accõmodata.Hoc tamen habet commodi,quod non est a studio veræ religionis auersa, neque pestiferis disciplinis infecta, nec a consensu Ecclesiæ distracta,ita,vt sperandum sit,eam in officio futuram. Tres vngulas alcinas,quas te misisse dicis,non accepi,sed accepi,illarum loco tres anulos alcinos auro eleganter inclusos: quos quidem nequeo dicere quanti fecerim. Illos enim gesto, quasi fidei sanctissimæ pignus, & amoris in me non vulgaris indicium, & præstantissimæ benignitatis tuæ monumentum. Quod si alcinæ vngulæ eam vim habent, quam multi dicunt ad cordis morbos sanandos,& mæstitiam ex animis depellendam, his quidem anulis non modo me tristibus curis leuatum iri confido, sed spero etiam futurum, vt gaudio sæpe cumuler. Quoties enim illos video, toties mihi tuæ virtutis,atque pietatis,& sapientiæ, in mentem venit; meque tantum humanitatis tuæ fuisse consecutum,mirifice gaudeo. Opus,quod mihi cum litteris misisti,legi;vt sanctum, atque piũ,non inuitus;vt necessarium, non libenter. Quod enim erat,& pondere sententiarum sapienter,& argumentis apte, atq. diligenter, scriptum,id mihi voluptati fuit;quod vero necesse fuit,in illa materia profligatorum hominum amentiam consutari, id animum meum non mediocri vulnera percussit. Sensi enim, eo progredi hominum amentiam, vt in nullo sceleris gradu resistat.Quid hoc est? Excitari manes Arij? Instaurari furorem, qui iam tot seculis exstinctus,atq. sepultus esse videbatur? Et,quasi parum multa tela in Ecclesiam,hominum profligatorum temeritate, & audacia, iacerentur, etiã illius tam detestabilis amentiæ memoriam renouari? Hæc quidem cogitatio maiorem,quam explicari possit,animo meo dolorem inusit. Sed Christus optimus maximus inflicta vulnera sanabit; & duces, quos Ecclesiæ præfecit,qualis tu es,vir amplissime,viribus Diuinis armabit,quorum opera homines perditissimi conatu pestifero prohiberi,atque profligari,facile possint. De animo quidem in te meo, hoc possum, Deum testans,affirmare,esse me tuæ dignitatis,& amplitudinis,amantissimum; tantoq. studio tuæ virtutis incensum, vt vix quidquam excogitari possit ardentius. Vale.

HIERONYMVS OSORIVS INVICTISSIMO STEPHANO BATHORIO REGI POLONIAE.

IDIBVS Nouembris anni proximi perlatæ sunt mihi litteræ a Ioanne Famoichio Grimalio Roma datæ; quas maxima cum voluptate perlegi. Erant enim orationis ornatu cultissimæ, & significatione egregiæ in me voluntatis iucundissimæ. Sed, quod me in illis supra modum delectauit, fuit oratio illa,qua mihi,Maiestatis tuæ nomine, plurimam salutem adscripsit; atque testificatus est, si facultas vmquam tibi daretur tuæ erga me beneuolentiæ declarandæ, te mihi nullo in loco defuturum.Scripta namque mea tibi vsque adeo probari, vt in Castris etiam, quoties

quoties esset otium,otium illud te libenter in libris meis assidue versandis consumere.Quo quid mihi lætius nuntiari potuisset?Nam, cũ summa dignitas in eorum iudicio, qui multũ reliquis dignitate præcellunt,plane consistat; tunc certe nihil addi posse videtur ad eorum decus, qui Regum maximorum, quales sunt illi,qui Regiis virtutibus exculti sunt,iudicia consequuntur.Nihil est enim bonorũ Regum, aut virtute magnificentius,aut bonitate salutarius,aut moderatione mirabilius?Cum ergo audiã,te in omnibus virtutibus,loci istius amplitudine dignis, valde vigilanter exercerí; & videam, te me dignum esse statuisse, in quem multum tuæ benignitatis impertires, duplex mihi officium modis omnibus suscipiendum esse iudico.Vnũ, vt plurimum amoris in Maiestatem tuam conferam; alterum, vt omni studio,& vigilantia,demonstrem,quã arto vinculo tibi deuinctus sũ. Nihil est enim virtute amabilius,nec ingrati animi crimine sceleratius. Cum igitur a studio virtutis non abhorream; & sceleris suspicionem exhorrescam; & intelligam, te in omni genere Regiæ virtutis excellere; & videam, quantum mihi dignitatis adiunxeris; consequens necessario est, vt te mirifice diligam, & amorem hunc, quantum licuerit, omnibus meis studijs perspicuum faciam. Non est meum, Principibus adulari;sed,quod sentio, simpliciter, & ingenue,profiteri.Is ego cum sim, hanc de te opinionem habeo, Princeps inuictissime, vt nullum tibi Principem anteponendum arbitrer. Nam, cum in Rege ad laudem summam duo flagitanda sint,nempe singularis animi vis,& fortitudo ad hostes acerrime repellendos, & excellens humanitas,atq. moderatio ad supplices subleuandos, totamq. Remp. imperiomiti,atque benigno,temperandam;& celebri fama peruagatum sit, te laude virtutis imperatoriæ circumfluere, & studia artium maximarum,quæ vim admirabilem habent, & decoris,& moderationis,elegantiam,non aspernari, non dubito, quin sis Regis Maximi gloriam consecutus. Sed nondum attigi, quod in laudibus tuis maxime prædicãdum arbitror. Quid illud est?inquies.Nempe, quod pro Religionis sanctitate pugnas;quod pro Christi gloria nullum certamen recusas. Hoc si reliqui Principes ab initio fecissent,multo certe meliore loco res nũc Christiana fuisset. Sed,dum multi rei suæ multo attentius, quam Christi gloriæ, seruiendum putant; & alij magis otio suo, quam verissimæ dignitati, prospiciunt; alij postremo præter modum feritatem effrenatæ multitudinis extimescunt;malum,quod in principio reprimi facillime potuisset; negligentia sua permiserunt, tantas vires colligere, vt illi resisti sine summa contentione non possent. Sic autem factum est, vt, dum opes,& salutem, & otium, verissimis opibus anteponunt,in discrimen omnia,quæ tanti faciunt,simul amittendi, per summam ignominiam,& dedecus,inducant.Non enim vident, nihil esse magis amplitudini Regiæ Maiestatis aduersarium, quam sectæ cuiuslibet, quæ cum Ecclesiæ sanctionibus pugnat, immanitas.Pacem enim turbat; pudorem exstinguit; libidinem incitat;audaciam nutrit;leges conculcat;imperij contemptionem inducit; vniuersamq.multitudinem ad rebellionem sollicitat. Princeps igitur,qui perditis, & profligatis, hominibus, qui Religionem oppugnant, acriter,atque vehementer,obsistit, duplici ratione laudibus efferendus est. Nam & summo Regi, cuius in terris vicem gerit,debita fide ministrat, & opibus suis egregie consulit. Peste enim Regiæ dignitatis sapienter exsecat, & Deum,pro cuius gloria dimicat, sibi adiutorem conciliat. Hæc igitur cum tibi summæ curæ esse fama prædicet, reliquum est,vt non solum ab hominibus bonis egregie diligaris, summisq. laudibus exorneris, verum &, Angelorum præsidio circumsæptus, victoriam de omnibus Christiani nominis hostibus egregiam cõsequaris, & summa cum gloria triumphes.Me certe,quibuscumq. rebus potero, sic obstrictum habebis,Princeps inuictissime, vt ab omnibus intelligi possit, me nemini concessurum,qui te maiore studio,amore,& pietate, prosequatur.

FINIS.

Imprimatur si placuerit Reuer. Vicesgerente Fr. Barth. de Miranda S. P. P. Ant. Vicesg.

REGESTVM.

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd.

Omnes sunt Terniones præter D d d Duernionem.

Romæ. Ex Typographia Bartholomæi Bonfadini. CIↃ IↃ XCII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIERONYMI

OSORII

LVSITANI

EPISCOPI

ALGARBIENSIS

Opera

Tomus Secundus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca